SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS.

REPRODUCTION

EN FAC-SIMILÉ

TIRÉE A 250 EXEMPLAIRES SEULEMENT

PAR LES PROCÉDÉS ANASTATIQUES

DE

C. REINECKE, A BERLIN

POUR

H. WELTER, ÉDITEUR

RUE BERNARD-PALISSY, N° 4, A PARIS

ET A LEIPZIG, SALOMONSTRASSE, 16

1902

SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA QUÆ

PHIL. LABBEUS ET GABR. COSSARTIUS S. J.

Et noviſſime NICOLAUS COLETI *in lucem edidere,*

EA OMNIA INSUPER SUIS IN LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI,

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.^MO CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS, CURATA,
Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,
Ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS.

Ab anno DCCCLXXII. uſque ad ann. DCCCLXXXIV. incluſive.

ALMA COLLEGE
263.1
LIBRARY
M318
Alma, California

VENETIIS. MDCCLXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO

(Editio iterata ad Editionis principis exemplum ab Huberto Welter, Bibliopola, Via dicta Bernard Palissy 4, Pariſiis M.D.CCCCII)

f
BX
825
S3
1901
V.17:1

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. D. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Sacrorum Conciliorum &c. Auctore P. Philippo Labbeo Soc. Jeſu curante Nicolao Coleti, & Joanne Dominico Manſi &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 20. Dicembre 1767.

(Sebaſtian Zuſtinian Riform.
(Alviſe Vallareſſo Riform.
(Franceſco Moroſini ſec.do Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 335. al N. 2304.

Davidde Marcheſini Segr.

SYLLABUS
EORUM, QUÆ IN TOMO XVII.
CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata ſunt, noſtræ Editioni noviter acceſſere *P. Joannis Dominici Manſi* cura, qui ad Archiepiſcopatum Lucenſem evectus, glorioſe obiit; omiſſis iis, quæ forte tipothetarum vitio notari non potuerunt.

ANNO CHRISTI		pag.
872 ☞	*CONCILIUM COMPENDIENSE.*	1
	Vita & Epiſtolæ Joannis Papæ VIII.	*ibid.*
	Ejuſdem Epiſtola CCCXX.	3. *& ſeq.*
	Fragmenta quædam aliarum Epiſtolarum ejuſdem Pontificis.	241
☞	*Aliæ ejuſdem Pontificis.*	242
☞	Ludovico Imperatori.	*ibid.*
☞	Marino & Pulchari.	*ibid.*
☞	Angelbergæ Imperatrici.	243
☞	Damaſol Duci glorioſo.	*ibid.*
☞	Imperatori & Imperatrici.	*ibid.*
☞	Neapolitanis, Salernitanis, & Amalphitanis.	*ibid. & ſeq.*
☞	Luitberto Archiepiſcopo Moguntino.	244
☞	Petro Epiſcopo.	*ibid.*
☞	Decretum.	*ibid.*
☞	Epiſtola ad Ludovicum Imperatorem.	*ibid.*
☞	Ad Angelbergam Imperatricem.	245
☞	Ad Annonem Friſinguenſem Epiſcopum.	*ibid.*
☞	Ad Roſtagnum Arelatenſem, Sigiboldum Narbonenſem, & Robertum Aquenſem Archiepiſcopos.	*ibid. & ſeq.*
☞	Excommunicatio in eos, qui de morte Romani Clerici ſuſpecti erant.	246
☞	Epiſtola ad Ansbertum Archiepiſcopum Mediolanenſem.	*ib.*
☞	Ad Ludovicum Imperatorem.	247.
☞	Ad Neapolitanos, Salernitanos, & Amalphitanos.	*ibid.*
	Conſtitutio ipſius de jure Cardinalium.	247
	Appendix ad eas Epiſtolas.	248
☞	*Appendix altera ad eaſdem.*	255
☞	*CONCILIUM ROMANUM.*	264
873	Conventus Francofordienſis.	265
	CONCILIUM OVETENSE.	*ibid.*
	Obſervatio Philippi Labbe.	268
	Acta ipſius Concilii.	269
	Adnotatio P. Pagi.	272
	CONCILIUM CABILONENSE.	274
	CONCILIUM COLONIENSE monumentum Synodi magnæ dictum.	875
	CONCILIUM SILVANECTENSE.	282.
	— *DUZIACENSE* II.	*ibid.*
874	— *RAVENNENSE.*	298
	— *RHEMENSE.*	*ibid.*
875	Conventus Cabilonenſis.	299
	CONCILIUM ROMANUM.	303
	Inſtitutio Odonis Epiſc. Bellovacenſis.	*ibid.*
876	Synodus Ticinenſis.	306
	Decretum Cleri Laudunenſis.	*ibid.*
☞	*Ad CONCILIUM TICINENSE.*	*ib.*
	CONCILIUM ROMANUM.	*ibid.*
☞	— *ROMANUM.*	*ibid.*
	— *PONTIGONENSE.*	*ibid.*
	Capitula ejuſdem Concilii.	312
	Subſcriptiones Epiſcoporum.	*ibid.*
	Acta Concilii Ticinenſis.	318
	In eadem Præfatio Ludovici Antonii Muratorii.	318
	Juramentum Ansberti Archiep.	324
	Tituli Capitulorum.	326
877	*Duplex Conventus Compedienſis.*	332
☞	Synodus Colonienſis.	*ibid.*
	CONCILIUM ROMANUM.	336
	— *RAVENNÆ.*	*ibid.*
	Statuta ipſius.	337
	Epiſtola hujus Concilii.	341
	Adnotatio P. Pagi.	342
878	*CONCILIUM IN NEUSTRIA.*	343
☞	— *ROMANUM.*	*ibid.*
	— *TRICASSINUM* II.	345

Actio-

ANNO CHRISTI		
878	Actiones Concilii.	*ibid.*
	Canones conditi a Joanne Papa, & a Synodo Tricaſſina probati & recepti.	350
	CONCILIUM PAPIENSE.	358
879	— in Confinio Provinciarum Arelat. & Narb.	359
	— *ROMANUM* II.	*ibid.*
	— *ROMANUM* III.	*ibid.*
	— *ROMANUM* IV.	363
	Synodus Heroſolymitana, Antiochena, & Alexandrina. 364.	
	Conciliabulum Conſtantinopolitanum. 366.	
	Notæ Severini Binii.	*ibid.*
	Synodus Conſtantinopolitana ex appendice Libelli Synodici. 370	
	Pſeudo-Synodus Photiana G. L.	371
	Actio Prima.	*ibid.*
	Actio Secunda.	394
	Actio Tertia.	450
	Actio Quarta.	475
	Actio Quinta.	494
	Actio Sexta.	511
	Actio Septima.	519
	Epiſtola beati Joannis Papæ Romæ, ad ſanctiſſimum Photium Archiepiſc. Conſtantinopoleos. 523	
☞	*Ad Pſeudo-Synodum Photianam, Additio.*	527
	CONCILIUM MATALENSE.	529

ANNO CHRISTI		
879	*Synodi ad Boſonem regem deſignatum legatio.*	513
	Boſonis regis electi ad Synodum reſponſio.	531
	Nota Jacobi Sirmondi S. J.	532
	Hincmari Epiſcopi Rhemenſis, Epiſtolæ Synodales.	533
880	*CONCILIUM ROMANUM* V.	535
☞	— *MEDIOLANENSE.*	*ibid.*
881	— *ROMANUM* VI.	*ibid.*
☞	Romanæ Synodi tres.	537
	CONCILIUM APUD S. MACRAM.	*ibid.*
	Tituli Capitulorum.	*ibid.*
	Præfatio.	*ibid.*
882	Capitula VIII.	538. *& ſeq.*
☞	*CONCILIUM ROMANUM* VII.	555
	Ravennatenſe Concilium ſeu Conventus.	*ibid.*
	Præceptum Caroli Craſſi pro Brumacenſi Abbatia.	557
	Caroli Craſſi Imperatoris Præceptum aliud pro Regenſi eccleſia in eadem Synodo datum.	*ibid.*
	Decretum Immunitatis.	560
	Vita Martini Papæ I. qui perperam Martinus II. nominatur.	561
	Privilegium Martini Papæ I.	563
883		
884	*CONCILIUM TOLOSANUM.*	565
	Vita Hadriani Papæ III.	*ibid.*

APPENDIX

Cui præmittitur aureus Franciſci de Roye Andegavenſis Anteceſſoris Tractat de Miſſis Dominicis.

Præfatio Jo. Wendelini Neuhaus.	573 — 843
Dedicatio Auctoris.	847
Præfatio ejuſdem.	849
Index Capitum.	853
— Auctorum adductorum.	855
— Rerum & Verborum	863

Communia de Miſſis Dominicis.	871
De Miſſis Dominicis ad Juſtitiam.	897
De Miſſis Dominicis ad Diſciplinam publicam.	935
De Miſſis Dominicis ad Vectigalia.	965

ANNO CHRISTI 871. 872. x supplem. Manſi to. I. ag. 1013.

COMPENDIENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 871. 872.

In quo de reducendo Carolomanno ad obſequium patris ſui Caroli Calvi actum eſt, & in fautores ejus anathema dictum.

Anno 871. habitum.

Anno 871.

CUm tam multi diligentiſſimi ſcriptores celebrata in Gallia concilia collegerint, mirari ſubit tam multos ſimul oculos fugere potuiſſe Compendienſe concilium, cujus, ſin minus concilii nomen, res tamen ipſa extat in expoſtulatione Hincmari Remenſis adverſus Hincmarum Laudunenſem cap. XX. quæ lecta in ſynodo Duziacenſi extat apud Labbe tom. XVI. Ex ea vero conſtat Hincmarum Remenſem cum ſuffraganeis ſuis conveniſſe *Compendii, quando de Carolomanni, & complicibus ejus converſione tractabatur*; qua converſione deſperata, Hincmarus cum ſuffraganeis ſententiam dixit excommunicationis in diœceſanos ſuos, qui perduelli filio favere non deſtitiſſent. Extat ſententia illa inter epiſtolas Hincmari num. XXXII. & ad Remigium Lugdunenſem archiepiſcopum ejuſque ſuffraganeos dirigitur. Fateor equidem Hincmarum Laudunenſem adverſus ſententiam illam eo nomine excepiſſe, quod in ſynodo minime lata fuerit; qua de re in eadem expoſtulatione cap. XXII. Id tamen objecit Hincmarus, quod in concilium quidem epiſcopi conveniſſent, ut de cauſa Carolomanni tractarent; dein ſoluto concilio, cum jam epiſcopi quidam abiiſſent, inter quos epiſcopus Laudunenſis, Hincmarus Remenſis cum reliquis, qui nondum abjerant, epiſcopis, ſententiam illam tulit.

VITA ET EPISTOLÆ JOANNIS PAPÆ VIII.

ANNO CHRISTI 872.

ANNO CHRISTI 872.

Ex libro em ſub no- ne Levitæ dit Sera- s.

JOannes * ſedit annos decem, dies duos. Hic decreto ſuo ſtatuit, ut nulli ducum liceat quemlibet epiſcopum in præſentiam Romani præſulis introducere, vel cenſus ab eo ad ſumptus publicos, ſeu dona quælibet exigere, ſed nec coram laicis epiſcopum conceſſit. Clericos & ſanctimoniales, pupillos & viduas ſub tutela epiſcoporum eſſe decrevit, & eos ad ſæcularia judicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excommunicandum eſſe decrevit; perſeverantem vero anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cetera de decimis ſacerdotibus dandis ita præcepit. Quas ſcilicet decimas unumquemque fidelem illi ſacerdoti dare cenſuimus, in cujus parochia eum proculdubio conſtat ſub epiſcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab epiſcopo ſuo eſt conſtitutus, manere, & ideo nullum alterius diœceſeos ſacerdotem aut Levitam alteri jure * ea novum debita hujuſmodi audire impudenter, vel temere quærere, aut accipere * damnationem vel donationem. Eum vero, qui aliter dare vel accipere præſumpſerit, eccleſiaſtica communione tamdiu judicamus manere privatum,

Locus mendoſus.

* *ſ.* Canonum
* *for. tantum* donationem.

donec ſecundum hoc noſtræ apoſtolicæ auctoritatis capitulum ſtuduerit agere.

Hujus temporibus Lodevvicus imperator ab Adalgiſo Beneventano duce conſtrictus, timore vitæ, jurejurando firmavit, nunquam ſe Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc ſibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem juramento poſtmodum prædictus papa eum Romæ abſolvit auctoritate Dei & ſancti Petri, affirmans nihil ſibi obeſſe, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec ſacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus, fuerit prolatum.

Nota Severini Binii.

Quando pontifex factus ſit Joannes VIII.

Tres imperatores elegit & coronavit.

* Lud. Balbus non imperavit.

a *Joannes*.) Anno redemptoris 872. decimonono Kalendas Januarii, teſte Aimoino, Joannes patria & natione Romanus ex archidiacono factus eſt pontifex hujus nominis octavus, electione, unctione & coronatione Caroli Calvi, Ludovici Balbi *, & Caroli Craſſi trium imperatorum poſt obitum Ludovici II. ordine prædicto ſuccedentium celeberrimus. ut ex notis conciliorum infra cognoſcere poteris.

Hic, cum Saraceni totam fere Italiam depopularentur, omni auxilio hominum, in quibus ſpem expellendorum Saracenorum collocaverat, plane deſtitutus, a barbaris & infidelibus pacem & quietem annuo cenſu ac tributo redimere coactus fuit: idque juſto Dei permiſſu contigiſſe videtur, ut ſcilicet hoc exemplo ſuo inſtructus agnoſceret, ſe poſt obitum Ludovici imperatoris II. ſuaſu maleſuadæ carnalis prudentiæ Carolum, a quo contra Saracenos majora quam a Ludovico * fratre ſubſidia expectabat, male elegiſſe, creaſſe & coronaſſe imperatorem, quem propter alieni regni invaſionem, exempla prædeceſſoris ſui Hadriani II. eccleſiaſticis cenſuris merito exagitaſſe debebat. Photium, qui per fraudem & impoſturam admirabilem, quam idem Nicetes prolixius enarrat, cuique Ignatius adhuc vivens reditum ad eccleſiam, prout octava ſynodo conſtitutum fuerat, juſte denegaverat, Joannes papa, petentibus illud Baſilii imperatoris & Hieroſolymitani patriarchæ legatis, poſt obitum Ignatii ad communionem eccleſiæ recepit, ejuſque reditum ad ſedem patriarchalem non ſine gravi exiſtimationis ſuæ jactura, notaque cathedræ pontificiæ turpiſſima approbavit. Ne Photius ante finem vitæ ad pœnitentiam reciperetur, in concilio œcumenico VIII. non tantum conſtitutum, verum etiam ſingulorum juramento firmatum erat. Non ignarus hujus conſtitutionis ſacratiſſimæ, neque immemor fortaſſe ſui ipſius juramenti pontifex, contumacem hæreticum nulla ratione ad pœnitentiam, multo minus ad dignitatem patriarchalem recepiſſe, ſed potius anathematis ſententia perculiſſe debebat. Impetraverat iſta Photius ſine dubio per interceſſionem Baſilii, per unionis, pacis & concordiæ eccleſiaſticæ, auxiliique contra Saracenos ferendi promiſſionem, perque falſorum plurium enarrationem, quaſi omnes orthodoxi pro ſui reſtitutione intercederent: verum iſta ratione non tam Joannes excuſatur, quam majore ignominia afficitur, ut qui ab eunucho & ſemiviro omni robore enervatus, ſe feminam potius, quam virum eſſe declararit. Si quis cum Baronio crederet, ex hoc facto fabulam de Joanne VIII. non papa, ſed papiſſa, originem ſumpſiſſe, non male fortaſſe ſentiret. Hæc ex Niceta & Aimoino Baron. tom. 10. in vita Joannis.

* Errat hic in multis Binius, ut dicemus in notis.

Photium cum detrimento honoris ſui recepit.

EPISTOLA I. JOANNIS PAPÆ VIII. AD BOSONEM COMITEM.

Agit gratias, quod ejus opera legati ad imperatorem pervenerint, & illis injuncta confecta ſint; eumque rogat, ut quamprimum auxilia ſibi contra Saracenos mittenda curet.

Joannes epiſcopus Boſoni illuſtriſſimo comiti. (a)

De Boſone Regino l. 2. chron. Aimoin. l. 5. c. 24. 27. 32. & aliis in locis.

CAriſſimæ tuæ nobilitati laudes Chriſto Domino referentes, gratias agimus, & hanc præconiis efferentes, in eodem Domino gratulamur, cujus gratia noſtro fultus amore, miſſis apoſtolicæ noſtræ ſedis, facilem aditum perveniendi ad ſereniſſimi Domini Caroli ſemper Auguſti ſpiritualis filii noſtri præſentiam, non indebita tribuiſti; & ut ea, quæ ſibi a nobis dicenda injuncta fuerant, aure ſuæ pietatis adverteret, & ad congruentem effectum perduceret, ſuadere curaſti. Quod cum Deus omnipotens imperatoriæ magnitudini, ut fieret, inſpiraverit; te tamen, qui noſtri ſtudii cooperator effectus es, admodum collaudamus, &, ut diximus, gratias tuæ induſtriæ referentes, & pro his & pro aliis retribuere tibi viciſſitudinem non omittemus. Nec non & quidquid honori tuo congruit, vel ad utilitatem tuam creſcere cognoverimus, incunctanter exequi procurabimus, & grato amore, adjuvante Domino, quouſque perficiamus, elaborabimus. Tu vero fili cariſſime, ſicut cœpiſti, ad infidelium noſtrorum, vel ſanctæ Dei eccleſiæ adverſantium tyrannidem funditus abolendam * magis inſiſte; ut qui ſanctam Romanam eccleſiam in multis lædere non formidarunt, tali ſententia, imo judicio percellantur, ut deinceps, quemadmodum es pollicitus, recuperationis locum nunquam inveniant. Ceterum quia pro maxima neceſſitate hujus noſtræ regionis, quam Saraceni pene totam depopulati ſunt, audivimus imperiale adjutorium uſque ad nos eſſe mittendum; gloriam nobilitatis tuæ nimium deprecamur, ut idem adjutorium, vel virorum exercitum, qui utinam jam præſens adeſſet, nullo modo illis in partibus moram pati permittat... veniendo eos exhorteris, ut urgeas, viriliterque quouſque veniant pro Dei noſtroque amore inſiſtas; quia niſi citiſſime venerint, & nobis opem contulerint, pejora prioribus fieri formidamus: ac per hoc domno imperatori peccatum & damnum oriri poterit, & quia eccleſia Dei, vel oves paſcuæ ejus fortiter diſcerpuntur, ipſum nomen Chriſtus, quod abſit, in gentibus blaſphemari. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

* Ed. magis gis.

II. AD LUDOVICUM REGEM.

Diſſenſiones inter ipſum & imperatorem ſcribit ſe non poſſe ſedare, niſi alteram prius audiat partem: interea monet, ut pacem cum omnibus, & præcipue cum imperatore ſervet, & ſubjectos compeſcat.

Joannes epiſcopus dilecto filio Hludovvico glorioſo regi.

EPiſtolas tuæ dilectionis, non quidem diverſas ſuſcepimus: quas relegentes, ea in eis reperimus, quæ niſi nos cariſſimi filii noſtri ſereniſſimi quoque imperatoris domni Caroli ſemper Auguſti prior querela pulſaret, non ſolum admitteremus, verum etiam priuſquam putares inveſtigaremus, atque diſcuteremus, rectique lance libraminis, quod & facturos nos, Deo juvante, confidimus, penſaremus. Sed quia una pars ſine altera facile audiri non debet, interim deliberative non ſcribimus: quin potius gloriam tuam monemus, & auctoritate apoſtolica obteſtamur, ut pacem cum omnibus, & præcipue cum eodem imperatore conſervans, tibi ſubjectos compeſcas, & ab omnibus ſcandalis, vel factioſis conſpirationibus uſque ad noſtram diſcuſſionem (ſicut per te ſperamus) removeas. Quia nos, qui ſacerdotum

(a) Has epiſtolas iterum recenſui & emendavi ad editionem Romanam *Epiſtolarum SS. Pontificum anni 1519. Manſi.*

tum Domini matura volumus esse judicia, nec illi, nec tibi contra justitiam favere studemus. Hujus rei gratia (mediante sancti Spiritus gratia) per nostræ mediocritatis studium, quidquid illud est, volumus diffiniri; & quod adhuc suspendendum duximus, jam digna deliberatione, juvante Domino, dispensationis nostræ judicio terminabimus. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

III. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Ostendit se paratum esse firmare pactum quod fecerat: rogatque sibi ad ipsum eunti hospitium parari.

Joannes episcopus dilecto filio Guaiferio glorioso principi.

Guaiferio principi Salernitano Leo episcopus Ostiensis libro 2. chron. Cass. cap. 42. & 44.

QUia te non solum legatorum nostrorum inter relata fidelium circum ecclesiæ nostræ Romanæ regimen, cui Christo præsidemus auctore, devotum cognovimus, tuumque strenuissimum generum Pulcari præfectum, verum etiam cum pro liberatione totius patriæ, ut nobis a Christo cura commissa est, in vestras partes venissemus, pro certo fidelem reperimus: ideoque pactum quod petisti, ut promiseramus pontificali vera assertione a dilecto filio nostro Carolo imperatore Augusto, jure vobis firmandum, potestate per revertentes venerabiles legatos ecclesiæ nostræ accepta juste ac legaliter adfuturum statuere sumus parati; simulque mihi & novo agmini comitatum volo præparetis, ut dixerim ita hospitium, fideleque nostros incepta corroborate fidelitate, ac infidelibus, prout potestis, frænum redargutionis imponite, nostrumque adventum, Deo duce, sperate.

IV. AD CLERUM, ORDINEM ET PLEBEM SANCTÆ VVALVENSIS ecclesiæ.

Invehitur in quemdam ecclesiæ Vvalvensis invasorem, legitimo adhuc superstite episcopo: laudat eos quod illum minime recipiendum duxerunt, simul præcipiens, ne unquam eum admittant, alioquin excommunicationis sententiam minatur.

Joannes episcopus clero, ordini & plebi sanctæ Vvalvensis ecclesiæ.

QUia solicitudinis nos, quam pro omnibus Dei ecclesiis circumspiciendis suscepimus, maxima cura constringit, ut vel provisa vitia resecemus, vel rumore comperta, ne pullulent, vigilemus; latere vos nolumus perveniisse ad nos, quod quidam, calcata reverentia canonicæ disciplinæ, contra omne fas, imo contra legem ecclesiasticam superstite vestro pastore velit ausu temerario vestram sinceritatem corrumpere; & (quod dictu nefas est) plebem ipsam invadere, gregemque dominicum, videlicet vosmetipsos discerpere, schismata generare, & Deum in hoc ad iracundiam provocare: habens quasi auctoritatem sæcularium id peragendi, & quæ ab eis, imo a nobis, vivente vestro episcopo, jure dari non potest, nequiter exercendi. Quod tantum fieri prohibemus, tantumque detestantes abominamur, quantum contra canonicæ auctoritatis censuram, & contra divinæ legis traditionem, vel veterum patrum exempla, tale quid attentari cognoscimus, ut vivente uno episcopo, ac superstite consistente, alter vel non petitus, vel qui peti non potest, nec etiam debet, sedem viventis invadat; & hanc vel sine nostro consultu, ut ita dixerim, expetat: vel quia (sicut diximus) supereſt, in cor ejus ascendat talia cogitandi. Verum nos primum vobis gratias agimus, quia (sicut didicimus) vestro episcopo fidem debitam conservantes, eumdem invasorem non recipiendum esse proposuistis. Deinde nostri apostolatus monitis omnium vestrum devotionem hortamur, præcipimus, ac suademus, ut eodem vestro episcopo vivente, nulli unquam mortalium vos conanti forte decipere, præbeatis assensum, ut vel in modico a fidelitate ipsius vestri episcopi qui nunc est, scilicet venerabilis Arnulfi, quoquomodo discedatis; quin potius omnem honorem ac reverentiam juxta sacros canones ei impendere studeatis, ut * magis, unde vobis gratias referamus, habere possimus: scientes nos nullo modo in tali nefando opere consensuros, sed potius & factores, & eorum consentaneos punituros. Verumtamen si hanc nostram legitimam obtestationem vos in aliquo ab his deviare cognoverimus, & habentes hanc nostram auctoritatem vos omnium ambitiosorum factionibus contraire minime senserimus, vel si quomodocumque talia facere tentanti vos consensum præbere saltem clanculo, quod absit, didicerimus; sciatis quia & vos anathemati submittemus, & illum pari sententia condemnantes, omne sacerdotalis officii ministerium, ut unquam nullis præsideat, ei perpetuo adimemus. Data, &c. indictione decima.

* Edit Rom. *magis ac magis*

V. De Neapolitanorum duce ejus fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur, ut ab eo se separet; alioquin cum eo ac ceteris fautoribus anathemati subjicietur.

Joannes episcopus *

MUlta per nos per decessoresque nostros reverendos pontifices duci Neapolitanorum, imo duci cæcorum, missis & epistolis discurrentibus dicta sunt, quæ locum in ejus corde nullum penitus invenerunt: quia profecto viscera ipsius verba vitæ æternæ recipere renuerunt: Judæis enim Dominus dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit*; ergo probatio dilectionis, exhibitio est operis. Probatur igitur germanus tuus non diligere Deum, qui mandata ejus participando cum perfidis non custodit. Nam Joannes apostolus ait: *Qui dicit quia diligit Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Sed nos postremo, nec etiam sic contempti, quæ ad salutem ejus & eunctorum pertinebant, negleximus: unde non angelus, non legatus quilibet, (ut de redemptore nostro prophetice dictum est) sed ad salvandos eos ipse per semetipsum apostolatus noster adveniens, quid est quod debuit facere, & non fecit? licet ipse, ut cum propheta dicamus, conversus est in amaritudinem vitis alienæ, & sicut aspides surdæ, & obturantes aures suas, non audierit vocem incantantium, id est prædicantium, nec mutaverit versutiarum suarum colorem, aut varietatem, instar Æthiopis & Pardi, quibus perfidorum Israelitarum Jeremias duritiam comparavit, unde merito abscissi sunt, ut de talibus apostolus optat: *Abscindantur*, inquiens, *qui vos conturbant, a Christo*, id est a capi-

* Forte *Athanasio episcopo Neapolitano*, ad quem nonnullæ infra scribuntur epistolæ: cujus meminit Leo Ostiensis, lib. 2. chron. Cass. cap. 42. Fuit autem hic nepos & successor sancti Athanasii, cujus mentio est in martyrol. Rom. die 25. Julii

Joan. 8.
Joan. 14.
1. Joan. 2.
Isai. 5.
Psalm. 57.
Galat. 5.

capite & corpore, quod eſt eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Ergo cum ita ſit, prudentia tua moveri non debet, ſi inter tales officium ceſſet doctorum, ſive torpenti deſidia faciente rectorum, ſive impœnitenti exigente crimine ſubjectorum. Divino enim judicio, quamvis occulto, talia fiunt, ſicut in libro B. Job legitur, cum de Deo inter alia fertur: *Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat, commutans labium veracium, doctrinam ſenum auferens*: cujus ſenſus medulla concepta, procul dubio ſcito quia in optionem unum e duobus a nobis tibi tribuitur: aut enim (ſecundum quod ſcriptum eſt) *Exiens exibis de medio ipſorum, & pollutum non tanges*; aut certe, quamdiu cum talibus converſatus fueris, non poteris videri non talis, ſed eris profecto illis pœna, ſicut conſortio ſimilis. Nam Loth chaos Sodomis fugiens, cunctis necatis civibus, ſalvus ſingulariter redditur, Sic Petrus fugiens, Herodis catenis ereptus, ad ſalvandas gentes eruitur. Sic Paulus, obſervante Damaſci præpoſito, teneri intra clauſtra perfidorum noluit, in ſporta per murum ſummiſſus, ad certaminis properat campum. Verumtamen ne ſanguis eorum de manibus tuis divinitus requiratur, tamquam ſegnis deſidiſque ſpeculatoris, qui videas gladium lupumque venientem, & taceas: *Inſta* interim (ut apoſtolus monet) *opportune, importune: obſecra, increpa: nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Qui ſi te audierint, lucrifacies fratres tuos: ſin autem, ſaltem tu ſalvans ſalva quantocius animam tuam, ſciens proculdubio totius Heſperiæ præſules a nobis in proximo congregandos. Quibus generaliter imminentibus, tam perfido fratri tuo, quam omnibus ſectatoribus & fautoribus ejus perpetuum dicemus modis omnibus anathema, nunquam deinceps penitus diſſolvendum: quod ſi evadere ſatagis, in noſtrique affectus finibus inveniri, in nullo prorſus ab hoc noſtro recedere præcepto patere vel hortatu. Gratias præterea referimus ſuper his, qui per induſtriam tuam redempti ſunt a Domino, quos redemit de manibus inimici: & ſcito nil te nobis acceptius oblaturum, quam eos nimirum, pro quibus ſanguis oblatus eſt Chriſti. Data quinto Idus Septembris, indictione decima.

Job. 12.

Iſai. 52.

Geneſ. 19.

Act. 12.

Act. 9.

Ezech. 3.

2. *Tim.* 4.

2. *Tim.* 4.

VI. AD LEONEM ET PETRUM EPISCOPOS.

Miratur eos ad ſe non reverti incurſionibus Saracenorum laceſſitum: obteſtatur ut quantocius redeant. Quod ſi vim ab aliquo patiantur, præcipit ut fortiter ſe gerant, & id ſibi ſignificent.

Leoni & Petro epiſcopis.

CUm vobis innumerabiles hujus Dei eccleſiæ neceſſitates non minus quam nobis ſint cognitæ, pro quibus compeſcendis vos ad piiſſimum Cæſarem deſtinatos ſub magna velocitate ſenſiſtis; miramur vos tanto tempore nobis in tanto periculo conſtitutis, & Saracenorum incurſionibus undique laceratis, ad nos remeare uſque hactenus neglexiſſe. Neque enim vos alicujus violentia magis quam veſtra negligentia credimus retardatos, qui neſcimus ſub quibus argumentoſis ingeniis, conſiliis tamen a nobis anathematizatorum, ac fraudulentiis, more corvi tempore diluvii admittentem ſe minime revertentis, ita legationis veſtræ uſque nunc obliti fuiſtis, ut a Papia per tot dies Romam repetere minime ſtuderetis. Cujus rei gratia vos auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum principum, obteſtamur, præſentialiter ad ſanctam ſedem apoſtolicam, quæ vos miſit, epiſcopatuumque veſtrorum ſedes quantocius redeatis. Verum (ſi quod abſit) juxta quod a nobis anathematizatorum ſatellites gloriantur, quorumdam violentiis retinemini, & ad mittentes vos reverti non permittimini: Præcipimus vobis auctoritate Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut memores antiquorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatorum; qui nullis minis, nullis terroribus, nulliſque mortibus a ſuis legationibus diſceſſerunt, præſentialiter auctoritate hujus epiſtolæ initium ad nos revertendi facere ſtudeatis, & ſi permiſſi fueritis, ſtatim ad nos revertamini. Si vero aliquis vos impedierit, violentia quam patimini, cunctis Chriſticolis valeat propalari, nobiſque continuo revelari: quatenus in eo quod contra morem gentium apoſtolicæ ſedis legatio, ecce ſecundo naufragium paſſa eſt, citiſſimum conſilium, confortante nos Domino, præparemus.

Romanæ eccleſiæ l
ſorum
ſtantia.

VII. AD BOSONEM COMITEM.

Dolet quod ſibi deprecanti auxilium contra Saracenos non tulerit. Significat urbem magno in diſcrimine verſari, cum ad eam oppugnandam fama ſit magnum exercitum venturum: quare eum rogat, ut quantocius opem ferat. Legatos ab eo detineri miratur.

Joannes epiſcopus Joanni Boſoni comiti.

SÆpe gloriam tuam miſſis & literis hortari ac deprecari ſtuduimus, ut manum auxilii porrigens, contra nefandos Saracenos hoſtiliter occurrere tandem ſatageret: ſed, proh dolor, nil hactenus præſidii adipiſci meruimus, adeo ut nec reſponſum, ſicut nec de aliis quibuſque neceſſitatibus, a nobilitate tua recipere hucuſque noſcamur. Quapropter nimis dolentes, gementeſque, iterum iterumque dilectionem tuam monemus, hortamur, & obſecramus, ne differas ultra, nec patiaris populum Domini ab illis divinitus fulminandis Agarenis diſcerpi, qui operuerunt univerſam ſuperficiem terræ, ſicut locuſtæ, ita ut pene cunctis habitatoribus inde ſublatis, & in prædam & gladium traditis, redacta ſit in ſolitudinem, & in cubilia beſtiarum, & (quod eſt adhuc amplius formidandum, atque cavendum) certa relatione didicerimus, ſtolum ampliſſimum in proximo ad expugnandam urbem venturum, id eſt centum naves, ex quibus cum equis ſunt quindecim grandes. Quod quam ingens malum, & incomparabile ſit, ſi intente conſideraveritis, advertetis, perditio enim iſtius urbis totius eſt mundi diſpendium: imo & ipſius Chriſtianæ religionis jactura. Et ideo (ſecundum quod & ſpiritalis filius noſter ſemper Auguſtus neceſſario tuæ commiſit induſtriæ) omnium ceterarum rerum curis omiſſis, hoc vos convenit toto conſiderare mentis intuitu, & ad auxilium noſtrum non modicum exercitum quantocius deſtinare. Si enim veſtrum divinitus roboratum nobis non porrigitis validum & amplum confeſtim auxilium; ſcitote nihil amplius remanere, niſi ut nobis a vobis deſperatis dimiſſis, vobis etiam ab hac ſancta eccleſia nulla ſpes ultra remaneat. Porro ſi in præſenti neceſſitate nobis aptum & ſufficiens præbueritis auxilium, & nihil differentes, populo Dei, beato Petro ſpeciali prærogativa commiſſo, ſubvenire ſtudueritis; ſcitote in omni op-

por-

portunitate vestra tanto nos fore promptiores, quanto fuerimus redditi ab hoste securiores. Ceterum dilectionem tuam miramur legatos retinuisse, Leonem episcopum carissimum nepotem nostrum apocrisiarium & missum apostolicæ sedis, atque Petrum æque episcopum, qui cum festinantes per vos ad divinitus protectum Augustum mitterentur; a vobis & tunc detenti sunt, & modo nihilo minus non merito retinentur. Quod quia contra decus apostolicæ sedis, quod nunquam factum est, profecto non dimittemus, cum hinc certi fuerimus, inultum. Cum enim nos illos pro multiplicibus ecclesię nostræ necessitatibus sub nimia festinatione miserimus; a vobis quem hoc non latet, non impediri, sed ad id celerius agendum vestris, sicut credidimus, potius debuere fulciri subsidiis. Data *ut supra*.

VIII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Imperatoris precibus, cum Burdigalensis provincia paganis esset devastata, Frotarium Burdigalensem archiepiscopum transfert in ecclesiam Bituricensem.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

PEtitionem vestram, filiorum carissime, quam non obnegando sed dispensando dudum distulimus, nunc nos ad votum nostrum ob id vel maxime, Christo præduce, perduxisse gaudemus: quod & vestram gloriam perseverantem testificatricem cognovimus, & provincialium præsulum consentaneas probationes probavimus, & legatorum nostrorum subtilissimas disquisitiones advertimus, Quocirca, licet nos multis canonicis testimoniis provocati petitionem vestræ devotionis implere magnopere moliremur, & solis majestatis vestræ testimonio super exterminio Burdigalensis provinciæ credere minime cunctaremur: tamen quia pietatis vestræ testimonio comprovincialium quoque præsulum literas convenire, sicuti rebamur, nuper cognovimus, secundum pietatis vestræ religiosissimum libitum, Burdigalensis diœcesis episcopum, fratrem scilicet nostrum Frotarium in Bituricensem ecclesiam cardinalem fieri decernentes, metropolitanæ dignitatis privilegio iterato munire curavimus; & studii vestri solertiam, quo semper idoneos ecclesiæ viros quadam naturalis ingenii nobilitate deligitis, admirantes, congruas literas, his quorum interest, ex auctoritate sedis nostræ direximus, atque magnanimitatem vestram, quam istius religiosi negotii circa nos incentricem cognovimus, eam nihilo minus executricem fore nec immerito delegamus. Quatenus propter Deum, cujus Filii pretioso sanguine tota per mundum redempta consistit ecclesia, sic istius necessariæ dispensationis instituta custodiat, ut a paternis regulis constitutis antiquitus in parte altera nunquam omnino discedat. Præterea, quod filiolitatis vestræ petit industria, ut quorum suggestionibus dudum vestra sit dilata petitio detegamus, omnino sciatis, quia nos licet indigni simus, tamen quoniam per consequentiam priorum nostrorum pontificum mauro cogimur esse judicio, causam tantæ deliberationis ideo non facile tunc deliberandam credidimus, ne diffiniisse, quod Deus averterit, minus ordinabiliter videremur. At postquam Deus omnipotens petitionem serenitatis vestræ comprovincialium præsulum testimonio decoravit, imo testimonia præsulum pietatis vestræ suffragio confirmavit, nos religiosam petitionem vestram complevimus, & suggestionibus fratrum coepiscoporumque nostrorum manus porreximus, & ecclesiæ Dei tantis necessitatibus consulentes, de thesauro pontificalis pectoris ita vobis protulimus, ut a doctrinis deviasse veteribus nullo modo videamur. Data *ut supra*. An. Ch. 874.

IX. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Nunciat legatos ad imperatorem rediisse, quem in episcoporum & optimatum conventu Romanæ ecclesiæ jura recognovisse, præcipue vero terræ Capuanæ pactum suo juri commisisse scribit; ideo in ejus partes se venturum promittit.

Joannes episcopus Landulfo episcopo Capuano.

SAncta Romana ecclesia, cujus Deo auctore præsidemus regimini, cunctis ab exordio sibi fideliter servientibus dignam in præsenti & in futuro sæculo solita est bonæ retributionis mercedem rependere; tibi nihilominus reliquisque fidelibus suis utroque modo, ob vestræ fidelitatis devotionem, quam illic positi plene cognovimus, per omnia maternis visceribus favebit in proximo. Siquidem nosse volumus tuæ religionis intentionem: quoniam, Domino cooperante, Leone venerabili episcopo nepote nostro, ac sanctæ ecclesiæ Romanæ eximio apocrisiario: aliisque nostris legatis, quos nuper direxeramus, a carissimo filio nostro Carolo imperatore Augusto reversis, vobis, utpote a secreto consiliariis nostris, ratum ducimus animi ejus, Deo inspirante, circa ecclesiarum, præsertim Romanæ, quæ caput est omnium, exaltationem, affectum patefacere; omne sane jus potestatis antiquitus attributum capitulariter renovamus in conventu episcoporum ac optimatum, inviolabiliter concessit habendum. Inter quæ de terræ vestræ pacta, prout Christo duce voluissemus, statuere, nostro juri potestatique commisit; quatenus id quod pontificali ore nudis verbis diximus, operum ostendamus patratione, & ut pro animæ vestræ exhilaratione *patrum notarice stylus scribentis loquatur. Parate hospitium, quia cum novo hospitum agmine Dei gratia in vestras partes sumus venturi. Frænum coercitionis infidelibus, quantum valetis, imponite, fidelibus quoque futuræ in proximum spei sublevationem promittite: Domini Dei nostri sine intermissione hortor misericordiam deprecamini, nostrumque adventum spectate veraciter.

Hujus concilii & legatorum meminit Aimoinus l. 5. de gestis Franc. c. 23.

* Locus, ut videtur, mendosus. H.

X. AD ADALARDUM EPISCOPUM VERONENSEM.

Commendat eum ob præclaras virtutes, & jubet ut Romam ad concilium veniat.

Joannes episcopus Adalardo episcopo Veronensi.

ADvertit plane prudentia tua, quanto & quali circa se apostolatus noster flagret affectu, cum tuæ causa provectionis non modicum sumpserimus laborem, idoneum te Christi sacerdotem merito arbitrantes futurum, & spiritualem potius quam sæculi gloriam sectaturum, cum & ipsa nimirum nobilitatis suæ insignia, & sapientiæ specula, talia de te speranda tribuerunt: quod quia vindicare sibi virtutum nisibus & probitate morum sanctitatem tuam comperimus, Deo innumeras gratias valde gratulanter retulimus, & in hoc, quia secundum apostolum *spes non confundit*, experimenta didicimus: & ideo in proximo Rom. 5.

mo, causa ecclesiasticæ simul & imperialis opportunitatis, certorum congregaturi episcoporum concilium, dilectionem tuam tanto conventui jubemus adesse. Accinge igitur sicut vir lumbos tuos, & assume tibi penas sicut columba, & vola, & veni, & requiesce in sinu apostolicæ dilectionis, ita ut pridie Kalendas Decembris præsentiam tuam liminibus apostolicis & nostris exhibeas prorsus obtutibus. Porro si hoc impossibile asseris VIII. Kalendarum Januariarum: quod hortamur & jubemus expleri, si dumtaxat ab apostolicæ sedis communione renuis prorsus arceri: dignum enim non est, ut tantæ sapientiæ vir tanto procul cœtui sit. Optamus sanctitatem tuam
Ann.Ch.876. in Christo bene valere. Data IV. Nonas Novembris, indictione decima.

XI. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Laudat eum de judicio in Emmenum prolato, & hortatur ut cum illo clementer agat.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

SUper judicio vestro in Emmenum prolato, o rectissime imperator, cum cælo tota terra lætatur. Scriptum est enim: *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. Cur autem dicimus lætatur, cum super * judicio Salomonis scriptum sit: *Quia audivit omnis Israel judicium quod judicasset rex & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium*? Super quo videlicet judicio sentiendum merito ducimus, quia lætati quidem benigni, tristari vero sunt omnino maligni. Ergo & hic ita datur intelligi, quia nimirum super judicio vestro lætantur justi, deterrentur injusti. Nam & omnipotens Deus, cujus & vos judicium æmulamini, terribilis peccatoribus, & blandus est justis. Quia igitur super Emmeno jam exhibuistis severitatem judicii, quæsumus exhibete de cetero pietatis insigne. Imposuistis in humeros ejus onus austeritatis: adhibite jam nunc id removentem digitum lenitatis. Mementote quia
Ad Phil. 1. hunc vobis cum Petro Paulus dilectis suis, sicut Philemoni quondam Onesimum remittit, implorans & obsecrans, quatenus eum ut sua viscera suscipiatis. Quia etsi fortassis ad horam aliquando quidem vobis inutilis, exemplum non bonum ceteris tribuens, visus est; nunc autem & vobis, & nobis, & plurimis utilis est, longaminitatis formam & patientiæ cunctis ostendens. Rogamus ergo, ut penes vos non sibi tam suus obsit excessus, quam fidei & amoris erga vos habiti prosit affectus. Et quia noxam propriam & pœnam indictam sibi confiteri non renuit, animadversione remota quam meruit, patronos vestros, & sanctos scilicet primos apostolos se proficue adiisse & salutasse de reliquo sentiat, & de tanto sibi collato munere lætetur & gaudeat, ut ubi abundavit peccatum, superabundet secundum
Rom. 5. apostolum gratia. Data pridie Kalendas Novemb. indict. decima.

1. Reg. 3. * Edit. Rom. *judicia*.

XII. AD IMPERATOREM ET IMPERATRICEM.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

Joannes episcopus ad imperatorem & imperatricem.

DUm non minus pro misericordiæ intuitu delinquentibus (*a*) exhibendo, quam judicii severitate in improbos exercenda, omnipotens Deus gloriam serenitatis vestræ imperiali voluerit sublimare decore, dignum profecto esse rati sumus pastorali cura fungentes apud majestatis vestræ excellentiam pro multorum salute, vel vitæ indulgentiam, & præcipue illorum, qui diabolico licet instinctu nefanda committentes, ad apostolorum principum Petri & Pauli fautorum vestrorum limina, divina tamen pietate commoti, venire festinant, & misericordiam humili prece implorant, toto mentis anniśu intercedere, atque pro viribus consolationis opem in quantum fas est petentibus impartiri clementer. Unde pro hujus viri, Madelgeri videlicet nomine, qui adversario incitante quemdam hominem Odelricum vocabulo peremit, salute, membrorum omnium integritate, & rerum suarum restitutione, majestati vestræ suggessimus, filiorum carissime, & pro amore Dei & Domini nostri Jesu Christi, sanctorumque apostolorum, quorum limina præfatus Madelgerus adiit, nostræque paternitatis, quam sinceriśimam erga nos habetis, dilectione precamur, quatenus gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini eoque cum vestræ serenitatis respectu accepto, pro suis valeat excessibus pœnitentiam fructuosam accipere, qua commissi possit piaculi noxias sordes abluere, ut spiritus salvus sit in die Domini de omnibus ultricem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore duriśimo, quem veniendo perpessus est, sicut credimus, aliquantulam de peracto scelere indulgentiam meruit, ejus utique intercessionibus adjutus, cui dictum a Domino constat: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcum-* Matth. 16
que ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Quod cum ita sit, precamur etiam, ut eum cum parentibus ejus qui defunctus est, paciscere jubeatis, ne majus deinceps malum, quo multorum animæ noceat, perpetretur. Data *ut supra*.

XIII. AD BITURICENSES.

Ut Frotario Burdigalensi archiepiscopo, cui tamdiu Bituricensem ecclesiam committit, quamdiu pagani Burdigalensem diœcesim obtineant, omnes obediant.

Joannes episcopus clero, & plebi & ordini sanctæ Bituricensis ecclesiæ.

SUggestionis vestræ relegentes epistolam, quod ab apostolatus nostri auctoritate de confratre nostro Frotario reverendo archiepiscopo postulant, hoc nos aliorum testificationibus, & præcipue sereniśimi semper Augusti, spiritalis quoque filii nostri relatione comperimus; sed & legatis

(*a*) post verbum *delinquentibus* additur in edit. Rom. *Vassallum vestrum, qua accepta dumtaxat exhibito quam judicii* &c. *Manśi*.

legatis apoſtolicæ ſedis, Leone videlicet venerabili epiſcopo, apocriſiario & miſſo ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu Petro æque venerabili epiſcopo, revertentibus, didicimus pene totam provinciam Burdigalenſi metropoli pertinentem, ſicut ab his qui cauſam illam noverunt, iidem noſtri legati diſcere potuerunt, ita eſſe paganorum perſecutionibus deſolatam, ut non ſolum ipſe confrater noſter illic lucri aliquid ſubjectis conferre non poſſit, verum etiam habitatio fidelium inde ſubtracta conſiſtat. Quapropter quia eumdem virum Frotarium reverendum archiepiſcopum probis moribus actibuſque præclaris, & ad lucrum animabus hominum conferendum idoneum eſſe comperimus, ne talis tantuſque vir otio, quo prodeſſe aliis valeat, minime vacet; ejuſdem ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ, cui ſubeſtis, ei paſtoralem curam apoſtolica auctoritate committimus, & in ipſa eum incardinandum neceſſario eſſe cenſemus. Cui vos ita decentem obedientiam & canonicam ſubjectionem humiliter exhibete, utpote re vera metropolitani jura tenenti, proprio rectori, & veſtro antiſtiti convenit, & ex noſtra apoſtolica auctoritate diffinitum advertitis, & ecce mandatum habetis: quatenus de bono veſtræ obedientiæ nobis Deo gratias referentibus, & vobis reverentia competenti ipſum præfatum archiepiſcopum excolatis: & ille vobis, tamquam pro vobis rationem Domino redditurus, modeſte præeſſe ſtudens, ut dilectos filios amplectatur. Porro ſciatis, quia ſic iſta non modica interveniente neceſſitate barbaro modo concedimus, ut tali neceſſitate remota, removeatur etiam id, quod neceſſitas imperat. Data v. Kalendas Novembris, indictione decima.

XIV. AD EPISCOPOS PROVINCIÆ BITURICENSIS.

Ut Frotario tamquam metropolitano ſuo deinceps obediant.

Joannes reverentiſſimis & ſanctiſſimis fratribus noſtris epiſcopis per Bituricenſem provinciam conſtitutis.

QUia Burdigalenſem urbem, ſed & totam pene provinciam quorumdam veſtrum literis, ſed & Leonis apoſtolicæ ſedis apocriſiarii * expreſſa relatione didicimus diverſis cladibus, ſed præcipue incurſibus Nortmannorum deletam, & in ſolitudinem partim gladiis, partimque captivitate deductam, neceſſaria rerum, ut cum ſancto Papa Gelaſio deceſſore noſtro dolentes gementeſque fateamur, diſpoſitione conſtringimur, & apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum pro inſtaurandis eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus. Ecce enim * de civitate ad civitatem epiſcopi tranſmigrent, ſancti canones provide ſanciunt. Sed ſi hujuſmodi ſanctiones ſine ulla diſcretione vel diſpenſatione ducimus obſervandas, nullam compaſſionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladios paſſos cauſa fidei Chriſtianæ ſervandæ videmus egentes, anguſtiatos, afflictos, hac illacque palantes incedere: præſertim cum nonnulli eorum ita ſint Dei gratia illuſtrati, ut non ſolum ſcientia, ſed & moribus; non ſolum verbo, ſed & exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotarius Burdigalenſis dudum antiſtes, ut teſtatur veſtra fraternitas, extat; neceſſario duximus eumdem virum alii eccleſiæ præponendum & incardinandum, Bituricenſi videlicet, quæ & vacans eſſe nobis denunciata eſt, & tanti viri digna regimine: ne per minus idoneum rectorem ſalubre ſalvandarum animarum deſit ei præſidium, & nos e contra ingentis culpæ involvamur annexu, ſi tanto urgente diſcrimine, tantæ minus conſulamus eccleſiæ, propugnatori hanc probabili minime committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconvulſis, quæ ubi nec rerum, nec temporum urget neceſſitas, jure convenit obſervari, vacante ſede, Frotarium fratrem & coepiſcopum noſtrum in ſede Bituricenſi præficiendum ordinavimus ſacerdotem: ita ut in ea incardinatus, & quodammodo auctoritatis apoſtolicæ privilegio radicatus, cetera metropolitana Bituricenſis eccleſiæ ac diœceſeos jura tamquam Deo contemplante obtineat, diſpenſet & ordinet, omni poſthac querimonia invidorum prorſus ablata. Cui vos tamquam proprio metropolitano convenit obedire, & competentem exhibere, ſecundum priſtinum morem, reverentiam & honorem. Sane latere vos nolumus, ſic nos iſta interveniente non modica barbarica neceſſitate nunc concedere, ut tali neceſſitate remota, conſuetudinarie ulterius non requiratur, quod removeatur etiam illud, quod neceſſitas impetraret. Optamus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper valere. Data VII. Kalendas Novembris, indictione decima.

* t. Rom. ti *ſanctorum* rum.

* t. Rom. s: ne

XV. AD EPISCOPUM CARNOTENSEM, Pro Madelgero qui Oldericum occiderat.

Joannes epiſcopus reverentiſſimo Gisliberto epiſcopo ſanctæ Carnotenſis eccleſiæ.

DIlectionis veſtræ reverentiam ſpiritalibus pollere virtutibus procul dubio arbitrantis, his apoſtolatus noſtri literis convenire, ac pro præſente viro Madelgero, qui ſuadente adverſario quemdam hominem Odelricum nomine gladio peremit, unde divina inſpiratione compunctus ad limina ſanctorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli, per longa itinerum ſpatia pro ipſius delicti abolitione venire curavit, petere ſtudemus, ut pro amore Dei, & eorum ad quorum ſacratiſſimas eccleſias venit, & pro ſuis exceſſibus Deum deprecatus eſt, necnon & pro noſtræ paternitatis dilectione, illi omnes res proprias, atque beneficium cum propriis honoribus quos abſtuliſtis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini, ſicuti dilectionis noſtræ conſortium & caritatem circa te cupis habere ſinceriter illibatam. Data *ut ſupra* (*a*).

XVI.

(*a*) In edit. Romana poſt hæc additur fragmentum, ut apparet, alterius epiſtolæ: *Gloria magnitudinis veſtræ cognoſcat quia Roffredus glorioſus comes monachus Sancti Amantii B. Petro Apoſtolorum Principi* (hic aliquid deeſt) *tribuit. Cujus quoniam quaſdam res Umfredus comes dicitur abſtuliſſe, pietatis veſtræ gloriam ſupplicamus, ut pro amore Sanctorum Apoſtolorum Principum eaſdem res reddi præfato monaſterio præſentaliter faciatis: quatenus fructus veſtræ mercedis maneat in ſæculum ſæculi. Data ut ſupra.* Manſi.

XVI. AD DOMINICUM ET LEONEM EPISCOPOS.

Significat quosdam qui Romam ad concilium vocati venire neglexerant, se excommunicasse, nisi ad certam præstitutam diem venerint: hortatur ut quamdiu illi abfuerint, eorum officia exequantur.

Joannes episcopus Dominico Olivolensi, & Leoni Caprensi, episcopis.

SAnctitatem vestram nolumus ignorare, misisse nos Felici & Petro episcopis, & Dominico, qui vocatur electus Torcellensis ecclesiæ, seu abbati Altinensis monasterii, atque archidiacono Torcellensis ecclesiæ, nec non & archipresbytero & archidiacono, atque hujus æquivoco ac nepoti Laurentio diacono Gradensis ecclesiæ, quia totiens a nobis vocati ad concilium Romæ occurrere contempserunt, futuram excommunicationis sententiam, & eum qui ex his tunc saltem venire distulerit, tamdiu post Idus Februarias omni ecclesiastica communicatione privasse, quamdiu in obstinatione propria perseverans, apostolicam adire sedem contempserit. Alios enim horum nostro concilio pro communibus ecclesiæ utilitatibus volumus interesse. Quosdam autem, quia super quibusdam reprehenduntur excessibus, de his satisfacturos requirimus. Unde, fratres carissimi, vos in specula esse præcipimus, & si quidem prædicti episcopi, dextra excelsi corda eorum immutante, ad concilium nostrum circa Idus occurrerint, ut prædictum est, Februarias; vos per ipsam regionem morati, quæ sunt veræ religionis peragite: ne quis sine perfectis Christianitatis sacramentis abscedat, neque pœnitens minus reconciliatus deficiat: & cetera illic interim definite, quæ ad speciale pertinent episcoporum officium. At vero si pater inobedientiæ sic mentes eorum obsederit, ut obedire omnino dispiciant; restat ut eo, qui obaudierit, benignius tractato, qui prænotato tempore ex his omnibus abfuerit, post excommunicationem noverit se anathematis gladio puniendum. Qua de re prævidimus hæc omnia nota facere vobis, ut ea scientes ad omnium notitiam perferatis, & hoc ad quod decrevimus exhortari, magnopere studeatis. Quod si vos non audierint; *Non enim* (ut Dei ad Ezechiel voce dicamus) *volunt audire vos, quia nolunt audire nos*: habete illos, & habendos ubique modis omnibus prædicate, sicut Dominus præcepit haberi eum, qui ecclesiam non audierit: tantumdem est si dicatur, sicuti nos eos haberi * decrevisse significavimus. Videte autem, ne persona vobis quælibet silentium possit imponere: ne quod absit, tamquam idololatræ judicemini. *Est enim* (Samuel edocente) *quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*. Si præterea Felix vel Petrus impedimento inevitabili prohibitus, non venerit, idoneum virum ex diaconibus ecclesiæ suæ mittat per omnia vices suas supplentem. Jam vero si quoquomodo potuerint & noluerint, quia idcirco excomunicationis una cum tanti mali auctoribus sunt nexibus irretiti, non solum ab eorum vos communione prorsus arcete, sed & ab omnibus qui eis communicaverint (sunt enim pari omnes obligatione constricti.) Optamus sanctitatem, &c. Data Kalend. Decembris, indictione decima.

Exech. 3.

* Edit. Rom. addit: *supra Matth. 18.*

3. Reg. 15.

XVII. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Rogat episcopos, qui Romam ad synodum evocantur, suis sumptibus alat; quibus, nisi accesserint, excommunicationis sententiam minatur.

Joannes, Urso duci Venetiarum.

CUm pro causa venerabilis fratris nostri Petri sanctæ Gradensis ecclesiæ antistitis finienda, Dominicum vocatum electum, cui esses filium tuum * sociandus ad apostolicam sedem mittere promiseras, nec tamen verbum veritas subsecuta est, valde mirati sumus: & quod non omni spiritui, nec in omni negotio credere docente apostolo debeamus, patenter advertimus. Exhibitio enim rerum præteritarum, certitudo est futurorum. Quia vero idem frater & coepiscopus noster more majorum sedem apostolicam appellavit, imo alacriter adiit, obsecrans, ut controversiæ, quæ inter se vertitur & prædictum Dominicum, utraque coram posita parte, finem legitimum imponamus: secundum quod se ratio habet, & jus canonicum dictat, rursus præcipimus, ut jam dictus Dominicus, Kalendis saltem Februariis Romam nobis satisfacturus, & sese purgaturus occurrat; ambitionis enim crimine denotatur, ac per hoc juxta sacros canones manifestum est confiteri eum de crimine, qui purgandi se occasione non utitur. Jam vero si dixerit se non venientibus episcopis venire non posse, noverit & episcopos nos illius regionis occurrere præcipere, & eumdem Petrum venerabilem Domini sacerdotem imitandum tribuere, qui cum metropolitanus esset, nullis comitantibus secum episcopis, memoriam apostolorum veniendo, sicut quondam sanctus Athanasius, honoravit: verumtamen & ex episcopis duos venire decernimus, Felicem scilicet & Petrum, ut tantum negotium non sine præsentia regionis episcoporum hujus cognitionem habentium diffiniri quoquomodo videatur; ita ut si forte se Felix venire nullo modo posse prætenderit, vicarium suum mittat, qui & mittentem se jurejurando excuset, & in synodo vice mittentis adimpleat. Petrus autem si adest, modis omnibus veniat, siquidem (ut perbibetis) Constantinopolim mittendi nec mos vester nos latet, nec tempus. * Matarius quippe prius huc venire ac redire ad propria poterit, quam mari mos & tempus accedat itineris. Præterea jubemus archidiacono ad nos venire Torcellensis ecclesiæ: similiter & Altinensis abbatem monasterii. Nihilo minus & archipresbyterum & archidiaconum, atque hujus æquivocum & nepotem Laurentium diaconum Gradensis ecclesiæ, quo impræsentiarum super his, quibus impetuntur, idoneam rationem, canonicamque (si nocentes sunt) subeant ultionem. Quæ omnia ideo gloriæ tuæ nota fieri volumus, ut illi ad apostolicam sedem, sanctamque synodum occursuri, liberalitatis tuæ adminiculis sustententur, sumptibusque locupletati laborem itineris facilius ac levius ferant, secundum pios principes, qui in talibus munifice semper erant intenti. Hos autem quos hac auctoritate apostolicæ præsentandos sedi decrevimus, quia tertio jam commoniti hucusque occurrere contempserunt, Romam * diebus Februariis fore venturos decrevimus, nisi forte instanter properare delegerint. Porro * post Februarias tamdiu sit unusquisque ipsorum cum fautoribus suis excommunicationis vinculis innodatus, quamdiu ad sedem apostolicam non occurrens, nullam idoneam super

* Pro, *sociaturus*. Hard.

Principium in episcopos, munificentia.

* Pro, Idibus. Hard.

* *Forte* post idus Februarias. Hard.

per

per ſe rationem regulariter exhibuerit ; ſciens ſe A anathematis poſtmodum ſententia feriendum. Data Kalendis Decemb. indict. x.

XVIII. AD FELICEM ET PETRUM EPISCOPOS.

Felici & Petro ſacris interdicit ob non exhibitum Grandenſi archiepiſcopo obſequium ; eoſque ſub excommunicationis pœna Romam ad concilium venire, & ſi impediti fuerint, vicarios mittere jubet.

Joannes, Felici & Petro epiſcopis Mandanaucenſi, & Equilenſi.

QUam ingrati & inhumani fueritis erga reverendum fratrem noſtrum Petrum eccleſiæ Gradenſis antiſtitem, in hoc maxime datur intelligi, in quo ille pro legibus paternis incolatum arripiens, nullum veſtrum comitem ſuæ peregrinationis habere promeruit: præſertim cum ad limina ſit apoſtolorum profectus, ſedemque adierit, ubi ſemper catholicis ſubvenitur, & ubi plurimi ſanctorum injuriam paſſi, petram, a qua Petrus nomen ſortitus eſt, refugium invenerunt. Additum autem eſt huic rei, quoad majoris contumaciæ veſtræ cumulum demoſtrandum; quia ſcilicet non ſolum cum illo ſtantes ſecundum prophetam, *Minime ex adverſo aſcendiſtis, & oppoſuiſtis murum pro domo Domini*: ſed quaſi rebelles rupto unanimitatis C fœdere tranſiſtis ad hoſtes; & cum non ſitis cum illo, facti profecto eſtis adverſus illum, ſicut Dominus ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt*: in quo & ipſam beſtiarum tranſcendiſtis ſævitiam, parricidalibus adverſus eum utentes conſiliis: pro quibus omnibus apoſtolatus noſtri vos Romam occurrere, & pro his & aliis quæ corrigenda duximus, ſatisfacere, non ſemel apicibus commonuimus, ſed venire hactenus modis omnibus contempſiſtis. Quapropter vos a ſanctis myſteriis interim celebrandis auctoritate ſummi paſtoris arcemus, jubentes, ut Idibus Februariis iſtius indictionis, ſi adeſtis, vel ſi duræ infirmitatis pondere non gravamini, ſynodo noſtræ Romæ celebrandæ intereſſe inexcuſabiliter maturetis; quatenus & ab objectis purgemini, & a D capite, tam ſcilicet apoſtolica ſede, quam metropolitano veſtro in nullo dividamini: *Ne* (quod abſit) *circumveniamini a ſatana*, qui videlicet ſemper diſſenſione gaudet: membra quippe, quæ capite non hærent, inter mortua deputantur: ſicuti procul dubio vos, qui nec apoſtolicæ ſedis, quæ eſt caput omnium Chriſti eccleſiarum, decretis hæretis, nec affectui metropolitani proprii, & patroni atque magiſtri. Jam vero ſi Idibus ſaltem Februariis occurrere contumaciter parvipenditis, tamdiu eſtote poſthac omnis eccleſiæ communione una cum vobis faventibus alieni, quamdiu venire ac ſatisfacere ſuper quibus impetimini, non curatis. Ecce enim venerandos forte canones tenetis præ manibus, qui tales ſanciunt non communicaturos E donec purgentur. Porro ſi quiſquam veſtrum nullo modo ſe poſſe venire prætenderit, vicarium ſuum mittat, qui & mittentem ſe jurejurando excuſet, & in ſynodo vicem mittentis adimpleat. Data Kalendas Decembris, indictione decima.

XIX. AD DOMINICUM ELECTUM EPISCOPUM TORCELLENSEM.

Invehitur in Dominicum electum epiſcopum, quod bis vocatus Romam non acceſſerit; eumque, niſi venerit conſtituta die, excommunicat.

Joannes, Dominico vocato electo Torcellenſis eccleſiæ.

QUia fama crebreſcente Torcellenſem invaſiſſe dicebaris eccleſiam, & ſemel & bis decrevimus, te Romam venturum, ut coram poſito fratre noſtro Petro ſanctæ Gradenſis metropolitano antiſtite, una cum epiſcopis qui degunt ſub B ipſo, facta ſuper te diſcuſſione, rumor longe lateque reſperſus, aut innoxius patefactus abſolveretur, aut comprobatus noxius damnaretur, venire modis omnibus conſtituimus. Unde merito a nobis fores damnandua, niſi erga te, petente nobis dilecto nobis Urſo glorioſo duce, minus ſeveritate quam patientia uteremur. Verum quia eateneus non veniſti, excommunicatum te jure a nobis eſſe cognoſceres, in promptu habentibus, ſecundum apoſtolum, ulciſci omnem inobedien- 2. Cor. 10. tiam: verum quia nec ſic interim contempti ſalutem tuam contemnimus, unde tertia ecce te vice vocamus, & Idibus Februariis præſentis decimæ indictionis noſtro concilio Romæ adeſſe mandamus: ita ut ſi tunc non occurreris, tamdiu ſis C cum faventibus tibi deinceps a nobis & a toto Chriſti corpore alienus, quamdiu minus reſipiſcens, obedientiæ nequaquam juſſis noſtris colla ſummiſeris. Porro, ſi in hac indiſciplinatione permanſeris, noveris deinceps tibi veniam denegandam, & ſecundum ſanctos canones nil de abſentia penitus lucraturum, & non ſolum communionis, ſed & honoris jacturam anathemate perculſum ſine fine paſſurum. Data Kalendis Decembris, indictione decima

XX. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Gratias agit, quod apoſtolicæ ſedis monitis paruerit. Epiſcopos ad ſynodum venire jubet.

Joannes glorioſo duci Venetiarum.

GRatias gloriæ tuæ pro benigna devotione tua referimus, quam non ſolum verbis, ſed & operibus erga nos ſtudioſe declaras, & frequenter oſtendis: & ideo nos paterno circa te detinemur affectu; & in his quæ ad tuam tuorumque pertinere ac prodeſſe utilitatem cognoſcimus, prompti & benigni ſemper eſſe curabimus: ita ut divinis præceptis, ſacriſque canonibus impedire intentionem & ſanctionem noſtram nunquam conſentias: ſed cum tibi de rebus eccleſiaſticis quidquam injungimus, ſicut devotus filius nos obaudias, & adimplere quæ dirigimus, alacri ſemper E animo ſtudeas: quoniam nos tanto in cauſis tuis, & ubi tibi opportunitas fortaſſis evenerit, promptiores tecum nos eſſe, ac benigniores invenies, quanto te nos nolle a mandatis Dei aliquo modo avertere manifeſtius viderimus. Nam tibi, cariſſime, tamquam familiari noſtro familiariter ſcribimus: quia nullius mortalis amorem præponere Dei juſtitiæ poſſumus, qui nimirum evangelium legimus, dicens: *Qui amat patrem aut matrem* Matth. 10. *pluſquam me, non eſt me dignus*. Veniant igitur epiſcopi ad ſynodum noſtram, ut ipſis nobis rei veritatem ſignificantibus, cauſam fratris & coepiſcopi noſtri Petri illis præſentibus facilius deffini-

re valeamus. Is vero qui valida infirmitate vel se-
nectute gravatur, si ullo modo venire non potest,
vicarium pro se strenuum mittat. Ille vero qui
Constantinopolim ire refertur, si nondum abiit,
nec abire * eis Februarium mensem speratur, ab
hac communi utilitate nullo modo se subtrahat;
sed veniens veniat, ut omni litigio terminato, in
ecclesia Dei non nisi pax & tranquillitas perseve-
ret. Optamus gloriam tuam semper bene valere.
Data VIII. Kalendas Decembris, indictione decima.

* eis.

XXI. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Narrat calamitates ecclesiæ illatas a Saracenis, & imperatorem precatur ut auxilium adversus eos mittat.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

QUanta & qualia per impiam gentem patia-
mur Saracenorum, quid dicam quia scri-
bere quilibet stylus non sufficit, cum omnia li-
gna silvarum, si vertantur in linguas, enarrare non
valeant? Quorum quia ex his quædam vestra jam
didicit excellentia, prædispositi exercitum suum
ad hæc removenda cum valida manu dirigere.
Quo nos audito, mox elevatis manibus Dominum
collaudavimus, ejusque clementiam pro imperio ve-
stro lætantes protinus exoravimus. Sed quanto,
fili carissime, lætati sumus in his quæ dicta sunt
nobis, tanto heu tristati & amaricati, quia quæ dicta
sunt, rerum non sunt effectibus consummata. Re-
versi quippe sunt, ut audivimus, & solis paganis
gaudium, nobis autem non nisi tribulationem ine-
narrabilem reliquerunt. Et ecce, proh dolor! ini-
micis crucis Christi gratulantibus, solus fidelium
cœtus magna mœstitudine consumitur. Christia-
norum sanguis effunditur, devotus Deo populus
continua strage vastatur. Nam qui evadit igem vel
gladium, præda efficitur, captivus trahitur, & exul perpetuus constituitur. En civitates, castra,
& villæ destitutæ habitatoribus perierunt, & epi-
scopi hac illacque dispersi. Sola illis apostolorum
principum limina derelicta sunt in refugium, cum
episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia,
& ipsi vagi & sine tectis inventi, non jam eis li-
ceat prædicare, sed mendicare. Ecce, carissime,
pervenit gladius usque ad animam: ecce dies in
qua clamamus, *Beatæ steriles quæ non genuerunt*:
ecce illa periculosa tempora Pauli voce prædicta.
Libet ergo cum Jeremia clamare: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum*, ut plangam tantam ac talem miseriam, tale ac
tantum excidium patriæ? Sed & in tristitia, quin
potius in ruina domina gentium, regina urbium,
mater ecclesiarum, consolatio tristium, portus pe-
riclitantium. Ecce, inquam, revera dies tribula-
tionis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ.
Præterito quippe anno seminavimus quidem, sed
non recollegimus: hoc vero anno, quia non se-
minavimus, nec est recolligendi fiducia. Quid de
paganis dicimus, cum Christiani nihil melius ope-
rentur? Quidam videlicet ex confinibus & vicinis
nostris, quos marchiones solito nuncupatis. Nam
ut prophetice dicamus: *Residuum locustæ comedit bruchus*. Et quid Saracenis incredulis, qui sunt fi-
lii ancillæ, forte reliquitur ab illis, qui per fidem
liberæ deberent existere filii? usque ad terram de-
pascimur. Quid enim illi faciunt, & isti pejora
non faciunt? Illi terram occupant; isti cum Pe-
tro nihil ex civitatibus, vel ex rure dimittunt: il-
li occidunt gladio; isti ablatis omnibus fame tru-
cidant: illi in captivitate ducunt; isti sibi in ser-
vitutem redigunt. Et cum quæritur quis adversus
hostes dimicet, inveniuntur nulli: cum scilicet eo-
rum oppressione retenti, ad mandatum nostrum
occurrere nulli prorsus inveniantur. Sed cum un-
dique angustiati clamamus, non est qui audiat,
non est qui adjuvet, non est qui salvum faciat,
nisi tu, fili carissime, & imperator clementissime,
qui post Deum nobis factus es in refugium, &
solatium, & auxilium. Quocirca totis præcordiis,
totisque commoti visceribus, cum episcopis &
presbyteris ac proceribus, totisque plebis nobis o-
lim commissæ reliquiis deprecamur, jube tandem
aperire aures, audire gemitum & singultus omni-
um nostrum, porrigere manum, & præstare opem
patriæ periclitanti, civitati inter multas miserias
& ærumnas jacenti, & huic ecclesiæ matri vestræ,
a qua non solum regnandi, sed & in Dominum
unum & verum credendi exordium percepistis:
quæque in ultimo, spreto bono, & magno fratre,
vos more Dei gratuita voluntate, tamquam alte-
rum regem David elegit & præelegit, atque ad im-
perialia sceptra provexit. Cogitate itaque, Dei
cultor semper Auguste, a propheta præmoniti, si
hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium?
vel ubi relinquetis gloriam vestram? Perpendite
quia si hæc humiliatur, non solum gloria impe-
rii vestri periclitabitur, sed & ipsa profecto Chri-
stianæ religionis cultura maxima ex parte peribit.
Et idcirco talia scientes nolite, obsecro, jam dif-
ferre: nolite de die in diem induciis non profu-
turis abuti. Cum proverbiatore clamo, & cum Sa-
lomone vociferor: *Ne dicatis amico vestro, vade & revertere, cras enim dabo tibi*. Et alias: *Quod potest*, inquit, *manus tua facere, instanter operare*, &c. Ne-
scitis namque, ut cum venia vestra dicam, quid su-
perventura pariat dies. Ita ergo, fili Christianis-
sime, de hac ecclesia, nec non & patria velociter
& prudenter excogitate & ordinate: ut saltem ipsæ
pauciissimæ reliquiæ salvæ sint, quæ remanserunt,
quæque quotidie catervatim gladio & præda dispe-
reunt. Occurrite strenue, subvenite celeriter, &
manu consolationis vestræ ab oculis nostris tan-
dem abstergite lacrymas: quatenus super illis &
præsentialiter Deo propitio gaudeatis, & in futuro,
frequenti ac laudabili relicta fama superstite, cum
Christo perpetes in cœlestibus imperetis. Data XVII.
Kalendas Decemb. indictione decima.

Luc. 23.
2. Tim. 3.
Jerem. 9.
Joel. 2.
Eccles. 5.
Prov. 3.

XXII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Ut compescat sibi subjectos a malis quæ perpetrabant; quos si emendare non potuerit, minatur illos se excommunicaturum: legatis multa ei viva voce referenda se injunxisse significat.

Joannes episcopus Lamberto comiti.

AB olim (si recordaris) salutem tuam atque
profectum desiderantes, & anima te salvari,
& corporeis honoribus cumulari quæsivimus & o-
ptavimus. Et quia nunc multo amplius hoc quam
prius, fili carissime, volumus: scias paterno affe-
ctu a nobis te diligi, & ut spiritualem filium pror-
sus amplecti: quoniam honorem, atque tuum pro-
fectum, nostram gloriam esse putamus, & de tuæ
prosperitatis augmento in Domino gratulamur:
unde & tu non immemor nostri, rogamus, ut
semper & ut his quæ volumus, & quæ nostrum
de tuis hominibus pontificium pulsant, emendare
nullatenus prætermittas: non enim speramus ut
talia scias, qualia ab eisdem tuis hominibus in
nostris finibus perpetrantur. Quæ oportet gloriam
tuam studiose inquirere, & (sicut condecet) pro
Dei, & nostro amore omni conamine emendare,

quia

quia tam hominibus S. Petri apoſtoli, quam hominibus Guidonis, tui homines (ſicut fertur) innumera mala faciunt, & rapinas multas exercent. Quæ rogamus ſtatim emendare facias, & tibi ſubjectis ultra tale quid facere non conſentias. Verum ſi id forte emendare te non poſſe fateris, ut cum pace tua dicamus, in pravos atque iniquos homines illos ob tui amoris dilectionem, tuo conſenſu adhibito, noſtri apoſtolatus ſententiam dabimus, & quouſque reſipiſcant, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſequeſtrabimus: latores vero præſentium miſſos apoſtolicæ ſedis, Acimundum ſcilicet & Vvalpertum venerabiles epiſcopos dilectos noſtros ad tuam nobilitatem direximus, ut hi quod pagina reticuit, viva voce loquentes edicant, & revertentes de tua benevolentia nos lætiores efficiant. Data XIX. Kalendas Januarii, indictione decima.

XXIII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Laudat quod ſedis apoſtolicæ legatos benigne exceperit: rogatque ut eccleſiæ Romanæ prædones, qui miſſorum ipſius judicium latentes effugerant, requiri & coerceri jubeat.

Joannes epiſcopus Carolo imperatori.

INnumeras omnipotenti Deo grates & laudes referimus, qui cor pietatis veſtræ, quod in manu ſua conſiſtit, tanta Spiritus ſancti gratia replere dignatus eſt, quanto ſolicitius vos ſacras aures ad profectum eccleſiæ nobis commiſſæ divinitus inclinantes, & apoſtolicæ ſedis legatos, Leonem videlicet apocriſiarium & miſſum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu Petrum, venerabiles epiſcopos, noſtroſque dilectos, ea benignitate, qua ſoliti eſtis, & eo amplius ſuſcepiſtis: & illa quæ vobis pro ſtatu ac exaltatione ſanctæ Dei eccleſiæ ſuggeſſerunt, ad efficacem finem provenire juſſiſtis: Vere enim, filiorum cariſſime, cor veſtrum in manu Dei eſt, quia ejus conſultu univerſa diſponitis, & ſapienter imperium vobis collatum moderari ſtudetis: quia ex utero matris crevit vobiſcum ſapientia, & rectitudo fuit dilecta veſtra amica. Et quia præconiorum veſtrorum humana lingua fari non ſufficit multitudinem, ad illa quæ de infidelibus noſtris & veſtris peracta ſunt epiſtolariter abeamus. Veſtris quidem, benigniſſime imperator, apprime eruditis viris & Deum timentibus, [1] Anſegiſo videlicet reverendo archiepiſcopo, & Adalgario venerabili epiſcopo, communibus quoque fidelibus noſtris, juxta quod petieramus, pro honore atque utilitate ſanctæ matris veſtræ eccleſiæ Romanæ a vobis directis, Romam pervenientibus, & quantum vobis juſtitia placeat, luce clarius agnovimus, & de affectu filiorum, quem erga nos conſervatis, in Domino gratulati ſumus: ſed de infidelibus ſanctæque Romanæ eccleſiæ hoſtibus, quos pro multis ſceleribus, ac pravitatibus ſuis ovile Chriſti non recipit, hunc illucque latitantibus, & nefandiſſimos actus ſuos tegere molientibus, non ut oportuit, neque ſicut veſtri voluerunt legati, de illis potuit adimpleri. Nam ut ita fateamur, a ſibi ſimilibus infidelibus veſtris, & inimicis noſtris, quibuſdam ſcilicet marchionibus, quos iidem veſtri legati narrabunt, occultati & effugati, nec ad ſe percutientes reverſi ſunt, nec alios ſuæ malitiæ inquinamento contaminare deſiſtunt. Proinde clementiam veſtræ celſitudinis imploramus, & per futurum Dei judicium adjuramus, ut eoſdem ſanctæ Dei eccleſiæ hoſtes atque prædones, ſacrilegos quoque ſive tyrannos, ac per hoc a Chriſti collegio ſynodice ſequeſtratos, ſtudioſius requiri jubeatis, & ad lugenda mala, quæ imprætermiſſe hactenus operati ſunt, ſicut jam decreviſtis, exilio deputetis. Quia ſi ipſi, qui tantum Dei eccleſiam macularunt, impune jam veſtram ſanctionem diſfugerint; vel ſi, quod evenire non debet, in veſtro imperio quibuſcumque, quod turpe eſt dicere, contra veſtram voluntatem eis favorem præſtantibus, tam abſolute diſcurrerint; totum idem veſtrum imperium coinquinabunt; & omni Chriſtianitati diſpendium generabunt: quia cum ſint ipſi oves morbidæ, totum gregem contaminant, & erunt noviſſima illorum pejora prioribus. Ideoque major morbus majori medicina curandus eſt; ne ſi non debita, vel quali decet auſteritate vulnera magnum fœtorem dantia radicitus reſecata fuerint, totum corpus eccleſiæ tabefiat, & nobis hæc ſuſtinentibus miniſterium noſtrum exercere non liceat. Non enim Stephanum & Sergium ad nos fraudulenter venientes recipere noluimus, ſed eos ad veſtram venire juſſimus majeſtatem. Ceterum, fili cariſſime, theſauros eccleſiæ noſtræ, ab eiſdem nefandiſſimis raptos ac fraudatos, ita ſciatis ab ipſis etiam celatos, ut per eos qui hic de ſuis ſatellitibus remanſerunt, inveniri non poſſint: illos vero qui noverunt ubi eos recondiderint, ne detegi poſſent, apud ſe callide retinent: & niſi ipſi capti fuerint, ubi ſunt occultati, nos noſtroſque penitus latet. Verumtamen quid vel quantum ab uno & quantum ab alio, quantumque etiam in domibus eorum repertum ſit, veſtri jam dicti legati & ſcripto & verbis vobis, ſi placet, edicant. Data XVIII. Kalendas Decemb. indictione decima.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Anſegiſo & Adalgario.*) Miſſi ambo Romam a Carolo fuerant cum legatis apoſtolicis poſt ſynodum Pontigonenſem. Aimoinus lib. 5. cap. XXXIII. *Soluta eſt ſynodus. Poſtea imperator legatos muneratos apoſtolicos, Leonem & Petrum, remiſit Romam, & cum eis Anſegiſum Senonenſem epiſcopum, & Adalgarium Auguſtodunenſem epiſcopum.*

XXIV. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Scribit intellecturum imperatorem ex Adalgario epiſcopo (cui pallium concedit) cur eccleſiæ cauſa ex voto non proceſſerit. Taxat Anſegiſum, & Adalgarii fidem commendat.

Joannes epiſcopus Carolo imperatori,

LAudabilem quidem intentionem & pium ſtudium veſtrum pro cauſa eccleſiæ noſtræ, matris videlicet veſtræ, fili cariſſime, viſcerabiliter habitum & bene diſpoſitum agnoſcentes, innumeras Deo gratias, qui totius boni auctor & moderator eſt, quique docet hominem juſtitiam, geſſimus: ſed impedivit nos ſatanas, & ſpes noſtra fruſtrata eſt, cum non ad votum noſtrum & commune propoſitum finis rei proceſſerit. Qualiter autem, vel quo faciente, ita cauſa provenerit, Adalgarius ſanctiſſimus epiſcopus, quem nos veſtri amoris cauſa, ipſiuſque morum probitate non immerito moti, palliatum ad vos ecce remiſimus, a majeſtate veſtra interrogatus, & per fidem, quam vobis ſe illæſam ſervaturum pollicitus eſt, adjuratus edicet. Illud tamen nos interim ad memoriam veſtram reducimus, quod nobis olim de Anſegiſo & Lantberto ſpecialiter quodam præſagio futurorum, tamquam providus revera prænunciaſtis. Eſt enim ita geſtum ut prævidiſtis, & nil vos ante latuit, quod poſt-

postmodum intellectus nostri oculus non aspexerit. Non enim recte cum eo, sicut episcopum decuit, ambulavit: sed per versipelles anfractus incedens, multum a via rectitudinis deviavit. Quod cum exhibitum ad lucem veritatis extiterit, penitus evasurum non credimus impunitum. Cujus scilicet certam rei poteritis circumstantiam procul dubio deprehendere, si, ut prætulimus, idem almificus vir sub testificatione vobis promissæ fidei adjuratus, vos latere noluerit. Sane nosse vos volumus, quia cum sæpe memoratum antistitem adeo cognovisse mus vobis esse fidelem, ut crederemus nullis muneribus nullisque terroribus a suæ fidei erga vos habitæ sinceritate posse divelli, adhæsit animæ nostræ salutis filius, & idcirco inter pontificium nostrum & imperium vestrum mediatorem illum fore decrevimus, ita ut quasi vocis utriusque sit organum, referatque vestra nobis, & quæ nostra sunt, vobis annunciet, ut lapis angularis habitus in Christo Jesu, qui est pax nostra, & fecit utraque unum. Data XVI. Kalendas Decemb. indictione decima.

XXV. AD DELTUM EPISCOPUM.

Ut vice apostolicæ sedis fungens Venetias pergat, & episcopos ejus regionis Romam ad concilium, sicut jusserat, venire faciat.

Ioannes reverentissimo Delto episcopo.

TUæ dilectionis sinceritati pastoralis officii nobis solicitudine junctæ, quam in consortium nostri laboris ascisere decrevimus, cognitum facimus, quia Petrus reverendissimus Venetiarum metropoleos antistes multis suffraganeorum suorum gravatus molestiis, & canonicæ constitutioni repugantibus malis oppressus, delegit corde devoto sanctorum apostolorum Petri & Pauli ad limina properare, indeque salutis & optatæ consolationis opem percipere, ubi totius ecclesiæ Christus Deus noster fundamentum locavit, & religionis atque justitiæ caput instituit. Et ideo querimoniis ejus aures clementiæ nostræ, literis tam ipsi Urso Venetiarum duci, quam suffraganeis ejus episcopis, quorum sane inobedientia & temeritate canonicus vigor confusus, ecclesiæ Dei potestas exinanita, & metropolitana dignitas corrupta existit, ut in conspectu nostro apostolicæque sedis præsentia, utriusque partis præsentia existente, liteque discussa, finem causæ debitum æquo imponeremus libramine, literas nostras direximus: sed ipse dux excusationis verba potius quam quæsitas a nobis personas statuto tempore maluit destinare. Unde nolentes præfatum fratrem & coepiscopum nostrum absque consolatione debita relinquere, rati sumus te vice nostra illuc dirigere: quatenus divino fretus auxilio, ea quæ prædicto fratri sunt necessaria prudenter peragas, & cum Domini timore cuncta perficias. Has igitur apostolatus nostri literas accipiens, pro utilitate & salute ecclesiæ Dei ceu idoneus Christi miles laborare satage: quoniam dicente apostolo, labor noster non erit inanis in Domino; & si socii sumus laboris, erimus profecto & consolationis. Christo igitur duce, Venetiam perge, Ursoque duci epistolam destinatam tribue, eamque ut auribus audiendi audiat, instanter admone, ne statutis apostolicæ sedis resistere, quin potius humili corde obedire procuret. Alteram vero epistolam Felici sanctæ ecclesiæ Equilensis episcopo, quem ad nos venire jubemus. Tertiam quoque Dominico Olivolensis ecclesiæ & Leoni Caprensis ecclesiæ, episcopis, quos ibi manere volumus, eisque ut in his quæ Dei sunt, te fideliter adjuvent, præcepimus, tribue. Quartam vero Dominico electo ecclesiæ Torcellensis dare procura: eosque terribiliter obtestando atque jubendo, easdem epistolas in conspectu totius ecclesiæ & populi, teque præsente legere facito: quibus nimirum perlectis tam eosdem episcopos supradictos, hoc est Felicem* Matemautensem, & Petrum Aquilensem, episcopos, nec non Laurentium archidiaconum Gradensis ecclesiæ, abbatem cœnobii Altinensis, archidiaconum Roscellensem, & archipresbyterum Gradensem, cum nepote suo Laurentio Romam in præsentiam nostram, ex nostra apostolica auctoritate Idibus Februariis omni mora vel occasione postposita, secundum tenorem epistolæ nostræ venire præcipe. Nam si in prædictis Idibus venire quolibet modo distulerint, sciant se omni ecclesiastica communione esse privatos, atque anathematis vinculis innodatos, quousque nostris se obtutibus præsentare curaverint. Cumque omnia juxta nostræ præceptionis affectum, pia & fideli devotione compleveris, ad ecclesiæ tuæ revertere gremium, nobisque sub certitudine cuncta renunciare non differas. Ut si de cetero aliqua super his agenda sint arbitrio solerti, ut cura debita solicitius Deo propitio peragamus.

* Supra 28. Matiscaucensis & Equilinensis. Harduin.

AD RICHILDIM AUGUSTAM.

Rogat ut Romanæ ecclesiæ suffragetur.

Joannes episcopus Richildi Augustæ.

QUanto amore spiritualis filius noster piissimus imperator erga hanc sanctam matrem suam ecclesiam flagret, ex hoc manifestissime claret, quod causam illius apud se specialiter exequendam & ordinandam in vestris proprie manibus collocavit. Cui enim congruentius & præstantius eam, quam præ ceteris spiritualiter diligit, oro, committeret, quam vobis quæ ab eo sic diligi jubemini, sicut diligi a Christo jubetur ecclesia? Unde magnopere gratulamur de vobis tot audientes præconia, & confidimus in Domino, quia onera quæ portamus, tam a paganis, quam a pessimis Christianis, vestri studii humeris alleviabitis, & eritis pro ecclesia Christi apud pium conjugem more sanctæ illius Esther pro Israelitica plebe apud maritum. Quia vero sæpe ad Christianissimum conjugem vestrum semper Augustum diversis pro necessitatibus sive missos, sive apices mittimus, ex hoc jam obsecramus & petimus, vos estote pro nobis ostium, lingua, & manus: imo totum pro nobis sitis, advocatoris fungentes officiis, & omnia pro nobis in omnibus facite. Ita ut amici quidem & fideles ecclesiæ hujus per vos apud apicem vestrum locum, apud vos inveniant aditum & salubre in necessitatibus suis omnino remedium: e contra vero, inimici & fideles per vos confundantur & excludantur; quia & nos pro nobis apud omnes & in omnibus erimus, & præcipue apud beatissimos apostolorum principes Petrum & Paulum amatores & protectores vestros: ita ut paterno vos affectu semper fovere studentes, & tamquam spiritalem filiam dilectionis nostræ finibus collocatam in Christo tractare ac tegere perpetuo satagentes, apud eos commendare assiduis precibus studeamus, & vestri memoriam ad sacrosancta corpora ipsorum semper deponere satagamus. Lætamur autem & jocundamur in Domino, quia beatam vos & felicem dicent omnes generationes; quia pio committente conjuge tam salutiferum ministerium assumpsistis: per quod scilicet & in præsenti sæculo

1. Thess. 2. Esther. 9.

nomen

nomen bonum, quod est super divitias multas, & cæleste acquiretis inter angelos, & non finiendum imperium. Data XVI. Kalend. Decemb. indictione X.

XXVII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Commendat Wigbodum Parmensem episcopum.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

QUia desiderandam nobis, & totis viscerum brachiis amplectendam dilectionem vestram nihil patimur ignorare eorum quam maxime, quæ ad cumulum gloriæ vestri noscuntur culminis pertinere, operæ pretium duximus innotescere, VVigbodum venerabilem ecclesiæ Parmensis antistitem apostolorum adisse limen, & sedem, tam orationis voto, quam inveniendæ per nos vestræ gloriæ desiderio; cujus mentis arcana subtilius investigantes, nos plane minime latuisse fatemur, quod & nunc sinceræ fidei erga pium imperium vestrum habendæ teneatur affectu: & hoc jam olim procul dubio rerum effectibus demonstrasset, nisi sibi esset a piæ memoriæ priore principe causa talis injuncta, quam sine sui discrimine floccipendere nequivisset. Unde rogamus, data venia suscipite nunc illum ut mea viscera: quia & si forte quondam vobis erat inutilis, nunc autem vobis & nobis utilis: quamvis forte non sit dicendus inutilis, qui fidem ante promissam custodiens, simile circa vos servandæ fidei dedit indicium: præsertim cum sperans in Domino non perdiderit, si mutaverit, fortitudinem, dum scilicet nobis hunc informantibus, si quopiam contra vos usus est, pro vobis proponat jam totis viribus exercere. Unde non dubitamus illum se fortiorem erga fidei vestræ constantiam exhibendum, quam fuerit, quando contra imperium vestrum perhibebatur sentire. Ergo clementissime Imperator, quia ab infantia crevit vobiscum miseratio, recipite illum tamquam ab ipsa beati Petri apostoli patroni vestri confessione, & super eo mercedem habere contendite, non imputantes ei quod novissimus venerit: quia & bonus ille paterfamilias operarios undecimæ horæ pares fecisse describitur his qui tertia hora venere. Sed & vos non minus diligitis militem, qui primo quidem in belle terga dedit, postea rediens premit fortiter hostem, quam eum qui numquam terga dedit, & numquam aliquid fortiter gessit. Sed quid multa? cum ecce nos ei apud pium imperium vestrum, fili carissime, fidem dicimus. Ecce nos pro illo vadem offerimus: tantum sic agat erga eum clementissima & sereniissima pietas vestra, ut alii sub tegmen miserationis vestræ, hoc comperto, alacrius confluant, & per interventionem nostram quasi per immobilem pontem ad vos certatim transitum faciant. Siquidem hic in signum est ad apostolica tecta quoddam positus; cunctos ad vos terrigenas aut bene disposito invitabit, aut a vobis male tractatus terrebit. Nam difficile esse credimus apud pietatem vestram quemquam per alios obtinere, quod per Petrum & Paulum apostolorum eximios non poterit impetrare. Data *ut supra*.

Matth. 9.

XXVIII. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Laudat ejus fidei constantiam erga sedem apostolicam: Adelgisii & complicum fraudes detestatur, suumque & aliarum ecclesiarum auxilium contra Saracenos ei pollicetur, & hortetur ut in fide persistat, utque episcopum Surrentinum ad se mittat.

Joannes episcopus Guaiferio principi Salernitano.

GLoriosæ nobilitati vestræ, quam spiritualibus ulnis amplectimur, & dilectionis semper finibus fovere non mediocriter anhelamus, condignas gratias agimus: quoniam in fidei petra statuens constantiæ pedes, nec fluminibus, nec ventis diversorum eventuum impetu potuit a stabilitate sua demergi, vel a nobis præstitis sponsionibus aliquatenus amoveri: fundata enim est supra petram. Quæ autem de Adelgisii & complicum ejus prioribus ac modernis fraudulentis actibus indicastis, & ipsi veraciter sensimus, & sagacitatem tuam, ut se res habet, sensisse manifeste cognovimus. Erit autem eis ut Saul & Achab, & anima eorum pro anima inimicorum Dei, quoniam virum dignum morte dimittere minime formidarunt; nosque Deo favente cantabimus & psallemus: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*. Et iterum: *Lacum aperuit, & fodit eum, & incidit in foveam quam fecit: convertetur dolor ejus in caput ejus*, &c. Interim autem, quantum nos superna virtus adjuvare dignata fuerit, & in consiliis & in auxiliis vobis ferre præsidium non omittemus, sed piissimum filium nostrum semper Augustum ad adjuvandum vos tam per se, quam per exercitum suum quantocius incitabimus. Simili etiam modo & alios quosque fideles, & ecclesiæ Christi amicos ad hoc ipsum excitare atque hortari studiosius procurabimus, atque omnia, sive quæ nos cogitare, sive quæ vos salubriter adinventa nobis intimare maturaveritis, gratulanter agere ingenti cum gaudio festinabimus. Interim autem *state in fide, viriliter omnes agite, & confortetur cor vestrum*, non * Insultan, qui satan congruentius dicitur, sed sperantes in Domino: ita ut omnes a paganorum consortio subducatis, & vos ad pacem in invicem, & concordiam uniatis in Christo Jesu Domino nostro: quid. quid sane consilii vobis vel accreverit, vel salutiferum visum fuerit, nobis innotescere ne pigritemini, ut a libramine nostro vel tamquam salubre approbetur, vel si aliter cælitus revelatum fuerit, aliter & dispensetur. Etenim nos vestra damna, nostra credimus: sicut e contrario lucra vestra, nostra procul dubio deputamus. Episcopum interea Surrentinum sive per terram, sive per mare profectum, quia jam minus recepimus, haud parum molestæ tulimus; & nisi ocius mittatur, molestius non immerito sustinebimus: at vero, si ad nos indifferenter fuerit destinatus, tunc magna & solita devotionis tuæ recognoscemus indicia. Et pure profecto circa pontificium nostrum dilectionis tuæ sole clarius patebunt insignia. Optamus gloriam, &c. Data XV. Kalendas Januarii, indictione decima.

1. Reg. 20.

Psalm. 7.

Psalm. 17.

Psal. 26.

* in Sultan

XXIX. AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Ejuſdem argumenti.

Laudulpho epiſcopo Capuano.

SIcut de ſanctitatis tuæ devotione ab olim erga hanc ſanctam Romanam eccleſiam habita gratulamur, ita de infidelium & de inimicorum malevolentia contriſtamur, nullatenus de omnipotentis Dei miſericordia diffidentes, quod & tibi condigna recompenſatio, & illis repentina confuſio maturetur. Verum, ut condecet, reverentiam tuæ fraternitatis laudabiliter amplectentes, & gratias agimus, & ut in bono perſeverare proficereque decertes, apoſtolica manſuetudine deprecamur: Quatenus qui in illis regionibus & ſanctitate decoratus, & devotione prælatus es, ſis etiam contra tortitudinem regula, & ſicut hactenus feciſſe probaris, contra infelices felicitas, & contra iniquos æquitas, atque lux contra tenebras: ſciens illius qui de tenebris dat lucem ſplendeſcere, ſolatium nobis & vobis citius affuturum, & nimis diu afflictæ Chriſti eccleſiæ omnipotentem Dominum conſulturum. Præterea, quod de adjutorio, ſicuti & ingens neceſſitas omnimodis poſtulat, a nobis conferendo depoſcis; hoc & nos meditamur, hoc volumus, & divina gratia protegente, cito nos collaturos confidimus: quia jam calamitatem nobis commiſſi populi ſuſtinere non poſſumus; jam devaſtationem terræ iſtius aſpicere non ſufficimus; tantumque dolemus, ut dici non poſſit, ſi omnes artus noſtri vertantur in linguam. Quapropter vellemus adhibito ſanctitatis tuæ conſultu, neceſſaria ad communem ſecuritatem negotia prævidere: tamen præter id quod ad præſens difficile poſſe fieri, ut ita dixerimus, cernitur; cum primum ſe nobis poſſe præbuerit (quamquam imperialem exercitum nos cito habituros ſperemus) hanc ipſam neceſſitatem ſpirituali filio noſtro ſereniſſimo ſemper Auguſto rurſum ſignificabimus, & ut quantocius nobis potenti virtute ſubveniat, humillimis precibus exhortabimur. Veruntamen prope eſt Dominus omnibus *Pſal. 144.* invocantibus eum in veritate: voluntatem timentium ſe faciet, orationes eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos. Data XIV. Kal. Januar. indict. X.

XXX. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Propter imminentia tum a Saracenis, tum a quibuſdam Chriſtianis, graviſſima pericula, enixe petit, ut promiſſa auxilia quamprimum mittat, & deſtinatos ea de cauſa legatos commendat.

Joannes epiſcopus Carolo imperatori.

CUm nos in eccleſiaſticis curis inſtantia quotidiana conſtringeret, & hinc inde populi nobis commiſſi continuus dolor, qui cuncta noſtra interiora perculit, perturbaret, illud, ut ita dixerim, inter alia flevimus, quod nunc uſque tam per terram, quam & navigio, ad vos noſtrum miſſum dirigere ſummo deſideravimus ſtudio, ut nobis veſtrum proſperitatem deſiderantibus & anxie ſitientibus renunciarentur citiſſime ſanitates, ſed omnino nequivimus. Hinc fateor, fili cariſſime, tanta per utrumque iter impedimenta timuimus, quantum & per paganos, & per iniquos Criſtianos, ſine reſpectu divini timoris, generari mala, quæ ætas noſtra non meminit, deploramus. Tanta enim ſunt, ut intra mœnia urbis reliquiæ populi innumerata paupertate affectæ conſiſtant, & omnibus forinſecus devaſtatis ac in ſolitudinem redactis, nihil jam reſtet, niſi, quod Deus avertat, ipſius urbis excidium. Sed & quantum nos Leo venerabilis epiſcopus, apocriſiarius & miſſus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, communis quoque fidelis, a veſtro ſervitio rediens, de hoc quod a vobis retulit, poſt ſe veſtrum exercitum contra Agarenos eſſe mittendum, lætificaverat, tantum hucuſque eumdem nobis expectantibus, quod conſecuti non ſumus, validior mœror & ineffabilis anguſtia contriſtavit: quia tota Campania ab ipſis Deo odibilibus Saracenis funditus devaſtata, jam fluvium qui a Tiburtina urbe Romam decurrit, furtim tranſeunt, & tam Sabinos, quam ſibi adjacentia loca prædantur. Sanctorum quoque baſilicas & altaria deſtruxerunt, ſacerdotes & ſanctimoniales, alios quidem captivos duxerunt, alios autem variis mortibus necaverunt, & omnem Chriſti ſanguine redemptum populum in circuitu deleverunt. Et quid dicam? aut quid loquar? cum pervenerit gladius uſque ad animam, & ſanguis omnium de terra clamet ad Deum. Ergo, præcellentiſſime Cæſarum, jam jam noſtræ calamitati ſuccurrite, jam populi noſtri miſerias relevate, jam veſtræ potentiæ manum porrigite, & hanc terram, cujus vobis neceſſitates ab ipſo veſtræ vocationis initio notas fecimus, liberate, ne ſi perdita fuerit, veſtrum vileſcat imperium, & totæ Chriſtianitati naſcatur diſpendium. Reminiſcimini igitur propter Deum, reminiſcimini, quia multa ſpe & fiducia freti, divinitus & humanitus ad imperii gubernacula promerenda pro vobis certamina ſumpſimus, nullique labori pepercimus. Ideoque vicem nobis rependite, ut ſpes & labor noſter non ſit inanis in Domino: quia cum hæc fuerit ſemper apud vos ſumma noſtræ petitionis, ſi amplius nobis auxilium veſtrum ſubtraxeritis, in deſperationem lapſi deficiemus, & forſitan in aliud conſilium reſumptis aliquantulis viribus neceſſario tranſcendemus. Non enim, ſicut vos forſitan æſtimatis, mediocre malum tota noſtra eccleſia patitur, minimis ſtatus reipublicæ damnis afficitur: ſed alia Saracenorum incurſibus, alia autem Chriſtianorum ita ſunt exterminata & devaſtata tyrannide, ut non noſtra ſint quæ noſtra fuerunt: quin potius ſolo nomine omnibus illis utamur, & vel ad defenſionem patriæ, vel ad aliquam utilitatem noſtræ eccleſiæ, quorumlibet ſolatia nunquam inveniamus. Præcipue autem multi, quos veſtra non ignorat majeſtas, non ſolum nulla nobis ſolatia conferunt, verum etiam quidquid reſiduum eſt a paganis, imprætermiſſe ſubtrahunt, & omnem noſtram diſpoſitionem in territorio Romano ſuis violentiis calcant: adeo ut nec victualia nec ulla quadrupedia in omnibus noſtris remaneat, nec ullum, qui nobis compatiatur, vel noſtros ſingultus aut gemitus doleat, oculi noſtri aſpiciant. Sed quia tanto imperatori pauca ſufficiunt, & ex iſtis jam, fili cariſſime, quæ nos præ gemitu & afflictione cordis loqui non poſſumus, univerſa alia cognoſcetis, quaſi humo proſtrati veſtram magnificentiam deprecamur, & per futurum judicium deprecantes, cum tota noſtra eccleſia veſtro divinitus protecto imperio totis viribus ſuggerimus, votiſque ſupplicibus preces multas effundimus, ut contritæ & omni humano ſolatio deſtitutæ ſanctæ matri veſtræ Romanæ eccleſiæ defenſionem, debitamque tuitionem, cunctis remotis occaſionibus, cunctiſque omiſſis dilationibus, omnimodis præbeatis: quia cum jam juxta præcipitium conſiſtamus, niſi manu veſtræ defenſionis, & neceſſariis nobis, ſicut præmiſimus, imo ſæpius exoravimus, quantocius opibus ſubvenire

nire ſtudueritis, ſpe vivendi per Chriſtianos ſublata, aut ipſis paganis ſubjiciemur, aut, quod avertat divina potentia, ab eorum multitudine victi, ad omnem Chriſtianitatis interitum crudeli nece peribimus, ac per hoc & Chriſti nomen in gentibus blaſphemabitur, & veſtræ opinionis anteacta ſtudia oblivioni trademus. Hujus rei gratia ſicut ſupra meminimus, opportunum adjutorium conferentes, nobis veſtrum exercitum ad hoſtilem expeditionem promptiſſimum deſtinate, alioſque Deum per omnia diligentes miſſos, qui vitiorum flammas juſtitiæ tramite uſi compeſcant, nimia celeritate dirigite: quatenus qui innumeris tribulationibus quatimur ac æſtuamus, & pro populi nobis commiſſi miſeriis cruciamur, veſtris conſolationibus refecti lætemur, & per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, ſicut decet, per tam benignum imperatorem conſequi mereamur. Poſtremo ſublimitatem veſtram depoſcimus, ut latores præſentium, Petrum ſcilicet atque Petrum venerabiles epiſcopos, miſſos apoſtolicæ ſedis, noſtroſque dilectos, juxta morem benigne ac pacifice ſuſcipere non dedignemini, & ea quæ piis veſtris auribus pro utilitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ in conſpectu veſtro retulerint, ad congruum ac opportunum effectum pervenire, pro ſanctis apoſtolis veſtris interceſſoribus apud Deum, celeriter ſtudeatis. Data quarto Idus Februarias, indictione decima.

XXX. AD RICHILDIM AUGUSTAM.

Ut imperatorem conjugem ſuum ad opem eccleſiæ quamprimum ferendam hortetur.

Joannes epiſcopus Richildi Auguſtæ.

MUlto peracto jam tempore tam ad ſpiritualis filii noſtri Auguſti, quam ad veſtram inviſendam clementiam, miſſos apoſtolicæ ſedis deſtinare deſideravimus: quatenus & de utriuſque ſoſpitate lætiores efficeremur, & nobis commiſſæ, ſanctæ ſcilicet matris veſtræ, Romanæ eccleſiæ calamitates atque oppreſſiones, quas a Chriſtianis & ab iniquis paganis ſine ceſſatione patimur, ad memoriam reducentes, ab eodem Auguſto conſolationem & optatam opem, ſicut ſperabamus, tandem aliquando conſequi mereremur. Sed omnium viarum aditibus a malis obſeſſis hominibus, plus nos compulit dolor lacrymas fundere, quam locus pateret ad vos noſtros miſſos dirigere: quia ex uno, ſicut diximus, Chriſtiani, ex alio pagani ita nos crudeliter perſequuntur, ut ſolis mœnibus urbis relictis, omnia in circuitu longe lateque conſumpta habeant, & in ſolitudinem prorſus redacta. A quibus per tantum imperatorem relevari jam credebamus, & recuperationem aliquam vel medelam adipiſci ſummopere præſtolabamur: ſed ecce pro peccatis noſtris aliis negotiis implicatus, nobis hactenus diſtulit ferre præſidium. Et quia jam ſuſtinere non poſſumus, gloriam veſtram multipliciter deprecamur, ut vice noſtra fretæ, ſumatis in fœmineo ſexu virile pectus, & pro amore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quorum ita eſt devaſtatum terminum, ut magis libeat flere, quam dicere, tamdiu apud piiſſimum imperatorem noſtrum inſiſtatis, quouſque & contra paganos opem præbeat, & Chriſtianos compeſcere gaudeat. Quoniam ideo illum tanto diademate ab olim quidem a nobis expectatum ac præelectum decorare curavimus, ut ſanctæ Romanæ eccleſiæ recuperatio & ſecuritas, quam ademptam dolebamus, per pium ſtudium ejus, quo ſemper fruebatur, redi-

A ret. Quapropter, cariſſima filia, per Deum vos adjuramus, opportune importune inſiſtite, ut antequam in ipſa urbe Romulea aliud periculum, quod Deus avertat, proveniat, manum tuæ defenſionis exhibeat, & hanc terram, quæ ſui imperii caput eſt, ad libertatem reducat, ne quando dicant gentes, ubi eſt imperator illius? quatenus & nobis ſpes evadendi, vivendique remaneat, & priuſquam hiems vel ver tranſeat, contra eoſdem paganos Romæ ſint illius exercitus præparata ſubſidia. Alioquin aut omnino peribunt, aut coacti, ut ſolam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomodocumque ſubjiciemur. Data IV. Idus Februarias, indictione decima.

B XXXII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Mittit imperatori palmam, & malis, quibus a Saracenis praviſque Chriſtianis urgebatur expoſitis, auxilia petit.

Joannes epiſcopus Carolo imperatori.

INter cetera, quæ vera creſcente religione ab olim eccleſiaſtica facta veſtræ pietati duximus intimanda, virentium vobis palmarum ecce bravium mittimus, quod apoſtolus non omnes qui currunt, ſed unum propter unitatem legitime certantium accipere proteſtatur. Quapropter, fili cariſſime, quaſi præſentes, incurvatis genibus & ſummiſſo capite deprecamur & obſecramus, ut ita legitime celſitudo veſtra in hujus ſæculi ſtadio pro Chriſti eccleſia currere, ita decertare contendat, ut non ſolum bravio victrix veſtra dextera adornetur, verum etiam ſacratiſſimum caput diademate gloriæ decoretur: imo pro viſibilibus his & corruptibilibus, non tantum palmam, ſed & coronam accipiat incorruptam. Sed heu, clementiſſime imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater veſtra, ſancta videlicet hæc eccleſia, quæ vos ſpiritualiter genuit, periclitatur, & in noviſſimum devenit exitium: hinc inde non ſolum tabernaculis hanc Idumæorum & Iſmaelitarum, & Agarenis quotidiano gladio & captivitate in interitum impellentibus, verum etiam falſis filiis Sarræ, quos optime noſtis, in prædam & direptionem miſerabiliter immittentibus: ita ut & illi ſæpe uſque ad muros urbis quamvis clandeſtinis horis pervenerint, ſed & Tiberinum fluvium, qui olim Albula dicebatur, juxta Sabinorum confinia pertranſierint: & iſti, qui nobis vicini ſunt, ex altera parte ita ſæviant & debacchentur, ut non hominem, non agrum, non jumentum, non pecus, non quidquam ex his quæ ſancti Petri juris exiſtunt, dimittere patiantur, ſed omnia quæ oculo vident, manu diripiant; & mala quæ cogitant, ſine mora perficiant. Hæc ſunt, cariſſime, de innumerabilibus pauca, quæ mater veſtra Romana, proh dolor! diebus veſtris perfert eccleſia; quaſi non vos ſpecialiter ex omnibus & præ omnibus amaverit, invitaverit & extulerit: vel quaſi nos non vos, auctore Deo, in imperium coronaverimus, & vobiſcum in omnibus, quaſi cum ſapientiſſimo Salomone, ut quondam ille fidelis Sadoch ſacerdos, adverſus alterum ad omnia minime ſteterimus, nec cuncta, quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus: ad extremum quaſi non hodieque manu veſtræ ſpeciali voto & prærogativa plenam benedictione palmam, ſicut & cernitis, deſtinemus adverſus viſibiles hoſtes & inviſibiles triumphantem. Optantes enim vos de cunctis adverſariis triumphare, nihil aptius vobis, quam ramos palmarum,

1. Cor. 9.

1. Reg. 1.

Matth. 21. rum, duximus offerendum, quos & pueri sterne-
bant in via Domino Hierosolymam venienti, antiquum hostem triumphaturo, & mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire solicitudines.
Luc. 22. Hoc plane nec nos ignoramus. Verum ut cum Domino fateamur, & hæc oportuit facere, & illa non omittere. Nam vobis, qui in agone contenditis, ut ad bravium supernæ vocationis, & ad capessendam coronam incorruptam perveniatis, ab omnibus aliis abstinendum est, & legitime, ut prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum, quam ut præ omnibus & ante omnia Romanæ curam habeatis ecclesiæ, quæ ceterarum magistra est & mater ecclesiarum, quæ vestro in tempore tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis: Denique si hæc ecclesia, quæ caput est, viget, cetera membra, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt: quæ nimirum omni robore carent, si contingat solum caput forte languere, quanto potius, quod avertat omnipotens, si contingat extingui? Unde iterum iterumque totis singultibus totisque imploramus præcordiis, & per Christum Dei filium supliciter adjuramus, qui vos ad tantum provexit fastigium & imperium, vel nunc citatum extendite clementiæ brachium, & periclitanti patriæ, quin potius mundo, auxilii jam jamque porrigite dexteram. Ecce Petrus in commissis ovibus mergitur. Erigite ergo eas vos a fructibus, clementissime. Sic vos ipse ab excessuum alluvionibus erigat, & vobis cælestis atria regni intercessionum suarum clavibus reseret, & vitæ æternæ pascua invenienda inter angelos sine termino tribuat, quæ oculus non vi-
1. Cor. 2. dit, nec auris audivit, &c. Data Idibus Februarii, indictione decima.

XXXIII. AD AJONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Commendat eum de zelo erga sedem apostolicam, monet ut sibi adjumento sit in expeliendis Saracenis, suumque fratrem ad idem faciendum impellat.

Reverentissimo & sanctissimo Ajoni episcopo Beneventano.

SUsceptis atque relectis literis sanctitatis tuæ, gratias omnipotenti Deo retulimus, & pro tuæ devotionis affectu, proque solicitudine, quam inquirendo de nostris eventibus habuisti, multum in Domino gratulati sumus. Decet enim, & omnino coram oculis divinæ majestatis extat conveniens, ut hi quos fideliores erga sanctam matrem cunctorum, scilicet Romanam, ecclesiam esse conspicimus, nostris affectibus, & si non per corpus, per spiritum amplectantur, & fraterna dilectione juxta merita singulorum tractentur. De hoc autem quod asseris, te de nostra sanitate lætari, sicut e contrario de oppressione Saracenorum tristari; optime quidem (ut ita dixerim) quantum foris est, tangis: sed quantum intus est, juxta tribulationem quam patimur, non advertis. Præcipue cum pro populi nobis commissi vastatione solum nobis supersit sepulcrum, & pro his qui nobiscum certare debuerant, & non solum inimicis Christi faveant, sed etiam nostrum laborem impediant, immensis angustiis æstuemus. Sed in his non solum nobis orationibus a vobis subveniri precamur, verum etiam quos a communi nostro certamine deviare cognoscis, & exemplo operis, & verbo prædicationis revoces, exhortamur. Ceterum licet nostro itineri Neapolim, nobis pro A maxima nostræ ecclesiæ necessitate nuper advenientibus non adhæseris: tamen quod per præsentiam non egisti, per absentiam, si ille calor fidei in te viget, quem credimus, agere prorsus valebis. Bene enim tuo ministerio cedis, si & laborem nostrum, quem valde debiles corpore pro liberatione Christiani populi tunc assumpsimus, opportune advertis, & tribulationis, quam modo patimur, memor semper existis. Nam nunquam consilium fratris tui per aliquos tantum subverti potuit, quantum per tuæ sanctitatis solertiam immutatione dexteræ excelsi non possit converti. Eja igitur frater carissime, accinge episcopaliter lumbos tuos, & medullitus fratrum nostrorum, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, neces at-
B que dictu horrendam captivitatem perpende, & insta opportune, importune, fratremque jam dictum monitis, imo verbis increpatoriis exhortare, ut 2. Tim. nostros pios conatus sequatur, & pro Christianis nobis certantibus opem tribuat, voluntatem extendat, & opus te instante exhibeat, & misereatur Deus. Quid nobis proficit Christianum vocabulum, si opere Christiano caremus? quid prodest nobis cognovisse viam justitiæ, quando post cognitionem retrorsum conversi, cum inimicis Christiani nominis tam libere fœdera copulamus? Ergo (sicut diximus) beneficiis sanctæ Romanæ ecclesiæ tua sanctitas non ingrata nobiscum laboret, nobiscum pro salute populi Dei in illis
C partibus cooperatrix existat, & nostro certamini favens, sanctæ Romanæ ecclesiæ se devotam nomine & opere semper exhibeat. Quia si tu, sicut potes, peregeris, nec fratris tui, nec alicujus hominis factum, nostrum opus, piumque laborem, Christo juvante, apud vestrates ex toto dissipare valebit: quin potius incrementum per Jesum Christum Dominum nostrum augebitur, & labor proficuus apparebit. Data Kalendas Februarii indictione x.

XXXIV AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Respondet, abbatem, qui nullo comprobato crimine a regii cœnobii præpositura depulsus fue-
D rat, esse revocandum; homicidam autem, & facinoris socium ab omni præpositura pellendum.

Joannes episcopus Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

LAudamus sanctimoniam tuam, frater carissime, justitiæ zelo ferventem: sed in promotionibus sive antistitis, sive abbatis, nil profecto aliud gerendum possumus exhortari, nisi quod sacri canones sanciunt, quos nulli sacerdotum licitum est ignorare, vel quidquam facere, quod patrum possit regulis obviari. Verum quia in utroque filii nostri semper Augusti interfuisse
E perhibetur assensus, ejus super hoc esse videtur expectandus adventus: ad cujus cum tua sanctitas accesserit pietatem, credimus nil ecclesiæ Dei præter paternas regulas illaturam. Moderatio quippe sedis apostolicæ, & universalis ecclesiæ dispositio, in hoc periculoso tempore pene cuncta dispensatorie moderanda compellit. Quamvis autem præsenti sit exuli consulendum, nihil tamen est, non extante ulla necessitate, contra canones patrum agendum. Abbas autem qui nullo comprobato crimine a regii est cœnobii præpositura depulsus, ejusdem piissimi principis permissu, precibus nostris tuæ sociatis industriæ,

revo-

revocandus est. Non autem solum homicidam, sed & socium homicidæ ab omni præpositura pellendum decernimus. Hæc perpaucis fraternitati tuæ scripsimus, ne sibi omnino rescribere supersedisse videremur. Ceterum, ut cum sancto Leone papa dicamus, Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Si enim (ut ait apostolus) mediator unius non est, qui sic unam
..at. 3. partem audit, ut alteri parti nihil reservet *.
* for. aliquid deest. Optamus. &c. Data III. Kalendas Martii, indictione decima.

XXXV. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI IMPERATORIS CONSTITUTOS.

Monet ut imperatorem hortentur ad opem ecclesiæ Romanæ celeriter ferendam.

Joannes episcopus omnibus archiepiscopis & episcopis in regno imperatoris Caroli constitutis.

PRistinis attriti miseriis, & oppressi calamitatibus, dilectissimi filii nostri magni imperatoris Caroli, quasi de profundis ad Deum clamantes, tamquam ipsius Domini & salvatoris nostri anxii expectabamus adventum, & ut ita dixerim, ejus iteratum pro salute nostra credebamus imminere descensum. Sed, proh dolor! tot ac tantis circumdamur hinc inde periculis, ut tædeat nos etiam vivere. Ecce enim dominicarum ovium ab Agarenis, qui sunt filii fornicationis, nec non & ab his qui solo sunt nomine Christiani, aliæ gladio trucidantur, aliæ fame pereunt, aliæ vero in prædam & captivitatem ducuntur. Sed & pastores earum, reverendi episcopi, profugiunt, & vagi huc illucque palantes omni penitus egestate tabescunt. Redacta est terra in solitudinem, & ablatis ab illa hominibus, ferarum saltus effecta est; civitates, castra, & villæ subversæ, nec ubi earum fuerint ædificia, innuunt. Sed & venerabilia loca destruentes, altaria Domini suffoderunt, ministros & servos ejus
..lm. 43. occiderunt. Facti sumus, secundum Psalmistam, in derisum & contemptum his qui in circuitu
..f. 3. nostro sunt: dum illi aut vicinorum auxilio potiuntur, aut saltem pacto, secundum apostolum, tempus redimunt, quoniam dies mali sunt. Seminamus pedetentim, quamvis in lacrymis, nec recolligimus; imo jam nec seminandi facultas suppeditat. Sedet in tristitia domina orbis, mater ecclesiarum, magistra gentium, consolatio tristium, & non est qui adjuvet, non est qui consoletur eam, nisi tu solus, o bone Deus, & si non re propter iniquitates nostras, sed spe,
..n. 5. quæ secundum apostolum non confundit. Quæ, fratres carissimi, partim vobis significamus, (nam si per singula scribere tentassemus, facilius nobis charta quam sermo deficeret) ut sicut unum corpus sumus in capite Christo, & alter alterius membra, ita nobiscum pariter condoleatis &
..Cor. 12. compatiamini: quia *si quid unum patitur mem-*
..Tim. 2. *brum*, ut Doctor gentium ait, *compatiuntur omnia membra: & si compatimur, & conregnabimus*. Condolentes autem nobis, & compatientes, accedatis ad Christianissimum filium nostrum, & consilium Domini ab eo non abscondatis; suggerentes, & exhortantes, ut perpendat, quis & quam terribilis sit ille, qui hunc ante sæcula huic præfuturum regioni prædestinaverit, & quam districte ab eo exacturus sit quod commisit: qui scilicet tam pretiosi sanguinis fusione quod credidit emit. Meminerit etiam, quia & nos illum præ ceteris propinquis & æmulis ejus amavimus, elegimus, & prætulimus. Unde & eum adversus omnes hostes ecclesiæ non solum defensorem, sed & patronum & advocatum nostrum existere proposuimus: ut quod ei nos apud Deum esse satagimus, ipse inter homines pro nobis fieri non detrectet: præcipue ut accelerans nobis subveniat, & sine mora contra perfidos Christianos & infideles succurrat. In quo sanctæ fraternitati vestræ præ omnibus laborandum est: pro commisso scilicet sibi sacerdotali officio, & quia, ut cum propheta veridico fateamur, si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, vel ubi Isai. 10.
relinquetis gloriam vestram? Data III. Kalendas Martii, indict. x.

XXXVI. AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Mittit legatos, ut Docibilis Hypatus petierat: hortatur ut det operam una cum legatis, ut pactum cum Saracenis initum dissolvatur; se quidquid ab eo constitutum fuerit, approbaturum.

Landulpho episcopo Capuano.

NOverit industria tua, nos tam Sergii magistri militum, quam Docibilis Hypati epistolas suscepisse: quibus cognovimus eos excusabiles se velle coram nobis reddere tentavisse super contracto infando fœdere, quod cum Saracenis impie pepigerunt, nec absolverunt; in tantum, ut gerulus earum referret jam fuisse diruptum, nisi dilectio tua pro reverentia nostri, nostrum in hoc expectandum arbitrium judicasset. Quamvis nec hæc ipsa ex toto crediderimus, eo quod de his nullam tuam susceperimus. Verum quia nos prædictus Docibilis Hypatus, ut missos nostros pro tanto bono, & omni ecclesiæ profuturo perficiendo, Cajetam mitteremus, obnixe rogavit; ne negligentia nostra diffamaret tantam humani generis salutem postpositam, misimus illuc VValbertum Portuensem, & Eugenium Ostiensem, sanctissimos episcopos dilectos & consiliarios nostros, ut sive cum magistro militum, sive cum missis ejus loquentes, pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent, in tuæ maximæ sapientiæ illos fiducia destinantes. Quapropter hortamur, ut solertia tua tanto in hoc laboret, quanto non solum a nobis condignam vicissitudinem, sed & ab ipso Deo & Domino nostro coronam se percepturam in cælestibus non poterit dubitare. Admonemus itaque, *insta opportu-* 2. Tim. 4.
ne, importune, ut tam impio discisso fœdere, pax Philip. 4.
Dei, quæ exuperat omnem sensum, nobis tandem cælitus restituatur. Si qua vero inter hæc se ingerit inimica Deo contentio, tuæ sapientiæ manibus detergatur: nulla simultas, nulla rerum vel gloriæ cupiditas a tanto lucro atque profectu vos subtrahat; quia, quidquid illud est, pacifice poterit post modicum dirimi, & cum caritate, nobis quoque mediantibus, diffiniri. Certet ergo, laboret, & satagat industria tua, & in his vice nostra utatur; quidquid agendum, quidquid communi ex placito fuerit construendum, vice nostra faciat atque constituat. Alacriter enim quod tua dilectio constituerit, & immobili placito fixerit, adimplere atque perficere procurabimus, nihil ut in hoc hæsitet dilectio

ctio tua magnopere commonentes. Prædictis autem missis nostris missos tuos indifferenter & absque mora Cajetam dirigere procurato, qui de his omnibus cum eis salubriter tractare valeant, & quæ sunt agenda, perficere. Optamus, *&c.* Data Idus Martii, indictione x.

XXXVII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Frotarium ab ecclesia Burdigalensi a paganis devastata transfert ad Bituricensem.

Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Frotario, dudum quidem Burdigalensi, nunc autem Bituricensi archiepiscopo.

AD hoc nos divina provisio supernaque moderatio ecclesiis suis voluit præesse rectores, ut dispersa congregare, & servare congregata summo studio procuremus, * non solum earumdem ecclesiarum solicitudinem, sed & ipsorum quoque rectorum habeamus industriam, & exerceamus solertiam: quatenus sicut rectoribus destitutis ecclesiis alios subrogantes consulimus, ita rectoribus vacantibus ecclesias Domini committentes, providam curam nos earumdem ecclesiarum gerere demonstremus: maxime his, qui cum robusti præliatores Domini sint, intra otiositatis angustiam arceri renuunt, & per hoc expeditius contra vitia certaminum exercitia quærunt. Quia igitur Burdigalensem ecclesiam, totamque pene sub ejus habitam regimine diœcesim, ita paganorum frequentes gladii, prædæque continuæ consumpsit irruptio, ut pene omne illic episcopale vacet officium; necessario prævidimus, Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque Petri ac Pauli apostolorum principum fraternitatem tuam, cujus vacatio defectus est fidei, & fere virtutum omnium detrimenta, in ecclesia Bituricensi, quæ vacare pastorali cura dignoscitur, ab hac præsenti decima indictione præferre simul & incardinatam præficere, habito in eadem Bituricensi ecclesia totius jure metropoleos ac diœceseos priscis temporibus a sacris canonibus præstituto, & in illa ecclesia eatenus conservato: ita ut pastor ejusdem sanctæ Bituricensis ecclesiæ, rector & antistes ex hoc revera dicaris, habearis, & Christo propitio percolaris, ea quæ Dei sunt jugiter agens, & utilitati proximorum semper intendens. Qui vero contra hujus apostolici privilegii nostri statutum, quod necessitate barbarica, & dispensatione cogente loci & temporis, exemplo etiam majorum protulimus, agere forte tentaverit, divinis mysteriis tandiu privetur, quamdiu minime resipiscens, apostolico præcepto per frustra permanserit inobediens. Data *&c.* indictione x.

* *Forte*, & non solum. *Hard.*

XXXVIII. AD DOCIBILEM ET JOANNEM.

Hortatur ut det operam, ne Christiani fœdus cum Saracenis faciant.

Joannes episcopus Docibili & Joanni Hypatis.

DEvotioni tuæ pro labore fidei Christianæ, quam excolis, gratiarum actionibus persolutis, iterum & iterum exhortamur, ut magis ac magis satagere & decertare, & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures: ut Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant, & solum in Deum, qui eos creavit, & non in diaboli membra, quæ sunt filii fornicationis & vasa iræ, spem suam ponere discant. Quod cum egeris, salvabis animam tuam, & operies multitudinem peccatorum. Dicit enim beatus Jacobus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Data v. Idus Aprilis, indict. x.

De Docibile Leo, ep. Ostiensis, lib. 2. c. 14.

Jacob.

XXXIX. AD PULCHAREM PRÆFECTURIUM AMALFITANUM.

Monet ut fœdus cum Saracenis initum dissolvendum curet.

Joannes episcopus Pulchari Præfecturio Amalfitano.

ADmonemus ut in omni virtute tua & sapientia tua labores atque decertes, ut illi homines paganorum disrumpere pacta procurent. Quod si fecerint, nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere possumus, & pro nulla causa vel homine nos a communi vestra & eorum salute seu auxilio separabimus, nec illos aliquando dimittemus: at vero si illi hoc facere recusaverint, & conspicis eos nobis de die in diem tantummodo velle illudere; saltem tu fac secundum consilium tuum, quod scilicet inspirante Deo, ex prudenti corde salutiferum protulisti. Quidquid autem de his factum, vel non factum fuerit, aut faciendum extiterit, tuis nobis vel missis, vel litteris citius indicabis; ut quæ deinceps nobis necessario sunt agenda, facilius & expeditius agamus, præparemus & ordinemus. Data v. Idus Aprilis, indict. x.

De Leo lib. epp. 4

XL. AD SERGIUM MAGISTRUM NEAPOLITANUM.

Dolet ipsum sæpe monitum fœdus cum Saracenis solvere noluisse: præcipit, ut tandem pareat: sin minus, minatur se iterum eum excommunicaturum: pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se susceperturum.

Joannes episcopus Sergio magistro Neapolitano.

DUm verbi Dei semen in pectore tuo etiam per memetipsum post crebros missos & litteras seminassem, expectabam non verborum folia, sed fructus operum promereri: sed quia super hac parte spes nostra frustrata est, cogor in vocem Domini per Isaiam prophetam adversus Israeliticam plebem prorumpere, clamans: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas?* Verum quia, ut cum apostolo dicam, *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est;* semel te tuosque adhuc admonere non abnuo, ut ab infidelium consortio declinetis, & a tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod si nos audieritis, non solum bona quæ cupitis, affluentius ex nobis habebitis, sed & magna præmia cælitus assequemini: sin autem, non solum nos spirituali vos iterato gladio percellemus, sed & hi, qui non sine causa materiales gladios portant, cum sint sanctæ ecclesiæ validi defensores, & fervidi zelatores, cunctis adversis & prosperis conculcatis, adversus vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnatores ejus celerius properabunt. Quæ nos scientes, quia vos anima & cor-

Isai. 5.

Philip.

& corpore salvos reddere cupimus, hæc vobis denunciamus, & cavenda præcipimus. Ceterum miramur, quomodo vos in literis vestris, quas in ipsa paschali festivitate suscepimus, inculpabiles tentetis astruere, cum piaculum vestrum totus qui desertus est mundus, & sanguis de terra, qui effusus est, clamet: præveniente autem gratia Dei, cito credimus fore, ut & vos resipiscentes a vinculo quo annexi tenemini, convenientius absolvamini, & de tua tuorumque salute ipsi cum cælestibus choris pari gaudio perfruamur. Porro si missos destinatis fideles, quibus credere procul dubio valeamus, libenti eos & benigno suscipiemus affectu; & quidquid desiderio vel voto vestro cederit, gratanter administrabimus, fidentes, quod nil impossibile, nil allegaturi sint inconveniens: e contra vero si fine tenus pacti jugum cum infidelibus ducere proponitis, scitote profecto quia (ut cum apostolo fatear) *in virga veniam ad vos*. Data v. Idus Aprilis, indictione decima.

XLI. AD EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Queritur Neapolitanos cum infidelibus fœdus iniisse, nec ab ipso eorum antistite ad viam veritatis revocari. Quare hortatur, ut ipse & illi resipiscant: præterea pollicetur se benigne suscepturum Neapolitani ducis legatos, si miserit; paratumque ad omnia se fore, quæ pro ecclesiæ Dei utilitate perficienda retulerint.

Joannes episcopus ad episcopum Neapolitanum.

RElectis literis tuis, quas cœpto jam paschalis festivitatis officio in die magno suscepimus, nihil quo lætificaremur, reperimus: unde ingens tristitia, & continuus dolor cordi nostro crevit, & multiplicatus nos vehementer affligit; quia populum civitatis vestræ, quæ olim Dei, nunc autem principis tenebrarum effecta est, derelicto penitus creatoris sui amore, videmus jugum cum infidelibus ducere: teque ideo fore obnoxium, quoniam in medio populi polluta labia habentis, pollutum & complicem habitare, nec toto annixu te velle murum pro domo Domini (sicut idoneum Christi athletam oportet) contemplamur opponere. Cum nos pro hujusmodi causa te ad tanti honoris culmen perducere procul dubio studeremus: quatenus te adjutorem & fidelem cooperatorem habentes; oves Domini de tam immani profundo, quo ab humani generis inimico submersas & retentas jacere conspiciebamus, abstrahere, atque ad superna relevare possemus: ut de illorum simul salute par apud retributorem omnium Deum pro communi certamine meritum haberemus. Sed ecce neglecta pastoralis officii cura, postposito divini timore judicii, cum illis, quos aut corrigere, & ad viam veritatis revocare, aut eos quasi gregem morbidum tot disciplinæ salubris verberibus castigatum, salutem propriam nolentem recipere, vitare, atque de medio eorum, sicut jam olim tibi ex divina auctoritate præcipimus, exire debueras, nec amplius cum prævaricatoribus, & consortium infidelium habentibus habitare præsumeres, ut tuæ devotionis sinceritate manifestius apparente, reverentiam tuam, quam sacerdotii summi decoravimus infulis, in societate corporis Christi nobiscum haberemus conjunctam. Nos enim assidua quamvis corporis incommoditate tunc detenti essemus, volentes Neapolitanam civitatem, ceu populum Domini, & oves pascuæ ejus nobis in ipso apostolorum principe commissas cum omni devotione salvare, non recusavimus laborem: quin potius posuimus animas nostras in manibus nostris, dominicaque voce admoniti venimus confirmare illos in beneplacito Dei, ceu fratres, & ut filios carissimos coram Domino adjuvare; sed obdurato ipsi corde, nostras preces & monita recipere, atque ut aspides surdæ audire despexerunt; teque secundum eorum votum, & desiderium antistitem (quod non merebantur) ordinare non prætermisimus, multis super hoc aliis, & etiam bonis promissis, si nostræ voluntatis desiderium devota mente complessent: nunc autem vel illis incorrectis existentibus, & ad percutientem se redire nolentibus, vel tibi cum ipsis habitanti, & idcirco a divinis omnibus cum eis pariter sequestrato; quo pacto antequam resipiscentes ad viam salutis & justitiæ revertamini, parcere, aut a nexu ecclesiastici vos judicii valemus absolvere? Absolvite ergo vos prius colligationes impietatis, & fœdus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum, & nos illico misericordiam, quam Deus noster ecclesiæ suæ in Spiritu sancto dedit facere posse, nullatenus vobis jam conversis tribuere omittemus: nam sicut vere satisfactionis confessoribus parcendum est, dicente Domino: *Cum conversus ingemueris, salvaberis; & adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum:* ita vero in scelere impio manentibus miserendum non est: quoniam misericordiam aliquam vobiscum ante fructum dignum pœnitentiæ facere omnino nequimus, eo quod misericordia fine controversia quæri debet, ut salus sit disciplinæ: nam dicente sancto Gregorio: Sæpe pietas per immoderatam misericordiam errare solet, si fortasse percit quæ parcenda non sunt; peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda, sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit; unde vobis resipiscentibus ne in futuro pereatis, parcere optamus. Præterea si frater tuus, Neapolitanorum videlicet dux, per suos idoneos legatos nobis optata, & ea quæ oportet veraci relatu perficienda direxerit, eos gratissime recipientes, quidquid ratione sagaci retulerint, perficere pro ecclesiæ Dei utilitate atque salute procul dubio parati erimus. Age igitur, & desudare pro communi prosperitate, imo pro salute tua, & civium tuorum non desistas, arguens, obsecrans & increpans cum omni imperio: ut labor tuus fructum desiderabilem in domo Domini pro quo digne remunereris afferat. Data *ut supra*.

Ezech. 33.

S. Gregorius lib. 2. super Ezechielem, homil. 19.

XLII. AD CAROLUM REGEM.

Monet ut bona ablata a monasterio sanctimonialium restituenda curet: quod nisi intra sexaginta dies fecerit, & per legatum id sibi nunciaverit, vel causam cur non sint restituta, non reddiderit, eum excommunicat.

*Joannes episcopus Carolo * glorioso regi.*

* Hic Carolus, qui Crassus nominatus est, postmodum imperator creatus, fuit filius Ludovici Germaniæ regis, Ludovici Pii nepos, Caroli Magni pronepos, ad

CUm generositatem tuam tanta claritas prosapiæ regalis extollat, miramur & obstupescimus, quomodo hanc tam siniſter longe lateque discurrens rumor obnubilet, asserens & affirmans te Italiam ingressum ad monasterium accessisse ancillarum Dei apud Brixiam constitutum; indeque cum illic ipse morareris, tyrannice aurum ablatum, tam ipsius venerabilis monasterii, quam dile-

quem nonnullæ infra ſcribuntur epiſtolæ. De quo Ado Viennenſis in fine chronicorum, Regino lib. 2. chronicorum, Aimoinus lib. 5. cap. 40. & alii.

dilectæ filiæ noſtræ Angelbertæ Dei cultricis: quod ſibi ad ipſius præcipue cœnobii ſuſtentationem procul dubio reſervaverat: unde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam tuam ad tam immane ſacrilegii genus dilapſam, & inſtar cujuſdam gentilis regis vaſa domus Dei ad uſus proprios inflexiſſe conatam. Atque ideo dilectionem tuam in Chriſti viſceribus eſſe cupientes, monemus, & ſacris convenimus eloquiis cum pſalmiſta fatentes: *Nolite ſperare in iniquitate, & in rapinis nolite concupiſcere.* Si qua ergo a prædicto pio loco, ſive gloria tua ſciente, ſive neſciente ablata ſunt; induſtria tua diligentiſſime requirantur, & inventa in eo ſine mora ſub omni integritate reſtituantur: ne, quod abſit, ſi aliter egeris, & Deum contra te ad iracundiam provoces, & decus tuæ regiæ nobilitatis offuſces, atque nos ad hæc ſeverius ſecundum miniſterium noſtrum punienda commoveas. Denique niſi poſt lectam hanc noſtri apoſtolatus epiſtolam, intra ſexaginta dierum ſpatium, theſaurum illum ſine aliqua diminutione reddere propoſueris; ita ut miſſus tuus Romam in præſentiam noſtram veniens, ſive reddideris, ſive nec reddideris, quidve hic agendum delegeris, veram & idoneam expoſuerit rationem, eouſque ſis extunc excommunicatus, quouſque ab omni te rapinæ communione reddideris alienum: durioribus deinceps te ſciens verberibus erudiendum, ſi his interim levibus tactus reſipiſcere forte contempſeris. Amamus enim te more paterno, & ab hac ſecunda idolorum ſervitute volumus ſcire liberum & immunem. Etenim *avaritia*, ſecundum apoſtolum, *eſt ſervitus idolorum*. Optamus, *&c.* Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

Dan. 2. Pſalm. 61.

Galat. 5.

XLIII. AD ENGILBERGAM.

Conſolatur eam ob mortem mariti, atque monet ut Carolo imperatori fidem ſervet, ſeque ejus interceſſorem apud eumdem Auguſtum futurum pollicetur.

Joannes epiſcopus dilectæ filiæ Engilbergæ Chriſto dicatæ.

Engilberga uxor fuit Ludovici ſecundi Imperatoris, ad quam aliquot infra ſcribuntur epiſtolæ. Ejuſdem meminit Aimoinus l. 5. c. 28. & Leo Marſicanus lib. 1. cap. 38.

EO nos, filia cariſſima, nec alio circa dilectionem veſtram flagrare affectu noveris, quo fuimus, quo etiam olim perſiſtere propoſuimus: neſcit enim dilectio viciſſitudinum obumbrationem, nec defectum patitur, cum, ſecundum apoſtolum, nunquam excidat. Hujus rei gratia conſolatoriis his, & exhortatoriis prudentiam veſtram literis commonemus, ne deficiatis in tribulationibus, ſcientes, docente apoſtolo, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit: omnia enim quæ videntur, temporalia ſunt; quæ vero non videntur, æterna.* In his ergo configi, in his debes totis radicibus inhærere cariſſima: unde ſapientia veſtra ſanctos, qui patientia in mundo claritate quaſi luminaria refulſerunt, præ oculis habeat, & ita inoffenſis ad palmam ſupernæ vocationis greſſibus tendat, quam videlicet habituri ſunt illi, qui oraculo dominico imbuti, in patientia ſua ponunt animas ſuas. Nihil enim inimica mors, vel manus abſtulit, quod vita, quæ Chriſtus eſt, & ipſius provida dextera in melius non tranſtulit, atque reſtituit. Abſtulit mortalem illa maritum, ſed iſta ſeipſam æternum contulit ſponſum: unde quæ terreni vocabamini uxor, Patris cæleſtis jam regis multo præſtantius dicimini conjux. Ademptum eſt corruptibile diadema, ſed præparatur incorrupta corona. Remota ſunt decoramenta quæ veteraſcunt: ſed repoſita ſunt vobis ornamenta, quæ non marceſcunt: & quid plura? pro ærumnoſo & phantaſtico regno, percipietis felix & verum imperium: & revera hæc eſt immutatio dexteræ Excelſi. Verum cum ſapienti vobis & quæ noſtis de paucis plura penſare pauca ſufficiant; his ita prælibatis, dilectionem veſtram merito commonemus, ut ſpirituali filio noſtro Carolo piiſſimo imperatori, puræ fidei ac ſinceræ devotionis exhibens ſemper integritatem, omnes ad ejus manſuetudinem attrahat, & ſalubribus monitis inviolabilem ei fidem ſervare domonſtret. *Non enim eſt poteſtas*, ut apoſtolus ait, *niſi a Deo*. Et: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*: nos autem, quia illum divinitus, ut credimus, acti ſemel elegimus, perpetuo tamquam filium cariſſimum omni conatu diligimus, ita ut ipſius amicos & inimicos, noſtros amicos & inimicos exiſtere teneamus: ſi qua vero ſunt vobis ab ejus clementia impetranda, per nos credimus, cum vobis libuerit, indifficulter obtinere valebitis. Quod & nos libentiſſime pro memoria priſcæ benignitatis veſtræ geremus, & idem pius Auguſtus pro Dei ſanctorumque apoſtolorum, ſed & noſtri dilectione animo gratanti concedet. Optamus dilectionem veſtram bene in Chriſto valere, dilectiſſima filia. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

Pſal. 76.

Rom. 13.

Luc. 21.

XLIV. AD VVIGBODUM EPISCOPUM PARMENSEM.

Hortatur ut quoſcumque poteſt ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ defenſionem excitet, & ad ſe cum ſuis veniat, ut communi conſilio Saraceni ab Italia expellantur: mittit deſideratas epiſtolas, quas afferendas curet iis, quibus ſcribuntur.

Joannes epiſcopus VVigbodo epiſcopo Parmenſi.

DEvotionis tuæ affectus non inſcii grates condignas referimus: quia vero ſanctitatem dolere tuam cognoſcimus pro eo quod a nobis nihil ſibi laboris injungatur; nil eſſe noveris aliud, niſi quia novimus te multis hujus temporis procellarum fluctibus irretitum. Verum quia nobis multa incumbit neceſſitas, & tua promptiſſima claret alacritas; hortamur, ut quoſcumque potes, & quomodocumque potes, ad defenſionem hujus ſanctæ principalis eccleſiæ filiorum excites, incites, & prout neceſſitas urget, impellas: ſed & ipſe cum his, qui tibi adhærent, ad colloquium noſtrum accelerare ne pigriteris, quatenus communi conſilio, auxiliante Deo, gens impia noſtris eliminetur e finibus: hoc eſt quod exigimus, hoc eſt quod ante ſpeciali voto depoſcimus. Quæ vero de mittendis quibuſque literis noſtris ſuggerere voluiſti, votis tuis (prout temporis qualitas, & cauſarum diſpenſatio conceſſit) gratanter annuimus; & non ſolum hoc, ſed & quæ poſſumus, tanto circa ſanctimoniam tuam exhibere libentius volumus, quanto hanc præteritis illis in partibus conſtitutam alacrius & inſtantius quæ noſtra ſunt exequi contemplamur. Epiſtolæ autem ipſæ quibus miſſæ ſint, ſuperſcriptio earum monſtrabit, quas ipſe procul dubio ad eos, quibus directæ ſunt, facies aſportari. Eſto itaque fiſus in nobis, & viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum, & accinge ſicut vir lumbos tuos, & accelera,

Pſal. 26.

ut

ut dilectionem tuam superius commonuimus. Optamus sanctitatem tuam, &c. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione X.

XLV. AD AJONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Laudat ejus promptum ad ecclesiæ defensionem studium: tum hortatur ut contra Saracenos opem ferat, & fœdus cum illis ictum dissolvendum curet.

Joannes episcopus Ajoni episcopo Beneventano.

PErspectis apicibus sanctitatis tuæ, quantum in te divini amoris ardor efferveat, luce clarius recognovimus; & quantum erga sanctam Romanam ecclesiam devotus existas nihilo minus advertentes, pro tanta tibi benignitate multiplices gratias agimus, & sanctimoniam tuam ad nostri profectum certaminis dignis pollere successibus ab omnipotentis clementia postulamus. Vere etenim frater carissime laudibus es extollendus, qui tribulationes nostras, quas pro populo nobis commisso patimur, quasi præsentes intuens, nobiscum gemens & dolens, ad has auferendas providum commilitonem & cooperatorem nostrum non indebite te velle esse in omnibus asseveras. Nec aliud itaque de tua sanctitate credimus, nec aliud suspicamur, nisi ut quamvis corpore absens sis, spiritu a nostris singultibus nunquam desis; & quam dolendum sit, quod fideles cum infidelibus tam perniciose junguntur, liquidius & ipse perpendas; hujus rei gratia, quia multis studere loquelis, ne magis multiplicare verba, quam gemitus videamur, non expedit; præcipue quia tua fraternitas ipsos invisibiles mœrores nostros, sicut in literis tuis conspicimus, non ignorat per illum, qui te sacerdotem suum constituit, tuam reverentiam adjuramus, suadentesque modis omnibus deprecamur, & auctoritate principum apostolorum, fraterno freti amore præcipimus, ut omnibus viribus tuis, omnique posse tuo labores, tam scilicet cum germano fratre, quam cum aliis Christicolis in hoc opem ferre valentibus, ut impia Agarenorum fœdera, quæ Neapolitani, vel sui consocii cum inimicis Christi nominis inierant, Christo miserante quantocius destruantur; & pax atque concordia fidelium per eumdem Christum Dominum reformetur: quatenus corpus sanctæ Dei ecclesiæ, pro qua sanguis fusus est Christi, in suis membris non laceretur, & quæ sit vera religio, atque perfecta caritas agnoscatur: quia licet vos, vel omnis forte mundus mala quæ imminent lugeat; nos tamen tantum præ omnibus affligimur, ac dolemus, quantum præ omnibus solicitudinem, atque curam regendarum Christi ovium nos suscepisse perpendimus: Ideoque quia plus omnibus laboramus, ut per vos labor noster usque ad effectum proficiat, specialiter deprecamur. Inter hæc autem carissimum fratrem quæsumus exhortare, ut epistolam nostram ad primum Græcorum illuc venientium cito transmittat, & suis eum deprecationibus moneat, ut omni amota occasione, vel decem dromones in adjutorium nostrum statim dirigere nunquam omittat: quia nos, cooperante gratia Christi, tam cum carissimo filio nostro Lamberto glorioso duce, qui nobis in omnibus hæret, quam cum aliis Dominum timentibus desudabimus, ut & impium fœdus cum Agarenis habitum dissolvatur, & libertas, vel aliquanta securitas Christiani populi renascatur. Postremo, quia, sicut diximus, plus omnibus necessario laboramus, nullum laborem, nullamque tolerabilem molestiam corporis recusabimus, quo minus adjuvante Domino pro tantis necessitatibus pro vobis cum præveniente Christo laborem nostrum viriliter insistamus: forsan omnipotens Deus, adhibitis tuis laboribus, tantorum pereuntium miserebitur, & dolores nostros auferens, fœdera cum iniquis Paganis a vestratibus facta dissolvet: ubi rogamus cunctis conatibus sudes, qui tanto de profectu tui certaminis lætari speramus, quanto te in hoc opere cooperatorem nostrum habere confidimus. Interim magnopere postulamus, ut quidquid sive de dromonibus dirigendis, sive de impiis peccatis solvendis per tuam solertiam, vel per fratris tui obedientiam effectui fuerit datum, citissime nobis sancta tua fraternitas scriptis significare procuret. Data XV. Kalendas Maii, indictione decima.

XLVI. AD GREGORIUM IMPERIALEM PÆDAGOGUM.

Gratulatur imperatorem contra Saracenos classem ad ecclesiæ defensionem misisse; eumque ducem constituisse: tum monet, ut decem * achelandia ad litora a piratis Saracenis expurganda mittat.

* *al.* chelandia, *quæ e navium militarium genere sunt.*

Joannes episcopus Gregorio imperiali pædagogo.

GLoriam tuam hac apostolatus nostri epistola missa primitus exhortamur, ut divinitus datas sanitates desiderabilis filii nostri Basilii tranquillissimi imperatoris nobis significes. Cupimus enim valde salutem ejus animæ simul & corporis semper audire, tamquam piissimi propugnatoris orthodoxæ fidei. Gratulati autem sumus audientes gloriam tuam directam cum Deo conservandis exercitibus a prædicto divinitus protegendo imperatore, in partes Beneventanorum venisse, tam quia, gratias Deo, ipsius divinitus provectum imperium in defensionem Christianitatis pio zelo succensum, classes & militarem validam manum contra inimicos crucis Christi mittere procuravit; quam quod te præ ceteris ad tantum opus cum Dei auxilio peragendum elegit, quem audivimus in omnibus strenuum, & Dei cultorem industrium. De cetero credimus scire jam magnificentiam tuam, qualiter quædam latrunculorum Agarenorum sagenæ occultis irruptionibus litora nostra devastent: & quia palam ausum non habent, furtivis deprædationibus plurima huic sanctæ Dei Romanæ ecclesiæ damna multipliciter inferant. Quapropter bene visum est nobis literas nostras tibi transmittere, ut vel decem bona & expedita achelandia ad portum nostrum transmittas, ad litora nostra de illis furibus & piratis Arabibus expurganda: quod citius & sine aliquo impedimento agere poterunt, adjuvante dextera Excelsi, quæ principibus apostolorum intercedentibus concertabit, & auxiliabitur illis: in quo, mihi crede, gratum animum piissimo imperatori facies, si in hoc admonitiones nostras audieris: quia cum sit Christianissimus Dei amator, & ecclesiarum Domini fervidus propugnator; non poteris illum tibi gratiorem reddere, quam si tantum hanc sanctam ecclesiam per te studueris adjuvare, quæ prima ecclesiarum magistra & caput est, maxime cum in hoc facto eidem a Deo protecto semper Augusto, & in hoc sæculo gloriam, & in futuro acqui-

acquiras fine fine coronam. Deus omnipotens te & qui tecum ſunt protegat, & contra inimicos Chriſti potenti dextera tueatur. Data XV. Kalendas Maii, indictione decima.

XLVII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Nunciat ſe Adelardum epiſcopum Veronenſem excommunicaſſe, quod Nonantulanum monaſterium invaſiſſet.

Joannes epiſcopus ad imperatorem.

SAcris veſtræ imperialis clementiæ auribus glorioſiſſime imperator Auguſte Adelardi Veronenſis epiſcopi inobedientiam, & temerariam præſumptionem, quam non ſolum in noſtro contemptu, ſed etiam in veſtræ celſitudinis peregit injuriam, præſentibus referre apicibus jure curavimus & merito: nam ſuperna vos majeſtas ſanctæ ſuæ eccleſiæ nobis commiſſæ patronum invictum, defenſorem potentem, & ſtrenuum adjutorem conceſſit, ut in omnibus eccleſiaſticis utilitatibus, unde perpetuam habere gloriam meteamini, quaſi vindicem Dei habeamus miniſtrum. Igitur cum eumdem Adelardum Epiſcopum venerabile monaſterim Nonantulæ ſitum; quod pro Dei, tantique loci reverentia, nullus unquam epiſcoporum, vel judicum in beneficium quæſivit, timorem divinum parvipendendo, contra ſacras præceſſorum noſtrorum, noſtrique privilegii inſtitutiones, quibus de propria ſemper congregatione abbatem fieri jubetur, callide petiiſſe, ac per hoc illicita præſumpſiſſe, omnimodis reperiſſemus; auctoritate apoſtolica eum excommunicare ſtuduimus; * ut eaque ipſe tenere canonicis eum correptionibus, prout nobis auctoritas apoſtolica ſuffragatur, procul dubio arguemus, ut digno verbere caſtigatus, & canonico nexu ligatus obedientiam diſcat ſervare, qui abſolutus eccleſiaſticis, atque canonicis noluit obedire præceptis. Data ut ſupra.

* Deeſt aliquid.

XLVIII. AD JOANNEM ANSPERTUM ET VVAIPERTUM ARCHIEPISCOPOS.

Ejuſdem argumenti.

*Joannes epiſcopus Joanni Ravennati, Anſperto Mediolanenſi, & * VVaiperto Aquilejenſi archiepiſcopis.*

* f. *Valperto*. Concil. Nicæn. C. 12.

SAncti magnique Nicæni concilii præcepta ſecuti quæ jubent, regularem epiſtolam per unamquamque provinciam obtineri, ne hi qui abjiciuntur ab aliis recipiantur; fraternitati veſtræ notum eſſe volumus Adelardum Veronenſem epiſcopum auctoritate ſedis apoſtolicæ privilegii communione privatum: quoniam cœnobium Nonantulæ, quod ſemper apoſtolicæ ſedis, & noſtræ ipſius auctoritatis privilegio munitum nullius invaſionis uſurpatione detinebatur, ſed ſolius hucuſque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, ſubripuit, ſuiſque uſibus, coarctatis extrema egeſtate monachis, applicavit: & eatenus etiam poſt frequens interdictum noſtrum opprimere, ſæculariumque manibus diſpartitum prodere non formidat, contra ſanctorum patrum regulas, nec non & adverſus apoſtolicæ ſedis & totius ſanctæ ſynodi ſententiam, quam miſſis per ſingulas provincias literis notam vobis omnibus fecimus, in communionem poſt noſtram quoque prohibitionem per miſſos noſtros, & apices ſæpiſſime deſtinatam, paſſim recipit, & in cunctis pravitatibus ejus conſcius, & fautor apparuit. Excommunicavimus igitur prædictum Adelardum Veronenſem epiſcopum, donec in præſentiam ſedis apoſtolicæ veniens, de prædictorum exceſſuum qualitate, idoneam ſatisfactionem coram poſitus exhibuerit, quæ ſi contempſerit exiſtens interim, exiſtet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes qui ſibi communicaverint, vel contra interdictum noſtrum auſu temerario faverint: unde vos cautos reddere volumus, ſi non vultis ipſi eidem ſecundum regulas ſacras ſubjacere judicio. Optamus fraternitatem, *&c.*

XLIX. AD CLERUM VERONENSEM.

Ejuſdem argumenti.

Joannes epiſcopus univerſo clero eccleſiæ Veronenſis.

EXperientiæ veſtræ notum eſſe volumus, Adelardum epiſcopum veſtrum auctoritate ſedis apoſtolicæ communione privatum, quoniam cœnobium Nonantulæ, quod ſemper apoſtolicæ ſedis, & noſtræ ipſius auctoritatis privilegio munitum nullius invaſionis uſurpatione detinebatur; ſed ſolius hucuſque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, ſubripuit, ſuiſque uſibus, coarctatis extrema egeſtate monachis, applicavit, & eatenus etiam poſt frequens interdictum noſtrum opprimere, ſæculariumque manibus diſpertitum prodere non formidat, contra ſanctorum patrum regulas, nec non & adverſus apoſtolicæ ſedis, & totius ſanctæ ſynodi ſententiam, in communionem poſt noſtram quoque prohibitionem per miſſos noſtros & apices ſæpiſſime deſtinatam paſſim recepit, & in cunctis pravitatibus ejus conſcius & fautor apparuit. Excommunicatum igitur eum ſcitote, donec in præſentiam ſedis apoſtolicæ veniens, de prædictorum exceſſuum qualitate idoneam ſatisfactionem coram poſitus exhibuerit. Quæ ſi contempſerit exiſtens interim, exiſtet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes, qui ſibi communicaverint, vel contra interdictum noſtrum auſu temerario faverint: unde vos cautos reddere volumus, ſi non vultis ipſi eidem ſecundum regulas ſubjacere judicio. Optamus vos, *&c.* Data IV. Kalendas Maii, indictione X.

L. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Monet ut ſibi ſignificet, an Neapolitanorum dux fœdus cum Saracenis initum frangere velit, & det operam ut idem dux Gauferius & Pulchar una ſecum Trajectum ſe conferant, quo ipſe eſt iturus; paratum ſe ad ea quæ promiſerat, & majora conceſſurum, ſi ipſe dux in ſententia perſiſtat.

Joannes epiſcopus Landulfo epiſcopo Capuano.

STudeat ſanctitas tua certiſſimo ſcire, ſi Neapolitanorum dux præſentialiter vult pactum Saracenorum irrumpere, & fœdere Chriſti, quod in regenerationis unda pepigit, vel a nunc, ſicut debitum eſt, veraciter inhærere: & ſiquidem talem

talem nunc animum habere cognoveris, hoc nobis præsentialiter indicato. Age ut idem dux Neapolitanus, & Guaiferius glorioſus princeps, ac Pulchar præfecturius ad Trajectum una tecum accelerent; ubi etiam nos accedentes, quæ Deo ſunt placabilia, ſtatuemus. Parati enim ſumus non ſolum quæ dicta ſunt, ſed & majora concedere, tantum ut ejuſdem magiſtri militum ſermo ita ſit fidelis & ſtabilis, & omni certitudine præmunitus, ut ſecuritas ex utraque parte firma maneat, & ſine dubitatione certa perſiſtat: quod ſi quæ repromittunt, aut adimplere nolle aut prolongare velle illos cognoveris: non tibi ſit licentia hoc a noſtra ſcientia occultandi; ſed quidquid veraciter ſine dolo per omnia indicandi. De his ergo ſtude præſentialiter nos pleniter ac citiſſime literis tuis inſtruere; ut quod deinceps Deus dictaverit, cum ipſius auxilio ſine mora incipere & perficere procuremus. De quibus ipſe præ ceteris curam arripe, qui nimirum ſpeciali prærogativa noſtrorum viſcerum præ ceteris foveris in antro. Data IV. Kalendas Maii, indictione X.

LI. AD PULCHARIM PRÆFECTURIUM.

Ejuſdem argumenti.

Joannes epiſcopus Pulchari præfecturio.

SI vere utique magiſter militum pactum Saracenorum propoſuit rumpere, hortamur ut Trajectum cum inclyto ſocero tuo adeas, ubi quoque & noſtra reperta præſentia, quidquid rationabiliter quæritur, quidquid neceſſarium, ſeu poſſibile poſtulatur, gratantiſſime confeſtim admittet: ſed & ampliora facere nullo modo recuſabimus, ut omnes, ſecundum apoſtolum, lucrifacere valeamus. In quo induſtria tua tanto ſolicitius elaboret, quanto liquidius ſibi per hoc cæleſte præmium a Domino Deo tribui non ignorat. Alioquin adverſus eum, quæ digne poſſumus agere, indubitabiliter & indifferenter exercere, Chriſto propitio, nullatenus omittemus. Data IV. Kal. Maii, indictione X.

LII. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Ejuſdem argumenti.

Joannes epiſcopus Guaiferio principi Salernitano.

QUia Neapolitanorum ducis legatos ſecundum ipſius & veſtra ſcripta præſtolati, nec contemplati ſumus, iterato excellentiæ tuæ ſcribere cogimur, ut illum a perfidis ſeparatum, piis ſanctæ matris eccleſiæ gremiis reſtituamus. In quo quia jam plurimum laboraſti, induſtriam tuam item itemque laborare ſine tenus exhortamur. Quod ſi iniquam colligationem ſtatim dirumpere præparatur, cum hoc certiſſime ſcierimus, per noſmetipſos ad Trajectum properabimus, & hoc quod quæritur, & quodve jam promiſſum eſt, etiam amplius libentiſſime largiemur, clariori dumtaxat certitudine, ac fidei veritate inter utramque partem compoſita; ubi quoque tuam ſanctiſſimique Landulfi antiſtitis, & prædicti ducis, nec non & Pulcharis glorioſi præfecturii adeſſe præſentiam cupimus. Et ut agatur ſolertiam tuam ſatagere flagitamus. Quod ſi adeo idem dux ſecundum duritiam ſuam, & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ, ut aut protelare, aut penitus ſuæ ipſius & multorum ſalutis cauſam contemnere velit, & hoc ipſum ſtatim cognoſcere cupimus: quoniam nobis nec humanum, nec divinum deficiet prorſus conſilium & auxilium; quod plane reddere ei ſecundum opus ſuum, & ſecundum fructum adinventionum ſuarum..... toto corde deſiderant, in adventu illius exultent: quia & omnipotens Deus blandus juſtis, & terribilis apparebit injuſtis. Veſtra itaque dilectiſſima caritas devotiſſimam ſe ſuper hoc nobis exhibeat, & quouſque vires ſuppeditant, laborare non ceſſet, ut dum veſtris hortatibus hæc noſtra poſtulatio ad effectum pervenerit, dignas vobis gratias referamus, & apud ſanctos apoſtolos in orationibus noſtris memoriam habeamus. Data III. Kalendas Junii, indictione decima.

LIII. AD ANSPERTUM ET ANTONIUM EPISCOPOS.

Ut Ravennam ad ſynodum accedant; quod niſi paruerint, minatur eos ſe excommunicaturum.

Joannes epiſcopus Anſperto Mediolanenſi archiepiſcopo, & Antonio epiſcopo Brixienſi.

QUia diverſis ac multiplicibus eccleſias Dei nobis commiſſas incommodis perturbatas, rebuſque propriis incunctanter privatas, & earum antiſtitum honorem diminutum fore videmus; ipſarum, ſecundum apoſtolum, ſolicitudine quotidiana compulſi, neceſſario rati ſumus pro illarum ſtatu, ac priſtina redintegratione generalem, Deo favente, ſynodum celebrare: quam ſecundum antiquam conſuetudinem cum Romæ agere debuiſſemus, non recuſantes tanti laborem itineris; pro ſuavitate tamen venerabilium confratrum noſtrorum epiſcoporum, quos in conſortium noſtrum literis miſſis aſcivimus, octavum Kalendarum Juliarum, Ravennæ, auxiliante Domino, erimus procul dubio celebraturi. Ad quam videlicet fraternitatem veſtram omni occaſione poſtpoſita, omnique tarditate prætermiſſa his præſentibus venire jubemus apicibus, quatenus communi multorum fratrum noſtrorum conſenſu atque decreto eccleſia Dei nobis commiſſa propriæ dignitatis jura, quæ a quibuſdam inique agentibus ſunt uſurpata, ſub integritate recipientes, malorum omnium tandem ſecuri effecti, miniſterium pontificale, quod nimirum pro gregis dominici nobis commiſſi ſalute, Deo largiente, ſuſcepimus, ut dignum eſt glorificare poſſimus: quapropter iterato te ſermone ad eamdem, ut dictum eſt, ſynodum venire præcipimus. Nam ſi præfato die ad ipſum venerandum concilium quoquomodo properare forte contempſeritis, & pro eccleſiæ Chriſti Dei noſtri utilitate, quæ inſtanti tempore plurimum eſt neceſſaria, debitum nobiſcum laborem ſumere ſpreveritis, ſciatis pro certo communionis noſtræ futurum nullo modo eſſe conſortes, ſed potius canonicæ auctoritatis cenſura, utpote tranſgreſſores improbos, feriendum atque damnandum. Optamus reverentiam veſtram in Chriſto bene valere. Data VIII. Kal. Junii, indictione decima.

2. Cor. 11.

Antiqua conſuetudo Romæ concilia celebrandi.

LIV. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Auxilium contra Saracenos implorat, qui devastata Campania, omnia Romæ suburbana depopulabantur.

Joannes episcopus ad imperatorem.

DIvina ideo majestas excellentiam vestram præ ceteris elegit Romani imperii altitudine sublimare, Augustalique voluit diademate coronare, ut Deo nostro clementer auxiliante potentiæ vestræ brachio triumphali ecclesiam Christi voce supra petram veræ fidei fundatam tueremini semper, & ab immani crudelique Paganorum infestatione, qui nos jam more latronum undique circumdantes omnia nostra igne gladioque devastant, pio mentis defenderetis intuitu. Sed quia nobis procul existentibus, tot dura & importabilia, pro quibus jam vestram Augustalem imploravimus majestatem, supra modum quotidie patimur, quippe cum tota jam depopulata Campania nil habeamus, nilque nobis, aut venerabilibus monasteriis, ceterisque piis locis, neque senatui Romano, unde corporaliter sustentari possimus, remanserit: omnibus etiam Romæ suburbanis adeo deprædatis, ut nullus in ipsis jam habitator, vel cujuslibet ætatis incola videatur consistere. Pro quibus sane malis innumeris ingenti mœrore afflicti, doloreque turbati, nec somnum oculis, nec cibum ore capere possumus: sed pro requie laborem assiduum, & pro corporali dapium dulcedine, mentis amaritudinem patimur. Idcirco vestram imperialem majestatem, totius sapientiæ luce splendide irradiatam, sancta Romana ecclesia, quæ religioso vos utero genuit, meo quidem sermone, sed suo venerabili suppliciter nimis precatur affectu, ut omni dilatione remota, omnique ejus cura assumpta, nunc ad suam defensionem & totius patriæ liberationem adjutor clemens, defensor potens, & salvator invictus venire dignemini, quia nisi vestra desideratissima nobis affuerit præsentia, nullum defensionis auxilium, nullumque necessariæ salutis remedium poterimus habere. Nos enim, cum omnis sedis apostolicæ ordine sacro; cum religiosis & Deum timentibus viris, pro vestræ gloriæ prosperitate, continuaque mentis & corporis salute, omnipotentem Dominum, cujus est salus omnis & vita, totis deprecabimur nisibus, ut nec temporis fervor, nec loci natura insolita, nec molestia quælibet vestro insigni corpori noxitura contingat. Quamobrem nihil horum quæ sine Dei procul dubio non evenient nutu dubitantes, quin potius in Domini miseratione totis viribus confidentes, non solum corpoream incolumitatem, verum etiam & perpetuam animæ vestræ merebimini adipisci salutem & gloriam. Dignetur igitur piissima serenitas vestra, clementissime imperator Auguste, pro tantæ sedis liberatione, tantorumque hominum Christi cruore redemptorum salvatione, nostras & ecclesiæ nostræ preces audire, singultus prospicere, & tanti gemitus lacrymas incessanter effusas attendere: quatenus more solito, & solitæ pietatis viscere nobis compatientes, opem consolationis citissime petentibus tribuentes, prout opportunum est, nos adjuvare satagatis, quia post Deum unica spes salutis & liberationis nostræ fiducia vos procul dubio estis. Ideo per vosmetipsos properantes, congruum & opportunum nobis præbere auxilium non differatis: ut & Dominus, qui elegit vos caput orbis, & dominum fecit, auxilium suum vobis de sancto mittere semper dignetur, amantissime fili. Data VIII. Kalendas Junii, indictione decima.

LV. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Inobedientiam accusat, & monetur episcopos Venetiæ ad synodum Ravennæ celebrandam accedere curet, & ipse quoque vel veniat, vel legatos mittat.

Joannes episcopus Urso duci Venetiæ.

MUltis esses nimirum justæ correptionis a nobis increpationibus submittendus, nisi apostolica moderatio circa te minus severitate quam patientia uteretur. Exceptis enim excessibus illis, quos per inobedientiam prius contraxeras, ad extremum etiam legationem B. Petri indignam tuis oculis judicasti, cum hoc nec gentilis quisquam facile fecisse claresçat: maxime cum ea, quæ dilectioni tuæ mittebamus, paterna essent monita, non inimici odientis verbera. Sed ista dissimulantes, innotescimus dilectioni tuæ, nos octavo Kalendas Julias Ravennæ synodum totius Italiæ sacerdotum celebraturos: cui interesse volumus & marinæ Venetiæ antistites, qui adhuc superesse noscuntur, una cum personis ad episcopatum electis; & illis, quas tibi jam per diversas epistolas significavimus. Quapropter bene profecto facies, si eos ad prædictam venire synodum non impedieris, sed modis omnibus incitaveris. Non enim ruinam eorum cupimus, absit, sed illius statum reformare provinciæ, & quidquid inter eos & metropolitanum quæstionis & controversiæ vertitur, canonice diffinire. Itaque indubitanter veniant: & tam sancto numerosoque fratrum deesse nullo modo patiantur collegio. Non enim, mihi crede, in aliquo minorati, quod avertat Dominus, sed potius augmentati, Christo propitio, ad propria revertentur. Sin autem communi omnium decreto, cum ecclesiam non audisse claruerint, derunt procul dubio, quemadmodum sacrosanctum de hujuscemodi præcipit evangelium. Illud autem ipse pro certo scito, quia nihil pro ullo mortalium imminui ecclesiæ tuæ cupimus; sed decus & genium tuum veluti spectabilis, & Deum timentis viri, conservari volumus & optamus. Unde monemus, ut & ipse ad nos Ravennam proficisci ne pigriteris: sin autem, saltem virum quemquam industrium nobis gloriæ tuæ injuncta legatione fungentem dirigere non detrectes. Data VI. Kalendas Junii, indictione X. *Matth*

LVI. AD PETRUM ET LEONEM EPISCOPOS VENETIÆ.

Ut Ravennam ad concilium proficiscantur, in quo componendæ sunt controversiæ, quæ cum metropolitano nonnullis intercedunt.

Joannes episcopus Petro & Leoni episcopis Venetiæ.

UNiversale tandem aliquando nos celebrare concilium, multiplex & multifaria nos ecclesiarum necessitas cogit; & ideo pro hac moderanda vel dispensanda, octavo Kalendas Julias hujus indictionis, totius Italiæ apud urbem Ravennam convenire jussimus sacerdotes, ad quorum

rum videlicet ſacratum collegium, pontificio noſtro mediante, veſtram quoque ſanctitatem occurrere commonemus, una cum his, qui loco ſunt epiſcoporum decedentium ſubrogati. Et illis nihilo minus, quos Urſo glorioſo duci, & vobis ſcribentes, noſtris ſæpius & expreſſius ſignificavimus ſyllabis, atque, ut abſolute regulariterque fateamur, omnibus qui ſe læſos exiſtimant: quos generaliter auctoritate apoſtolica ſanctitas veſtra ſecum properaturos advocare profecto debebit. Itaque fratres indubitanter accedite, ut præter communem utilitatem, quæ in ſynodo eſt procul dubio componenda, quidquid inter fratrem & coepiſcopum noſtrum, Petrum videlicet metropolitanum veſtrum, & prædictos controverſiæ vertitur, canonicum finem accipiat, & pax & tranquillitas eccleſiis veſtris, ſicut condecet, reformetur. Non ergo cariſſimi tam ſancto numeroſoque fratrum deeſſe collegio patimini: quia nos, mihi credite, nullius veſtrum caſum exquirimus; abſit. Verumtamen niſi ad hanc ſaltem præſignatam univerſalem ſynodum acceſſeritis, communi cunctorum ſententia canonicis legibus ſubdemini, & pro tanta inobedientia merito puniemini. *Eſt enim*, Samuele ſancto docente, *quaſi peccatum ariolandi, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Data VI. Kal. Junii, indict. X.

LVII. AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut cum ſuis ſuffraganeis ad concilium accedat.

Joannes archiepiſcopo Ravennati.

QUia jam ad periculoſa pervenimus ab Apoſtolo quin potius a Domino prædicta, proh dolor! tempora: *Surgit enim gens contra gentem, & ſunt inter alia inimici hominis domeſtici ejus*: creverunt inopinabiliter mala, & non ſolum extrinſecus rabie infidelium barbarorum atterimur: ſed & intrinſecus perverſitate nequam Chriſtianorum afficimur. Verum quanto crebreſcunt mala pravorum, tanto creſcere debent bona rectorum. Quæ profecto fieri nequeunt, niſi per commune fratrum collegium in idipſum corpore ſimul & mente convenientium. Eſt enim eccleſia Dei propter concordiam tam viſibilibus, quam inviſibilibus hoſtibus omnino terribilis, & velut caſtrorum acies ordinata. Quapropter tam pro eccleſiaſticis quibuſdam neceſſitatibus, quam pro ſtatu & pro correctione reipublicæ, auctoritate apoſtolica decrevimus reverendorum fratrum & coepiſcoporum noſtrorum Italici regni univerſale, id eſt, totius provinciæ, advocare concilium; locum autem nuſquam ad hoc gerendum aptiorem & faciliorem, quam apud Ravennam undique confluentibus inveniri poſſe perſpeximus. Occurrat igitur alacriter cum ſuffraganeis ſuis, quos ipſa convenire commoneat ad deſignatam urbem ſanctitatis fraternitas, & tanto deeſſe conventui, quem ſcilicet ibidem 8. Kalendas Julias, celebraturi ſumus, nullo modo perferat, quo pullulantia in agro dominico zizania communi ſtudio radicitus amputentur; & ſalubrium virtutum germina ſocio pro his certamine penitus inſerantur. Fratres præterea & coepiſcopos noſtros, qui ſub beatitudine veſtra degunt, ad eamdem univerſalem ſynodum hortatu ſanctitatis veſtræ venire præcipimus. Quiſquis autem occurrere ſanctitati tuæ forte contempſerit, canonicis ſe noverit increpationibus procul dubio ſubmittendum, in promptu, ſecundum apoſtolum, nobis habentibus omnem ulciſci prorſus inobedientiam. Hanc vero apoſtolatus noſtri epiſtolam vel exemplaria illius, beatitudo veſtra in diœceſi ſua omnibus indifferenter epiſcopis parare faciat; ne aliquod poſſit ab inobedientia excuſationis, quod non expedit, velamen obtendi.

2. Cor. 10.

LVIII. AD AQUILEJEUS.

Quæ de eo ſiniſtre ferebantur, in generali concilio canonice terminanda ſignificat.

*Ad * Aquilejeus.*

* f. Aquilejenſem.

NOvimus veſtram beatitudinem a nonnullis de quibuſdam ſiniſterius diffamari, quod profecto in ſynodali eſt conventu * interius & perſpicacius ventilandum, & ſecundum ſui qualitatem, regulari cenſura modis omnibus finiendum. Sed credimus, divina favente gratia, vos coram poſitos, ita inſontes inveniendos, ut veritas exagitata non de vobis cœni, quod adſit, ſed unguenti commoti jucundum reddat odorem; niſi forte abſentia procurata, vera quæ dicuntur de vobis comprobet, & pœnam merito irroget: quæ ſi adeſſet, magiſtra juſtitia forſitan retuliſſet. Data VI. Kalendas Junii, indictione decima.

* for. integrius.

LIX. AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Certum præſcribit diem, quo Ravennæ cum omnibus ſuis ſuffraganeis affuturus ſit: quod ſi quis parere contempſerit, excommunicationem illi minatur.

** Joannis archiepiſcopo Ravennati.*

* Forte, Joannes ut in ep. 57. H.

ITer quod pro diſſolvendo fœdere olim a Neapolitanis cum Saracenis inito Trajectum fecimus, nos a præfinito die ſynodi retardavit, ſed quia auctore Deo, ipſo diſciſſo quies aliqua reddita comprobatur, ecce de itinere ſcribimus nos certiſſime ſextodecimo Kalendas Auguſtas Ravennæ futuros, ubi ſanctitas tua per ſe cum omnibus ſuffraganeis ſuis epiſcopis, quos ipſa convocare debet, adeſſe duodecimo Kalendarum Auguſtarum omni remota excuſatione procuret; ut communi tractatu communia eccleſiarum exorta zizania generaliter evellantur. Si quis autem in hac parte collegium veſtrum putaverit declinandum, communionis noſtræ a ſe noverit conſortium modis omnibus adimendum: nobis procul dubio, ſecundum apoſtolum, in promptu habentibus ulciſci omnem inobedientiam. Data *ut ſupra*, indictione X.

2. Cor. 10.

LX. AD EUMDEM.

Scribit se jussisse, ut omnes Italiæ episcopi, & præcipue Venetiarum, ad synodum Ravennæ celebrandam accedant.

*[1] Joanni * archiepiscopo Ravennati.*

* forte *Urso Venetorum duci*, ut ex epistola 55. apparet.

SCire volumus gloriam tuam pro multis necessitatibus sanctæ Dei ecclesiæ, sicut jam te non latere credendum est, undecimo Kalendas Augustas istius decimæ indictionis, Ravennæ, gratia sancti Spiritus suffragante, synodum nos cum confratribus & coepiscopis nostris instituisse fore modis omnibus celebrandam; Ad quam, sicut nos multis utilitatibus omissis, nec laborem quidem itineris, nec intemperantiam aeris recusantes, * occurremus; ita omnes hinc & inde vosumus antistites advenire, ut quidquid in sancta Dei ecclesia perperam per zizaniorum satores creviſse dignoscetur, hoc communi tractatu per nostrum commune studium radicitus extirpetur. Idcirco tuam nobilitatem ignorare non patimur, quod episcopos Venetiarum, & electos vocatosque episcopos vacantium sedium ad eamdem synodum, sicut jam eos vocavimus, occurri & iterato decreverimus: ut inter reverendum quoque metropolitanum vestrum & vos omnis altercatio discutiatur, examinetur, & coram sancta synodo canonice terminetur. Alioquin tam a nobis quam a sancta synodo, si inobedientes jam toties per epistolam vocati extiterint, tamquam contemptores, synodicam sententiam incurrere merebuntur: quia cum sit illinc Ravennam brevior via, de labore itineris excusationem habere non poterunt. Data XIV. Kalendas Augusti, indictione decima.

* edit. Rom. *occurrimus*,

LXI. AD LAMBERTUM GLORIOSUM COMITEM.

Significat Romanorum procerum obsides dari non posse: monet ne ad urbem veniat, quia ipse eum excipere non potest.

Joannes episcopus Lamberto glorioso comiti.

REmeantibus nobis, Deo præduce, Romam; convocavimus totam ecclesiam, & illud quod nobis de obsidibus Romanorum procerum dandis edixeras, in conventu fidelium sanctæ Dei ecclesiæ necessario contulimus: sed heu quid dicam? cum tantum totam eamdem ecclesiam contra nos incitaverimus, ac si pro melle, eam felle potasse videremur. Romanorum filios sub isto cælo non legitur fuisse obsides datos, quanto minus istorum, qui fidelitatem Augustalem & mente custodiunt, & opere Deo juvante perficiunt? Præcipue cum nos * miseremur, si hoc ex Augustali jussu processerit, & ipsum imperatorem non credamus suum nos velle secretum latuisse. Tale quippe consilium non alius adinvenit, nisi ille qui hanc terram conturbare molitur, & ineffabile damnum populo Dei generare versutis fraudibus machinatur: qui pacem & quietem odio habet, & dissensionibus utique gaudet. Quamvis antea Romani ovilis senatus mortem eligant, quam hanc inauditam & pessimam rem fieri quocumque modo consentiant. Quapropter, quia omnino est impossibile, & tale quid omnis inclytus audiens in maximam suspicionem prorupit, atque simpliciter non fuisse dictum modis omnibus æstimavit: mandamus dilectioni tuæ, quam absentem sicut præsentem amplectimur, ut huc nullo modo fatigeris, quia modo te nullatenus recipere possumus, nec tectum aliquid nunc agendum fore necesse putamus. Cum autem, Deo juvante, ad unam concordiam & unam quietem reipublicæ causa redierit, & litis figmenta, quæ tamquam telas aranearum putamus contra Augustalem majestatem oborta, sopita extiterint: nos & nobilitatem tuam recipiemus, & ea quæ ad communem utilitatem pertinere cognoverimus, tecum & tractare, & utpote cum tantæ prudentiæ viro peragere summa dilectione curabimus. Antea autem nullo modo te venire oportet; quia nullo modo te, sicut diximus, recipere fili carissime possumus. Data XII. Kalendas Novembris, indictione XI.

* forte dubitemus,

LXII. AD VVIDONEM EPISCOPUM INIVENSEM.

Causam Leontardi cujusdam, qui homicidium cum aliis commiserat, ei delegat: hortatur, ut quoniam gravissimam illi antea pœnitentiam constituerat, modo leviorem constituat.

VVidoni episcopo Inivensi.

LEontardus quidam tuæ diœceseos homo, singultibus & gemitu tritus sanctam sedem apostolicam, & nostram humilitatem adiit, referens se primo quidem homicidii incidisse reatum; & a sanctitate tua pœnitentiam accepisse, quam & peregerit; & ea peracta, miserationem & reconciliationem ecclesiasticam tuo judicio promeruerit. Post vero cum aliis suis concivibus quosdam prædones publica sanctione jussus sit insequi, ut si eos capere potuissent, modis omnibus interimere non admitterent. Contra quos iste cum aliis proficiscens, asserit quod uno ex illis capto, oculos comprehensores ejus eruerint, ac per hoc ipse prædo nefandus vitam finierit. Hoc itaque facto præfatus Leontardus pœnitentiam susceperus, ad tuam præsentiam veniens, hujuscemodi dixit se fuisse tuo judicio judicatum: Sanctam videlicet communionem nisi ad exitum vitæ non percepturum: carnes & vinum, exceptis diebus dominicis, & sanctorum festivitatibus, non sumpturum: comam non rasurum: uxorem non accepturum: cum hominibus non conversaturum: in cinere & cilicio gemiturum: servis, rebusque suis non dominaturum: seniorem beneficium non habiturum, & aliis his similibus forte fruendis non fruiturum. Quæ omnia audientes, & intimo corde pensantes, invenimus aliquid gravius te, quam expediit, si ita est, judicasse. Hujus rei gratia omne hujus judicium tibi dimittimus, & ut nostra super hoc vice ad mitiorem in eo proferendam sententiam perfruaris, modis omnibus exhortamur: quatenus pro amore apostolorum & nostro, & laborem itineris, & lacrymabilem prædicti latoris intentionem, vel pœnitentiæ amaritudinem omnino considerans, mitius cum eo agere non detrectes, & eo quod ad sanctos apostolos fecit confugium in his, quæ oportuerit, ne forte in desperationem laba-

---

1 *Forte*, Joannes Urso Venetiarum duci, *ut significat vox illa* gloriam tuam, *quam & in Epistola*. Hard.

labatur, misereri illius nunquam omittas; quia Dominus, sicut per prophetam loquitur, misericordiam vult, & non sacrificium. Ideoque monemus, rogamus, ut misericordiam ei impendas: quatenus de impensione misericordiæ audientes, sanctitati tuæ multimodas gratias referamus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data III. Kal. Novembres, indictione XI.

ea 6.

LXIII. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Dolet de Caroli imperatoris obitu: hortatur ut promissa pro Romanæ ecclesiæ dignitate impleat: legatos se missurum pollicetur: ejus precibus Theotmaro archiepiscopo pallium mittit: quem apostolicæ sedis reditus, quos apud Bajoariam habet, Romam annuatim transmittere jubet.

Carolomanno.

rolomau- s fuit Lu- vici Ger- aniæ regis ius, ac Lu- vici Pii peratoris pos, ad em aliquot ra scribun- r epistolæ, de quo do in fine ronicorum, moinus 5. C. 28. gino lib. chron. m. II.

APicibus igitur, glorioſe fili, vestræ dilectionis susceptis cum parte gratulationis, vestra incolumitate prosperitatisque successu. Caroli imperatoris morte audita, nimio tristitiæ fateor mœrore, ex latere sumus attriti, sed subito undam mentis nostræ cogitatione ad divinum judicium aliquatenus sustollentes, in illud apostoli obstupefacti cogimur voce erumpere, dicentes: *O profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* quod idcirco dicimus, quatenus sedula cordis meditatio humanæ fragilitatis in hoc mari magno cursum vitæ instabilis intueri non desinat, atque ad ea gaudia quæ sunt fixa & immobilia, nostra actio, gratia Christi duce, anhelare contenta bonis operibus nunquam desistat. De causa sane vestri ad nos adventus, vestraque sublimissima promissione, Romanæ ecclesiæ supra omnes qui fuerunt ante vos, ejusdem exaltatione, cum hoc opere compleveritis, aderit ille vestri retributor, qui per controversiam juramenti confirmans modulos humanæ locutionis, ait: *Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me, glorificabo.* Dum a colloquio, ut dicitis, fratrum vestrorum fueritis reversi, legatos ex latere nostro ad vos solemniter dirigemus, cumque pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri vestræ Romanæ ecclesiæ, vestroque protectori beato Petro apostolo perpetualiter debetis concedere. Quibus peractis demum rursus ordinabiliter & honorifice mittemus, qui vos cum tota decentia, utpote tantum regem ad limina apostolorum ductare studeant, unaque convenientes de statu reipublicæ, totiusque Christiani populi salvatione salubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus. Inter quæ quæso fili carissime, * quoque insidiantes nostros, nostræque vitæ insidiantes, quoquomodo, vel significatione poteritis cognoscere, nullum apud vos, vestrosque fideles valeant aliquatenus locum, vel aditum invenire, ne immunda eorum præsentia aliqua consortii macula regium culmen contagiet. Pallium vero, vestra petitione inclinati, Theotmaro archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes, optamus ut hoc decore interius fulgeat in oculis interni judicis, quo nitet exterius humanis obtutibus, cuique quæso committite ea, quæ apud Bagoariam beatus Petrus apostolus habet, uti nobis annualiter reditus ejus Romam transmittat. Data mense Novembri, indictione XI.

Reg. 2.

dit. Rom. rquot.

LXIV. AD THEOTMARUM ARCHIEPISCOPUM JUVANNENSEM.

Pallium ei concedit: mandat ut reditus, quos Romana ecclesia apud Bagoariam habet, Romam mittat.

Theotmaro archiepiscopo Juvanensi.

IDcirco tuam fraternitatem tanto pallii decore studuimus decorare, ut Christo opitulante, & ante Dei oculos bonis & sanctis actibus polleas, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, a qua potus præclari poculi sumis, devotus semper fidelis existas, ejus in futurum effectus parriceps, cujus locata perpetualiter fundamentis consistit, & apud Carolomannum regem dilectum filium nostrum quotidianus interventor pro Romana ecclesia hortamur existas. Inter hæc ea, quæ beatus Petrus apostolus apud Bajoariorum terram jure proprietatis possidet, tuæ industriæ sagacitatique committimus: quatenus amodo & deinceps annuos eorum reditus Romam sine mora transmittas. Data mense Novembri, indictione XI.

LXV. AD EDEREDUM ARCHIEPISCOPUM ANGLORUM.

Laudat ejus pium erga sedem apostolicam animum, dolet de adversis: monet ut pro ecclesia fortiter se gerat: ostendit uxores non esse dimittendas: nunciat se ad regem scripsisse, ut debito eum honore prosequatur; demum ejus ecclesiæ privilegia confirmat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Ederedo archiepiscopo gentis Anglorum.

VEstris relectis apicibus, quanta veræ dilectionis & sinceritatis fides, qua Christum Deum vestrum proximumque diligitis, in vobis constat; & pia devotione circa sedem apostolicam ferveat, evidenti dumtaxat intellectu perspicimus; cum more antecessorum vestrorum, & causas vestræ ecclesiæ necessarias nostro præsulatui, quasi suo doctori referre, & a sede apostolica super quibusdam suis quas patitur adversitatibus consultum, & auctoritatis munimen accipere quæsistis; in qua Deus omnipotens totius ecclesiæ posuit fundamentum. Et quia dura quædam in præsentis sæculi vita, quæ vere tentatio est super terram, positi quotidie sustinetis, non solum flemus nostra, quæ similiter patimur, sed condolemus & vobis, talia proh dolor! patientibus, quoniam omni jam mundo in maligno posito, multis, ubique adversariis adversus Christi famulos existentibus, quanto majores & supra modum crebriores tentationes quotidie imminuerint circa nos, tanto Christi freti solatio valentiores esse debemus: nostra sacra narrante serie: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se; ipseque Deus benedictus in sæcula, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus*, dicente apostolo, *sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* Nos tamen pro instantis temporis necessitate hortamur, & monemus fraternitatem vestram, ut omni sæculi timore postposito, sicut idoneus

Jacob. 1.

1. Cor. 10.

Dei miniſter opponas te murum pro domo Domini & zelo illius accenſus, non ſolum regi, ſed omnibus in ea perverſe aliquid agere volentibus, ſtrenue reſiſtere non prætermittas, honorificans miniſterium tuum, quamdiu divina ſineris voluntate ſummo ſacerdotio fungi, populumque Domini tibi commiſſum ſanctæ doctrinæ pabulo paſcere, ſacerdotes ſcilicet, & eccleſiaſticos viros, ac fœminas, nec non viduas, & ſanctimoniales juxta ordinem ſuum pro viribus regere, tuerique, ut paſtor idoneus coram Domino appareas prompta mente procures: quoniam nos apoſtolicæ ſedis apicibus admonere exhortarique curavimus regem veſtrum, ut tibi pro Jeſu Chriſti Domini noſtri amore in omnibus, quæ ſanctæ eccleſiæ tibi commiſſæ utilia ſunt, obediens & adjutor devotus, ſicut anteceſſores ſuos piiſſimos reges Anglorum, narrante hiſtoria, fuiſſe recolimus, exiſtere non prætermittat: ſi & regnum ſibi temporaliter conceſſum voluerit retinere ſecurum, & vitam poſtmodum regni percipere ſempiterni. His autem, quos aſſeris uxores proprias contra præceptum Domini relinquere, præcipimus, neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, niſi cauſa fornicationis diſcedere: quod ſi ob hoc diſceſſerit, manere innuptum, vel innuptam, aut ſibi mutuo reconciliari: quoniam dicente Domino, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; & ideo cum priorem legitimo ſibi matrimonio junctam quiſquam deſerere nequeat, nulla ratione illi prorſus conceditur aliam vivente priore conducere: quod ſi fecerit, & non emendare ſub ſatisfactione ſtuduerit, ab eccleſiæ conſortio maneat ſeparatus. Sed neque de propria cognatione ſecundum ſancti præceſſoris noſtri Gregorii doctoris gentis veſtræ decretale ſtatutum, cuiquam ducere permittas. Nos namque ſedis tuæ privilegium, quam vice beati Auguſtini a ſancto Gregorio pro multorum ſalute, & converſione illuc directi regis, illibatum tibi volumus procul dubio conſervare, & ut ab omnibus ordinibus, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus cuſtodiatur in perpetuum, ſecundum ipſius ſancti præceſſoris noſtri Gregorii cujus ſapientiæ radius eccleſiam Chriſti per orbem diffuſam irradiat, ſancimus, atque præcipimus. Et quidquid adverſi a quocumque homine de parte tua nobis fuerit relatum, ante veram cognitionem nullatenus credimus: quin potius etiam regem veſtrum admonuimus, ut dignum honorem tibi pro amore Jeſu Chriſti Domini noſtri impendat, & omnia privilegii tui jura perpetua ſtabilitate & conſervare ac indiminuta cuſtodire procuret, ſi gratiam & benedictionem ſedis apoſtolicæ, ſicut anteceſſores ejus bene faciendo habere meruerunt, pari modo voluerit iſte habere. Data *ut ſupra*.

Matth. 19.

S. Greg. lib. 11. epiſt. 31.

* *Forte deeſt, ſtatutum, aut quid ſimile.*

LXVI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat zelum fidei, quem oſtenderat adverſus Sergium eccleſiæ Dei hoſtem: hortatur ut in dies magis pro eccleſiæ ſibi commiſſæ defenſione laboret; Petrum diaconum ei commendat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Neapolitanæ dilecto confratri noſtro.

INnumeras gratiarum actiones veſtræ Deo dilectæ agimus almitati, digniſque apoſtolico vos ore laudibus præ ceteris merito collaudamus; quoniam ſecundum Domini vocem dicentis; *Si oculus tuus, vel manus tua ſcandalizat te, erue eam, & projice a te*, fratrem tuum erga eccleſiam Dei impie agentem, & circa Dominum non recto itinere gradientem, velut ſecundum Holofernem, ſancta Chriſti Dei noſtri auſu temerario impugnantem; & hæreditatem patriam more ſacrilego perſequentem, tanti honoris regimine indignum judicans, ultionis divinæ percutere jaculo ſtuduiſti: nec pepercisti carni tuæ propter Dominum dicentem: *Qui diliget patrem, aut matrem, aut fratrem pluſquam me, non eſt me dignus*: in quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognoſcimus, quia membrum corporis tui multo contagio fœtens libenter abſcidere, proculque abjicere ſanctitas tua fideli devotione curavit: & quia nuncuſque viris ſæcularibus ſecundum ſe, & non ſecundum Deum in urbe Neapolitana principantibus, multa ſcandala & perturbationes multas, homicidia & oculorum erutiones intra eam, vel foris peragentibus, dignum Deo de his juſte judicante peractum eſt, ut iniqua jam ceſſaret dominatio, finem haberet peccatum, & conſurgeret vir de domo Domini, qui timorem Dei præ oculis habens regat populum Chriſti in omni juſtitia & ſanctitate, in omni veritate & manſuetudine, ut paſtor idoneus, & non velut mercenarius deſerat & diſperdat: & ideo ea quæ veſtræ dignitati, vel honori congrua ac neceſſaria ſunt, perpetua nihilo minus ſtabilitate confirmamus; tantum ampliori nunc ſtudio, curaque multiplici pro defenſione ſanctæ Dei eccleſiæ tibi commiſſæ ſtare ac deſudare, quatenus ſalva ſecuraque conſiſtat, ut procures, his noſtris apoſtolicis prudentiam veſtram exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omnibus mancoſis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos veſtræ dilectioni, aut initio quadrageſimæ aut in die ſanctæ reſurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc Petrum venerabilem diaconum veſtrum, quia eum veſtræ eccleſiæ, & civitati Neapolitanæ in omnibus fidelem eſſe cognoſcimus, vobis in omnibus commendamus, & pro noſtro eum amore benigne ſemper retinere dignemini. Data *ut ſupra*.

Matt.

Matt.

Matt.

LXVII. AD NEAPOLITANOS.

Laudat eos, quod zelo divino accenſi Sergium a ſe abjecerint, & Athanaſium epiſcopum ſuæ reipublicæ rectorem elegerint: præcipit ut ei pareant, offerens ſe una cum ipſo eorum commodis conſulturum.

Omnibus eximiis judicibus, & univerſo populo Neapolitanæ civitatis.

QUanta veræ fidei devotione circa Deum creatorem & ſalvatorem mundi atque erga eccleſiam Chriſti ferveatis, luce clarius ecce cognoſcimus, cum tantæ impietatis virum, perditionis ſcilicet filium, & totius iniquitatis vas vobis inique dominantem, Sergium nempe magiſtrum militum, ſecundum videlicet Holofernem, zelo repleti divino, abjicere, ac velut membrum fœtidum a corpore Chriſti abſcidere, proculque abjicere ſtuduiſtis ſecundum Domini præceptum dicentis: *Si oculus tuus, vel manus tua ſcandalizat te, erue eum, & projice a te*: & quia illo abjecto paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum, Athanaſium videlicet, dilectum con-

Matt.

confratrem, & unanimem filium nostrum habere judicem elegistis, innumeras vestræ dilectæ prudentiæ, & unanimitati gratias agimus, quoniam, sicut Dei ministri, iram Domini exercituum, quæ jam meritis imminebat illius, in eo ulcisci procurastis, qui nimirum multa & inaudita mala plusquam omnes patres suos in civitate Neopolitana, & in finibus nostris nequiter facere non dubitavit, cum innumeram hominum multitudinem, infantum & mulierum catervam gladio, fame, atque captivitate crudeliter peremisset. His igitur nostris apostolicis literis nobilitatem vestram filioli mei monemus atque hortamur, ut præfatum Athanasium confratrem nostrum venerabilem episcopum vestrum, sicut divina inspiratione docti loco rectoris habere elegistis, fideli mente ac devotione cum omni honore habere studeatis: quoniam nos cum illo in omni vestro adjutorio, in omni vestra utilitate prompti existimus, parique voto vos adjuvare desideramus: tantum state viriliter obedientes illi in omnibus, velut filii carissimi. Porro quia jam, aliis omnibus datis mancosis, mille quadringentos vobis dare debemus, ne turbemini: quia eos vel in initio quadragesimæ, vel in die sanctæ resurrectionis, vobis procul dubio dirigemus. Vos tantum ut filii carissimi adversus infideles & communes inimicos totis viribus pro defensione ecclesiæ Dei desudare satagite: quatenus, & Dei gratiam, & nostram semper benedictionem habeatis. Bene vos optamus in Domino. Data *ut supra*.

LXVIII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Scribit se in Galliam velle proficisci, ideo sub excommunicationis pœna præcipit, ne se absente Romanæ ecclesiæ territorio, vel Romæ aliquod dampum inferat.

Nobili viro Lamberto glorioso comiti.

SAgacitati ar prudentiæ vestræ notum esse volumus, quia non solum pro assiduis Paganorum infestationbus, quas ecce jam biennium nemine defensionis nobis præbente solatium patimur: sed etiam pro innumeris, & supra modum gravibus oppressionibus quæ nobis una cum dominico grege divinitus commisso in pace, quam Christus Deus noster se diligentes habere jubet, consistentibus, ab adversariis illata sunt, & quotidie inferuntur, in gremio sedis apostolicæ quæ caput est orbis & omnium mater fidelium, quiete ac securiter manere nobis minime licet. Ideo Franciam per iter marinum proficisci, gloriosumque Carolomannum regem adire, atque optatam illius contemplari præsentiam cupimus, pro salute scilicet ac defensione terræ sancti Petri, & totius Christianitatis suppliciter deprecantes: quatenus Dei omnipotentis solatio, & regia virtute nobis, prout opportunum est, solati ante possimus salubri prosperoque successu regere atque tueri territorium, & populum Domini pretioso cruore redemptum: ne pro aliquo eorum per nostram desidiam vel incuriam pereunte, districtam Domino cogamur reddere rationem. Ideo monemus & his nostri apostolatus literis dilectionem vestram pio intuitu exhortamur, ut nobis abeuntibus Franciam pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ, & reipublicæ stabilitate, nullam contrarietatem, vel inimicitiam exerceatis in toto territorio principis apostolorum, neque urbis Romæ, quæ est civitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri sedem, aliquas adversitates, vel insidias præparetis, neque faciatis, facereque volentibus ullo modo consentiatis. Quia si per vos, aut per vobis subjectos homines eadem urbs Roma perturbationem aliquam, vel dehonestationem habuerit, vel adversa quælibet sustinuerit, pro certo scitote, quia canonicis vos correptionibus cum victrici sancti Spiritus auctoritate omnimodis redarguemus, & ab apostolicæ sedis communione merito separabimus. Data *ut supra*.

LXIX. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Monet ut consentiat cum Athanasio episcopo Neapolitano ad ecclesiæ Romanæ defensionem: & curet pactum cum Amalfitanis factum, ab ipsis observari.

Reverendissimo & sanctissimo Landulfo episcopo Capuano.

QUanto studio tua dilectio, tuaque benigna fraternitas erga defensionem, ac liberationem obsequiumque sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui, Deo auctore, culmine præsidemus, laboraverit, totisque nisibus cordis in parte nostri operis desudaverit; sedula reminiscimur procul dubio recordatione: tuaque ob hoc retributio, tam apud Deum, quam apud nos erit in promptu indubitanter parata. Quapropter, quia te valde idoneum in tantis habemus expertum, monemus, atque hortamur esse unanimem cum Athanasio Neapolitano episcopo in causa præsenti Romanæ ecclesiæ, quoniam * liquidum in Salomone didicimus: *Funiculus triplex difficilis erit*; eidemque nostro hortatu, & admonitione in omnibus fraternus auxiliator existere nunquam desinas, inter hæc tua benigna fraternitate, & dilecti filii nostri Guaiferii principis, mediante, pactum in decem millium * mancusorum cum Amalfitanis eatenus fecimus, ut a Trajecto usque Centumcellas nobis navali labore indesinenter auxilium ferrent. Sed hactenus id in nullo demonstraverunt: insuper quædam studio calliditatis astruunt; quia utrique abbates, Joannes videlicet ac Anastasius, quos illuc ex nostra parte direximus, non in decem millium tantum mancusorum, sed in duodecim millium plaitasse, quod iidem abbates coram nostra præsentia non se feciſſe jurejurando refellunt. Ideoque vestra eos prudentia, & ab hac injusta petitione compescat, & in servitio salubri commonitione confirmet: quatenus nostra benedictione positi, animo & corpore ex Christo Domino salvi existant. Data *ut supra*.

* Edit. Rom. *liquidum & scriptum. *Eccles.* 4.

* *al.* mancosorum.

LXX. AD ARCHIEPISCOPUM EBREDUNENSEM.

REprehendit quod alium episcopum, præter eum quem clerus & populus elegerat, in Vencienſi ecclesia consecraverit: præcipit ut cum utroque Romam veniat.

Reverendissimo & sanctissimo Ariberto archiepiscopo Ebredunensi.

SI canonica in consecrandis episcopis statuta servasses, nunquam, sicut auditu didicimus, & quodam diacono, nomine Vvaldeno, super tuam dilectionem reclamante, se canonice a plebe & populo Venciate electo, & a tua sagacitate abje-

abjecto, de consecrato controversia quælibet nasceretur, qua vestra merito reprehenderetur fraternitas. At nunc, quia mortuo Vencienſi episcopo, non præfatum sacerdotem, quem ut dictum est clerus & populus civitatis elegerat, piæque memoriæ Carolus imperator suo consensu firmaverat, consecrasti, * eodem Augusto de præsenti vita subtracto alterum non juxta normam canonicam electum ex adverso venientem, nec per ostium sed aliunde introeuntem, tuo tantum libitu ordinasse accusaris. In quo te non leviter incurrisse omnino videmus: quia dicente prædecessore nostro papa Cœlestino: Nullus invitis detur episcopus, cleri, plebis, & ordinis consensum & desiderium requirere debuisti. Cujus etiam auctoritate clerici habent facultatem resistendi, si se viderint prægravari: ut quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare: quoniam etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium. Nam & sancto Leone dicente: Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non doceatur fuisse collatum? Eodem etiam capitulo xxxv. canonum suorum jubente, Nullus, ut dictum est, non petentibus est ordinandus antistes, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat aut odiat: ac per hoc fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit. His ita statutis, nec in ecclesia Dei tibi commissa scandalum maneat vel schisma existat, dilectioni tuæ jubemus, ut cum eodem a te consecrato episcopo, & illo qui se canonice asserit fuisse electum, de præsenti Romam venire procures, quatenus in præsentia nostra & sedis apostolicæ tanti causa negotii diligenter inquisita & examinata legitimum Deo favente finem percipiat. Obedire igitur te oportet huic nostræ præceptioni pro ecclesiæ Dei pace directæ. Nam si aliter feceris, scito quia nos talem illicitam præsumptionem impunitam nullatenus relinquemus. Data *ut supra*.

* *Forte*, sed eodem. H.

Epist. 1. episcopis Viennensi, & Narbonensi.

Epist. 95. Rustico Narbonensi.

Epist. 88. Anastasio Thessalonicensi.

LXXI. AD CUNIPERTUM COMITEM.

Præcipit ut bona Romanæ ecclesiæ, quæ occupaverat, restituat.

Dilecto filio Cuniperto glorioso comiti.

AUditu didicimus, etiam & veraciter scimus, quod cortem sancti Petri, quæ est in Aluiscutia, contra Deum & nostram voluntatem teneatis invasam, & unde censum ac functionem annuam ecclesia principis apostolorum pro luminariis habere solita erat; nunc vestra fortia, & avaritia faciente, nil recipere, nilque potest habere. Unde ex auctoritate Dei, & sancti Petri, ac nostra, vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam ipsam cortem amplius retinere: nec in ejus rebus & pertinentiis vos intromittatis, si gratiam Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli, nostramque benedictionem cupitis habere; Sinatisque homines sancti Petri, qui ibi sunt, eamdem cortem securiter retinere. Nam si ipsam cortem deinceps tenere contra nostram voluntatem præsumpseritis, aliquamque ibi fortiam, vel violentiam feceritis; scitote quod omni vos ecclesiastica communione atque a corpore & sanguine Domini nostri canonice separabimus, sicut invasorem rerum ecclesiasticarum

Data *ut supra*.

LXXII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Monet ne Romam eam ob causam veniat, ut apostolicæ sedis hostibus auxilium ferat: quod si alia de causa venerit, honorifice se eum excepturum promittit: plura legatis injungit, quibus fidem adhiberi jubet: Adelbertum Romanæ ecclesiæ hostem se non posse ait in communionem recipere.

Dilecto filio Lamberto glorioso comiti.

B DIlectionis & amicitiæ vestræ amorem, ac sinceritatem quasi quoddam insolubilis caritatis pignus tenentes; tanto de inimicorum nostrorum callidis astutiis, vel præparatis cum apostolica sede securi existimus insidiis, quanto nobilitatis vestræ potentiam, una cum Christi auxilio nobis coniunctam in omnibus prosperis, seu adversis esse procul dubio credimus: quoniam & nos vobiscum in cunctis, quæ vestræ gloriæ sunt congrua, vel necessaria existere prompti optamus. Et ideo eminentiam vestram quæ relatione quorumdam didicimus latere nolentes, utpote spiritali filio nostro referre indubitanter curamus. Audivimus namque quod inimicis & infidelibus nostris per cujusdam exhortationem C cupiatis ferre solatium, atque Romam venientes suis eos rebus, & beneficiis contra nostram etiam voluntatem inconvenienter restituere debeatis: quod nullus imperatorum, vel regum, aut comes antecessoribus nostris seciſſe recolitur. Unde valde miramur, si hoc verum est, quomodo tantæ amicitiæ inter nos toties habitæ atquæ promissæ obliti estis; cum post Deum vos modo in omnibus necessitatibus, & utilitatibus, ecclesiæ sancti Petri habeamus unicum adjutorem atque fidelissimum defensorem. Et ideo licet quidam vobis agere talia sedi apostolicæ nobisque contraria suadeant, nos tamen in vestræ fidei devotione, quam erga beatissimos principes apostolorum Petrum ac Paulum, & nostram paD ternitatem habetis, plurimum confidentes, quasi dilecto filio, & unanimi amico mandamus, ut pro Dei & nostro amore, pro causa inimicorum nostrorum aliquatenus restituenda, cum bis jam ac ter synodico sint ipsi judicio condemnati, Romam nunc non veniatis; quia valde turbati ac tristes ob hoc existentes, vos, sicut decet & nos cupimus, honorifice recipere non possumus. Quamombrem vestra prudentia tantæ perversitatis consilium destruat, atque contra ipsos inimicos nostros totis viribus insurgere, & pari nobiscum voluntate, sicut oportet, eos confundere procuretis; ut nos, sicut per vos credimus, securi & quieti, Dei & vestrum maneamus auxilium. Alia vero pro causa, si ad limina sancti Petri, & E nostram apostolicam nunc aut postea vultis venire præsentiam: vos prompto atque gratissimo animo, prout oportet, honorifice recipiemus, vobiscum pariter gaudentes, & exultantes in Domino. Plura quidem vobis super his scriberemus, sed quia idoneos, ac reverendos fideles nostros, vestrosque devotos amicos, Gaudericum videlicet & Zachariam episcopos delicioſos & consiliarios nostros vobis direximus, qui vestræ gloriæ ea quæ literis desunt, verbis poterunt enarrare, omisimus scribere; quibus sane, quæ verbo tenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Agite igitur sicut vos in omnibus nostris

ſtris credimus habere procul dubio adjutorem, & unanimem in Chriſto amicum. Adelbertus autem marchio ad nos ſi venerit, pro certo ſcitote, quia cum nullo modo recipiemus, quia multas nobis contrarietates fecit, & manifeſtus in omnibus inimicus apparuit. Præterea, ſicut nobis mandatis, ut pro inſtantis temporis cauſa, extra urbem Romam exeuntes, vobiſcum alicubi loqueremur; libenter quidem hoc facere voluiſſemus, ſi utile ac neceſſarium eſſe videretur: ut ſimul loquamur non vobis grave ſit ad nos quaſi filius dilectus venire, quatenus ea quæ congrua ſunt viſa pariter conſideremus. Data *ut ſupra*.

LXXIII. AD EUMDEM.

Graviter eum reprehendit quod in literis quas ſcripſit, honorem debitum apoſtolicæ ſedi non habuerit, & ne legati abſque ejus conſenſu mitterentur poſtulaverit.

Nobili viro Lamberto glorioſo comiti.

SEdem apoſtolicam, quam Deus omnipotens ſupra petram ſui nominis fundare dignatus eſt, non ſolum reges & principes terræ, verum etiam imperatores Auguſti, & totius orbis domini ſuis apicibus, utpote caput omnium eccleſiarum Dei, honoraverunt, digniſque præconiis ejus pontifices, vicarios ſcilicet beati Petri apoſtolorum principis laudaverunt, votiſque ſupplicibus deprecari ſtuduerunt; & uſque in finem ſæculi, Petri manente nomine ac memoria, ſupplicare non deſinent. Quapropter audientes literas tuas quas mandaſtis, mirati valde ſuimus ſuper earum verbis inconvenientibus, quæ nec debitas ſancto Petro laudes reſonant, nec eccleſiaſticis concordant regulis, vel doctrinis; cum nobis illa verba mandaſtis, quæ ſæcularibus viris, & comparibus tuis ſcribere ſolitus es, hoc eſt, cum dicis nobis, Tuæ nobilitatis, vel cum dicis nobis, Monemus nobilitatem veſtram: in quo luce clarius mentem veſtram cognoſcimus erga nos minime devotam, ſicut putabamus exiſtere. Idcirco noſtræ paternitati, tam vilibus verbis, & inconvenientibus ſermonibus ſcribere audaci potius quam ſincera mente voluiſtis: & mirum non eſt, quia de amaro fonte dulcis aqua non hauritur. Porro quia dixiſtis, quod ſine conſenſu tuo noſtras legationes nuſquam mittere deberemus, uſuſque hoc non fuerit, nec literis legitur, nec a quoquam ſuperſtite unquam fuiſſe reminiſcitur factum: & ideo ſedes apoſtolica libera ſemper exiſtens liberam ubique ſuam mittit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. De his autem quæ olim dicta ſunt inter nos, pro diverſis ac multiplicibus contrariis, & adverſitatibus, nec non & corporis incommoditatibus, quas quotidie patimur, nobis aliquid conſiderare, vel pertractare non licet. Nos tamen, ſi prudentiam veſtram in noſtris profectibus, & utilitatibus eccleſiæ Romanæ cognoviſſemus devotam exiſtere, noſtramque voluntatem prompte perficere, loco vos filii dilectique cuperemus retinere amici; & ea quæ veſtræ ſaluti ac proſperitati eſſent utilia, grato ſane animo perficeremus: ſed quia vos, nobis relictis, in partem contrariam inclinatos videmus; non ſolum obſtupeſcimus, ſed etiam a veſtræ amicitiæ nos ſimiliter declinamus conſortio, quod pro Dei amore valde retinere voluimus carum. Hanc præterea epiſtolam noſtram ſecundum morem per Longobardum fidelem veſtrum, & literarum delatorem veſtrarum, vobis mandare voluimus; ſed ille a nobis eas recipere, veſtræque noluit deferre ſagacitati: ſed ſicut & antiquus uſus exigit, & ratio manifeſta fieri declarat. Data *ut ſupra*. Aliquid deeſt

LXXIV. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Hortatur ut in ſua integritate perſeveret, & Amalfitanos corripiat, quod auxilium navale non miſerint, & nimia calliditate in ſe utuntur.

Amantiſſimo filio Guaiferio principi.

DEvotionem igitur animi tui ex die qua te cognovi paucis verbis explicare non poſſum? hoc tamen veraciter ſcimus, quia * apud nos tibi omnia ſalva reſervantur tempore opportuno. Idcirco monentes hortamur, & rogando jubemus, uti in ſemel tua percepta bonitate perſeveres. Quoniam ſcriptum eſt: *Non tardat Dominus promiſſum ſuum, donec adimpleatur quod locutus eſt:* & ideo noſſe gloriam tuam cupimus, quia ex parte Amalfitanorum nullum nobis juxta condictum placitum ſtuduerunt præbere adjutorium navali certamine a Trajecto uſque Centumcellas. Inſuper quadam calliditate aſſerunt, non in decem millium tantum mancuſorum, ſed & in duodecim millium fuiſſe noſtram promiſſionem: quod verum nullo modo conſtat, cum & ipſi abbates, quos illuc pro noſtra parte direximus, jurejurando non ſe dixiſſe fateantur. De his vero aliiſque ſimilibus, quantum in nobis eſt, per gloriam tuæ nobilitatis, correptionem omnemque ſperamus ſtudii emendationem: quod quæſo facere mature acceleres. Optamus. Data *ut ſupra*.

* Edit Rom *apud Deum & apud &c.*

2. Petr. 3.

LXXV. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Miſſa per Eugenium & Paulum epiſcopos menſe Aprili die XVI. *indictione* XI.

Dolet quod Græcos ſequatur: hortatur ad Romanæ eccleſiæ gremium redeundum: tum de dono miſſo gratias agit: poſtremo Sergium quemdam per ſubreptionem ad ſacerdotium & epiſcopatum promotum, depoſitum fuiſſe ſignificat.

Michaeli regi Bulgarum.

SPiritualibus te viſceribus edito gaudebamus, & pro ſalvatione tua gratias agebamus: ſed nunc aſtutia malignorum decepto, triſtamur & ingemiſcimus, verentes & pertimeſcentes. ne ſi forte Græcos ſecuti fueritis, cum illi in diverſas hæreſes & ſchiſmata ſolito more ceciderint, vos quoque cum ipſis in erroris profunda ruatis: & ſicut ſerpens ſeduxit Evam aſtutia ſua, ita ſenſus veſtri corrumpantur, & excidant a ſimplicitate & caſtitate quæ eſt in Chriſto Jeſu. Nam te fili, Moſaicis rogo verbis, *interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, ſeniores tuos, & dicent tibi*, ſi aliquando Græci ſine hac, vel illa hæreſi fuerint: & cum non inveneritis eos ab aliqua hæreſi aliquando liberos extitiſſe, oportet vos

Genes. 3.

Deut. 32.

corum

eorum fraudes & consortia fugere, ne cum illi erraverint, vos erretis, & cum illi ad blasphemiam versi fuerint, & vos etiam fidei rectæ blasphematores inveniamini: nec erit qui vos postmodum corrigat vel ab errore reducat: & hoc est, mihi credite, fili carissime, quod dolemus, hoc est unde nocte & die pro vobis soliciti sumus; non gloriam ex vobis, vel honorem aut censum procul dubio expectantes, cum vos potius & non vestra quæramus: nam non patriæ regimen & reipublicæ moderamen adipisci cupimus: sed diœceseos ejusdem regionis curam & dispositionem more prisco resumere volumus, ut solicitudinem, quam universis debemus ecclesiis, tanto pro eadem diœcesi solertius exerceamus, quanto ad ordinationem specialius vestram hanc antiquitus pertinuisse non ignoramus, tantoque pro vestræ salutis custodia instantius vigilare valeamus, quanto ut confirmet hoc Deus quod operatus est in nobis enixius nobis optandum est, & districtius a nobis divinitus exigendum, clarius scimus, si circa instructionem & munitionem vestram desides, quod absit, fuerimus inventi. Revertimini ergo ad beatum Petrum apostolorum primum, quem amastis, quem elegistis, quem quæsistis, cujusque in necessitatibus patrocinium percepistis, & fluenta doctrinæ salubriter & convenienter hausistis; cujusque vos protectioni cum subjectis omnibus commendastis & tradidistis. *Bene quidem currebatis*, cum apostolo clamamus, *quis vos fascinavit veritati non obedire?* Sed & ipse per se Dominus dicit: *Nemo mittens manum suam in aratrum & conversus retrorsum, aptus est in regno cælorum:* non autem dicimus quod non una sit fides, unum baptisma, unus Deus noster pariter & illorum: sed quia in eis sæpe præsule Constantinopolitano vel imperatore, aut plerumque utroque auctore facto hæreseos, plures qui sub ipsis sunt adulatione aut certe timore, illis efficiuntur consimiles: & væ tunc eis est, qui societatem sequuntur eorum. Dic itaque rogo carissime fili, quid faceres tu, vel populus tuus, si tempore Pneumatomachi Macedonii Constantinopolitani antistitis, quando & impius illic imperabat Constantius, effetis eorum societate fruentes; nonne dogma ejus contra Spiritum sanctum blasphemans cum illis sequeremini? *quod peccatum*, attestante Domino, *non remittitur neque hic, neque in futuro*. Nonne si horum pollutam societatem haberetis, & pravam doctrinam nihilo minus haberetis? ac per hoc & vos cum illis quasi fasciculi colligati ad comburendum æterno igni reservaremini in die judicii cruciandi? Credimus autem, quod jam vos non lateat, nunquam apostolicam beati Petri sedem ab aliis sensibus reprehensam, cum ipsa alias omnes, & præcipue Constantinopolitanam sæpissime reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certe in his qui resipiscere noluerunt, sententiæ suæ judicio condemnaverit. Noli ergo sequi Græcos, fili carissime, quia argumentis semper fallacibus studeant, semper dolosis intendunt versutiis, ne forte vobis quod genti contigit Gothorum contingat: quæ cum a Paganorum errore cuperet liberari, Christique fidei sociari, in episcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem: qui eos dum a paganismo liberat, Arii blasphemiis implicat: sicque illi, dum incaute quærunt errorem fugere, in errorem incidunt; & cæcum ducem sequentes, cum illo cæci facti in Arianæ pravitatis præcipitia delabuntur: & hoc est, unde Græcorum cavenda esse prædicamus consortia: *Corrumpunt* enim; ut Paulus apostolus ait, *mores bonos colloquia mala*. Qui etsi aliquando loquuntur aliquid boni, noli mirari, quia & dæmones confitebantur Filium Dei: sed ipse illos potius tacere præcipiebat, ne qui eos audiret vera prædicantes, sequeretur errantes. Convertimini igitur ad beatum Petrum apostolorum principem, qui primus cognovit, & confessus est Filium Dei: qui oves dominicas regendas accepit, & ut has ad æternæ pascua vitæ introducere posset, & hic ligandi solvendique potestatem, & illic reserandi eis claves cælestis regni promeruit. Igitur scitote, carissime, si ex hoc ad Græcos, quod avertat Dominus, conversio vestra fuerit, partem vestram divinitus cum his ponendam, qui primam fidem irritam faciunt, & cum his, quorum libenter amplectimini portionem. Porro si nos audieritis, & ad sancti Petri gremium redieritis, ut filios vos amantissimos expansis sinibus recipiemus, & exertis brachiis amplectemur, & in visceribus Christi dilectionis semper habebimus; & si qua sunt sancta, si qua salubria, si qua congrua, vobis & pro vobis offerre atque impendere non cessabimus. Xenium nobis ex vobis transmissum, quondam religiosi habitus Urso deferente, suscepimus; de quo benignitati vestræ gratias agentes, Deum laudavimus, qui te nobis devote munus offerre docuit; temetipsum cito totum, ut confidimus, & perfectum daturus. Ceterum gloria vestra sciat Sergium eunuchum, qui cum genere Sclavus esset, & multis pravitatibus irretitus, sacerdotium per surreptionem obtinuit; & post etiam super aliis detectus & convictus excessibus, ab episcopo tunc suo depositus fuisse dignoscitur, & post indigne satis a Georgio, qui falso sibi episcopi nomen usurpat, ad episcopatum Belogradensem provectus est, apostolorum principum, & sanctorum canonum auctoritate, etiam nostri esse sententia decreti depositum: quod tam vobis quam vestræ omnium generalitati canonice patefacimus; ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur: ne, quod non optamus, simili cum eis pœna judicii teneantur astricti. Data XVI. die mensis Aprilis, indictione XI. An. Ch. 8

Psal. 67. *Galat. 9.* *Luc. 9.* *Ephes. 4.* *Matth. 12.* *Romana ecclesia nunquam in errorem incidit; alias autem ab errore liberavit.* *Socrates lib. v. c. 27. Theodoret. l. 7. c. 32. Sozomenus l. VII. c. 37.* *1. Cor. 15.* *1. Tim.* *Matth.* *Nicæn. c*

LXXVI. AD PETRUM COMITEM.

Missa per Paulum & Eugenium episcopos mense Aprili, die XVI. *indictione* XI.

Hortatur ut Michaelem regem ad Romanæ ecclesiæ gremium revocet.

Petro comiti.

Dilectissimo filio nostro Michaeli Christianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut & tuæ quoque gloriæ scriberemus, & gemitus nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur, suspirantes & stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex, & vos ipsi averti potueritis, & a recta semita declinare, atque a sede beati Petri apostolorum summi recedere; cui, sicut evangelium refert, non caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum de prophetis existimarent. Scribimus ergo tibi tamquam familiari & carissimo nobis; tu enim in hac causa primus ipsi regi præcursor & dux auctore Deo fuisti: tu inter illum & nos medius discurristi, &, Deo gratias, cuncta, quæ ad salutem gentis illius acta sunt, non

Matth.

non sine tuo certamine acta sunt, & quot & quantos labores pro institutione vestri nos assumpserimus, ipse non nescis. Et bene quidem in nobis delectabimini, & spiritualibus gaudiis, & profectibus fruebamini: sed nescimus quis vos de cetero deceperit; quis organum factus diaboli, qui olim per serpentem Evam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit; unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur; & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis; cui & Dominus ipse ad aures præcordiorum loquatur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat, non deserat, evangelicam legat historiam, & videat ibi præcipue soli Petro, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei vivi Filium revelatum, & singulariter dictum: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*. Ergo si istis vel illis falsa putantibus, Petro veritas præcipue revelata est: & si pro fide Petri oratum singulariter est a Filio ne deficeret; consideret sapiens rex quam laudabiliter primum fecerit urbem quærens, ad quam iste talis & tantus apostolus venit & prædicavit; cui Patre revelante, veritas Filii patefacta est, & cujus fides, quia Filius rogavit, non defecit. Ad hanc quippe Romanam urbem post Antiochiæ, quam in transitu visitavit, fundatam ecclesiam, tamquam ad mundi dominam properavit: & illic consequenter Filium Dei vivi, quem non carne vel sanguine, ut prædiximus, sed eo revelante sicut veraciter cognovit, veraciter & prædicavit: super quam etiam solidam confessionis petram, suam Dominus ecclesiam fabricavit: & hæc est petra illa, supra quam, ut Salomon ait, serpentis non invenitur vestigium. Pro hac itaque purissima fide beatus Petrus Romæ moratus, in hac stabilivit ecclesiam, & sede apostolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicque sanctam Romanam ecclesiam in hac fide fundatam proprio sanguine cum Paulo, qui ab Jerusalem usque ad Illyricam regionem scilicet, in qua nunc vos habitatis, evangelio replevit, Domino Deo consecravit, & dedicavit; qua fide tanto intra breve tempus Romani creverunt & floruerunt, ut * prælatus egregius apostolus mox in principio epistolarum suarum pro ea Deo gratias agere, & denunciare præconia videatur. Hanc itaque fidem suggere semper, & suade, carissime, pio regi sitire: hanc non alibi præcipue quærere nisi Romæ, ubi plantata est & radicata a B. Petro, qui hanc ut supra ostendimus, sicut veraciter cognovit veraciter & prædicavit: quoniam sicut a qua nunquam potest alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, sicut in ecclesiæ nostræ vivario, ubi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est hæretica pravitas, comparatur; sed ille polorum claviger ubertim & purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc cælitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit. Hæc, carissime, pio regi loquere, & exhortare in Christo Jesu, ut pro accepto & multiplicato familiaritatis talento in gaudium Domini nostri merearis intrare. Nos vero, si nos audieritis, quia vos tamquam fratres & filios summo amore diligimus, de lucro vestri gaudebimus, & superexultabimus: sin autem, dicemus omni ecclesiæ, & sicut Dominus præcepit, vos tamquam ethnicos, & publicanos habebimus: & tunc vos videritis, cum in varias errorum tentationes incideritis. Missa per Paulum, & Eugenium reverendissimos & sanctos episcopos. An. Ch. 878. Data Mense Aprili, die XVI. indictione undecima.

LXXVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Ejusdem argumenti, suntque fere eadem verba quæ in superiore.

Michaeli glorioso regi Bulgarum.

CHristianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut & tuæ quoque gloriæ scriberemus, & gemitus ac dolores nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur suspirantes, & tristes penitus incedentes & stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex, & vos ipsi averti potueritis, & a recta semita declinare, & a sede beati Petri apostolorum principis omnino recedere; cui, sicut evangelium refert, non caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis existimarent. Scribimus ergo tamquam fratri ejus & carissimo nostro. Nam cuncta, quæ ad salutem gentis vestræ a nobis acta sunt, & quot & quantos labores pro institutione vestri nos assumpserimus, ipse profecto non nescis. Et bene quidem primum in nobis delectabimini, & spiritalibus gaudiis, & profectibus fruebamini: sed nescimus quis vos de cetero fascinaverit, quis deceperit; quis organum factus diaboli, qui olim per serpentem Evam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit. Unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur: & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis, cui & Dominus ipse potius ad aures præcordiorum loquetur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat, non deserat, evangelicam legat historiam, & videat ibi præcipue soli Petro Christum Dei vivi Filium revelatum. Ad hujus ergo beatissimi Petri sedem alacri pectore rex Christianissimus redeat; & sicut cervus, cum quid sumpserit noxium, desiderat ad fontes aquarum: ita desideret & sitiat anima ipsius ad salutifera ejus doctrinæ fluenta. In quo pio tua laboret opere præ cunctis solertia, ut non solum fratrem carissimum lucrifacias, sed & de salute omnium vestrum ipse mercedum præmia consequaris. Nihil enim placet Deo plus his, qui ab errore converti faciunt homines; vel qui ad justitiam eruditiunt plurimos. Et ideo pro tam sancto labore, beato Petro clavigero regni cælestis intercedente, operies, sicut scriptum est, multitudinem peccatorum, & stabilieris quasi cæli firmamentum, & dies æternitatis. Sed & nos interim te in devotorum numero filiorum habebimus, & confessionibus apostolorum principum memoriam tui jugiter commendare nullatenus omittemus. Data mense Aprili, indictione XI.

Hæc epistola non videtur Michaeli scripta.

1. Tim. 5.

Psalm. 41.

Jac. 5.

LXXVIII. AD IGNATIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Tertio jam commonet, ne Bulgarum regionem ad ecclesiam Romanam jam antiquitus pertinentem usurpet, & eo, vel ab ejus suffraganeis in ea regione consecratos episcopos intra 30. dies illinc educat; & nisi post duos menses paruerit, dominici corporis & sanguinis communione, & si perseveraverit in contumacia, patriarchali etiam dignitate privat.

Reverentissimo confratri nostro Ignatio patriarchæ Constantinopolitano.

SEcundo jam sedis apostolicæ literis probaris admonitus, & per missos ejus contestatoriis conventus hortatibus, jure tibi Constantinopolitanæ diœceseos, quod per ejusdem primæ sedis auctoritatem & favorem annuente Deo receperas, rite contentus, ultra præfixos tibi ex canonibus limites præsumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos quos posuerunt patres tui aliqua usurpatione transferres. Nullus autem ignorat regionem Bulgarum a sanctæ memoriæ Damaso papa, & deinceps usque ad paganorum irruptionem a sedis apostolicæ præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis attinet privilegium, moderatam. Præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum pontificum Romanorum res gestæ quæ in archivis antiquitus nostræ reservantur ecclesiæ, clarius attestentur. De his autem quæ bellica clades & gravissimi hostilitatis incursus intulisse noscuntur, nil præstantius sentiendum est, quam quod clarissima ecclesiæ tuba sanctus videlicet Leo nostræ sedis antistes edocuit & decrevit, cum ait: Adhibenda, Epist. 85. inquiens, curatio est, ut vulnera quæ adversione hostilitatis illata sunt, religionis maxime ratione sanentur. Qui statu rerum auxiliante Domino in meliora converso iterum dicit: Remotis malis quæ hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur: omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque quod proprium est, & rursus: Quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur. Sed hæc reverentissime frater omnia clausis oculis relegisti, sanctorumque patrum decreta calcaneo temerario conculcasti, ac multiplicium tibi beneficiorum sedis apostolicæ præstitorum oblitus, contra eamdem sanctam sedem, benefactricem videlicet tuam, & erectus es, priscam diœcesim in regione Bulgarica constitutam illicita pervasione subripiens, & in alienam messem contra divinas leges mittere falcem non renuens. Unde merito post primam & secundam commonitionem a nostræ te debueramus communionis contubernio sequestrare, 1. Cor. 10. *in promptu habentes*, secundum apostolum, *omnem ulciscí inobedientiam:* qui etiam dicit: *Si quis non* 2. Tim. 3. *obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo:* sed quia sedis apostolicæ moderatione utentes, spiritu lenitatis potius quam severitatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio canonice per missos & syllabas commonemus, & hortamur, & protestamur, ut nullam omnino moram perpessa, strenuos viros in regionem Bulgarum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoscumque illic repererint qui a te vel a subjectis tibi consecrationis munus accepisse dicuntur, sine quavis dilatione reducant: ita ut intra triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus omnino clericus, qui tuæ ordinationis, imo inordinationis sunt, inter omnes Bulgarum fines inveniatur. Non enim patimur eos, quos ibidem tu illicite constituisti, quos & ab apostolica esse jam sede hujus rei gratia constat excommunicatos, errore suæ prævaricationis corda novorum Domini famulorum inficere: quos videlicet in fide institutionis manu plantavimus, & aqua salutaris fontis doctrinarum rigavimus, atque horum auctori Deo ad incrementum spiritus dandum, ut sit ipse in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro si intra triginta intervalla dierum omnes, quos vel tu, vel episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur ecclesiæ, a totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipsum ab omni ecclesiastico illius jure diœceseos non subduxeris, tamdiu sancto corpore, ac pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi post duos menses a die numerandos qua hujus epistolæ tomum acceperis, esto privatus, quamdiu his obstinatus decretis nostris, minime obedientiæ colla submiseris. Jam vero si pertinaciter in hac indisciplinatione, atque pervasione permanseris, & episcopos & quotquot illic vel illi vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio & beatorum apostolorum principum auctoritate, nostræque mediocritatis sententia, omni patriarchatus esto dignitate, quam favore nostro receperas, alienus & exors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio præditus vel potitus. Data mense Aprili, indictione XI. missa per Paulum, & Eugenium episcopos.

LXXIX. AD EPISCOPOS ET CLERICOS GRÆCOS.

Declarat eos excommunicatos quod Bulgarum regiones invadentes illicitas ibi ordinationes fecerint; dignitate etiam privandos, nisi intra XXX. dies ex omni Bulgarica regione decesserint. Si quis autem paruerit, restituendum ei episcopatum decernit quem in Græcia habebat; & si nullum antea habebat, vacantem, si dignus est, eidem conferri jubet.

Omnibus episcopis & ceteris clericis Græcis Bulgariæ diœceseos invasoribus, ac per hoc excommunicatis.

MIramur vos & vehementer obstupescimus sanctorum patrum canones obturatis oculis relegisse, & calcata conscientia terminos æternos a patribus positos transtulisse, & in alienam messem judicii falcem misisse in Illyrici provincias, quas nunc Bulgarum natio retinet ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & sacra concilia sub sede beati Petri apostolorum principis, has olim provincias deguisse patenter innuant, & rerum gestarum a sancto Damaso papa conscripta manifeste denuncient. Et statu causarum Deo auxiliante in melius jam pridem converso sedes apostolica sit ab eis qui hanc habitant regionem recognita, requisita & multis precibus invitata: nosque illuc episcopos, & inferioris ordinis sacerdotes cum præceptis sedis apostolicæ miserimus, & multos labores pro institutione illius regionis arripuerimus. Nam & si quidam vestrum clandestina illuc sorte venerunt, apte de illis dicere possumus illud Domini dictum asseverantes: *Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt* Joann. 10. *& latrones*. Ipse quippe Dominus per prophetam dicit: *Veniebant & ego non mittebam eos*. Nam quidam vestrum pro criminibus suis fugientes; qui-

quidam autem ambitus & avaritiæ causa illuc accessuri profecti sunt; non autem vocati, nec invocati: licet nec sic in vestram vos diœcesim ad aliquam dispositionem faciendam introire convenerit. Quia igitur contra sacras vos multipliciter egisse regulas deprehendimus; excommunicavimus vos, & estis excommunicati. Quisquis autem ex vobis intra triginta dierum spatium cognitæ hujus apostolicæ sanctionis, omni Bulgaricæ regioni non cedens, in ea quamlibet ordinationem vel dispositionem patrare ultra prædictum spatium obstinate præsumpserit: sanctorum patrum auctoritate, nostrique judicii sententia proprio caret officio, non nisi resipiscens pœnam evasurus, aut veniam aliquo modo speraturus. Si quis autem vestrum humiliter ac obedienter his salubribus monitis nostris parens, Bulgaricæ locum dederit diœcesi; noverit nos decrevisse sibi episcopatum restitui quem eum in regione Græcorum prius habuisse constiterit: porro & si nunquam habuit, vacantem illi tribui; si tamen talis persona sit, cui nulla in hoc regula patrum valeat obviare.

An. Ch. 878. Missa per Paulum & Eugenium episcopos. Data XVI. die mensis Aprilis, indictione XI.

LXXX. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Missa per Eugenium & Paulum reverendissimos Episcopos.

Dolet Constantinopolitanam ecclesiam schismate adhuc laborare: qua de re legatos mittit.

Dilectissimo nobis & desiderabili filio Basilio Christianissimo & tranquillissimo imperatori.

1 Cor. 1. BEnedictus Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui misertus & consolatus est nos in præsenti sæculo nequam: Visitans & re-
Luc. 2. demptionem faciens tam pium, tamque benignum imperii vestri cornu salutis erigendo in domo David, Christi videlicet pueri sui. Vos enim, fili carissime, minus imperatoria dignitate, se-
2 Cor. 12. cundum apostolum qui ait: *Æmulamini charismata meliora*, contenti, etiam angelorum estis ministerium imitati, dum pacem in terra bonæ voluntatis hominibus exoptatis, & beatos per id, ac cælum vos visuros luce clarius demonstratis. Utraque siquidem epistola vestro pontificio nostro missa hujus vos flagrare desiderio patenter insinuat, & hanc vos ad statum ecclesiæ, unde pravorum dissensione repulsa est, inhianter velle reducere, indicio evidenti demonstrat. A Deo quippe provectum imperium vestrum; quod eo auctore justitia & triumphis ornatis, minus nimirum validum, minusque glorioſum putatis, nisi etiam summa condecorare pace seu concordia satagatis. Nos autem, dilectissime, audientes in Constantinopolitanam ecclesiam dissensionis adhuc scandala fluctuare, nonnullosque religiosi habitus viros hac illacque dispersos atque dejectos ignominiose tractari: merito ingemiscimus & multa mœstitia fatigamur, præcipue pacem sentimus illic continua contentione turbatam, quam per multos sedis apostolicæ labores jam credebamus ædificatam, & sacratos quosdam diversas injurias didicimus passos, quos ab omni oppressionis fasce sperabamus ereptos. Portamus quippe omnium onera qui gravantur; imo portat hæc in nobis amator vester beatus Petrus apostolus qui nos in omnibus solicitudinis suæ protegit ac tuetur hæredes: sed quia & professionis nostræ officio, cum Jeremia nihilo minus dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & dissipes, & dispergas, & dissipes, & plantes*, etiam vestra pietas ab apostolatu nostro pro hoc ipso personas postulat. Ecce strenuos e latere nostro viros dirigimus, qui si qua illic inter hæc diligenti studio deprehendant & his radicitus, secundum Domini mandatum, evulsis, destructis, dispersis & dissipatis, pacem & unitatem & caritatem & congruenter ædificent simul & plantent. Nam quomodo habere poterunt caritatem, qui dividunt unitatem? nos autem pro Christo legatione procul dubio fungimur, cum paci ecclesiæ studium impendere procuramus. Quia vero Deo amabiles viros, quos nominatim literis expetitis, quibusdam incommodis impeditos destinare nequimus; misimus Paulum & Eugenium sanctissimos & reverendos episcopos, dilectosque consiliarios nostros, quorum nobis & fides probata, & scientia manifesta est: quibus scripto dedimus in mandatis, ut omnibus simultatibus sopitis atque sedatis, quæ ad pacem sunt, sanctorum magistra regula patrum, toto conamine construant, & omni contentione sublata, justitiæ tribuant Deo propitio palmam; hoc dumtaxat ad laudem Dei agentes, & ad præconiorum vestrorum cumulum, sicut vos agere de die in diem decet, addentes. Verumtamen ignorare pium imperium vestrum nolumus, nos apostolicæ sedis præcepisse legatis, ut causa tantum visitationis, glorioſum ejusdem provinciæ * principem adeant, & de optata memoria ei apostolorum, ut condecet, expletis officiis persalutationis edicant. Ideoque rogamus, ut aditu eis annitentibus vobis concesso, talem illis industrium virum * qui eos usque ad prædictum principem salvos ducat atque reducat, facta in scriptis de ea minime iterum usurpanda professione. Optamus vos per multos annos in Christo bene valere, & de barbaricis jugiter hostibus triumphare, spiritualis & desiderabilis & Christianissime fili semper Auguste. Data indictione XI.

Jerem. 1.

* Forte loquitur de rege Bulgarorum.

* *desp.*, tradatis, *aut quid simile.*

An. Ch. 878

LXXXI. AD EUMDEM.

Ut legatis a se missis fidem adhibeat, & opem Romanæ ecclesiæ ferat.

Dilecto filio semper in Domino triumphanti Basilio piissimo imperatori Augusto.

SCimus venerabilis imperator, scimus & omnimodo novimus vos prudentia pollere, æquitatem diligere, pietatem extollere, directiones plantare, & vitia evellere. Scimus & liquido credimus vos sanctæ Romanæ ecclesiæ vigorem & decus velle augere, tribulationes gemere, angustias dolere, & necessitates pio intuitu, quantum ad vos pertinet, amovere. Hujus rei gratia maximam de vobis fiduciam assumentes, quid quid eamdem sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam oppido affligit & lacerat, vobis singulari quadam spe committimus audiendum & corrigendum. Tamen ne vos, quos secretorum nostrorum conscios esse cupimus, lateat quod his diebus contra Dei voluntatem, contraque salutem totius Christianæ fidei, ac contra privilegium sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu contra morem reique publicæ statum Romæ peractum est; his missis nostris Paulo & Eugenio episcopis verbo tenus vobis dicenda commisimus. Quæ vos ita credere deprecamur ac si nos vobiscum loquamur; & credentes, si nobis ferre opem, vel

aliquam consolationem valeatis, & veluti dilectus filius reverendæ matri assolet, omnimodo conferatis deposcimus. Habebitis enim pro his sanctos apostolos adjutores, & nos possidebitis devotiores vestros apud Dominum semper intercessores. Data IV. Kalendas * Martii indictione XI.

* *f* Mali, *ut constat ex superioribus.*

LXXXIII. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Monet ut quantocius ad synodum in Galliam cum suffraganeis accedat: quæritur de perfidia Lamberti Spoletani comitis.

Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

PRo innumeris igitur & multiplicibus oppressionum angustiis totius sanctæ ecclesiæ in orbe terrarum diffusæ, synodum universalem, Christo opitulante, in Francia, (quia in Italia, persecutione malorum grassante * (Petrum presbyterum cardinis nostri, quem ad Carolomannum regem dirigimus, fraternitati vestræ plurimum commendamus) minime potuimus,) sumus celebraturi; ad quam fraternitatem vestram quantocius omni mora postposita occurrere admonemus, cum cunctis coepiscopis, ac suffraganeis vestris, exceptis his quos sacri canones pro incommodis causis stare patiuntur. Quoniam in ea, Christo cooperante, omnium ecclesiarum speramus erigi statum atque vigorem. Hoc iterum iterumque monemus, hortamur, expresseque mandamus, ut nulla vobis mora, nullumque tempus præpediat, donec nobis vestrum adventum in præsentia præbeatis; * id est Lamberti perfidi Spoletani ducis Vvidonis filii, ejusque complicis Adelberti marchionis, vel ut melius patriæ proditoris, qui clandestina fraude pacifice venire se simulans, in dolo ad portam urbis custodes deputans, sacramque civitatem tyrannus invasit, nosque cum fidelibus nostris intra ecclesiam beati Petri apostolorum principis inaudito atque horrende coarctare inter cetera mala *. Data *ut supra*. (a)

* Hæc verba non cohærent sequentibus.

* Ut causam communis hostis una mecum judicetis. *Hæc vel alia hujusmodi verba hic deesse videntur* De Lamberto & Adelberto Aimoin. l. 5. c. 37.

* *Videtur hic deesse*, conatus est.

LXXXIII. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Ut in Romanæ ecclesiæ fide perseveret: præsentium latorem commendat.

Dilectissimæ filiæ Angelbergæ imperatrici Augustæ.

REminiscentes omnium bonorum vestrorum, quotidie Deo nostro gratiarum actiones referimus, qui vestrum animum tanta solicitudine circa devotionem ab exordio sanctæ Romanæ ecclesiæ spirituali flammæ adustione perussit. Sed nunc filia mea carissima, & in Christo devota, quæso vires solicita ingenii acutissimi, & in hoc in opportuno tempore solita bonitate concurre: quatenus cœptum bonum usque ad consummationem operis perductum æterni retributoris præmia recipere valeatis. Latorem quoque præsentium Petrum cardinis nostri presbyterum, quæso in omnibus habeas commendatum, vestroque consilio prudentissimo iter illius solita pietate disponite: quatenus Deo duce ad nos possit redire incolumis. Data *ut supra*.

LXXXIV. AD JOANNEM ARCHIEPICOPUM RAVENNATEM.

Exponit mala quæ a Lamberto comite Romæ sunt perpetrata: seque in Gallia ad implorandum auxilium adversus eum iturum ostendit.

Reverendissimo & sanctissimo Joanni archiepiscopo Ravennati confratri nostro.

UNanimitatis vestræ fraternitatem ignorare non patimur quæ & qualia his retro diebus a Lamberto Spoletano comite mala & multiplices passi sumus injurias, quales nullus antecessorum nostrorum pontificum a quoquam Deum colente sustinuisse recolitur. Igitur omne pene territorium S. Petri suis tyrannice devastantibus hominibus, cum immensa populi multitudine Romam venit: nos autem illum quasi dilectum amicum apud beatum Petrum apostolorum principem honorifice recepimus: sed ipse quasi ovili pelle indutus, solita repletus nequitia, munereque corruptus ingenti, contra nos insurgere non dubitavit. Nam portas civitatis Romanæ violenter, imoque fraudulenter cepit, totamque urbem Romam; ac per dies plurimos homines suos ita arctius retinere fecit, ut nec proceres Romanorum, nec episcopi, & sacerdotes, neque etiam familiares nostri ad nos nisi maxima supplicatione exeundi facultatem haberent. Cibaria etiam nostra nobis venire instantissime prohibebant. Venerabiles item episcopos, presbyteros atque diaconos religiosos monachos cum hymnis & canticis spiritualibus, sacrisque litaniis ad ecclesiam principis apostolorum venientes, heu proh dolor! more paganorum conturbaverunt, & fustibus cædentes nequiter disperserunt, non sinentes illos exire, debitumque Deo sacrificium offerre. Inimicos quoque, atque infideles S. Romanæ ecclesiæ & nostros, quos una cum vestro consensu & subscriptione bis ac tertio jam excommunicatos damnatosque habemus, super nos temere conduxit: eosque in urbe Roma sine nostra voluntate immisit. His itaque nos præjudiciis, & injuriis multiplicibus gravati, cum tota sede apostolica tristes adeo per dies multos extitimus, ut nequaquam nobis aliud agere nisi flere liceret: nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare sancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum vel diurnum officium ex more celebratum. Nunc etiam minatur nobis pejora inferre, nisi ejus obtemperemus humiliter voluntati. Unde sanctitatem vestram pio fraternæ dilectionis affectu conjunctam hortamur, ut pro tantis afflictionibus, & miseriis capiti nostro illatis, ex totis præcordiis vestris nobiscum pariter condoleatis, & contra evidentissimum, & immanem inimicum nostrum consurgere toto annisu studeatis. Nos namque illius non valentes sustinere tantas insidias, quia per terram ire nequivimus, per marinum iter Deo propitio in Franciam proficisci debemus: glorioſos scilicet reges deprecaturi, ut ecclesiam sancti Petri, & civitatem Romanam totius mundi caput & dominam, a tantis oppressionibus, & calamitatibus liberent, salvam & quietam sinant manere, potentique manu ab hostium quas patimur insidiis tueantur; nec nos ob aliud illuc ituros, nisi pro communi salute, procul dubio credite. Sed sicut veridico

Aimoin. v. c. 3

mul-

(a) In editione Romana in principio hujus Epistolæ sic legitur: *Ad Archiepiscopum de Mediolano; ad Patriarcham de Foro-Julii; Ad Joannem de Papia.*

multorum relatu didicimus, cum nos de urbe Roma fuerimus egressi, cœptumque iter egerimus, audimus eumdem Lambertum satellites suos velle colligere, Romamque rursus expugnaturum adire. Nos vero hoc scientes, anathematis sententiam in eum, & in omnes sequaces ejus, si contra urbem Romam, & ecclesiam Romanam aliquam rursus veniens contrarietatem, vel molestiam, aut perturbationem inferre quolibet modo præsumpserit, in ecclesia beati Pauli doctoris gentium protulimus. Et idcirco nullus vestrum ejus iniquis operibus faveat: quin potius libere arguat, si apostolicæ sedis vultis semper fulciri auxilio. Quapropter hæc omnia, ut vestris suffraganeis episcopis cognita faciatis, incunctanter hortamur sanctimoniam vestram; quatenus ipsi, qui membra corporis Christi existunt, vobiscum pariter pro apostolicæ sedis exaltatione studeant desudare.

LXXXV. AD BERENGARIUM COMITEM.

Rogat ut imperatori nunciet quæ a Lamberto Romæ perpetrata sint, detque operam ut eum compescat.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti regia prosapia orto.

LEctis nobilitatis vestræ literis, quia sinceritatem ac devotionem more scilicet parentum vestrorum circa nos pro amore Jesu Christi Domini & beati Petri apostolorum principis reverentia, vos habere ingentem reperimus; multa vestræ mellifluæ locutionis dulcedine sumus omnino repleti, ita ut cum psalmista dicere possimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Hujus namque bonitatis decus eximium, ex moribus piæ memoriæ nobilissimi quondam genitoris vestri vos trahere indubitanter cognoscimus, qui dignum semper honorem & piam reverentiam antecessoribus nostris, sacris videlicet pontificibus exhibere tota mentis alacritate studebat: & ideo pulchræ juventutis vestræ florem de radice justa prodeuntem Dominus exercituum pietatis suæ gratia custodiet incolumem, facietque prospere vigere in omnibus, & ad prosperum usque finem perducet. Quapropter, fili carissime, sæpe volumus vestræ scribere dilectioni, non solum nostram vobis salutem innotescendo, sed & de vestra prosperitate, atque incolumitate audire cupiendo: sed non solum paganorum crebris ubique incursionibus, verum etiam Christianorum insidiis circumdati nequivimus. At nunc, quoniam Deo disponente tempus evenit opportunum, excellentiæ vestræ quæ & qualia sumus nos cum tota ecclesia & civitate Romana perpessi a Lamberto comite, veluti filio carissimo & fideli amico referimus. Cum itaque prædicto Lamberto multa quotidie bona fecissemus, dignumque impendissemus honorem supra quam antecessores nostri parentibus illius fecissent; ipse pro bonis mala retribuens, collecta populi multitudine omnem territorium sancti Petri invasit, & quod defendere debet ab hostibus, tyrannice dominatur invasum: venitque Romam, & quasi inimicus portam civitatis Romanæ violenter capiens, & satellites suos per dies plurimos retinere fecit, ac sic tantam civitatem invasam retinuit: ita sane, ut nobis apud beatum Petrum consistentibus, nullam urbis Romæ potestatem a piis imperatoribus beato Petro principi apostolorum, ejusque vicariis traditam haberemus. Sacras autem litanias, episcopos, & sacerdotes, atque servos Dei, ex more celebrantes, & ad ecclesiam sancti Petri venire volentes, fustibus cædere, ac dispergere fecit, intulitque nobis contraria, quanta nulli præcessorum nostrorum unquam facta fuerunt: existitque paratus nobis iterum majora inferre, cujus rei causa, nescimus. Quamobrem, quia nostrum ministerium est, pro totius Christianitatis salute Dominum assidue deprecari, ut oves, quas Christus Deus noster nobis in beato Petro commendavit, jugibus votis & precibus ad æternæ vitæ pascua perducere valeamus; voluissemus debitam habere quietem: sed illo a pravis cogitationibus, & actibus se non retrahente, quin potius nos cum inimicis, & infidelibus nostris, quos bis jam & ter excommunicatos, & anathematizatos habemus, juncto, rursum turbare volente: rogamus nobilitatem vestram, ut pro amore Dei, & sancti Petri, ac nostro, hæc omnia & Carolomanno glorioso regi & spirituali filio nostro cognita faciatis: quatenus missis apicibus suis eum a tali præsumptione compescat, & quod tempore parentum illius sedes apostolica non sustinuit, ejus non patiatur diebus, & vestris similiter literis eumdem admonete, corripiteque Lambertum, ut nullam de cetero contrarietatem nobis ingerere præsumat, eo quod nec Deo, nec alicui Deum timenti, ejus temeritatis placeat effectus. Si vero idem Lambertus nos persequi non omiserit, nos jam dicto regi fideles amici esse quomodo possumus? quia ejus se voluntate jactat talia agere: & ideo nos adjuvare, sicut supra dictum est, procurate: nam nos ea quæ vestræ fuerint placita voluntati libentissime perficere studebimus, eo quod vos loco amantissimi filii, quamdiu vixerimus, retinere, nostræque ecclesiæ causas necessarias per vos perficere optamus. Præterea homines vestros, qui orationis causa pro suis delictis Dominum misericordem precaturi venere ad limina sancti Petri, pro vestro ingenti amore benigne recepimus, nostrisque apostolicis benedictionibus confirmavimus, ac per eos nostræ incolumitatis salutem, sicut petistis, cognitam fieri decrevimus; & petimus ut cito nos vestris literis lætificari non prætermittatis. Deus omnipotens gloriam vestram longa per tempora illibatam custodiat, carissime fili.

LXXXVI. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Dolet Angelbergam molestiis affici, & queritur de injuriis quas Lambertus ecclesiæ Romanæ inflixit: rogat ut conservet benevolentiam quam erga ipsum habere solebat.

Dilectæ ac spiritali filiæ Angelbergæ ex imperatrice Deo dicatæ.

QUia multum devotione & mentis alacritate dominum & seniorem divæ memoriæ Ludovicum quondam Christianissimum imperatorem spiritalem filium nostrum dileximus, nullatenus prætermittimus ejus memoriam in sacris orationibus nostris apud Dominum quotidie facere & quamdiu vixerimus facturos esse scitote, vestrique memores dilectissima filia similiter sumus. Nam Deo teste vestram prosperitatem & salutem semper cupimus vigere incolumem & audire: & super tot ac tantis adversitatibus, quas a filiis hujus sæculi vos sustinuisse cognoscimus, ingenti vobis dolore compatimur & condolemus; quoniam quidem paterno vos diligentes affectu

Orationes pro defunctis.

mœro-

Ps. 118.

Romæ potestate ani ponit.

mœrorem veſtrum noſtrum putamus, & tranquillitatem vitæ veſtræ noſtram eſſe gaudemus: quia & vos pro talibus nefandis & inauditis malis, quæ nulla veterum ſcriptura decantat, nulla hiſtoria narrat, beati Petri apoſtolorum principis vicarium a quolibet imperatore vel rege unquam ſuſtinuiſſe, nos his diebus a Lamberto Spoletano comite pati audientes, ſimili eſſe mœrore afflictos incunctanter agnoſcimus: unde veſtram hortamur dilectionem ut circa nos pium mentis affectum conſervantes, ea quæ utilitati noſtræ congrua vel neceſſaria eſſe perſpicitis, pro viribus agere non prætermittatis. Quia & nos, Deo propitio, ſecundum datam nobis divinitus poteſtatem vobis auxilium, & optatam in omnibus conſolationem conferre avide cupimus, & ſub beati Petri apoſtoli vos, ſi opus fuerit, tuitione protegere, & illæſam, ceu filiam cariſſimam, conſervare ſtudebimus; ſi ad ipſius apoſtolorum prin-
1. Cor. 10. cipis limina vobis venire contigerit. *Interim confortare in Domino: qui conſolatur vos in omnibus, nec patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* De cetero autem ea quæ mandaſtis multis impedimentis occupati, quæ præfatus comes cum multiplicibus inſidiis nobis præparat cupitque inferre quotidie, perficere nequivimus: at Deo tranquillitatem vitamque præbente cuncta quæ veſtræ voluntati utilia ſunt, lubenti animo perficiemus, quibus veſter honor & gloriæ vigor incunctanter appareat integer. Dextera Domini vos in omnibus illæſam conſervare dignetur. Data *ut ſupra.*

LXXXVIII. AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

Deplorat mortem Caroli imperatoris patris ejus: hortatur ut pacem habeat cum regibus conſanguineis ſuis, & eccleſiæ inimicos perſequatur, præcipue Lambertum ducem, cujus diras infeſtationes commemorat: denique in Galliam ſe venturum, ibique ſynodum celebraturum ſignificat.

Ludovico glorioſo regi, filio divæ memoriæ Caroli II. imperatoris Auguſti.

QUanto deinde amore dilectionis, pro tantorum bonorum virtutibus, & pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem veſtrum dilexerimus cultibus, horum, Chriſto conſcientiæ noſtræ teſte, abſque lacrymarum effuſione factorum reminiſci nullatenus poſſumus. Et quamquam gaudendum ſit, quoniam eumdem, poſt felicis curſum operis, inter angelorum cœtum paradiſi ſuſceperint præmia vitæ perennis, flendum nihilominus convenit, quod tantum adjutorem eccleſiarum Domini diffuſarum in orbe præſentia corporali, heu proh dolor! amiſerimus. Præſertim cum hoc in tempore ſancta Romana eccleſia, mater omnium, quæ meæ mediocritati
1. Cor. 10. commiſſa eſt, Jeſu æterni diſpoſitione conſilii, in quo, ut cum apoſtolo pace quorumcumque dixerim, fines ſæculorum devenerunt, in tot perſecutionibus atque adverſitatibus diu laceſſita, domeſticorum debacchatione fatigetur, ut cogar
Pſal. 69. cum propheta erumpens exclamare: *Veni in alti-*
Pſal. 110. *tudinem maris, & tempeſtas demerſit me*: & rurſus: *Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa.* Sed vos, fili cariſſime, hortor ac moneo paterno amoris affectu, ejus imitari in eccleſiarum exaltatione veſtigia vitæ ſpiritalis, cujus floris decore natus regia dignitate exiſtis. Primum ut pacis unitatem vinculumque caritatis cum fratribus veſtris, nimirum Lodovici regis Bajoariorum filiis, cumque fidelibus Chriſtianis tenens, demum contra inſanientis rabiem, atque tyrannos, paterno provocatus exemplo, virtutem roboris, Chriſti auctoritate, in defenſionem matris veſtræ, a qua & potum prædicationis in proavis, & infulam imperii accepiſtis, medullitus viriliterque effundere valeatis. Quia, quod dici ſine lacrymarum imbre nullo modo poteſt, prodiit in hoc tempore apud nos ex maſſa peccati radix ac fomes nequiſſimæ perditionis Lambertus Vvidonis quondam Spoletani ducis horrendus filius, fatemur membrum antichriſti, qui adverſatur & extollitur derogando adverſus ortum regalis progeniei, & ſe turpis lucri cupidum clandeſtina machinatione, rapacitatis ardore, nunc huc atque illuc tervigerſando, cum mecha ſorore Rotilde, cumque complice ſuo infido Adelberto marchione, imo patriæ prædone, ad faſcem, ut vera fama volitat, impudenter, quod Deus avertat, ſuſtollere Romani imperii; & nunc, utpote abominatio deſolationis, atque perditionis filius, caput ſcorpii & aſpidis ſurdæ, deſtruit dilapidans, perque nequam ſuos diſperdit prædones omnem terminum ſancti Petri ac Pauli protectorum veſtrorum, ubi & pro qua re omnes pene noſtri fideles in paupertatem ac neceſſitatem redacti videntur, ſacramentiſque ut ſibi conſpirent, & ne ad noſtram occurrant juſſionem, omnis territorii ſanctorum apoſtolorum homines conſtringere non omiſit. Nunc etiam Tarentum legatione directa Paganis, donaque tranſmittens, atque ab eis accipiens ſuppliciter deprecatus eſt, ut ſibi, cum ſignificatum fuiſſet, phalangæ Agarenæ ad perniciem Chriſtiani populi quantocius deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitiæ, & per perjurium, in ſinu eccleſiæ noſtræ nos deceperit, urbemque ſacram invaſerit, hic ea ideo prætereundo ſilemus, quia in alio opuſculo ad omnium Chriſtianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodavimus, nonnulla conſcripta teneamus. Pro qua re, domine fili cariſſime, contra nova & inaudita in Chriſtianis mala, novum jam feſſus & fatigatus certaminis laborem, navalis ſcilicet periculi, fluctuſque maris, aſſumere * deſiderans, me tantis periculis ad vos veniendo pro eccleſiarum ſanctarum omnium liberatione, juxta apoſtolum, non faciens animam meam pretioſiorem quam me. Et ecce, quantum ad mei miniſterii regimen ſpectat, non recuſo pro Chriſti Domini ovium, ope ejus, liberatione mori, detrimentumque ſufferre. Vos quæſo obnixe, vos, fili cariſſime, lacrymas meas arduumque laborem aſpicite, & ad defenſionem ſanctæ matris veſtræ, veſtrum animum fideliumque veſtrorum adhortatione continua præparate, & mecum unanimiter lupis rapacibus baculos redargutionis ſtudete tenere: quatenus, duce Unigeniti gratia, poſt longa temporum ſpatia, cooperatores effecti noſtri certaminis, de purpura terreni imperii ad coronam venire valeatis perpetuam: & epiſtolas reliquas, quas confratribus veſtris, Carolomanno videlicet, & Ludovico, atque Carolo juniori, dirigimus pro talium adhortatione, precamur gloriæ veſtræ decentiam, eaſdem illis ſine mora deſtinare dignemini, omnibuſque reverentiſſimis archiepiſcopis, & clero totius ordinis regni veſtri, paterna peto adhortatione ſignificari præcipite, quoniam Domino miſerante apud vos ſynodum celebraturi ſumus cunctis populis Chriſtianis perneceſſariam. Quæcumque noſſe vos cupimus, ſane deinceps ſumus acturi de negotiis

* Edit. legit *aſſ re iter tranſmer periculi*

ecclę-

ecclesiasticis. Te quoque, carissime fili, auctoritate sancti Spiritus Dei nostri, ad vicem genitoris vestri domni Caroli perpetui imperatoris Augusti, a secretis constituo meum consiliarium, qui, ut dici assolet, pars animæ meæ fuit, & quæque agenda sunt, coge adunaque consilium: quia in fonte tui cordis primum intingendus calamus, deinde manus nostra formabit characteris apices.

LXXXVIII. AD LUDOVICUM BAJOARIORUM REGIS FILIUM.

Hortatur ad servandam pacem cum patruelibus: invehitur in Lambertum Spoletanum ducem: rogat episcopis significet ut ad synodum accedant.

Hludovico Bajoariorum regis filio.

Prov. 10. SCriptum enimvero in Salomone legimus: *Filius sapiens lætificat patrem, & est gaudium matris quæ genuit eum*: quapropter, quoniam te, Ludovico filio Caroli, Ludovico filio Ludovici regis, æternitatis præscientiæ suæ consilio omnipotens Deus ex regum, imperatorumque est dignatus producere prosapia, & tunc illum plene lætificare contenditis, si vestræ matri ejusque immaculatæ sponsæ adversus insidiantium ictus, atque illius laceratores tota virtute concurritis, omni quoque nixu more parentum, proavorumque vestrorum auxilii consolationem conferre spreta personarum acceptione quarumlibet quantocius festinatis, sancti Spiritus per Salomonem verbis testantibus; *Frater & amicus in angustiis comprobatur*: & bene nobis filiatio adoptionis vestræ spiritualis favere valebit, si pacis & unanimitatis cum fratribus vestris, Christo opifice, concorditer tenere consulte satagitis vinculum: quia in vestra pace, fatemur, totius Christiani populi salus consistit, qua demum necessitate, quave fatigati angustia, relicta sede propria apostolici culminis, compulsi sumus Franciam petere, vosque paterno affectu deposcere, quatenus una nobiscum positi de communi salvatione sanctæ Romanæ ecclesiæ & reipublicæ statu tractaremus, in paucissimis nunc patefacimus: quia in alio opusculo, qualiter nefarie sit peractum, ad omnium Christianorum notitiam reservatur conscriptum; quod luce clarius advertitis. Lambertus Spoletanus perfidus dux Vvidonis quondam stirps, perditionis filius, in quantam superbiam pro cupiditate, ut fama vera se habet, Romani imperii eruperit, in nostris tribulationibus atque angustiis procul dubio cognoscetis ad liquidum: Romam siquidem clandestina fraude devotum venire se simulans, a nobis velut filius pacis benigne susceptus, quid virulenti consilii corde * gestiens in crastinum sequentis diei diluculum demonstravit: nam deputatis custodibus verum etiam satellitibus ad portam urbis, quæ ad beati Petri apostolorum principis euntibus pandit iter, nullum nostrorum fidelium ad nos egredi patiens, cibos deferentes coercens, asserit Carolomannum regem sibi talia horrenda facere præcepisse. Quod idcirco non possumus credere: quoniam ex vestra progenie nullus cervicem superbe contra hanc extulit sedem: sed propter Deum suppliciter colla submisit. Nos fili carissime pro Domini ecclesia & ejus ovibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus undasque salis ad vos veniendo per difficile iter assumpsimus, vobiscumque simul positi Domino miserante universalem synodum celebrare disponimus totius sanctæ ecclesiæ, vobis obsecundantibus, provectum, & exaltationem loco percongruo satagemus peragere. Quod quæso regni vestri omnibus archiepiscopis, coepiscopisque nostris innotescere dignemini, eosdemque nobis adesse, continua maturitate accelerare monete. Data *ut supra*.

Prov. 17. *f.* gereret.

LXXXIX. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Ejusdem pene argumenti.

Dilecto filio Carolomanno glorioso regi.

QUanta denique exaltatione sponsionis vestræ sanctam Romanam ecclesiam, videlicet matrem vestram omniumque Christianorum, quæ vos & lacte suæ prædicationis ab uberibus & ad imperialia a proavis sceptra sanguine regum excellenter produxit, sublevare curetis; & epistolari textu, & internuntiis nuper ad nos directis reminiscimur pleniter, fontemque ubertim cordis vestri solita pietate parentum vestrorum circa omnipotentis Dei famulatum miseratione abundare reperimus: vestrum quoque ad prædictam matrem vestram, uti gloria culminis vestri spoponderit, tanto avidius, enixiusque quotidiana præstolatione adventum expectavimus, quanto pro augmento mercedis vestræ nos, nostramque ecclesiam in tot adversantibus laborantem, super omnes imperatores atque reges, qui ante vos fuerunt, exaltare ac beatificare omnimodo promisistis. Sed heu proh dolor! fesso mihi paganorum persecutione, ac gladio, atque * exactionis census viginti quinque millium in argento mancusorum annualiter, imo prædictæ vestræ matri additus civilis mucro angustiæ est, qui pene nos funditus peremisset, nisi subita miseratione illius solaremur auxilio, qui fidelibus pollicens inquit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Exierunt quidam ex nobis, sed non fuerunt ex nobis, confitemur * neque ex nobis, qui tanta Romanam ecclesiam dehonestatione, urbemque sacram, nos quoque fatigaverunt atque oppresserunt, ut simile, nec in Christianis regibus factum reminisci ullo modo possit. Lambertum fateor, atque Adelbertum elatos marchiones, qui hostili manu occultaque fraude qualiter nos affecere, culminis vestri gloriam latere nulla potuit ratione: quod ad omnium vestrum notitiam in suo scriptum tenetur opusculo. Nobis enimvero ad vos inter cetera mala iter clausere venire cupientibus; qua necessitate compulsi, navale, animam præ manibus habentes, assumpsimus laboriose periculum, & commodum duximus Franciam ire, vestramque fraternam compagem in pacis & unanimitatis vinculum consolidare: vestræ matris sæpe dictæ liberationem sanctæ Romanæ ecclesiæ necessario quærere. Vos siquidem illuc, omnesque vestrorum regnorum episcopos ad synodum celebrandam venire hortamur. Data de civitate Genuensi, & directa gloriæ vestræ per Anspertum Mediolanensem confratrem & coepiscopum nostrum.

* Præsentem latorem Petrum cardinis ecclesiæ nostræ presbyterum gloriæ vestræ plurimum commendamus, eumque ad nos quæsumus cum vestris missis, atque opitulatione festinanter remittite. * Sabbatinum episcopum primum & postea per Anspertum Mediolanensem, de qua multum miramur, cur non jam a vobis responsum vel missos accepimus: nos cum foret possibile primum, saltim per legatos vobiscum loqui cuperemus: deinde cum reliquis fratribus vestris: quod quia vestra infirmitate, quam nimium dolemus,

est

* *Forte*, exactione. H.

Matth. 28.

* *Forte melius*, neque ex vobis. H

* forte initium alterius epistolæ.

* desunt aliqua.

est prætermissum, nunc apud Trecas, Christo opitulante, synodum sumus celebraturi, loquemurque cum Ludovico, & reliquis vestris fratribus, & post Kalendas Augustas ad vos revertemur: tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate, quo nobis debeatis occurrere, & laborem pro vestra matre sancta Romana ecclesia non recusate assumere; quia *si fueritis socii laboris, simul eritis & consolationis*: & in hoc quæso perficiendo non sit ulla dilatio. Data *ut supra*.

2. Cor. 1.

XC. AD CAROLUM REGEM.

Excusat se quod ad eum legatum non miserit, intercluſa sibi via a Lamberto ejusque fautoribus, qui urbem Romam tenebant obsessam.

Carolo glorioso regi dilecto filio.

IGitur gloriæ vestræ literarum serie recepta & lecta, ut de more antecessorum regum videlicet, & imperatorum, vestrorumque dumtaxat parentum erga Romanam ecclesiam, cujus lac vestram prolem hactenus educaverit, in cunctis omnia vos desiderare & assequi novimus; paterno affectu gratias agimus, & qualiter scripsistis imo tenemus. Ceterum pontificium nostrum vestra percunctari dilectio studuit, cur vobis non misimus ob quid taliter veniſſemus: Et vobis, & fratribus vestris glorioſis regibus, antequam ex urbe exiremus, mittere voluimus, sed officientibus Lamberto & Adelberto, fautoribusque eorum anathematizatis, mittere nequivimus. Nec mirum, si ipsi nobis viam sustulerint, cum & ipsius beati Petri apostolorum principis ecclesiam, vestram denique matrem, & omnium Dei ecclesiarum tutricem, armis triginta diebus circumdatam tenere non formidaverint: ita ut nec ibi aliquam alicui luceruam illuminare, nec laudes Deo conferre liceret, præter postquam urbem exivimus; fratribus vestris glorioſis regibus mittere fategimus, ut vobis super talibus intimaremus: sed cum vos magis juxta audimus, ita mittere cogitavimus. Quo loco ab ipsis significatur pro pacis & unitatis tranquillitatisque omnium Dei ecclesiarum negotio; primo venimus, quo vos quatuor reges unum legitimumque velle, annuente Deo, nihilo minus faciamus, ut psalmista cecinit: *Ecce quam bonum & quam jucundum est habitare fratres in unum*, & reliqua. Dehinc volumus ut ita conventi nostras oppressiones audire compatiamini. Quapropter, fili carissime, quoniam te valde illuxit *. Data *ut supra*.

Psal. 132.

* Deest aliquid.

XCI. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Scribit in anniversario die Ludovici ejus viri sacra pro eo se facturum, rogat ut in sui defensione perseveret; & synodum Trecis se habiturum significat.

Dilectæ filiæ Angelbergæ imperatrici divæ memoriæ quondam domni Ludovici piissimi imperatoris conjugi.

QUia intimasti pontificio nostro anniversalem magnæ recordationis domni Ludovici imperatoris fieri, & ut pro eo proprias orationes celebraremus rogasti; gaudemus, & impigre suo pro merito modis omnibus faciemus. Cete-

A rum rogamus, ut, ceu hactenus in nostris fuistis solicita, haud secus & nunc & perpetuo esse, prout credimus, non differatis: quatenus vestro labore vestroque consulto cito ad propriam sedem, ut congruit, cum gaudio per merita apostolorum principum reverti mereamur. Porro vos scire cupimus quia apud Trecas in Kalendis Augusti una cum rege Ludovico imperatoris Caroli filio, & cum universis Galliæ episcopis synodum universalem celebrabimus: dehinc Carolomannum regem, suosque germanos alloquemur, ut pari omnium consilio consolationem nostræ ecclesiæ reperiamus.

XCIII. AD EAMDEM.

Arelatem se veniſſe significat, ibique omnia prospera reperiſſe: hortatur ut Romanæ ecclesiæ commodis prospiciat.

Dilectissimæ filiæ domnæ Andelbergæ imperatrici piæ memoriæ domni Ludovici invictissimi imperatoris conjugi serenissimæ Augustæ.

CUm erga Romanæ ecclesiæ privilegia immenso velle, immenso & opere decus imperii vestri decertare, & ad perfectum ducere semper * adhaurimus & amemus, Christo favente, perpetuo magnitudinem tantæ vestræ devotionis scire cupimus: Ecce Arelatem regni delitiarum vestrarum sani intravimus, summo arbitre permittente, per intercessionem apostolorum principum: illicque Bosonem principem generum vestrum, communem & filiam domnam Hermengardam alloquentes, omnia prospera & jugiter desiderata invenimus, & pro amore vestro, vestri nuper & piissimi conjugis, illos tamquam filios amplectentes, pro eorum consulto, illorum cum honore cuncta faciemus: quoniam ceu per vos, haud secus per istos consolationem & defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ quærimus, eosdemque permissu Dei ad majores excelsioresque gradus modis omnibus, salvo nostro honore, promovere nihilo minus desideramus: Quapropter monentes hortamur ut tanto labori faveatis, ejusque perfectionem, prisco vestro consilio perfruentes, certis literis per singula nobis, & illis sine mora intimare minime differatis. Ceterum rogamus, ut Joanni archiepiscopo Ravennati mittatis epistolas ex nostra parte consolatorias, incitantes ut pro nobis orationes faciat, & contra Dei inimicos se præparare nequaquam formidet, & nostris fidelibus Romæ legatos consolando transmittat: & vos, si fas est, aut mihi apud vos est impetrandi facultas, Leoni episcopo misso & apocrisiario nostro, & Petro, super ista, ceterisque fidelibus literas vestras mittite, confortantes ipsos ut scitis & vultis.

* for. rimus, anhela mus.

Herm dz, fiv mingar liæ Lu II. imp toria nit Re lib. 2. Aimoi 5. c. 32.

XCIV. AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM. (a)

Suas illi vices in Gallia, & pallii usum concedit.

Reverentissimo & sanctissimo fratri Rostagno archiepiscopo Arelatensi.

OQuam bona est caritas, quæ absentia per imaginem præsentia sibimetipsi exhibet per amo-

S. Greg. l. 4. epi

(a) In editione Romana & ex ea in collectionem epistolarum Joannis VIII. hujus epistolæ portio incipiens ab *itaque fraternitati* &c. ponitur tamquam nova epistola ad Archiepiscopum Arelatensem missa. Illam nos in hac collectione omisimus tamquam supervacaneam. *Manſi*.

amorem! divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat; quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas caritas etiam ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeat. Hac itaque virtute, frater carissime, plenum te esse reperiens, cum pro sanctarum Dei ecclesiarum restauratione in Arelatensium civitate corporalem præsentiam exhibuissem, sicut mihi de te multorum testimoniorum fama vera longe lateque narraret. Quod vero juxta antiquum morem usum pallii ac vices sedis apostolicæ postulasti, absit ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus nostris ac pallio quæsisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis apostolicæ vestra fraternitas repetit, quid aliud quam bona soboles ad sinum matris recurrit? Libenti ergo animo postulata concedimus ne aut vestræ ecclesiæ quidquam de debito honore subtrahere, aut condignam petitionem vestri contempsisse videamur. Sed jam nunc studio majore res indiget, ut cum honor crescit, etiam solicitudo proficiat, & erga ceterorum custodiam vigilantia excrescat: vitæ quoque merita subjectis in exemplum veniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cælestis patriæ vestra fraternitas exquirat. Nostis enim quid beatus apostolus gemens dicat: *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi*. Quibusdam namque narrantibus agnovi, quod in Galliarum vel Germaniarum partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex evangelio quid redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere est de sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo ut prædixi malo jam innuitur quid sequatur, quia in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt, qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui pretio ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venumdare quod emit. Ubi est quod scriptum est? *Gratis accepistis, gratis date*. Et cum prima contra sanctam Dei ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat? Itaque fraternitati tuæ vices nostras in ecclesiis quæ sub regno Galliarum sunt juxta antiquum morem Deo auctore committimus: singulis quidem metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato. Pallium quoque concessimus quo fraternitas tua decoretur. Sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate ei ad loca alia transire non liceat. Si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur atque decidatur; sin autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur *. Proh dolor! cum in Galliæ partibus essemus, inter cetera unum valde prohibendum invenimus: metropolitæ, antequam pallium a sede apostolica suscipiant, confeerationem facere præsumunt: quod antecessores nostri & nos canonico decreto ne fieret interdiximus. Unde fraternitatem tuam sanctam per Galliam nostram vicem tenentem hortamur, quatenus super hoc solicitudinem habeas, & ne istud adoleat, auctoritate prohibeas: & ut secundum antiquum morem quærere festinent moneas, incites, atque præcipias: & si ipsi obediant, nec ne, nostro apostolatui super omnia renuncies, si potest in nativitate apostolorum, aut per vos, aut per nostrum legatum aliquem certis literis intimare ne differas. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus servare concedat. Data *ut supra*.

XCV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

Ut Rostagno Arelatensi episcopo, cui vices suas in Gallia commisit, omnes obediant.

Omnibus reverentissimis & sanctissimis episcopis & fratribus per Gallias constitutis.

AD hoc divinæ dispensationis provisio gradus & diversos constituit ordines inter se distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus diligentiam impenderent, una concordiæ fieret a diversitate contextio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cælestium militiarum exempla nos instruunt: quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ita constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere, cui novit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax, & caritas mutua se vice complectitur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus: idcirco opportunum esse perspeximus, in ecclesiis quæ sub regno Galliarum secundum antiquam consuetudinem sunt, fratri nostro Rostagno Arelatensis civitatis episcopo vices nostras tribuere: quatenus & catholicæ fidei integritas, id est sanctarum quatuor synodorum, Deo protegente solicita devotione servetur; & si inter fratres consacerdotesque nostros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Cui etiam injunximus, ut si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi numero competenti fratribus & coepiscopis nostris, salubriter servata hoc æquitate discutiat, & canonica auctoritate definiat. Si quam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio sedis apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Cui etiam injunximus, ut nullum archiepiscopum in his partibus sine pallio a Romano

S. Gregorii lib. 4. ep. 32.

pontifice directo consecrationem facere permittat, & facientes nostra auctoritate arguat. Et quoniam necesse est, ut ad eum cui nostras vices indulsimus, quoties oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant episcopi temporibus convenire; hortamur ut nullus mandatis ejus inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cujusdam eum causæ justæ excusatio minime venire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequierint in synodum convenire, loco suo presbyterum aut diaconum dirigant; quatenus quæ a nostro vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum, qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatione perveniant, ut inconvulsa firmitate serventur, & nullius ea audeant occasionis excusatione violare. Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris & coepiscopi nostri Rostagni auctoritate tentet aliquo modo proficisci; scientes quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus concesserunt, sic procul dubio mandata definiunt. Hortamur præterea ut de officio suo sit quisque vestrum solicitus, & qui promissam cupit patriæ mercedem portionis accipere, commissum sibi gregem solicitudine & oratione custodiat; ne lupus insidians oves creditas invadendo dilaniet; & sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres carissimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, ut dilectionem vestram boni amoris sui constantia faciat magis magisque ferveſcere, atque in pace ecclesiæ & una vos concedat manere concordia. Nunciatum vero nobis est quia per Simoniacam hæresim ad sacros ordines quidam adducuntur, & hoc sancto fratri & coepiscopo nostro Rostagno per omnia prohibendum mandavimus: quod ut fraternitas vestra cognoscat & custodiat, ipsa vobis est epistola relegenda. Data *ut supra*.

XCVI. AD ISAAC EPISCOPUM LINGONENSEM.

Ut Trecas ad synodum veniat, & Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo deducant.

Reverentissimo Isaac venerabili episcopo Lingonensi.

QUod sanctitati tuæ notum esse non ambigimus, pro sanctarum ecclesiarum statu ad Galliarum partes devenimus. Quapropter, Domino auxiliante, apud Trecas synodum sumus celebraturi, ad quam sanctitatem tuam volumus omnino adesse. Prius tamen venerabilitas tua nobis missos Cabilonum dirigere studeat, qui iter nostrum recto tramite ad prædictum dirigant locum; & per parochiam vestram nobis congruas mansionaticas præparate, id est in villa Marmania, in pago Alhensi. Data *ut supra*.

XCVII. AD OMNES CHRISTIANOS.

Excommunicat eos qui sibi equos & argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies restituant.

Omnibus episcopis, comitibus, & cuncto populo Christiano.

NOtum sit quia dum pro pace & unitate sanctarum Dei ecclesiarum in Gallias venissemus, apud Cabilonum civitatem ad injuriam sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & nostram, multam inhonorationem sustinuimus. Inter quæ equi nostri nocturno silentio nostris hominibus secure quiescentibus, a concivibus prædictæ civitatis latrocinanter furati sunt. Quapropter nos, qui secundum officium ministerii nostri pullulantia vitia gladio spiritali resecare mature debemus, hoc malum cælesti mucrone percutimus: ita ut nisi prædicti equi, & alia furta, nostris hominibus intra tertium diem reddita fuerint, prædictos fures, cum omnibus consentaneis suis, eo quod latronibus latebras præbeant, & excommunicabimus, & anathemati submittemus. Inter hæc Aduvardum presbyterum, qui nobis in monasterio Flaviniaco ministravit, cujus homines scutellam argenteam sancti Petri, nescio utrum consensu illius, an non, furati sunt, pro sacrilegio furti excommunicamus, & pari sententia ut supra, nisi eam reddiderit, constringimus. Data *ut supra*.

XCVIII. AD EPISCOPOS SUFFRAGANEOS ARCHIEPISCOPI ARELATENSIS.

Jubet ut cum archiepiscopo suo, simul ac vocati fuerint, ad Trecensem synodum veniant.

Omnibus venerabilibus episcopis suffraganeis coepiscopi & confratris nostri Rostagni Arelatensis.

NOtum sit omnium sanctitati, quia Domino opitulante perneceſſariam universam synodum sumus celebraturi; ad quam, mox ut vos prædictus archiepiscopus vester apostolatus nostri literis convocaverit, omni postposita occasione, obedientiæ vicino gressu occurrere satagatis: quoniam sicut in communi conventu, gratia Christi duce, paternis parentibus jussis erit exaltatio; ita, quod non optamus, subtrahentibus se ab hoc magno collegio est subsecutura confusio. Apud urbem Lingonensem IV. Non. Junias. *Similiter Otteramno archiepiscopo Viennensi, Aureliano archiepiscopo Lugdunensi, Rotberto archiepiscopo Aquensi, Teutranno archiepiscopo Tarantasiensi, Sigibodo archiepiscopo Narbonensi; Ariberto archiepiscopo Ebredunensi.*

XCIX. AD DIVERSARUM SEDIUM ARCHIEPISCOPOS.

Hincmaro archiepiscopo Rhemensi, Ansegiso archiepiscopo Senonensi, Frotario archiepiscopo Bituricensi, Jo: archiepiscopo Rothomagensi, Adelardo archiepiscopo Turonensi, a paribus.

CAnonica instituta servantes, oportet nos, quotiescumque ecclesiæ ingerunt passiones, sacerdotum collegia aggregare, ut his simul convenientibus, salubre universæ ecclesiæ concilium, & totius Christianitatis fidem eidem imponant, & æquitatum omnium * moderamina queant congrue dilaniari. Idcirco vestram hortamur sanctitatem, dum de Ludovici glorioſi regis adventu audieritis, quando ad nos venire conaverit, in eo loco celebraturi concilium incerte tenemus, sed vos audientes comperietis, mox ut præsentes susceperitis nostras apostolicas literas, omni mora sepositā ad nos venire non differatis. Ita profecto de vestræ unanimitatis & pacis concordia mentis jucunditas uberius multiplicetur, ut conventus universorum, & vestræ devotionis concursus, nec solum ad favorem hominum, sed

* *al.* ramine dilima *est* exa ri.

eccle-

ecclesiis ad laudem potissimum proficiat creatoris. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data IV. Idus Junias, ind. XI.

A

† Chr. 878.

C. AD TEUTRANNUM TARANTASIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Monet ut sibi cum suffraganeis suis obviam veniat, & Adalbertum synodo adesse jubeat, ut rationem reddat eorum de quibus Bernarius episcopus questus fuerat.

Venerabili archiepiscopo Teutranno.

Miramur fraternitatem tuam, cur nostrum in has partes audiens adventum, nos ob reverentiam beati Petri apostolorum principis, & nostram, more ceterorum venerabilium archiepiscoporum minime consolari & occurrere studuisti. Qua admiratione jam diu suspensi, monemus fraternitatem tuam, ut nobis citius occurrere cum tuis suffraganeis, quos tecum adducere præsentialiter poteris, non differas, ut simul de utilitate ecclesiæ tuæ tractare valeamus. Innotescimus denique, quia venerabilis frater & coepiscopus noster Bernarius, nostram nuper adiens præsentiam, reclamavit se super fratre Adalberto suffraganeo tuo, de quo jam Romæ proclamaverat, & libellum suæ reclamationis ostenderat. Unde tibi, & Viennensi archiepiscopo, epistolas direximus, ut amborum querimonias ventilantes, quæ canonum sunt instituta dijudicaretis: insuper Arelatensem archiepiscopum, Valentinensem quoque & Vivariensem episcopos, huic assertioni testes adesse jussimus. Sed quia variis præpedientibus causis hactenus eorum indiscussa manet causatio, jam præcipimus monendi auctoritate, ut ubicumque a nobis fuerit synodus indicta, canonice eum inibi adesse jubeas, paratum in omnibus ad rationem reddendam. Quod si defuerit, vide ne ejus in te retorqueatur sententia: ipse vero sciat, a se de absentia sua lucrum non percipiendum. Data *ut supra*.

B

C

CI. AD HINCMARUM RHEMORUM ARCHIEPISCOPUM.

Ut ad synodum Trecensem absque mora cum suffraganeis suis veniat.

Hincmaro venerabili Rhemorum episcopo.

Fama tuæ fraternitatis longo exacto jam tempore bona notitia nos quoque celeberrime lætificavit: quantoque te desiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus possumus, præsertim cum causa exigendæ utilitatis ecclesiasticæ petere has partes decreverimus. Quapropter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ diu desideratam miramur a te nobis hactenus dilatari. Unde apostolica atque paterna auctoritate monemus, ad synodum præsentem, quam Deo auctore Trecis sumus celebraturi, absque mora cum cunctis suffraganeis diœceseos vestræ studeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum iterumque hortamur omni postposita tarditate quantocius properate venire, quoniam antequam ipse nobis carior atque utilior veneris, sanctarum Dei ecclesiarum causas tractare differimus. Tantum monemus, rumpe moras, & satage properare celerrime, atque agiliter. Data *ut supra*.

D

E

CII. AD MIRONEM ET HUNCFRIDUM FRATRES.

Mironem & Huncfridum multorum scelerum reos ad synodum venire jubet.

Mironi & Huncfrido germano suo.

Quanta ad apostolatum nostrum relatione quarumdam transgressionum vestrarum mala atque perversa fuerunt nunciata, hæc fateor lacrymabiliter nominamus, apostolicaque auctoritate citissime corrigenda jubemus, si sancti Spiritus potestate non vis tu, Miro, merito nequitiæ tuæ ab omni consortio Christianitatis separari, & infermi flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ terram universam redegisti in solitudinem: ecclesias, ut asserunt, ministris expoliasti: castella ipsius terræ callide ac fraudulenter invasisti. Qua compulsi necessitate homines Bernardi glorioši marchionis, cum multitudine hominum tuæ rabiei occursando, aliqua in eadem terra perperam egerunt: ut velut Jeroboam filius Nabath, qui peccavit & peccare fecit Israel, auctor omnium peccantium existas. Ideoque ad universalem synodum nostram, quam Deo auctore in proximo sumus celebraturi, Lugdunum venire te occasione omni postposita volumus, si funditus, ut dictum est, non vis gladio divino mulctari. Lindoinum quoque vicecomitem audimus potestate, uti horrende denuncio, uti sacerdotali in parochia Sigebodi Narbonensis archiepiscopi, presbyterosque tuos in ejus exteris subrogare ecclesiis: quod concite tuæ vitæ consulentes corrigere & emendare mandamus. Te vero Huncfridum ex diaconatus officio, & venerabili monachico habitu, apostatam audimus & dolemus effectum. Quapropter vel sera te pœnitentia per Domini misericordiam libera, & ad monasterium quanto citius confuge: vel si de tua confidis conscientia, ad synodum nostram de illatis tibi atque objectis te purgandum occurre: ne si prætermiseris, anathematis vinculo, utpote apostata & rebellis, alligeris. Data *ut supra*.

1. *Reg.* 14.

CIII. AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

Ut ad synodum cum suffraganeis suis quamprimum veniat.

Rostagno venerabili archiepiscopo Arelatensi.

Quia omnipotentis Dei miseratione universalem synodum sumus celebraturi in proximo, te, omnesque tuos coepiscopos suffraganeos, volumus, auctoritate apostolica admonemus, expresseque mandamus, ad hanc omni postposita occasione quantocius præsentare, exceptis eis obstaculis, quibus remorandi licentiam sacri canones tribuunt. Alias, quod non optamus, quicumque se a tanto hac vice collegio subtraxerit, particeps de reliquo nostræ communionis esse nullatenus valebit. Data *ut supra*.

CIV. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Ut ad ſynodum cum ſuis ſuffraganeis Trecas veniat.

Frotario venerabili archiepiſcopo Biturigenſi.

AUditis denique deploratione atque anguſtia literis tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi comitis ſunt illatæ, recens dolor priori eſt augmentatus, & quod tibi ſedis tuæ aditus clauſus, mihimet ipſi id reputo. Hortamur interim dilectionem tuam patienter ſuffere, & ad Trecas cum fratrum coepiſcoporumque noſtrorum collegio diœceſeos tuæ ad ſynodum Domino cooperante celebrandam quantocius properare. Ludovici regis amantiſſimi filii noſtri adventum præſtolamur quotidie, inhianterque deſideramus. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data *ut ſupra*.

CV. AD BERNARDUM MARCHIONEM.

Monet ut Frotario aditum ad ſuam ſedem patere faciat.

Dilectiſſimo filio Bernardo nobiliſſimo marchionum.

QUia tempore nonnullos diligimus ſpecialius, idcirco in his quæ nobilitatem veſtram Deum offendere cognoſcimus, vos paterno increpamus affectu: præſertim de cauſa Frotarii venerabilis epiſcopi, cui, ut audimus, veſtri homines iter civitatis ſuæ, ne ad ſedem ſuam ingrederetur, temerarie clauſerunt. Epiſcoporum judicium, fili cariſſime, ſuo tantummodo Dominus ſervavit arbitrio, nec de epiſcopis vult laicos judicare; unde monemus dilectionem tuæ caritatis, ut quidquid in hac cauſa prædicti epiſcopi deliquiſtis, ſub celeritate & legaliter emendare ſtudeatis: quia nos illud, niſi pro digna emendatione, inultum remanere nullo modo patimur officio ac miſterio ſacerdotali. Optamus nobilitatem veſtram bene valere. Data *ut ſupra*.

CVI. AD ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Ut Ludovicum Germaniæ regem, ejuſque fratres adhortetur ut ad ſynodum veniant, aut legatos mittant.

Venerabili archiepiſcopo Liutberto Moguntino.

ECcleſiaſtica exigente utilitate, quoniam Deo duce cauſæ ad Galliarum partes venire commodum duximus; quapropter fraternitatem veſtram neceſſario commonere ſtudemus, ut ſecundum cælitus ſibi ſapientiam datam frequenti adhortatione ſuggeras Ludovico regi, aliiſque confratribus, ut ad noſtræ mediocritatis colloquium, atque generalem ſynodum, juxta Chriſti voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat, vel ſi aliqua neceſſitate prædictus rex præpeditus fuerit; &, ut non optamus, properare diſtulerit ad locum prædictum, quo cum Ludovico rege locuturi ſumus, nomine tenus deſtinet; quatenus ſub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Chriſtianitatis, Dei gratia duce, conſulere communiter valeamus utilitati. *Similiter VVilliberto archiepiſcopo Agrippinæ, VVittecherio venerabili epiſcopo, & Bertulfo archiepiſcopo Trevirenſi.* Data *ut ſupra*.

CVII. AD SUPPONEM COMITEM.

Agit gratias de fidelitate erga Romanam eccleſiam; quædam apud Carolomannum facienda injungit.

Dilecto filio Supponi glorioſo comiti.

PRimum quidem devotioni veſtræ magnas gratias agimus, quia priorem fidelitatem, quam circa ſanctam Romanam eccleſiam habueras, in ſequentibus quotidiano labore opere admonſtrare non deſinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, veſtris potius conſiliis præ cunctis acquieſcimus. Tantum vobiſcum Anſpertum & VVibbodum epiſcopos aſſumite: & apud Carolomannum regem omnia noſtra ordinabiliter ponite. Hoc tamen ſummopere cavete, ne aliqua fraudis aſtutia decipiamur: & quidquid ex hoc facietis, ſub omni feſtinatione facere accelerate: mihi tempus & locum denunciate, quo occurrere debeatis ad nos recolligendum: & ne forte aliqua dubietas animo veſtro inſideat, duas mandamus epiſtolas prædicto regi, quarum unam vos legite, ut cognoſcatis quod continet, quam aut ipſe deferas volumus, aut per idoneum hominem veſtrum tranſmittas: quia nos in hac terra ſtare non poſſumus niſi uſque in Kalendas Auguſtas; quia poſtquam in terram hanc venimus, cum Hludovico rege loqui debemus. Feſtina quantocius, ſicut ſolitus es, noſtræ eccleſiæ cauſam peragere, ut apud Dominum merces veſtra copioſe accreſcat. Data *ut ſupra*.

CVIII. AD LIUTBERTUM ARCHIEPISCOPUM.

Monet ut Boſonis filiabus hæreditatem reſtitui faciat.

Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Liutberto archiepiſcopo.

FRaternitatem tuam recordari volumus, qualiter jam de proprietatibus Boſonis & Engeltrudis tibi ſcripſerimus, monentes ut ipſas, quas vos allodum dicitis, filiabus eorum ſæpe reclamantibus reddere deberetis: quoniam omnium legum auctoritate legitimi filii ſunt veri hæredes, ut veſtra bene noſcit religioſitas, iterumque hortantes monemus, apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus; jam quia noſtras literas audire diſtuleras, & ſuper his hactenus reſpondere neglexeras, volumus, ut ad cor rediens, ipſas ſæpe reclamatrices, aut homines ipſarum inveſtire de jam dictis proprietatibus ſatagas, veſtroſque earum, & alios invaſores ſimiliter facturos, noſtra auctoritate excommunicando permoneas: quoniam juſtus Dominus juſtitiam dilexit, & æquitatem vidit vultus ejus. Et ſi forte ſpurius Godefredus, aut aliquibus ipſa mœchans Engeltrudis, ſine viri conſenſu quoquomodo donaverit, contendere voluerit; noſtra apoſtolica auctoritate, donec reddiderint, quia ſanctientibus Joanne papa Romano & Juſtiniano imperatore ſcriptum eſt, ſpurios ſatis injurioſos, ſatiſque acerbos, & noſtris temporibus ſemper indignos eſſe dijudicamus: quapropter convenit reverentiam veſtram illum ſemper monere. Por-

In auth de hæred. inteſ. v §. 1.

Erat ad terium de tum in ju cium, ut epiſt. 10 apparet. In authe Bona dam torum, dice de d proſc. ſe damn.

ro hortamur ut quoquomodo monuimus compleas, quoniam si aliter feceris, scias te canonica damnandum censura, ut debeas illos excommunicare. Data *ut supra*.

CIX. AD MATFREDUM COMITEM.

Monet ut Bosonis comitis filiabus hæreditatem restituat.

Matefredo illustri comiti.

SUggerentibus videlicet filiabus Bosonis nuper comitis, & Engeltrudis conjugis, proximæ vestræ, audivimus ut allodes suos vos invadentes tenere non formidetis. Super quo miramur, cur tantæ sapientiæ vir hoc facere non erubescas. Nonne scitis quoniam in hæreditate suscipienda omnibus cognatis præferendi sunt filii? Illa vero mœchans alicui sine consensu viri ex his aliquid dare nequivit omnium legum auctoritate. Unde vos monemus, hortamur, apostolicaque auctoritate jubemus, ut ipsas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reverentia principum apostolorum, a quibus per me petiere auxilium, minime differas: quoniam si aliter feceris, scias te canonica feriendum censura. Data *ut supra*.

CX. AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

Jubet ut quamprimum veniat, & episcopum in ecclesia Lausanensi, propter electorum divisiones, priusquam una colloquantur, ordinari vetat.

Reverentissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo Bisuntinensi confratri nostro.

IGitur quia fraternitas tua, apostolicæ & universalis Dei ecclesiæ persecutiones audiens, compati modis omnibus distulit, nosque, pro eo & cunctis aliis laborem sumentes, quoquomodo visitare neglexit, satis miramur, & ex parte turbamur, cum in te taliter caritatem frigere cognoscimus. Nonne Veritas ait: *Si frater fratrem* rov. 18. *adjuverit, ambo exaltabuntur?* & Sapientia loqui- ibidem 17. tur: *Frater & amicus in laboribus comprobatur.* Et prædecessor noster Gelasius papa, terrendo in suis decretalibus, episcopis parvipendentibus fratrum vexationes scribit: Cur non compassi estis? & reliqua. Quapropter monemus, ut hactenus te negligentem pernoscas, & ad despectam caritatem nihilo minus, postpositisque omnibus curis, ad nos visitandos una cum hoc nostro misso præsentialiter venire satagas. Ceterum audivimus, & auditu dolemus, ut in ecclesia Lausanensi, quæ sine patre nunc cernitur, sit orta contentio, ejusque filiorum in electione antistitis sit nefanda divisio. Unde monemus per Deum Patrem & Filium & sanctum Spiritum obtestamur, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, & interdicimus, ut quoad ad commune eloquium nostrum pervenias, ibi episcopum neque jussu regis, neque ex petitu plebis consecrare præsumas, quatenus cum una allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi consulto, quem utiliorem præviderimus, consecrare permittamus de more. Quæ hic scribere omisimus, huic legato nostro Deusdedit glorioso magistro militum, & duci, consiliarioque nostro, ut verbis dicat injunximus: quem benigne recipite, & quæ vobis ex nostra parte tulerit, indifferenter audite. Data *ut supra*.

CXI. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ne quisquam Pictavensis ecclesiæ bona invadere & diripere præsumat, & ut ablata restituantur.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus scilicet atque futuris.

DIvino quia Romanum pontificium largitu enitet universis, &c. *Extat infra in concilio Tricassino II. numero* 8.

RECLAMATIO ET PROCLAMATIO HINCMARI QUI QUONDAM PRÆERAT ecclesiæ Laudunensi.

De Hincmaro Laudunensi episcopo Ado in fine chronicorum, Aimoinus lib. 5. cap. 37. * Et nos infra plura cum Cellotio.

Exponit quæ a suo archiepiscopo injuste passus sit, & ad summum pontificem provocat.

DOmne & summe pater patrum, & rector pontificum, &c. *Extat in concilio Tricassino II. num.* 9.

CXII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM BURDIGALENSEM.

Monet ut ad synodum una cum episcopis suis accedat, seque comparet ad respondendum iis quæ objiciebantur.

Frotario venerabili archiepiscopo Burdigalensi.

AD synodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, &c. *Extat infra in concilio Tricassino II. num.* 10.

CXIII. AD ADELARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Confirmat privilegia ecclesiæ concessa.

Reverendissimo & sanctissimo Adelardo venerabili archiepiscopo Turonensi, successoribusque tuis, nec non & omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus scilicet, atque futuris.

DEcet enim Romanam ecclesiam, quæ mater est omnium Dei ecclesiarum, &c. *Extat infra in concilio Tricassino II. num.* 11.

CXIV. AD VALDERAMUM.

Monet ut Valderami causam ad exitum perducat, vel ad se remittat.

Valderamo venerabili.

PRæsentium lator literarum nomine Valderamus, ad vestram fraternitatem coram nobis veniens lacrymabiliter questus est, patrem suum a quodam injuste carceris custodia teneri detrusum intra parochiam vestram. Quapropter tuæ fraternitati auctoritate nostri apostolatus jubemus, attentius prædicti genitoris causam sacerdotali succinctus vigore inquirere, eique finem, legaliterque terminum dare, si negotii status inambiguus a futuris prospicitur. Quod si anceps vestro fuerit visa libramini, utrasque partes suis allegationibus instructas venire in præsentiam nostram

noſtram omnino mature mandamus. Data *ut ſupra*.

CXV. AD BERNARDUM COMITEM.

Jubet ut ipſe cum aliis quibuſdam ad ſynodum veniat, in qua Frotarius Bituticenſis epiſcopus de objecto ſibi infidelitatis crimine purgare ſe volebat.

Bernardo comiti.

RElatu videlicet hominis pontificio noſtro nunciatum eſt quod Frotarius venerabilis epiſcopus civitatem Biturigam inimicis veſtri ſenioris domini Ludovici glorioſi regis tradere maluerit, ideo illuc ipſe contendere ſtuduerat. Ecce enim idem jam dictus epiſcopus nobis, noſtro & filio præfato regi glorioſiſſimo, ſuper hoc reclamare ſtuduit, dicens ſe velle in omnibus tibi & tuis de univerſis objectis contra tui & ſui ſenioris infidelitatem, juſtitiam facere. Quapropter hortantes mittimus, apoſtolicaque auctoritate jubemus, ut ad hoc placitum, ad huncque conventum præſentialiter venire ſatagas, adducens tecum Girardum vicecomitem, Umbertum, Aguvarnum, Ingelbertum, ſuper quos ipſe reclamat: quatenus nunc coram nobis, & coram ſæpe dicto glorioſo rege, tam canonica cenſura, quamque humanæ legis ſancitu, inter vos, quidquid contra fas & jus factum fuerit, nihilo minus finiatur. Data *ut ſupra*.

CXVI. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Commendat illius fidem, hortatur ut legatum mittat antequam cum Carolomanno in colloquium veniat, cui eum quoque intereſſe jubet.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo VVibbodo venerabili epiſcopo.

IN lectione literarum veſtrarum, & in relatu earum geruli hominis veſtri, & vos devotiſſimos, & ut ſemper, novi fidiſſimos; pro quibus vobis gratias agimus, & Deo auxiliante retribuemus. Interea monentes hortamur ut cœptum perficias, & antequam Carolomannum alloquamur, veſtrum legatum cum literis mittere ſatagas, & in colloquio ubi fueris, tua præſentia eſſe ſtudeat. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere, maxime in hoc. Data *ut ſupra*.

CXVII. AD CAROLUM REGEM.

Agit gratias de obſervantia erga Romanam eccleſiam: miratur quod ad ſe legatos non miſerit: rogat ut ante colloquium, quod cum Ludovico rege habiturus eſt, aut ipſe veniat, aut legatos mittat.

Dilecto filio Carolo glorioſo regi.

QUod pro pace & unitate ſanctarum Dei eccleſiarum, omniumque Chriſtianorum in priore epiſtola, quam veſtræ miſimus dilectioni, ſignificavimus, gloriæ nihilo minus veſtræ uberes gratiarum laudes rependimus: quia nos veſtra epiſtola valde lætificaſtis in hoc, quod dilectionem animi veſtri circa Romanam eccleſiam, ſicut veſtri parentes ac proavi habuerunt, habere ubertim ſignificatis; valde tamen miramur, cur ad nos legatos veſtros non direxiſtis, ſicut precati ſumus. Quapropter quæſo fili cariſſime, ut * ad colloquium quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris regis filio apud Trecas habituri ſumus, ſi poſſibilitas non obſiſtit, venire acceleretis; vel ſi aliquo obſtaculo præpedimini, ut non optamus, ſtrenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ veſtræ omnia ſecreta, quæ animo noſtro reſident, fidenter mandare valeamus, locum nobis ſimul nomine tenus deſignate, quo frui veſtro colloquio, & germani veſtri Ludovici glorioſi regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priuſquam, Deo auxiliante, percongrua & mutua vobiſcum miſceamus colloquia. Optamus gloriam veſtram piis florere ſucceſſibus.

* Elit. addit

CXVIII. AD LUDOVICUM REGEM.

Ejuſdem argumenti.

Dilecto filio Hludovico glorioſo regi.

QUod pro pace & unitate ſanctarum Dei eccleſiarum omniumque Chriſtianorum a Romana ſede in partes Galliæ venerimus, in epiſtola, quam gloriæ veſtræ miſimus, pleniſſime ſignificare ſtuduimus: neſcimus tamen quo tempore ad vos pervenit, & de eo, quare nobis non dedit dilectio veſtra reſponſum. Quapropter quæſo fili cariſſime, ad nos ut ad colloquium quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris filio apud Trecas habituri ſumus, ſi poſſibilitas non obſiſtat, venire acceleretis; vel ſi aliquo obſtaculo præpedimini, ut non optamus, ſtrenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ veſtræ omnia ſecreta, quæ animo noſtro reſident, fidenter mandare valeamus, locum nobis ſimul nomine tenus deſignate, quo frui veſtro colloquio, & germani veſtri Caroli glorioſi regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priuſquam, Deo auxiliante, percongrua & mutua vobiſcum miſceamus colloquia. Data *ut ſupra*.

CXIX. AD CAROLUM REGEM.

Arguit quod vocatus ad ſe non venerit, ſicut Ludovicus rex fecerat, monet ſub excommunicationis pœna, ut ſui regni finibus contentus nullam Boſoni moleſtiam exhibeat.

Dilecto Carolo glorioſo regi.

SErvans fidem Francorum regibus, ſecundum prædeceſſorum meorum pontificium, multos & duros labores in mari & in terra pertuli; ab urbe & Romana ſede in Franciam veni: omnes vos legatorum tam viva voce, quam epiſtolis ſtudui convocare, ut pactum quod avi & patres veſtri ſanctæ Romanæ eccleſiæ jurejurando promiſerunt, adimplere contenderetis. Sed heu proh dolor! cuncti venire per inobedientiam neglexiſtis, præter Ludovicum regem divæ memoriæ Caroli imperatoris filium, cujus conſilio atque hortatu Boſonem glorioſum principem, per adoptionis gratiam filium meum effeci; ut ille in mundanis diſcurſibus, nos libere in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino regni veſtri, pacem & quietem habere ſtudete: quia modo, & deinceps excommunicamus omnes, qui contra prædictum

filium

filium noſtrum inſurgere tentaverint Data *ut ſupra.*

CXX.

BERNARDI COMITIS EXCOMMUNICATIO.

BErnardum ſacrilegum, filium Bernardi & Belihildis, ſacrarum rerum eccleſiaſticarum pervaſorem, regiæque a Deo ordinatæ poteſtati contradictorem, a proprio archiepiſcopo Frotario, cui & civitatem, & omnia quæ habuit, ſuſtulit, tertio vocatum, a noſtra autem apoſtolica auctoritate bis, & a regia ſublimitate ſemel revocatum, venire nolentem & in pertinacia ſua permanentem: qui etiam ab hominibus ſuis ſacramentum damnabile & damnandum, blandiB tiis & terroribus tyrannice contra divina & humana jure extorſit, a corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienum decernimus, & ab omni Chriſtianorum ſocietate ſeparamus, uſque dum ad condignam ſatisfactionem emendaturus accedat. Quod ſi nec hoc emendaverit, & ea quæ reus adeo communi judicio ſuorum fidelium abſtulit, violenter tenere, & fidelibus ſuis in hoc refragari tentaverit, anathematis vinculo ſancti Spiritus * innodamus. Quicumque autem ei contra hanc excommunicationem communicaverint, aut conſenſerint, nos prohibere non poſſumus, ut qui excommunicatis communicaverint, non pari excommunicationi ſubjaceant.

CXXI. AD DIVERSOS EPISCOPOS.

Ut invaſores bonorum eccleſiæ Turonenſis cogant reddere, & nonas ac decimas ſolvere.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis Frotario archiepiſcopo Biturigenſi, & Anſelmo Lemovicenſi; Hecfrido Pictavenſi, Dodoni Andecavenſi, Rotberto Cenomanenſi, Hildeprando Sagienſi epiſcopis, nec non & aliis omnibus epiſcopis & comitibus, aliiſque perſonis illuſtribus, ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, in quorum parochiis ſancti * Mauricii Turonenſis eccleſiæ prædia eſſe videntur.*

QUorum omnium religioſitas, ſeu univerſorum pernoſcat fidelitas, quoniam narrante Adelardo venerabili archiepiſcopo, pontificium noſtrum didicit, qualiter quidam, abſque legum omnium auctoritate, tam comites, quamque ſubditi eorum, ſancti Mauricii Turonenſis eccleſiæ res invaſas auſu temerario teneant. Unde mandamus, noſtraque apoſtolica auctoritate expreſſe jubemus, ut eos invaſores primitus moneatis, ut ipſas res, omni occaſione remota, ipſi præfatæ eccleſiæ reddere ſatagant: & ſi ipſi forte audire noluerint, vos unanimes omnes, unoque conventu pro poſſe collecti, noſtra cenſura illos excommunicare debeatis, uſquequo ipſas res ab eis injuſte tentas reddant. Et ſi, E quod non credimus, his cenſuris inobedientes fuerint, & ad ſatisfactionem venire diſtulerint, & juſtitiam de perpetratis facere noluerint, ab omni Chriſtiana communione illos noſtra auctoritate judicate eſſe immunes. Inter hæc etiam illos monete, ut nonas & decimas, ſecundum antiquam conſuetudinem, quibus dare debent, poſtpoſitis illicitis occaſionibus, dare minime differant. Demum indicimus, ut omnes res præfatæ eccleſiæ ſancti Mauricii, quæ in veſtris exiſtunt parochiis, defendere ab omnibus inimicis debeatis: quoniam ſi aliter feceritis, & noſtræ cenſuræ non obedieritis, canonico ſancitu feriemini.

CXXII. AD ARELATENSEM ET NARBONENSEM ARCHIEPISCOPOS.

Ut cauſam inter Uceticenſem & Avenionenſem epiſcopos canonice definiant.

Roſtagno venerabili archiepiſcopo Arelatenſi, & Sigebodo Narbonenſi.

SAnctitati veſtræ notum eſt, qualiter VValefredus Uceticenſis eccleſiæ epiſcopus ad ſynodum, quam Deo auctore apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit ſuper RaB ctefredo Avenionenſe epiſcopo, quod ei quamdam villam ad ſuam ſedem, ſive parochiam, pertinentem abſtuliſſet. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, ſynodo defuit, idcirco fraternitati veſtræ apoſtolica auctoritate mandamus, ut coadunato numero epiſcoporum, eorum cauſam canonico judicio finiatis, ita diſcutiendo & determinando tantæ præſumptionis invaſionem, ut nemo epiſcoporum veſtrorum contra canonica præcepta ulterius inſurgere ſine ſuo periculo tentet. Vos quoque præſentialiter cum veſtris iſtud determinate judicium. Capitula quædam vobis patrum auctoritate collecta mittimus, ſecundum quæ judicare abſque dilatione debeatis, C ne quærendo aſſumatis laborem pro tali negotio. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere.

CXXIII.

EXCOMMUNICATIO HUGONIS ET EMMONIS.

HUgonem Lotharii regis quondam filium, non legitimum, ſed naturalem aduiterina copula genitum, qui poſt præſtitum ſacramentum dilecto filio Ludovico regi Francorum mentitus eſſe videtur, & inquietare pacificum regnum prædicti regis: & Emmonem, Bernardi comitis germanum, complicem in exceſſibus, niſi intra D dies xxx. ad prædictum ſeniorem ſuum redierint, & ab inquietudine regni reſipuerint, omni Chriſtiana communione privamus. Poſtmodum ſi perſeveraverint, ſciant ſe anathematis vinculis innodandos. Data *&c.*

CXXIV. AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

Arguit eos, quod a Turonenſis archiepiſcopi juriſdictione ſe ſubſtraxerint, ejuſque bona invaſerint: præcipit ut ei deinceps pareant, & delictorum ab illo veniam petant.

Mahen Dolenſi epiſcopo, nec non & omnibus epiſcopis Britannicis, ſeu univerſis ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus.

SAnctitatem ſeu fidelitatem omnium noſſe volumus, quia dum Trecis ſynodum celebraremus, ſuggeſtione Adelardi archiepiſcopi conſacerdotis noſtri audivimus, quod vos matrem veſtram Turonenſem eccleſiam deſpicientes, ſecundum antiquam conſuetudinem illi obedire differtis, & privilegium a B. Petro apoſtolo illi ſupra vos conceſſum frangere conamini, debitumque honorem ipſi archiepiſcopo veſtro obſervare negligitis, & malum ſupra malum addentes,

præ-

prædicto capiti vestro prædia auferre non formidatis. Inter hæc etiam, & præfato antistite narrante, & aliis coepiscopis similiter conferentibus, audivimus ut vos non antiquo more a vestro metropolitano consecrati fuissetis, sed expulsis legitimis episcopis de sedibus, sola potentia ducis vestri alter ab altero consecratus fuit. Quod mirati fuimus, &, si ita est, tantum nefas delebimus, & vindictam, nisi satisfeceritis, nihilo minus dabimus: quia non pastores, sed invasores fuisse cernimini. Quapropter monemus, apostolicaque auctoritate expresse præcipimus, ut ad eor redeuntes ad matrem vestram sanctam Turonensem ecclesiam revertamini, & secundum antiquam consuetudinem illi obedire satagatis, & de perpetrato hactenus ipsi vestro archiepiscopo Adelardo misericordiam quæratis, quatenus super omnibus negligentiis apud summum arbitrum veniam habere possitis. Quoniam si aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihilo minus feriendi, & a nostra communione modis omnibus alienandi, & omnis vestra ordinatio a summa sede apostolica scilicet respuenda. Data *ut supra*.

CXXV. AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

Bosonis comitis, & Agilmari episcopi, a quibus in Italiam deductus fuerat, studium erga se operamque commendat.

Dilectissimo filio Ludovico glorioſissimo regi, divæ memoriæ Caroli imperatoris filio.

QUanto vos amore diligimus, quantumque caritatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minime possumus: hoc tamen gloriam excellentiæ vestræ scire cupimus, quod devotionem ardoremque caritatis, sicut polliciti sumus, erga vos indeficientem perpetuo retinemus. Interea millenas serenitati vestræ de Bosone dilecto & communi filio ac fidele gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans jussis, parere in omnibus ita nobis studuit, ut etiam velut vere Christianæ religionis cultor, animæ & vitæ suæ non pepercerit, sed pro sanctæ ecclesiæ & communi fidelitate ultro se morti tradere non dubitavit, & usque Ticinum, annuente Deo, securius nos perduxit. Quapropter, dilectissime fili, ac porphyretice rex, obsecramus excellentiæ vestræ culmen, ut si res exegerit, sicut nobis vestra dignata est repromittere sublimitas, ei adjutorium ad debellandos hostes nostros virorum bellatorum adminiculum præbeatis: quoniam dignum est, ut soli omnes adjutorium præbeant qui solus pro cunctis desudare non cessat. Præsentem itaque hujus latorem epistolæ, [1] Agilmarum venerabilem episcopum, excellentiæ vestræ plurimum commendamus: quatenus idem, suaque ecclesia crescat augmento perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus nostris nulli secundus extitit, & vobis fidelissimum in cunctis, quæ cognoverit, verissime comprobavimus. Inter hæc episcopos, quos serenitas vestra in nostrum jussit venire adjutorium, scias præter Agilmarum nullum venisse. Quapropter regalis censura culminis vestri sua auctoritate compellat eos quantocius * hostiliter Romam venire, ut de cetero discant apostolico culmini & regali excellentiæ congruenter præbere obedientiam.

* *f.* synodaliter.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Agilmarum*.) Ex subscriptionibus synodi Tricassinæ, atque ex præcepto Caroli Crassi anno DCCCXXCV. Arvernorum episcopum fuisse intelligimus.

CXXVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Increpat eum, quod sibi auxilium non tulerit; & jam tertio monet ut sibi Papiam certa die cum suis suffraganeis occurrat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

QUantum benigna fraternitas vestra sanctæ sedi apostolicæ concurrere, ac concordare debeat, prædecessor noster beatus Gelasius papa ad episcopos parvipendentes vexationem fratrum his verbis comminando scribit, dicens: Cur non compassi estis tantis fratribus vestris? Cur non adistis imperatorem? Cur non posuistis animam pro confratribus, quam præceptum habetis ponere pro grege vobis commisso? Cur non posuistis vos pro domo Israel murum, ut staretis, in præliis in diem Domini? Quapropter tandem discussa negligentia ad pristinum vos reformate certamen, fratribus auxilium concite ad ferendum. Hæc & horum similia vestram fraternitatem debuerant exempla provocare, & nobis pro totius sanctæ Dei ecclesiæ statu laborantibus non tantum inviti jam, sed etiam sponte concurrere debetis, ac debuistis. Sed jam, nunc post tertiam admonitionem nobis cum confratribus vestris, & coepiscopis studete Papiam hac quinta feria proxima adveniente occurrere, zelum Dei, quem pro vobis omnibus patior, atque dolorem audientes, ut quod deinceps Deus omnipotens communi vestro consilio decreverit, facere valeamus. Nulla frater carissime animo vestro dubietas insideat, in mea fide, & in meo sacerdotio credite; nil contra vestram decentiam, atque honorem vobis aliquatenus opponetur; quia, quod non optamus, si hæc parvipendere tentaveritis, post tantam patientiam canonica eritis *.

* *f.* animadversione cæ gandi, *aliquid* jusmodi

CXXVII. AD EUMDEM.

Narrat labores pro ecclesia susceptos: monet ut sibi cum omnibus episcopis suis Papiam occurrat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

QUantum pro totius sanctæ Dei ecclesiæ statu, & pro cuncto grege dominico, pro quo omnipotens Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & Joannes apostolus exhortans nos ait: *Quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere*, laborare, ac vigilare semper debemus, omnium vestrum luce clarius novit pia fraternitas. Quapropter, quantum ex divina gratia in nobis fuit, & est, ex quo nos superna miseratio suæ ecclesiæ præfecit, animæ nostræ nunquam pepercimus, nunquam dura pericula declinavimus; sed die noctuque, æstu & gelu exusti, ne quid captum a bestia aut dilaceratum Domino ostende-

1. Joan.

remus,

remus, marinos fluctus pertulimus pro omnium vestrum liberatione atque salute: in Franciam quoque venientes, & regum filios partim viva voce, partim epistolis atque legatis allocuti sumus omnes, id est utrosque Ludovicos, Carolomannum, & Carolum, acceptoque communi consilio, uti Boso gloriosus princeps comes esset itineris nostri, donec, Christo opem ferente, reverteremur ad urbem. Et quia de statu sanctæ ecclesiæ sunt quæ communiter tractare debemus, tuæ sanctitati apostolica auctoritate mandamus cum cunctis suffraganeis tuis & coepiscopis nobis Papiam secunda die post festum sancti Andreæ, occurrere. Et quoniam probata fides omnium prædecessorum tuorum semper fuit erga Romanum pontificem, tua fraternitas omnimodis studeat eorum in omnibus assequi vestigia, quia, quod absit, si aliter fuerit, vigor canonicus super inobedientes remanere non poterit. Data *ut supra*.

CXXVIII. AD BERENGARIUM COMITEM.

Ejusdem fere argumenti.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti, seu omnibus optimatibus Longobardorum regni sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.

QUanta & qualia Romana ecclesia, vestra videlicet mater, hactenus ab impiissimis Christianis passa est, & nostris literis significantibus, & rumore populi narrante jam audistis, & ut certius sciatis, iterum significamus. Ecce enim pro quibus & pro omnium vestrum salute animæ nostræ non parcentes, quia per terram pro prædictis persecutoribus ad vos viciniores, ut res expetierat, venire nequivimus, marinum iter accepimus; & in Franciam ibimus, quærentes tranquillitatem, atque auxilium, ubi nostri antecessores quæsiere pontifices. Misimus enim omnibus regibus, id est Hludovico domni Caroli imperatoris filio, & Carolomanno & Ludovico, & Carolo Ludovici regis filiis, ut cum suis episcopis ad nos venirent, & una nobiscum super his tractarent, ex quibus venit Hlodovicus rex, & tantis malis perdolens, nisi infirmus esset, nobiscum veniret. Jam quia pro infirmitate non potuit, dedit nobis hunc Bosonem principem sibi ex omni parte conjunctum, qui me per inimicos sanctæ Dei ecclesiæ salvum duceret. Ecce enim, auxiliante Deo, Papiam venimus: quapropter monentes mittimus & apostolica auctoritate hortantes jam tertio mandamus, ut præsentialiter ad nos carissimi, tamquam ad patrem venire debeatis, & ut alii veniant, alter alterum incitet, & has literas primo legens remittere aliis procuret: quatenus venientes una nobiscum de statu sanctarum Dei ecclesiarum & quiete reipublicæ & nostra vestraque omnium salute synodum celebrantes, tractemus; in quibus dilectissimi filii, ne vestra caritas tepeat, neve religiositas inobediat, sed compatiatur, ut oportet, ac doleat: quia scriptum est, qualiter tepidus sit jure vomendus, & qualiter per inobedientiam culpa, quæ non fuit, fit, & qualiter qui non compatitur, decreto pontificali feritur. Data *ut supra*.

CXXIX. AD LUDOVICUM REGEM.

Miratur, quod filiabus Bosonis, pro quibus alias rogaverat, hæreditatem jure debitam non restituerit; iterumque monet, ut ipsam hæreditatem integram eis restituat.

Hludovico regi glorioso glorioſi quondam regis Ludovici filio.

JAm enim magnitudinem vestram fili carissime apostolicis monuimus literis, hortantes pro filiabus Bosonis dudum comitis & Ingeltrudis conjugis, quibus jure hæreditas deferri omnium legum auctoritate conceditur, proprietates reddere studeretis. Sed, ut cernimus, inauditi remansimus: quod miramur, & mirantes dolemus, cum vestra proles apostolicis censuris semper obediat, & præ omnibus regibus judicium faciat. Ut rex David cecinit, *honor regis judicium diligit*. Nonne legistis: *Quoniam justus Dominus justitiam diligit, & æquitatem videt vultus ejus?* Ceterum reclamationem filiarum jam dicti Bosonis audivimus, ut ipsas, ipsius, matrisque earum proprietates, Ingeltrudis, alias vos teneatis, alias vero vestris quibus ipsa post judicium sibi illatum sine viri consensu dederit, tenere permittatis, quod nefas est, & contra omnium legum prorsus auctoritatem. Quid enim uxor sine viri consensu agere potest? quanto magis hæc mœchans, quæ divino gladio, censente domno papa Nicolao prædecessore nostro, interiit? & humano pro parte facto stupro, puniri debuerat? Nonne Joannes papa Romanus, & Justinianus inclytus imperator legem Romanam facientes, scripserunt ita? Capitali crimine damnatorum bona non ad lucrum præsidis, sed cognatis punitorum reddi oportet: & alibi: Omnibus gradibus cognatorum in hæreditate sumenda præferendi sunt filii. Unde liquido patet, glorioſissime rex, ut nec vos, nec cognati eorum, nisi ipsæ filiæ quæ sunt legitimæ, illos allodes habere debent: qui vero nati sunt post crimen illarum, spurii sunt, nec hæreditare debent, ut præfatus papa, & imperator scripserunt ita: Spurios satis injurioſos, satisque acerbos, ac nostris temporibus semper indignos esse dijudicamus. Quapropter, ut rogavimus, iterum iterumque rogamus, & hortantes monemus, ut harum reclamationes, harum & gemitus vestra regia dignitas hauriat. Et pro apostolorum principum reverentia, a quibus petiere auxilium, & pro nostro amore integriter ipsas proprietates, quas vos allodes dicitis, reddat, & vestros omni occasione remota reddere faciatis. Data *ut supra*.

Pſal. 36. *Pſal. 10.*

Nicolaus in epist. 64. Regino l. 2. chronic.

CXXX. AD SUPPONEM COMITEM.

Miratur eum sibi, ut decebat, non occurrisse certiorem reddit de his quæ cum Ludovico rege egit: monet ut ad se veniat.

Dilecto filio Supponi illustri comiti.

CUr fili carissime nobis iter tua dilectio clauserit, curque ut audistis nos in tuos honores venisse, obviam non concurreris, miramur, cum eam in omnibus nostris negotiis curam gessisse semper novimus: & ubi nos prope fuisse audieras, tuis universis postpositis feriis ad nos

festinanter properaveras. Unde cernimus quoniam A istud non ex corde, sed pro fidelitate tui senioris taliter feceris, quod ideo parcimus; ecce enim, ut audistis, & nos etiam vobis jam literis significavimus, pro quibus in Halliæ partibus synodum celebravimus. Et Hludovicum glorioſum regem affati fuimus, qui nobis hunc Boſonem principem virum conſultiſſimum, ſibique ex omni parte conjuctum dedit, ut nos ſalvos ſine impedimento maledicti Lamberti in urbem mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, quatenus veſtro de more relictis aliis omnibus curis, omnique occaſione remota, ad nos præſentialiter venias, incitans etiam alios, quibus apoſtolicas literas mittimus, ut & ipſi ſimiliter faciant. Quoniam, ſcit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, niſi, ut ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatum, & reipublicæ quietem una vobiſcum conſideremus; tamen ante alios venire ſatage, ut quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data *ut ſupra*.

CXXXI. AD BERENGARIUM COMITEM.

Berengarii caritatem erga Romanam eccleſiam commendat: ſignificat celebratam in Gallia ſynodum, ſeque incolumen reverſum: monet ut ad ſe venire feſtinet. C

Dilecto filio Berengario illuſtri comiti,

RElatu nonnullorum audivimus, maxime hujus VVidonis comitis noſtri conſiliarii, ut veſtra devotio caritatem, quam erga nos, noſtramque eccleſiam, veſtram videlicet matrem, ſemper habueras, magis magiſque adoleat: in quo gratias agimus, & ut proficias hortamur. Ecce enim audiſtis pro quibus in Galliæ partibus ſynodum celebravimus, & Hludovicum regem glorioſum affati fuimus, qui nobis hunc Boſonem principem virum conſultiſſimum, ſibique ex omni parte conjunctum dedit, ut nos, auxiliante Deo, ſalvos ſine impedimento Lamberti maledicti, & a ſancta Dei eccleſia anathematizati, in urbem Romam mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur relictis aliis omnibus curis ad nos præſentialiter venire ſatagas. Quoniam, ſcit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, niſi ut ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatum, & quietem reipublicæ cum honore una vobiſcum tractemus. Data *ut ſupra*.

CXXXII. AD HUGONEM.

Monet ut diſſenſionem inter Abbonem & alios ortam ſedet,

Hugoni abbati nobili, ſpectabili proſapia genito,

QUia multum vos diligimus, ideoque congratulor, animæ veſtræ proſpicimus, commonere curamus. * .... quoque, quæ inter Abbonis epiſcopi parentes, & Rotbertum, atque Roclinum exorta eſt * ,... regali potius * quam vindicta corrigatur; quoniam malum ſemel neceſſitate patratum, non debet ſecundum neceſſitudinem expiari ad delictum, ſed miſericordius remitti ad veniam agat veſtra glorioſa nobilitas, ut decet tantæ naturæ decentiam. Data *ut ſupra*.

* *f.* diſſenſionem

* *f.* ut

* *f.* clementia

CXXXIII. AD RAVENNATES.

Jubet ut civitatem contra Lambertum viriliter defendant.

Omnibus judicibus & ducibus ſeu populis Ravennæ commorantibus fidelibus noſtris.

INduſtriam ſeu omnium fidelitatem noſſe volumus, quoniam relatu quorumdam audivimus, ut Joannes diaconus chartularius deviet, & francos Lamberti contra electionem noſtram conducat; unde mittimus apoſtolicaque auctoritate jubemus, ut omnes unanimes unaque fidelitate ſta- B re debeatis & defendere ipſam civitatem, ita ut nullus, qui vobiſcum non ſtat *, francos ibi conduci Lamberti intus permittat ingredi, nec ipſe Lambertus ibi quoquomodo acceſſus habeat, nec ſuus homo ibi intrare poſſit: ita in his agite, ſicut Dei & noſtram gratiam habere cupitis, quoniam qui aliter fecerit, & noſtram iram habebit, & mille byzanteos palatio noſtro componet. Data *ut ſupra*.

* *f.* ibi c ce L to, e

CXXXIV. AD ROMANUM ELECTUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Lætatur eum Ravennatem archiepiſcopum electum: jubet ne quidquam electionis cauſa ulli promittat: & epiſtolam ſuam Leoni, & Romanis ſcriptam afferendam curet, eorumque reſponſum ad ſe dirigat: res Joannis & Deuſdedit ducum reſtituat.

Romano Levitæ egregio a Ravennatibus fidelibus noſtris electo.

LIterarum tuarum, fili cariſſime, ſerie recepta & lecta, ubi Joannem Ravennatem archiepiſcopum obiiſſe audivimus, valde doluimus, & ut pro eo oretis cum veſtris, hortamur. Veſtra videlicet electione unanimiter facta gaudemus, & quia nos viſitando miſiſti, ſignificans ſanitatem noſtrorum fidelium, tuamque devotionem demonſtrans, gratias agimus. Ceterum mo- D nentes indicimus, ut jam qui annuente paſtore ſummo, ad tale opus electus es, quo paſtor fias, vigiles in eadem eccleſia, labores, nullique majori minorique tam concivibus, quamque aliis quibuſcumque perſonis aliquod promiſſum facias, quoniam Simoniacum eſt, & hoc nobis nequaquam celabitur; quod ſi feceris, per apoſtolos obteſtantes, te minime benedicemus. Inter hæc volumus, ut iſtam epiſtolam Leoni venerabili miſſo epiſcopo & apocriſiario, ceteris Romanis tranſmiſſam, ipſis præſentialiter per veſtrum legatum traſmittatis, eumdemque revertentem, ſi potes ſaltim, aut alium cum illorum epiſtolis ad nos * dilecte, remitte, qui noſtrum adven- E tum certum jam vobis renunciare poterit. Igitur etiam cupimus, ut pro amore horum noſtrorum fidelium, noſtrorumque conſiliariorum Deuſdedit videlicet, & Joannis glorioſorum ducum res pro poſſe, & homines ſalvetis, & defendatis, occupatas hactenus integriter reddatis; quatenus cujus utuntur ſervitio, ei convenit, ut fruantur defenſionis auxilio. Data *ut ſupra*.

* *f.* di

CXXXV. AD THEODORICUM ET ISAAC EPISCOPOS.

Præcipit ut excommunicent eos qui VViperto comiti filium eripuerant, & regionem illam populabantur.

Reverendissimis & sanctissimis Teodorico archiepiscopo, & Isaac episcopo.

NOverit vestra religiositas, quia VVipertus comes reclamans pontificio nostro retulit, quod quidam sui homines malefactores suum filium sustulerint, & cum eo terram prædaverint. Quapropter dirigimus, ut nostra apostolica auctoritate illos excommunicetis, quo relictis talibus deprædationibus ad patrem & seniorem redeant, & pacifice vivant. Data *ut supra*.

CXXXVI. AD HUGONEM COMITEM.

Monet ut quosdam facinorosos puniat.

Hugoni glorioso comiti.

REferente videlicet hoc viro nomine .... audivimus, quod vestri homines, maxime Conterius suos equos tollentes suas mansiones prædassent. Quapropter hortantes monemus, ut pro apostolorum reverentia, & nostro amore, quam petiit justitiam, illi facere satagatis. Ita agat in hoc vestra nobilitas, ut acturam credidimus, ut & ipsi malefactores nostri excommunicentur, quia nos tale nefas, ut non ulciscatur, demittere nequimus. Data *ut supra*.

CXXXVII. AD HUGONEM, THEODERICUM, ET BERNARDUM COMITES.

Ut amicitiæ caritatisque fœdus cum Bosone ictum servent.

Hugoni, Theoderico, & Bernardo, illustrissimis regni Francorum.

FRetus vestra ingenuissima nobilitate, atque obedientia, quam propter Deum nobis condigne debetis, dilectissimum filium nostrum Bosonem, vestrum unanimem fratrem & amicissimum, ut insolubile vinculum caritatis, fœdusque amicitiæ, quod coram Deo vicissim colligastis, moneo, hortor, nulla hominum male loquentium lingua, nullo cujuslibet fraudis ingenio, vel in modico quoquomodo possit avelli: sed Domino auxiliante dilecti filii nostri Hludovici regis animum erga eum immobilem & tranquillum semper servetis, & omnia sua salva atque pacifica conservate: quoniam pro his ab omnipotente Deo, & beato Petro apostolo, futuræ vitæ mercedem, & a nobis & ab illo fidelissimas amicitiarum recipietis sine dubio retributiones. Data *ut supra*.

CXXXVIII. AD VULGARIUM MONACHUM.

Ut VViperto episcopo obediat, qui eum per dimissoriam acquisivit.

Vulgario monacho.

DEnique Trecis positi per nosmetipsos cognovimus, qualiter VVipertus episcopus, devotus filius noster, te a proprio episcopo, atque abbate, per dimissoriam acquisivit, tua potius interveniente petitione. Quapropter convenit tibi ex die illo, & deinceps, tamquam proprio obedire, eumque ut proprium pastorem sequi non prætermittas, quia, quod non optamus, si aliter feceris, vinculum excommunicationis super te rationabiliter extendemus. Data *ut supra*.

CXXXIX. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Præcipit ut quoties episcopus Ticinensis eos ad synodum vocaverit, accedant.

Omnibus sanctissimis & reverendissimis confratribus & coepiscopis, tam Mediolanensi archiepiscopo cum suis suffraganeis, quam Ravennati nihilo minus cum suffraganeis suis

SCriptum etenim est: *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum*, & in evangelio: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum*, & item: *Si frater fratrem adjuverit, ambo consolabuntur*. His auctoritatibus fulti, vestræ omnium sanctitati mandamus, & apostolica auctoritate jubemus, ut quoties vos confrater & coepiscopus noster Joannes Ticinensis, & post eum sui successores, vestrosque vocaverint, pro emergentibus quæstionibus eximendis, continuo beato Petro apostolo obedientiam exhibentes, simul convenire non differatis: quatenus redemptoris nostri gratia discussis animositatibus, vitiisque purgatis, in tranquillitate pacis ecclesia constituta, glorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. Sacerdotum, Levitarumque judicia, quandocumque necesse fuerit, cum prædicto episcopo, tamquam proprii episcopi decernite, ac diffinite freti nostra omnimodis apostolica auctoritate: quia onera nostra vobiscum partiendo reliqua tolerabilius sufferre valebimus. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data *ut supra*. *Psal.* 88. *Prov.* 18. *Matth.* 18.

CXL. AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Raptores uxoris cujusdam Ragiberti excommunicari jubet.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Joanni venerabili episcopo Ticinensi.

DEnique Ragibertus quidam nomine, Judex cognomento, coram nobis veniens questus est super Gotfredum filium Joannis comitis palatii, & Iselbertum subdiaconem, atque Heribaldum notarium filium Garibaldi, eo quod legaliter sibi filii sui nuptam Gausildam nomine contra canonum, & legum auctoritatem, per vim & per forciam abstulerunt, calcato illo præcepto, quo Dominus ait: *Quod Deus conjunxit, homo* *Matth.* 19.

homo non ſeparet. Quapropter apoſtolica adhortatione zelum tui ſacerdotii ad hortamen caritas Dei accendat, & quaſi tuba exalta vocem tuam, & iniquis iniquitatem ſuam annunciare non ceſſes, ne ſanguis eorum de manibus tuis requiratur. Prædictoſque tranſgreſſores omni Chriſtiana communione privare non differas, donec legaliter emendent quod nequiter perpetrare auſi ſunt. Quod ſi te audire neglexerint, perpetuo eos anathema eſſe decernimus. Data *ut ſupra.*

CXLI. AD JOANNEM EPISCOPUM PAPIÆ.

Ut ibi Taurinum obviam veniat, & epiſtolas a ſe ſcriptas quibuſdam epiſcopis dirigat, ut ipſi ad concilium accedant.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Joanni Papiæ epiſcopo.

SAnctitati tuæ notum fieri volumus, quod nunc Taurinenſi in civitate conſiſtimus. Ceterum dirigimus, ut continuo omni occaſione poſtpoſita nobis venire ne differas obviam. Vide ne ab alicujus decipiaris inſtinctu fortaſſe, quæ minime credimus, pro parte Mediolanenſis archiepiſcopi, quoniam ſpecialiter noſter es, & manualis. Et quia de nullius niſi noſtra ditione conſtis * ut epiſtolam quam ſuffraganeis epiſcopis Ravennatis eccleſiæ, Paulo Placentinæ, & item Paulo Regienſi, atque Liudoino Mutinenſi, cum celeritate mittere procuretis, ut ſtatuto die Papiam veniant: quatenus de ſanctarum item Dei eccleſiarum & communi, atque univerſali ſalute tractare valeamus. Data *ut ſupra.*

* *deeſt, jubeo vel quid hujuſmodi.*

CXLII. AD VVIBBODUM, PAULUM, ET PAULUM AC LUIDOINUM EPISCOPOS.

Jubet ut Papiam ad ſynodum accedant.

Reverendiſſimis & ſanctiſſimis VVibbodo venerabili epiſcopo Parmenſi, & Paulo Placentino, & Paulo Regienſi, & Liudoino Mutinenſi epiſcopis.

SAnctitatem veſtram ſcire cupimus, quoniam octavo Kalendas Decembris Taurinum venimus, inde, Deo duce, Papiam veniemus, & ibi ſynodum pro ſtatu Dei eccleſiarum celebrabimus. Quapropter mittimus apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus, ut quarto nonas Decembris, ibi omni occaſione remota, ad ſynodum eſſe debeatis. Et qui primo hanc epiſtolam legerit, alio ſub omni feſtinatione tranſmittat. Videte ne aliter faciatis: quoniam ſi aliter feceritis, canonico feriemini vigore. Data *ut ſupra.*

CXLIII. AD OMNES FIDELES.

Præcipit, ne quiſpiam monaſterio ſancti Augentii quidquam detrimenti afferat.

Omnibus fidelibus eccleſiæ.

SOlicitudinem omnium eccleſiarum nos habere oportet, & ſingulorum cauſas æquitatis judicio allevare; quapropter, cum de omnibus agere hæc eadem convenit, præcipimus atque præſenti decreto ſancimus, ut de abbatia ſancti Augentii, quam divæ memoriæ Carolus imperator fideli ſuo, & filio eccleſiæ noſtræ ante jure beneficiario tribuit, nullus de ipſis rebus aliquid injuſte auferre præſumat: nec prædicto epiſcopo; & monachis ipſius loci aliquam in diſtrahendo illicite inferre moleſtiam. Quod ſi quis ab hinc agere præſumpſerit, ſeparetur a communione fidelium eccleſiæ: quod ſi pertinaciter perſtiterit, & emendare noluerit, judicio ſancti Spiritus anathematis vinculo feriatur. Data *ut ſupra.*

CXLIV. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

Reſcribit de indulgentia eorum qui contra Paganos pugnantes occubuerant.

Omnibus reverendiſſimis & ſanctiſſimis venerabilibus coepiſcopis per totum regnum cariſſimi filii mei Hludovici.

QUia veneranda fraternitas veſtra modeſta interrogatione ſciſcitans quæſivit, utrum hi, qui pro defenſione ſanctæ Dei eccleſiæ, & pro ſtatu Chriſtianæ religionis ac reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea re caſuri ſunt, indulgentiam poſſint conſequi delictorum, audenter Chriſti Dei noſtri pietate reſpondemus, quoniam illi, qui cum pietate Catholicæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ ſuſcipiet, contra Paganos atque infideles ſtrenue dimicantes, eo quod Dominus per prophetam dignatus eſt dicere: *Peccator quacumque hora converſus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius*: & venerabilis ille latro in una confeſſionis voce de cruce meruit paradiſum. Manaſſes quoque impuriſſimus quondam rex captus, carcerique arctiſſimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentiæ, etiam regni priſtini, propter Domini miſericordiam, quia immenſa eſt circa genus humanum, adeptus eſt ſolium: noſtra præfatos mediocritate, interceſſione beati Petri apoſtoli, cujus poteſtas ligandi atque ſolvendi eſt in cælo & in terra, quantum fas eſt, abſolvimus, precibuſque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data *ut ſupra.*

Ez

Lu 2.

CXLV. AD VVIFREDUM EPISCOPUM VENCIENSEM.

Epiſcopum, qui cum excommunicatis communicarat, miſſarum celebratione prohibet.

VVifredo venerabili epiſcopo ſanctæ Vencienſis eccleſiæ.

AUctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſancti Petri apoſtolorum principis, noſtrique apoſtolatus, quia cum excommunicatis communicaſti, ut literæ tuæ manifeſtant, omni te miſſarum celebratione privamus, donec in noſtram cum eiſdem hominibus occurras præſentiam: & ſi, quod non optamus, amplius præſumptor extiteris, denunciamus te omni ſacerdotio fore nudandum. Data *ut ſupra.*

CXLVI. AD ODONEM EPISCOPUM BELLOVACENSEM.

Decernit, impuberes, qui alium occiderant, post peractam pœnitentiam ordinari posse.

Hodoni venerabili episcopo Bellovacensi.

RElatu didicimus quorumdam monachorum sancti Dionysii cœnobii, quod quibusdam pueris impuberi adhuc ætate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione unus ex illis est interemptus. Quapropter mandamus, ut si inculpabiles post peractam pœnitentiam legitimi vigoris secundum canones reperti fuerint, gradatim ad ecclesiasticos ordines eos provehere non differas, servatis in omnibus patrum regulis, & canonum institutis. Data *ut supra*.

CXLVII. AD AIMARUM ET VVIDONEM EPISCOPOS.

Ut Rostagni uxorem ad se venire jubeant, illiusque adjutores, nisi resipuerint, communione privent.

Aimaro & VVidoni reverendissimis episcopis.

HOrtamur sanctitatis vestræ fraternitatem, sacerdotalemque zelum vestri vigoris apostolica auctoritate incitamus; Bertildi Rostagni illustris viri conjugi, quæ spreto Dei timore, ac lege tori, fugabunda per vestras parochias incedens, multoties ab episcopis & synodo vocata, surda aure venire distulit, omnem necessitatem imponite veniendi coram nostra præsentia, ut ejus causa legaliter finem accipiat. Illiusque in tam perverso opere adjutoribus aditum atque communionem totius sanctæ ecclesiæ tamdiu intercludite, donec ab omni se sequestrent prædictæ (*a*) Bertildis consortio. Inter quos Achetium mœchum, eumque consortio private, vestroque zelo percutite. Quæso, moneo, hortor, fratres carissimi, citissime amplectendam exhibete præsentiam; iterum iterumque jubemus, omni postposita * vocatione ad nos festinanter venite: quatenus Christo Domino miserante, in hoc & aliis negotiis, communi consilio terminum salubriter imponere valeamus. Data *ut supra*.

* occasione

CXLVIII. AD VVALAM EPISCOPUM METENSEM.

Ne cogatur sponsus uxorem ducere ab alio corruptam.

Reverendissimo & sanctissimo Vvaleno venerabili episcopo Metensi.

PRæsentium portitor literarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter coram nobis veniens questus est desponsam suam, nomine Vvalatam, adhuc in parentum domo manentem, adulterino concubitu a presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confessa de crimine, libenter ab eo se vult dissociare: sed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coacte eum cogit eamdem sumere in conjugium, contra regulas patrum, atque institutionem. Quapropter, si ita est, requisitis super his legum & canonum institutis, quid de talibus præcipiant promulgate absque personarum acceptione. Data *ut supra*.

CXLIX. AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Ut cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat, remissius agat.

Joanni venerabili episcopo Ticinensi.

LAtor præsentium coram nobis veniens dicit, se a prædecessore vestro Liuttefredo venerabili episcopo, quinquennio exacto jam anno, pœnitentiæ fuisse submissum, pro quodam, eo quod interfuit, fure a fœmina interempto; qua de re vestra fraternitas solerter prospiciat. Et, si ita est ut hic asserit, propter Domini misericordiam, quoniam magna est, cum eodem consultius agat, & prout ordo causæ dictaverit, frænum canonici vigoris remittite. Vel si quidquam, quod non optamus, impossibile perpensum fuerit; id nostro judicio vestra fraternitas studeat lenitate spiritus reservare. Data *ut supra*.

CL. AD AGINULFUM EPISCOPUM GABALITANUM.

Ut præsentium latoribus ablata restituenda curet.

Joannes Aginulfo venerabili episcopo Gebaldanensi.

PRæsentium latores questi sunt ab hac sede plebem suam eisdem sublatam. Quapropter apostolica auctoritate tuæ fraternitati præcipimus, ut inquisita rei veritate, quod justum est, unicuique reddere sacerdotali solicitudine perveſtiget: & quæ ipse diffinire non poteris, (referre ad nos) modis omnibus non prætermittas:

CLI. AD BISUNTINENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Significat se Fulcardum, ejusque conjugem ab excommunicatione absolvisse.

Theodorico venerabili episcopo Bisuntinensi.

NOtum sit sanctitati vestræ, quia Fulcardum, & Berelindam uxorem ejusdem, ab excommunicationis vinculo absolvimus, donec canonica regula exacte reperiamus judicium. Unde a vobis in communionem eos recipi mandamus. Optamus fraternitatem vestram bene valere. Data *ut supra*.

CLII. AD OMNES EPISCOPOS.

Monet ut sua instituta observent, justeque judicent.

Allocutio pontificis & exhortatio ad omnes episcopos.

ECce sanctissimi sacerdotes præmissis precibus fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo, & de sacris ordinibus, vel sanctis moribus fuerint dicta, cum omni pietate suscipiatis, & cum summa reverentia perficere intenten-

(*a*) Hæc verba *Bertbildis consortio* non habet Editio Romana, sed ponit nullo sensu *juravit spiritali*; tum sequitur ut hic; *inter quos* &c. *Manss.*

tendatis. Quod si forsitan aliquis vestrum aliter A quam dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis in nostrorum omnium copulatione, ea ipsa de quibus dubitaverit conferenda reducat, qualiter, Deo auxiliante, aut doceri possit, aut doceat. Deinde simul vos obtestatione conjuro, vel obsecro, ut nullus vestrum in judicando, aut personam accipiat, aut quolibet favore, vel munere pulsatus, a justo judicio scienter avertatur aut discedat: sed tota pietate eum, qui cœtui nostro se judicandum intulerit, retractate. Ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat; nec in perquirenda æquitate vigor vestri ordinis vel solicitudo tepescat. Data *ut supra*.

CLIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Romam ad synodum cum suffraganeis accedat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ.

Nicæni concilii cap. 5. synodus bis in anno celebranda.

CAnonicis sanctorum patrum jubentibus regulis bis per annum concilia episcoporum esse omnimodis celebranda; nos ob id pro multiplicibus ecclesiarum Dei utilitatibus, & necessitatibus, synodum octavo Kalendas Majas, Domino annuente, celebrare cupimus. Ideo jubemus dilectioni vestræ, ut omni mora postposita, vos cum omnibus suffraganeis vestris episcopis prædicto tempore Romam venire studeatis: quatenus eamdem synodum nobiscum æqualiter celebretis, ac de communi salute consideretis. Data III. Nonas Martias.

CLIV. AD EUMDEM.

Ut Luponem presbyterum in Sarsennati ecclesia episcopum ordinet.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ.

RElatione quorumdam comperimus, quod eum, quem vobis ordinandum episcopum sanctæ Sarsennati ecclesiæ Luponem videlicet venerabilem presbyterum, * postposito nostræ voluntatis, & jussionis mandato consecrare postponatis; sed alium pro eo cupiatis nihilo minus ordinare: quod sane, si verum est, valde miramur, vos a sponsione, quam nobis polliciti estis, quolibet modo vel occasione velle retrahere. Unde more paterno dilectionem vestram his nostris apostolicis monemus, hortamur, atque jubemus apicibus, ut vestræ promissionis memores, præfatum Luponem presbyterum, sicut vobis commisimus, continuo, ac præsentialiter jam dictæ ecclesiæ antistitem ordinetis (nam si aliter feceritis, & tam cito, ipso scilicet vestræ ordinationis) initio vos a nostræ voluntatis decreto subtrahere cognoverimus; canonicis correctionibus, velut inobedientem corripere nullatenus prætermittemus.

f. deest mandavimus.

Ansulis inclusa supplevi ex Edit. Rom.

CLV. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Ut Romam ad synodum celebrandam cum suffraganis accedat, ubi de imperatoris electione agetur: jubet, ne quemquam regem excipiat, antequam ipse imperatorem elegerit: nisi paruerit, eum excommunicat.

Reverendissimo & sanctissimo Ansperto archiepiscopo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

QUantæ necessitatis assidue sustinuerimus incommoda, quantæque perturbationis nunc B usque passi simus, & quotidie patiamur adversa, fraternitatem vestram nosse luce clarius non ignoramus: pro quibus nimirum malis sedis apostolicæ ab inimicis nequiter illatis, per procellas & in periculosa maris itinera ire, & defensionis auxilium nos quæsisse mecum pariter scitis. Sed quia humanum præsentialiter subsidium non reperimus, divinum ut potius quæramus, communique voto ut a Domino flagitemus, frater mi necesse est. Propter quod fraternum sanctitatis vestræ collegium his nostris apostolicis literis more præcessorum nostrorum vocamus, & in consortium nostræ solicitudinis apostolica dumtaxat auctoritate adscisimus; & quasi membrum capiti suo adhærens ad Kalendas Majas hujus duodeci- C mæ indictionis ad synodum, auxiliante Domino, nobiscum celebraturos cum omnibus suffraganeis vestris episcopis Romam venire jubemus, ut superna gratia freti, ea quæ necessario sunt amputanda, ecclesiastico recesemus mucrone: & quæ utiliter sunt statuenda, communi, Deo propitio, statuamus decreto; ne per vestram absentiam, atque desidiam regnum hoc amplius in perturbatione persistat, & fiat scandalum pejus priore. Et quia Carolomannus corporis, sicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, ut de novi * regis omnes pariter consideremus, vos prædicto adesse tempore valde oportet: & ideo antea nullum absque nostro consensu regem debetis recipere. Nam ipse, qui a nobis est ordi- D nandus in imperium, a nobis primum, atque potissimum debet esse vocatus atque electus, quoniam & nos una cum vestra fraternitate cupimus pertractare & de hoc, & quo tenore vel ordine communes causas, & utilitates ecclesiarum Dei nobis commissarum ordinemus & jure canonico statuamus: quatenus tantorum malorum onera, quæ sustinemus, procul abjicere, & leve jugum Christi lætis, ut condecet, possimus cervicibus ferre. Quapropter nullam in veniendo excusationem habeatis, sed alacri mente occurrere, & ad jam dictam synodum venire procuretis, quam sane & canonica sanctorum patrum regula bis in anno fieri jubet, & instantis temporis necessitas magna compellit. Nos enim paterno vos affectu diligen- E tes pro communi utilitate vocamus, quamvis jam tertio jampridem dilectio vestra vocata ad synodum venire contempserit. Pro quo dignam debueratis correctionis sustinere censuram, cum a sede apostolica vobis semper fuisset collatum præsidium, & vos nullum in quibus oportebat studeretis præbere solatium: nunc autem, si ad eamdem synodum venire contempseritis, scitote canonicam a nobis in vos velut inobedientes promulgari sententiam.

* *f. de*
lectione
perator
summo
tifice
tur.

CLVI. AD GAIDERIM PRINCIPEM BENEVENTANUM.

Consolatur eum de damnis ab Agarenis illatis, auxilium pollicetur, seque in ejus partes venturum.

Dilecto filio Gaideri glorioso principi Beneventanorum.

EPistolas sane a vestra dilectione transmissas cum parte gratulationis, fateor etiam & mœroris accepi; quantoque in eis gaudens exultavi vestram devotionem intimo mentis affectu circa obsequium sanctorum apostolorum Petri, Pauli compertam, tanto nihilo minus triste pastorali solicitudine tuli, pressuris, atque Agarenorum depræd[a]tionibus terræ vestræ auditis; quaproper cum vase electionis compellor dicere, & lacrymabiliter
r. 11. exclamare: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror?* sed inter hæc
16. meminisse debemus illius qui ait: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quoniam ego vici mundum*: & apostolus: *Major est qui in nobis est, quam qui contra nos est*. Quocirca dilectissime fili, hortor, admoneo, apostolica auctoritate suadeo, interim patienter Domini misericordiam deprecando continuis obsecrationibus malorum sufferre gravamina. Quoniam nos, Christo opitulante, ad patriæ vestræ liberationem pro virium facultate tantum præ ceteris mortalibus habebitis adjutorem enixius, quantum attentius compatimur: quod re-
undat. bus ipsis præsentialiter* sub redderemus, nisi in itinere penitus hoc tempore equorum pabula defecissent, quibus statim gressus movere in veniendo prohibemur. Sed redemptoris nostri gratia duce, peracta solemnitate paschali, venire ad vestras partes accelerabimus; & una vobiscum positi, quidquid consilii, quidquid solatii, atque adjutorii pro Christiani populi liberatione adinvenire poterimus, libentissime procurabimus. Optamus gloriam culminis vestri in Christo semper bene valere. Data *ut supra*.

CLVII. AD AJONEM EPISCOPUM.

Commendat ejus erga se observantiam: certiorem eum de sua incolumitate reddit, tum consolatur de obitu fratris.

Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Ajoni venerabili episcopo.

QUod veneranda fraternitas tua pro sanctarum Dei ecclesiarum sublevatione longe ab urbe aliquamdiu nostram absentiam benigna animi compassione condoluit, viscera mentis suæ repleta Christi caritate patenter ostendit, & debitam, imo mutuam dilectionem sanctis Dei apostolis per nos condigne studuit conservare, a quibus procul dubio meritorum retributionem in finem recipiet. Sospitatem, quam in nobis vestra sitibunde atque ardenter requirit fraternitas, Domino donante, eam parte corporis aliquatenus habere videmur; sed inter tot fluctus mundi, tantasque undarum procellas, quæ salus istius vitæ potest esse saltem ad momentum tranquilla? præsertim morte vestri germani audita, vestris filiorumque carissimorum tam crebris tribulationum angustiis. Sed inter hæc nos convenit toto conamine mentis ad illam patriæ cælestis vitam corda sustollere, in qua pax semper inest, & vera securitas: quoniam *quamdiu sumus in corpore*, juxta apostolum, *peregrinamur a Domino*, vobis vestræque patriæ secundum officium a Deo nobis collati ministerii, pro virium impossibilitate inhianter cupimus impertiri solatium. Data *ut supra*.

CLVIII. AD DAFERIUM COMITEM.

Consolatur Daferium, eique opem pollicetur.

Dilecto filio illustri nobili viro Daferio comiti.

PErfectionem cordis Gaideris principis consanguinei vestri, vestramque in Deum valde gaudemus, obsecrantes, ut qui cœpit in vobis operetur, atque perficiat opus bonum usque in finem. Tribulationibus, atque angustiis vestris in tantum compatimur, ut vestros dolores manu cogitationis in nostro corde tangamus: sed confidimus in æterni conditoris misericordia, quia in proximo aderit ejus auxilium, qui per prophetam admonet dicens: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te,* Psal. 49. *& magnificabis me*: nos etenim in tantum paratos habetis in vestrum adjutorium, ut cum opportunum tempus fuerit, pro fratribus animam ponere non recusemus. Equum quem nobilitas vestra petiit, cum vestros fines attigero, dare me vobis libenter denuncio. Data *ut supra*.

CLIX. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Ut sibi indicet locum, ubi simul possint de communis patriæ salute colloqui.

Reverentissimo & sanctissimo dilectoque confratri, & consiliario nostro Athanasio episcopo sanctæ Neapolitanæ ecclesiæ.

SCientes vos procul dubio fideles in omnibus, atque devotos esse sanctæ sedi apostolicæ, nostræque paternitati totis præcordiis nostris fraternitatem vestram oppido diligimus & amamus: quamobrem pro multiplicibus instantis temporis necessitatibus, atque communibus utilitatibus vobis cum speciali præsentia loqui cupimus: quatenus vestro consilio, communique tractatu ea quæ necessario sunt consideranda, perspicaciterque tractanda, salubriter, Domino annuente, ordinare, statuereque possimus. Quoniam nostræ ac vestræ terræ salutem, totius videlicet populi pretioso Christi cruore redempti, pastorali dumtaxat more desideramus perficere, & idcirco, ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiscum pariter cupimus convenire. Quapropter volumus, ut locum etiam nostræ collocutioni, quem aptum esse cognoscetis, nostro præsulatui, vestris sub celeritate significetis apicibus. Quia nos, Deo propitio, illuc sine mora properare, & una vobiscum alacriter loqui non prætermittemus. Data *ut supra*.

CLX. AD CAROLUM REGEM.

Hortatur ut legatos mittat, & in auxilium ecclesiæ Romanæ veniat.

Carolo regi.

REgalis excellentiæ vestræ literas recipientes, atque relegentes, ut in eo, quod antea nostro præsulatui direxistis, vestro videlicet amore, dilectioneque maneremus, non solum, ut jam olim retulimus, verum etiam magis ac magis nostræ voluntatis affectum ad vestræ exultationis cumulum

lum ampliare magnopere cupimus, atque in omnibus ceu cariſſimum filium vos retinere procul dubio ſatagemus. Tantum ut quo celerius, ſicut mandaſtis, veſtros idoneos legatos ad nos dirigere poteſtis, aliquatenus non prætermittatis; cum quibus ſane & exaltationem ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & iſtius terræ ſalutem, veſtrumque honorem* profligare, conſiderareque firmiſſime valemus. Et ideo veſtræ magnitudinis gloriam exhortamur, ut præcingentes quaſi vir lumbos tuos, & potentiæ Dei brachio adverſus inimicos potentiſſime roborati, jam ipſi venire non dubitetis; quoniam ſi tantæ calamitatis preſſuram, quam ſancta Romana mater veſtra eccleſia, & ipſius terra quotidie ab inimicis patitur, cognoviſſetis, nobiſcum utique pariter doleretis. Quapropter, fili cariſſime, antequam inimicorum inſidiæ plus accreſcentes prævaleant, noſtram devotionem, atque conſilium pió intuitu attendere nullo modo deſinatis, ſed more parentum veſtrorum ea, quæ neceſſaria ſunt nobis, inſtantiſſime peragatis; quia noſtri apoſtolatus ulnis extentis alacriter amplecti regalem præſentiam veſtram deſideramus. Tertio Nonas Aprilis, indict. XII.

* *f.* inveſtigare,

CLXI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat ejus erga ſe obſervantiam: de ſuo incolumi reditu certiorem ipſum facit: hortatur ad perſeverantiam, donec ſimul conveniat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo Neapolitano.

QUia non ſolum tuis præcipue actibus, quibus devotionem ſanctitatis tuæ circa nos fideliſſimam oſtendiſti exiſtere; verum etiam nobis longe pro eccleſiæ ſtatu manentibus quomodo eam illibatam in omnibus conſervaveris, fidelium noſtrorum relatione didicimus. Quamobrem dignas tuæ dilectioni referimus grates, innoteſcentes ſane noſtri præſulatus reverſionem juxta deſiderium tuum eſſe, Deo favente, proſperam, atque incolumem. Ideo more apoſtolicæ paternitatis almitatem tuam monemus, cum apoſtolo dicentes: *Confortare in Domino, & in potentia virtutis ejus: quoniam fidelis eſt Deus, qui non deſeret, ſperantes in ſe tentari ſupra quam poſſunt, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Tua igitur reverentia in his inſtantis adverſitatis caſibus aliquatenus non frangatur: quin potius in Deo confidens roborata conſiſtat, donec, Chriſto adjuvante, nos vobiſcum ſpeciali præſentia juncti ſimul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta quæ neceſſario ſtatuenda ſunt communi eloquio, atque conſenſu pertractata provenire credimus in ſalutem. Tamen noſtræ voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum, communemque fidelem, tuæ dilectioni innoteſcendum mandavimus, quoniam te quaſi proprium filium diligentes in omnibus noſtris volumus habere conſortem. Data *ut ſupra*.

Epheſ. 6. 1. *Cor.* 10.

CLXII. AD EUMDEM

Ejuſdem argumenti.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo ſanctæ Neapolitanæ eccleſiæ.

MUltas gratiarum actiones, atque ſalutes almitatis veſtræ his noſtris apoſtolicis referimus literis: quia nobis pro communi utilitate longe conſiſtentibus, quaſi præſentibus ſinceritatem devotionis, & fidei veſtræ circa ſanctam Romanam eccleſiam matrem veſtram, noſtrumque pontificium, atque circa fideles noſtros promptam in omnibus oſtendere procuratis. Quamobrem nulla inimicorum verſutia, vel calliditas, vos a bono mentis propoſito in aliqua ſiniſtræ cogitationis, aut voluntatis partem inclinet: ſed ſicut cœpiſtis, perficere omnimodo ſatagite: quia & meritum, & condigna retributio vobis, Chriſto favente, provenit. Nam licet inimicorum nos præpediente fraudulenta nequitia, non omnia quæ volebamus ex toto potuiſſemus perficere; nunc tamen, annuente Domino, quod ad honorem ſanctæ Dei eccleſiæ, & iſtius terræ ſalutem, veſtramque defenſionem pertinent, jam cœptum habemus, credimus nos incunctanter acturos. Proinde hortamur nihilo minus & monemus dilectionem veſtram, ut ſicut hactenus, ita deinceps viriliter ac firmiter conſiſtatis, donec ſpeciali præſentia adjuncti ſimul loquamur, & pro communi ſalute pariter laborantes, totis conatibus deſudemus. Quoniam velut cariſſimum te filium retinere cupientes, benigne amplectimur, & tecum in omnibus congratulari feliciter cupimus: quia ut dictum eſt, pro certo ſcias te dignam nobis compenſationem eſſe procul dubio recepturum. Hunc vero diaconum tuum, qui pro tuo amore in noſtro ſervitio tanto tempore fideliter manſit, ſanctitati veſtræ in omnibus commendamus, ut dignum a vobis recompenſationis honorem percipiat. Data *ut ſupra*.

CLXIII. AD ARCHIEPISCOPOS, EORUMQUE SUFFRAGANEOS.

Ne Bicbertinum ante cauſæ diſcuſſionem excommunicent.

Reverendiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Aureliano, & Otteramno, nec non & Theodorico, & univerſis coepiſcopis veſtris.

OMnium veſtrum ſanctitati notum eſſe volumus, veniſſe Bicbertinum deferentem imperatoris præceptum, & commutationis chartulam de rebus quas carius cum Amulo archiepiſcopo dudum celebraverunt. Inſuper noſtro apoſtolatui intimavit, ut eum ſine ratione diſcuſſa excommunicare vultis. Quapropter apoſtolica auctoritate jubemus, ut nemo veſtrum eum excommunicet, antequam ad legis examen proveniat. Scitote, quemadmodum in centeſimo capitulo Africani concilii legitur, ſimiliter in ſecundo novellarum Juſtiniani libro, ut nemo epiſcopus aut presbyter aliquem excommunicet, antequam cauſa probetur. Qui excommunicatus majorem ſacerdotem adeat, & ille qui injuſte excommunicavit, ab ipſo juſte patiatur. Et nemo veſtrum, aut quilibet laicorum, præfati res ante legis ſanctionem invadere audeat. Nam, quod non credimus, ſi quis contra hanc noſtram apoſtolicam auctoritatem ire tentaverit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum. Data *ut ſupra*.

CLXIV. AD BOSONEM COMITEM.

De incolumi ejus prosperitate gratulatur: se tum eum, tum Angelbergam imperatricem caros habere ostendit: rogat ut Adelberto & illius conjugi Rotildæ bona, quæ in provincia possederant, retinere permittat.

Dilecto filio Bosoni glorioso principi.

QUia literis nobilitatis vestræ relectis vos incolumes cum optata prosperitate vigere didicimus, plurimum sumus læti effecti: nam vestræ dilectionis amore apostolica semper cupimus benignitate manere devoti, & ea quæ vobis utilia, vel proficua esse videntur, alacri dumtaxat mente perficere, nec pro aliquo homine vestram nobis dilectam amicitiam relinquamus: sed pio potius intuitu in omnibus conservare illæsam. De parte autem spiritualis filiæ nostræ Angelbergæ imperatricis carissimæ matris vestræ pro certo scitote, quoniam paterno eam affectu semper dileximus, & quamdiu, auxiliante Domino, vixerimus, diligere nostroque apostolico subsidio adjuvare, tuerique magnopere desideramus: nec non & quasi carissimam & spiritalem filiam gloriosius retinere. Porro de vestræ voluntatis actione, quam dicitis exhibere, nos sine dubio in vestra amicitia constantes habebitis. De parte quoque Adelberti glorioſi marchionis, seu Rutildæ comitissæ conjugis ejus, cognoscat nobilitas vestra, quod vobis in omnibus fideles, & devotos amicos eos esse cognoscimus: ideo rogamus, ut eorum comitata in provincia posita, sicut jam tempore longo tenuerunt, ita deinceps pro nostro amore securiter habeant. Optamus gloriam vestram nunc & semper in Christo manere perpetuam. Data *ut supra*.

CLXV. AD LIUDTEFRIDUM COMITEM, EJUSQUE CONJUGEM.

Excommunicat eos, quia monialem monasterio rapuerant.

Liudtefrido comiti & conjugi suæ.

QUia contra divina, & legum præcepta temerarie agere non erubuistis, ita ut calcato Dei timore Garelindam sacro velamine tectam, & in monasterio Angelbergæ dilectæ filiæ nostræ imperatricis Augustæ, sub professione regulari diutissime conversatam, quod Placentiæ situm est, abstrahere fraudulentissima suasione ausi fueritis; tam diu te, tuamque conjugem auctoritate sancti Spiritus Domini nostri a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi separamus, & a consortio Christianitatis, donec prædictam seminam Garelindam, loco unde degannastis, restituatis. Quod si hoc neglexeritis, anathematis vos vinculis innodamus. Data *ut supra*.

CLXVI. AD VVIBERTUM EPISCOPUM,

Arguit eum, quod bis vocatus ad se venire neglexerit: præcipit ut veniat objectis responsurus.

Reverendissimo & sanctissimo Vviberto venerabili episcopo.

JAm enim sanctitati tuæ bis misimus ut ad nos venires, sed ignoramus qua temeritate non obedias: iterumque mittimus, ut omnibus tuis posthabitis seriis, ad nos præsentialiter acceleres: quoniam multi supra te reclamant, maxime hic senex, qui ob hoc jam Romam venit pro suo monasterio. Ceterum sapias, si venire distuleris, te excommunicandum, si perseveraveris in tua * etiam a communione alienandum. Data *ut supra*.

* *f. deest*, obstinatione.

CLXVII. AD BERENGARIUM COMITEM.

Declarat suam in eum benevolentiam: commendat ejus erga Romanam ecclesiam observantiam: rogat ut Stephanum episcopum in tuendis ecclesiæ suæ juribus adjuvet.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti.

QUia præcessores nostros, sacros videlicet pontifices imitantes, qui glorioſos progenitores vestros dignis semper honoribus glorificaverunt, vos quasi dilectum & spiritalem filium paterno cupimus affectu diligere, & glorioſum in omnibus retinere. Nam sicut per Demeum eximium ducem, & fidelem nostrum nobis intimando mandastis, quod erga sanctam sedem apostolicam, & nostram paternitatem, vos in omnibus devoti, & obedientes esse deberetis, omnemque nostram voluntatem, quasi filius carissimus adimpleretis, multum fuimus gavisi: sed quia iterum per Petrum venerabilem episcopum, & Joannem insignem ducem vobis mandavimus, ut adjutores fuisletis Stephano venerabili episcopo, quem nos in Comiaclo præordinavimus, quatenus vestro auxilio adjutus ecclesiæ suæ jura, & possessiones, atque ipsius curam ducatus retineret securus, & vestro minime audivimus adjutum esse auxilio, valde miramur. Quapropter rogamus nobilitatem tuam, ut tale jam dicto episcopo nostro adjutorium faciatis, per quod suam ecclesiam, & ministerium sibi commissum securiter reunere, atque disponere valeat. Et si forte, quod non credimus, vestra est circa nos voluntas mutata, ut audire nos de hoc non cupiatis; petimus ut pro amore Dei & nostro omnes vestros homines prohibeatis aliquam ibi nostris contrarietatem facere, ut absque illorum impedimento nobis illos liceat secundum nostram possibilitatem castigare veluti rebelles & inobedientes nostræ apostolicæ jussioni, ne censum, quem his annis transactis duobus exinde perdidimus, & istius anni perdamus. Data *ut supra*.

CLXVIII. AD PANDENULFUM COMITEM.

Rogat ut legatis imperatoris per ejus regionem transituris auxilium præstet: condolet de Paganorum in eum incursione: excusat se, cur ad eum non eat: hortatur ut sit animo forti, promittitque subsidium.

*Dilecto viro Pandenulfo glorioso * comiti*

* *comiti Capuano*, ut ex sequenti epistola constat: ejus meminit Eco in chronico Cassinensi lib. 1. cap. 45.

MUltiplices nobilitati vestræ his nostri præsulatus apicibus gratias agimus, qui vestram devotionem atque dilectionem, quam nostræ voluntatis præceptis parendo alacriter ostendistis, in omnibus sinceram & obedientem fore incunctanter agnoscimus, cum præsentem hunc Græcum imperialis bajuli hominem nostris direxistis obtutibus præsentandum incolumem. Sed quia imperiales missi, ceu in ipsius bajuli reperimus literis, per vos transituri sunt; quatenus ad nostram apostolicam præsentiam veniant, petimus nobilitatem ve-

ſtram, ut pro noſtro amore, & ipſos veſtros auxilio munitos, proſpero, annuente Domino, nobis itinere dirigatis. Quod autem multiplici Paganorum incurſione vos gravatos aſſeritis, condolemus; maxime quia veſtri concives circumquaque poſiti cum eiſdem perditionis filiis fœdus inire procurant: quamobrem noſtram his veſtris in partibus neceſſario præſentiam præſtolamini affuturam. Nos vero ſicut jampridem mandavimus, pro communi dumtaxat utilitate atque ſalute, omni annixu venire magnopere cupimus, quamvis & de aſſidua corporis incommoditate, & de peracto jam Franciæ itinere adhuc maneamus defeſſi. Nunc igitur ante prædictorum imperialium miſſorum adventum illuc properare nequimus: cum vero eorum legationem nobis delatam congruis, Deo propitio, reſponſionibus utentes audierimus; tunc quid utilius agendum ſit, pro viribus agere omnino curabimus. Vos tamen in Domino confidentes animo eſtote conſtanti, qui non deſerit confidentes in ſe, ut inter ceteros veſtros proximos atque vicinos efficaciores ac potiores in omnibus appareatis: quoniam noſtro apoſtolico vos præſidio, prout opportunum fuerit, quaſi cariſſimos filios adjuvabimus. Data *ut ſupra*.

CLXIX. AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

Commendat ejus ſtudium erga eccleſiam & imperatores: ſignificat ſe ad Conſtantinopolitanæ eccleſiæ perturbationes ſedandas paratum eſſe: oſtendit imperatoris legatos honorifice ſe excepturum, quos etiam a comite Capuano recipi, & ad ſe mitti jam antea mandarat.

Dilecto viro Gregorio glorioſo primicerio, & imperiali bajulo.

LIteris tuis, quas nobis per Stephanum candidatum fidelem tuum direxiſti, relectis, devotionis tuæ ſinceritatem & fidem, quam circa eccleſiam Dei, & glorioſiſſimos imperatores habes Auguſtos, enucleatius agnoſcentes, plurimum collaudamus. Et ideo ſacris orationibus noſtris, ſicut ſupplici voto poſtulaſti, Domino commendare, ut & a viſibilibus & inviſibilibus ſecurus, ac victor exiſtas, omnino ſtudemus. Et quia magno imperatori tuo eccleſiam Dei pacificari volenti, nos ut favere debeamus hortaris, id juxta noſtri officii magiſterium prompta dumtaxat agere voluntate divinitus adjuti curamus: quoniam, dicente apoſtolo, eccleſiarum Dei omnium nobis ſolicitudo incumbit. Quapropter more prædeceſſorum noſtrorum pontificum, Conſtantinopolitanam eccleſiam multiplicibus ſcandalis nunc perturbatam, prout juſtum eſt atque poſſibile, ſedare volumus, & pacem perpetuam ſtabilire. Præterea legati imperiales, quos ad noſtra apoſtolica faſtigia dicis eſſe directos, ſi venerint, competenti a nobis recipientur honore, & Auguſtalem per eos nobis delatam legationem clementer recipiemus; atque ipſius legationis textum, & ordinem cognoſcentes, una cum ſedis apoſtolicæ nobis commiſſæ aſſenſu, quantum fas eſt, pro eccleſiæ Dei pace imperiali voluntati favere omnino ſtudebimus. Pro quibus etiam miſſis, Pandenulfo Capuano comiti ſcripſimus, ut eos venientes recipiat, & pro noſtro amore proſpero nobis itinere, Domino annuente, dirigere ſtudeat. Nunc ergo iidem miſſi præſentialiter Romam venire procurent: quia nos aliis cauſis impediti, iſtas in partes modo, ſicut diſpoſitum habuimus, properare non poſſumus. Data *ut ſupra*.

CLXX. AD THEODOSIUM PATRIARCHAM HIEROSOLYMITANUM.

Excuſat tardum legatorum ejus reditum, per quos quædam munera ad eum mittit, rogans ut pro ſe aſſidue Deum deprecetur.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Theodoſio patriarchæ ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ.

NOtum eſſe volumus ſanctitati veſtræ quia præſentes monachi veſtri, Theodoſius videlicet, David, & Saba venientes Romam ad limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, demorati ſunt ibi eo quod nos pro noſtræ eccleſiæ cauſis & utilitatibus Franciam perrexeramus. At ubi, Deo volente, reverſi ſumus incolumes, eis ad veſtram paternitatem revertendi licentiam dedimus, per quos nimirum, cauſa caritatis, aliquam licet modicam beati Petri apoſtoli benedictionem fraternitati veſtræ mandavimus. Quam petimus, ut pro Dei, & ipſius apoſtolorum principis amore, noſtraque dilectione benigne recipiatis: quoniam nimia Paganorum oppreſſione gravati, plura, ut volebamus, dirigere non potuimus. Rogamus præterea ſanctam veſtram in Domino caritatem, ut in ſanctis orationibus veſtris noſtri ſemper memores exiſtentes, pro nobis preces Jeſu Chriſto Domino noſtro quotidie fundere alacri animo dignemini cariſſime frater. Data VI. Nonas Maii.

CLXXI. AD CAROLOMANNUM REGEM

Ut in Vercellenſi eccleſia Goſpertus diaconus conſtituatur epiſcopus.

Dilecto ac ſpiritali filio Carolomanno glorioſo regi.

MUltorum relatione didicimus, quod eccleſia Vercellenſis nunc valde turbata & quotidianis commota ſcandalis conſiſtat, dum in duas partes populus pro epiſcopi electione diviſus, alii unum, alii vero alterum eligere, habereque contendant & cupiant; electumque enormiter defendere uterque procuret. Sed quia juxta noſtri miniſterii apoſtolicum officium & ſolicitudinem omnium eccleſiarum Dei, nobis in ipſo apoſtolorum principe commiſſam, juxta canonicam etiam ſanctorum patrum regulam dicentem: Si diviſio clericorum vel populi extiterit, & de futuri electione pontificis contentio ſuerit oborta, nullum ex his duobus in throno epiſcopali eſſe aliquatenus conſecrandum, ſed alterius electionem fieri debere ſacerdotis eccleſiæ proprio deſtitutæ rectore, & ob id perturbatæ, jura pacis ferentes ſubvenire debemus. Regiam excellentiam veſtram rogamus, ut pro amore Dei & S. Petri, ac noſtræ paternitatis dilectione, ipſum Vercellenſem epiſcopatum huic nobiliſſimo viro, Goſperto videlicet venerabili diacono, vobis bene cognito, communique fideli noſtro ac veſtro, quem pro eccleſiaſticis utilitatibus in ſervitium veſtrum direximus, placido de præſentia modo tribuatis. Quoniam vere cognoſcimus hunc in omnibus tam civilibus, quam etiam eccleſiaſticis cauſis ſtrenuum atque utiliſſimum fore, nobiſque non mediocriter fideliſſimum. Quapropter ad veſtræ præſentis, & futuræ gloriæ augmentum, hoc vos nobis concedere petimus, hanc primam

primam noſtri pontificii juſtam petitionem veſtra regalis alacriter perficiat magnitudo; ut & nos veſtram libenti poſſimus animo perficere voluntatem, cariſſime fili: quoniam ſic veræ dilectionis unanimitate, pioque amoris affectu videbimur manere conjuncti, ſi nos ea quæ cupitis, apoſtolica dumtaxat perfecerimus auctoritate; & vos item veſtro regali jure noſtri deſiderii preces audire cum jucunditate procul dubio ſtuduerit is. Talem namque progenitores veſtros invictiſſimos imperatores Auguſtos circa deceſſores noſtros, ſanctos videlicet Romanæ ſedis antiſtites, habuiſſe dilectionem recolimus, ut quidquid ab alterutra parte petebatur, omni poſtpoſita occaſione mox efficaciter compleretur. Ita vero & noſtra nunc pontificalis a Deo conſervata majeſtas, & veſtra regia magnitudo, ſibimet debent placide favere viciſſim. Data *ut ſupra*.

CLXXII. AD CAROLUM REGEM.

Hortatur ut quamprimum contra infideles & eccleſiæ oppreſſores auxilio veniat.

Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.

MIramur quia vos ſæpius exhortantes ut ad exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ, veſtrumque honorem, & totius terræ noſtræ defenſionem venires vocavimus, & hactenus diſtuliſti. Credere namque nobis poteſtis, quod nimia undique tam Paganorum quam malorum Chriſtianorum perſecutione gravati, undique concuſſi, talia quæ jam a longo tempore patimur, ſufferre nequimus: & ideo iterum admonemus, ut toto conamine, ſicut vobis mandavimus, procul dubio attendatis. Nam pro certo ſcire debetis, quoniam pro nullius hominis lucro, vel blandimento, ſive terrore a veſtro nos conſortio, & veſtræ amicitiæ fœdere ſeparabimus: idcirco tantum viriliter agere ea, quæ nobis ac vobis proficua ſunt, nullatenus dubitetis. Sed præſtolando veſtrum adventum, diuque tardantem putavimus, ne forte Carolomanni glorioſi regis, germani veſtri prædicti, aliquo impedimento jam venire nequiſſetis: unde illi noſtram apoſtolicam direximus epiſtolam, admonentes, quia ſi hoc regnum amplius taliter occupatum ac inordinatum, & ſine defenſione tenuerit, animæ ſuæ detrimentum omnimodis fiet; nullumque vobis pro eccleſiæ Dei defenſione venientibus impedimentum aliquod facere præſumat. Quapropter quod agendum eſt veſtra regalis excellentia agere nullo modo deſinat: nam ſi per vos ſancta Romana eccleſia fuerit exaltata, atque defenſa, veſter honor, & gloria hic, & in futuro ſine dubio coram Domino multiplicata manebit. Data *ut ſupra*.

CLXXIII. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Ut una cum legatis, quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice ſua mittat, arguit, quod bona Angelbergæ diripi non prohibuerit: hortatur ut ea recuperanda curet.

VVibbodo epiſcopo.

QUoniam præ omnibus, qui in his videntur conſiſtere partibus, Deo dilectis ſacerdotibus, te utpote cariſſimum filium, & fratrem unanimem ſpecialius diligimus, & pro tanta tuæ ſinceritatis devotione, quam circa nos, & ſedem apoſtolicam habere dignoſceris, toto mentis affectu amplectimur, & idcirco reverentiam tuam pio nobis amore conjunctam cupimus apoſtolica ſemper benignitate fovere, auctoritate fulcire. Nunc igitur dilectioni tuæ notum eſſe volumus quia pro tot & tantis calamitatibus, quas, ſicut ipſe bene cognoſcis, aſſidue patimur, hos præſentes miſſos noſtros direximus, per te quaſi per quoddam oſtium intraturos ſpirituali filio noſtro Carolomanno glorioſo regi, cum quibus ſane, aut ipſe in ſervitium ſancti Petri alacri mente ire, omnemque noſtræ voluntatis cauſam, & neceſſitatem apud eumdem regem perficere ſtudeatis, aut fideliſſimum & idoneum a latere tuo virum dirigas; qui vicem tuam in omnibus ſagaciter poſſit explere. Nam tuo conſilio, & adjutorio .... eoſdem legatos noſtros munias hortamur, quatenus ſedis apoſtolicæ legationem, prout dignum eſt, & inſtantis temporis neceſſitas exigit, Deo propitio, perficere poſſint. Et quia eos ſine tarditate ire, ac reverti præcipimus, ne ultra tres dies illos penes te retinere procures; ſed habito mox conſilio quatenus ſalvi & ſecuri ad jam dictum regem proficiſcantur, aut nullatenus demorentur. Quod ſi fortaſſe ad Carolomannum pro ejus corporea infirmitate ire non poſſe contigerit, ad Carolum regem ipſius germanum eos quocumque modo proficiſci facito. Prætera veridico multorum relatu longe lateque reſonante didicimus, quod res & poſſeſſiones dilectæ ac ſpiritualis filiæ noſtræ, & ſancti Petri commendatæ Angelbergæ imperatricis ſint a quibuſdam malefactoribus omnimodis deprædatæ, non ſolum quæ foris extitere in agris & villis, ſed etiam quæ intus per venerabilia, & non violanda loca ſanctorum monaſteriorum repoſitæ fuerant: pro quo ſcilicet tam immani ſcelere, nefandoque piaculo ſanctimoniam tuam merito redarguimus. Quoniam ſacerdotii tui officium eſt, male agentes auctoritate divina corrigere, verbiſque ſalubribus cohibere, ne tacendo tales, proh dolor, imitari potius quam prohibere videaris. Eſt enim ex hoc peſſima fama univerſum diſcurrens per orbem, quod dominam quondam, & imperatricem veſtram, cui veſtram fidem per jusjurandum dediſtis, male tractatis, cui priſtinum honorem, dignamque reverentiam ſemper exhibere debueratis. Nunc itaque pro amore ſancti Petri, ſub cujus ſpeciali defenſione conſiſtit, eam adjuvare non prætermittas, quouſque ſua omnia quæ injuſte perdidit, * poſſit. Data *ut ſupra*.

* *f. deeſt* recuperare

CLXXIV. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Hortatur ut ad obedientiam Romanæ eccleſiæ, a quo ſeductus receſſerat, cum ſua gente revertatur.

Dilecto filio Michaeli regi Bulgarorum.

QUia vos omnipotens Deus dono gratuitæ miſericordiæ ſuæ, gentemque veſtram ad cognitionem ſui nominis vocare dignatus eſt, meminiſſe debebatis hoc quod Dominus beato Petro apoſtolo dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*: cui vos in primordio Chriſtianitatis veſtræ ad regendum commiſiſtis, ejuſque ſucceſſoribus ad obediendum. Sed neſcio qua ratione ab ejus magiſterio, calliditate quorumdam eſtis abducti, ita ut Matth. 16.

Galat. 3. cum apostolo dicamus: *Quis vos fascinavit ei non obedire, cui dudum colla summisistis?* aut illis credidistis, ut pace Græcorum loquamur, qui quotidie novis, & variis disciplinis, atque dogmatibus confunduntur? Sed quæso, fili carissime, ad sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ sinum, quæ caput est, instituente Deo, omnium ecclesiarum in toto orbe diffusarum, relictis superfluitatibus, & seductionum scandalis, vos gentemque vestram amore mentis, sine mora reducite. Quia in tantum vos affectione paterna diligimus, ut in visceribus Christi Jesu esse cupiamus. Et ecce parati sumus, ut vos lucrifaciamus, & quidquid legatorum nostrorum offuscatione nuper offensum est, ad purum corrigere, & omnia maturissime redintegrando curare, & si contigerit non solum compati, & condolere vobiscum, sed etiam pro salute animarum vestrarum mori non recusabimus, dicente Joan- 1. Joan. 3. ne apostolo: *Quoniam Deus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* Vestræ tamen dilectioni convenit monitis paternis benigno amore semper præbere assensum, & admonitionibus nostris accommodare auditum: quia ille, cui a Domino claves regni cælorum ligandi, atque solvendi collatæ sunt, quotidie & indesinenter expandit brachia, & vos revertentes ad se gratulanter expectat; quatenus vos æterno pastori reddat compotes æternæ beatitudinis: a quo accepit ministerio sui apostolatus animas vestras redimere. Data *ut supra.*

CLXXV. AD CONSILIARIOS MICHAELIS REGIS BULGARORUM.

Ejusdem argumenti.

Petro, Cerbulæ, & Sundicæ, ceterisque optimatibus, consiliariis dilecti filii nostri Michaelis regis Bulgarorum.

DEnique moneo vestram omnium dilectionem, ut continuis adhortationibus, atque suggestionibus dilecto filio nostro Michaeli glorioso regi seniori vestro annuncietis, vosque cum eo ad sinum sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ vos æternæ beatitudinis cupit esse participes, redeat, ac redeatis; ne alterius quorumdam perversi dogmatis suasionibus perniciem, ac detrimentum, quod absit, animæ vestræ patiamini: quoniam nos in tantum amorem super vos ducimur, ut quidquid juste, & secundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis, vestrisque petitionibus irrefragabiliter velimus effectum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, & in verbo Christi edicimus, ut redire ad nos omnino festinetis; quia, sicut nos peccare timemus, si vos ad sinum sanctæ matris vestræ non deducimus, ita vos in Deum peccabitis, si nostram vocem audire omittatis. Data *ut supra.*

CLXXVI. AD SEDESCLAVUM COMITEM.

Præcipit, ut legato, quem ad regem Bulgarorum mittit, iter tutum præbat, ac necessaria suppeditet.

*Dilecto filio Sedesclavo glorioso comiti * Sclavorum.*

* De Selavis historia Miscellanea lib. 17. in Mauricio l. 19. & 23.

QUia fama tuæ dilectionis, atque bonitatis, & religionis in Deum ad nos usque pervenit, confidenter gloriæ tuæ præcipimus, A atque mandamus, ut pro amore sanctorum apostolorum Petri ac Pauli protectorum vestrorum, præsentem legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus, salvum atque incolumem venire faciatis usque ad dilectum filium nostrum Michaelem glorioſum regem eorum, & quæcumque ei sunt necessaria ad victum & vestimentum, illi pro Dei amore administrate, quia Dominus dicit in evangelio: *Quamdiu fecistis uni de minoribus istis, mihi fecistis:* & apostolus: *Hospitales invicem sine murmuratione. Quia per hanc latuerunt quidam, angelis hospitio susceptis.* Agat, fili carissime, de hoc tua dilectio, ut æternæ vitæ præmia percipere valeat. Data *ut supra.*

CLXXVII.

Excommunicat Anspertum, quia ad synodum vocatus venire contempserat.

B ANspertum Mediolanensem archiepiscopum quem Papiæ existentes, & postmodum ad synodum Romæ pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocavimus, nec per se occurrere, nec excusationem suam secundum sacros canones in tractoria scripta nobis, & sancto concilio, causa temeritatis, & inobedientiæ dirigere nolentem, virtute sancti Spiritus, & principum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate, cum consensu sanctæ synodi, C corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi privamus, quousque suam nobis præsentiam exhibere procuret. Data *ut supra.*

CLXXVIII. AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

Rogat ut legatos Constantinopolitanos ad se mittat: pollicetur, cum Francorum rex Romam venerit, se ad eum auxilio iturum.

Dilecto filio Gregorio primicerio ac bajulo imperiali.

D REligionem tuæ caritatis in Christo, & in ejus ecclesia collaudamus; & ut magis ac magis in bono opere proficias exhortamur. Legatos ab urbe Constantinopolitana ad nos directos, per Beneventum, deinde per Capuam dirige: quoniam jam habemus præordinatum, qualiter, Deo volente, ad nos salvi atque illæsi perveniant. De nostro ad vos adventu, quod tua, fili carissime, dilectio perscrutatur, pro certo deliberatum habuimus; sed rex Francorum ad nos properans suppliciter deposcit, ut ab urbe non discedamus quoquam, donec ipse perveniat. Qui cum, Domino protegente, venerit, cum valida manu, prout temporum dictat necessitas, illuc omni mora postposita studebimus omnimodis E properare, pro totius sanctæ Dei ecclesiæ, & omnium Christianorum salvatione. Data VI. die Maii, indictione XII.

CLXXIX. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Ut apud Carolomannum, vel Carolum ejus fratrem, de ecclesia Dei a Paganorum infestationibus defendenda agat: & si archicapellanus Caroli Romam venerit, ipse quoque veniat; sin minus, eorum regum voluntatem sibi literis aperiat.

Reverendissimo VVibbodo episcopo, & dilecto consiliario nostro,

CUm assidue vos quasi carissimum filium in nostro cupiamus habere obsequio, placeret nunc nobis pro instantis temporis multiplicibus causis, vestro sagaci consilio frui: sed quia industriam vestram ea quæ ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, ac nostrum pertinent, semper ubique agere fideli devotione velle, procul dubio credimus, nunc ad nostram apostolicam venire præsentiam non gravamus. Quapropter vestræ innotescimus dilectioni, quoniam assidua & supra modum gravi Paganorum infestatione gravati, cujuslibet regis jam cupissemus habere solatium. Unde si Carolomannum posse incunctanter agnoscitis, apud illum; sin autem, apud germanum & æquivocum ejus, Carolum videlicet glorioſum regem, causas & utilitates sanctæ sedis apostolicæ prudenti dumtaxat consilio agere: &, Deo auxiliante, ad perfectum deducere satagatis; quatenus pristinum ejus honorem, atque vigorem ipsius, regia majestas, more videlicet parentum suorum, conservet in omnibus. Præterea si talis archicapellanus jam fati Caroli regis, sicut nobis mandastis, venerit, ad nostraque apostolica vestigia missus properare quæsierit, volumus ut cum eo ad nos pariter veniatis; ut communi tractatu, quid pro ecclesiæ Dei exaltatione agendum sit, pariter consideremus. Sin autem ipse Romam non venerit, eo diligenter inquisito, causas & voluntates, atque devotiones vel Carolomanni, vel ipsius germani jam dicti regis, nobis literis vestris sub omni certitudine præsentialiter innotescatis, ut quid prospere agendum sit, luce clarius agnoscamus. Hujus quoque textum epistolæ, ut nullus agnoscat, cum legeritis, statim igne comburite. Data *ut supra*.

CLXXX.

Scribit se tacitum tenere quod secreto ex ipso audierat, & auxilium, quod promiserat, ab eo omnino expectare: præterea se bene valere.

SEcretum, quod, Deo auxiliante, vobiscum Trecis existentes habuimus, immutilatum, ac fixum nostro apostolico pectore, quasi quoddam thesaurum reconditum, procul dubio retinemus, & totis, vita comite, nisibus illud, quantum in nobis est, alacriter optamus perficere. Quapropter, si excellentiæ vestræ libet, jam hoc ipsum ad effectum debetis perducere. Quia juxta sanctum apostolum admonentem: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*: quibus, favente Domino, vestra potestis efficaciter desideria explere. Nos enim sponsionem vestram nimium præstolantes, sed usque adhuc minime contemplantes, tristes existimus, eo quod assiduas & supra modum graves Paganorum infestationes omnimodis patiamur; & idcirco pro instanti necessitate alio dirigere, auxiliumque

2. Cor. 7.

A opportunum prætermisimus quærere. Unde, si placet agere, quod agendum est agite; sin autem, nobis remandare sine mora satagite. Quia vero de salute nostra soliciti gaudetis, vestræ innotescimus magnitudini, quia & prosperum, Christo duce, revertendo iter habuimus, & nunc corporea sanitate bene valemus. Data *ut supra*.

CLXXXI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Arguit eum, quod tertio vocatus ad concilium non venerit: præcipit ut ad synodum celebrandam cum suis episcopis accedat, & cum Francorum regibus, qui in Italiam fuerant ingressi, placitum non faciat: aliter excommunicationem minatur.

Reverendissimo & sanctissimo Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

MUltæ inobedientiæ atque pernicioſæ temeritatis procul dubio reperiris obnoxius; cum nobis pro ecclesiarum Dei omnium juxta apostolum commissa solicitudine, populique salute, in hoc periculoso tempore; necessitate scilicet nimia cogente, strenue decertantibus, nullum, ut oportebat, præbere assensum, nullumque veluti capiti tuo compatiendo, studuisti conferre solatium. Missis etiam apostolatus nostri secundo, ac tertio per fratres, & coepiscopos nostros literis, in consortium solicitudinis nostræ te more præcessorum nostrorum, utpote idoneum comministrum primum quidem in Gallia, & postmodum Papiæ consistentes canonice vocavimus, sed minime occurrere voluisti. Regulari etiam, & nostra apostolica vocatione jussimus, ut Romam pro tam multiplicibus necessitatibus in commune pertractandis, ac synodice deliberandis negotiis venire absque quolibet obtentu satageres: sed neque secundum canonicam sanctionem, excusationem tuam in tractoria scriptam, nobis & sanctæ synodo per idoneum a latere tuo ministrum dirigere, neque ipse potius venire, improvida dumtaxat mente, curasti: ut una nobiscum, qui vestrum omnium onera portamus, juxta præceptum apostoli, ea portare omni annixu studeres. Pro quibus videlicet tot evidentissimis culpis, & temerariis prælumptionibus a te peractis, una cum veneranda synodo ante sacratissimum beati Petri apostoloram principis corpus habita, secundum immutilatam Africani concilii regulam, te ad concilium nostrum non occurrentem, neque excusationem tuam in tractoria subscribentem, neque justam rationem impedimenti tui apud nos omnium vestrum primatem reddere curantem, omni prorsus ecclesiastica communione, sancti Spiritus auctoritate, privavimus, quousque tuam specialem præsentiam nobis, & sedi apostolicæ exhibere curaveris. Nunc itaque, quoniam constanter tenentes justitiam, benigne debemus semper præbere clementiam, his iterum nostris apostolicis literis dilectioni tuæ præcipimus: ut quia ad præfatam synodum non venisti, ad eam quam rursus, juxta canonis apostolici capitulum tricesimumquartum, erimus quarto Idus Octobris, auxiliante Domino, celebraturi, omni postposita occasione cum suffraganeis episcopis tuis devotus occurras. Vel si aliqua evidenti necessitate te non posse venire claruerit, eximios a latere tuo dirigas viros, qui tunc nobis & sancto concilio idonee faciendo,

Concilium Africanum cap. 42. Carthaginense V. c. 10.

do, & cauſam tuæ impoſſibilitatis veraciter intiment, & ea, quæ pro eccleſiarum Dei utilitate peragenda ſunt, nobiſcum ſagaciter valeant deliberare. Nam ſi & hanc quartam noſtræ apoſtolicæ auctoritatis vocationem parvipendens, ad jam denunciatam ſynodum ipſe venire, vel tuos mittere contempſeris; ſcias pro certo, quoniam majori te judicii eccleſiaſtici vinculo velut inobedientem incunctanter ligabimus, Præterea hoc etiam tibi, tuiſque ſuffraganeis omnibus admonitione noſtra denunciamus, atque præcipimus, ut cum eo, qui de regibus Francorum, Deo favente, Italiam fuerit ingreſſus, nullum abſque noſtro conſenſu, & unanimitate placitum facere præſumatis; apoſtolorum canone capituli triceſimiquinti ita jubente atque dicente: Epiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, & quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ ſub ea ſunt, competunt, ſed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid; ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto. Propter quod & nos veſtro communi tractatu, atque conſenſu, ea quæ ad communem & neceſſariam utilitatem eccleſiarum Dei nobis commiſſarum agenda ſunt, omnimodis agere cupimus. Non enim aliter, dicente ſancto Leone, unus grex & unus paſtor ſumus, niſi quemadmodum apoſtolus docet, Id ipſum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Data XIV. Kalendas Junii, indictione XII.

1. Cor. 1.

An. Chr. 879.

CLXXXII. AD EUMDEM,

Ejuſdem pene argumenti.

Aſperto archiepiſcopo,

CUm univerſi, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, ab ipſo religionis exordio, fide & meritis Petri Romanam eccleſiam ſublimatam omni veneratione ſequi, omnique reverentia honorare ſtuduerint; & contra eam, niſi qui de ſe voluit judicari, nullus obices manu habuerit; valde miramur, cur adeo veſtri ordinis miniſterium excedatis, ut cujus auctoritatis, cujuſque privilegii eadem ſancta ſit Romana eccleſia, fuco ignorantiæ non advertatis, & ei quæ vos genuit dolenti, ac injurias patienti, nullo filiorum affectu compati ſtudeatis. Quin potius in contemptum regionis, non ſolum poſſibilia adjutoria nobis præbere contemnitis: ſed etiam nuper a Galliis remeantibus, ut ſaltem clamorem & laborem noſtrum, quem pro omnibus patiebamur, audiretis & doleretis, apud Ticinum nobis occurrere diſtuliſtis, ubi etiam diutius immorantes, ut ad ſynodum veniretis, vos literis noſtris vocavimus. Sed inobedientiæ atque temeritatis audacia freti, nec tunc veſtram nobis præſentiam exhibere curaſtis; poſtremo generali ſynodo Romæ præteritis Kalendis Maii celebratæ, a nobis rurſum vocati, intereſſe penitus diſtuliſtis. Hujus rei gratia juxta apoſtolum in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, digna correptione canonicis vocibus vos perferiremus, niſi miſericordia apoſtolicæ ſedis noſtrum animum temperaret. Vos autem cariſſimi tanta noſtra patientia non abuſi, redite ad cor, & deponentes omnem temeritatem, pro communi ſalute, & pace regni nobis hærete, adeo ut quæ recipimus recipiatis, & quæ reſpuimus reſpuatis: ut idipſum dicamus omnes & eadem ſapiamus: quia & ego ſolicitos vos pro communi ſalute ac ſtatu regni & pace libenter audio, ſicut e contra aliud quam tenemus tenentes, non libenter admitto. Jam vero quia multoties ad ſynodum convocati, venire hactenus contempſiſtis, ſicut prætulimus: omni temeritate atque inevitabili occaſione depoſita, ad aliam ſynodum, quam, gratia divina opitulante, quarto Idus Octobris futuræ tertiædecimæ indictionis celebraturi ſumus, occurrite. Quatenus ea, quæ ad utilitatem ſanctæ Dei eccleſiæ pertinent, communi tractatu, communi voto atque conſenſu, cum Domini adjutorio exequamur. Quod ſi forte & tunc venire contempſeritis, ſciatis vos, & de præteritis, & de futuris negligentiis canonice judicandos: ita ut eccleſiarum veſtrarum communione juxta ſacros canones ſitis contenti, qui non vultis eccleſiaſticis acquieſcere diſciplinis. Data XIII. Kalendas Junii, indictione XII.

Conc. African. 43. Carthaginenſe c. 10.

CLXXXIII. AD THEODOSIUM ELECTUM EPISCOPUM NONENSEM.

Laudat ejus erga Romanam eccleſiam obſervantiam, & præclaras ejus virtutes: teſtatur ſuam in eum benevolentiam: monet ut a ſe conſecrationem epiſcopalem accipiat.

Teodoſio venerabili diacono, & electo ſanctæ eccleſiæ Nonenſis.

DIlectionis tuæ literis receptis atque perlectis, devotionis & fidei tuæ ſinceritatem, quam circa eccleſiam B. Petri apoſtoli, & circa noſtrum pontificium habes, luce clarius agnovimus. Et quia noſtram gratiam & benedictionem humili prorſus affectu expetere ſtuduiſti, valde ſumus gaviſi: nam & Joannes venerabilis presbyter de veſtra parte veniens, multa nobis tuæ bonitatis, & patientiæ viva voce præconia retulit, quæ in ſacerdote Chriſti magnopere ſunt habenda. Unde te quaſi dilectum corporis Chriſti membrum & ſpiritalem filium noſtri apoſtolatus ulnis extenſis amplectimur, paternoque amore diligimus, atque apoſtolica ſemper volumus benignitate fovere. Ideo monemus ſagacitatem tuam, ne in quamlibet partem aliam declines, & contra ſacra venerabilium patrum inſtituta epiſcopatus gratiam recipere quæras, audiens illam deſiderabilem ſummi judicis vocem dicentis: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.* Sed toto corde, totaque voluntate ad gremium ſedis apoſtolicæ, unde anteceſſores tui divinæ legis dogmata melliflua, cum ſacræ inſtitutionis forma, ſummique ſacerdotii honorem ſumpſerunt, redeas: quatenus & ipſe ab apoſtolica ſede, quæ caput & magiſtra eſt omnium eccleſiarum Dei, epiſcopalem conſecrationem per noſtræ manus impoſitionem, Chriſto annuente, percipias: quatenus ſecundum priſtinum morem ſancti Petri & noſtra ſemper auctoritate atque tuitione munitus, populum Domini tibi commiſſum ſtrenue ac ſecuriter regas, & in conſpectu altiſſimi veniens venias cum exultatione, portans manipulos tuos, dicereque Domino poſſis ovanter: Ecce ego, & pueri, & quos mihi dediſti, & ob hoc cum Deo valeas ſine fine gaudere. Data IV. die menſis Junii, indictione XII.

Matth.

CLXXXIV.

CLXXXIV. AD BRANIMIRUM.

Suscipit eum ad Romanæ ecclesiæ gremium redeuntem: monet ut in Dei amore perseveret: impartitur benedictionem apostolicam, quam petierat: hortatur, ut permittat legatum suum epistolam Bulgarorum deferre.

Dilecto filio Branimir.

RElegentes nobilitatis tuæ literas, quas per Joannem venerabilem presbyterum communem fidelem nobis mandasti, quantam fidem & sinceram devotionem circa ecclesiam sanctorum apostolorum Petri, ac Pauli, ac circa nos habeas, luce clarius novimus. Et quia, Deo favente, quasi dilectus filius sancto Petro, & a nobis, qui per divinam gratiam vicem ejus tenemus, fidelis in omnibus, & obediens esse cupias, humiliter profiteris; tuæ nobilitati dignas valde gratias his nostri apostolatus literis agimus, paternoque amore, utpote carissimum filium, ad gremium sanctæ sedis apostolicæ matris tuæ, de cujus videlicet purissimo fonte patres tui melliflua sanctæ prædicationis potavere fluenta, redeuntem suscipimus, & spiritalibus amplectimur ulnis, atque apostolica volumus benignitate fovere; ut gratiam, benedictionem Dei sanctorumque Petri, ac Pauli apostolorum principum, & nostram super te habens diffusam, a visibilibus, & invisibilibus hostibus, qui saluti humanæ insidiari, & impedire non cessant, salvus semper, ac securus existas, optatamque de inimicis victoriam facilius possis habere. Nam quanto ipse te Deo humiliter subdere, sanctisque ipsius obedire præceptis studueris, atque ipsius sacerdotibus & ministris honorem debitum pro amore Domini exhibueris; tanto super omnes inimicos tuos & rebelles adversarios eris procul dubio victor & potens. Et ideo monemus industriam tuam, ut in omnibus tuis actibus Deum semper præ oculis habeas, timeas, & toto diligas corde, quoniam dicente psalmista: *Beatus est vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis: potens in terra erit semen ejus.* Et ipse in evangelio: *Qui me*, inquit, *diligit, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quod cum ita sit, si tuis bonis operibus in præsenti lucentibus Deum glorificaveris, gloria eris sempiterna in futuro sine dubio decoratus: quoniam ipse per Moysen hoc se facere testatur, dicens: *Glorificantes me glorificabo.* Sicut autem nostro præsulatui per jam fatum presbyterum tria suggessisti: quatenus nostro tibi ore apostolico benediceremus pro tuæ salutis augmento, id ipsum libenter fecimus. Nam in die ascensionis Domini inter sacra missarum solemnia super sacrum Altare S. Petri apostoli celebrantes, elevatis sursum manibus benediximus tibi, & omni populo tuo, omnique terræ tuæ, ut hic & in æternum corpore simul & anima salvatus, & principatum terrenum, quem habes, prospere ac securiter regere possis, & in cælesti regione post mortem cum Deo feliciter gaudeas, & in perpetuum regnes. Et quia hunc ipsum Joannem presbyterum tibi & nobis verum fidelem in omnibus esse cognoscimus, dedimus illi nostram apostolicam epistolam deferendam regi Bulgarorum. Ideo petimus, ut pro amore sancti Petri, & nostro, cum tua ipse licentia legationem hanc nostram sine tarditate perficiat, ut & propter hoc A tuæ dilectioni multiplices gratias habeamus. Data VII. die mensis Junii, indictione XII. An. Ch. 879.

CLXXXV. AD SACERDOTES ET POPULOS BRANIMIRO SUBIECTOS.

Excipit eos ad Romanæ ecclesiæ gremium redeuntes: monet ut perseverent.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus, & universo populo.

CUm literas principis vestri Branimir, quas nobis per Joannem venerabilem presbyterum ipse direxit, legeremus, non solum illius devotionem, sed etiam fidei vestræ sinceritatem & dilectionem, quam circa sanctum Petrum apostolorum principem, & circa nos habeatis, cognovimus. Et quia velut carissimi filii ad sanctam Romanam ecclesiam, unde parentes vestros melliflua sanctæ prædicationis dogmata suscepisse agnoscitis, toto animo, totaque voluntate redire cupiatis, nostram apostolicam gratiam & benedictionem habere magnopere desiderantes, magna sumus repleti lætitia. Et ideo brachiis extensis vos amplectimur, paternoque amore recipimus, & apostolica volumus semper benignitate fovere, si vos hanc voluntatem, & sponsionem vestram usque ad finem sinceriter habueritis, & fideliter tenueritis: quia, dicente Domino, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: & apostolo Paulo id ipsum dicente: participes enim Christi facti estis, si tamen initium fidei usque ad finem firmum retineatis. Quapropter estote fideles Deo, & S. Petro, sicut mandastis, usque ad mortem, & accipietis coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nos enim sacris orationibus nostris memoriam vestri coram Domino assidue facientes, manibus sursum ad Dominum elevatis, omnipotenti Deo vos una cum dilecto filio nostro principe vestro commendamus, & omni benedictione spiritali vobis benedicimus in Christo Jesu Domino nostro, ut hic & in æternum corpore simul & anima benedicti existatis, & in perpetuum Domino gaudeatis. Data VII. die mensis Junii, indictione XII. *Matth.* 10. *Hebr.* 3.

CLXXXVI. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Hortatur ad ecclesiæ Romanæ defensionem, quæ a Saracenis multis afficiebatur detrimentis: rogat ut legatos benigne excipiat: & fidem illis adhibeat.

Dilectissimo ac spiritali filio Carolomanno gloriosissimo regi.

QUia more prædecessorum nostrorum pontificum regiam excellentiam divinitus exaltatam pio mentis affectu diligimus, ad honorem & exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ eam sitibundo pectore videre desideramus: quatenus vestræ magnitudinis triumphali certamine sedis apostolicæ vigor, & honos, quem progenitorum vestrorum, gloriosissimorum videlicet imperatorum tempore habuisse recolimus; vobis regnantibus maneat illibatus & integer, ut & vestræ regalis gloriæ decus vigeat indiminutum, & æternæ mercedis vobis munus superna gratia tribuatur. Nunc igitur pro tot & tantis calamitatibus ac necessitatibus, quas a Paganis assidue, atque a ma-

a malis patimur Christianis, licet pro multitudine scribere non valeamus, & vestram excellentiam ignorare non credimus, pastorali solicitudine moti, ponentes animas nostras in manibus nostris, ingentes labores non solum marini, sed itineris etiam terreni omnimodis sumpsimus. Testamur namque Deum, cui occulta omnium manifesta existunt, quod vestro desiderabili honore, nullius hominis, nisi vestrum præpotens adjutorium avida mente quærere voluimus: sed malorum hominum, quos ipsi scitis præpediti insidiis, hoc agere non valuimus. Quapropter dilectissime fili nostra apostolica exhortatione monemus gloriam vestram, ut pro amore sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ defensionis laborem indubitanter assumere non prætermittatis: unde vobis honor & salus hic & in æternum accrescat. Et ideo petimus, ut pro Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli amore nostris apostolicis monitis toto conamine attendatis: quatenus, aut per vos, aut per saluberrimum consilium vestrum citius nobis subvenire omnimodo satagatis. Quoniam tanta istius terræ perditione undique aggravati, undique concussi talia jam sufferre minime valemus. Nam si, quod absit, per vos forte remanserit, ut ecclesia Dei in præsenti defensionem non habeat, & taliter turbata consistat, videte ne ante tribunal Christi, & coram apostolorum principum præsentia, vestræ animæ patiamini detrimentum: quia nos paterna vos admonitione hortantes, secundum ministerii nostri officium ea, quæ Dei sunt, & saluti vestræ proficua, agere incunctanter convenimus. Misimus autem ad vos præsentes missos nostros Joannem & Paschalem venerabiles episcopos dilectos fideles nostros, quos petimus ut pro nostro amore benigne recipiatis, & eis locum familiaritatis tribuatis, atque ea, quæ vobis de nostra parte dixerint, libentissime attendatis. Data VII. die mensis Junii, indictione XII.

CLXXXVII. AD EUMDEM.

Ut in Vercellensi ecclesia Conspertus creetur episcopus.

Dilecto ac spirituali filio Carolomanno glorioso regi.

MIsimus cum his præsentibus missis nostris hunc venerabilem diaconum nomine Conspertum, vobis, ut credimus, notum, in servitium magnitudinis vestræ: quem petimus, ut pro nostro amore benigne recipiatis; & quia nobis ac vobis fidelis existit, rogamus excellentiam vestram, ut episcopatum Vercellensis ecclesiæ placido animo tribuatis; quatenus, Deo auxiliante, per nostram, ac vestram munificentiam episcopali dumtaxat honore potitus, nobis omnibus existere devotior, atque fidelior possit. Data VII. die mensis Junii, indictione XII.

CLXXXVIII. AD ANSELMUM EPISCOPUM LEMOVICENSEM.

Non separandum virum ab uxore, qui filium suum necessitate urgente baptizavit.

Anselmo episcopo Lemovicinæ ecclesiæ.

30. quæst. 5. Ad limina. AD limina beatorum Petri & Pauli apostolorum principum hic præsens homo, nomine Stephanus, orationis causa veniens, nostro præsulatui suggerendo innotuit, quod filium suum in extremo vitæ positum, necdum baptismatis unda lotum, absentia scilicet sacerdotum necessitate cogente baptizasset, eumque ipse propriis manibus retinendo suscepisset, atque pro hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reverentia tua, quasi zelo rectitudinis flagrans, præfatum hominem a sua judicaverit conjuge separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente scriptura a Deo junctam viro esse uxorem, &, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Unde & Dominus in evangelio neminem posse dimittere uxorem suam, nisi causa fornicationis apertissime jubet. Quapropter & nos, tantæ auctoritatis jussione præcipue freti, dicimus omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus, juxta canonicam sanctionem, si necesse fuerit, facere libere conceditur. Unde si prædictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, sacri baptismatis unda lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam regeneratum indubitanter mitteret, bene fecisse laudatur. Et idcirco cum sua uxore sibi jam olim legitime sociata impune, quamdiu vixerint, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus separari debere. Data VII. die mensis Junii, ind. XII.

Prov. 19. junxit 7. Matth.

CLXXXIX. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Agit Deo gratias, quod legatos ad se miserit, doctrinam ecclesiasticam & canonica instituta recepturus: hortatur ut ad Romanam ecclesiam redeat; & si ei placuerit, se legatum missurum pollicetur.

Dilecto ac spirituali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum.

QUantæ pietatis & miserationis suæ largitate vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis sufficiat, carissime fili? Quando per infusionem sancti Spiritus sui in cor vestrum unigenitum Filium suum, per quem omnia visibilia & invisibilia condidit, vobis clementer revelare dignatus est, mentemque vestram claritatis suæ lumine irradiare, & de tenebris ad veram voluit perducere lucem, veræque fidei dogmate suo docere. Ipsius etiam gratia vobis revelante, ad sedem beati Petri apostolorum principis, quæ caput, & magistra omnium ecclesiarum Dei existit, & a qua omnes reges & principes verbum veritatis acceperunt, legatos vestros, Petrum scilicet cognatum vestrum, & Joannem atque Martinum, prædecessoris domni nostri Nicolai beatissimi præsulis tempore direxistis, ut & vos inde doctrinam ecclesiasticam atque canonica instituta reciperetis, ubi totius ecclesiæ Christus posuit principatum: quod nimirum, secundum vestram voluntatem, ab eadem sancta Romana ecclesia promeruistis. Nunc igitur vos, quasi propriam gregis dominici ovem nobis in ipso apostolorum principe commissam, utpote carissimum filium nostrum his nostri apostolatus literis visitamus, & nostris apostolicis spiritualiter amplectimur ulnis; assidue vos cum omni populo vestro sacris orationibus nostris Domino commendantes, ut ipse, qui vobis glorioſum in terris tribuit principatum, tribuat & post mortem cæleste regnum, & gloriam sempiternam. Quapropter monemus glo-

gloriam vestram, ut ad sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam devota mente, libentique animo redeatis; ut apostolorum sanctorum precibus adjuti tam visibiles inimicos * facile superare possitis: & quia vos, ut prædictum est, multum diligimus, nostrum ad vos volumus cum sedis apostolicæ visitatione dirigere legatum, visitareque vos, sicut pastor visitat gregem Domini sui sibi commissum: si tamen cognoverimus voluntatem vestram, quod nostram cupiatis recipere legationem, & apostolicam visitationem. Quod si volueritis, per hunc Joannem venerabilem presbyterum fidelem nostrum, nobis sub certitudine literarum vestrarum remandare curate dilectissime, atque amantissime fili. Omnipotens Deus, qui vobis viam veritatis ostendit, & lumine suæ claritatis cor vestrum illustrare dignatus est, nunc & semper cum omni prosperitate & salute vos conservare dignetur incolumem. Data VI. Idus Junias, indictione XII.

* deest invisibiles

CXC. AD SALONITANOS CLERICOS.

Monet ut ad gremium Romanæ ecclesiæ revertantur; & electus ab eis archiepiscopus consecrationem & pallium a se, & non ab alio accipiat: utque legato quædam verbis relaturo fidem adhibeant.

Reverendissimis & sanctissimis episcopis Vitali Adrensi, Dominico Absarensi, ceterisque episcopis Dalmatinis, seu Joanni archipresbytero sanctæ sedis Salonitanæ, omnibusque sacerdotibus & senioribus populi habitatoribus Spalatensis civitatis, atque Zadarensis, ceterarumque civitatum.

PAstorali solicitudine moti, vos quasi oves dominicas nobis in beato Petro apostolorum principe commissas, dicente Domino: *Si diligis me Simon Petre; Pasce oves meas*; licet pro assidua gentium persecutione nunc usque impediti, his modo apostolatus nostri literis visitare curavimus, admonentes fraternitatem vestram, ut more præcessorum vestrorum, ad sedem beati Petri apostoli, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, & ad nos, qui ei divinitus præsidemus, toto animo, libentique voluntate reverti studeatis: quatenus inde summi honorem sacerdotii, totius institutionis ecclesiasticæ formam sumatis, unde parentes, ac præcessores vestros melliflua sanctæ prædicationis & doctrinæ apostolicæ potasse fluenta recolitis. Reminisci namque debetis, quanta eosdem præcessores vestros prospera evidentissime comitabantur, quando ad limina Petri cælestis regni clavigeri devoto pectore, quasi proprii filii confluebant; & quanta postmodum nunc usque sustinueritis adversa, cum ab ea vos quasi alienos separare non dubitastis. Quapropter vos plurimum diligentes, non ea quæ vestra, sed vos quærentes, paterna benignitate monemus, atque hortamur, ut, sicut diximus, ad gremium sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ redire ovanter attendatis, ut electus a vobis canonice archiepiscopus una cum vestro omnium consensu, & voluntate ad nos veniens gratiam episcopalis consecrationis, sacrumque pallium a nobis more pristino incunctanter percipiat; ut gratiam & benedictionem S. Petri, ac nostram habentes, a malis omnibus liberi, & bonis universis repleti, & hic in præsenti sæculo gaudeatis, & in futuro cum Domino sine fine procul dubio exultetis. Porro si aliquid de parte Græcorum vel Sclavorum super vestra ad nos reversione, vel consecratione aut de pallii perceptione dubitatis; scitote pro certo, quoniam nos secundum sanctorum Patrum, decessorumque nostrorumque pontificum statuta, vos adjuvare auctoritate curabimus. Quod si forte hanc nostram apostolicam admonitionem, imo canonicam præceptionem, pro nihilo ducentes, ad sedem apostolicam Romanæ ecclesiæ redire, & inde secundum antiquam normam, consecrationem episcopalem sacrumque pallium recipere contempseritis, omni ecclesiastica vos communione scitote penitus excommunicandos. Interim tamen auctoritate Dei, & sancti Petri vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam aliunde consecrationem, palliumque recipere. Nam si feceritis, quasi transgressores, & inobedientes vos sine dubio judicabimus. Hanc autem nostri apostolatus epistolam fraternitati vestræ per hunc præsentem Joannem venerabilem presbyterum fidelem familiarem nostrum direximus, cui scilicet aliqua injunximus vobis verbo tenus referenda: & ideo illi omnia quæ de parte nostra dixerit vobis, credere nullatenus dubitetis. Ipsamque epistolam, ut ad omnium vestrum notitiam ferant, bulla nostra jussimus in calce signari. Data X. die mensis Junii, indictione XII. An. Ch. 879.

CXCI. AD TRES ARCHIEPISCOPOS.

Ut Nemausensem episcopum a monasterii cujusdam iniqua invasione removeant, & si non paruerit, excommunicent.

Rostagno archiepiscopo Arelatensi, Sigibodo archiepiscopo Narbonensi, Rotberto archiepiscopo Aquensi, a paribus.

VEracium relatione comperimus, Gibertum Nemausensem venerabilem episcopum, quod quoddam monasterium nostrum, quod super eumdem episcopum acquisivimus, ipse Gibertus temere invaserit, omnesque res ipsius monasterii per suos homines distribuerit, & illius monachos inde contra sacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis displicuit, quantum sicut ipse nobiscum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum, contra privilegium apostolicæ sedis eum feciſſe non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus, ut vice nostra cum confratribus & coepiscopis nostris junctus, eumdem Nemausensem episcopum ad commune colloquium convocetis, & ex auctoritate nostra conveniatis, ut ab omni invasione ipsius monasterii tam se quam suos removeat, & ulterius nec res ejus, nec monachos illic Domino famulantes molestare præsumat. Quod si ipse surda aure, quod absit, per vos monita nostra audierit, tunc ex auctoritate B. Petri apostoli cui idem monasterium pertinet, simul & nostra, illum a ministerio sacerdotali excommunicando suspende, quousque dum aut ab ipsa invasione se subtrahat, aut ad sedem apostolicam, vel ad nostram præsentiam nobis satisfacturus occurrat. Agat in his sanctimonia tua sicut illam agere decet, ut & nos Deo laudes, & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kalend. Julias, indict. XII. An. Ch. 879

A

CXCII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

De legatione ac muneribus missis gratias agit: dolet eum defeciſſe ab eccleſia Romana, ad quam monet ut revertatur: oſtendit Græcos Bulgarorum diœceſim, cum ſit Romani pontificis, contra canones detinere.

Dilecto ac ſpiritali filio Michaeli glorioſo regi Bulgarorum.

MUltas regiæ excellentiæ veſtræ gratias agimus, quia ſicut cariſſimus filius divino repletus amore paternitatem noſtram per Functi- B cum eximium fidelem veſtrum viſitare, miſſiſque donis honorare curaſti, per quem tuæ ſalutis incolumitatem, omniumque fidelium tuorum audientes proſperitatem, valde ſumus gaviſi. Nos autem, & noſtris aſſiduis precibus ante ſacratiſſimum B. Petri apoſtolorum principis corpus adſtantes, & te, & omnes principes tuos, omnemque populum tuum Jeſu Chriſto Domino ſemper commendare ſtudemus, & benedicimus tibi, & omni populo tuo, omnique regno tuo; ut & a viſibilibus, & inviſibilibus hoſtibus liberatus, Deique auxilio adjutus, inimicorum tuorum ſemper victor exiſtas, & ad palmam ſupernæ vocationis glorioſus pertingas. Ut ipſe, qui gratiæ C ſuæ largitate & regnum tibi terrenum conceſſit, & illuminando oculos mentis tuæ viam veritatis oſtendit, & de tenebris ad veram lucem perduxit, uſque ad finem in eadem ſancta fide, & bonis operibus perſeverantes ſalvos & incolumes dignetur perducere, ut poſt finem præſentis vitæ, per interceſſiones ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, regnum valeas cæleſte percipere; in quo illa omnia bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, cum ſanctis omnibus ſimul accipias, quæ diligentibus ſe, ab origine mundi præparavit omnipotens Dominus. Sed non modica nos triſtitia, o fili cariſſime, repleviſti, quia ſedem beati Petri cæleſtis regni clavigeri, qui tibi in manifeſta viſione apparuit, & opportunum auxilium D præbuit, reliquiſti; cum ipſa ſedes caput, & magiſtra ſit omnium eccleſiarum Dei, ad cujus auctorem beatum Petrum a Domino dictum eſt:

Joan. 21. *Paſce oves meas*, & cui traditæ ſunt claves regni

Matth. 16. cælorum, ut quæcumque ligaverit ſuper terram, ligata maneant & in cælis: & quæcumque ſolverit ſuper terram, ſint ſoluta & in cælis. Revertere jam fili amantiſſime ad ſanctam matrem tuam Romanam eccleſiam, quæ te religioſo utero genuit, & per quam totius religionis, & juſtitiæ formam ſancto prædeceſſore noſtro Nicolao præſule mittente, ſuſcepiſti: & quæ omnium gentium retinet principatum, & ad quam totius mundi, quaſi ad unam matrem, & unum caput, conveniunt nationes. Noli amplius deſerere ma- E trem tuam, quia illa tui non obliviſcitur: quin potius quaſi unicum diligit, & ſemper memoriam tui coram Domino facit. Non enim licitum fuit Græcis alterius parochiam uſurpare, ſanctis hoc patribus apertiſſime prohibentibus. Et idcirco ipſi contra canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, noſtras retinent diœceſes. Quos ſi pro tuo nobis non eſſet amore, jam per apoſtolicam ſententiam inde compelleremus exire. Data *ut ſupra*.

CXCIII. AD ANASTASIUM ABBATEM

Præcipit ut cellulam Gauderico epiſcopo reddat.

Anaſtaſio religioſo abbati.

MOnemus religionem tuam, & expreſſe præcipimus, ut omni remota occaſione, & dilationis inventione cellulam S. Valentini in Sabinis poſitam, quam a Gauderico venerabili epiſcopo abſtuliſti, ei continuo reddas, uſque in noſtram præſentiam, ut nec ſuum laborem perdat, nec pro eo, quod ex hinc nos adiit, ſibi obeſſe, quin potius prodiſſe cognoſcat: quod B etiam tibi faciendum per præſentem cubicularium noſtrum mandamus, ut aliter nullo modo facias: cum autem te nobis exhibueris, ſi merito ſua negligentia fortaſſe ipſam cellulam amiſit, nos eum contra juſtitiam defendere nolumus; ſicut nec illum innocentem perpeti damna permittimus. Data *ut ſupra*.

CXCIV. AD TUVENTARUM DE MARAUNA.

Hortatur, ut omnem falſam doctrinam rejiciens in Romanæ eccleſiæ fide maneat: miratur Methodium aliter, quam fuerat profeſſus, docere: & propterea a ſe vocatum fuiſſe ſignificat.

Tuventaro de Marauna.

SCire volumus, quia nos qui per Dei gratiam B. Petri apoſtolorum principis vicem tenemus, pio amore vos quaſi cariſſimos filios amplectimur, & paterna dilectione amamus; noſtriſque aſſiduis precibus vos omnes Jeſu Chriſto Domino commendamus, orantes ſemper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda veſtra illuminavit, & ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, & uſque ad finem in recta fide bonaque actione decoratos vos, atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, ſicut D Joanne presbytero veſtro, quem nobis miſiſtis, referente didicimus, in recta fide dubitetis; monemus dilectionem veſtram, ut ſic teneatis, ſic credatis, ſicut ſancta Romana eccleſia ab ipſo apoſtolorum principe didicit, tenuit, & uſque in finem ſæculi tenebit, atque per totum mundum quotidie ſanctæ fidei verba rectæque prædicationis ſemina mittit, & ſicut anteceſſores noſtros ſanctos videlicet ſedis apoſtolicæ præſules, parentes veſtros ab initio docuiſſe cognoſcitis. Si autem aliquis vobis, vel epiſcopus veſter, vel quilibet ſacerdos aliter annunciare aut prædicare præſumpſerit, zelo Dei accenſi omnes uno animo, unaque voluntate doctrinam falſam abjicite, ſtantes & tenentes traditionem ſedis apoſtolicæ. Quia E vero audivimus, quia Methodius veſter archiepiſcopus ab anteceſſore noſtro Hadriano ſcilicet papa ordinatus, vobiſque directus, aliter doceat, quam coram ſede apoſtolica ſe credere verbis & literis profeſſus eſt, valde miramur; tamen propter hoc direximus illi, ut abſque omni occaſione ad nos venire procuret; quatenus ex ore ejus audiamus, utrum ſic teneat & credat, ſicut promiſit, aut non. Data *ut ſupra*.

CXCV. AD METHODIUM ARCHIEPISCOPUM PANNONIENSEM.

Præcipit ut ad se veniat, ut de ejus doctrina cognoscere possit. Missas Sclavonica lingua celebrari prohibet.

Reverendissimo Methodio archiepiscopo Pannoniensis ecclesiæ.

PRædicationis tuæ doctrinis populum Domini tibi quasi spiritali pastori commissum salvare instruereque cum debeas, audivimus, quod non ea, quæ sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipsum populum in errorem mittas. Unde his apostolatus nostri literis tibi jubemus, ut omni occasione postposita, ad nos de præsenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, & cognoscamus utrum sic teneas, & sic prædices, sicut verbis & literis te sanctæ Romanæ ecclesiæ credere promisisti, aut non; ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod missas cantes in barbara, hoc est, in Sclavina lingua; unde jam literis nostris per Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra missarum solemnia celebrares; sed vel in Latina, vel in Græca lingua, sicut ecclesia Dei toto terratum orbe diffusa, & in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare vero, aut sermonem in populo facere tibi licet, quoniam psalmista omnes admonet Dominum gentes laudare, & apostolus: *Omnis*, inquit, *lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris*. Data *ut supra*.

CXCVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Arguit quod sedi apostolicæ obediens non fuerit, ejusque legatos injuriose tractarit, & excommunicatus missas celebrarit. Ideo monet, ut ad synodum se purgaturus quamprimum vel per se, vel per legatos accedat.

Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

TAntis, heu proh dolor! transgressionibus inveniris obnoxius, quantis nullus de ecclesia Mediolanensi aliquo modo est inventus: in primis quod nostri operis, atque laboris noluisti socius esse ac particeps, sed apostolicæ sedi proterve; inobedienter, ac procaciter resultasti; deinde legatos nostros Joannem Ticinensem, & VValpertum Portuensem episcopos e latere nostro ad te directos non suscipiens, præ foribus portæ diu tibi nostræ commonitionis verba facientes, quatenus nobis, aut per te, aut per legatum tuum, tuam more prædecessorum tuorum condignam obedientiam exhibere debuisses, irreverente stare fecisti, nuliamque illis reverentiam, vel auditum accommodare dignatus: sed sicut aspis surda contra caritatis affectum viscera cordis & aures valide obturasti. Pro quibus, & his similibus te tamdiu communione privavimus, missarumque celebratione, donec nobis occurreres, & aut per te, aut per vicarium tuum cuncta errata corrigeres, & sic te demum personaliter in nostrum consortium admitteremus. Sed in despectum, & injuriam paternorum canonum excommunicatus a nobis, sacrum ministerium agere, missamque celebrare præsumpsisti; de quo solicite voluimus parcere tuæ senectuti perquirentes: sed adeo verum esse deprehendimus, ut præsentium [1] videtur, videlicet presbyter lator non fuerit ausus coram collegio coepiscoporum pro vobis hoc satisfacere. Quapropter, quia Domino auxiliante, secundum statuta canonum circa autumni tempus synodum sumus celebraturi, ad quam te volumus omni occasione postposita sine mora venire, aut legatos dirigere: & dum, Christo opitulante, perpetrata transgressionis purgaveris, te in communionem omnimodis recipiemus. Data *ut supra*.

CXCVII. AD LUDOVICUM REGEM.

Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam ecclesiam: hortatur ut ad eam a Paganorum incursionibus defendendam veniat; eique tacite imperium pollicetur.

Dilecto ac spirituali filio Ludovico glorioso regi.

VEstræ regiæ serenitatis mellifluis relectis apicibus, quos per Astaldum insignem comitem vestrum nobis mandastis, quantam devotionem, ac sinceriſſimam voluntatem exaltandi & defendendi ecclesiam Dei, more videlicet parentum vestrorum glorioſissimorum imperatorum habeatis, luce clarius novimus. Unde valde gavisi existentes, maximas excellentiæ vestræ agimus gratias, quia nobis inter tot angustias, & persecutiones, quas a Paganis assidue supra modum patimur, vestræ invictæ potentiæ auxilium, defensionisque solatium pia dumtaxat animi devotione conferre omnimodis cupiatis. Ideo fili cariſſime, nostræ apostolicæ admonitioni aurem clementiæ vestræ ut accommoderis, obnixe precamur, utcitius nobis vestro potenti brachio subvenire studeatis: quatenus sanctam Dei ecclesiam in magna nunc fluctuatione positam, ad portum salutis, & tranquillitatis efficaciter perducatis, & terram perditam per vos, Deo propitio, ad priſtinam revocetis incolumitatem, ut ex hoc, & apud omnipotentem Dominum dignam valeatis mercedem recipere, & in præsenti sæculo laudabile nomen omnimodo acquiratis. Quapropter scitote pro certo, Nicæn. c. 5. quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam, & exaltationem a præcessoribus nostris percepit, quantam nos vobis, si veneritis, totis multipliciter viribus desideramus impendere. Porro de hoc quod mandastis, ut pro eventu regni Ludovici piæ memoriæ nepotis vestri præpediti existatis, pro multo, quod circa vos videndi desiderium habemus, turbati manemus; sed vestra fisi benignitate petimus, ut omni cura remota, pro amore Dei & sanctorum apostolorum Petri, & Pauli, nostræ petitionis solicitudinem pio pectore vestro alacriter assumatis: ut sicut sedes apostolica, quæ caput est omnium ecclesiarum Dei, vos magno desiderio, quasi unicum & cariſſimum filium præstolatur, vestra speciali visione celeriter perfruatur: quoniam si, Deo favente, Romanum sumpseritis imperium, omnia vobis regna subjecta existent. Nam si pleniter sciretis quanta nos undique mala, quæ pro multitudine scribere nequivimus, opprimunt, & affligunt; tantum in vestra cognosci-

[1] Legendum videtur, *præsentium videlicet presbyter lator*, subintellige *literarum*: & verbo *videtur* expuncto: quod natum est ex repetitione sequentis adverbii, *videlicet*. Harduinus.

ſcimus ſapientia, quod per veſtram magnitudinem jam maneremus defenſi. Deus te incolumem cuſtodiat cariſſime fili. Data *ut ſupra*.

CXCVIII. AD AIRARDUM ARCHIEPISCOPUM AUSCENSEM, ejuſque ſuffraganeos.

Hortatur ad depravatos populi mores corrigendos, præcipue inceſta matrimonia: ne quis relicta uxore aliam ducat, aut ſimul cum uxore concubinam habeat, ut res immobiles eccleſiæ nemo ſibi uſurpet, & ut clerici ſub epiſcopi ſint poteſtate.

Reverendiſſimis & ſanctiſſimis, Airardo archiepiſcopo, & Involato Convenenſi, Vvainardo Conſerano, Sarſtono Bigorrenſi epiſcopis. (*a*)

MUltas prævaricationes contra totius Chriſtianitatis religionem, atque ſanctorum patrum venerabiles ſanctiones; his veſtris in partibus a pravis fieri Chriſtianis veridica multorum relatione didicimus. Quos vero nec piæ admonitionis veſtræ blandimento, nec debitæ excommunicationis vinculo, nec etiam apoſtolicæ conſtitutionis verbo aliquatenus a tantorum malorum operum infeſtatione ac perpetratione prohibere, nec penitus valetis compeſcere. Et ideo dolemus pariter vobiſcum, fratres mei, ſuper temeritate populi talia præſumentis, & nullam ex his pœnitudinem fructuoſam in præſenti agere volentis, veſtramque ſalubrem correptionem pro nihilo ducentis. Igitur quia noſtro apoſtolatui humiliter ſuggeſſiſtis, ut apoſtolica fulti auctoritate, populum gravem & plenum iniquitate libere poſſetis corrigere; quando ex divino eloquio docemur, ut aliquando converſi fratres noſtros aliqua ſæculi fluctuatione in-
Luc. 22. efficaces confirmare debeamus; vos cum Doctore gentium convenimus dicentes, corripite inquietos, conſolamini puſillamines, arguite peccantes, obſe-
Theſſ. 5. crate protervos, & increpate inique agentes, cum omni imperio. Vobis namque populus ipſe ſicut grex ovium Domini paſtoribus eſt commiſſus: & niſi eos ita nunc temporali increpatione correxeritis, ut ſpiritu ſalvi ſint in die Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanguis eorum de veſtris procul dubio manibus requiretur. Sin autem vobis annunciantibus non obedierint, ipſi in ſuis iniquitatibus deficient, vos vero animas veſtras liberaſtis. Præterea unum valde illicitum & execrabile malum contra venerabilia ſanctorum patrum decreta eoſdem veſtros parochianos committere audimus: hoc eſt ut nulla generis conſanguinitate cuſtodita, nulla propinquitatis parentela obſervata, unuſquiſque ſuam propinquam in quocumque fuerint gradu, accipiat uxorem, atque inceſto & nefario ſe conjugio copulent. Quod licitum facere Chriſtianis non eſt, dum uſque ſe generatio cognoverit. Unde ſanctiſſimi prædeceſſores noſtri, Stephanus videlicet, Eugenius, atque Leo, ſynodali decreto tale nefandum conjugium fieri prohibuerunt, dicentes: ut conſobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione, nullus præſumat ſibi in conjugio copu-
Levit. 18. lare: quia ſcriptum eſt in lege Domini: *Turpitudinem uxoris patris tui, ſive uxoris fatris tui, atque ſororis tuæ non revelabis: turpitudo enim tua eſt.* Et ſi Deus Hebraico populo ante incarnationem unigeniti Filii ſui hæc ſervanda mandavit, quanto amplius nos, qui Chriſtianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis connubiis obſervare debemus, ne demerſi in voraginem ignis æterni concrememur incendio? Si quis vero in hoc nefario conjugio inventus in eo permanere voluerit, aut nunc ab uxore ſolutus hoc agere tentaverit, ſciat ſe auctoritate apoſtolica anathematis vinculo eſſe innodatum, & nullus ſacerdos illi tribuat communionem: & ſi inclinatus ab illicita ſe copula diviſerit, pœnitentiæ ſubmittamur, ut ſacerdos loci conſideraverit. Hoc etiam cum illis pariter jubemus, ut nullus propriam relinquat uxorem, & illa vivente alteram ſibi ſociare præſumat; nec liceat ei uno tempore duas habere uxores, uxoremve & concubinam. Jubemus etiam, ut nulli ſacerdotum, nullique laicorum liceat res immobiles ſub qualibet occaſione a piis & venerabilibus locis ſubtrahere, & in proprio uſu habere. Qui vero præſumpſerit, canonicis ſubjaceat correctionibus. Statuimus etiam, ut omnes presbyteri & clerici ſub proprii poteſtate conſiſtant epiſcopi, & nihil ſine ipſius conſcientia gerant, ſecundum regulam a patribus conſtitutam. Si quis ſane ſacerdotum aut clericorum aliter agere præſumpſerit, a ſuo canonice redarguatur epiſcopo: laicus quoque, ſi de poteſtate epiſcopi clericum quemlibet ſubtrahere præſumpſerit, excommunicatus exiſtat. Hæc, fratres cariſſimi, pro veſtra ſupplicatione & honorificentia in auctoritatem habenda deſcripſimus vobis: quatenus his noſtræ conſtitutionis muniti præceptis, digna Deo noſtro poſſitis ſecuriter deferre obſequia, debitaſque perſolvere laudes. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data Idibus Juniis, indi- An.
ctione XII.

CXCIX. AD BASILIUM CONSTANTINUM, ET ALEXANDRUM IMPERATORES.

Imperatorum precibus commotus, ut pax ſit eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, diſpenſat cum Photio, ut in Ignatii locum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ patriarcha ſubrogetur, ſtatuens, ne deinceps quiſquam ad patriarchalem dignitatem, niſi per gradus eccleſiaſticos aſcendant; jubet patriarcham Conſtantinopolitanum Bulgarorum diœceſim ſub eccleſiæ Romanæ juriſdictione relinquere, monet omnes, ut patriarchæ debitum præſtent obſequium; præcipit ut ad eccleſiæ communionem eos, qui a Methodio, & Ignatio initiati fuerant, admittant; excommunicat illos, qui cum Photio noluerint communicare.

Dilectiſſimis ac excellentiſſimis ſpiritualibus filiis noſtris Baſilio, Conſtantino, & Alexandro, glorioſiſſimis imperatoribus ſemper Auguſtis.

INter claras ſapientiæ manſuetudinis veſtræ laudes, o Chriſtianiſſimi principes, aliquod cum puriore luce ſummæ devotionis lumen longe lateque reſplendet, quod amore fidei, quod caritatis ſtudio, diſciplinis eccleſiaſticis edocti, Romanæ ſedi reverentiam more prædeceſſorum veſtrorum piiſſimorum imperatorum conſervatis, & ejus cuncta ſubjici-

(*a*) In edit. Romana titulus depravatus eſt, & cum dubitaverim Labbeum ſua conjectura hic correxiſſe, non ex fide alicujus codicis, ideo hic prout eſt in Romana repræſentandum duxi: *Reverendiſſimis & Sanctiſſimis Airardo Archiepiſcopo, & Involato Connenien. una in Ardo Conſerano Sarſto nobis Orenſi Epiſcopis.*

jicitis * auctoritati; ad cujus auctorem, hoc est apostolorum omnium principem, Domino loquente, præceptum est: *Pasce oves meas*. Quam esse vere omnium ecclesiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & orthodoxorum principum statuta declarant, & pietatis vestræ reverendissimi apices attestantur. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quam pia devotio, & recta fides in principe. Et quia pontificii nostri reverentiam hoc ardore mentis, hoc religionis studio luculenter vestris mellifluis literis exoratis: id nos ratione, seu temporis necessitate inspecta, cum sedis apostolicæ nobis commissæ consensu & voluntate perficere jure apostolico decet.

Igitur petistis a nobis, quatenus sede apostolica suæ pandente viscera pietatis, Photium reverendissimum in patriachatus honore, in summi sacerdotii dignitate & in ecclesiastici collegii societate reciperemus, nostræque communionis participem faceremus, ne ecclesiam Dei tanto jam tempore perturbatam pateremur amplius manere divisam, scandaloque commotam. Nos itaque serenitatis vestræ preces congrua ratione admittentes, quia * Ignatium piæ memoriæ patriarcham de præsenti vita jam migrasse cognoscimus: temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licet ipse absque consultu sedis nostræ officium sibi interdictum * usurpaverit, gestum constat fuisse.

Nos statutis apostolicis non præjudicantes, nec beatorum patrum regulas resolventes, quin potius multiplicibus earum auctoritatibus freti, qui Nicæni concilii capitulo secundo apertissime dicunt: Quoniam plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus adversus ecclesiasticam facta sunt regulam. Hinc & Gelasius papa dicit, quod ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inviolata serventur. Et S. Leo eodem spiritu præcipit, omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Inde & Felix præsul, decessor noster in sua decretali epistola voce consona dicit, aliter tractandam esse necessitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde etiam sanctum concilium apud Africam gestum capitulo trigesimoquinto jubet, ut clerici Donatistarum in ecclesia, propter ecclesiæ pacem & utilitatem, si correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerit, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, non ut concilium quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, in quo videlicet concilio statutum est, ut ordinati in parte Donati, si ad catholicam partem transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis. De hoc etiam beatus papa Innocentius dicit capitulo quinquagesimoquinto, quod ii, qui a Bonoso hæretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret ecclesiæ.

Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & Jerosolymitano, atque omnibus archiepiscopis, metropolitis, episcopis & sacerdotibus, cunctoque clero Constantinopolitanæ sedis, qui de ordinatione beatæ memoriæ Methodii & Ignatii reverendissimorum patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eumdem * Photium satisfaciendo, misericordiam coram synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum (atque coram synodo misericordiam quærendo) in pastorali magisterio consacerdotem, pro ecclesiæ Dei pace & utilitate, amodo, Christo favente, recipimus & habemus.

Quia & vos Christianissimi imperatores Augusti, qui sanctæ reipublicæ clementissimo affectu gubernatis imperium, pro Christo fungi legatione videmini, dum pro pace rogatis ecclesiæ, & nos * quibus, secundum apostolum, omnium ecclesiarum Dei solicitudo incumbit, controversiam ali quam in ecclesia Dei amplius remanere nolentes, hunc ipsum patriarcham cum omnibus sive episcopis, sive presbyteris, seu ceteris clericis & omnibus laicis, in quos judicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticæ sanctionis vinculo absolvimus, sanctæque Constantinopolitanæ ecclesiæ judicamus recipere sedem, dominicique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem Salvatore beatum Petrum apostolum præ ceteris specialiter delegante: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis:* Sicut enim ex his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicæ dispensationis officium, & totum possumus procul dubio generaliter alligare, & totum consequenter absolvere, præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apostolicæ miserationis exemplum.

Nam & legati sedis apostolicæ ab antecessore nostro Hadriano videlicet almifico præsule Constantinopolim directi, synodo ibidem peractæ usque ad voluntatem sui pontificis vigilanti studio subscripserunt..... nec ab apostolico manere: quia sedes beati Petri cælestis regni clavigeri potestatem habet, ligata quælibet pontificum congrua æstimatione absolvere. Quippe cum constet multos jam patriarchas, hoc est, Athanasium & Cyrillum Alexandrinos, Flavianum & Joannem Constantinopolitanos, & Polychronium Jerosolymitanum synodice damnatos per apostolicæ sedis postmodum absolutionem restitutos incunctanter fuisse.

Eo tamen tenore ista statuentes, apostolica dumtaxat auctoritate & sanctorum patrum venerabilibus institutis decernimus, ut post hujus patriarchæ obitum, nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel consecretur honore, nisi de cardinalibus presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos; quia nec præpropere contra canones ecclesiasticos, decretaque majorum cito quilibet lector, cito acolytus, cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat: qui in minoribus officiis sic diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequium comprobetur, ut per tempora a majoribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum sacerdotium postmodum veniat. Quoniam non est subito præripiendum vel usurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet ecclesiæ gradibus providenter curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum; quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite; & inde fiet, ut omnis ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur. Et ideo hoc, quod nos modo pro ecclesiastica unitate & pace, quam Christus Dominus noster nobis dedit habendam, utcum-

2. *Cor.* 5.
2. *Cor.* 11.
* Omnia ista delevit Photius, de venia coram synodo petenda.

Matth. 16.

cumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit (*a*).

Bulgari sub Romanam diœcesim revocantur.

Hoc etiam modo ista, excellentiæ vestræ precibus moti, fieri jubemus, si ipse patriarcha Bulgarorum diœcesin, quam piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaele ipsorum rege petente, apostolicis doctrinis docuit, & per venerabiles episcopos suos lavit unda baptismatis, omnique ecclesiastica regula & disciplina prout oportebat instruxit; amodo suo juri vendicare, vel remittere nullo modo præsumpserit, nec aliquam cujuscumque honoris ibidem ordinationem fecerit.... ibidem sunt illicite ordinati episcopi vel sacerdotes. ..., archiepiscopo, vel episcopis qui ibidem videntur existere.....sacrum pallium quo inter sacra missarum solemnia uti pontificibus solitum est, ipse patriarcha mittere præsumpserit.

Photii nimia laus,

Porro pro tantis perturbationibus, quibus ecclesia vestra longo jam tempore manet turbata, vestræ Augustali pietati obnixe suggerimus, ut Constantinopolitanum patriarcham digno honore venerantes, quasi patrem spiritalem, & utpote inter vos & Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum, sedule annunciantem, pio semper affectu colatis, & ut condecet in omnibus honoretis: quia pro

1. Reg. 2. temporalis, quem illi exhibetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem procul dubio recipietis ab illo nempe, qui glorificantes se glorificare testatur. Nec eorum verba falso prolata, qui scandalorum zizania super conspicuam segetem Domini seminare non cessant, vestra imperialis dignetur audire majestas, nec pro talium susurrationibus hominum, qui semper studeant scindere unitatem

Psalm. 13. Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi, quique linguis suis semper dolose agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis suis, animum clementiæ vestræ adversus eum aliquatenus commoveatis, & summum sacerdotem vestrum Dei providentia in ecclesiæ Christi regimine constitutum sic facile exhonoretis, quod nimirum sancto vestro imperio valde inhonestum & indecens esse videatur.

Recipiendi qui ab Ignatio fuerunt ordinati.

Præterea mandamus etiam, ut omnes episcopos & sacerdotes, seu cujuscumque ordinis clericos, qui de consecratione Ignatii bonæ memoris patriarchæ constiterunt, sive in ipsa regia urbe manentes, sive alicubi extra, longe seu prope retrusos, clementi animo ad gremium & unitatem sanctæ ecclesiæ revocetis, & ulnis extensis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriasque unicuique illorum jubeatis reddere sedes: ut sicut una est fides, unum in nobis baptisma, & omnes unum sumus in Christo; ita & isti qui ad unitatem & societatem ecclesiæ Dei, & corporis Christi redierint, & id ipsum dicentes, perfectique existentes in eodem sensu, in eadem scientia, unus grex efficiantur, & unus

1. Cor. 1. pastor, nec audeant amplius dicere: *Ego quidem sum Cephæ, ego Pauli, ego autem Apollo*, sed unius Christi veri Dei nostri, qui est pax nostra, &

Genes. 18. fecit utraque unum, venienisque cælestia cum terrenis pacificare dignatus est. *Qui idcirco semel pro peccatis nostris mortuus est, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Nec enim poterit unitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad inseparabilem soliditatem vinculum caritatis astrinxerit: quatenus, Deo favente, absque omni perturbatione, vobis regnantibus salvi & securi persistentes, pro salute vestra & pro statu reipublicæ, jugibus semper votis Dominum valeant deprecari.

Excommunicantur cum Photio communicare nolunt.

Quod si forte quidam extiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundo & tertio, ut sanctæ ecclesiæ se unire procurent. Quod si acquiescere noluerint, in sua pertinacia manere volentes, sacra eos communione, his præsentibus missis nostris una cum synodo, jussimus privare, quousque ad suum redeant patriarcham, & ad sanctæ ecclesiæ unitatem, cum præcipue ipsi episcopi a nobis sint canonice excommunicati. Et ideo si eos in consortium suum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, simili modo eumdem patriarcham cum ipsis episcopis ecclesiastica communione judicamus esse privatum. Data mense Augusto (*b*) die decima sexta, indictione duodecima,

Missa per Petrum presbyterum.

Notæ Severini Binii.

a *Epistola*.) Qua occasione hanc de Photii absolutione & restitutione epistolam pontifex scripserit, diximus supra in notis ad vitam Joannis papæ VIII. circa annum Domini 879. Hæc in codice Vaticano charactere Longobardo exarato, atque jam haud pridem, sed mendose nonnihil cuso, scripta est.

Summa plane Dei providentia factum est, ut ejusmodi Joannis octavi papæ literæ in nostrum usque tempus in ejus regesto, sive ut dicunt vulgo, registro integræ servarentur, nec sicut aliorum plurium pontificum epistolæ perderentur: ut ex his etiam ex Nicolai & Hadriani epistolis Photius millies possit redargui impostura, & falsitatis convinci. Ad usitatam impostor artem rediit falsandi literas Romanorum pontificum, & fingere nova scripta: nam præter ea quæ plus satis de ipso dicta sunt sub Nicolao & Hadriano pontificibus, & in synodo universali sunt proclamata, novæ rursus ab impostore prodiere falsitates: ut plane acciderit de his Joannis papæ literis, quod de suis ab eodem Photio falsatis, Nicolaus in epistola ad Michaelem imperatorem exclamat, cum ait: *Ex his*, inquit, *quæ ibidem ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiuntur, & per omnia talis a vobis effecta est, ut aut nihil, aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri Ignatii dispositisse causa videamur.* Hæc tunc Nicolaus, quæ etiam nunc ab ipso Joanne repetenda essent, si vivens videre potuisset, ut Nicolaus, quomodo suas missas Constantinopolim literas Photius addendo, minuendo, atque mutando, male, pessimeque habuisset.

Sed quorsum hæc ipse? dices. Voluit scelestus quasi ex Joannis papæ literis non solum suam restitutionem firmam, roboratamque monstrare; sed & falsatis illis probare etiam auctoritate ejusdem pontificis octavam synodum œcumenicam esse damnatam; probatam vero recentem ab ipso adversus eam Constantinopoli celebratam; octavamque pariter nominatam in abolitione legitimæ octavæ œcumenicæ sub Hadriano pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud evenit, ut pro germana octava, a Græcis maxime, accepta sit synodus Photiana; ut factum inter alios a Zonara est videre, qui in sua canonum collectione & interpretatione posuit loco octavæ œcumenicæ synodum Photianam sacrilegam, quam ipsam & Theodorus Balsamo universalem appellat, cujus & tres canones recitat; sic & reliqua Græcorum schismaticorum colluvies. Tu igitur, lector, hic, amabo te, sede arbiter veritatis, atque ex literis Joannis papæ in Græcum a Photio redditis & recitatis in secunda actione suæ pseudosynodi, revocatis vero ad Latinitatem a Friderico Metio origine Græco, sed pietate catholico atque fide Latino, modo ob virtutum atque doctrinæ præstantiam creato Thermarum episcopo, veteratoris malas artes intellige. Extat ipsa integra Photiana pseudosynodus Græce in scripto codice bibliothecæ Columnensis, quæ fuit Cardinalis Sirleti, nota numeri quadragesimi, in quo sub actione secun-

(*a*) Hic deest periodus, quam ex edit. Rom. suppleo: *Si quispiam id quod omnino interdicimus usurparit; quia remissio peccati non dat licentiam iterum delinquendi; nec quod potuit aliqua ratione semel concedi, fas erit amplius impune committi. Hoc etiam* &c.

(*b*) deest in Edit. Romana; die XVI.

secunda eadem epistola Joannis papæ recitatur ad imperatorem scripta adeo mutata, ut vix quis cognoscat eamdem esse Joannis, quam nuper recitatam audisti; sic enim se habet:

*Joannes servus servorum Dei, serenissimis dilectis filiis nostris spiritualibus, & Deo caris Basilio, Leoni, & Alexandro * victricibus imperatoribus & æternis Augustis.*

PUritas & splendor vestræ rectæ fidei, & morum probitas & benignitas perfecta, o Christianissimi & maximi imperatores Romanorum, luminum instar in medio terræ micantes usque ad omnes fines, ad quos universus orbis, extenduntur & splendent. Non enim sola recta fide præstantes, in aliis rebus vos oscitanter habetis, sed potius super vestram irreprehensibilem fidem superædificatis non lignum aut herbam, aut arundinem, sed pretiosos lapides, aurum & argentum, & ut breviter dicam, omnia alacri studio perficitis, quibus cognoscitis Deo rem gratam facere. Nihil vero Deo gratius esse dignoscitur, quam ut universæ ejus ecclesiæ quascumque sol respicit, recta fide & mutua inter se dilectione & caritate viventes, illi singulis diebus gratias agant. Quapropter hanc unionem etiam in vestra Dei ecclesia conspici & vigere vos percupientes, Romanam sanctam ecclesiam per vestros legatos, & sacras literas adjutricem assumpsistis, pro certo habentes, eam vobis futuram præsto ad id quod optastis. Neque vos primi id agere cœpistis, ut hanc rem excogitaretis, sed vestigiis prædecessorum vestrorum inhærentes; in quanam schola, quærere est etiam dignum: a principe videlicet apostolorum Petro, quem Dominus omnium ecclesiarum caput constituit, inquiens illi: *Pasce oves meas;* nec non a sacris & orthodoxis sanctorum patrum decretis atque doctrinis, quemadmodum sacræ & piæ vestræ literæ testantur: id vero propterea facitis, quo magis vestræ fidei firmitas celebrata eluceat, & erga Deum dilectio sincera & efficax patefiat.

Nihil enim aliud aptius & dignius contingere potest illis qui maximis dignitatibus & principatibus sunt constituti, quam rectæ fidei splendore, & Dei dilectione præstare contendere; & curare ut omnes, qui cum eadem fide Deum venerantur, dilectionis etiam vinculo uniantur, & constringantur. Quapropter vestris literis obsequentes nos, & mellifluis verbis deliniti, ignis instar accensi, cum universa nostra sanctissima Romanorum ecclesia, unanimes & concordes surrexiimus ad ea omnia quæ a vobis scripta sunt, prompto & alacri animo peragenda. Scripsistis nobis, noster dilecte fili, ut nostra apostolica viscera misericorditer aperiremus, & omnes quotquot fuerint, qui in vestra ecclesia vel propriis chirographis, vel alio quovis pacto prævaricati sunt, & canonicis censuris obnoxii sunt effecti, reciperemus, & pacis & unionis curam haberemus. Quin etiam ante omnia Photium religiosissimum episcopum nostræ communionis hæredem & participem, & comministrum facientes, ad magnum episcopatus culmen, & dignitatem patriarchalem iterum constitueremus, ne ecclesia Dei multo tempore schismatum Deo exosorum, & malorum scandalorum fluctibus agitata permaneat.

Nos vero vestræ serenitatis preces accipientes, ut rationales & justas & Deo acceptas, & tempus jam præsto esse, quod antea quærebamus, & invenire, Deum precabamur; & rationi etiam congruum censentes, ecclesiam Dei tranquillam reddere: misimus propterea * legatos qui vestram perficerent voluntatem. Et licet pietas vestra Photio vim inferendo nos prævenit, in illo restituendo videlicet, antequam nostri legati isthuc venissent; hæc tamen nos supplemus non auctoritate nostra, licet hoc etiam facere possimus, sed apostolicis constitutionibus & sanctorum patrum decretis horum demonstrationem afferentes, neque ecclesiæ regulas jamdiu traditas solventes, sed eas in quibuscumque, dum harum nimis exacta & immutabilis observantia servatur, divellit, & destruit totam compagem corporis ecclesiæ, ad quod conducit trahentes, ab ipsamet ecclesia edocti. Secundus enim canon Nicænæ synodi hæc habet: Quoniam frequenter vel a necessitate, vel alio quovis pacto coguntur homines ecclesiasticos canones transgredi; & quæ sequuntur. Nec non papa Gelasius de seipso inquit, quod ubi vis non apponitur, sanctorum patrum statuta inconcussa maneant. Similiter etiam sanctissimus papa Leo in eodem spiritu præcipit, dicens: Ubi vis non præcedit, immobilia permaneant sanctorum patrum statuta; ubi vero necessitas & vis reperitur, ibi ad id quod convenit ecclesiis Dei, ille qui potestatem habet dispenset. Ex necessitate enim, juxta divinum apostolum, etiam legis fit mutatio. Felix præterea papa consona etiam dicit: De hoc enim oportet animadvertere, ut ubi necessitas contigerit, sæpenumero etiam constitutiones patrum transgredi liceat. Sancta etiam synodus Carthaginensis ait trigesimoquinto capite: Mandamus ut Donatistarum clerici iterum ad ecclesias revertantur, licet etiam a synodo fuerint damnati. Synodus etiam synodum abrogasse reperitur propter unionem ecclesiæ & concordiam. Et Innocentius papa ait: Isti a Bonoso ordinati hæretico recipiantur, ne iterum scandala in ecclesia Dei oriantur.

Neque solum istis, licet tales essent, ut ex illis fuissent ut hæretici damnati, apostolica tamen sedes ecclesiæ pacis curam gerens manus adjutrices porrexit; verum etiam orthodoxis episcopis & patriarchis ad ipsam confugientibus, sicut nunc religiosissimus Photius, & auxilium implorantibus opem tulit. Nostis omnino magnum Athanasium episcopum Alexandrinum & Cyrillum & Polychronium Hierosolymorum, Joannem quem dilectio vestra Chrysostomum appellat, Flavianum etiam Constantinopolitanum: hos enim a synodis damnatos & reprobatos, cum ad sanctam Romanam ecclesiam confugissent, apostolica sedes hæc nostra confirmavit, & ad priorem dignitatem restituit. Si igitur ex Donatistis, & ex Bonoso ordinationem acceperunt, & ab ecclesiæ catholicæ limitibus fuerunt ejecti a synodo numerosa, iterum ab alia synodo recipiuntur, & in sacerdotum numero collocantur, ut ecclesia Dei indivulsa, & a schismatibus integra & libera permaneat, (nihil enim oculis Dei magis execrandum & abominabile conspicitur, quam is qui schismatum auctor in ecclesiis extiterit; & nihil jucundius vel carius etiam bonitati, quam ecclesiam suam integritatem, perfectum erga Deum amorem, & erga proximum dilectionem conservare,) multo magis viros orthodoxa fide illustres, & vitæ gravitate & rerum peritia celebres, non oportet illos contemne * obnoxios pœnitentiæ jugo gravari, sed ad priorem dignitatem restituere.

Cum enim * semel apostolica hæc sedes claves accepisset regni cælorum a primo & magno pontifice Jesu Christo per principem apostolorum Petrum, cum illi dixisset. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis: & quæcumque ligaveris super ter-*

* Ex se hæc addidit Photius.

* Multa hic a Photio prætermissa noscuntur, quibus sedis apostolicæ auctoritas prædicatur

& Hadriani prædeceſſoris legatio memoratur. *Matth. 16. Jerem. 1.*

terram, erunt ligata & in cælis; habet facultatem omnes ligandi atque ſolvendi; & juxta prophetam Jeremiam, evellendi & plantandi. Hac de cauſa nos auctoritate uſi principis apoſtolorum Petri, cum univerſa eccleſia * affirmamus vobis, & per vos etiam ſanctiſſimis fratribus & commiſtris patriarchis, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano, & reliquis epiſcopis & ſacerdotibus, & univerſæ Conſtantinopolitanæ, nos convenire & conſentire vobis, vel potius Deo in omnibus quæ a nobis vos petiſtis. Et primum quidem nos recipere Photium admirabiliſſimum & religioſiſſimum archiepiſcopum & patriarcham fratrem noſtrum, & communionis cum ſancta Romanorum eccleſia conſortem & participem, & hæredem, non ſolum propter alias virtutes quibus ille præſtat, verum etiam propter ſcandala e medio tollenda, & pacem Dei, & dilectionem adinvicem inter nos firmandam. Recipite etiam ipſum vos certo & firmo animo, & caritate & fide, omne iniquitatis & malitiæ venenum, & duplicitatem & ambiguitatem de cordibus veſtris avellentes, ſicut ipſum recepit Romana eccleſia.

* Hæc omnia addita a Photio impoſtore.

* Additamentum item eſt impoſtoris totum quod ſequitur.

Didicimus * enim fere ab omnibus qui huc veniunt ex illis qui iſtic verſantur, Photium omnibus prærogativis præſtare coram Deo non ſolum ſapientia & prudentia circa res divinas & humanas, verum etiam circa omnes virtutes morales, & curam divinorum præceptorum, tanquam irreprehenſibilem operarium celebrari. Neque juſtum duximus, talem virum otioſum & inutilem permanere, ſed in altum in veſtra eccleſia iterum elatum, & lucentem conſueta ſibi & Deo dilecta opera exercere, tum erga ſacerdotes, tum etiam erga epiſcopos. Quapropter eumdem reſumentes ſermonem, vobis dicimus: Suſcipite virum iſtum abſque ulla dubitatione.

* Sunt iſta Photii additamenta contra ſynodos in ipſum celebratas.

Nec * aliquis pro ſui excuſatione adducat injuſtas ſynodos adverſus ipſum habitas, neque, ut multi ſtupidiores opinantur, decreta prædeceſſorum noſtrorum beatorum pontificum, Nicolai videlicet & Hadriani adverſus Photium lata accuſet: non enim recepta fuerunt ab ipſis quæ contra ſanctiſſimum Photium geſta fuerunt. Nullus per chirographa veſtra occaſionem ſumat ad ſchiſmata fovenda cum illo & adinvicem: omnia enim jam ſedata ſunt & abrogata, omnia quæ contra Photium geſta ſunt, irrita, & nulla per nos minimos in manibus principis apoſtolorum repoſita ſunt, & per eum in humeros Jeſu Chriſti agni Dei qui tollit peccata mundi.

* Ejuſdem falſarii ſunt hæc verba ſuppoſita.

Recipite * igitur ipſum apertis ulnis, fratrem videlicet noſtrum comminiſtrum. Recipite epiſcopum & Dei & irreprehenſibilem. Recipite patriarcham veſtræ eccleſiæ. Confirmate erga illum dilectionem, fidem, & cum obſervantia obedientiam, & per hunc erga ſanctam Romanam eccleſiam eamdem confirmate. Qui enim illum non recipit, nec ea quæ a nobis & ſancta Romanorum eccleſia de illo decreta ſunt, recipit; nec is adverſus nos bellum ſuſcipit, ſed adverſus ſanctum Petrum apoſtolum vel potius adverſus Chriſtum ipſum Filium Dei, qui ita honoravit & glorificavit apoſtolum ſuum ut ipſe ab eo haberet facultatem ligandi atque ſolvendi.

* Adjunxit & omnia iſta quæ ſub hoc capite continentur ad ſecuritatem ſui patriarchatus falſitatis architectus Photius.

Hoc * etiam rogamus pietatem veſtram, ut in memoriam revocetis, ex quo tempore ſcandala & ſchiſmata in veſtram eccleſiam ingreſſa ſunt, & eam integritatem corruperunt: horum malorum nullam aliam fuiſſe cauſam, niſi quod vos imperatores admiſiſtis blaſphemias & calumnias adverſus pontifices & patriarchas veſtros, ac reliquos Dei ſacerdotes; nec non quod vos parvipendiſtis dilectionem & fidem & honorem & obſervantiam erga illos. Rogamus itaque divinam potentiam veſtram ut exnunc aures obturetis imperii veſtri a Deo electi calumniis & obtrectationibus adverſus pontifices, quas pravi illi homines & malis ſolum gaudentes, vobis ſuggerere ſolent, & eos tanquam piacula & abominationes, iniquas verborum illorum ſagittas repellere velitis: patriarchas autem veſtros in honore habere, & quaſi proprios patres exiſtimare, tanquam Dei & hominum mediatores venerari. Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, & quæ pro ſalute veſtra faciunt vobis a Deo ſemper deprecantur, nec non, ut par eſt, pro iis, quibus vos Deum offendiſtis errantes, ſacrificia ipſi offerunt, ut vobis Deum placent, benevolum illum vobis reddentes. Neque id ſolum, verum etiam pro tranquillitate & duratione potentiæ veſtræ, & pro victoria adverſus hoſtes obtinenda Deum noſtrum miſericordem orant. Doctores etiam & magiſtri vobis exiſtunt, dum vos admonent ut ea faciatis, quibus regnum cælorum acquiratis.

Præterea vos præ aliis diligere noſcuntur: non enim adulatorum amicitiam ſectari ſciunt vobiſcum, & adulatorum inſtar vos diligere, ſed potius caritatem, quam ipſos docuit Chriſtus Jeſus per ſanctos apoſtolos ſuos. Non oportet igitur veſtros patriarchas a vobis contemni, tum propter ea omnia quæ prædiximus, tum etiam, ut juxta Domini præceptum illos diligatis. Nec vos lateat, quod ſi hoc feceritis, non ſolum honores illorum conſequemini, quos vos honoratis & colitis, ſed illum potius qui eorum manibus in altari miniſtratur, videlicet Chriſtum, qui pro peccatis omnium Deo offertur: qui enim illos honorat, Deum honorat; & qui illos averſatur & reſpuit, Deum ipſum reſpuit. Falſas itaque detractiones & obtrectationes, per quas zizania & ſchiſmata & ſcandala in eccleſia Dei oriuntur, & dividunt inconſutilem Chriſti veſtem, tanquam venenum aſpidum, veſtrum imperium vitet: & potius ſanctiſſimo Photio fratri & comminiſtro noſtro opem ferat in omnibus quæ ad eccleſiæ bonum regimen faciunt.

* Conſ iſta Ph ſui cau

Eos * etiam qui ipſum non quo par eſt, honore habent, argue, ut corrigantur: ſæpe enim quos Dei timor, & erga divina religio & pietas non correxit; imperatorum & principum indignatio in eos irruens modeſtiores reddit. Idque ſi feceris, regnum tibi cælorum comparare certo ſcito, & ſempiternam imperii tui durationem, & pacis confirmationem. Si vero id minus feceritis, pro certo habeatis, quod nunquam ſchiſmata deerunt in eccleſia Conſtantinopolitana.

* Sunt Joannis ſtola, habeat a verba a tio add ut illud *Poſt obi ſanctiſſi Photii*,

De * hoc etiam legem condere, tuum imperium a Deo cuſtoditum monemus, ut poſt obitum ſanctiſſimi Photii comminiſtri & fratris noſtri nullus e ſæculari ordine ad pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur, ſed potius ex presbyteris cardinalibus, ex iis videlicet, qui catholicæ eccleſiæ ſunt adſcripti, vel ex ejus diaconis, vel aliis ſacerdotibus, qui exiſtunt ſub ſede Conſtantinopolitana, juxta ſacros canones, ut ne contra eccleſiaſticam regulam & ſanctorum patrum canones res veſtræ peragantur. Procedere autem hunc volumus per ſingulos gradus eccleſiæ ſatis probatum, * primum lectorem, deinde acolytum, poſtea diaconum, deinde presbyterum, & tandem epiſcopum, ſi tamen bonum habuerit teſtimonium de ſe, de pietate, & ſcientia; quoniam dum in inferioribus gradibus aliquod temporis ſpatium immoratur, ejus virtus & probitas agnoſcit, & hoc pacto oportet veſtros patriar-

* Cum termiſſo dis oſtia & exorci a Latin mnibus primos tuor or annumer ſcias a cis co ptum loc

patriarchas progredi, non ex tempore præoccupare singulos gradus, ut in domo Domini nihil inveniatur incompositum & inordinatum. Qui enim supra omnes gradus collocatur, reprehensibilis in omnibus oportet reperiatur.

Nec * quia nos vestræ ecclesiæ paci & quieti consulentes, Photium religiosissimum fratrem nostrum recepimus, sicut & papa Hadrianus Tarasium ejus avunculum, hoc jam vobis pro consuetudine & regula usurpetur: quæ enim raro bona sunt, non possunt lex fieri multis, & pro lege sumi. A Domino enim nostro Jesu Christo edocti, etiam nos viscera misericordiæ recipientes, condonavimus vobis petitionem vestram tum de Photio, tum de aliis sacerdotibus ex altera ordinatione existentibus indultum concessimus. Quicumque vero in futurum ausus fuerit id iterum committere, pœnitentia ex canone a nobis absque ulla remissione, & damnatio illi irrogabitur.

* Rogamus etiam hoc pietatem vestram, ut neque frater & comminister noster Photius sanctissimus, nec alius quispiam successorum ejus in futurum in Bulgaria ordinationes habeat, neque per pallium illuc missum, neque per defensorem prædictam provinciam Bulgarorum ut propriam ministret. In alieno enim solo non decet alios ædificare. Prædecessor enim noster Nicolaus felicis recordationis precibus principis Bulgariæ Michaelis apostolicis doctrinis gentem illam educavit, & per religiosos suos episcopos omnes ecclesiasticas regulas & canones, & quæcumque ad Christianam religionem pertinent cum illis tradidisset, eos perfecit: licet nonnulli audacter surripuerint nobis prædictam provinciam, quæ ad eos non attinebat; ordinationes etiam & consecrationes ecclesiarum, & omnia quæcumque facere minus oportebat, peregerint. Quapropter præter prædicta, & hoc etiam vobis notum facimus, ut, si aliquando episcopos ibi degentes contra nos aliquid delinquere deprehendemus, & canonicis pœnis illos subiiciemus, non habeant vos ad quos confugiant, sed potius vos inveniant in hoc nobis concordes, nec dissentientes.

* Oramus præterea imperium vestrum Christo dilectum, ut congregetis episcopos & presbyteros cujuscumque ordinis ecclesiastici & civilis qui a nobis dissentire videntur, ubicumque fuerint intra terminos vestros, eosque ad vos ducendos curetis, & moneatis, ut ipsi uniantur ecclesiæ Dei, & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & comministro nostro nobis unito. Proprias pontificales & sacras vestes; gradus etiam illis restituite, & viscera misericordiæ illis aperite: ut quemadmodum unus Deus, unum baptisma, una fides, ita & nos ipsi unum etiam in Christo, & per vestram piam doctrinam unum pariter nobiscum sint, & in ecclesiæ Dei perfectione coordinati & conjuncti nobiscum in Christi sanctissimum corpus, ut in eadem mente & in eadem voluntate permanentes, Deum omnium glorificemus. Nec aliquis in posterum dicat; *Ego quidem sum Cephæ, ego vero Pauli;* sed ut omnes hoc dicamus, quod Christi sumus crucifixi & mortui pro nobis, qui per suam passionem quæ in terris sunt, & quæ in cælis, invicem conciliavit; & nos Deo conjunxit & Patri per seipsum, & mutua dilectione & communione. Si vero a vobis eos advocatos monentes & hortantes & orantes, ad unionem ecclesiæ convenire vobiscum semel & iterum & sæpius obedire illi noluerint, neque nostris literis obtemperare & suammet lucrari salutem, sed in priori sua pertinacia & temeritate permanserint istiusmodi homines, præcipimus ab immaculati corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptione alienos fore, quousque uniantur sanctæ Dei ecclesiæ, & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & comministro nostro. Et postea: Hoc peracto quæ sequuntur justam illorum damnationem, in his literis non scripsimus, ne amplius prorogaretur oratio præter modum, sed in commonitorio conscripsimus religiosissimi Petri presbyteri & cardinalis nostri legati, una cum Eugenio & Paulo religiosissimis episcopis, ut cum ipsis præsidens in synodo una cum sanctissimo Photio fratre & comministro, Dei oculum qui omnia videt, & semper vigilat, ante suos oculos habentes, & inevitabilem divinam justitiam & suam conscientiam immaculatam & inculpatam conservantes, omnes res Constantinopolitanæ ecclesiæ, & quæcumque indigent correctione, & quæ, ut par est, declinare debent, ut id quod melius est, & conducibilius Dei ecclesiæ, peragatur. Cælestis imperator piam potentiam tuam custodiat.

Nota Severini Binii.

Hucusque ex Photiana versione Joannis papæ epistola. Cur autem in titulo Joannis epistolæ non insit Constantini nomen, id accidit, quod, sicut ex Niceta dictum est, mortuus inter hæc fuerit Constantinus ipse Augustus primogenitus Basilii imperatoris.

Vidisti imposturas, lector, veritatis amator & cultor, execratus es procul dubio, quas in profano etiam homine, nedum sacerdote, & episcopo & patriarcha, sed & in ethnico, omnisque divinæ & humanæ legis experte barbaro improbare non possis; totque falsitates admixtas literis non privati alicujus & ignoti hominis, sed ab apostolica sede ex episcoporum concilio datis; nec ad vilem aliquem terræ filium, sed ad ipsum orientis imperatorem, nec otiose vel leviter de rebus nullius momenti conscriptis, sed quæ maximi omnium ponderis essent; ut merito tanti auctorem sceleris improbare, & execrari, ipsumque facinus abominari, atque horrere tanquam funestum aliquid ab imis inferis proditum a principe tenebrarum per filium tenebrarum nomine tenus lucis angelum mentientem Photium, omnino debeas.

[a] CC. AD CLERICOS CONSTANTINOPOLITANOS.

Ejusdem argumenti.

Reverendissimis & sanctissimis omnibus episcopis, confratribus ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem respicientibus, seu tribus aliis principalibus ecclesiis Hierosolymitanæ.

QUorumdam sane vestrum, fratres carissimi, scripta suscipientes, unanimitatem, atque consensum in parte Photii in eis plene reperimus, indeque obnixe optantes, ut quod particulariter hactenus, hoc canonice semper & generaliter, atque secundum ea, quæ sunt Christi Jesu, & non quæ vestra, pia animi devotione, id ipsum, ut non sit in vobis schisma, sapiatis quærere, pulsare, & invenire; nos autem moderatione sedis apostolicæ, sicut divisa contentione, atque dolemus scissa errore, ita gaudemus in vinculo pacis, ac caritatis compagine soliditatis fraternitatem vestram sine intermissione inviolate persistere, juxta apostolum, idem sapite, & Deus pacis erit vobiscum. Quod vero solicita intentione vestra petit dilectio, uti auctoritate beati apostoli principis apostolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia urbe Constantinopolitana fore consentiamus, illud animo luce clarius

rius retinetis, quod in evangelio primo paſtori Dominus ait: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* His hortatibus ſuccenſi, imo potius corroborati, in quantum ſine gravi offenſione valemus auxilium ferre, tam cunctis Domini ſacerdotibus, quam univerſo in orbe terrarum Chriſtiano populo, nunquam deſinimus, ſequentes prædeceſſorum exempla, de quibus ſanctæ memoriæ Hadriani papæ in Taraſii nuperrime regiæ urbis patriarchæ confirmatione, hæc interim ponimus verba: inter reliqua inquit: Ipſe enim Taraſius regiæ urbis patriarcha miſit nobis ſynodicam priſcam adimplens conſuetudinem, quam ſuſcipientes, & liquidius indagantes, & tam de faſſione rectæ fidei ejus, quam dogmatum ſanctarum ſex ſynodorum, & venerandarum imaginum ovantes, nimis iterum conturbati ac contriſtati ſumus, quia ex laicorum ordine, & imperialibus obſequiis deputatus, repente in patriarchatus culmen electus eſt, & * apocaligus contra ſanctorum canonum cenſuram factus eſt patriarcha. Et quod dicere pudet, & grave tacere eſt, qui regendi adhuc, & docendi, ſunt doctores, nec erubeſcunt videri, nec metuunt, ducatumque animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota doctoris, eſt, * quo vel ipſi gradiantur, ignari ſunt. Quod quam pravum, quamve ſit temerarium, ſæculari ordine, & diſciplina monſtratur: nam dum dux exercitus non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe poſſunt, qui in epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere? Hujus ſaltem rei comparatione conſiderent & aggredi repente inexpertos labores abſtineant; quippe qui non didicerint quod doceant. Unde canonica inſtituit cenſura nequaquam ex laico ad ſacerdotium repente tranſire. Et niſi per ejus fidelem concurſum pro ſanctarum imaginum erectione ejus conſecrationi aſſenſum omnimodo tribuere nequivimus. Porro & nos ac vos fratres cariſſimi, lege conſtringimur, ut ſi deinceps apud cunctam eccleſiam, quæ in vobis eſt, a paternis regulis per ſimilem prævaricationem nunquam ſpondeatis delinquere, id eſt, ne neophytum repente ad honorem aſcendere *. Et ſi parochiam Bulgaræ gentis, quæ Deo auctore beati Petri apoſtoli interceſſione, atque deceſſorum noſtrorum labore, ad Chriſtum converſa eſt, ſubducta quam ibi feciſtis illicitam ordinatione, reddideritis; & abjectos quoſque fratres, ac diſcordantes veſtro labore * ſtudio cum prædicto Photio quem patriarcham in regia urbe deſideratis habere, aliiſque piis operibus offenſionem, quam coram Deo, & ſanctis canonibus contraxiſtis in hac parte, recompenſaveritis. Venerabilem fratrem Photium coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi volumus, & noſtræ communionis, imo & beatorum apoſtolorum, ſeu omnis eccleſiæ fore, Domini miſeratione, participem. Hoc exemplo roborati maxime, quo egregius prædeceſſor noſter Innocentius ſanctiſſimus papa Photinum reſtaurare dignatur, dicens: Veniam nunc ad maximum quaſi quoddam thema, Photinum; & inter alia. Quia res ad ſalutem rediit veniæ, hunc in tantum vobis annitentibus, poſt condemnationem more apoſtolico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus, vobiſque tam bonis, tam caris non dare conſenſum, omnibus duris rebus durius arbitramur. Pro veſtra ergo approbatione fratres cariſſimi, & ſententia, ac poſtulatione epiſcopum Photinum habetote. Licitum eſt ita conſtituere ut deprecamini; & noſtram in melius converſam ſententiam, labore vel teſtimonio veſtro, compotes voti ſuſcipite. Solicitos enim vos pro ſalute libenter admitto: cui manum porrigitis, vobiſcum porrigo; cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim eſt ad Corinthios apoſtolica declarata benignitas, ut in uno ſpiritu ductam, ac reductam ſententiam boni ſemper indifferenter ſequantur.) Data menſe Auguſto, indictione duodecima.

Miſſa per Petrum presbyterum.

Luc. 22.

In epiſtola Hadriani I. ad Conſtantinum, & Irenem imperatores.

* In epiſtola Hadriani eſt *a caliga militari*.

* *Forte*, qui quo. H.

* *aliquid deeſt*.

* *f. deeſt* reconciliaveritis.

Epiſt 22. n. 7. Tom. II. pag. 1276. A.

Nota Severini Binii.

a *Epiſtola* cc.) Hanc ſicut ceteras recitatas paſſam eſſe perditiſſimi hominis Photii impoſturam, patet ex verbis iſtis: *Venerabilem fratrem Photium coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi.* Quæ profeſſionem humilitatis inſinuantia ſuperbus & profanus homo plane abraſit, & loco iſtorum (ut in ceteris fecerat) iſta poſuit: *Photius patriarcha ſanctiſſimus & religioſiſſimus frater noſter, non dedignetur in conſpectu ſynodi gratiam & ſtudium noſtrum, quin potius viſcera miſericordiæ Romanorum eccleſiæ prædicare, quod ab ea ſit receptus.*

CCI. AD PHOTIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Photium patriarcham Conſtantinopolitanum conſtituit, dummodo in ſynodo veniam poſtulet: decernit ne deinceps ullus e laicis in eadem eccleſia ſtatim epiſcopus ordinetur: jubet Bulgaricam diœceſim eccleſiæ Romanæ reſtitui.

Photio patriarchæ Conſtantinopolitano.

EXperientia tuæ prudentiæ literis pontificio noſtro delatis ſatis ubertim comperta, altitonantem Dominum, piiſſimas ei grates agentes, laudavimus, qui poſtulatus dat omnibus ſapientiam, & in domo faciens unanimes habitare, ſalvat omnes in ſe ſperantes, & protegit ſe in veritate quærentes, qui neque probos, reos, neque facit pios, tyrannos: tamen juſte judicans, beatis quibuslibet æterna præmia, & infelicibus, reſervato interim pœnitudinis tempore, niſi reſipuerint, æterna confert ſupplicia. Prædictis quoque literis præconia noſtra legentes, affectum tuum cognovimus, & quam ſis nunc erga nos devotus, ſatis evidenter reperimus: verum in quo nobis noſtra merita non ſuffragantur, Deo dimittimus; & in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturæ noſtræ cum ſumma formidine, eodem Deo præ oculis habito, contemplamur. Scimus enim, ipſo dicente, *quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Matth.

Quod dicitur autem, ſanctam Conſtantinopolitanam eccleſiam in te convenire, teque privatam ſedem recipere: miſſos vero noſtros tecum minime conſecrare: de adunatione omnium Deo gratias agimus; ſed miſſis noſtris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipſa ſedes haberet, antea comprobavimus. Nunc vero, ſicut de pace & adunatione ipſius eccleſiæ valde gaudemus; ita & de diſſenſione nolentium acquieſcere contriſtamur, quia * Salomone teſtante, *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & ſicut genus idololatriæ nolle acquieſcere.*

Verum * ſuper receptione privatæ ſedis nos debuimus ante conſuli. Tamen quia obeunte fratre & coepiſcopo noſtro Ignatio, te Conſtantinopolitano throno præſidere audivimus: tantum

Hanc lam locis notat rupit

* leg muele 1. Re

* Iſta ſulend apoſto Photi trunc ſua tione.

tum ut pax augeatur, & jurgia ceſſent, multimodas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes patulis ulnis amplectere, omnes diſperſos congregare non deſinas, omnes colligere ſolicite ſtude: quia ſicut ſanctus papa Leo magnus ſcribit, ſedis apoſtolicæ, inquiens, moderatio hanc temperantiam ſervat, ut ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis.

Et cum non ſit reprehenſibilis erga correctum quantacumque miſeratio, ſatisfaciens coram ſynodo * miſericordiam ſecundum conſuetudinem poſtulaveris, ac ſi evidenti correctione utaris, & peritiæ non obliviſcens, nullius damna moliaris, quin potius exilia eorum, qui tibi non velle conſentiſſe dicuntur, ſtudioſe diſſolveris, eoſque ſuis eccleſiis & honoribus reſtitueris: & ſi, quia ſpiritalis filius noſter Baſilius Chriſtianiſſimus imperator apud nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto, uno conſenſu & una concordia in tua reſtitutione convenerint: veniam pro pace ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ tibi concedimus, communionem quoque & gradum, coram * ſynodo miſericordiam quærendo, nihilo minus reddimus, & ut ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ digne præeſſe debeas, conſentimus, ita tamen ut deinceps de laicis in eadem eccleſia epiſcopus contra ſanctorum patrum ſtatuta nullatenus ordinetur, & omnis illa mala conſuetudo abinde penitus amputetur, juxta capitulum quod ſuper hac re in venerabili ſynodo, tempore ſcilicet deceſſoris noſtri Hadriani junioris papæ Conſtantinopoli habita, eſt congruentiſſime promulgatum.

Reliqua vero, quæ literæ tuæ a nobis fore cenſenda vel finienda expectant, dato commonitorio noſtris legatis, Petro venerabili presbytero cardinali noſtro, delicioſiſque conſiliariis noſtris quædam ſcriptis, quædam autem verbis injunximus, qui juxta cenſuram noſtri apoſtolatus inſtructi de omnibus, cuncta, Deo præ oculis habito, contemplantes, & admittenda ubi fas eſt admittere ſtudeant, & corrigenda ſub æquitatis libramine corrigant.

Præterea ſicut veſtra pars ſuum velle conatur vires accipere, ita & * diœceſim noſtram Bulgariam, quam apoſtolicæ recordationis ſanctiſſimique domini papæ Nicolai certamine ſedes apoſtolica recepit, ac Hadriani æque beatiſſimi præſulis tempore poſſederat, ſumma nobis celeritate reſtitui volumus, & de cetero omnem ordinationem eccleſiaſticam ab eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſulibus in eadem diœceſi Bulgarica, auctoritate apoſtolica amputamus; ipſos autem ordinatos ibidem epiſcopos, & omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde ſe ſubtrahant, & ab invaſione Bulgaricæ noſtræ diœceſis ſe omnino compeſcant, decertare procures. Quibus ſi tu aut pallium dederis, aut quamcumque illic ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatione cum eis teneberis annexus.

Nota Severini Binii.

a *Epiſtola* CCI.) Hæc eſt altera quam a pontifice Joanne VIII. acceptam Photius a ſe Græce translatam, & ad perfidiam ſuam occultandam addendo, mutilando, ſubtrahendo & expungendo in pſeudoſynodo ſua octava legi ac promulgari fecit.

Porro ille ſciens quanta ineſſet in apoſtolicis literis auctoritas, lecturus cum eſſet eas in ſynodo, ad perſuadenda quæ vellet, addidit & abſtulit pro arbitrio quæ ſibi ſunt viſa. Quænam autem iſta fuerint, ex recitatione ipſius epiſtolæ ex ſecunda ejuſdem actione depromptæ, Latinitatique ab eodem Metio redditæ, ſatis intelliges, ſic enim ſe habet.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Photio ſanctiſſimo fratri & comminiſtro patriarchæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ.

SApientiam & prudentiam fraternitatis tuæ in literis cum perſpexerimus, inſtar * tonitrui cælitus miſſi ex Deo reſonantem & omnes terminos terræ ſuo ſtrepitu replentem, pias Deo gratias & excelſas laudes retulimus, qui omnibus petentibus juxta eorum petitionem largitur ſapientiam, & qui habitat in concordiæ domo, & fovet & protegit omnes qui veritate ſpem ſuam in ipſum collocant: quia quique nec malos in finem rejicit, neque bonos ut in tyrannidem aliquam incidant, ſupra eorum vires permittit; ſed potius juſtitiæ æqualitate, ac judiciorum æquilibrio omnes res humanas dirigit, & feliciter ducit. Et beatus ille qui alacri animo, præſenti tempore per pœnitentiam lapſos erigit: in cælis enim iſte theſauros ſibi theſaurizat: hic etenim in hac felicitate permanens, fruetur ſempiternis futuris bonis, cum revelabitur futura gloria. Tuas itaque prædictas humaniſſimas literas cum accepiſſemus, & laudes nimias quibus nos exornas, & qua animi alacritate erga nos te habes, agnovimus, quomodo pie & ſane te geris: licet laudes quas nobis tribuis, longe a nobis abſint: cum enim mortalem & mutabilem naturam nacti ſimus, non ſunt laudes ſatis tutæ: & magno timore afficimur illius videlicet qui omnia videt, & omnia proſpicit, tum occulta tum aperta, ne aliquo pacto aliter ab hominibus nos habiti, aliter in conſpectu Dei reperiamur, & pro laudibus & optata gloria perpetuum dedecus lucremur. Sed hæc permittamus interea Deo, qui novit omnia, & quem nihil noſtrum latet. Novimus enim, ipſum dicere: *qui ſe exaltat, humiliabitur.* *Matth. 23.*

Scripſiſti nobis, quod ſanctiſſima Dei Conſtantinopolitana eccleſia in te recipiendo, concors & unanimis facta eſt: & quod * ſedem recepiſti, quæ tua erat, & qua fueras orbatus: his de rebus de eccleſia videlicet, & de tua reſtitutione, qua es ad propriam ſedem reſtitutus, Deo ex corde, & pro virili gratias agimus. Habebant etiam literæ pietatis tuæ quod noſtri legati noluerunt quam primum tibi comminiſtrare. Et hoc factum dicimus, quia nondum illis permiſeramus, ut ea facerent, quæ præceperamus. Si enim mandatum noſtrum habuiſſent, nulla ipſis fuiſſet dubitatio, nec alicujus mœſtitiæ cauſam pietati tuæ præbuiſſent. Nec nos ſatis certi eramus de fraternitate tua, quod ad tuam ſedem te Deus reſtituiſſet, & jam ipſam obtinuiſſes: ſi enim hoc reſciviſſemus, miſiſſemus procul dubio, ut par erat, gratulaturi tibi pro tuæ ſedis receptione. * Ne igitur interea iniquo feras animo: quod enim antea defuit, jam ex ſuperabundantia completum eſt.

Didicimus præterea, quod ſunt inter vos nonnulli ſchiſmatici, qui non quieſcunt, ſed in vanum laborant, & certamen diabolicum certant, juxta prophetam dicentem: Diviſi ſunt contriti, ut evellant & evertant ad ſe nonnullos ſimpliciores. Et quemadmodum gaviſi ſumus pro tua reſtitutione, quam Deus operatus eſt, & unione facta eccleſiæ: ita triſtati ſumus pro ſchiſmaticorum illorum interitu.

Tu * vero qui præſtas ſapientia & prudentia & gratia a Deo tibi largita, (quid enim habes quod non accepiſti? & ſi accepiſti, novimus te non gloriari quaſi non acceperis,) omnes tibi

* Photius verſipellis flectit in laudem ſuam quod in Dei laudem Joannes dixerat de altitonante Deo.

* Tacet hic Photius quod de privata ſede, nempe quam in Magnaura exercrat vivente Ignatio.

* Aliqua addit, & detruncat aliqua, quæ ſuperius notavimus de conſulenda apoſtolica ſede aliis.

* iſta de laudibus ſuis Photius addidit.

devincere humanitate contendas eos, qui a te procul sunt segregati & dispersi, misericordiæ viscera illis aperiendo, & benignitate illos complectendo, simul congregare ne graveris: ut, quemadmodum sanctissimus papa Leo magnus scribit, eos qui quærunt humiliari in conspectu Dei, & unionem vobiscum quærere, suscipiamus. Sicut econtra adversus eos qui duro sunt corde, fortitudine & constantia & patientia illos vincamus, duritiæ etiam cordis illorum obsistamus. Similiter illis qui pœnitentiam quærunt, quæ lapsos sublevat, manus adiutrices præbeamus. Non enim est desperatio pœnitentibus, & petentibus misericordiam non est confusio.

Quapropter fraternitatem tuam rogamus, ut Christi mores imitando, præcipue vero ejus humilitatem quam sustinuit pro salute generis nostri, non te * pigeat in synodo prædicare Dei erga te misericordiam & auxilium, nec non sanctissimæ Romanorum ecclesiæ protectionem & tutelam, & laborem, quem pro tua dilectione sustinuit, ut hoc pacto ædifices omnes pro communione nostra & animorum nostrorum concordia. Quandoquidem quæcumque ab illa petiisti, obtinuisti etiam. Et sicut illi mos est, ut omnibus qui injuste patiuntur opem ferat, ita ejus auxilio tu non caruisti, sed divina ope & hujus sanctæ sedis labore & studio ad sedem tuam es restitutus.

* Joannes non ista habet, sed ut ipse misericordiam coram synodo postulet: quæ Photius sustulit hic & inferius callide admodum.

Quapropter rationi congruum duco, ut hujus consueti auxilii necnon benignitatis, quam ipsis operibus singulis diebus experiris, de illa in omnem terram sonum emittere non obliviscaris, sed etiam ipsam sequere, & instar illius nulli damnum inferas, nec aliquem a visceribus misericordiæ tuæ repellas. Si qui usque adhuc unionem cum tua pietate amplecti noluerunt, neque tecum convenire, ne desistas, sed potius laborem & certamen sustine, cum docendo, tum etiam sermocinando, & longanimi admonitione, nec non alacri & benevolo vultu, ut juxta apostolum, vel omnes vel plerosque lucrari studeas, & tibi conciliare, ac per te ipsi Deo accedentes, illos ad te, & per te ad Deum suscipere dignare. Sacerdotales etiam honores, & eorum ecclesias illis restitue.

Et quemadmodum spiritalis filius noster imperator Basilius pro te nos ejus petitioni rationabili & justæ & Deo gratæ obsequentes, fecimus cum tua pietate, quod imperator petierat: eodem pacto te rogamus, ut tu etiam obliviscaris malorum quæ adversus te commiserunt, qui a te fuerant abalienati. * Qui si revertantur ex corde, tua pietas honore insignita apertis ulnis illos recipere dignetur, ut omnes feliciter consentientes, ad conversionem & restitutionem tuæ sedis commune gaudium & diem festum & lætitiæ peragamus.

* Detruncavit hic iterum quæ Joannes habet in sua epistola de quærendo misericordiam coram synodo.

Hoc etiam rogamus fraternitatem tuam, ut nobiscum decernas, ut in posterum nullus sæcularis ex tempore ad pontificalem sedem assumatur, sed secundum gradum & ordinem procedens, & proprium unusquisque in suo gradu progressum virtutis ostendens, ita pontificalis sedis gradum obtineat. Qui enim aliter ascendit, ecclesiasticis nostris canonibus contraria facit. Et volumus morem hunc, qui non est probandus, ab initio in vestra ecclesia inventum, in posterum irritum abolere. Hoc * autem dicimus juxta canonem editum in synodo tempore Hadriani sanctissimi papæ & Tarasii beatæ memoriæ patriarchæ Constantinopolitani.

* Hic falsarius & impostor astutissime convertit ad Hadrianum primum quod

Synodum * vero contra pietatem tuam ibidem habitam irritavimus & annullavimus, imo & abjicimus, tum propter alja, tum etiam quod beatus papa Hadrianus prædecessor noster illi non subscripsit. Reliqua vero omnia de ecclesiasticis rebus quæ tua epistola nobis insinuavit, scribere omittimus, quoniam de illis in commonitorio scripsimus, cui etiam subscripsimus omnes pro tua restitutione, & illud Petro religiosissimo presbytero cardinali & legato nostro dedimus, quem misimus, * & una cum Eugenio & Paulo religiosissimis episcopis legatis nostris Dei timorem præ oculis habentes, & suam conscientiam immaculatam conservantes, omnino vobiscum faciant, quæ vestræ ecclesiæ conferre noverint. Deus te conservet usque ad finem, dilecte frater reverendissime & comminister noster.

Nota Severini Binii.

Ecce tu jam vidisti, & conferens utraque exemplaria cognovisti, lector, quo tandem progressa impostoris audacia, & ausa sit falsarii animosa procacitas, ut tribus versibus istis ad epistolam Joannis ultimo loco additis, tantam molem illam, œcumenicam, inquam, octavam synodum, quam occidens & oriens, pontifex & imperator una cum episcopis & magistratibus tanto labore sunt conati erigere & stabilire, quantum in ipso fuerit, Photius mendaci stylo sit demolitus. Ut plane iterum repetendæ, quin & aliæ innumeræ sint agendæ Deo gratiæ, quod ad tam immane periculum evitandum, & immensum scandalum antevertendum, voluerit divina providentia remanere integra exemplaria Joannis epistolarum, unicum remedium ad falsitatem hominis perditissimi arguendam & impostaram aperiendam. Quo nomine pariter, ut vidimus, & ipse de quo egimus, pontifex Nicolaus summas gratias Deo rependit, quod ad convincendas falsitates ejusdem Photii in suis literis impudenter admixtas, earum exemplaria Romæ servaverit, sic dicens in epistola ad Michaelem imperatorem: *Verumtamen nos quomodocumque falsitati vel depravationi eadem sit epistola submissa, gratias innumeras agimus Deo, cujus inspiratione & fidelia illius exemplaria penes nos retinuimus, & cujus permissu qui hæc vel authenticam ipsam scripsere, superesse noscuntur:* hæc ipse. Sed nos dupliciter Deo gratias rependere obligamur, & quod Joannes, sicut & Nicolaus, missarum a se literarum exscripserit & retinuerit exemplaria, & quod eadem cum codice, quem regestum vocant, sint in hanc diem in vaticana bibliotheca integra post tot naufragia Romanæ ecclesiæ conservata; ut quod earum translatio facta per Photium fraudulenter posset argui falsitatis, cum in multis aliis, tum in iis, quæ operatus est ad demoliendam funditus œcumenicam octavam synodum, tam quod citationem ejusdem synodi octavæ sub Hadriano habitæ, quæ convincitur eam recipere & comprobare Joannem, omnino erasit atque penitus abolevit; quam etiam quod disertis verbis addiderit, ab eodem Joanne pontifice jam illam prorsus damnatam, irritam, ut ait, ac nullam redditam esse.

In hoc ipsum enim totus incubuit homo profanus, ut adversum se collectam œcumenicam synodum, in qua cubitalibus literis, ut ita dixerim, ejus scelera multipliciter nota essent, abolendam, extinguendamque penitus, ut nec nominaretur amplius, laboraret. Sed & quod sciretur testificatione historicorum Græcorum, tum Latinorum, octava synodus œcumenica celebrata esse Constantinopoli; ipse eodem in loco haberi, eodemque quoque nomine appellari voluit suam pseudosynodum, quam supponeret pro legitima octava œcumenica habita per Hadrianum, usus ad decipiendos omnes recitatis superius ad ipsum scriptis, sed ab ipso falsatis literis Joannis papæ, ex quibus pariter detegas alias ejusdem nebulonis versutissimi impostaras. Quamvis enim idem Joannes pontifex, tum in ipsa epistola ad Photium scripta, tum in recitata superius ad imperatorem citando dictam œcumenicam synodum, ut dictum est, eam visus est comprobasse; & nihilo minus in additamentis Photii idem ipse ejus damnator asseritur: non ista ipsi fatis sunt visa, sed & ab illo falsatum est commonitorium ab eodem pontifice datum Petro legato. De quo infra in notis conc. Romani sub Joanne VIII.

CCII. AD CONSTANTINOPOLITANOS.

Jubet eos schismate sedato ad ecclesiæ unitatem redire, & Photio communicare.

Eximiis viris Joanni, Leoni & Paulo patriciis, atque Stiliano, Joanni, & Metrophani reverendissimis metropolitis, & ceteris sacerdotibus, seu cujuscumque ordinis clericis, seu laicis.

OMnium ecclesiarum Dei secundum apostolum solicitudinem habentes, & pastoris gregis dominici nobis in ipso apostolorum principe curam commissam gerentes, Domino dicente: 21. *Si diligis me Simon Petre; pasce oves meas*, condolemus vobis: quoniam multis jam labentibus annis usque ad præsens, in discordiæ divisione, & in scandalorum perturbatione vos videmus promptos manere, nec per caritatis custodiam ad unitatem ecclesiæ reverti. Quam videlicet unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris & Filii fidem non tenet, vitam non tenet, nec salutem. Hoc denique unitatis sacramentum, hoc concordiæ vinculum inseparabiliter cohærens ostenditur, quando in evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis potius Christum indueret, integra vestris accipitur, & incorrupta, atque indivisa tunica possidetur. Possidere enim non potest indumentum Christi, qui scindit & dividit ecclesiam Christi. Quis ergo sic sceleratus, & perfidus? Quis sic discordiæ furore vesanus? Quis aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei? vestem Domini? ecclesiam Christi? Monet ipse in evangelio suo dicens: 16. *Et erit unus grex, & unus pastor.* Apostolus autem Paulus hanc eamdem nobis insinuans unitatem, hortatur dicens: 1. Cor. 1. *Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Et iterum dicit: Eph. 4. *Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis*: quoniam nec habere pacem cum Deo poterit, qui cum fratribus pacem per zeli discordiam non habuerit. Quam igitur sibi pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt sacerdotes, caritatis Dei qui non sunt veste induti? Pacem nobis Christus dedit; 14. *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*: concordes, atque unanimes esse præcepit: dilectionis, & caritatis fœdera incorrupta, atque inviolata mandavit. Et ideo vestram salutem cupientes, monemus, & apostolica benignitate jubemus, vos omnes sanctæ ecclesiæ uniri, vestroque patriarchæ, Photio videlicet, quem pro ecclesiæ Dei pace, & unitate recepimus, adhærere, communicareque studete. Nam si hæc nostra apostolica monita tantis supradictis testimoniis divinis firmata audire contempseritis, in vestra pertinacia manere volentes; scitote quia missis nostris præcipimus tamdiu vos omni ecclesiastica communione privare, quamdiu ad unitatem corporis Christi, & ad vestrum contempseritis redire pontificem. Nec aliquis vestrum hanc habeat in redeundo excusationem, pro scripturis de hac causa compositis; quia divina potestate, quam accepit ecclesia Christi, cuncta solvuntur vincula, quando per pastoralem auctoritatem, quæ fuerant ligata solvuntur: quoniam sicut dicit sanctus papa Gelasius, nullum est vinculum insolubile, nisi circa eos, qui in errore persistunt. Data mense Augusto, indict. XII, die XVI. *Missa per Petrum presbyterum.* In tomo de anathematis vinculo.

CCIII. AD PAULUM ET EUGENIUM EPISCOPOS.

Constituit eos una cum Petro presbytero legatos, ut, sicut illos monuerat, pacem in ecclesia Constantinopolitana conficiant.

Reverendissimis Paulo Anconitano, Eugenioque Ostiensi episcopis.

QUamvis contra nostram egeritis voluntatem, & Constantinopolim venientes, inquisita causa ecclesiæ pacis & unitatis, Romam reverti, nobisque omnia sub certa relatione debebatis referre. Et quia primam legationem vobis commissam idonee non peregistis, secundam vobis ideo committere non debebamus: tamen apostolicæ miserationis benignitate utentes, & in hac secunda legatione fideliter perficienda, vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri, familiarique nostro sociamus: quatenus ea, quæ pro pace & unitate ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundum [a] commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valde intuitu simul agatis; & ita definiatis, ut gratiam nostram, quam prius inobedienter agendo exasperastis, nunc fideliori devotione operando, placabilem habere possitis. Data mense Augusto, indictione duodecima.

Nota Severini Binii.

a *Commonitorii nostri.*) Commonitorium ipsum, cujus hic fit mentio, reperitur recitatum, sed a Photio falsatum, in actione secunda synodi Photianæ, octavæ mendaciter dictæ. Quod etsi non inveniatur inter Latine scriptas epistolas ipsius Joannis, ut ex autographo possit argui falsitatis; tamen ex multis aliis idipsum consequi facile possumus, ut patebit infra in notis concilii Romani sub Joanne VIII.

CCIV. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Significat se modo absolvere nolle Anspertum archiepiscopum, sed si in synodo crimina, quæ objiciebantur, diluerit, tunc eum excommunicatione absoluturum: ait se pro Ludovico imperatore in anniversario ejus die sacra facturum.

Dilectæ ac spiritali filiæ Angelbergæ imperatrici.

PIo affectu petitionis vestræ preces, quibus nos super absolutione excommunicationis Anspert Mediolanensis archiepiscopi precata es exaudire, secundum collatam nobis ligandi solvendique divinitus potestatem, non prætermitteremus: & maxime propter annuam commemorationem divæ memoriæ domini Ludovici, quondam imperatoris Augusti, quæ in proximo celebranda est. Sed quia synodali eum decreto pro suis negligentiis, & præsumptionibus, sicut ipsa bene cognoscis, excommunicavimus, absque eorumdem fratrum, & coepiscoporum nostrorum, cum quibus in eum excommunicationis sententiam promulgavimus, consensu & voluntate nunc absolvere nolumus; ne ab his, qui vel desiderio, vel negligentia ecclesiasticam disciplinam contemnunt, & multa non præsumenda præsumunt, cano-

canonicum parvipendatur judicium. Porro cum ad nominatam ſynodum, quam ſecundum ſacros canones Spiritu Dei conditos quarto Idus Octobris, Domino annuente, celebraturi erimus, vel ipſe venerit, vel e latere ſuo venerabiles confratres & coepiſcopos ſuos direxerit, qui nobis, & ſanctæ ſynodo de his, quæ illi objecta ſunt, idonee ſatisfaciant: tunc poſt veram ſatisfactionem, ab omni eum excommunicationis nexu proculdubio abſolvemus, & quaſi fratrem, & communiſtrum, in noſtræ communionis conſortio incunctanter habebimus: & ideo pro prædicta annua commemoratione ipſius domini & ſenioris veſtri ne turbemini, quod modo vos pro abſolutione præfati archiepiſcopi non audivimus. Nam in eodem die, quo ipſe de ſæculo migravit, pro animæ illius requie ſempiterna, ſacrificium erimus Domino oblaturi: etiam & pro anima Supponis fraterna moti compaſſione omnipotentem Dominum deprecamur, ut ſuorum abſolutionem valeat percipere delictorum.

Sacrificia, & orationes pro defunctis.

CCV. AD LANDULFUM ET LANDONEM.

Scribit Trajectum ſe iturum, & quæ paci eorum conducant, curaturum: ibique cum de aliis, tum de Landulfo Capuanæ eccleſiæ epiſcopo electo acturum.

Dilectis viris Landoni filio Landonis, & fratribus ejus, ſeu Landulfo filio Landenulfi, ejuſque germanis.

RECeptis atque perlectis literis veſtris, quas noſtro pontificio direxiſtis, quanta pace, & concordia vos poſt obitum Landulfi bonæ memoriæ Capuani epiſcopi, cum Pandenulfo conjunxiſſetis, & jusjurandum fraterno ac indiviſibili fœdere inter vos habito firmaſſetis, luce clarius novimus: ſed ſuadente humani generis inimico, & zizaniorum inter vos ſemina diffundente, omnem concordiam & unanimitatem, quæ inter vos divino reſpectu extiterat, videmus corruptam atque confuſam. Pro quo videlicet tantæ inimicitiæ malo, vobis jam literis noſtris per dominicum venerabilem epiſcopum noſtrum ad vos delatis, innoteſcentes, mandavimus quoniam Deo propitio, pro veſtrum omnium ſalute ac pace volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiſcum, & cum Guaiferio glorioſo principe, atque cum Capuanis, ceteriſque veſtratibus loqui, & ordinare primum ea quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria, veſtræque paci & utilitati proficua; quatenus totius diſcordiæ ſcandalo de medio veſtri ablato, & recepta Dei pace, quæ ſuperat omnem ſenſum, in fraterna dilectione, & in priſtina devotione omnes concordes, & unanimes manere valeatis: & tunc ſive de Landulfo venerabili presbytero, quem omnium Dei ſacerdotum, & judicum, ſeu totius Capuanæ plebis voto, parique conſenſu electum habetis, ſive de aliis neceſſariis cauſis, veſtram ſecundum ſacros canones adimplebimus voluntatem; & idcirco grave non videatur nobilitati veſtræ noſtrum, ut dictum eſt, ſpecialem præſtolari adventum.

Philip. 4.

CCVI. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Eadem quæ in ſuperiori: præterea arguit, quod contra Capuanos arma ſumpſerit, rogat ut mancoſos ſibi ab Amalfitanis reſtitui curet.

Dilecto filio Guaiferio glorioſo principi.

SIcut nobis literis veſtris mandaſtis, quod devotam circa nos amicitiam, & ſinceram conſervetis dilectionem, hoc multis jam evidentibus documentis luce clarius agnoſcimus & tenemus: unde & noſter apoſtolicus animus circa nobilitatem veſtram, utpote circa cariſſimum filium, benignus exiſtit, cupiens honorem, & gloriam veſtram ſemper immutilatam conſpicere & audire. De electo autem Landulfo, videlicet venerabili presbytero Capuanæ eccleſiæ, pro quo jam toties noſtro pontificio ſuggeſſiſtis, non aliquo malæ voluntatis affectu vos nunc uſque audire prætermiſimus, ſed ſola pacis veræ cauſa, & inter proximos augendæ dilectionis. Nam ſicut vobis nunc literis noſtris per Dominicum epiſcopum ad vos delatis mandavimus, cupimus, Deo propitio, pro veſtrum omnium ſalute, concordia, & unanimitate Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiſcum & cum Capuanis, ceteriſque veſtratibus loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria, & veſtræ paci, utilitatique proficua; & tunc ſive de præfato electo, ſive de aliis neceſſariis cauſis, veſtram adimplebimus voluntatem: quia veſtro ſagaci conſilio, communique conſenſu, quæ pro pace fraterna, & pro terræ noſtræ, ac veſtræ defenſione ſive Saracenorum perditione conſideranda & perficienda ſunt, peragere cupimus. Quapropter, ſicut nos veſtrum volumus deſiderium & honorem alacri mente implere, ita quoque & vos illa quæ noſtro apoſtolico culmini ſunt decentia, devota mente debetis peragere: quamvis in hoc reprehenſione non modica digni videamini, quod ſumptis armis contra Capuanos inter aſſiduas Paganorum perſecutiones conſiſtentes, perſequi & impugnare præſumpſeritis, antequam eorum culpas nobis veraciter cognitas feciſſetis. Porro de mancoſis, quos pro defenſione terræ S. Petri dedimus te præſente Amalfitanis; volumus ut eoſdem mancoſos ipſi Amalfitani deferant ſecum navigio uſque in portum urbis Romanæ, quoniam ſalvi & ſecuri ibi manebunt; & tunc accepta a nobis prius ſecuritatis ſponſione, ipſos nobis mancoſos reddere procurent: quatenus noſtra recipientibus nobis, nullam pro his de cetero patiantur calumniam.

CCVII. AD LEONEM EPISCOPUM.

Dolet Capuæ diſcordias eſſe excitatas: ſignificat ſe Trajectum iturum, ibique de Landulfo epiſcopo electo, cujus confirmationem petierat, acturum.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Leoni epiſcopo.

SAcerdotalem curam & ſolicitudinem, quam pro eccleſiæ Dei utilitate, populique concordia, & pace peragere procul dubio debent Domini ſacerdotes, literis tuis relectis, te luciflue habere cognoſcimus; dum Dei, proximique dilectione ſolicitus, doles Capuanos, nobiles ſcilicet viros, fraterno fœdere per jusjurandum inter

inter eos habito nequiter corrupto ad veram discordiam & inimicitiam perveniſſe; & adhuc in ea improvida mente conſiſtere, atque pro Landulfo venerabili presbytero, & electo a vobis, & omni ſacerdotali cœtu, nobiliumque caterva, cunctoque populo Capuanæ civitatis, pontificio noſtro ſupplicas, quatenus eum non differamus ſacræ plebi Capuanæ antiſtitem ordinare. Nos autem paſtorali ſolicitudine moti, vobiſcum ſimiliter condolemus fratres, & propinquos pro ſæculi cupiditate in tantam diſcordiæ & inimicitiæ voraginem demerſos; pro quibus ſane, Deo propitio, pacificandis, volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, & tibi cum Guaiferio principe, atque vobiſcum, & cum Capuanis, ceteriſque veſtratibus loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria; & tunc de ipſo electo veſtram ſecundum ſacros canones adimplebimus voluntatem: & idcirco grave non videatur dilectioni veſtræ noſtrum, ut dictum eſt, ſpecialem præſtolari adventum. *Unam talem Adelchiſi epiſcopo: & alteram Lupeno epiſcopo.*

CCVIII. AD LANDULFUM PRESBYTERUM.

Laudat eum, quod ad propinquorum ſuorum inſidias evitandas Capua fuerit egreſſus, & in diſcordiis ſedandis elaboret: ſignificat Trajectum ſe iturum, ibique de ejus electione deliberaturum.

Landulfo venerabili presbytero, & electo.

QUia diſcordantium parentum tuorum inſidias declinando, & ex urbe Capuana egrediendo, in antiqua ſanctæ eccleſiæ Capuanæ ſede, nomine videlicet S. Stephani protomartys refulgente, nunc habitare te aſſeris, atque cum vicinis epiſcopis aſſidue decertas, ut male diviſos adunare atque diſcordantes pacificare, Deo favente, poſſis, gratum recepimus. Quia & ante ſuſceptum officium ea quæ ſunt boni paſtoris peragis, in quo ſcilicet, ut perſeveres hortamur, uſque ad noſtrum ſpecialem adventum; quoniam, Deo propitio pro veſtrum omnium ſalute, concordia & pace, Kalendis Octobribus volumus Trajectum venire, ibique cum Guaiferio glorioſo principe, & cum aliis eximiis parentibus tuis loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria, veſtræque paci & utilitati proficua, & tunc provectionem tuam, ſecundum ſacros canones, omnibus pacificatis, peragere.

CCIX. AD PULCAREM PRÆFECTUM.

Arguit, quod nec fœdus cum Paganis ictum ruperit, nec ditionem ſancti Petri, ſicut promiſerat, defenderit: præcipit, ut pecuniam pro ea re datam ad ſe remittat.

Dilecto viro Pulcari præfecto.

PRo ſalute animæ tuæ, ac pro defenſione totius Chriſtianitatis, quæ te cum Paganis pactum habente, quotidie deprædatur, atque in diram ducitur captivitatem, multa tibi, & populo tuo, quæ poſtulaſti, fecimus bona. Inſuper decem millia mancoſorum argenti dedimus tibi, ut terram ſancti Petri rupto fœdere Paganorum defenderes; quod tu cum tuis per jusjurandum facere promiſiſti, ſed timore judicii Dei poſtpoſito, neque pactum iniquum diſrumpere voluiſti, neque propter jusjurandum litora noſtra defendere, ſed potius deprædari diabolico jam juri ſubjectus, permittis, & in animæ tuæ perditionem conſentis, oves pretioſo Chriſti cruore acquiſitas duci captivas. Et ideo dignum eſt, ut ipſos mancoſos, quos tibi pro defenſione terræ noſtræ dedimus, recipiamus. Quapropter volumus, ut eoſdem mancoſos per tuos fideles Amalfitanos uſque in portum urbis Romanæ nobis navigio venientes remandes; quoniam ipſi Amalfitani ſalvi & ſecuri ibi manebunt: & tunc accepta prius a nobis ſecuritatis ſponſione, præfatos mancoſos nobis reddere procurent; quatenus noſtra recipientes, nullam tibi, vel populo tuo inferamus calumniam. Nam & dromonibus noſtris præcepimus, ut nullo modo aliquam populo tuo faciant contrarietatem, ſi tamen nobis ipſos mancoſos ſalvos reddideris.

CCX. AD MONACHOS PULTARIENSIS COENOBII.

Dolet de eorum calamitatibus, & ſignificat ſe ipſorum cauſa Boſoni principi, atque Hugoni abbati ſcripſiſſe ut eos tutentur: exemplar etiam teſtamenti Gerardi fundatoris Anſegiſo archiepiſcopo, & Conrado comiti miſiſſe.

Sanctæ congregationi ſummi apoſtolorum principis Petri cœnobii noſtri Pultarienſis.

COgnoſcat pro certo fraternitas veſtra, nos relectis literis veſtris, pro tantis adverſitatibus, quas ab iniquis quotidie ſuſtinetis hominibus, valde triſtes exiſtere: quoniam ſicut de veſtra proſperitate gaudemus, ita quoque & de veſtra tribulatione triſtamur. Unde volentes ſanctam congregationem veſtram, ut pote dominicum gregem in ipſo apoſtolorum principe nobis commiſſum, ſalvam & quietam habere, direximus ſecundum petitionem veſtram noſtras apoſtelicas literas Boſoni glorioſo principi, & Hugoni nobiliſſimo abbati, petentes, quatenus pro Dei ſanctorumque apoſtolorum principum Petri ac Pauli amore, noſtraque dilectione, ſuæ defenſionis auxilium vobis impendant, & contra Dei atque omnes veſtros adverſarios manum ſuæ potentiæ extendant, ut quiete ac ſecuriter degentes, debitas Domino laudes perſolvere, ac pro nobis & omni populo Chriſtiano valeatis omnipotentem Dominum deprecari, & res ſancti noſtri monaſterii tranquilla mente diſponere, regere, ac ſecundum Dominum diſpenſare poſſitis. Porro exemplar ipſius teſtamenti, per quod Gerardus bonæ memoriæ comes, una cum Berta quondam conjuge ſua ipſas res principibus apoſtolorum Petro & Paulo tradidit, bulla nominis noſtri munitum, Anſegiſo archiepiſcopo, & Conrado comiti, in cujus comitatu ipſæ res continentur, per præſentem nuncium veſtrum direximus. Vos itaque videte, ſi de his omnibus adjuti fueritis, an non, & nobis renunciate, ut quali conſilio meliori potuerimus, vos libentiſſime adjuvare curemus. Fraternitatem veſtram orantem pro nobis Dominus dignetur conſervare incolumem.

CCXI. AD HUGONEM ABBATEM.
Ut monaſterium Pultarienſe tueatur.

Dilecto filio Hugoni nobiliſſimo abbati.

QUanta vos dilectione, quantoque noſtræ paternitatis quaſi unicum filium dilexerimus affectu, ex quo veſtram ſublimem cognovimus ſagacitatem, & gloriam, ipſi abundanter recolitis: quoniam & veſtra nos excellentia, veluti patrem ſpiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere illibato confiſi, monaſterium ſancti Petri, quod appellatur Pultarienſe, & Gerardus quondam comes de rebus ſuis perfecit, atque dotavit, & ſancto Petro tradidit, petimus ut veſtra in omnibus tuitione adjuvetur; quia fratres qui nunc in eo conſiſtunt, & ſedulas Deo laudes perſolvunt, orantes pro ſalute omnium in Chriſto credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omniſque illorum, imo noſtra familia crudeliter aſſidue vexatur & opprimitur. Ita ſane ut neque arare, neque cetera quæ ad terræ culturam pertinent, poſſit exercere. Quapropter & veſtrum auxilium eidem ſancto loco impendatis, & contra Dei atque ejus adverſarios manum veſtræ potentiæ, pro amore Dei, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtraque dilectione, extendatis, quatenus veſtro potenti brachio freti, ſalvi in omnibus & ſecuri conſiſtant: ut & in præſenti dignas a nobis retributiones, & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem cum ſanctis recipere.

CCXII. AD HUGONEM ET RADULFUM.

Quod Vendoaram villam ſancti Petri Pultarienſis nulli conceſſerit, & Arembertum, qui a Boſone eam accepit, excommunicari juſſerit, niſi ab ea abſtineat.

Hugoni & Radulpho dilectis fidelibus noſtris.

COgnoſcat pro certo fidelitas veſtra, quia nos ipſam villam noſtram Vendoaram, quam dicitis eſſe invaſam a Boſone comite, quaſi nos eam cum illo commutaſſemus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicujus commutationis tenore, neque alio quocumque modo, cum eodem Boſone, vel alio quocumque homine, dedimus, neque commutavimus. Ideo in fidelitate & ſervitio ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli devota mente permanentes, ipſam villam ſub noſtro jure tenentes, defendite, & cum Domini auxilio gubernate, nec alicui homini credatis nos aliquando præfatam villam quolibet modo daturos. Direximus vero, pro noſtro adjutorio ac defenſionis auxilio, literas noſtras jam dicto Boſoni comiti, ut pro amore Dei, & S. Petri, ac noſtro, & ſuos homines inde removeat; & ipſam villam nullatenus invadere, nec invaſam retinere præſumat: quin potius ſuo vos brachio tueatur, & ab omnibus erga vos male agentibus dignetur defendere, ſi gratiam Dei & principis apoſtolorum cupit habere. Arembertum autem vaſallum ejus, cui ipſam villam beneficio dederat, omni eccleſiaſtica communione per Iſaac venerabilem epiſcopum juſſimus eſſe privatum, ſi in eadem villa ulterius temere intrare, aut aliquam ibi contrarietatem facere præſumpſerit.

CCXIII. AD BOSONEM COMITEM.

Ut Arembertum & quoſvis alios a Vendoara villa removeat, eamque Pultarienſibus reſtituat, & monaſterium ipſum tueatur.

Dilecto filio Boſoni glorioſo principi.

QUanta vos dilectione, quantoque noſtræ paternitatis dilexerimus affectu ex eo quo veſtram ſublimem cognoverimus gloriam, ipſi abundanter recolitis, quoniam & veſtra nos excellentia, veluti patrem ſpiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere confiſi, ea quæ ſub jure ſanctorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli per totius Galliæ provincias immobilia loca conſiſtunt, cum hominibus, omnibuſque ſibi pertinentibus, ut veſtro potenti brachio defenſa manerent rogavimus, veſtroque auxilio ſecura conſiſterent, quod vos pro amore Dei & S. Petri, noſtroque honore, nobis libenter facere promiſiſtis. Nunc autem, ſicut audivimus, villam noſtram Vendoaram abſque noſtro conſenſu & voluntate occupatis, & uni veſtro vaſallo, nomine Aremberto, in beneficium dediſtis, &, ſi verum eſt, non bene, ſicut vos decebat, egiſtis. Ideo rogamus, fili cariſſime, celſitudinem tuam, ut propter amorem Domini, & S. Petri cæleſtis regni clavigeri, ipſam villam noſtris, qui ibidem reſident, hominibus ſub noſtro jure, ſicut nos eam ordinavimus, liceat habere ſecuriter: omneſque veſtros, vel alienos homines ab ejuſdem villæ habitatione vel dominatu removeatis; nec veſtris diebus aliquam a quocumque homine contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, ut monaſterium S. Petri, quod appellatur Pultarienſe, & Gerardus quondam comes de rebus ſuis perfecit, atque dotavit, & ſancto Petro tradidit, veſtra in omnibus tuitione adjuvetur: quia fratres qui in eo conſiſtunt, & ſedulas Deo laudes perſolvunt, orantes pro ſalute omnium in Chriſto credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omniſque illorum, imo noſtra familia crudeliter aſſidue vexatur & opprimitur, ita ſane ut neque arare, neque cetera, quæ ad terræ culturam pertinent, poſſit exercere. Quapropter & veſtrum auxilium eidem ſancto loco impendatis, & contra Dei atque ejus adverſarios manum veſtræ potentiæ, pro amore Dei, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtraque dilectione extendatis, quatenus veſtro potenti brachio freti, ſalvi in omnibus & ſecuri conſiſtant, ut & in præſenti dignas a nobis retributiones & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem recipere.

CCXIV. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Monet ut a moleſtiis deſiſtat, quas Capuanis inferebat: ſignificat ſe in ejus regiones iturum, & diſcordias ſedaturum.

Nobiliſſimo viro Guaiferio glorioſo principi.

RElatu quorumdam didicimus, quod ſuadente humani generis inimico, qui totius inimicitiæ, & mortis eſt auctor, cupiatis multiplicia damna, & adverſa inferre Capuanis, & propter diſcordiæ malum, quod ſæculi quotidie livore generatur, & inter propinquos, atque amicos accre-

crescit, cogitetis generale discrimen præbere, unde scilicet non modica turbatio his vestris in partibus oriatur, & longi temporis scandalum maneat. Et dum non desint extranei hostes, cum quibus assidue luctamen habeatis, vultis contrarietatis discrimina præbere propinquis, quos in auxilium vobis opportunum poteratis habere fautores. Nos idcirco, more paterno, vos quasi dilectum filium admonemus, & ex Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque apostolorum Petri & Pauli potestate prohibemus, ut non habeatis licentiam super præfatos Capuanos ire, neque aliquam illis contrarietatem inferre usque ad nostrum specialem adventum. Quoniam, Deo auxiliante, cum hujus æstivi temporis fervor transierit, pro omnium vestrum salute, concordia & unaminitate, has vestras in partes veniemus: quatenus, nobis præsentibus, omnis vis sopiatur, omneque scandalum, quod ex vipereo semine inter vos & illos accrevit, de medio vestri auferatur. Nos namque salutem vestram, ne in æternum pereatis, cupimus: & ideo volumus, ut ea, quæ pacis sunt, sectemini semper. Nam pro vestro cum venerimus amore, ipsum quem vultis Capuanæ plebi, Domino favente, antistitem ordinabimus, ut vester principalis honor indiminutus permaneat. Quod si forte aliter vos facere cognoverimus, scitote quia nostræ vos non habebimus communionis consortes.

CCXV. AD PANDENULFUM CASTALDUM.

Significat se Guaiferio scripsisse ut ab inferendo Capuanis damno desisteret.

Nobili viro Pandenulfo glorioso castaldo.

RElectis industriæ tuæ literis, quas per talem fidelem hominem tuum nobis mandasti, ea quæ nostro pontificio supplicare studuisti, apostolica dumtaxat benignitate audivimus, ac, prout ratio exigebat, partim complevimus: Direximus namque nostri apostolatus literas Guaiferio, & admonendo, increpando, atque excommunicando eum non habere licentiam ex Deo, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate permissum venire contra urbem Capuanam, neque aliquam in omnibus suburbanis, & finibus ejus contrarietatem inferre, nullasve moliri insidias, usquequo istas in partes, auxiliante Domino, post hujus æstivi temporis fervorem veniremus.

CCXVI. AD CAROLUM REGEM.

Scribit se literis eum, ut ad imperium promoveret, ad urbem advocasse, Ravenam usque ad eum processisse, speransque se auxilium ab eo adversus Romanæ ecclesiæ hostes recepturum: quæ spes ita eum frustrata est, ut nunquam hostes magis sævierint: petit ut ecclesiæ opem ferat, & dum iter parat, legatos ad se mittat; suosque legatos commendat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

QUod bene vestra regalis cognoscit sublimitas, a longo jam tempore vos pro utilitate & exaltatione sanctæ sedis apostolicæ matris vestræ ad culmen imperii, Deo propitio, volentes perducere, auctoritatis nostræ literis missis vocavimus, ac postmodum præ magnitudine amoris vestri, relicta nostra ecclesia inter sævas hostium non solum Paganorum, sed etiam malorum Christianorum manus, ad vos Ravennam pervenimus: quod nullus antecessorum nostrorum glorioſissimis progenitoribus vestris aliquando fecisse recolitur, sperantes scilicet omnem honorem, pristinumque vigorem sanctæ Romanæ ecclesiæ per vos ad augmentum perfectum perducere, atque inimicorum sanctæ Dei ecclesiæ, & nostrorum ferocem severitatem omni modo comprimere, facileque superare putabamus. Sed quia de his omnibus nihil apud magnitudinem vestram, ut volebamus, peregimus; revertentes prioribus pejora reperimus. Nam inimici nostri majori audacia elevati, non solum ea, quæ sancti Petri sunt, diripere, sed etiam homines nostros in sua potestate recolligere, & retinere non dubitant. Quapropter fili carissime pro certo scitote, quia nos vestrum honorem & gloriam toto conamine desideramus perficere: & ideo vos ea, quæ utilitati, & exaltationi sanctæ sedis apostolicæ proficua sunt, pio intuitu, menteque devota debetis peragere. Unde obnixe precamur, ut nobis dirigatis Luithbardum venerabilem episcopum, Manigoldum filium Adelberti, & Adelbertum protopincernam vestrum, qui, antequam vos has in partes veniendi iter sumatis, nos & sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam certificent, & ad vestrum honorem & gloriam placabiles, & lætos efficiant: quatenus Deo auxiliante, vobis venientibus Romam, unum de pactis, & privilegia sanctæ Romanæ ecclesiæ, more parentum vestrorum, renovare & confirmare studeatis: & petimus, ut de hoc, quod pro honore Dei, & sanctæ ecclesiæ, seu vestro vos facere monemus, aliquid inimicis nostris non credatis, neque his, qui magis ea quæ sua sunt, quam vestram gloriam quærunt, eo quod honor & exaltatio sanctæ Romanæ ecclesiæ vestra protectio est in omnibus; vestraque contra omnes inimicos defensio. Hos autem missos nostros, Marinum videlicet, venerabilem episcopum, & arcarium sedis nostræ, atque Petrum æque episcopum Senogalliensem vobis direximus, quos ut benigne recipiatis rogamus, & ea, quæ vobis verbo tenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Data *ut supra*.

CCXVII. AD EUMDEM.

Dolet se non posse cum eo colloqui. Arnulfum legatum ad eum mittit, petens ne Romanam ecclesiam ab hostibus lædi patiatur, ideoque ejus legatum cum Arnulfo ad se mitti jubet.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

AUdivimus quod debeatis nunc Alpes transire, atque cum carissimo fratre vestro communi eloquio frui: unde valde turbati existimus, eo quod secundum commune placitum sperabamus nos vobiscum simul convenire, & magnum ac proficuum opus exaltationis sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ, vestrique honoris, & totius terræ sancti Petri salutis peragere. Idcirco direximus vobis hunc carissimum nepotem nostrum Farulfum delicioſum consiliarum nostrum, per quem vestræ regali suggerimus magnificentiæ, ut nullo modo prætermittatis ita ordinare, atque disponere terram S. Petri: quatenus salva, & defensa non solum a Paganis, sed etiam a malis Christianis, quod ipsi procul dubio scitis, permaneat: donec, Deo auxiliante, revertentes ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ veniatis; quia si hoc

prætermiseritis, tanta undique adversa vix ferre valemus. Quapropter vestra regalis magnitudo prævideat, ne vestris diebus eadem ecclesia aliquam minuitatem patiatur, sed per vos magis augmentetur, quoniam ipsius augmentum vester est honor. Ideo petimus, ut cum præsente jam dicto nepote nostro idoneum e latere vestro nobis dirigatis legatum, qui ad salutem, & justitiam terræ nobiscum interim pariter & promptissime in omnibus, prout opus fuerit, desudet; ut & nos omnem vestrum honorem libentissime valeamus perficere: cui ea, quæ vobis dixerit, quasi nobismetipsis credere non dedignemini. Quamobrem rogamus, ut libenti animo hoc facere, & secundum promissum vestrum adimplere omnimodis satagatis: nam certos vos esse volumus, quia vestrum honorem, & gloriam tota mente desideramus perficere.

CCXVIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

Miratur, quod injuriis lacessitus ad se non confugerit: nuncium Ravenam mittit, qui omnia contra eum gesta diligenter inquirat, & eos, qui injuriam intulerant, Romam venire compellat; quibuscum ipse ad synodum proficiscatur, ubi ejus causa agetur: eumque arguit, quod in sua ecclesia non resideat.

Reverendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Ravenatis.

AUdientes tales vobis a quibusdam insidias, & injurias accidisse, mirati sumus, quomodo ad Romanæ ecclesiæ gremium, & ad nostram apostolicam non statim veneritis præsentiam; nam si venissetis, pro certo scire potestis, quia nos, diligenter inquisitis omnibus, omnem tuam causam ad optatum, & prosperum finem, Deo favente, omnimodo perduceremus. Nunc autem pro hujus rei causa missum prudentem dirigimus Ravennam, cui ea, quæ nobis mandastis contra te acta fuisse, diligenter inquirere jubemus, ut eos qui talia, ut asseritis, egerunt, sub fidejussore, talique legato obliget; quatenus ipsi de præsenti Romam compellantur venire. Quibus sane venientibus, volumus ut & vos pariter veniatis Kalendis Octobris, sicut tibi pro celebranda etiam synodo jam præceptum est, quia in præsentia nostra causam tuam volumus deliberare: quoniam nos, secundum datam nobis divinitus potestatem, more prædecessorum nostrorum vos adjuvare omnino curabimus; nam volumus ut honor sanctæ Ravennatis ecclesiæ semper indiminutus permaneat. In hoc tamen redarguendus es, quia dimissa ecclesia tua Ravennæ, per alienas ecclesias contra tuam sponsionem discurris, & resides: nam pro his quæ tibi evenisse dicis. Data *ut supra*.

Deest aliquid.

CCXIX. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ut Ticinensi episcopo, cui potestatem excommunicandi tribuerat, obediant.

Omnibus reverendissimis, & sanctissimis episcopis, seu eximiis marchionibus & Comitibus, cunctisque sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.

HAbentes omnium ecclesiarum Dei, secundum apostolum, solicitudinem, dignum duximus vestram industriam his apostolatus nostri literis admonere, atque apostolica benignitate magnopere exhortari; quatenus potentiæ munus, quod divina largitate habetis, utilitati ecclesiæ, & honori sacerdotali prodesse debeat semper. Quapropter reverentiam & honorem Sanctæ Ticinensi ecclesiæ quæ speciali quodam modo sedi apostolicæ pertinere videtur, ejusque antistiti Joanni videlicet consfratri nostro, cui vice nostra transgressores excommunicandos commisimus, eo videlicet tenore, ut quos ipse excommunicaverit, ipsi excommunicati existant, ut ei auxilium alacriter impendatis, monemus, nullam contrarietatem, vel invasionem in rebus, vel hominibus ipsius ecclesiæ quamlibet facere permittatis: quin potius vestro eos solatio tueri pro Dei, nostroque amore diligentissime studeatis; sed & clericos illius nemo vestrum in commendatione, aut sub alicujus defensionis obtentu, absque prædicti episcopi sui licentia recipere præsumat. Quod si contra hoc nostrum apostolicum statutum aliquis suorum clericorum agere tentaverit, ecclesiastica sit tam acceptor, quam acceptus communione privatus. Data *ut supra*.

CCXX. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Romam ad synodum veniat.

Reverendissimo & sanctissimo archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Ravennatis.

SIcut jam olim vestræ præcepimus reverentiæ, ut pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus quarto Idus Octobris Romam venientes, synodum pariter celebraremus; nunc iterato his apostolatus nostri literis fraternitati vestræ jubemus, ut omni mora, vel occasione postposita ad denominatam synodum, quam Deo auctore, in prædicto tempore celebraturi erimus in ecclesia beati Petri principis apostolorum, cum suffraganeis tuis episcopis occurrere nullatenus prætermittatis; quia nos omnium ecclesiarum Dei utilitati & exaltationi, sicut oportet, pari consensu & decreto more prædecessorum nostrorum consulere volumus. Et ideo vestram, secundum sacros canones unanimitatem adesse volumus; quatenus ecclesiæ Dei vigor, Christo favente, per synodalem censuram illibatus permaneat. Quapropter si in veniendo nunc aliquam moram, vel negligentiam admiseritis, scitote quoniam canonica vos redarguemus censura. Optamus sanctitatem tuam. *&c.* Data XI. An. C Kalendas Octobris, indictione XIII.

CCXXI. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Præcipit, ut in locum Ansperti archiepiscopi in Romana synodo privati alium a se consecrandum sufficiant: mittit legatos, qui una cum ipsis electioni interfint, quibus in omnibus obediri jubet.

Omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omni clero sanctæ ecclesiæ Mediolanensis.

DEo dilectæ unanimitati vestræ fraternitatis, carissimi, notum esse volumus, quia nos una cum sancta synodo Idibus Octobris in ecclesia beati Petri apostoli peracta; Ansperтum dudum archiepiscopum vestrum pro suis negligentiis, ac multiplicibus præsumptionibus, jam in priori synodo, post secundam & tertiam vacationem, atque post canonicas sibi datas inducias pro se satisfaciendo nolentem occurrere, virtute S. Spiritus

tus, & auctoritate SS. Petri ac Pauli apostolorum principum, & canonica, atque synodica sanctione episcopali honore privavimus: quia ante audientiam communicare pertinaciter præsumpsit, & ante legitimum suæ purgationis examen, ministerium sacrum contra statuta majorum temere agere non dubitavit. Et ideo præsenti vobis statuto jubemus, ut omnes uno animo, unoque voto convenientes, atque convocantes pastores, vel populum civitatis, de electione alterius, qui de cardinalibus presbyteris, aut diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio, ad archiepiscopatus honorem promoveatis: quo scilicet decreto solenniter facto, atque ad hanc urbem transmisso, ne antea quislibet episcoporum aliquem ibidem ordinare præsumat, antequam nobis omnia fuerint renunciata, cum, Deo favente, nos ibi secundum morem pristinum, & secundum regiam concessionem, velimus archiepiscopum consecrare. Nam si aliter præsumpseritis, ecclesiastica vos communione privabimus; & qui contra hoc nostrum statutum fecerint, apostolico judicio erunt omnino correpti. Sane reverendissimos fratres & coepiscopos nostros Joannem Ticinensem, & Weltonem Ariminensem illuc vice nostra dirigimus, qui vobiscum pariter eamdem electionem faciant; quos nemo vestrum impedire le aliquo præsumat, si quidem justum fore cernitis, ut nobis in omnibus obedire procuret: cui quisquis hoc superbiendo resistens agere tentaverit, a Christianorum collegio separatus erit. * Et quia nondum a vinculis ex communicationis absolutus in Vercellensi ecclesia episcopum enormiter, ac pervicaciter ordinare, contra regiam etiam voluntatem præsumpsit. Data *ut supra*.

* verius randa ur.

CCXXII. AD CAROLUM REGEM.

Significat Anspertum dudum archiepiscopum Mediolanensem in Romana synodo privatum, ac Josephum, quem ille in Vercellensi episcopum ordinaverat, depositum: rogat ut Conspertum in Vercellensi ecclesia episcopum a se consecratum tueatur.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

REgiæ magnitudini vestræ notum esse volumus, fili carissime, quia Anspertum Mediolanensem archiepiscopum, in prima quidem synodo in ecclesia beati Petri apostoli habita pro suis evidentissimis negligentiis, & præsumptionibus, una cum reverendissimo episcoporum cœtu regulariter excommunicavimus: sed mentem suam in superbiam erigens, non solum pro perpetratis veniam humiliter non quæsivit; verum etiam ante audientiam, & nostram apostolicam absolutionem, sacrum præsumpsit ministerium celebrare, atque contra sacro canones, contraque regiam, & nostram apostolicam voluntatem, episcopum in Vercellensi ecclesia enormiter consecrare præsumpsit. Pro quibus videlicet tantæ temeritatis præsumptionibus, & ipsum Anspertum dudum archiepiscopum in ea, quæ nuper acta est synodo, omni episcopali honore privavimus, & eum, quem illicite ordinavit episcopum, decrevimus synodali judicio depositum esse ab ordine episcopatus: intuitu tamen misericordiæ in pristinum quo erat antea gradum reverti. Porro nos, secundum voluntatem, & petitionem dilecti filii nostri Carolomanni glorioli regis hunc Conspertum reverendissimum, de quo jam olim vobis per vestrum fidelem missum innotuimus, in eadem Vercellensi ecclesia, consentientibus omnibus comprovincialibus episcopis antistitem consecravimus, quem petimus obnixe, ut pro amore Dei, & sancti Petri, ac nostro, vestræ potentiæ brachio tueamini, &, prout ei opus fuerit, dignum semper in omnibus præbeatis solatium. Regalem excellentiam vestram Dominus conservet incolumem, carissime fili. Data *ut supra*.

CCXXIII. AD VERCELLENSES.

Præcipit ut Conspertum a se illis episcopum constitutum recipiant, & congruo honore colant. Josephi invasoris acta nulla esse declarat.

Omnibus presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omni clero, ac primatis, omnique populo Vercellensi.

HIs nostris apostolicis literis vobis cognitum facimus, quia Anspertum dudum archiepiscopum Mediolanensem pro suis multis præsumprionibus & negligentiis jam olim una cum sancta synodo sacra communione privavimus: sed ipse contra canonica statuta, & contra nostrum apostolicum synodicumque judicium agens, ante audientiam, & absolutionem ministerium sacrum agere, atque adhuc excommunicatus in hac Vercellensi ecclesia vestra, quemdam virum Joseph nomine, ut audimus, contra regiam & nostram apostolicam voluntatem, episcopum ordinare temere præsumpsit. Ideo & eumdem arhiepiscopum, & hunc ipsum Joseph invasorem, ac præsumptorem, non intrantem per ostium, sed aliunde quasi furem ingredientem in ovile Domini, cum virtute sancti Spiritus, & auctoritate beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum, nostroque apostolico judicio una cum synodali cœtu reverendissimorum episcoporum omni episcopali honore decrevimus esse privatos & alienos: tamen intuitu misericordiæ, decreto synodali statuimus, jam fatum Joseph invasorem ecclesiæ vestræ, de ordine episcopali dejectum in gradum & ordinem, quo prius extitit, omnimodo reverti. Nam cum prædictus Anspertus dudum Mediolanensis archiepiscopus esset regulariter excommunicatus, aliquam vel minimorum in ecclesia Dei consecrationem graduum facere nullo modo potuit: quia quod non habuit, dare profecto nequivit. Quare omnium vestrum cognoscat sagacitas, & laudanda fidelitas; quoniam dilectus, ac spiritalis filius noster Carolomannus glorioſus rex istius Italici regni, ipsum Vercellensem episcopatum, more præcessorum suorum regum, & imperatorum, concessit huic Conserto viro nobilissimo, præsentibus missis nostris, nostramque apostolicam clementiam suis est literis deprecatus, ut eum vobis episcopum consecraremus. Nos autem ejus precibus inclinati, nolentes vos diu sine proprii ac legitimi esse cura pastoris, hunc ipsum sanctæ Vercellensi ecclesiæ vestræ apostolica dumtaxat auctoritate episcopum consecravimus, dedimusque vobis pro invasore illo istum pastorem, pro mercenario ignavo providum satis rectorem, qui scilicet nostris vos apostolicis doctrinis admonitus, quasi populum Domini sibi commissum more veri pastoris pabulo vitæ perpetuæque salutis pascere, atque in virga æquitatis & mansuetudinis regere vigilanti semper cura & solicitudine solerter procuret. Quem itaque vos omnes uno voto, & pio affectu quasi patrem, & rectorem animarum vestrarum, utpote carissimi filii, ut recipiatis præsenti statuto nostro jubemus; & abjecto ac reprobato supradicto invasore,

sore, hunc, quem ordinavimus vobis, habetote episcopum. Nam magna vos laude dignos fore videmini, quod de beati Petri apostoli consecratione meruistis habere antistitem: & hoc in augmentum honoris ecclesiæ Vercellensis sine dubio proveniet, si vos devota mente nostris obtemperatis præceptis. Nos enim vestram cupientes salutem, ideo monemus, ut mente & corpore salvi esse possitis. Jubemus etiam omnes scripturas, vel dationes cujuscumque tenoris, quas fecit de plebibus, casalibus, & villis ipsius ecclesiæ Vercellensis, nullam habere firmitatem; sed omnia quæ fecit, esse judicamus vacua & inania, quia legitimus ipse non fuit episcopus, & ideo quippiam dare non potuit; eum vero, qui ex his, quæ fecit, aliquid firmum esse dixerit, Ananiæ & Sapphiræ anathemate feriendum fore censemus. Nam si cujuslibet consilio, vel hortatu, aliter facere, non de præsenti ipsum invasorem abjicere studueritis, atque hunc, quem nos consecravimus vobis, alacri cum voluntate non receperitis, omni ecclesiastica vos communione privabimus, dignoque anathemate feriemus. Data *ut supra*.

Act. 5.

CCXXIV. AD NOTINGUM NOVARIENSEM EPISCOPUM.

Monet, ut res Angelbergæ restituat; sin minus, denunciat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.

Notingo Novariensi episcopo.

AUdivimus te res spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ injuste tenere, quas volumus, & apostolica auctoritate præcipimus, ut continuo reddere studeas: & quod tibi retinere debere nulla lege conceditur, sub omni celeritate dimittas, ut ei, cui pertinere videtur, his perfrui modis omnibus liceat. Nam si continuo præfatas res non reddideris, monemus, & apostolica auctoritate præcipimus, ut intra spatium duorum mensium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, & coram nobis congruam satisfactionem exhibeas: alioquin tamdiu excommunicatus existas, quamdiu huic nostræ commonitioni obtemperans, hæc quæ statuimus adimplere procures. Data XIV. Kalendas Novembris, indictione XIII.

CCXXV. AD AMALFITANOS.

Significat se eos excommunicasse, donec se a Paganis separent: minatur illis alias pœnas, nisi quamprimum pareant.

Reverendissimo & sanctissimo Petro episcopo, seu Pulcari præfectorio, atque universo populo Amalfitano.

NOtum esse volumus dilectioni & unanimitati vestræ quia contra divina statuta, & nostra apostolica monita, quibus vos frequenter monuimus, & ex auctoritate Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli præcepimus, ut nullum cum impia Sarracenorum gente pactum haberetis, habitumque omnimodo rumperetis, in tali scelere, & in consortio inimicorum Dei manere non formidatis: virtute sancti Spiritus, & auctoritate sancti Petri, cui ligandi & solvendi in cælo, & in terra a domino est concessa potestas, omni sacra communione, sancto videlicet corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, vos una cum totius apostolicæ sedis consensu privavimus, & ab ecclesiæ Dei societate separavimus, ut in eadem excommunicatione maneatis, donec resipiscentes ab impia vos Paganorum præda separetis: & nisi puro corde, & devota voluntate citius fueritis conversi ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, majoris damnationis sententia vos procul dubio feriemus. Vestram denique nos salutem quærimus, vestras cupimus in conspectu Domini animas apostolica benignitate salvare, & quasi oves dominicas ad pascua salutis æternæ desideramus perducere: si tamen bonis operibus dediti nostra solatia, voluntatem, jussionem & admonitionem studueritis perficere, & in tali placito nequitiæ contempseritis manere. Optamus vos in Christo bene valere. Die XXIV. mensis Octobris, indictione XIII.

Matth. 16.

CCXXVI. AD THEODORICUM, HEODICIUM, &c.

Ostendit mulierem, quæ vi, minisque coacta religiosum habitum susceperat, ad vota servanda non teneri; hujus tamen causam illis definiendam committit. Quod si qua oriatur difficultas, eos vel eorum legatos cum ipsa muliere ad se venire jubet.

Theodorico Teatio, Heodicio Firmano, Joanni Aprutiensi, & Helmoino Pinnensi episcopis.

QUædam vestrarum diœceseon femina, nomine Theoderona de Vivelata, relicta quondam Tresigii, sedem apostolicam, nostrumque simul pontificium adiens, questa est nobis, quod viro suo defuncto, velamen sibi sacri habitus ab ejusdem viri sui fratris dumtaxat germani vi, non scilicet dilectione vitæ spiritualis, sed ambitione prædiorum ducti, impositum fuerit, & ipsa plurimum renitens contra propriam sponsionem pollicitationem, expetitionem, electionem, propositum, votum, atque spontaneum judicium sine benedictione sacerdotis idem velamen susceperit. Cujus professionem coram coepiscopis & fratribus nostris conferentes, inquisivimus etiam idoneos viros Opteramum, Scattoimum, Erfemarium, Amedeum & Cerisium, vicinos scilicet ipsius fœminæ, qui casu præsentes aderant, utrum se ita res haberet, an non. Sed illi non solum ita fuisse testificati sunt, verum etiam parati extiterunt omnem super hanc causam satisfactionem præmittere. Nos igitur habentes eumdem quem & patres nostri spiritum fidei, & per gratiam Christi, zelum justitiæ, eadem super legitime velatis quæ & illi sentimus, eademque omnino decernimus; & quod non propria voluntate, non arbitrio, non voto, non expetitu, vel spontaneo judicio, quin potius coacte admittitur, cassandum esse sancimus: præcipue cum hæc eadem fœmina non nisi minis perterrita, plus minus diebus XV. idem velamen gestasse se dixerit, & nullo sacerdote benedictionem tribuente hoc violenter suceperit. Quod licet ad hujus absolutionem sufficere posse speremus: quia si ita est, totius violentiæ ac necessitatis vinculis absoluta, suum licenter & impune sequi debet arbitrium, & quod non elegit, ut perferat, non est cogenda: tamen sanctitati vestræ committimus, ut in unum convenientes, ipsius fœminæ causam secundum Deum discutiatis, & omnem super hac querimonia veritatem subtili indagatione reperientes, ad liquidum finiatis. Verumtamen dignum non esse sancimus, ut jugum, cui non suo proposito mota, sed ambitione & violentia oppressa sub-

Gregor. lib. 5. 67. Anasta. subacta est, portare cogatur: quia & sanctus papa Gregorius in epistola ad * Athanasium presbyterum Isauriæ, inter cetera ita refert: Quamquam ea quæ vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, & jure habeantur infirma: quia ipse ea dissolvit, qui injustum fateri compellit, sed magis illa est suscipienda & amplectenda confessio, quæ ex spontanea monstratur voluntate procedere. Et rursus scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi*: & alias: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*. Porro jam fato Joanni reverendo Aprutiensi antistiti etiam verbis injunximus, ut ascita vestra fraternitate, omne de hac re negotium vobiscum pariter ventilet, & canonice, sicut prædiximus, diffinire procuret. Super quo, si aliqua ambiguitas fortassis emerserit, tunc jubemus, ut aut vos, aut vestri legati vices vestras agentes, cum eadem fœmina nostris præsentialiter obtutibus præsententur, ut coram nobis jam diligentius omnis rei veritas inquiratur, & æquitatis regula terminetur. Postremo, si præfatæ fœminæ aliquod invidiose objectum crimen quoquomodo fuerit, vos Deo præ oculis habito, hoc non admittatis; & si accusator illius in sua obstinatione permanserit, tam accusata, quam accusator in nostram cum vestris pariter missis accelerent properare præsentiam. Verumtamen, si accusator ejus defuerit, jam illa crimine illo coram nobis veniens non tenebitur, secundum Carthaginensis concilii nonum decimum capitulum, ita inquiens: Accusator ejus si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur: restituto in communione accusato, ipse removeatur a communione accusator. Data XII. Kalendas Decembris, indictione XIII.

52. 118. 1. Carcap. 7. h. 879.

CCXXVII. AD ATHANASIUM, PULCAREM, &c.

Præcipit ut fœdus cum Sarracenis ictum rumpant, quod nisi Kalendis Decembris fecerint, eis excommunicationem minatur. Pulcarem monet, ne Pandenulfo Capuano judici molestiam inferat.

Athanasio episcopo Neapolitano, Petro episcopo, seu Pulcari præfectorio Amalfitano, episcopo, Cajetano, seu Decibili, & Joanni glorioſis hypatis, a paribus.

PUdet, ut ita dixerim, pontificium nostrum vos jam commonere super hoc, quod tam multoties a nobis commoniti resipiscere noluistis, & cum Deo odibilibus Sarracenis habitum pactum dissolvere hactenus contempsistis. Verum quia quanta crudelitatum genera, ac desolationum terræ istius calamitatum nimis ex hoc mala lugenda provenerint, atque proveniant, exaggerare differimus, ne interim, quod dignum est, judicare cogamur. Adhuc obsecramus, adhuc sicut spiritales filios exhortamur, & paternis visceribus vos amplecti conantes, Dei, ac principum apostolorum Petri ac Pauli auctoritate præcipimus, ut jamjamque disciplinam percipientes, ab eisdem iniquis, & ancillæ filiis Sarracenis vos separetis, & pactum cum eis habitum modis omnibus dissolvatis, si vel nostræ communionis, vel ipsius Christianitatis vultis esse participes; in quos jam daremus ecclesiastici mucronis sententiam, nisi nos apostolica patientia retineret. Idcirco vobis inducias usque Kalendas Decembrias istius tertiædecimæ indictionis ad idem pactum cum Sarracenis frangendum largimur, & tam vos, quam Cajetanos atque Amalfitanos lucrari volentes, si usque ad idem tempus omnem Sarracenorum amicitiam, nec non & omne fœdus dissolvere solito contempseritis, utrosque sententiæ ecclesiasticæ jaculis feriemus, & perpetuo anathemati submittemus, ut qui socii disciplinæ esse non vultis, communionis quoque nostræ non sitis participes. *Hoc addendum est in epistola ad Pulcarem.*

Postremo nobilitatem tuam monemus, ut Pandenulfo judici Capuano in nullo molestus existas; & quod nobis ipse devotus est, tu ei devotione & amicitia copulatus, in quo posse tibi fuerit, contra adversitates illius te murum opponas; quatenus patris illius, qui proprio genitore salvando suffigiit, reminiscens pro utriusque amore, si de nobis tibi cura est, ipsius Pandenulfi profectibus potius hæreas, quam obviare quoquomodo videaris.

CCXXVIII. AD HELMOINUM EPISCOPUM PENNENSEM.

Arguit quod ad synodum non accesserit: jubet statuta die ad se venire, & interim quemdam absolvere, quem injuste excommunicaverat.

Reverendissimo & sanctissimo Helmoino episcopo Pennensi.

SEcundum sacros venerabilium patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, pro ecclesiasticis dumtaxat necessitatibus, atque utilitatibus ad eas, quas nuper statutis diebus celebravimus synodos, missis ex more auctoritatis nostræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus: sed quia ceteris devote valde venientibus, te minime venisse, neque excusationem tuam in tractoria regulari tenore conscriptam nobis & sanctæ synodo, causa videlicet temeritatis, & inobedientiæ, ut etiam evidenter apparet, non direxisse comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriisse videamur, hoc nostro apostolatus statuto jubemus, eam infra octavum diem Decembris mensis, sine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, nostrisque se obtutibus præsentare. Nam & Oteramus filius * qui Corvini cum aliis suis concivibus, nostris apostolicis, coram venerabili episcoporum cœtu super te questus est, auribus, quod dum a te ipse impetitus ecclesiastice de contemptione, post præstito sacramento, se cum suis sacramentariis purgasset, tua eum fraternitas, sicut professus est, quasi perjurum excommunicaverit; regula canonica præcipiente, quod hanc episcopus sibi cognitionem nullo modo debeat vindicare, Dominoque dicente ad Moysen, ad unius testimonium neminem condemnari oportere. Quod si ita est, quia temere illum excommunicare non debuisti, præcipimus, ut eum de præsenti absolvas, tuæque communioni restituas: nam si ausu improbo aliter feceris, nos quidem eum auctoritate apostolica procul dubio absolutum esse jubemus. Et si hanc jussionem nostram parvipendens, temerario ausu præsentiæ nostræ adesse contempseris, ecclesiastica te communione, velut inobedientem esse noveris privandum; quousque pro tuis negligentiis dignam veniens nobis satisfactionem humiliter feceris. Data XIII. Kalendas Decembris.

* Forte, quondam

CCXXIX.

CCXXIX. AD ARPALDUM EPISCOPUM ASCULANUM.

Arguit quod ad ſynodum non venerit: jubet ad ſe venire, ut iis, quæ a ſuis clericis objiciebantur, reſpondeat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Arpaldo epiſcopo Aſculano.

SEcundum ſacros venerabilium patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, pro eccleſiaſticis dumtaxat neceſſitatibus ad eas quas nuper ſtatutis diebus celebravimus ſynodos, miſſis ex more auctoritatis noſtræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus. Sed quia ceteris devote valde venientibus, te minime veniſſe, cum etiam & auditu didiceris nos ſynodum celebrare, neque excuſationem tuam regulari tenore in tractoria conſcriptam, nobis & ſanctæ ſynodo, cauſa temeritatis, & inobedientiæ tuæ, ut evidenter apparet, non direxiſſe comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiſcuſſam præteriiſſe videamur, hoc noſtræ auctoritatis ſtatuto jubemus, eam de præſenti ſine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, noſtriſque ſe obtutibus præſentare. Nam & clerici tuæ nos eccleſiæ adierunt, reclamantes, multa ſe a tua perpeſſos fraternitate enormiter adverſa, & contra regulam eccleſiaſticam injuſte fore oppreſſos; quorum videlicet objectionibus coram noſtro præſulatu aſſiſtentem te oportet procul dubio reſpondere. Et ideo hac juſſione noſtra percepta occurrere ſtudeas, antequam eccleſia tua majus ſchiſma, vel ſcandalum patiatur: quoniam ſi venire jam modo contempſeris, dignam excommunicationis a ſede apoſtolica prolatam ſuſtinebis omnino cenſuram. Data VIII. Kalendas Decembris.

CCXXX. AD CAROLUM REGEM.

Miratur, quod cum Papiam venerit, ubi ſimul convenire debebant, legatos ad ſe non miſerit: petit illos deſtinet, ut ſe ad eum conferre poſſit.

Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.

SIcut noſtro præſulatui veſtris jam olim regalibus direxiſtis apicibus, ut his Kalendis Novembribus jam tranſactis, vobis Papiam obviam venire deberemus: quatenus communi ſimul tractatu ea quæ ſanctæ eccleſiæ Dei utilia ſunt, & regni ſtabilitati proficua, pariter conſideraſſemus, ſtabilitateque perpetua firmaſſemus; hoc quidem avida extunc perficere mente parati exiſtimus: ſed quia vos in Italiam introiſſe audimus, valde mirati ſumus, quamobrem veſtrum nobis adventum, per excellentiæ veſtræ mellifluos apices, & idoneos legatos, cognitum minime feceritis; nam paterno vos affectu diligentes, ſpeciali dumtaxat intuitu magnitudinem veſtram cernere deſideramus, filiorum cariſſime. Nunc itaque, ſi omnino verum eſt jam Papiam veniſſe, volumus ut eximios ex latere veſtro nobis dirigatis legatos, honorificas ſedi apoſtolicæ literas deferentes: quibus videlicet perſpectis, ad veſtram properare ſerenitatem, communeque colloquium indubitanter valeamus: quia cum, Deo propitio, vobiſcum fuerimus conjuncti, omnia quæ ad exaltationem ſanctæ ſedis apoſtolicæ matris veſtræ, & ad veſtrum ac noſtrum videntur pertinere honorem, Deo favente, facile poterimus perficere. Pro quibus vobis, & in hoc ſæculo gloria multipliciter augeatur a Domino, & in cæleſti poſtmodum regione merces perpetua procul dubio tribuetur. Data *ut ſupra*.

CCXXXI. AD EUMDEM.

Gratias agit, quod eum a ſe fuerit Conſpertus eccleſiæ Vercellenſis epiſcopus ordinatus, ejus ordinationi libenter acquieverit: ſe excuſat, quod Anſpertum archiepiſcopum Mediolanenſem ejus precibus non abſolvat.

Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo ac excellentiſſimo regi.

MUltiplices gratias veſtræ referimus magnitudini, quia pro Vercellenſi epiſcopatu, in quo nos Conſpertum una cum ſynodi decreto epiſcopum ordinavimus, noſtram libenter perfeciſtis voluntatem. De cetero autem, hoc eſt Mediolanenſi archiepiſcopatu, o fili cariſſime, ſicut nobis nunc mandaſti, ut Anſpertum archiepiſcopum, quem in ſynodo pro nonnullis ſuis negligentiis & præſumptionibus judicavimus, reconciliare deberemus. Quod quidem nos pro veſtro amore alacri mente omnimodo perficeremus, ſi ſententia damnationis, quam in eumdem archiepiſcopum protulimus, ſub tenore aliquo non fuiſſet prolata. Dictum eſt enim, tamdiu eum fore ab honore & miniſterio ſacerdotali ſuſpenſum, donec, auctore Deo, ſuam ſpecialem nobis ad ſatisfaciendum exhiberet præſentiam. Et quia eccleſiæ Dei privilegium nos decet immutilatum ſolenniter conſervare, ne in aliquo patrum terminos præterire videamur, contra ſtatuta majorum agere nequivimus. Unde benignitatis veſtræ excellentiam paterno affectu monemus, ut ob hoc quod irreprehenſibiliter agere non poſſumus, nullo modo turbemini: quoniam veſtram in omnibus cupimus pro honore perficere voluntatem. Data *ut ſupra*.

CCXXXII. AD PAULUM EPISCOPUM.

Jubet eccleſiam in villa Carpana ſitam reſtitui, ibique ſacerdotem conſtitui, & ſacrum chriſma annuatim in eamdem mitti.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Paulo epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Regienſis.

DIlectioni tuæ venerandis ſanctorum patrum regulis edoctæ mandamus, atque his præſulatus noſtri literis jubemus, ut eccleſiam Dei poſitam in villa Carpana, jam nuper incendio crematam reſtaures, atque in priſtinum decorem, & ordinem reſtituere nullatenus prætermittas, atque ſub proprii cura ſacerdotis eam conſtituas, qui ſedulas ibi Domino laudes quotidie perſolvat, ac pro ſalute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, ſacrumque illic, Deo propitio, annue chriſma mittere indeſinenter procures; quod eſt totius Chriſtianitatis ſalus, & perfectio vera. Nam ſi forte aliter feceris, nos ex apoſtolica auctoritate alteri epiſcopo præfatam eccleſiam ad reſtaurandum, & canonice ordinandum procul dubio committemus. Data XIII. Kalendas Decembris.

CCXXXIII. AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Præcipit, ut ecclesiam in Carpana villa sitam, quam Paulus Regiensis episcopus reficere neglexerat, restituat, ibique sacerdotem proprium constituat, & sacrum chrisma annuatim mittat.

Reverendissimo & sanctissimo Joanni episcopo Ticinensi, dilectoque confratri.

QUia Paulus Regiensis ecclesiæ episcopus, & canonicis admonitus institutis, & nostris apostolicis præceptionibus exhortatus, ut ecclesiam Dei positam in villa, quæ dicitur Carpana, igne crematam restaurare, ibique suum, secundum jus ecclesiasticum, omne officium, vel ministerium rite peragere debuisset, temere contempsit, nostræque salubri præceptioni obedire contempsit, nec debitum in hoc Deo nostro reddidisse videtur honorem. Præcipientes igitur ex apostolica auctoritate dilectionis tuæ jubemus, ut de præsenti, & absque omni protelatione ipsam ecclesiam restituas in pristinum decorem & ordinem, atque sub proprii cura sacerdotis eam constituas, qui sedulas ibi Domino laudes quotidie persolvat, ac pro salute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, sacrumque illic, Deo propitio, annue chrisma mittere in definenter procures, quod est totius Christianitatis salus, & perfectio vera. Data *ut supra*.

CCXXXIV. AD EGILBERTUM EPISCOPUM.

Arguit eum, quod cum excommunicatis a sede apostolica communicarit: jubet, ne cum Liutfredo & Odebrico excommunicatis communicet.

Reverendissimo & sanctissimo Egilberto episcopo.

Ps. 4. BEatissimi apostoli præcepto jubemur deponere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis: propter quod dilectionem tuam audientes cum eis, qui a sede apostolica, in qua beatorum Petri ac Pauli semper auctoritas vivit, pro suis manifestis sceleribus excommunicati merito existunt, contra jus ecclesiasticum ante audientiam, & veram in reddendo satisfactionem, communicare, non mediocri animi dolore turbati existimus; cum idem *1 Ep. 2.* de talibus cavendis doctor egregius dicat: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo.* Hinc etiam & coapostolus ejus Joannes, hujusmodi nec Ave *Jan. 1.* dicendum concedit: *Si quis*, inquiens, *venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in Domino, nec Ave ei dicite. Qui enim dixerit ei, Ave, communicat operibus illius malignis.* Item beatus Clemens Jacobo fratri Domini scribens, ita de se apostolum Petrum populum admonuisse commemorat: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse; quibus videlicet salubribus exemplis, & canonicis etiam institutis edocti, ne simul pariter cum eis excommunicatus existas, ex apostolica tibi auctoritate jubemus, ut nullam deinceps cum Liutfredo, & Odebrico a nobis regulariter excommunicatis, vel in communi eloquio communionem habere præsumas: si debitam in te non vis provenire sententiam, * sane ut infra dies triginta post hujus nostræ apostolicæ epistolæ denunciationem, reddant ipsi omnia eidem dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, quæ violenter, ac fraudulenter auferre præsumpserunt. * *f.* cave.

CCXXXV. EGIFREDO, SUPPONI, &c.

Rogat ut bonorum Angelbergæ imperatricis curam sustineant.

Nobilissimis viris dilectis filiis Egifredo, Supponi, Eripaldo, Berardo Bonifacii filio, & Cotephredo glorioſis comitibus.

SCientes profecto ea, quæ sagacitati vestræ committimus, vos pro amore Dei, & sanctorum principum reverentia, nostraque dilectione, pio mentis affectu perficere: ideo pro parte dilectissimæ, ac spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ his apostolatus nostri literis gloriam vestram magnopere deprecamur, ut omnium rerum ejus ubicumque consistentium curam & solicitudinem maximam habeatis: quatenus vestro prudenti consilio, ingentique solatio ejus omnia salva & indiminuta, secura & defensa consistant; ita sane ut nulli easdem res invadere, ac deprædare sinatis. Quia & nos eum, qui facere, vel favere facienti præsumpserit, spiritali procul dubio gladio feriemus: quatenus ex hoc, & nos secundum collatum nobis divinitus apostolicum magisterium, dignas, atque multiplices nobilitati vestræ gratias habeamus, benedicentes vobis omni benedictione spirituali in Christo Jesu Domino nostro, & vestræ fidei laudabilis rumor per ora fidelium semper ubique resonet ad augmentum vestræ perpetuæ remunerationis Data *ut supra*.

CCXXXVI. AD TEUTMARUM ARCHIEPISCOPUM.

Miratur eum morari, & ad se non venire; monet, ut statim veniat.

Reverendissimo & sanctissimo Teutmaro archiepiscopo dilecto confratri nostro.

SIcut nobis dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus glorioſus rex suis regiis direxit apicibus, ut vos ad nostram apostolicam venire debuissetis præsentiam, vestrum quotidie præstolantes adventum miramur cur tantum moremini: nos enim almitatis & prudentiæ vestræ favore repleti, fraternitatem vestram pio cupimus jam contemplari intuitu. Unde his nostris apostolicis literis vos monemus, & exhortamur, ut libenti ad nos animo properare omnimodis studeatis: quatenus una vobiscum ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ utilia sunt prout necesse fuerit, pariter ordinare valeamus. Data *ut supra*.

CCXXXVII. AD ANTONIUM EPISCOPUM ET BERENGARIUM. comitem

Liutfredum comitem, quia monialem, quæ e monaſterio effugerat, ſuſcepit, & bona Angelbergæ imperatricis diripuit, excommunicat, niſi ſtatuto tempore ſatisfecerit; monet ne quiſquam cum eo communicet.

Reverendiſſimo Antonio epiſcopo Brixienſi, & nobiliſſimo viro, dilectoque filio Berengario glorioſo comiti.

QUia dilectus ac ſpiritalis filius noſter Caro- B lomannus glorioſus rex ſuis regalibus literis, & miſſorum noſtrorum verbo, noſtro præſulatui pio mentis affectu commiſit, ut nos curam hujus Italici regni haberemus, tam pro divinitus nobis commiſſa paſtorali ſolicitudine omnium Chriſti ovium, quam etiam pro præfati regis vice cura conceſſa, illa quæ contra Deum, & jura legis alicubi cognoſcimus præſumptione commiſſa, omni volumus conamine compeſcere, & unam ovem morbidam gladio percutere ſpiritali, ut ad ſalutem quoquomodo anima vulnerata perveniat, antequam totus grex unius contagione maculetur. Audientes igitur, veraciterque ſcientes, Liutfredum comitem ſuſcepiſſe quamdam ſanctimonialem nomine Gerlin- C dam de Placentino monaſterio fuga lapſam, & poſt noſtram ſuper hac cauſſa admonitionem, ſalubremque prohibitionem, eam detinuiſſe, atque cum propria uxore, ſuiſque illi pariter communicaſſe; nobilitati veſtræ paterna dumtaxat dilectione mandamus, ut & tam pro eadem ſanctimoniali, * quam facultatibus dilectæ filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ, cui debitam omnino debuit fidem conſervare, latenter recepit: & hactenus contra noſtrum ei reddere diſtulit interdictum; quamque etiam, quia cortes ipſius ſub noſtra apoſtolica tuitione, ac defenſione perenniter ſuſceptas, deprædari temere præſumpſit: nos eum a communione fidelium ſequeſtramus; ita ſcilicet, ut ſi infra Italicum regnum conſtit, intra dies triginta habeat omnia ſub vera ſatisfactione reddita, quæ violenter abſtulit: & ſi extra regnum Italicum eſſe videtur, infra dies ſexaginta; ac deinde, ſi hæc omnia parvipendens in ſua pertinacia manere, nihilque ſtuduerit emendare, anathematis vinculo ſit innodatus, donec ad noſtram apoſtolicam præſentiam venerit, & pro illicitis his omnibus veram coram nobis ſatisfactionem facere ſtuduerit. Idcirco volumus, ut nullatenus ei communicetis, ſi noſtro apoſtolico vultis, ut dilecti filii, conſortio frui. Data *ut ſupra*.

* deeſt aliquid.

CCXXXVIII. AD EUNIBERTUM COMITEM

Minatur illi excommunicationem, niſi res ſancti Petri, & Angelbergæ imperatricis reſtituat.

Euniberto glorioſo comiti.

VEraci relatione comperimus, te res ſancti Petri apoſtoli, quas ſpiritali filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ conceſſas habemus, cum aliis ejuſdem filiæ noſtræ proprietatibus, contra legem invadere, ac retinere: & ob hoc tu ipſe admonitus ab invaſione illa non te ſubtraxeris: quin potius hactenus in hac eadem pravitate perſiſtere nequaquam omiſeris. Idcirco tibi præcipimus, ut omni occaſione poſtpoſita te compeſcens eaſdem res omnino relinquas, & te ſive tuos ab ipſis removeas: quatenus eidem filiæ noſtræ liceat omnes illas ſuo Dominio vindicare, atque diſponere; & ut ei libitum fuerit, ſub noſtro ſpeciali mandeburdio retinere: alioquin noveris te apoſtolica noſtra auctoritate ſancta communione privatum; & quouſque ſub congrua ſatisfactione, quæ alterius ſunt reſtituas, a Chriſtianorum conſortio ſeparatum. Data *ut ſupra*

CCXXXIX. AD GISULFUM ABBATEM.

Ejus curæ monaſterium Angelbergæ imperatricis committit.

Giſulfo venerabili abbati monaſterii ſanctæ Chriſtinæ.

AUctoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ, tuæ reverentiæ committimus, ut curam perſpicuam, & ſolicitudinem habeas monaſterii dilectæ filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ, ſiti in civitate Placentia, ſicut idoneus Chriſti miniſter, & gregis Domini proviſor eximius; quatenus ſecundum regulam ſancti Benedicti, jure abbatis quæ ordinanda vel diſponenda ſunt diſponas & ordines: & quæ corrigenda perſpexeris, ſubtili dumtaxat indagatione, ut Domino placeas, ex noſtra auctoritate corrigere procures. Data *ut ſupra*.

CCXL. AD GREGORIUM, THEOPHYLACTUM, ET DIOGENEM, &c.

Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta; miratur cur Romam non venerint: mandat ut contra Sarracenos ſibi auxilio veniant.

Dilectis viris Gregorio ſpathario, Theophylacto turmacho, atque Diogeni comiti imperialibus.

AUdientes vos per Dei auxilium, & ſecundum ſpiritalis filii noſtri imperatoris voluntatem, Neapolim veniſſe, ac multitudinem Sarracenorum ibi conſiſtentem potenti brachio ſuperaſſe; læti ſumus effecti, & ſtatim debitas omnipotenti Domino gratias egimus ſuper victoria veſtra, & inimicorum contritione. Sed iterum mirati ſumus, quia Romam venire, noſtramque apoſtolicam neglexiſtis videre præſentiam, ut pro veſtri laboris certamine multiplicem gratiam, & benedictionem a nobis, & a ſede apoſtolica ſuper vos reciperetis effuſam: quatenus ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli orationibus adjuti, omnique ſpiritali benedictione muniti, contra eoſdem perditionis filios victrici ſemper dextera valeretis efficaciter dimicare: quod tamen ut ſalubriter facere poſſitis, ut terra, marique de inimicis, & infidelibus victores feliciter exiſtatis: ideo mandamus vobis, ut cum aliquantis dromonibus pro honore jam dicti ſpiritalis filii noſtri Auguſti, has noſtras in partes iterum venire omnimodis ſatagatis: quatenus contra eoſdem nefandos Agarenos congruum nobis adjutorium præbere poſſitis, ut ex hoc laus & merces imperatori accreſcat, & a nobis dignas retributiones ſine dubio recipiatis. Quapropter monemus, & hortamur vos, ut noſtris

ſtris monitis libenti animo attendatis, & quid-quid acturi eſtis, per vos velociter cognoſcamus. Data *ut ſupra*.

CCXLI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat ejus erga ſedem apoſtolicam obſervantiam: hortatur, ut ſicut promiſerat, pactum cum Sarracenis ictum frangat. Amalfitanos per legatum ſuum ea de re admonitos, ſi parere neglexerint, excommunicandos ſignificat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo Neapolitanæ eccleſiæ.

SAnctitatis veſtræ devotionem ſemper in omnibus circa ſedem apoſtolicam, & noſtram paternitatem ſinceram, atque præclaram eſſe cognovimus: quod etiam & præſentis legationis veſtræ tenore inſpecto, nobis eſt luce clarius manifeſtum. Quamobrem his apoſtolatus noſtri literis multiplices almitati veſtræ gratias agimus, paterno vos affectu monentes, ut juxta indultum vobis officium in his, quæ Dei ſunt, & eccleſiæ Chriſti utilia, toto conamine deſudare non deſinatis: ac ſicut nobis per legatos veſtros mandaſtis, quod ſive ruperint Amalfitani pactum cum Sarracenis, ſive non, vos omnino frangetis, volumus ut indeſinenter id agere ſtudeatis. Nam & miſſum noſtrum, Dominicum videlicet venerabilem epiſcopum illuc direximus, eos admonentes, ut patienter noſtram in hoc perficiant voluntatem: quod ſi ipſi noſtram in hoc fuerint voluntatem ſecuti, habeamus eos complices, & amicos: ſin autem, velut exteros inimicos, non ſolum viſibili ſed etiam inviſibili gladio pariter perſequamur, ut & a nobis, & ab omnibus Chriſtianis perpetuo digni odio habeantur. Nam & per præfatum miſſum noſtrum Dominicum epiſcopum, eos obaudire nolentes præſentialiter excommunicare præcepimus, ac poſtmodum nos ipſi digno anathemate feriemus. Vos igitur eſtote nobiſcum, & pactum iniquum corrumpite: quia & nos vobiſcum in omnibus erimus, & quod jam dare promiſimus, auxiliante Domino, annis ſingulis vobis procul dubio tribuemus: quia ſi vos fœdus cum Sarracenis non habueritis, nil, Domino juvante, de Amalfitanorum perfidia curabimus, quos videlicet gladio poterimus ſpiritali perſequi, & facile humiliare. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

CCXLII. AD AMALFITANOS.

Monet ut rupto cum Sarracenis fœdere ad eccleſiæ gremium revertantur, & eam ob rem ſingulis annis decem millia mancoſorum, & eo anno mille daturum ſe promittit: niſi paruerint minatur excommunicationem.

Reverendiſſimo Petro epiſcopo, ſeu Pulcari præfectorio, & omnibus ſacerdotibus, ac clericis, atque univerſo populo Amalfitanæ civitatis.

MUlta vobis bona facere, alacrique mente tribuere ſæpe promiſimus, decertantes, ut pactum, quod cum impia Sarracenorum gente habetis, omnimodis rumperetis, ne ex conſortio gentis malignæ, eccleſia Dei per vos ſic crudeliter affligeretur, & animabus veſtris non ſolum temporale exinde diſcrimen, ſed etiam æternum acquireretis ſupplicium. Nunc autem vos, quaſi filios dilectos corpore & ſpiritu ſalvare volentes, his apoſtolatus noſtri literis monemus & hortamur unanimitatem veſtram, ut relicta nunc penitus Sarracenorum ſocietate, corruptoque fœdere, quod cum eis ad perditionem animarum veſtrarum, & terræ ſancti Petri habetis, alacri mente, piaque devotione, jam modo ad gremium ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ matris veſtræ revertamini, & ad ſocietatem & communionem noſtram redire ſtudeatis. Et dabimus vobis nunc, & per ſingulos annos, ſicut inter nos ſtatutum fuit, decem millia mancoſorum argenti; & iſto præſenti anno damus vobis pro benedictione ſupra mille mancoſos, & teloneum quod in portu noſtro dare debetis, vobis concedimus. Quod ſi in tali impio ſcelere, diabolo ſuadente, amplius permanere præſumpſeritis, & ipſum pactum de præſenti non corruperitis, præcipimus huic epiſcopo noſtro Dominico, ut vice noſtra omni eccleſiaſtica vos communione privare procuret: ipſoque revertente, ſynodice vos iterum perpetui anathematis vinculis alligabimus: & omnium terrarum aditus, in quibus negotiari ſoliti eſtis, vobis omnino claudemus; ut illic nulla poſſitis exercere negotia. Sane ſi de aliis civitatibus dubitatis, quod pactum non rumpant, credimus quia noſtram facient voluntatem: nam modo per vos habent excuſationem. Et ſi aliqua de illis fuerit, quæ ſicut vos, facere voluerit, una vobiſcum ejus perditionem ordinabimus. Porro ſcitote quia Leonem presbterum veſtrum penes nos retinuimus. Data *ut ſupra*.

CCXLIII. AD CAROLUM CRASSUM REGEM ITALIÆ.

Rogat regem, ut Hieronymum epiſcopatum Lauſanenſem pacifice retinere permittat, & Hubonem res eccleſiæ Biſuntinæ ablatas reddere jubeat.

Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.

MAgnitudinem veſtram ingenti nobis amore dilectam noſſe volumus, quia Hieronymus ſanctæ Lauſanenſis eccleſiæ epiſcopus, apud B. Petrum apoſtolorum principem, noſtrumque pontificium veniens, humilitatis devotione petit, quatenus Lauſanenſem eccleſiam, quam jam olim regendam ſuſceperat, ei deinceps vobis fovente bus habere liceret. Nos autem ejus precibus moti, juxta quod omnium eccleſiarum Dei curam habemus commiſſam, & quia noſtra exhortatione illum vobis fidelem in omnibus, propriumque, ſicut ceteri regni veſtri epiſcopi exiſtunt, eſſe cupientes agnovimus, his apoſtolatus noſtri literis excellentiæ veſtræ ſuggerimus, ut eum pro amore Dei & ſancti Petri & noſtro, & benigne recipiatis, & jam dictum epiſcopatum Lauſanenſem, ſibi divinitus conceſſum, noſtraque apoſtolica etiam auctoritate commiſſum, ſub omni integritate recipere, habereque ſecuriter permittatis: ne amplius eadem eccleſia contra ſtatuta patrum ſine proprio rectore conſiſtat. Nam regulariter illum electum, & proprio archiepiſcopo cauſa infirmitatis præbente conſenſum, & epiſcopos conſecratores illius literis, quas nobis oſtendit, rogante, conſecratum fuiſſe jam dictæ eccleſiæ epiſcopum, incunctanter agnoſcimus. Et idcirco volumus & rogamus, ut abſque temporis protelatione, vel aliqua contradictione, ſuum, ut diximus, epiſcopatum habeat, teneat, atque cum Dei reverentia diſponat, quoniam

niam nos in alterius hominis electione vel consecra- A tione isto vivente consentire nullo modo patiemur, eo quod præcipua sanctorum patrum auctoritas jubeat, duos simul in una civitate non debere esse episcopos. Quamobrem, carissime fili, hortamur nihilominus & obsecramus regiam gloriam vestram, ut Deo auxiliante ipsa ecclesia, proprio nunc recepto pastore, sub vestræ clementiæ tutamine pacifica jam & quieta consistat: ut ejus precibus adjuti, post hoc regnum terrenum vobis concessum, sempiternum percipere mereamini. Præterea & Theodoricus sanctæ Chrysopolitanæ sedis archiepiscopus, multas nostris apostolicis auribus super Hubonem fidelem vestrum querelas direxit, eo quod res ecclesiæ illius invaserit. Pro quo etiam precamur, ut easdem res ecclesiasticas jam dicto B archiepiscopo sub integritate reddere faciatis pro amore Dei & nostro, & nulla deinceps ei permittatis adversa vel contraria inferre. Data xx. die mensis Junii, indictione XIII.

CCXLIV. AD LIUTVVARDUM EPISCOPUM VERCELLENSEM.

Ut Hieronymi episcopi Lausanensis causam apud Carolum regem procuret.

Reverendissimo & sanctissimo Liutvvardo episcopo sanctæ ecclesiæ Vercellensis.

DIlectioni vestræ familiari quodam modo, pio- C que affectu, veluti fidelissimo nobis mandantes committimus, ut recipientes hanc nostri apostolatus epistolam, legatione nostra dilecto ac spiritali filio nostro Carolo excellentissimo regi, pro Hieronymo videlicet Lausanensi episcopo directa fungamini: vestroque ingenti certamine, prudentique consilio, ipsius regis magnitudinem admonere atque exhortari magnopere studeatis, quatenus eumdem Lausanensem episcopatum, illi jam olim divinitus concessum, pro amore Dei & nostro, de præsenti reddere, & securiter quasi suo fideli habere permittat. Nam eo vivente in alterius electione vel episcopali consecratione, assensum nullo modo præbebimus: quin potius apostolica hoc fieri auctoritate modis D omnibus inhibebimus, ne contra statuta patrum duo in una videantur civitate esse episcopi. Quapropter nobis justa mandantibus omni annisu & voluntate favere nullo modo prætermittatis, quo minus nostræ voluntatis legatio apud serenissimum regem salutis & pacis ecclesiasticæ per vestrum certamen effectum obtineat: quatenus eadem ecclesia Dei, proprio recepto pastore, salva in omnibus & quieta consistat. Data xx. die mensis Junii, indictione XIII.

CCXLV. AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

Significat se de ipsius causa Carolo regi scripsisse; E ac de Hieronymo episcopo Laudunensi hortatur, ut adjuvare illum studeat.

Reverendissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo sanctæ Chrysopolitanæ ecclesiæ.

PRo tot & tantis perturbationibus, & calamitatibus, quas ab iniquis & Deum non timentibus viris ecclesiam tibi commissam quotidie pati vestris literis referentibus agnoscimus, plurimum condolemus, & congruum cupimus, Deo favente, vobis præbere solatium, quatenus sedis vestræ vigorem pristinum indiminuto jure feliciter obtineatis. Nam dilecto ac spiritali filio nostro Carolo glorioso regi pro tuæ causa utilitatis, proque vestræ plebis salute suggessimus, ut pro amore Dei & nostro, suo vos auxilio ac defensione in omnibus tueatur, & de his qui res ecclesiæ vestræ invadere præsumpserunt, justitiam facere dignetur, resque ipsas sub integritate vobis restitui jubeat. Vos tamen, more boni pastoris, sicut in prosperis humiles, ita quoque in adversis fortes existite, ut populum Domini tibi commissum pro malorum infestatione, quam patimini, strenue regere non omittatis. Pro ipso etiam Hieronymo episcopo eidem regi direximus, ut Lausanensem episcopatum illi divinitus concessum, & nostra apostolica auctoritate largitum, securiter amodo retinere permittat. Et ideo vestra fraternitas eum in hoc adjuvare pro viribus non prætermittat. Data xx. die mensis Junii indictione XIII.

CCXLVI. AD CAROLUM REGEM.

Commendat ejus erga Romanam ecclesiam observantiam: rogat ut legatum sibi auxilio mittat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

MUltiplices regiæ magnitudini vestræ his nostris apostolicis literis gratias agimus pro vestra tam ingenti cura & solicitudine, quam circa sanctam Romanam ecclesiam matrem vestram habetis; atque pro vestræ devotionis sinceritate, qua nos puræ mentis affectu more parentum vestrorum diligitis, & in omnibus adjuvare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione, atque utilitate sedis apostolicæ, totiusque terræ sancti Petri defensione, vos prompta mente desudare velle cognoscimus: in quo scilicet vestri desiderii affectu piissimo & divinam circa regiam gloriam vestram habebitis adjutricem & placabilem majestatem, & dignam non solum in hoc sæculo, sed etiam in cælesti postmodum regione retributionem procul dubio recipietis. Quod vero manifestis, ut marchiones vestri, qui circa nos existunt, ad defensionem necessariam peragendam nobiscum pariter decertare debuissent: hoc autem sine vestræ majestatis præsentiam, vel sine idonei optimatis vestri nullo modo, sicut oportet, proderit nobis: eo quod ipsi marchiones homines de civitatibus, & propriis finibus nostris, cum quibus territorium sancti Petri poteramus satis defendere, in suo assiduo servitio habent, & nonnullos eorum potentia sua defendunt: & ita impediunt, ut nostrum servitium secundum voluntatem nostram minime perficere valeant. Unde precamur excellentiam vestram, ut pro amore Dei, & principis apostolorum honore, talem nobis de præsenti missum dirigatis, cum quo per E vestræ auctoritatis potentiam, ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ, & nobis pertinent, incunctanter valeamus perficere: quatenus eosdem homines nostros, qui nobis sublati sunt, omnimodis recipiamus, ut omnis honor, & vigor sanctæ Romanæ ecclesiæ vestris diebus in omnibus integer accrescat, & indiminutus permaneat; quoniam ipsius honor, & exaltatio, vestra hic & in æternum est salus & gloria. Nam & nos ea, quæ vestræ gloriæ proficua sunt, libentissime perficere cupimus, & nostris assiduis precibus vos Domino commendare, apostolorum suffragantibus meritis, semper satagimus. Hæc itaque pro utilitate sanctæ ecclesiæ

cleſiæ modo fieri petimus, ut cum veſtrum glorioſum adventum, favente Domino, conſpexerimus, optata & ingenti pariter lætitia exultare valeamus. Data die XXIII. Menſis Junii, indictione XIII.

CCXLVII. AD SFENTOPULCRUM COMITEM.

Gratulatur de ejus & ſubditorum illius obſervantia erga ſedem apoſtolicam: recipit eos in fidem ſuam: oſtendit Methodium archiepiſcopum orthodoxam fidem fuiſſe profeſſum; cujus jura & privilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit. Nitrenſis eccleſiæ epiſcopum conſecratum ſignificat, & alium ad ſe vult mitti, quem alii eccleſiæ præficiat: jubet omnes ipſi archiepiſcopo obedire: concedit ut divina officia Sclavonica lingua recitari poſſint, dummodo evangelium Latina prius recitetur.

Dilecto filio Sfentopulcro glorioſo comiti.

INduſtriæ tuæ notum eſſe volumus, quoniam confratre noſtro Methodio reverendiſſimo archiepiſcopo ſanctæ eccleſiæ Moravenſis, una cum Semiſiſuo fideli tuo, ad limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, noſtramque pontificalem præſentiam veniente, atque ſermone lucifluo referente, didicimus tuæ devotionis ſinceritatem, & totius populi tui deſiderium, quod circa ſedem apoſtolicam & noſtram paternitatem habetis. Nam, divina gratia inſpirante, contemptis aliis ſæculi hujus principibus, beatum Petrum apoſtolici ordinis principem, vicariumque illius habere patronum, & in omnibus adjutorem ac defenſorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, & cum omni populo terræ tuæ amore fideliſſimo elegiſti, & uſque ad finem, ſub ipſius & vicarii ejus defenſione colla ſummittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius devotiſſimus, permanere. Pro qua ſcilicet tanta fide ac devotione tua & populi tui, apoſtolatus noſtri ulnis extenſis, te quaſi unicum filium amore ingenti amplectimur; & cum omnibus fidelibus tuis paternitatis noſtræ gremio, veluti oves Domini nobis commiſſas, recipimus, vitæque pabulo clementer nutrire optamus, atque noſtris aſſiduis precibus omnipotenti te Domino commendare ſtudemus: quatenus ſanctorum apoſtolorum ſuffragantibus meritis, & in hoc ſæculo adverſa omnia ſuperare, & in cæleſti poſtmodum regione cum Chriſto Deo noſtro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiſcopum veſtrum interrogavimus coram poſitis fratribus noſtris epiſcopis, ſi orthodoxæ fidei ſymbolum ita crederet, & inter ſacra miſſarum ſolemnia caneret, ſicuti ſanctam Romanam eccleſiam tenere, & in ſanctis ſex univerſalibus ſynodis; a ſanctis patribus, ſecundum evangelicam Chriſti Dei noſtri auctoritatem, promulgatum, atque traditum conſtat. Ille autem profeſſus eſt, ſe juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, ſicuti ſancta Romana eccleſia docet, & a patribus traditum eſt, tenere & pſallere. Nos autem illum in omnibus eccleſiaſticis doctrinis & utilitatibus orthodoxum & proficuum eſſe reperientes; vobis iterum ad regendam commiſſam ſibi eccleſiam Dei remiſimus, quem veluti paſtorem proprium ut digno honore & reverentia lætaque mente recipiatis jubemus: quia noſtræ apoſtolicæ auctoritatis præcepto archiepiſcopatus & privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere ſtatuimus, ſicuti anteceſſorum noſtrorum auctoritate omnium eccleſiarum Dei, jura & privilegia ſtatuta & firmata conſiſtunt: ita ſane, ut juxta canonicam traditionem, omnium negotiorum eccleſiaſticorum curam habeat ipſe, & ea, velut Deo contemplante, diſpenſet. Nam populus Domini illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem: ipſum quoque presbyterum nomine Vvichinum, quem nobis direxiſti, electum epiſcopum conſecravimus ſanctæ eccleſiæ Nitrenſis, quem ſuo archiepiſcopo in omnibus obedientem, ſicuti ſancti canones docent, eſſe jubemus: & volumus ut pariter cum ipſius archiepiſcopi conſenſu & providentia, alterum nobis apto tempore utilem presbyterum, vel diaconum dirigas, quem ſimiliter in alia eccleſia, in qua epiſcopalem * veſtram noveris eſſe neceſſariam, ordinemus epiſcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis epiſcopis præfatus archiepiſcopus veſter, juxta decretum apoſtolicum, per alia loca, in quibus epiſcopi honorifice debent & poſſunt exiſtere, poſtmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, diaconos, ſeu cujuſcumque ordinis clericos, ſive Sclavos, ſive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines conſiſtunt, præcipimus eſſe ſubjectos, & obedientes in omnibus jam dicto confratri noſtro archiepiſcopo veſtro, ut nihil omnino præter ejus conſcientiam agant. Quod ſi contumaces & inobedientes exiſtentes, ſcandalum aliquod, aut ſchiſma facere præſumpſerint, & poſt primam & ſecundam admonitionem ſe minime correxerint, quaſi zizaniorum ſeminatores ab eccleſiis, & finibus veſtris auctoritate noſtra præcipimus eſſe procul abjiciendos, ſecundum auctoritatem capitulorum, quæ illi dedimus, & vobis direximus. Literas denique Sclavonicas a Conſtantino quodam philoſopho repertas, quibus Deo laudes debite reſonent, jure laudamus; & in eadem lingua Chriſti Domini noſtri præconia & opera ut enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur, quæ præcipit, dicens: *Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi*. Et apoſtoli repleti Spiritu ſancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cæleſtis quoque tuba inſonat, monens: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epiſtola ſatis, & manifeſte nos admonet; quatenus linguis loquentes eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſane fidei, vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive miſſas in eadem Sclavonica lingua canere, ſive ſacrum evangelium, vel lectiones divinas novi & veteris teſtamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam, ſcilicet, Græcam & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam. Jubemus tamen, ut in omnibus eccleſiis terræ veſtræ propter majorem honorificentiam evangelium Latine legatur; & poſtmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, annuncietur; ſicut in quibuſdam eccleſiis fieri videtur. Et ſi tibi & judicibus tuis placet miſſas Latina lingua magis audire, præcipimus ut Latine miſſarum tibi ſolemnia celebrentur. Data menſe Junio, indictione decima tertia.

* *f.* ſedem *vel* cathedram.

Pſal. 116. *Act.* 2.

Philip. 2. 1. *Cor.* 14.

CCXLVIII. AD LANDULFUM EPISCOPUM SURICORUM.

Objurgat quod violaverit quæ ipse inter eum & Landenulfum Capuanum episcopum de frugibus illius ecclesiæ decreverat: minatur illi excommunicationis pœnam, nisi suis decretis pareat: præcipit ut si se læsum sentiat, cum eodem episcopo causam dicturus ad se veniat.

Reverendissimo & sanctiss. Landulfo episcopo Suricorum.

* *forte* Vera * NOstra relatione comperimus, quod quidquid tempore consecrationis tuæ in nostro conspectu de frugibus illius ecclesiæ congrua deliberatione fuerat inter te & Landenulfum Capuanum episcopum diffinitum, tu ingenti usus temeritate violaveris: & quod nos juxta temporis qualitatem moderari decreveramus, tu adimplere neglexeris. Quo audito valde noster animus est commotus, quod tam audacter nostra præcepta parvipenderis, & terminos paternos excesseris. Quapropter hujus nostri pontificii auctoritate ab hujuscemodi te factione compescere volentes, præcipimus, & modis omnibus tibi injungimus, ut omni obstinatione depositа, quidquid nos illic positi inter te & eumdem episcopum, vel illius fratrem Pandenulfum fidelem nostrum de divisione, vel frugibus illius ecclesiæ deliberavimus, sine mora adimplere procures. Hoc sciens, quia si aliter agere præsumpseris, sicut invasorem rerum sacrarum te canonicis jaculis feriemus. Quod si aliquam querimoniam, aut justam excusationem te habere confidis; tunc cum eodem episcopo causam dicturus, jubemus, ut nostram petas præsentiam. Nam & nos præsenti legato nostro Vvalperto reverendissimo episcopo dilecto consiliario nostro præcipimus, ut si nostra salubria monita adimplere contempseris, ex nostra auctoritate te excommunicare procuret: quatenus sicut prædiximus, Romam in nostra *. Data xv. Kalendas Augusti, indictione decima tertia.

* *f.* præsentia venias, *deest.*

CCXLIX. AD CAROLUM REGEM.

Gratulatur de ejus erga Romanam ecclesiam observantia, cujus eum defensorem elegit: monet ne adversariis fidem habeat: laudat quod ditionem sancti Petri ab hostili incursu defendi jusserit. Bosoni tanquam tyranno auxilium se non daturum affirmat: optat ejus adventum, & rogat ut legatos mittat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

REgiæ magnitudinis vestræ receptis apicibus, ac diligenter perlectis, quia more Christianissimorum principum parentum vestrorum admonitionis & exhortationis nostræ doctrina repleri vos velle cognoscimus, nostroque consultu ea, quæ pro sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, & totius Christianitatis defensione salubria ac utilia esse videntur, animo libenti cupiatis perficere; valde gratulamur, & immensas Domino gratias referimus: & optamus ut cuncta circa vos semper prospera, divina favente gratia, existant. Ea etenim, quæ de vestris causis, & eventibus vestris nobis literis non retulistis, fideli relatione communis fidelis, & reverendissimi episcopi Vvibbodi luculenter didicimus; eique omnem familiaritatis aditum pio affectu præbentes, vestræ voluntatis arcana cognovimus, per quem & nos celsitudini vestræ aliqua verbo tenus intimanda direximus. De oppressionibus autem Græcorum (sicut vobis a quibusdam æmulis nostris nunciatum est) nos aliquid nullo modo scimus; si vero certissime sciremus, dilectioni vestræ cum omni devotione celeriter nunciassemus: quoniam Dei omnipotentis procul dubio inspiratione, & voluntate, vos præ omnibus eligere, & inclytum in omnibus negotiis sanctæ sedis apostolicæ, nostrisque profectibus patronum, ac defensorem habere omnino curavimus: & ideo, vita comite, longa per tempora optamus possidere. Quapropter inimicis nostris, quos nobis adversarios, & zizaniorum seminatores esse cognoscitis, aurem clementiæ vestræ nullatenus accommodetis. Nam inimicus semper contraria loquitur: tamen bene vos fecisse laudamus, quod omnibus episcopis & comitibus, qui circa nos consistunt, auctoritate vestra mandastis, atque jussistis, ut terminum sancti Petri ab hostili nempe incursu, nostro pariter instructi mandato, defendere debeant. Valde necessarium est, ut non solum a malis Christianis, verum etiam & a Sarracenis ubique diffusis, ubique & undique nos sine intermissione deprædantibus, & more furum nostra deripientibus, tueri procurent. Pro qua videlicet necessitate, quam supra modum patimur, ipsius Vvibbodi episcopi hortatu, in quamdam cortem nostram exivimus, & una cum Vvidone comite Lamberti filio loqui voluimus hujus rei causa: sed ipse adesse prætermisit, sicut jam dictus fidelis noster ac vester vobis poterit enarrare. De Bosone quoque certos vos esse volumus, quia neque aliquem familiaritatis locum, aut receptionis nostræ auxilium apud nos habebit, neque poterit invenire: eo quod vos, ut prælibavimus, amicum, & adjutorem quæsivimus, & loco carissimi filii retinere toto mentis conamine volumus. Nam nihil nobis de parte ipsius pertinere videtur, qui talem tyrannidem præsumpsit committere. De vestro quoque adventu, quem, Deo favente, adesse mandastis, valde sumus gavisi effecti, & pro tantis calamitatibus, quibus circumdati & oppressi existimus, optamus, & vehementer rogamus vestram specialem citissime, Deo propitio, contemplari præsentiam. Joannem vero reverendissimum episcopum Tritiensem penes nos hac vice retinuimus, ut si aliquid novi nobis evenerit, & necesse fuerit per eum vestris mandare fidelibus, ac per ordinem quæ opportuna fuerint, significare possimus. Pro justitiis autem faciendis sanctæ Romanæ ecclesiæ, ut idoneos & fideles viros e latere vestro nobis de præsenti dirigatis, obnixe deposcimus, qui nobis pariter cum missis nostris proficiscentibus, de omnibus justitiam plenissimam faciant, & vestra regali auctoritate male agentes corrigant & emendent: præterea, sicut vestro proprio nobis ore fili carissime promisistis, ut in hoc dumtaxat opere vestram voluntatem, vestræque mentis affectum circa nos purissimum fore luce clarius agnoscamus, ut & nos vestrum desiderium pio semper valeamus affectu perficere. Data *ut supra*.

CCL.

Gratulatur de concordia ecclesiæ Constantinopolitanæ: miratur multa, quæ statuerat, mutata esse: approbat quæ Constantinopoli in concilio pro causa Photii acta sunt, si tamen legati contra sua mandata non egerint.

HOc nostri semper certaminis & laboris fuit; hoc nostri voti existit, ut pro orthodoxæ fidei

fidei integritate, seu pro statu, & pace omnium Dei ecclesiarum, quarum cura constringimur, adeo operam demus, quatenus dispersa congregentur, congregata conserventur, & ut quidquid inhonestum, vel aliter quam se rectitudo habet, per providentiam Dei, sanctorum apostolorum meritis suffragantibus corrigatur, omni conamine, juxta officium nobis commissum, speculando satagimus. Hujus rei gratia more apostolico sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ misereri volentes, decrevimus, ut unius incrementum, nullius fieret detrimentum; quin potius omnium manifestum existeret adjutorium. Convocata nostra ecclesia, quantum ad præsens tempus coegit necessitas, auctoritate, & potestate apostolica dictæ Constantinopolitanæ ecclesiæ consuluimus, & legatis nostris directis, ut inoffenso pede incederent, instituimus. De cujus scilicet unitate pacis, sive concordia gratulamur, & cunctipotenti Domino laudes innumeras referentes, licet ei, qui tanta bona servis suis largitur, condignas grates agere non possimus, hunc benedicimus & assiduis vocibus glorificare studemus. Gloria namque sit illi, & omnis laus, ac virtus, cujus majestate, & semper perlaudabili gratia * certata ad rectitudinem reducuntur, prava diriguntur; contumacia retunditur, humilitas exaltatur, zizania quandoque velluntur, scandala amputantur, & omnis bonitas augmentatur: unde non in nobis, sed in eodem Domino gloriemur, jucundemur & exultemus in misericordia ejus qui dicit: *Confidite, quia ego vici mundum*: & in alio loco: *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere*; sed cum nos scriptis & verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decreverimus, mirandum valde est, cur multa, quæ nos statueramus, aut aliter habita aut mutata esse noscantur; & nescimus, cujus studio, vel neglectu variata monstrentur. Ceterum scribens subintulisti, quod, te innuens, non nisi ab iniqua gerentibus misericordia sit quærenda; quod & nos de his, qui Deum se scire non fantur, licet dispensatorie fatemur; tamen nos, quod lectum est, exaggerare nolumus, ne quod dignum est, judicare cogamur; ideoque talis excusatio fileat, ne hoc dicentes illa sententia tangat, qua dicitur: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus*; *Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum*: igitur laudabilis tua prudentia, quæ dicitur humilitatem scire, non molestе ferat, quod ab ecclesia Dei miserationem jussa est postulare: quin potius se, ut exaltetur, humiliet, & fraternum discat erga sui miserentem servare affectum. Quia nos, si tu debitam devotionem & fidelitatis incrementa erga sanctam Romanam ecclesiam, & nostram parvitatem observare studueris, & ut fratrem amplectemur, & ut carissimum proximum retinebimus. Nam & ea, quæ pro causa tuæ restitutionis synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam præceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.

urvata

16.
15.

16.

CCLI. AD IMPERATORES AUGUSTOS.

Commendat eorum studium in ecclesiæ concordia stabilienda: monet, ut in eo persistant: agit gratias de dromonibus auxilio missis: de monasterio sancti Sergii, & de Bulgarorum diœcesi sedi apostolicæ restituta: rogat ut Dei ecclesiam tueatur: demum ea quæ pro Photio in synodo Constantinopoli acta sunt, se approbare significat, si tamen legati contra sua jussa non egerint.

Imperatoribus Augustis.

POst innumeras solicitudines, quibus nimirum oneratur imperiale fastigium, laudabile clementiæ vestræ cognoscimus Christianissimi imperatoris esse propositum; per quod summotis omnibus discordiarum, atque zizaniorum seminibus, quæ in agro dominico humani generis inimicus asperserat, sanctæ catholicæ ecclesiæ piissimo mentis affectu consulere voluistis. In quo scilicet animi voto, ac desiderio, quantum rebus humanis favere providentia divina dignetur, solicitudo clementiæ vestræ Spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in catholica ecclesia misericordem per auctoritatem & judicium sedis apostolicæ, quæ Christo Domino delegante, totius ecclesiæ retinet principatum, nihil impacatum, nihil voluit esse diversum: cum omnes schismatica pravitate divisos, vel zelo quolibet separatos, atque dispersos, clementi affectione, vel studio ad veræ pacis soliditatem, concordiæque sinceriſſimæ unanimitatem revocare, & in uno Christi ovili cum proprio pastore, Photio videlicet confratre & comministro nostro, aggregare curavit. Pro quibus videlicet nostri pastoralis magisterii officium est, apud serenitatis vestræ Augustalem clementiam assidua semper solicitudine omnimodis intercedere; ut vestræ pietatis majestas, more Christianissimorum imperatorum, benigna circa omnes existat; & quasi Deo contemplante, populum Domini sibi commissum felici regat semper & gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus sæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti: quatenus post hoc vitæ præsentis, imperium cæleste adipisci, & in æternum cum Domino retinere valeatis. Nunc itaque pro tanta devotione, animique vestri sinceritate, quam non solum verbis, sed lucifluis etiam operibus circa ecclesiam sancti Petri, & nostram paternitatem ostendistis, immensas post Deum serenitati vestræ gratias agimus. Primo quidem, quod dromones vestros, qui pro defensione terræ sancti Petri in nostro manerent servitio, nobis misistis. Secundo autem, quod monasterium sancti Sergii intra vestram regiam urbem constitutum, quod sancta Romana ecclesia jure proprio quondam retinuit, divina inspiratione repleti, pro honore principis apostolorum nostro præsulatui reddidistis. Tertio vero vobis grates multas referimus, quia Bulgarorum diœcesin pro amore nostro gratanti animo sancto Petro, ut justum erat, permiseritis habere. Unde obnixe petimus, ut vestro potenti solatio sanctam Romanam ecclesiam in hoc periculoso tempore in omnibus adjuvare, defendereque non dedignemini: quatenus ex hoc vestra imperialis gloria apostolicis suffragantibus meritis, per cunctas mundi partes magis ac magis accrescat, & apud omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat. Et iterum humiliter petimus, ut in hujus bonæ voluntatis ac pietatis affectu, quem pro amore Dei circa ecclesiam Christi habetis, immobiles permaneatis: quoniam nos Augustalem excellentiam vestram ulnis extensis amore paterno amplectimur, & honore debito veneramur, atque assiduis orationibus nostris, juxta sacrosancta beatorum apostolorum Petri ac Pauli corpora fusis, omnipotenti Domino commendare studemus, ut pro tantis beneficiis, quæ san-

cto

cto Petro impenditis, ipſe vobis, & in hoc præſenti ſæculo veſtrum ſanctum imperium cum omni proſperitate magis ac magis conſervet incolume, clariſque ſemper dignetur ubique decorare ttiumphis; & in cæleſti poſtmodum regione ſempiternam gloriam & beatitudinem cum ſanctis & electis ſuis habere concedat. Nam & ea, quæ pro cauſa reſtitutionis reverendiſſimi Photii patriarchæ ſynodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recipimus: [a] Et ſi fortaſſe noſtri legati in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem egerint, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis. Data Idibus Auguſti, indictione XIII.

An. Ch. 880.

Nota Severini Binii.

a *Et ſi fortaſſe noſtri legati*.) Hanc ſynodum pſeudooctavam a Joanne VIII. ceteriſque ejus ſucceſſoribus pontificibus, & a concilio Florentino reprobatam fuiſſe, præter alia, de quibus infra, indicant iſta verba. Vide quæ notavimus in conciliabulo Conſtantinopolitano, ſub Joanne papa VIII. infra, verbo *Reprobatum*.

CCLII. AD CAROLUM REGEM.

Gratias agit de ejus erga ſedem apoſtolicam obſervantia: ſuam erga eum benevolentiam teſtatur: adventum ejus pro eccleſiæ neceſſitatibus expectat, monetque ut aliquem legatum mittat: queritur de Georgio quodam excommunicato, qui ipſius imperatoris auctoritate fultus bona Romanæ eccleſiæ invaſerat: rogat ut promiſſa auxilia mittat.

Excellentiſſimo & dilecto filio Carolo glorioſo regi.

RElegentes regalis excellentiæ veſtræ literas, devotionem veſtram quam circa ſanctam eccleſiam matrem veſtram, & circa noſtrum pontificium habetis, luce clarius novimus: unde multiplices gloriæ veſtræ gratias referimus. Nam & nos vos ſemper quaſi dilectum & ſpiritalem filium retinemus, & pio mentis affectu deſideramus amplecti, & pro augenda gloria veſtra aſſidue ſoliciti incunctanter exiſtimus. Quod autem nobis mandaſtis, ut veſtrum optatum præſtolaremur adventum, pro eorum adverſitatibus emendandis, qui nobis contraria inferre, & qui a noſtra ditione homines noſtros ſubtrahere præſumunt; nos quidem veſtrum adventum toto deſiderio pro tantis eccleſiæ Dei neceſſitatibus, quæ ad augmentum gloriæ veſtræ ſunt emendandæ, omnimodo optamus inſpicere. Sed ſicut vobis noſtris jampridem apoſtolicis literis ſuggeſſimus, ut veſtrum idoneum miſſum nobis direxiſſetis, cum quo aliquid de eccleſiaſticis utilitatibus potuiſſemus perficere; pro qua cauſa non eum miſeritis, miramur. Quamobrem petimus, ut eumdem miſſum, antequam veniatis, nobis dirigere non omittatis: ut cum, Deo auxiliante, veneritis, nobis ſimul convenientibus, vera inter nos dilectio, utpote inter ſpiritalem patrem & cariſſimum filium poſſit exiſtere. Præterea poſtquam Georgius excommunicatus & anathematizatus cum homine Vvidonis eſt a vobis reverſus, aſſiduo ſumus mœrore turbati; eo quod audacter veniens, quaſi veſtra fultus auctoritate, in proprietates olim ſuas, quæ ad jus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, (Carolo divæ memoriæ imperatore patruo veſtro concedente,) conlegaliter pervenerunt, (& nunc uſque juri noſtro defendebamus & tenebamus,) temere pariter cum aliis introivit: & noſtros, qui in circuitu homines exiſtunt, affligere, & deprædari non ceſſat. Unde obnixe rogamus veſtram magnitudinem, ut ſicut nobis ore proprio promiſiſtis, & per epiſtolam veſtram, atque legatos noſtros, Liutvvardo venerabili ſanctæ Vercellenſis eccleſiæ epiſcopo mediatore exiſtente, mandaſtis, præſentialiter nobis adimplere ſatagatis: quia nos ea, quæ vobis promiſimus, omnimodis adimplebimus, aut eoſdem infideles noſtros procul a nobis expellatis, ut nulla nobis adverſa, vel contraria valeant aliquatenus moliri, quouſque Deo propitio vos veneritis. Quarto Idus Septembris, indict. decimaquarta.

CCLIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Jubet eum Romam ad ſynodum cauſa diſſolvendi quaſdam quæſtiones advenire.

Romano archiepiſcopo Ravennati.

QUia bellica, immo Sarracena impediente anguſtia, juxta ſacros canones, quarto ſcilicet Idus Octobris, ſynodum ſicut volueramus celebrare nequivimus; opportune, valdeque neceſſario ſane prævidimus, ut hanc eamdem VI. Idus novembris iſtius quartædecimæ indictionis, adjuvante Domino, convocemus. Quapropter ſanctimoniam tuam hortamur, ut ad idem tempus ſine omni mora, immo omni occaſione poſtpoſita, Romam occurras; quatenus ea quæ ad honorem, ſive utilitatem ſanctæ Dei eccleſiæ pertinent, nobiſcum ordines & deffinias, & ſancti Spiritus gratia revelante, voto communi decernas. Interea negotium viri illuſtris Deuſdedit glorioſi ducis, qui noſtrum pontificium adiit, dicens, ſe a tua ſolertia pro conjugio ſuæ uxoris, quam illius conſanguineam fateris exiſtere, communione privatum, eſt procul dubio ventilandum; ut quidquid rei veritas hinc demonſtraverit, omnimodis exequamur. Qui pro eo quod tam diu apud nos eſt immoratus, & de tua parte, qui rationem redderet, non eſt inventus; rationabiliter erat a nobis interim abſolvendus: tamen quia in proximo, ſicut diximus, ſynodum, (qua hoc cum unanimitate aliorum conſacerdotum, fratrumque noſtrorum, & tua, eſt inter alia pertractandum,) celebrare debemus, dignius judicavimus (quod & ipſæ res expetunt) tuum præſtolari adventum: ut hoc ſynodali diſcutiamus collegio, & alterna viſione congratulantes, pari ſententia decernamus: in qua etiam quidquid ſupra generum ſuum habueris, ſimiliter diffiniri jubeamus. Præterea jam dicti viri conjunx, Maria nomine, libellum ſuæ reclamationis per Paulum legatum ſuum noſtro præſulatui dirigere procuravit, afferens tuam ſanctitatem in nuptiis per conſenſum patris de ea habitis, conſciam extitiſſe; & tam virum ſuum, quam ſe, poſtquam una caro effecti ſunt, tam ad ſpiritalem, ſive dominicam, quam etiam ad communiorem menſam, ſæpe non ſolum admiſiſſe, ſed etiam invitaſſe. Sed & hoc per eumdem ſuum libellum reclamando innotuit, quod Majoranus, qui & Maginpertus diaconus dicitur, in necem ſui patris conſenſerit, petens a nobis ex hoc convenientem juſtitiam, & obnixe poſtulans hoc indiſcuſſum non derelinqui, quem videlicet ſæpiſſime Bononienſis epiſcopus ſuæ eccleſiæ famulum quærere ſtuduit. Hujus rei gratia præcipimus, ipſum diaconum tecum nobis omnimodis exhiberi, ut quidquid rationis ordo popoſcerit, adjuvante Domino, canonice ventilemus, & ſynodice ſtatuamus. Data

An. Ch.

Data III. Kalendas Octobris, indictione decimaquarta.

CCLIV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

Ut Romam ad synodum adveniant.

Omnibus episcopis per ducatum Spoletanum, & Camerinensem, & ad omnes episcopos per diversas provincias constitutos.

NOlumus ignorare vestram fraternitatem, quia pro multiplicibus sanctæ Dei ecclesiæ necessitatibus, VI. Idus Novembris istius quartædecimæ indictionis synodalem conventum, Domino adjuvante, celebraturi sumus: & cum diversis, præcipue Sarracenorum, impedimentis implicati essemus, nequivimus eum suo tempore congregare, dignum duximus ad augmentandas, atque perficiendas ecclesiasticas utilitates, vel præfato tempore non prætermitti, quo minus tanta necessitas sine consultu aliorum confratrum nostrorum indiscussa non remaneret, ut vestris salubribus consiliis sulti, quidquid ad honorem Dei, & communem utilitatem pertinet, communiter perficere satageremus. Quapropter hujus nostræ commonitionis sanctitatem vestram exhortamur apicibus: ut solita desidia depositа, ad eamdem synodum Romam venire non differatis: quatenus, sicut diximus, ea, quæ agenda sunt, Christo juvante, communiter peragamus, & quæ juxta nostri ministerii officia statuenda sunt, salubriter statuamus. Videte itaque ne solito negligenter agatis, ne si per vos ea quæ honori & statui sanctæ Dei ecclesiæ sunt proficua, inordinata remanserint, &, quod non oportet, venire contempseritis, canonicis ictibus non immerito feriamini. Data pridie Kalendas Octobris, indictione XIV.

CCXLV. AD CAROLUM REGEM.

Lætatur de ejus incolumitate, Deumque orat, ut omnia ei prospere eveniant: nunciat Sarracenos a Græcis victos, seque a Sarracenis, & aliis etiam valde premi: quare petit, ut sibi quam citissime auxilio veniat.

Carolo glorioso regi.

SUsceptis gloriæ vestræ, spiritalis atque desiderabilis fili, nobis directis apicibus, atque relectis, quia vos, Deo gratias, sanitate vigere cognovimus, ineffabili, & ultra quam dici possit jucunditate refecti, in Domino gratulati sumus: & ut magis ac magis vobis Dominus Deus noster prosperitatem tribuat, triumphum de adversantibus concedat, & felicia tempora ad regnum pacifice, atque justissime disponendum multiplicet, continuis votis eumdem Dominum deprecamur. Quia nihil est omnino, fili carissime, nobis dulcius, nihilque amabilius, quam ut vos semper ad defensionem, & exaltationem sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ cognoscamus esse promptissimos; & eis qui eam diversis modis impugnant, libera correctionis, ac disciplinæ sententia contraire. Nos autem licet in innumeris infirmitatibus, atque angustiis constituti, Deo gratias, utcumque valemus: sed tunc potius nostra sanitas erit, si vos omni prosperitate, ut diximus, pollere cognoverimus; & ad nobis conferendum solatium festinanter occurrere, ut alterna visione loquamur, non pati moras advertimus. Ceterum, quod dicitis ut Liutvvardum venerabilem episcopum communem fidelem nostrum ad nos præmittatis, valde in Domino gratulamur: & cum eum pro communi utilitate semper desudare cognoverimus, magnum nobis gaudium in adventu illius nascetur, eo quod in ipsius præsentia vestram intuebimur excellentiam. Postremo, fili carissime, quod scisciteamini de Græcis, atque Ismaelitis, & ceteris quibusque exteris nationibus, vel concivibus, qualiter res agatur, brevissime respondemus. Sed ut hæc omnia ex intimo corde, atque dolenter advertatis, omni mentis conamine exhortamur: tamen Deo sint grates & laudes, quia Græcorum navigia in mari Israelitarum victoriosissime straverunt phalanges, & eos, prout Dominus voluit, debellati sunt. Sed nos tamen tam ipsi jam dicti Ismaelitæ, quam alii concives nostri impugnant, ac persequuntur, ut extra muros urbis nullatenus, vel qui labore manuum suarum vivere valeant, vel qui, ut ita dixerim, Christianitatem suam, sicut decet, observent, egredi libere possint: ac per hoc, immo pro his omnibus, si citissime, & omnibus occasionibus, omnibusque excusationibus postpositis, & contemptis, ad omne nobis, & huic regioni valde afflictæ conferendum solatium non veneritis; procul dubio scire potestis, quia ad peccatum vestrum, & damnum omnium hæc terra peribit. Unde pro Deo festinanter iter ad nos veniendi assumite, & ut bella domini vice illius præliemini, ad beatorum apostolorum limina, Deo præduce, pro Christianorum omnium auxilio properate. Data III. Kalendas Novembris, indictione XIV.

CCLVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Inobedientiæ eum arguit, præcipitque, ut Rhodoaldum, & Vvarlenum monachos, quos injuste in carcerem conjecerat, ad eorum monasterium honorifice remittat.

Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi.

DEcuerat te, frater carissime, pura animi sinceritate eam reverentiam, eumque honorem sanctæ sedi apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, quotidie impendere, quæ usque ad tua tempora omnes tui prædecessores laudabiliter viventes, huic ecclesiæ obtulerunt prona mentis devotione. Pro qua re ejus gremio susceptus, quidam præ nonnullis amore dilecti sunt: sed ecce, quod sine dolore dici non potest, nescio qua antiqui hostis fraude, a die ordinationis tuæ, & tempore senectutis, contra sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam non destitisti nunc inobediens, nunc dolosus te patefacere: qua necessitate compulsi, te corripere apostolico flagello operæ pretium duximus, sed iterum paterna miseratione te ad nos reducere non prætermisimus, sperantes in te de reliquo nullum vestigium circa nos culpæ aliquo modo reperire, quia & professio tua hoc coram nobis jurejurando spoponderat. En bone vir, aliquid deterius committere non formidasti, cum quosdam monachos nostros nomine Rhodoaldum, & Vvarlenum Roma ad suum monasterium Pultarienſe iter carpentes, comprehensos jusseris diu sub custodiæ vinculis reservari. Quod quanti piaculi sint tuo intellectu ipse perpende, quantumque dedecus sedis apostolicæ, quæ, Christo auctore, etiam in barbaras

ras nationes libera semper visa est fungi legatione: quod nefas malum sub omni celeritate te emendare hortamur, & prædictos Dei famulos cum omnibus suis illæsos abire patiaris ad locum, miserante Deo, suæ habitationis. Et sicut tuo consilio pro certo eos cognovimus esse innocenter custodiæ mancipatos: ita, te faciente, sciamus eosdem funditus, & cum competenti honore dimissos. Data mense Novembris, indictione XIV.

CCLVII. AD SALOMONEM PROCURATOREM PAPIÆ.

Ejusdem argumenti.

Salomoni procuratori Papiæ.

APostolica tibi auctoritate præcipimus, ut monachos nostros, id est Rhodoaldum, & Vvarlenum, quos, spreto Dei timore, a liminibus sanctorum apostolorum ad suum monasterium revertentes, & simpliciter per viam gradientes, comprehendere ausus fuisti, & in custodia retinere; sine omni mora, & dilatione dimittas cum omnibus suis reverti ad suum monasterium sanos atque illæsos. Quia tantum scelus & injuriam pro hac re in sedem apostolicam commisisti, pro quibus juste carere debueras consortio omnis Christianitatis: & fatemur, si hoc continuo non emendaveris, a perceptione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, & introitu ecclesiæ te prohibebimus. Data mense Novembri, indictione decimaquarta.

CCLVIII. AD ADELBERTUM MARCHIONEM.

Ab excommunicatione eum absolvit, ejusque homines, si spatio quindecim dierum intra mensem Martium ecclesiæ satisfecerint.

Adelberto marchioni.

TE vero quia conversum & fidelem circa sanctam Romanam ecclesiam & nos cognovimus, absque tenore ab omni excommunicatione absolvimus; hominibus tuis sub eo tenore sacram reddimus communionem, ut omnem emendationem, sicut promissum est, facere ad quindecim dies intra mensem Martium omnino accelerent. Quod si hoc facere neglexerint, omnes sub eadem excommunicatione permaneant, donec iterum de perpetratis malis plenam faciant satisfactionem. Data ut supra indictione XIV.

CCLIX.

Monet ut perficiat quæ per legatos mandavit.

SUsceptis literis gloriæ vestræ, quibus vos plena intentione monstratis ad limina apostolorum festine, immo potius præcipiti gressu & velle convolare; quapropter attoniti, vel magis stupefacti miramur decentiam vestram terminos patrum transcendere, & lineam generis vestri superbo spiritu conculcare, & in deterius, non in melius prorsus convenire. Et ecce dolenter cum apostolo compellor dicere: *In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, in quibus erunt homines semetipsos amantes, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Sed nos te, fili carissime, in viscere Christi plurimum diligentes, ad ea te provocare gestimus, quæ animæ vestræ proficiant ad salutem. Legatos sane e latere nostro plene instructos direximus, quibus omnia ad purum credere non ambigatis in his, quæ verbo tenus, & scriptis capitulariter dedimus in mandatis. Qua de re paterno affectu monemus, ut omnia sicut vobis direximus, per eosdem legatos adimplere omnino curetis. Ideoque scitote, quoniam si pleno jure cuncta quæ destinavimus non adimpleveritis; nos enimvero quantum in nobis est, zelo Dei succensi ea quæ ad honorem sanctæ Romanæ ecclesiæ pertinent exaggerare penitus satagemus: a quibus nos nulla ferocitas, nulla malorum hominum comminatio, donec spiritus reget artus, poterit sequestrare. Quod jussionem nostri pontificii ingenti præsumptione absurdam posuisti, omnimodis temetipsum proprio jaculo reverberasti, & velut aspis surda saluti tuæ congruentibus aurem non accommodasti. Sed quid plura? iterum atque iterum inhibendo apostolica auctoritate præcipimus, terminum S. Petri ad ingrediendum animum vestrum non incitetis: quousque prædicti legati nostri ad nos revertantur, omnia nobis renunciaturi, itemque alios ad nos transmittere cures. Data octavo Kalendas Februarii, indictione XIV.

CCLX. AD ANSPERTUM MEDIOLANENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Confirmat Josephi episcopi Astensis ordinationem, qui alias contra canones Vercellensis ecclesiæ fuerat episcopus constitutus.

Ansperto Mediolanensi archiepiscopo.

COnsultationis tuæ qua nos super Joseph, nuper in Vercellensi ecclesia ordinati, nova nunc electione, vel ordinatione in ecclesia Astensi, consulere voluisti, perspectis suggestionibus, quibus super hoc nostræ auctoritatis consultum requiris, canonicum judicavimus, & nostris tibi decretis convenienter, propitia divinitate, respondimus. Fuerat autem de illo primum, ut ipse mecum advertis, quoddam irregulariter institutum: sed nos apud B. Petrum apostolum cum sancta synodo residentes, salubri potiti consilio, & animositatem illius correximus, & misericordiæ fomenta, gratia S. Spiritus revelante, protinus adhibuimus, scilicet, ut eo in pristinum ordinem reducto, si alium episcopatum ei concedere voluisses, & cleri, vel populi vota hunc sibi concorditer in episcopum expeterent, & eligeretur, & sicut qui nihil ab ordinatore prius acceperit, in episcopum crearetur. Interea accidit, ut Astensis ecclesiæ rectore proprio obeunte, permissu Caroli glorioſi regis idem Joseph post electionem cleri, & expetitionem populi, in eadem ecclesia deberet ordinari episcopus, tua fraternitas, tam nostra absolutione, quam etiam ipsius regis exhortata monitionibus, hoc libenter admisit, & canonice jussa complere conata est. Quod quia nunc sententiam nostram tu quoque secutus, & regalem permissionem devote, sicut condecet, es amplexatus, præfatum Joseph presbyterum sanctæ ecclesiæ Astensi episcopum præfeciſti, & ordinationem illius ratam haberi decernimus, & omnium ora contra hoc quoquo modo mussitantia apostolica auctoritate obstruimus: quia sicut de irregulariter quibuslibet habitis, nos ad hæc corrigenda zelus justitiæ excitat; ita de bonorum virorum laudabilibus factis gratia divina lætificat. Nam & sedes apostolica,

juxta

2. Tim. 3.

juxta quod S. Leo papa ſcribit, hanc temperantiam ſervat, ut & ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis: & ideo his omiſſis, de prælibati Joſeph iterata creatione ſanctitas tua, in nullo penitus hæſitet: quia hanc & nos approbatam admittimus, & ab omnibus admittendam eſſe mandamus: quia quod non oſtenditur factum per impoſitionem manus illius, cui tempore ſuæ legationis, quod dare viſus eſt, ut ita dixerim, non habuit, ratio non ſinit, ut An Ch. 888. videatur iteratum. Data XV. Kalendas Martii, indictione XIV.

CCLXI. AD ANSELMUM MEDIOLANENSEM ARCHIDIACONUM.

Minatur illi excommunicationis pœnam, niſi ad ſui archiepiſcopi obedientiam redeat.

Anſelmo archidiacono Mediolanenſi.

MIſſa præſulatui noſtro ſuggeſtione Anſpertus ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ reverendiſſimus archiepiſcopus, cujus miniſter eſſe videris, ſuper te queſtus eſt, quod inter ceteras perturbationis moleſtias a te ſibi temere illatas, & poſt rerum ſuarum damna non modica, non propria derelicta eccleſia, ab ejus te obſequio & conſortio ſeparare, & velut ſchiſmaticus, per alienas parochias contra canonica ſtatuta commorari præſumpſeris; nec non & apud principalem potentiam properando, noxias illi præparare inſidias callida perſuaſione decretas. Unde his noſtris apoſtolicis literis dilectionem tuam paterno affectu convenimus, nihilo minus & cum omni jubemus imperio, ut de præſenti ad ſinum & gremium ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ matris tuæ, quam furibundo animo reliquiſti, valde devotus redire feſtines, atque ſub proprii paſtoris regimine, vel præſentia eſſe omni mentis alacritate decertes, &, utpote idoneus miniſter, humili prorſus devotione debitum, juxta ordinis tui locum, reverenter impendans obſequium, & obedientiæ famulatum: quatenus ejus gratia potitus, omnipotenti Domino de officii tui aſſiduitate ſemper placere valeas. Quod ſi aliter contra præcipuas & non violandas ſanctorum patrum inſtitutiones, atque contra hanc noſtram ſaluberrimam juſſionem agere præſumpſeris, & ad tuam eccleſiam, tuumque paſtorem, ſicut regula eccleſiaſtica docet, redire contempſeris; ſcias te Dei omnipotentis virtute, & beati Petri apoſtolorum principis noſtraque auctoritate, atque canonico patrum judicio, fore omni eccleſiaſtica communione privatum: quouſque, ut prædictum eſt, ad tuam eccleſiam redire, tuoque paſtori humilitatis colla ſubdere omnino ſtudueris, quoniam ferro neceſſe eſt ut abſcindantur vulnera, quæ ut illis manum adhibueris, fomentorum non ſenſerint medicinam.

CCLXII. AD ATTONIUM.

Excommunicat eum, niſi eccleſiæ Mediolanenſi bona quæ abſtulerat reſtituat, & ad obedientiam ſui archiepiſcopi cum ſociis redeat.

Attonio excommunicato.

MIſſa præſulatui noſtro ab Anſperto ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopo relatione, atque ſuggeſtione didicimus, te multa per horrendæ temeritatis impudentiam, ſive audaciam egiſſe illicita, & in contemptum beati Ambroſii, atque ipſius antiſtitis contrarietatem, in locis, & rebus ei pertinentibus mala, & quæcumque poteras enormiter una cum filiis tuis commiſiſſe adverſa. A quorum ſcilicet perpetratione aſſidua, te quaſi ovem gregis dominici, multis jam vicibus arguendo, obſecrando, & increpando convenire, atque removere curavit, ne antiqui hoſtis callida perſuaſione ſemel deceptum in profundum mortis barathrum lapſum jacere omitteret. Sed quia te ſanctæ admonitionis verbis ſalubribus humili prorſus devotione non obedire, neque aurem cordis (velut aſpidem ſurdam) inclinare, vel acquieſcere nolle aſpicens, poſt tot correptiones una cum venerabilium coepiſcoporum cœtu a ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini ſecundum inſtitutionis paternæ cenſuram, communione ſeparavit; & ab eccleſiæ Dei ſocietate merito removit. Et adhuc in eadem ſorde iniquitatis fœtidum, & vulneratum te dolet jacere, cordeque impœnitenti nolle ad te percutientem reverti aſpiciens, clamat, ut per ſalutis medicamenta animi tui valeat vulnera male inflicta ſanare. Unde & nos paſtorali ſolicitudine, atque confratris noſtri archiepiſcopi hoc præſenti dilectione commoti auctoritatis noſtræ ſtatuto jubemus, ut tanta perverſitate, & cordis duritia jam procul abjecta, quoniam hactenus Dei timore poſtpoſito, multos tuæ iniquitatis lepra coinquinaſti, & tantorum malorum auctor eſſe non dubitaſti, præcipimus te cum omni celeritate reverti ad veram præfati pontificis tui ſatisfactionem cum filiis, & tuis omnibus complicibus: quorum incentor adhuc malorum poſt tantas correctiones eſſe non timuiſti, & ejus ſalubribus monitis ſubditus, & ſubjectus exiſtas. Omnibus tamen eccleſiæ deprædationibus in integrum reſtitutis, & ſecundum ipſius eccleſiæ privilegium emendatis, atque ſolutis: quod ſi poſt hujus noſtræ præceptionis relectam epiſtolam in tua iniqua obſtinatione perdurans, ut dictum eſt, ad præfatum pontificem tuum redire ſatisfaciendo contempſeris, ex auctoritate Dei Patris, & Filii, ac Spiritus ſancti virtute, beatorumque apoſtolorum Petri ac Pauli, & omnium ſanctorum patrum, noſtraque apoſtolica ſanctione ſecundum jam dicti dilecti confratris noſtri archiepiſcopi, & epiſcoporum ſententiam jam olim in te prolatam, jubemus te cum filiis & complicibus tuis omni eccleſiaſtica eſſe communione privatum, & a cœtu, atque ſocietate omnium Chriſtianiſſimorum, utpote tantorum malorum perpetratores inconvertibiles, ſecluſos & damnatos exiſtere; quouſque omnia, quæ perperam geſſiſtis, emendando, canoniceque ſatisfaciendo, veniam condignam percipere mereamini. Data XV. Kalendas Martii indictione XIV.

CCLXIII. AD LUDOVICUM ET CARLOMANNUM REGES.

Rogat ut cum Carolo imperatore conſentiant de revocanda & Romam mittenda Angelberga: ubi eam ita ſe cuſtoditurum pollicetur, ut contra ipſos moliri nihil poſſit.

Ludovico & Carlomanno regibus: & Hugoni abbati.

NOſſe volumus veſtram dilectionem, quia ſpiritalem filium noſtrum Carolum ſereniſſimum imperatorem Romæ nobiſcum degentem rogavimus, ut ſpiritalem filiam noſtram Angel-

bergam Deo devotam, quæ se sancto Petro apostolo, & nobis, cum suis omnibus commendaverat: quam etiam conjux illius divæ memoriæ Ludovicus Augustus adhuc vivens nostræ tuitioni specialiter submiserat, ab exulatu reduceret, & apud nos eam Romam, ubi nulla jam de illa sinistra suspicio oriri posset, pro amore Dei, & Christi clavigeri ipsius beati Petri apostoli, simulque nostro dirigeret. Quod ille libenter se facturum promittens, quantum comperimus, vestrum super hoc præstolatur assensum. Et quidem nos de communi dilectione & pace sive concordia vestra gaudemus, & Deo pro hoc innumeras grates referimus. Sed tantum de ipsius spiritalis filiæ nostræ recuperatione & reditu vos deprecamur, quantum, si ipsa ad nos reducta fuerit, ut nihil penitus jam, vel contra eumdem imperatorem, vel contra vos agere possit, nostris vos attestationibus certissimos reddimus. Idcirco juncta vestra devotio cum ejusdem Augusti obedientia, absque omni prolatione, jam dictam Deo devotam fœminam, quam ad limina apostolorum, a quorum confessione altarium nostro semper tuendam præsidio suscepimus, pro amore Dei & nostro remittere, quantum in vobis est, non omittatis. Quia si hic apud nos rediens habitaverit, tanta custodia circumspecta, nobis credite, erit, ut nec Bosoni, nec alii homini, ad perturbationem imperii sive regni, quodlibet adjutorium vel auxilium verbis aut scriptis præbere quoquomodo valeat. Verumtamen unum est, quod vobis veraciter, & unde occasionem vos ad nos contemnendum non possitis assumere, hoc ecce proponimus: scilicet, si eamdem Angelbergam vel in modico contra imperialem aut nostram voluntatem adversi quippiam moliri aut velle manifestis cognoverimus indiciis, præsentialiter illam reddere ac remittere imperialibus satagemus obtutibus: quatenus quæ disciplinam forte recipere, quod nec optamus, distulerit, non solum mundana vestra judicia non evadat, verum etiam nec nostram miserationem, quæ delinquentibus parcere consuevit, inveniat. Ideoque, carissime fili, estote in hoc nostri cooperatores & adjutores, & audiat nos continuo excellentia magnitudinis vestræ, ut & vos a Domino exaudiri mereamini, & per felicia tempora regni gubernacula moderantes, cum Christo regnum, quod finis nullus angustat, intercedentibus beatis apostolis, capessere valeatis. Data IV. Idus Martias, indictione XIV.

CCLXIV. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Recipit Hadericum sub tutela sedis apostolicæ, & excommunicat omnes, qui illi, vel ejus ecclesiis molestiam intulerint.

Omnibus reverendissimis episcopis & sacerdotibus seu clero, ac populo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

BOni patrisfamilias, quem bene & fideliter laborantes remuneratione cognoscimus, informati exemplo, & apostolicæ auctoritatis & miserationis magisterio, seu benevolentia, omnibus, quos pro ecclesiæ Dei utilitatibus fideliter desudare conspicimus, subvenire debentes, opportunum ac necessarium nos oportet præbere auxilium. Igitur quia te Hadericum venerabilem presbyterum, & abbatem sacrorum monasteriorum beatorum scilicet Gervasii & Protasii, atque Simpliciani, nec non ex xenodochii * sanctorum Cosmæ & Damiani, quod Romanorum dicitur, & alia tua beneficia, vel patrimonia intra vel extra civitatem Mediolanensem constituta fideli devotione, totoque mentis conamine pro pristino statu & vigore atque restitutione sanctæ Mediolanensis ecclesiæ ter quaterque in obsequio Ansperti reverendissimi archiepiscopi tui atque confratris nostri devotum atque in omnibus fidelissimum permanere, atque decertare omnino, & evidenter comperimus, & legationem Ambrosianæ ecclesiæ catholica fide, te & prout vires suppleverunt, ardentissimo ardore explere, crebro cognovimus. Et ob hoc aliquos contumaciæ livore adversum tuam commotos esse dilectionem, vel ob alias causas invidiæ, qui & modo labiis dolosis zeli contra te concitati, & postmodum callidis argumentis nocivam tibi moliuntur, nostro statuto decernimus, atque Dei omnipotentis auctoritate, beatique Petri apostolorum principis, & nostra sanctione statuimus, nulli unquam archiepiscoporum, vel sacerdotum, aut cujuslibet ordinis clericorum ejusdem sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, nec aliarum ecclesiarum, neque alicui magnæ parvæque personæ, cujuscumque honoris præditæ dignitate esse licitum, pro tuæ laudabilis devotionis affectu & pro tuæ fidei sinceritate, atque caritatis certamine, quod pro ipsius ecclesiæ utilitate nostris te diebus habuisse cognovimus, aliquam tibi quocumque modo, vel sub ecclesiasticarum erum obtentu, interre calumniam, aut his præfatis, quæ pro tui digni laboris merito retines beneficiis, & patrimoniis, vel a quibus propriis rebus mobilibus privare: sed diebus vitæ tuæ, secundum auctoritatis nostræ decretum, pro amore Dei, & mercede animæ nostræ, tuaque fidelitate, quam tuæ te novimus habere ecclesiæ, liceat tibi sub apostolicæ sedis, successorumque nostrorum tutamine, cum propriis beneficiis, & cum omnibus tuis hominibus utriusque ordinis, manere quietum, atque securum. Porro quicumque contra hoc nostrum statutum, temerario ausu agere, teque pro hujusmodi negotio calumniare præsumpserit, omni eum ecclesiastica judicamus communione carere, quousque per congruam satisfactionem, in nostra successorumque nostrorum præsentia, quod perperam læserat, emendare curaverit. Et ideo nostra etiam apostolica auctoritate præcipimus, te nusquam cujuslibet episcopi, vel sacerdotis subjacere judicio, quousque in nostram, vel successorum nostrorum libere, ac securiter sine alicujus obstaculo, vel impedimento præsentiam venias. Data *ut supra*.

* *alii* deest

CCLXV. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Arguit eum, quod non fregerit fœdus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere: ostendit multa mala ejus causa a Sarracenis, Christianis fuisse inflicta: minatur illi excommunicationem, nisi fœdus illud rumpat.

Athanasio Episcopo Neapolitano.

JAm quia te lactantium, & ab ipsis cunabulis educantium sancta matris tuæ Romanæ ecclesiæ oblitus es uberum; vel nostræ benevolentiæ non debueras obliviscī: quam tibi paternaliter exhibentes, & salutis tuæ consulta prævidimus, & in temporalibus commodis juxta qualitatem tem-

temporis, præsidia quæque contulimus : & quoniam cooperatorem nostrum in his, quæ Dei sunt, te habere volumus : nimisque tuam sanctimoniam diligimus, monemus ut vel nunc ad cor redeas ; ut prava quæque juxta tuum ministerium diluas, & inimicorum Christianorum nominis fœdus execrando devites : quatenus & animæ tuæ lucrum acquiras, & nostris magis ac magis affectibus perfrui valeas, & blasphemiis ac maledictionibus reliquiarum populi Christiani, divinitate propitia careas. Memento quæso quid es ; memento, quid, si non respueris, etis ; & judiciorum Domini memor esto, ne pro tantis Deo rationem reddere cogaris, quanti per tuam desidiam interempti sunt, & captivi ducti diversis mortibus perierunt. De quorum crudelitate quid dicere possumus ? Cum tanta hinc flenda sint & lugenda, ut si scribere velimus, & lacrymarum rivuli crescent, & primum charta quam verba deficient. Denique apud Cajetam olim nobis necessario constitutis, legati tui promiserant, ut intra spatium viginti dierum, non solum cum Agarenis habitum pactum dissolveres ; verum etiam Sarracenos caperes, & nobis eos transmitteres : sed ecce, quod promissum est, fide hactenus caruit, & omnium sponsionum tuarum dicta cassata sunt, & ut apparet, frustrata. Unde, sicut diximus, cesset jam, cesset hæc immanissima pestis, ut reliquiæ Christianæ funditus non depereant, & tu animæ tuæ dispendia non incurras : quia si populo Dei compassus fueris, & Deum tibi propitium facies, & nostram paternitatem solito more percipies, & ministerium tuum custodies : alioquin non solum nostra tibi non dimittemus, sed etiam canonicam in te sententiam juxta nostrum ministerium jaciemus. Sed & hoc nostri apostolatus auctoritate monemus, & excommunicando modis omnibus interdicimus, ut quia *ecce tempus acceptabile est, ecce nunc dies salutis*, nullam seditionem, nullam commotionem, nulla discrimina, vel læsionem cum his, qui in Berolasi commorantur, aut facias, aut facientibus omnino consentias : quatenus pacem sectando, ab omni nequitia purgatus, munus Deo immaculatum offeras, & caritatem Dei in tuo vase diffusam cohabitare permittas : quia nos, quibus de omnibus cura est, Deo juvante, congruenter illuc properabimus, & inter vos, te potissimum cooperante, pacem & amicitiam reformabimus. Data pridie Idus Martii, indictione XIV.

r. 6.

CCLXVI. AD ADELCHISIUM EPISC. TRIDENTANUM.

Arguit eum, quod bona Veronensis episcopi invaserit : ejus causam quibusdam episcopis se commisisse significat : monet ut eorum acquiescat sententiæ.

Adelchisio episcopo Tridentano.

SUggerente coepiscopo nostro Adelardo Veronensi episcopo didicimus, sanctitatem tuam aliter egisse quam se canonica, immo Christiana observantia habere videtur. Quia scilicet contempto præcedentium patrum judicio, cui ipse interfuisse dignosceris, res quasdam ad sanctam Veronensem ecclesiam pertinentes invasisse diceris : & contra manus tuæ subscriptionem te egisse quodammodo suspicaris : in quarum rerum diffinitione, si sedis apostolicæ legati non interessent, speraremus adhuc posse nos aliorum certificari super hoc attestationibus. Sed quia hoc non esse opportunum prævidimus, Joanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, Eicardo Vicentino, & Viatori Ferrariensi venerabilibus episcopis, ad hoc secundum Deum providendum, & quantum ad contemptum inobedientium pertinet, rursum diffiniendum, vicem nostram super hanc quæstionem commisimus ; ut in id ipsum convenientes, hoc litigium cum sanctitate tua determinent, & irreprehensibiliter, Deo præ oculis habito, diffinire procurent. Quapropter fraterno te amore monemus ut in hoc ita peragas, quatenus a nobis merito reprehendi non possis, & canonicam sententiam non excipias : verumtamen ad locum, quem prædicti venerabiles episcopi tibi significaverint, occurrere non omittas. Et de eisdem rebus Asianæ villæ respondeas, ut ex hoc jam nulla quæstio prorsus remaneat, vel renascatur. Data *ut supra*.

CCLXVII. AD JOANNEM, EGILULFUM, *&c.*

Causam inter Tridentanum, & Veronensem episcopos versantem eis committit : monet ut eam jure definiant, & ad se sententiam mittant, ut eam confirmare possit.

Joanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, & Eicardo Vicentino, & Viatori Ferrariensi episcopis.

SAnctitatem vestram nolumus ignorare quoddam olim inter sanctam Veronensem ecclesiam, & Tridentanam de quibusdam rebus Asianæ villæ exortum fuisse litigium, quas Veronensi ecclesiæ pertinuisse probavimus, sicut a legatis nostris, qui tempore illo in Italiæ partibus legationis nostræ fungebantur officio, veraci relatione comperimus : quorum & judicii diffinitionem vidimus, & eorum subscriptiones manuum lectione percurrimus ; quo manifestius declaratur easdem res ad sanctam Veronensem ecclesiam juste pertinuisse, & eas in perpetuum possidendas diffinitum fuisse. Sed quia sæpe contentio solet generare discordiam, nunc, sicut dicitur, Adelchisius venerabilis Tridentanus episcopus, contra diffinitionem ipsam peragens, atque contra professionem, manusque suæ subscriptionem movere præsumpsit, reverentiæ vestræ super hoc negotio vicem nostram committimus, ut ad illas partes accedentes cum Adelardo, & eodem Adelchisio, venerabilibus episcopis, hoc litigium, (licet hoc, quia cum legatis nostris deliberatum est, superfluum judicemus,) rursum audientes deliberetis, & ad legitimum finem perducere modis omnibus satagatis : quo rite, & secundum seriem scripturarum suarum peracto, quidquid illud fuerit, nostro apostolatui scriptis vestris volumus intimari : ut nos & libenter accipiamus, & nostra auctoritate stabilire non omittamus. Quia & primum coram apostolicis missis, aliisque reverendissimis episcopis in synodo Ticinensi, & post in Tridentina ecclesia, nihilo minus coram nostris legatis & aliis imperialibus judicibus, de hoc judicatum fuit, & legaliter diffinitum. Data IV. Nonas Martii, indictione XIV.

CCLXVIII. AD METHODIUM ARCHIEPISCOPUM.

Gratulatur de orthodoxæ fidei cultu, & de ejus erga religionem ſtudio & cura : precatur in dies ſpiritualem profectum majorem, eumque conſolatur.

Methodio archiepiſcopo, pro fide.

PAſtoralis ſolicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo noſtro exhibes, approbantes, & orthodoxæ fidei te cultorem ſtrenuum exiſtere contemplantes, nimis in eodem Domino jocundamur, & ei immenſas laudes, & gratias agere non ceſſamus: quia te magis ac magis in ſuis mandatis accendat, & ad ſanctæ ſuæ eccleſiæ profectum ab omnibus adverſitatibus clementer eripiat. Verum auditis per tuas literas variis caſibus, vel eventibus tuis, quanta compaſſione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis poſitum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ doctrinam, juxta ſanctorum patrum probabilem traditionem, ſequi debere monuimus, & tam ſymbolum, quam rectam fidem a te docendam & prædicandam ſubdidimus; noſtriſque apoſtolicis literis glorioſo principi Sfentopulco, quas eis aſſeris fuiſſe delatas, hoc ipſum ſignificavimus, & neque aliæ literæ noſtræ ad eum directæ ſunt, neque epiſcopo illi palam, vel ſecreto aliud faciendum injunximus, & aliud a te peragendum decrevimus: quanto minus credendum eſt, ut ſacramentum ab eodem epiſcopo exegerimus, quem ſaltem levi ſermone ſuper hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque ceſſet iſta dubietas, &, Deo cooperante, ſicut evangelica & apoſtolica ſe habet doctrina, orthodoxæ fidei cultum fidelibus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis Domino Jeſu Chriſto fructum afferas abundantem; & gratia ejus remuneratus, mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diverſo modo perpeſſus es, noli triſtari; quin potius hoc ſecundum apoſtolum, omne gaudium prorſus exiſtima. Quia ſi Deus pro te, nemo eſſe poterit contra te: tamen cum Deo duce reverſus fueris, quidquid enormiter adverſum te eſt commiſſum, quidquid jam dictus epiſcopus contra ſuum miniſterium in te exercuit; utramque audientiam coram nobis diſcuſſam, adjuvante Domino, legitimo fini trademus, & illius pertinaciam judicii noſtri ſententia corripere non omittemus. Data decimo Kalendas Aprilis, indictione decimaquarta.

CCLXIX. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Nunciat imperatori, ſe iis malis a Sarracenis affici, ut amplius ſuſtinere non poſſit: rogat eumdem, ut ſibi ſubſidio exercitum mature mittat; eique palmam cum benedictione mittit.

Carolo imperatori.

Carolus ejus nominis tertius, Craſſus dictus, cujus ſupra in epiſt. 42. facta eſt mentio.

MUltarum oppreſſionum noſtrarum, fili cariſſime, vobis obliviſci non convenit, & calamitatum noſtrarum, quas ſancta mater veſtra Romana eccleſia patitur, oportet vos reminiſci, & tunc demum ad aliquam conſolationem noſtram manum veſtræ pietatis porrigere, & auxilium nobis præbere quantocius debetis: Scitis namque quæ, quanta & qualia, præcipue a Paganis mala, quantaſque etiam miſerias patimur; & in nobis commiſſis, quantum quotidie affligamur, & vos eſtis experti, & nos partim veſtræ clementiæ paulo ante ſignificavimus. Et cum quotidie hæc eadem mala non minui, ſed magis ac magis creſcere ac dilatari cernamus, dolor & gemitus, ac fine fine triſtitia imminet, ac per hoc libet magis mori, quam, proh dolor! jam talia tolerare. Proinde, ſpiritalis fili, ſemperque Auguſte, gloriam veſtram ſummopere deprecamur, ut pro amore Dei omnipotentis, & reverentia principum apoſtolorum Petri ac Pauli * hoſtilem exercitum, quem iſtas in partes venturum eſſe dixiſtis, moram perpeti non ſinatis, ſed cum omni velocitate, ad auxilium noſtrum, quæſumus, dirigatis: ut Domino adjuvante, ad reſpirationem noſtram Agarenos expugnet, & nobis quantulamcumque de ipſis Paganis tranquillitatem valeat ferre. Sed & e latere veſtro, qui eidem exercitui præeſſe poſſit, tam ſtrenuum, tamque idoneum miſſum modis omnibus tribuatis, qui & ductor exercitus veſtri exiſtat, & quam defenſionem, vel adjutorium nobis faciant, ipſe prævideat; & quidquid veſtra vice eſt peragendum, poteſtateve perficiat. Alioquin non ſolum ex hoc maxima negligentia erit, & omnis veſtra utilitas deperiet, ſed etiam noviſſima noſtra erunt pejora prioribus; & vos, quantum ex hoc habeatis peccatum, dici non poteſt. Ideoque propter Deum ſuccurrite nobis, ſuccurrite, ut non dicant in circuitu nationes: Ubi eſt imperator eorum? Præterea honorificentiæ veſtræ cum benedictione apoſtolica palmam, per quam ſignum datur victoriæ, ecce ex more direximus, exoptantes, omnipotentemque Deum deprecantes, ut hanc cum lætitia vos in die tantæ ſolemnitatis geſtare faciat, atque permittat. Et ad omnium noſtrum utilitatem & profectum, aures præcordiorum veſtrorum divinitus inclinare dignetur. Data IV. Kalendas Aprilis, indictione XIV.

* f.

CCLXX. AD DIVERSOS EPISCOPOS.

Athanaſium Neapolitanum epiſcopum, qui ſæpe monitus, nunquam, ſicut promiſerat, fœdus cum Sarracenis ictum rumpere voluit, a ſe cum omnibus ei conſentientibus excommunicatum ſignificat.

Omnibus epiſcopis Cajetam, Neapolim, Capuam Berolaſſim, & Amalfim, Beneventum, & Salernum incolentibus, a paribus.

QUæ & quanta ab Athanaſio Neapolitano epiſcopo Chriſti eccleſia patiatur adverſa, optaremus vobis non eſſe dicturos, niſi eſſent ſupra modum gravia. Ecce enim, ut ipſi jam ex maxima parte non ignoratis, ad perditionem totius Chriſtianitatis, a multis retro temporibus cum filiis Iſmael & Deo ſcilicet odibilibus Sarracenis pactum faciens, omnem iſtam terram ita ad nihilum redegit, ut jam non ſit, qui eam prorſus inhabitet. Super quo ſcelere eum ſæpiſſime commonuimus, & corpori noſtro omnimodo non parcentes, uſque Neapolim properavimus, multumque argenti ei contulimus, & rogavimus, ut ab eorum ſe ſocietate divideret, ut tandem aliquando reſipiſcens, tantam peſtem deleret. Qui, ut ita dixerim, importunitatem noſtram licet ficte non tolerans, promiſit ſe ita eſſe facturum, & pactum cum Sarracenis habitum

tum ſoluturum, ſub ea dumtaxat conditione, ut ſi deinceps hoc malo ſe quocumque modo miſceret, & ſacerdotio eſſet privatus & anathemati ſubjaceret. Sed, heu, pro turpis lucri commodo, quod ab ipſis Sarracenis, de præda eorum partes recipiendo, hujus promiſſionis oblitus, noluit adimplere, quod multis coram poſitis ſcriptis & verbis promiſit. Rurſum nobis non modici argenti adauctis ponderibus, & apud Cajetam pervenientibus, per ſuos legatos ei mandavimus, ut ſi intra triginta dierum ſpatia cum Sarracenis habitum fœdus non rumperet, aut ea quæ nobis tergiverſando abſtulerat, non retranſmitteret, noſtro judicio iterum ſententiam, quam ipſe in ſe pertulit, prorſus exciperet: ſed tam varia juramenta, quam abſolutas promiſſiones poſtponens, nos de die in diem deluſit, & foris omnibus diſſipatis, intus vero per ſuam calliditatem multis noſtris ablatis, hactenus nec cum Sarracenis habitum pactum diſſolvit, nec reliquiæ Dei populi voluit miſereri. Quin potius cum ipſis converſans, de ipſis malis in pejus crevit, & Dei mandata contemnens, ſacerdotii etiam ſui oblitus non ſolum ſimilis illis effectus eſt, ſed etiam in multis deterior. Hujus rei gratia apud beatum Petrum apoſtolum ſynodice in eum ſententiam protulimus; & cum omnibus ſibi conſentientibus, ſive faventibus, omni eccleſiaſtica communione ſub anathematis interpoſitione privavimus. Modus autem excommunicationis hic eſt: Athanaſium Neapolitanum epiſcopum ſæpiſſime admonitionibus, & multis argenti ponderibus datis, ut pactum cum Sarracenis habitum diſrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum ſe omnimodo ſoluturum, & ab eorum ſocietate ſeparaturum eſſe promittens ſub ea conditione, ut ſi denuo cum illis quolibet modo fœdus habuiſſet, omni eſſet ſacerdotali honore privatus, & anathematizatus: ſed hæc omnia parvipendentem, & ad perditionem Chriſtianorum cum eis pactum habentem, & nos ſæpiſſime deludentem, & de præda eorum partem recipientem, judicio & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum Petri ac Pauli ſimul & noſtra, cum omnibus ſequacibus ſuis, & omni eccleſiaſtica communione privamus, & quouſque ſe ab ipſis Sarracenis penitus ſeparaverit, velut totius Chriſtianitatis inimicum anathematizamus. Data menſe Aprili, indictione XIV.

h. 881.

CLXXI. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Arguit quod Albericum comitem Ravennam aſciverit, & nobiles Ravennates contra jusjurandum ſibi præſtitum vexarit: cum Neapoli reverſus fuerit, ait ſe ea omnia curaturum: jubet Dominicum archidiaconum Faventinæ eccleſiæ epiſcopum conſecrari.

Romano archiepiſcopo Ravennati.

EA quæ noſtro præſulatui pro utilitate & neceſſaria ſanctæ Ravennatis eccleſiæ reſtitutione perficienda mandaſti, lucifluis anteceſſorum noſtrorum informati exemplis, congruum & opportunum eidem eccleſiæ libenter volumus, Deo favente, præbere ſolatium, & defenſionis auxilium: præcipue cum ipſius nos tibi commiſſum habeamus regimen. Sed quia multi nobilium Ravennatium, crebris dumtaxat querimoniis apoſtolatus noſtri aures pulſare non deſinunt, circa te clementiæ noſtræ benevolentia commota non immerito habetur. Nam ut cetera omittamus, quia Albericum comitem quaſi ex parte imperiali Ravennam adſciſcere, & nobiles cives ipſius nobis inconſultis auſu temerario diſtringere enormiter coegiſti, miramur, eo quod te adverſum tuam promiſſionem jurejurando coram nobis, & ſede apoſtolica prolatam, penitus egiſſe cognoſcimus. Pro quo nimirum te valde cavere oportet, ne pro talibus tua ſententia velut tranſgreſſorem ulciſcatur. Nos enim te gregem Domini paſcere, non perturbare; ſalvare, & non perdere ſtatuimus. Tamen cum nos, Deo volente, Neapoli, quo nunc proficiſcimur, fuerimus reverſi; & aut tu, ſecundum noſtram tibi juſſionem directam, Romam veneris, aut nos vel miſſus noſter iſtas in partes venerimus, plenariam de omnibus, quæ tuæ eccleſiæ cognoverimus eſſe neceſſaria, juſtitiam omnimodo faciemus. Defuncto præterea eccleſiæ Faventinæ epiſcopo prævidimus hunc Dominicum venerabilem archidiaconum, ſedis ipſius honore epiſcopali dignum exiſtere. Hoc auctoritatis noſtræ ſtatuto præſenti dilectioni tuæ præcipimus, ut abſque omni mora, vel protelatione eumdem archidiaconum ſtudeas ſecundum morem epiſcopum conſecrare. Nam ſi aliqua temeritate depravatus, hoc contra tuæ ſponſionis juratoriam paginam præſentialiter facere contempſeris, pro certo ſcias quia nos ipſius eccleſiæ curam & ſolicitudinem habentes, jam fatum archidiaconum ad nos ex noſtra præceptione illico revertentem epiſcopum conſecrabimus. Data *ut ſupra*.

CLXXII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Arguit eum, quod alterius legitimam uxorem raptori tradi conſenſerit, & Romanæ eccleſiæ auſus fuerit adverſari: has ob cauſas illum a conferendis ſacris ordinibus ſuſpendit, donec a ſynodo, ad quam eum jubet venire, ejus cauſa cognoſcatur.

Romano archiepiſcopo Ravennati miſſa per Deltonem venerabilem epiſcopum.

INter cetera quæ de te audivimus, veniens Deuſdedit dux retulit nobis, quod uxorem illius, de qua legaliter diffinitum eſt, ad te callide venire feciſſes, & alteri viro raptori in ſtupro utique tradidiſſes: quod nimirum tanti flagitii ſcelus te, juxta tuum miniſterium, omnimodis prohibere, ac funditus reſecare oportebat: tu autem conſenſum illicite præbuiſti. Cognoſcimus etiam multis indiciis, quod auſu temerario contra ſanctam & dominam tuam Romanam eccleſiam recalcitrare, & contra tuæ juratoriæ ſponſionis tenorem luculentiſſime agere nullatenus dubitaſti. Unde auctoritate Dei & beati Petri, noſtraque tibi præcipimus, & præſenti ſtatuto jubemus, ut nullam omnino ſacerdotalem ordinationem pro talibus, quibus es irretitus criminibus, facere quoquomodo præſumas donec VIII. Kalend. Octobris futuræ quintædecimæ indictionis, ad ſynodum, quam, Deo favente, pro eccleſiaſticis videlicet utilitatibus, ſecundum ſanctorum patrum ſtatuta celebraturi erimus, omni poſtpoſita occaſione venire procures: quatenus ſynodali decreto ea, quæ de te didicimus, examinata canonicum finem percipiant. Data *ut ſupra*.

CLXXIII.

CLXXIII. AD EUNDEM.

Jubet Placentinos clericos, quos ſine commendatitiis litteris ad eum confugientes receperat, ad eorum epiſcopum remitti; ejuſdem etiam eccleſiæ clericos abſolvi, donec cum eis ad ſynodum veniat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Romano archiepiſcopo Ravennati.

INter ceteras proprii affectus rationes incongruas, quibus teipſum quotidie mente improvida * inſertiri non dubitas, Paulo cariſſimæ Placentinæ eccleſiæ antiſtite ad aures apoſtolatus noſtri humiliter reclamante didicimus, quod clericos ipſius eccleſiæ regulæ normam ſectari nolentes, & idcirco ſine commendatitiis utique litteris ad te confugientes, contra ſacra beatorum patrum ſtatuta recepiſſes, receptoſque tibimet famulari decernas. Quod nimirum propter multam perturbationem, & ſeditiones, quæ ſæpe fiunt, auctoritate apoſtolica, & ſanctorum patrum præcipua inſtitutione amputare volentes, reverentiæ tuæ jubemus prædictæ Eccleſiæ * Faventinæ clericos, quos penes te enormiter habere videris, & præcipue Gauſum diaconum, de præſenti ſuo reddere, vel dirigere procures epiſcopo. Quia non licet quemlibet clericum in duarum civitatum conſcribi ſimul eccleſiis, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit quaſi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem: & ideo eos ad ſuam eccleſiam revocari decernimus, & de illis amplius nullo modo recipias. Te autem aliquid amplius agere cavere prorſus oportet, ne ſanctorum patrum judicio, quod contra hujus regulæ tranſgreſſores prolatum eſt, damnari omnino merearis. At ſi aliquid inter eos adverſi exortum fuerit, canonice inter eos diffinias: ſalvo ſedis apoſtolicæ honore, atque vigore, ſalvoque tuæ eccleſiæ privilegio. Et præterea ſacerdotes, & clericos Placentinæ eccleſiæ, quos excommunicaſti, ut ab eadem excommunicatione abſolvas, quouſque tempore congruo tu cum eis Romam ad ſynodum pariter veniatis. Data menſe Julio, indictione XIV.

* *f.* irretiri.

* Placentinæ *ut ſupra.*

CCLXXIV. AD CONSTANTINUM SACERDOTEM.

Excommuicat eum, quod abſque ſua licentia ab archiepiſcopo Ravennate ad Faventinæ eccleſiæ epiſcopatum promotus fuerit: prohibetque eum illius eccleſiæ adminiſtrationem attingere, donec ad ſynodum Romanam veniat.

Conſtantino ſacerdoti eccleſiæ Faventinæ de plebe ſancti Petri Tranſilvani.

AUdientes te eſſe quaſi ad epiſcopalem honorem a Romano Ravennate archiepiſcopo, ſine noſtri pontificii auctoritate, ſeu licentia, & abſque canonicæ inſtitutionis regula enormiter promotum; his apoſtolatus noſtri literis ex Dei omnipotentis, ſanctorumque Petri ac Pauli apoſtolorum Principum auctoritate, noſtroque apoſtolico jure, te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de epiſcopali officio peragere, aut ipſam Faventinam eccleſiam quoquomodo invadere, neque in plebibus, vel rebus, ſeu hominibus ipſius eccleſiæ, aliquod dominium agere præſumas, uſque quo cum eodem Romano archiepiſcopo tuo, * octavo Kalendas Octobris quam, Deo favente, celebraturi Romæ erimus, tuam ſpecialem rebus præſentiam exhibere procures. Nam ſi contra hanc noſtram apoſtolicam juſſionem, & poſt hujus noſtræ excommunicationis ſententiam, aliquid de ipſo epiſcopali miniſterio agere præſumpſeris, vel in omnibus, quæ ad eumdem epiſcopatum pertinent, temerario te auſu intromittere tentaveris, atque ad denominatam ſynodum occurrere poſtpoſueris; ſcias pro certo, quia non ſolum omni eccleſiaſtica te communione privabimus, ſed etiam ſynodali decreto a ſacerdotali honore te ſanciemus alienum exiſtere. Data XVI. Kalendas Auguſti, indictione decima quarta.

* *alias* 25. *ejuſd. menſ. eſt.*

CCLXXV. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

Ad ſynodum Romam ſub pœna excommunicationis venire jubet, ut ad ea quæ objiciebantur, reſpondeat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Romano Archiepiſcopo.

QUia jampridem miſſis tibi per Joannem venerabilem epiſcopum Montis Feretrani, apoſtolatus noſtri literis, ad ſynodale te collegium pro eccleſiaſticis duntaxat utilitatibus nobiſcum pariter celebraturum occurrere juſſimus, & tuam nobis contempſiſti præſentiam exhibere; nunc multis criminibus irretitum, multorumque hominum accuſationibus horrendis impetitum, & præcipue manifeſto perjurio eſſe pollutum, agnoſcentes, hac ſecundæ vocationis noſtræ auctoritate ad venerabilem ſynodum, quam Deo favente, octavo Kalendas Octobris futuræ quintæ decimæ indictionis, erimus celebraturi, omni occaſione, vel mora poſtpoſita, una cum omnibus ſuffraganeis tuis epiſcopis venire jubemus: quatenus ibi coram fraterno, & venerabili epiſcoporum cœtu, pro omnibus tibi objectis rite examinatis, ore proprio valeas reſpondere, & te innoxium demonſtrare; nam ſi aliqua temeritate tumidus, vel inobedientiæ ſtimulis motus hanc noſtram apoſtolicam & canonicam vocationem, quam tibi primitus per Deltonem, ſeu & modo per Joannem Callenſem venerabiles epiſcopos direximus, parvipendendo ad præfatam ſynodum venire contempſeris; ſcias pro certo, quoniam omni te communione eccleſiaſtica privabimus, & fugiendo, tuæ damnationis ſententiam, tuique honoris patieris jacturam. Data VI. Kalendas Auguſti, indictione XIV.

An. C

CCLXXI. AD EUMDEM.

Deuſdedit Ravennatem injuſte excommunicatum abſolvit: confirmat illius cum Maria uxore conjugium: jubet eum defendi.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Romano archiepiſcopo Ravennati pro cauſa Deuſdedit Ravennatis, & Leoni venerabili epiſcopo miſſo & apocriſiario ſummæ ſedis noſtræ apoſtolicæ, nec non quibuſvis miſſis imperatoris & omnibus judicibus, & populis Romani territorii conſtitutis, cunctiſque fidelibus ſanctæ eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris.

OMnium reverentiam, omniumque induſtriam ſcire hortamur, quod Ravennas Romanus archiepiſcopus, & ore, cum Ravennæ fueramus, di-

dixerit, & scriptis transmiserit, quod nonnulla incesta conjugia in sua parochia fuissent, & quotidie fierent. Deinde per suum legatum, Dominicum videlicet presbyterum, ut ipsi triginta & duo essent, dicendo significavit, suggerens, ut nostra auctoritate ipsi eos liceret canonice omnes judicare. Qui omnibus dimissis, quos etiam nominatim dixerat, & sola inductus invidia ut remur, & postea in sancta patuit synodo, Deuidedit fidelem nostrum (qui, dum Ravennæ fuimus, ipse penes nos quotidie fuit, & coram me, & ipso archiepiscopo causas, ut debuerat, judicavit,) postquam sedem apostolicam appellavit, excommunicare non formidavit. Ipse Deusdedit vero dux pro nostra fidelitate his obedivit, & ad apostolicam præsentiam venire modis omnibus festinavit. Nos suam causam audientes, & qui eum accusare non debuerant, ex parte archiepiscopi non invenientes, poteramus ipsum absolvere, sed noluimus, usquequo archiepiscopo mississemus, immo cui misimus, dicentes: ut ipse archiepiscopus pro statutis sanctarum Dei ecclesiarum, vi. Idus Novembris ad synodum celebrandam veniret, deferens secum accusatores & testes: quatenus his delatis negotium Deusdedit inter alia canonice finissemus. Qui pro se sui cardinis Dominicum presbyterum, & Joannem diaconem misit, transmittens cum illis scriptas accusationes: quibus scriptis coram sancta synodo lectis, ad ea Deusdedit respondit, & se incestum, atque nefarium commisisse negavit; sed coram omnibus se innocentem ostendit, & divini mundanique juris auctoritate se conjugatum probavit. Quapropter una cum sancta synodo illum absolvimus, & eum communioni nostræ recepimus, & Mariam conjugem suam illi uxorem esse legitimam firmavimus, cum benedictione Dei omnipotentis, & nostra: & si præfatus archiepiscopus, aut ministri ejus in rebus suis suorumque hominum invasionem, & fortiam facere voluerit; vos Ravennates pro ipso illum in suis defendite. Data *ut supra*, indictione decima quarta.

CCLXXVII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, causa corrigendi mala, quæ se, eo regnante, perpessum queritur.

Carolo imperatori.

QUia nunc eadem omnibus vobis, jam Deo favente, per humilitatis nostræ officium regnantibus, ubique patimur, & sustinemus adversa, quæ ante vestræ imperialis gloriæ protectionem nos sustinuisse quotidie recordamur; his apostolatus nostri apicibus directis dignum duximus Augustali serenitati vestræ pro utilitate, ac multiplici necessitate ecclesiæ universalis, cui per Dei gratiam præsidemus, suggerere, atque cognitum omnimodis facere, quoniam secundum commune placitum atque decretum direximus Petrum, insignem palatii nostri, super ista delicioſum consiliarium nostrum, communemque fidelem, cum Zacharia venerabili episcopo, & bibliothecario sedis nostræ, pro recipiendis de omnibus, quæ hactenus perperam acta fuerant, justitiis, & emendationibus, ac pro totius terræ S. Petri salute, pristinaque restitutione: quatenus in præsentia missorum vestrorum ea, quæ necessario emendanda & corrigenda erant, jure legitimo corrigerentur, ut tam diuturnum malum finem acciperet.

CCLXXVIII. AD RAVENNATES.

Præcipit ut se a Ravennatis archiepiscopi in synodo excommunicati communione separent, quousque eum absolutum cognoverint.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus & clero atque universis judicibus populoque Ravennati.

NOsse volumus fidelitatem & unanimitatem vestram quia Romanum archiepiscopum vestrum pro perjurii reatu manifeste pollutum, aliisque nefandis criminibus impetitum, & idcirco ad synodum pro sui purgatione vocatum, occurrere contemnentem, omni ecclesiastica communione una cum sanctæ synodi decreto privavimus, quousque suam specialem studuerit nobis exhibere præsentiam. Quamobrem his apostolatus nostri literis vobis jubemus, & ex auctoritate Dei, & beati Petri apostolorum principis, & nostra præcipimus, ut omnes vos ab illius consortio & communione modis omnibus separetis, donec per nostræ apostolicæ miserationis officium, ab hujus excommunicationis vinculo eum cognoveritis absolutum existere. Quicumque autem ei ante audientiam, & absolutionem nostram aliquatenus communicare præsumpserit, eodem excommunicationis laqueo, secundum sanctorum patrum institutionem, maneat irretitus, usque dum a nobis fuerit misericorditer absolutus. Data mensis Octobris die quarta, indictione * duodecima.

* decimaquinta.

CCLXXIX. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Gratulatur de ejus incolumitate: gaudet ipsum adventurum esse statim in Italiam: hortatur ut mature Romanæ ecclesiæ auxilio veniat, & Gudonem prædatorem ab ecclesiæ finibus ejici jubeat.

Carolo imperatori.

COgnoscentes de vestra incolumitate, quod oppido videbamus, Deo gratias egimus, & ut magis ac magis prosperitatibus, & innumeris gaudiis fulciamini, majestatem divinam supplicibus votis omnimodo flagitavimus, scientes & multis experimentis discentes, quod vos eadem vultis, eadem quippe desideratis: quoniam si nostra mediocritas viguerit, & valuerit illa, vos facturos hortabitur. unde & sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestiæ defensio augmentabitur, & vobis copiosa merces in cælo in perpetuum reponetur. Quod autem dicitis, ut postpositis ceteris curis, iter vestrum in Italiam recto itinere ordinatum habeatis; grato animo suscepimus, & ut utinam non solum Papiæ, verum etiam propius esletis, necessitas maxima depoſcit. Ideoque quod cœpistis, cum Dei adjutorio, velociter vestra sublimitas perficere studeat; & ad defensionem, immo securitatem sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, sicut dixistis, ceteris curis postpositis, mente & brachio potenter occurrat: quia quantis affligatur & conculcetur angustiis, jam dicere non valemus. Ceterum de VVidone Rabia, invasore scilicet, & rapaci, vestra gloria subveniat, & eum

eum de finibus noſtris, ut aliquantulum populus noſter relevari valeat, ejicere modis omnibus jubeatis. Data III. Idus Novembris.

CCLXXX. AD LIUTVVARDUM EPISCOPUM.

Gratias agit, quod dederit operam, ut imperator in Italiam ad eccleſiæ defenſionem veniret.

Litvvardo epiſcopo.

STudio tuo (quod cum ſpiritali filia noſtra imperatrice, ſicut aſſeris, ut domnus imperator pro defenſione ſanctæ Romanæ eccleſiæ ingrederetur Italiam, habuiſti), gratias agimus, & ut quod deeſt, ſtet quod te minime latet, tua inſtantia perficiat, multum hortamur: quia tantum nobis neceſſe eſt, quantum docere non valemus. Unde ita age, ut tibi magis ac magis gratias referamus & in temporalibus commodis viciſſitudinem reddere invitemur.

CCLXXI. AD GENEVENSES.

Præcipit ut Optando epiſcopo a ſe conſecrato obediant.

Clero & populo Genevenſi.

DIlectiſſimi filii noſtri Caroli imperatoris, principumque ipſius relatu, veſtram eccleſiam viduatam cognoſcentes paſtore, & propter diſſenſionem Boſonis, cui ſociatus ejuſdem ſedis videtur metropolitanus, ordinationem electi veſtri Optandi differre, auctoritate & poteſtate apoſtolica, ſecundum deprecationem ejuſdem ſereniſſimi imperatoris, filii ſcilicet noſtri ſpiritalis Caroli, atque optimatum ejus, prænognita veſtra omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem ſereniſſimus imperator eidem eccleſiæ electionem perenniter de proprio clero donaverat, diutius ipſa eccleſia ne viduata maneret paſtore, conſecravimus cum ſancti Spiritus gratia; & ad regendum vos paſtoraliter inſtructum direximus, quem devote & unanimiter ſuſcipientes, obedientes ei, utpote proprio patri ſpiritali ſitis in omnibus; ſalvo deinceps ejuſdem loci privilegio antiquo propriæ metropolis, ſancimus, ut quicumque huic noſtræ auctoritati, & apoſtolicæ deliberationi contra ſtare, aut reſiſtere, aut non obedire, vel, quod abſit, electionem ipſius eccleſiæ aliquando pervertere, aut infringere, quam, Deo propitio, juſta eſt aſſecuta, tentaverit; gladio utique canonicæ diſciplinæ noverit ſe feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non evaſurum, ſi digna celeriter non fuerit ſatisfactione ſanatus. Confirmamus denique noſtri apoſtolatus auctoritate, omnes res ejuſdem eccleſiæ pacifice, ac quiete perpetualiter poſſidere. Et quicumque eaſdem invadere ac diſſipare auſus fuerit, poſtquam a proprio epiſcopo canonice admonitus fuerit, ſi ſecundum divinas & humanas leges non emendaverit, ſub anathemate ſit damnatus.

CCLXXXII. AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ET COMITES ITALIÆ.

Hortatur dent operam, ut Carolus imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam ſe ita cuſtoditurum promittit, ut nihil contra ipſum Carolum cum Boſone moliri poſſit; & ſi quid tentaverit, ſe eamdem remiſſurum pollicetur.

Omnibus reverendiſſimis, & ſanctiſſimis archiepiſcopis & epiſcopis hujus Italici regni, & omnibus glorioſis comitibus filii noſtri imperatoris,

SI ea quæ ſaluti & utilitati proximorum neceſſaria ſunt, ſecundum ſolicitudinem & curam gregis dominici nobis ad bene regendum commiſſi, divinæ pietatis memores agere ſtudemus; omnipotentem Deum in his, quibus & ipſi ex humana infirmitate quotidie indigemus, habebimus omnino propitium, & in bonis omnibus procul dubio adjutorium. Igitur ſanctitatem veſtram noſſe volumus quoniam miſſis, & apoſtolatus noſtri literis, dilecti ac ſpiritalis filii noſtri Caroli glorioſiſſimi imperatoris clementiam obnixe rogamus, ut Angelbergam filiam noſtram, quam divæ memoriæ Ludovicus rex pater imperatoris, & Ludovicus imperator vir ejus nobis Veronæ commendaverunt, ac poſtmodum ipſa ſe ſancto Petro tradidit, & de ipſius altaris confeſſione tuendam recepimus, de loco in quo nunc eſſe conſtat, pro amore Jeſu Chriſti Domini noſtri, & pro ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli reverentia, noſtraque paterna dilectione præſentialiter reduci, & ad nos eam dirigere jubeat: Unde vos fratres & comminiſtros noſtros pio mentis convenimus atque hortamur affectu, quatenus in hujus fœminæ reverſione, vel ſalute nobiſcum cooperari, pariterque deſudare ſtudeatis; ut veſtro conſilio, veſtroque inſtanti hortatu, ipſe Auguſtus noſtræ petitionis affectum more parentum ſuorum libenti perficiat voluntate. Nam ſicut illud regnum, in quo nunc illa ſub cuſtodia manet, ejus eſt, ita & iſtud: & ſicut ibi cuſtoditur, ne aliquod ſolatium, vel conſilium dare, facereque poſſit Boſoni: ita & nos eam in tali loco habitare faciemus, quo nihil adverſi moliri, nihilque valeat machinari contrarium ad hujus regni, & imperii perturbationem. Et ſi contra ejus ac noſtram voluntatem aliquatenus eam agere, aut velle cognoverimus; illico ad imperialem remittemus præſentiam, nec noſtro erit amplius adjuta conſilio. Quod nimirum, ut nobis ſine omni dubitatione credatur, unum ex his legatis noſtris venerabilibus epiſcopis, quos pro ea imperatori direximus ſatisfaciendo, repromittere juſſimus ita nos eſſe incunctanter facturos. Neque enim, ſicut cum coepiſcopis, & primatibus ejus promiſſum eſt, nullum temporale adjutorium & conſilium jam fato ſe fore præbiturum Boſoni: & quod, ſicut prædiximus, diligentiſſime cuſtodita, non poterit de his omnibus quidquam agere. Idcirco pet Dominum vos adjuramus, ut toto conamine in hoc opere nobiſcum pro amore Dei deſudare, eique manum porrigere procuretis, ut & nos in veſtris proficuis utilitatibus & neceſſitatibus eſſe prompti poſſimus: & cui manum porrigere vobiſcum omnimodis porrigamus, dignaſque veſtro Deo dilectæ ſanctitati pro veſtro labore, atque devotione gratias habere valeamus.

CCLXXXIII.

CCLXXXIII. AD VVILIBERTUM ARCHIEPISCOPUM AGRIPPINENSEM.

Commendat ejus vigilantiam, & presbyterum quemdam excommunicatum, nunc ipsius testimonio longa pœnitentia purgatum, ejus precibus commotus absolvit, & sacerdotali ministerio restituit: causam Gedeonis adulteri ei committit, ut sententiam canonice ferat.

Reverendissimo & sanctissimo VVilliberto archiepiscopo Agrippinensi.

ALmitatis tuæ prudentiam sacerdotali vigilantia, pro gregis dominici sibi commissi salute, atque de fauce hostis maligni, qui semper incautos ad æternæ mortis profunda pertrahere avide certat, liberatione, juxta pastorale magisterium reverentiæ tuæ divinitus delegatum solicitam fore, literis vestris inspectis luculenter agnoscentes laudamus, cum apostolicæ sedis privilegium perspicaci mentis intuitu conservando hunc tuæ diœceseos presbyterum, nomine Tal, * Ingeltrudæ Bosonis quondam comitis uxori torum conjugalem, contra divinæ legis præcepta relinquenti. Et idcirco ab antecessore nostro beatæ memoriæ papa Nicolao legitime excommunicatum improvide communicasse reperiens, sacra jam olim communione privasti. Quem scilicet, cum tuæ fidelis devotionis attestatione nostro præsulatui dirigens, professus es per annos undecim illatam sibi excommunicationis sententiam humiliter sustinuisse: & quod ex polluto consortio fœminæ venenum attraxerat, longa pœnitentiæ satisfactione purgasse, a vinculo suæ obligationis ut absolveremus mandasti. Nos vero misericordiæ intuitu, precibus tuis inclinati, interni arbitrium judicis sequentes, ab ipsius excommunicationis vinculo, si ita est, eum absolvimus: & omne officium vel ministerium sacerdotale, juxta præcedentem consuetudinem, jubemus solenniter, ac libere cum Domini semper timore peragere. Præterea de Gedeone, cujus uxorem cum germano istius adulterium perpetrasse fateris, ex parte dubii existentes, utrum verum sit quod de hoc dicitur necne, dilectioni tuæ committimus, ut omni ex parte, diligentique cura, rei hujus veritate comperta, quid super hoc excellentissimus doctor beatus Augustinus in libris de adulterinis conjugiis ad Pollentium dixerit; quidque beatus Innocentius papa vigesimo sexto capitulo statuerit, relegens, secundum horum sanctionem ita diffinire procuret; quatenus animabus eorum per pœnitentiæ remedia subveniri possit, & corpora per tuæ sanctitatis providentiam secundum Deum in omnibus dirigantur.

* ue. de-

12.

CCLXXXIV. AD BARNIMERUM COMITEM, SACERDOTES, &c.

Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem apostolicam observantiam: hortatur ad perseverantiam: jubet legatos ad se mitti, quibus revertentibus legatum suum missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem juxta ecclesiæ ritum promittant.

Excellentissimo viro Barnimero glorioso comiti & dilecto filio nostro atque omnibus religiosis sacerdotibus, & honorabilibus judicibus, cunctoque populo pax, & gratia a Domino Jesu Christo.

AUdita per Theodosium venerabilem episcopum vestrum fide & devotione, quam circa sedem beati Petri apostoli, & nostri pontificii vos habere cognoscimus, immensas Deo gratias referentes, magno gaudio sumus repleti; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, & inter oves suas connumerare dignatus est, secundum quod Dominus ipsi principi apostolorum commisit, dicens: *Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas.* Joann. 21. Unde vestram fidelitatem, & Christianissimam devotionem, his nostris apostolicis literis admonemus & exhortamur, ut sicut divina inspiratione agere cœpistis, usque ad finem perficere, & observare non prætermittatis: quatenus qui sub ala & regimine, atque defensione beati Petri apostoli, & nostra, toto conamine vos subdere, atque in ejus servitio perseverare, quasi dilecti filii procuratis, apertius hoc ostendatis, atque impleatis, ut Dominus in evangelio dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5. Et ut ita hoc per orbem terrarum vestræ sponsionis diffametur, ut auxiliante Domino, & sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, ea quæ saluti & utilitati omnium vestrum proficua sunt, possimus ad honorem & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ incunctanter perficere, sicut nomine vestro scripta nobis mandastis, ita in libro cælesti scripta permaneant. Quapropter mandamus, ut revertente ad vos dilecto episcopo vestro, idoneos legatos vestros præsentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium vestrum nos & sedem apostolicam consulant de his quæ mandastis, ut & nos cum illis missum nostrum dirigamus ad vos, quibus secundum morem & consuetudinem ecclesiæ nostræ, universus populus vester fidelitatem promittat. Interim monemus, ut constantes permaneatis, quoniam scriptum est: *Melius est votum non vovere, quam post votum promissa non implere.* Eccles. 5. Spiritus Domini, qui orbem terræ replevit, repleat vestrum cor omni pace & gaudio in Christo Jesu Domino nostro.

CCLXXXV.

Laudat ejus studium erga sedem apostolicam, eumque monet, ut perseveret: pollicetur eum a se in amicorum numero referri: præcipit ut Romam veniat.

SIcut nobis per literas tuas, & verbo tenus, per Deusdedit religiosum presbyterum tuum mandasti, ut fidem & devotionem, quam circa sedem apostolicam habere debes, te velle toto conamine conservare indiminutam asseras, gratanter suscepimus. Unde te omnimodis admonemus, & his apostolicis literis exhortamur, ut nulla inimicorum calliditas, vel seductio amplius a nostra fidelitate quoquomodo valeat te removere; sed secundum sponsionis tuæ tenorem in ea devotissime permanere procures. Quapropter scito quia sine omni dubietate inter dilectos nostros te retinere volentes, volumus etiam & præcipimus, ut & pro necessitate ecclesiæ, & pro tuæ causa utilitatis, Romæ ad nostram apostolicam præsentiam præsentialiter venire indubitanter procures: quia & statum sanctæ Ravennatis Ecclesiæ incolumem conservare, tuumque profectum & honorem perficere, auxiliante Domino, cupimus.

CCLXXXVI. AD IMPERATOREM

Gratulatur de ejus obſervantia erga Romanam eccleſiam: lætatur ipſum Ravennam venire velle, ut de eccleſiæ & imperii ſtatu agat: rogat ut ante diem, quem præſtituerat, accedat.

Ad imperatorem.

RECeptis ſerenitatis veſtræ literis, atque perlectis, ac ſicut nobis per Joannem Venticinenſem epiſcopum verbo tenus mandaſtis: quia cognovimus vos honorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ, & ſalutem terræ ipſius toto conamine velle perficere, exultantes ſumus animo gaviſi. Porro ſicut mandaſtis ut die purificationis beatæ Mariæ ſemper virginis Ravennæ venientes ſimul conjuncti fuiſſemus pro ad conſiderandum, cum Dei auxilio, & peragendum profectum ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſtatum imperii veſtri; nos autem & hoc libenti animo recipientes, volumus quarto die ante jam dictam feſtivitatem vos ibi adeſſe, quia & nos ita deſideratiſſime cupimus vobiſcum ſimul conjungi, & veſtram petitionem libenter adimplere, ſi, Domino annuente, ſanitas corporis divinitus conceſſa fuerit. Et quoniam, ſicut audivimus, vos laborem atque certamen pro eccleſiarum Dei ſtatu, & imperii veſtri incolumitate, atque communi Chriſtianorum ſalute, pio affectu cupitis perficere; his apoſtolatus noſtri literis admonemus & exhortamur ut magis ac magis in hoc veſtra imperialis ſolicitudo proficiat: hoc gloriam veſtram obſecramus, & magnitudinem veſtram, ut cum in has partes venire cœperitis, Supponem glorioſum comitem, & communem fidelem vobiſcum venire jubeatis.

CCLXXXVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Miratur quod legatos non miſerit, quemadmodum jamdiu promiſerat: monet ut id quamplurimum faciat.

Dilecto ac ſpiritali filio Michaeli glorioſo regi Bulgarorum; gratia vobis, & pax a Deo patre, & Domino Jeſu Chriſto.

MIramur quod tanto jam tempore tranſacto miſſos veſtros ad ſanctam Romanam eccleſiam matrem veſtram, & ad nos non tranſmiſiſtis. Modo vero (ſicut nobis retulit Theodoſius venerabilis epiſcopus) miſſos tuos cum eo dirigere promiſeras: ſed pro qua cauſa eos dirigere prætermiſeris, ignoramus. Unde vos jam recognoſcere oportebat, etiam ad paſtorem & pontificem animarum veſtrarum reverti tota devotione debueratis: unde his noſtris apoſtolicis literis, vos quaſi cariſſimos filios admonemus & exhortamur, ut de præſenti veſtros idoneos miſſos nobis tranſmittere non dubitetis: quatenus ab uberibus matris veſtræ ſanctæ videlicet Romanæ eccleſiæ ſatiemini, omnique bono repleamini. Quia nos more paterno ulnis extenſis vos amplecti, & quaſi oves Chriſti nobis commiſſas alere & ſalvare parati exiſtimus, ſecundum quod Dominus dicit beato Petro: *Paſce oves meas*: quidquid enim vobis dirigimus, credere omnino poteſtis, quia pro ſalute veſtra ſemper agere ac perficere incunctanter cupimus. Optamus vos in Chriſto nunc & ſemper bene valere.

CCLXXXVIII. AD OTERAMUM VIENNENSEM EPISCOPUM.

Arguit quod faveat ſociis Boſonis: idque a ſe imperari aſſerat; præcipit ut Romam accedat, ut crimina quæ ipſi objiciuntur diluat.

Oteramo [a] Viennenſi epiſcopo.

[a] *Oter.* qui poſtea curret.

INter eximios nuncuſque Chriſti Dei noſtri ſacerdotes te habere, tenereque omnino volumus: ſed quia eccleſiaſticæ paci & utilitati contraria agere audimus, valde miramur, nihilo minus & turbati exiſtimus, eo quod, ſicut fidelium relatu comperimus, his, qui cum Boſone præſumptore, & regni perturbatore tyrannidem exercere non ceſſant, auſu temerario favere, eorumque malis operibus communicare præſumas, & in ſuperbiam eorum ſequax exiſtens, falſa opinione ſanctam noſtram Romanam eccleſiam infamare non dubitas, quod ad talia peragendum ipſius auctoritatem habere te certifices; quod quam evidenter oſtendere non poteris, pro qua ſcilicet Romana eccleſia te murum opponere omnibus iniqua agentibus debueras. Pro quibus nimirum tot malis, tantiſque præſumptionibus tibi ex auctoritate Dei, & ſanctorum apoſtolorum ac noſtra præcipimus, ut de præſenti Romam ad limina ſanctorum apoſtolorum, noſtramque præſentiam venire procures, ut de talibus te criminibus ſecundum auctoritatem ſanctorum patrum coram nobis & ſede apoſtolica ſatisfaciendo purgare valeas: quatenus te inter fratres & conſacerdotes retinere valeamus. Nam, quod non credimus, ſi aliter feceris, & venire diſtuleris, donec hanc noſtram juſſionem impleveris, ſcias te omni epiſcopali officio eſſe privandum.

CCLXXXIX. AD LEONEM, LANDULFUM ET LANDONEM.

Ut Auxentii filium ab Attinulfo captum, patri reſtituendum curent.

Leoni epiſcopo Thienenſi, item Landulfo epiſcopo, & Landoni Gaſtaldio patri ejus.

AUditu certiori comperimus, quod filium Auxentii Capuani, noſtrum dumtaxat proprium hominem, Attinulfus caperet, & non bene tractans eum violenter teneret, quod admodum admiramur: & quod tale quid præſumpſerit agere, moleſte quippe accepimus. Unde vobis noſtri apoſtolatus literis injungere dignum duximus, ut omnem operam detis, & ex noſtra parte ipſi Attinulfo tamdiu inſiſtatis, quouſque eumdem Auxentii filium, hominem ſcilicet noſtrum, patri ſuo ſalvum reſtituat, & cum ſuis hominibus reddat illæſum. Alioquin ſententiam noſtram evadere non poterit, qui noſtrum hominem tam ſimpliciter ambulantem affligere non contempſit. Vos tamen rogamus, tam ſtrenue agite, ut vobis gratias referamus, & majora vobis committere invitemur.

CCXC. AD LUDOVICUM ET CAROLOMANNUM REGES.

Gratias agit de ipſorum erga Romanam eccleſiam affectu, & mutuum ſtudium pollicetur.

Dilectiſſimis filiis Hludovico & Carolomanno glorioſiſſimis Regibus.

AUdita per venerabilem epiſcopum devotione veſtra, quam circa ſanctam Romanam eccleſiam habere, totoque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Unde a noſtra parte vos certos exiſtere volumus, quia ſicut dominus Carolus divæ memoriæ imperator avus veſter, ac poſtmodum genitor veſter Hludovicus rex, ſub protectione Romanæ eccleſiæ, noſtraque apoſtolica tuitione vos commendaverunt, ita noſtrum apoſtolicum affectum circa vos in omnibus oſtendere, voſque adjuvare ac protegere paterna dilectione atque amore ſemper parati exiſtimus. Præterea de his, quæ per jam dictum coepiſcopum verbo tenus mandaſtis, ita vobis per eum dictis reſpondendo direximus. Nam ea quæ noſtro conſilio reperimus, & vobis innoteſcendo mandavimus, ad veſtrum honorem proficua eſſe omnimodo credite.

CCXCI. AD HUGONEM ET ALIOS COMITES,

Gratias agit de fide, quam Ludovico & Carolomanno regibus ſervabant.

Hugoni eximio abbati, ſeu Bernaldo, Guitoni, & aliis regni glorioſis Comitibus.

AUdientes bonam famam de vobis, quod protectores, defenſores, atque fideles Hludovico & Carolomanno excellentiſſimis regibus, qui nobis a progenitoribus ſuis commiſſi ſunt, in omnibus exiſtitis, gratias referimus maximas. Quapropter his apoſtolicis noſtris literis magnificentiam veſtram exhortamur, ut more fidelium parentum veſtrorum, magis ac magis circa eos veſtram ſinceriſſimam devotionem oſtendatis, quoniam & nos, Deo propitio, in eorum adjutorio vobiſcum pariter in omnibus prompti exiſtimus: ut dignam exinde vos, non ſolum a Deo & a nobis, verum etiam & ab illis retributionem percipere mereamini.

CCXCII. AD ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

Arguit quod detruſo in carcerem Optando epiſcopo, alium in eccleſia Genevenſi conſtituerit: præcipit ut illum ſedi ſuæ reſtituat, atque ad ſynodum veniat ad diluenda ea quæ ipſi objiciebantur.

Oteramo Viennenſi archiepiſcopo.

RElatu veraci didicimus, ſanctimoniam veſtram in Genevenſi eccleſia epiſcopum conſecraſſe, cui nos, neceſſaria temporum qualitate perſpecta, jam primum clericis ejuſdem eccleſiæ ſuggerentibus, auctoritate apoſtolica præfeceramus epiſcopum nomine Optandum. Quo audito, audaciam & temeritatem veſtram nimium admirantes, ob id maxime turbati ſumus: eo quod non ſolum ſuper ordinationem noſtram obices manus A habuiſtis, ſed etiam ad contemptum & injuriam ſedis apoſtolicæ præfatum epiſcopum turpiter capientes arcta cuſtodia retruſiſtis, & rebus, omnibuſque ſuppellectilibus ejus direptis, miniſterium veſtrum, quod nulli Chriſtiano licet, ſacerdotem Domini tetro carcere maceratis: non habentes præ oculis ſcilicet, quod ſacerdotes Domini ſacra ſcriptura aliquando deos, aliquando angelos nominet, & qui eos tangit, tangat pupillam oculi Domini. Quapropter auctoritate Dei omnipotentis, & principum apoſtolorum Petri & Pauli, ſimulque noſtra, vobis præcipimus, ut accepta hac noſtra epiſtola, aut quoquomodo tenore illius audito, ſi intra octo dierum ſpatia jam dictum epiſcopum propriæ ſedi, proprioque honori & dignitati reddere, reſtituereque contempſeritis, a corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus vobis in hoc facto faventibus, ſitis prorſus extorres, quouſque juxta hanc noſtram diſpoſitionem perficere ſatageritis. Et quia alia multa vobis a quibuſdam objiciuntur, quæ ſynodali diſcuſſione ſunt corrigenda, decernimus ut omni excuſatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis Romam ad ſynodum occurrere non omittatis: ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & ſi adverſus eumdem epiſcopum a nobis conſecratum aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire. Hoc etiam ſcientes, quia ſi ad eamdem ſynodum præfato tempore venire diſtuleritis, canonicæ in vos cenſuram ſententiæ proferemus. *Zach. 2.*

CCXCIII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Queritur multa bona eccleſiæ Romanæ a VVidone quodam marchione erepta: rogat ut eccleſiam defendat, & ipſemet adjutor veniat.

Ad imperatorem Carolum.

CUm & ante ſuſceptum imperium, & poſt Auguſtale ſceptrum, per humilitatis veſtræ miniſterium vobis divinitus attributum, nos quidem multoties pro innumeris neceſſitatibus, & multiplicibus oppreſſionibus, quas ſancta mater veſtra Romana eccleſia quotidie patitur, ingenti mœrore afflicti reclamaſſemus: nullum uſque adhuc optatæ conſolationis valuimus promereri auxilium vel defenſionis ſolatium; quia de omnibus immobilibus rebus territorii ſancti Petri, quas nobis Ravennæ conſiſtentibus, in præſentia ſerenitatis veſtræ, uterque VVido marchio pro reinveſtitione reddidit, nec unum recepimus locum; ſed ipſi & homines eorum contra jus & æquitatem omnia retinere præſumunt: nam nobis in Pentapoli, hoc eſt in urbe Fano conſiſtentibus, Adelardus reverendiſſimus epiſcopus, & delicioſus veſter, communiſque fidelis, ſecundum veſtræ delegationis juſſum advenit, & ibi præfati VVidonis, & ſatellitum ejus, qui noſtra violenter tulerunt, ac retinuerunt, præſentiam præſtolati ſumus: quatenus vel inde omnis emendationis & juſtitiæ cœpto initio, per ceteras urbes, de omnibus juxta clementiæ veſtræ decretum, recipiendo coram legato veſtro juſtitias, pariter proficiſceremur: ſed illo ſemper fugiente judicium, & veſtræ juſſionis piiſſimam ſanctionem callide declinando, non veniente, quia nobis ſine profectu aliquo per ipſas civitates, quæ illorum gravamine opprimuntur, proficiſci evidenter extitit

manifeſtum; direximus cum eodem Adelardo venerabili epiſcopo miſſo veſtro, Valpertum reverendiſſimum epiſcopum, & fidelem conſiliarium noſtrum, qui vice noſtra recepiſſet conſolationem juſtitia nobis in veſtra præſentia reddita, & legitimam de aliis omnibus emendationem, qui videlicet profecti nullum juſtitiæ fructum recipientes, ad nos reverſi ſunt. Nos autem omnem excuſationis eorum defenſionem penitus auferre volentes, decrevimus eos iterum mittere, ut ſaltem poſtmodum reciperemus juſtitiam. Qui cum ad prædictum VVidonem rurſum abiiſſent, nihil emendationis, nihilque redditionis ab eo, vel ſequacibus ejus, ſicut promiſſum fuerat, recipere potuerunt. Sed ut antea ſine aliquo ad nos effectu reverſus eſt, & veſter ad vos abſque juſtitiæ contemplatione omnimodo rediit: quamvis ingenti & fideli devotione ipſe confrater noſter Adelardus ad juſtitiam exigendam multimodis decertaſſet. Nunc igitur pro certo ſcientes, nullam nos de tantis malis poſſe habere juſtitiam & emendationem per quemlibet celſitudinis veſtræ legatum, niſi per veſtram imperialem præſentiam; rogamus obnixe, atque per omnipotentem Dominum adjuramus, ut ad defendendam & liberandam de manibus malefactorum, qui eam atrociter devorat, eccleſiam beati Petri apoſtolorum principis vobis commiſſam, quæ vos divino nutu adjutores ac defenſores in omnibus elegit habere, ipſi, Deo auxiliante, venire libenter dignemini: quatenus Dei, & veſtro ſolatio freta, quæ ſua ſunt valeat ſecuriter retinere cum priſtinæ dignitatis decore, ad laudem, & perpetuam animæ veſtræ mercedem.

CCXCIV. AD ATHANASIUM EPISCOP. NEAPOLITANUM.

Ab excommunicatione eum abſolvit, & miniſterio ſacerdotali reſtituit, dummodo pactum cum Sarracenis initum, ſicut promiſerat, rumpat, & ex eis aliquos, ceteris jugulatis, captos mittat, nec deinceps cum eis fœdus feriat.

Athanaſio epiſcopo Neapolitano.

BOni paſtoris eximio informati exemplo, qui venit quærere & ſalvare quod perierat; tanto tempore te per devia errantem, abjecto Chriſti levi jugo, cum infidelibus jugum obſcœna cupiditate ducere non dubitantem, quamvis ſero ad te percutientem reverti velle mandaſti, alacriter recipimus, & inter ceteros conſacerdotes noſtros præcipue honorabilem cupimus retinere; prout ipſe nos jam olim feciſſe procul dubio reminiſceris. Sed quia tua exigente ſceleris tanti audacia, ſancti Spiritus judicio te a conſortio noſtro divini myſterii jure ſubmovimus; nunc ſecundum preces tuas, & relationem Petri venerabilis diaconi tui, ſi modo pactum quod hactenus cum impiis Agarenis habuiſti, manifeſta devotione fregeris, & ab eorum nequiſſima ſocietate conamine te ſeparaveris; atque ſi præſentibus his miſſis noſtris, Marino videlicet reverendiſſimo epiſcopo & ſanctæ ſedis noſtro arcario, & Siconi egregio viro, majores Sarracenorum quantos melius potes, quos nominatim quærimus, cum aliis omnibus ceperis, & jugulatis aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommunicationis abſolvimus, & juxta præcedentem conſuetudinem epiſcopale officium reddimus. Eo ſcilicet modo, vel tenore, ut captis & traditis antea, ut dictum eſt, Sarracenis, deinceps nullum cum eis ulterius fœdus quoquomodo inire præſumas. Nam ſi cum illis iterum pactum aliquod facere tentaveris, in eadem te excommunicatione manere ſancimus, & auctoritate Dei omnipotentis, & beati Petri apoſtolorum principis & noſtra, omni epiſcopali honore te privandum, & perpetuo anathemate damnandum eſſe decernimus.

CCXCV. AD OTERAMUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Agit de Optando epiſcopo, ejus literis reſpondens, & de literis, quas ſcribit epiſcopo Mauriennenſi, ut Romam veniat.

Oteramo Viennenſi archiepiſcopo.

SUſceptis veſtræ fraternitatis apicibus, quod eſſent alicujus, ut ita dixerim, rectitudinis zelo compoſiti, ſatis ubertim cognovimus: quia poſt plurima in eccleſia Genevenſi fatemini vos conſecraſſe epiſcopum, & ut quidam Optandus nomine clericus advenerit, qui in eccleſia Genevenſi nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterat, eccleſiam illam invaſerit. Multipliciter admiramur, cur illa neſcire vos dicitis, quæ totus, ut remur, occidens non ignorat. Præcedenti ſiquidem tempore nobis fuerat nunciatum, ut vos in eadem eccleſia epiſcopum conſecrare contempſeritis; ideo nos, neceſſaria temporum qualitate perſpecta, clericis ejuſdem eccleſiæ ſuggerentibus, auctoritate apoſtolica illic epiſcopum Optandum nomine conſecravimus. Qua ex re non bene vos feciſſe probamus, qui ſuper ordinationem noſtram obices manus habuiſtis, & alterum epiſcopum ibidem ordinaſtis. De hoc autem quod dicitis, quod ipſe Optandus in Genevenſi eccleſia nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit, interim ſilentio eſt tegendum, eo quod, cum caritate veſtra loquamur, nihil horum habens veſtra ſanctitas in Viennenſi eccleſia eſt conſecrata. Verumtamen his interim neceſſario prætermiſſis, ſanctimoniam veſtram jam dudum literis noſtris monuimus, ut quia quædam vobis a quibuſdam objiciuntur, quæ ſynodali diſcuſſione ſunt corrigenda, omni excuſatione remota, VIII. Kalendas Octobris futuræ indictionis primæ, Romam ad ſynodum occurrere ſtuderetis. Nihilo minus autem iterato decernimus, ut eodem tempore apoſtolicæ noſtræ vos præſentetis præſentiæ: ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & ſi adverſus eumdem epiſcopum a nobis conſecratum aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire. Ceterum Adalberto Mauriennenſis Eccleſiæ epiſcopo auctoritatis noſtræ literas, quas ei a vobis dari mandamus, ecce tranſmiſimus, ut cum Barnerio Gratianopolitanæ ſedis epiſcopo eodem VIII. Kalendas Octobris Romam occurrat: quatenus de his, quæ irreverenter tam temerario auſu ſui ordinis immemor intulit, coram nobis pleniſſimam ſatisfactionem exhibeat.

CCXCVI. AD ADALBERTUM EPISCOP. MAURIENNÆ.

Jubet ut Romam veniat cum epiſcopo Gratianopolitano, quem ignominioſe tractarat.

Adalberto Mauriennenſi epiſcopo.

TRiſtis nos nuncius perculit, quando audivimus, quod tu ordinis tui immemor Barnerium

rium Gratianopolitanæ sedis episcopum, hora matutinali in ecclesia sua publice agentem officium, cum multitudine populi, & armata manu, absque reverentia ecclesiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreverenter tecum abstuleris, & ignominiose tractaveris, quod tantum nobis displicuit, quantum te temere egisse modis omnibus comprobamus. Ideoque nostri apostolatus literis tibi mandamus, ut omni excusatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis, cum eodem Barnerio venerabili episcopo Romam ad synodum nostram occurras: ut quidquid inter vos litigii est exortum, nos æquitatis regula potiti, Deo juvante, discutere & diffinire aliquomodo studeamus.

CXCVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Hortatur ut ad fidem & obedientiam Romanæ Ecclesiæ redeat, & legatos mittat.

Michaeli regi Bulgarorum.

CUm non tam initia sint in bonis laudanda, quam finis, Deo omnipotenti factori omnium visibilium, & invisibilium gratias agimus, qui vestrum bene velle hactenus in soliditate veræ fidei solidavit, & sui amatorem efficiens, tamquam re vera ex tenebris olim lumen splendescere fecit, & ad salutem multorum benignissimum cor vestrum gratia suæ potentiæ illustravit: sed & hinc devotioni vestræ dignum duximus congruas grates referre, quod partim finis ostendit, quam fidelitatem erga sanctam Romanam ecclesiam omnium terrarum matrem & caput observare curetis. Cum hanc & initio vestræ conversionis quæsieritis, & ad præsens auxiliatricem habere ad perpetuam scilicet vestram salvationem monstrare non omiseritis, sanctos videlicet apostolos visitando, & eorum, ut diximus, suffragia postulando. Igitur absurdum valde est, ac inconveniens, quod pia vestra voluntas aliter se post habere voluit, quam, sicut omnibus notum est, primum. Vos enim divinitus inspirati matrem omnis religionis, sanctam quippe Romanam ecclesiam ductricem, & viam per quam ad æternitatis pascua duceremini, merito expetistis: & illa, quia omnibus fidelibus viscera materna præbet, ac præbuit, vos expansis ad Deum ulnis, Christo gratias agens, recepit: consequens fuit ut a recti gressu itineris, in partem non flecteremini, nec manum mittentes in aratrum, retro aspicere cujuscumque forte suasionibus niteremini. Numquid non fili carissime sanctum evangelium surda aure auditis, quo legitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit?* aut si audistis, & obauditis: *Redite ad mentem vestram, redite ad cor?* Et vestræ sponsionis reminiscimini. Quia plus amor & timor Dei vos fecit esse creditum apostolici privilegii, quam, ut ita dixerim, exempla multorum. Si enim quod quicumque Deo vovit, hoc debet & reddere, valde oportet, ut vos quod sanctæ Romanæ ecclesiæ sponte voviſtis, fine tenus reddere studeatis: non ignorantes quod B. Petrus apostolus regni cælestis claves a Domino Jesu Christo acceperit, & quibusque fidelibus aperiendi, aliis autem claudendi promeruerit potestatem. Hac igitur (sicut & nostri prædecessores) nos potestate, licet indigni utentes, cogimur, si non emendaveritis quod gessistis, & ad præsens vos in hoc sæculo digne corripere, & ut in futuro, quantum in nobis est, maledictionibus repleamini, non præterire. Hujus rei gratia, fili carissime, festinate corrigere quod inique gessistis; & omni occasione, omnique mora postposita nobis per vestrum legatum quidquid super hoc emendare vultis, mandate: quia nos, Deo juvante, omnem voluntatem vestræ correctionis implebimus, & vos anima & corpore salvos existere cupientes causam secundum Deum ordinare studebimus.

CCXCVIII. AD RICCARDEM AUGUSTAM.

Queritur nullam sibi contra Sarracenorum excursiones opem ferri: rogat ut ab imperatore celeriter postulet auxilium: legatum suum commendat: petit det operam, ut Angelberga ab exilio revocetur, & Romam mittatur.

Riccardi Augustæ, seu Liutvvardo Vercellensi episcopo, a paribus.

TAnta cordis angustia, tantusque dolor & gemitus hinc & inde cum irriguis lacrymarum rivulis nostram ætatem quatiunt, & conquassant, tantusque etiam luctus pro desolatione terræ istius, quam jam funditus a Christiani nominis inimicis, & Deo odibilibus Sarracenis deprædatam cernimus, nos afficit, & intima nostra dissolvit; ut & somnus ab oculis, & a gustu cibus effugiat. Etiam cum Jeremia decantare compellar: *Quis dabit capiti meo aquam? aut oculis meis fontem lacrymarum?* & reliqua. Siquidem expectavimus lucem, & ecce tenebras; quæsivimus adjutorium, & muros urbis egredi non audemus. Nam ante vestrum Romam adventum qualiscumque nobis erat tranquillitas: modo vero intolerabilis, & importabilis persecutionis extat tempestas: quia neque spiritalis filius noster Augustus, neque alicujus alterius gentis homo nobis confert auxilium; & nisi divinitas summa subveniat, aut in desperationem aliquam lapsi, (quia non solum duplum, sicut Dominus dicit, sed etiam triplum, & quadruplum exercitum contra nos venire conspicimus) ea quæ pacis sunt, postulabimus. Aut certe non solum jugo illorum coacti subdemur, sed etiam ab eis capti impie jugulabimur. Quia, sicut scitis, sæpissime reclamavimus, & neque ipse Augustus, ut prætulimus, qualemcumque defensionem nobis exhibuit, neque homines civitatum nostrarum, qui contra Deum, & contra omne privilegium nostrum ab alienigenis, ac si nostri non fuerint, detinentur, ad servitium sanctæ Romanæ ecclesiæ faciendum, sicut solitum erat, ab eorumdem alienigenarum jugo subtraxit. His ergo, carissima filia, clamoribus, ac ululatibus nostris auditis, quia sapientibus loquimur, continuo propter Deum, & propter sanctos ejus apostolos, jam dicto spiritali filio nostro Augusto flexo poplite suggere, ut omnibus omnino necessitatibus, aut omissis, aut certe suspensis, sanctæ matris suæ calamitati subveniat, & conculcationem immo perditionem illius advertens, antequam pereamus, citissimum conferat adjutorium, aut congruum sine mora donet consilium: quia vita nostra nobis non prodest, & in extremo positi, etiam si non optaremus, jam mors se palam præbet videndam. Præsenti quoque Petro venerabili episcopo valde nobis credulo, & dilectissimo familiari nostro, summam benevolentiam quæsumus exhibe, & ei utpote a tanta sede directo, familiaritatis locum apud domnum Augustum congruentissimum tribue, atque ut nobismetipsis illi credulitatem penitus adhibens, ea, quæ verbis retulerit, studio

tuo

tuo operibus impleantur. Sed & hoc deprecamur, A ut pro eo, quod apud Ticinum eodem episcopo ea, quæ nos illi commiseramus, ipsi Augusto necessaria exponente, animus illius contra hunc est turbatus, tua instantia quidquid illud fuerit omnino aboleatur. Et ad hunc eumdem episcopum pie tractandum imperialis animus placabilis in cunctis reddatur: quoniam non hæc contumaciter, aut contra Augustalem dignitatem protulerat; sed zelo Dei ductus ad nos inefficax redire nolebat. Postremo Christi cultrix, & Deo amabilis filia, molestè accipimus, cur multoties deprecantes spiritali filiæ nostræ Angelbergæ, nullam per vos potuimus conferre medelam; ut dissoluto exilio ad sanctum Petrum apostolum eam reducere faceremus. Unde etiam nunc summope- B re deprecamur, ut pro amore Dei, & nostro, sancta sedes apostolica de hoc honoretur. Et sicut jam dictus Augustus vobiscum pariter repromisit, a captivitate, qua frustra tenetur, salva & incolumis reducatur. Quia postquam nobis, quibus fuerat commendata, & defensioni sancti Petri apostoli protectoris sui commissa, reddita fuerit, nullam de ea siniſtram quis habere poterit, crede nobis, suspicionem.

CCXCIX. AD ANSELMUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Mediolanensis ecclesiæ privilegia confirmat; hortatur ut in Romanam ecclesiam sit fidelis: nar- C rat Sarracenorum & iniquorum Christianorum injurias: rogat ut pro ecclesia ad Dominum preces effundat.

Anselmo archiepiscopo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

PRivilegii sane auctoritati ecclesiæ vestræ, eo quo fraternitas tua poposcit modo, perneces- sario apostolica fulti moderatione, libenti annuimus animi caritate, simulque optantes ut semper ea, quæ ad animæ tuæ salvationem, tuique gregis custodiam sunt congrua, atque proficua, Spiritus sancti infusione postulare, quærere, atque operari .... ne desinas. Ut ante tribunal æterni D judicis dignam (gratia suæ misericordiæ cooperante) ratiocinationem positurus, meritum perennis vitæ cum sanctis accipias. Inter hæc dilectionem tuæ fraternitatis hortamur, sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, quæ pro vobis omnibus, vestraque salute utpote caput pro suis membris laborare non cessat, toto annixu mentis, omnique devotione fideles existere omnimodis satagatis: quoniam in ejus exaltatione, atque incolumitate, sicut ab initio, erit omnium vestrum apud Deum & præsens sæculum certa salvatio. Nos enim in hac terra tam Paganorum, quam malignantium Christianorum tantas persecutiones patimur ut has verbis explicare non valeamus. Inter innumeras rapinas, deprædationes, & mala E quam plurima, ad augmentum doloris nostri quidam sceleratus Longobardus nomine, homo Widonis marchionis, octoginta tres homines cepit: manibus singulis detruncatis apud Narniensem civitatem, plures ex tali sunt incisione sine mora perempti. Unde communi ad Dominum prece supplicamus, ut ille ecclesiam suam sanctam de præsentibus malis eripiat, pro qua unigenito filio suo non pepercit. Nosque pastorali solicitudine baculum in manibus tenentes, lupis rapacibus, Domino protegente, resistere non omittemus. Data mense Augusto, indictione * XII.

* *f.* XV.

CCC. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Joannem diaconum benigne excipiat, & res ei ablatas restituat.

Reverendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Ravennati.

QUia non solum tempore ordinationis tuæ, te scriptis & verbis secundum morem, & canonicam sanctionem, sed postmodum sæpissime admonere curavimus; quatenus cum filiis, & membris sanctæ tuæ ecclesiæ tranquilla semper mente, & alacri affectione, ceu idoneus pastor existeres: valde miramur dilectionem tuam, monita nostra contemnendo, eis præjudicium, sicut audivimus, & importabiles gravitates inferre minime recusasse. Unde iterum præsenti apostolatus nostri statuto jubemus fraternitati tuæ, ut huic Joanni venerabili diacono commendato nostro, qui ad nostram apostolicam sedem confugiens præjudicium a te sibi illatum ferre non valens, nostro se petiit apostolico præsidio adjuvari, & ideo nos solita misericordia moti apostolica tibi benignitate mandamus, ut eum in gremio sanctæ tuæ ecclesiæ benigne recipias, & monasteria, seu res quas illi tui occupaverunt ministri, libenti animo pro amore nostro præsentialiter reddas. Et quæ de ipsis rebus a tuis ablata sunt, modis omnibus restituas. Ita sane, ut ei deinceps ad nostras apostolicas aures non sit necessarium reclamare. Simili etiam modo tibi mandamus, ut Joanni venerabili diacono, & chartulario ecclesiæ tuæ monasterium sancti Martini, quod a te dudum promeruit obtinere, de præsenti reddere studeas: nos enim hoc patienter ad te peragendum apostolica benignitate direximus. Verum, quod non credimus, si aliter fraternitas tua peregerit, hi nostri legati nostra apostolica fulti auctoritate, hoc proculdubio explere studebunt: quoniam justum fore decernimus, eos post longa obsequia, & diuturna servitia, quæ in sancta Ravennate ecclesia peregerunt, non solum digna remuneratione non privari, sed potius acquisitis beneficiis alacriter gratulari: & in hoc ita peragat fraternitas tua, ut quæ a nobis pro ecclesiæ tuæ utilitate petieris, assequi omnimodis valeas. Data quinto Kalendas Septembris, indictione decima quinta.

CCCI. AD CLERUM RAVENNATEM.

Ut Maimbertum quemdam, quem alias ab ecclesia Ravennate expelli jusserat, comprehensum, legato suo & Joanni duci tradant, & ad se mittendum curent.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus, seu subdiaconibus, & universo clero sanctæ Ravennatis ecclesiæ.

AUdita sæpe afflictione atque miseria vestra, quam per Maibertum Bononiensem clericum incessanter patimini, jam pridem nostram apostolicam misimus vobis auctoritatem per Joannem diaconum & chartularium præcipientes, ut omnes uno animo constantique devotione prædictum Maimbertum manifestissimum zizaniorum seminatorem ab archiepiscopo, & a vestra sancta ecclesia, tanquam ovem morbidam expelleretis; sed miramur quare hactenus a vobis hoc prætermissum sit; unde nunc vestra iterum petitione moti,

moti, & divino amore ſuccenſi, per hanc noſtram apoſtolicam auctoritatem vobis omnibus præcipimus, ut relecta priori epiſtola unanimiter juncti, & cum præſenti miſſo noſtro fideliter conglobati, eumdem Maimbertum adverſatorem veſtrum, ſi ſponte venire ad nos contempſerit, vel in partem aliquam ire voluerit, audacter comprehendere ſtudeatis: & huic miſſo noſtro ſeu & Joanni duci fideli noſtro ad exigendum ab eo, ſecundum noſtram juſſionem, nobis ad deducendum contradite, ſicut gratiam Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum & noſtram vultis habere. Nam ſi quis veſtrum in hoc ſe quoquomodo ſubtrahens pro cujuslibet rei gratia hanc noſtram juſſionem pro ſtatu & pace ſanctæ Ravennatis eccleſiæ directam gratanter ad effectum perducere contempſerit, & ex Dei omnipotentis ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, & ex noſtra apoſtolica auctoritate a vino & cocto, etiam & a proprio miniſterio ſuſpenſus maneat uſque ad noſtram præſentiam. Data v. Kal. Septembris, indictione xv.

CCCII. AD JOANNEM MARTINUM, &c.

Ejuſdem argumenti.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Martino, Joanni, ſeu Demetrio, atque Romano glorioſis ducibus, necnon & aliis fidelibus noſtris.

OMnium veſtrum noſcat fidelitas, quia ſæpiſſime Romanum archiepiſcopum tam per venerabiles epiſcopos, quamque etiam noſtris apoſtolicis literis admonuimus, ut Maimbertum Bononienſem clericum a ſua ſuperſtitioſiſſima familiaritate ſeparaſſet, & ad propriam eccleſiam, ut canonicum eſt, remiſiſſet, & ipſe Maimbertus multoties, ut recederet, a nobis eſt proteſtatus: ſed minime acquieſcere noſtræ voluerunt apoſtolicæ juſſioni. Idcirco præcipientes præcipimus, & jubentes expreſſe jubemus, ut unanimes juncti ſimul cum iſto fideli miſſo noſtro, omni occaſione poſtpoſita, & dilatione remota, prædictum Maimbertum comprehendatis, & vi coactum ab archiepiſcopo ſeparetis, & huic noſtro miſſo ſimul & Joanni duci ad exigendum ſecundum noſtram apoſtolicam auctoritatem validiſſime contradatis. Quod ſi in hoc negligentes vos, quorum nomina ſuprafcripta ſunt, fueritis, & ipſe quoquomodo effugerit a vobis; ſcitote, per unumquemque veſtrum centum aureos dabitis noſtræ parti. Inſuper ex Dei omnipotentis ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra apoſtolica auctoritate a vino & cocto ſuſpenſi manete uſque ad noſtram præſentiam: ceteri vero, ſi hoc, quod jubemus, aſſequi noluerint, aut ſubtrahendo quoquomodo ſe huc illuc diverterint, & uſque ad effectum rei non perſeveraverint, ſuperiori excommunicationi ſubjaceant. Data v. Kalendas Septembris, indictione xv.

CCCIII. AD JOANNEM DUCEM.

Ut Maimbertum captum ad ſe ducat, & mulieres, quæ apud ipſum ſunt, detineat, & Romano archiepiſcopo epiſtolam deferendam curet.

Joanni duci delicioſo fideli ſeu & miſſo noſtro.

GRatulatos nos non modice credas, eo quod fidelitas tua erga ſanctam Romanam eccleſiam noſtrumque apoſtolatum conſtanter reperimus * vigilare: & ideo per hos noſtros apoſtolicos apices tuæ fidelitati jubemus, ut de Maimberto modis omnibus ſicut miſiſti, pariter cum iſto miſſo noſtro explere decertes, ut nullo modo effugere poſſit, ſed ſeparatum ab archiepiſcopo vi coactum, poſtquam ab eo omnia ſua conſtanter exegeritis, ad noſtram præſentiam diſtrictum deducere ſtudetote: etiam & illas mulieres, quas nunc in ſua manſione collectas detinet, in noſtro rectorio retinere jubemus uſque ad noſtram notitiam. Epiſtolam vero, quam Romano archiepiſcopo mittimus, ut res, aut monaſteria, quæ ab iſto Joanne diacono fidele commendato noſtro quoquomodo occupavit, reſtituere & inveſtire eum in omnibus ſtudeat, & quæ de rebus ejus ſui famuli abſtulerunt, reddere huic per omnia faciat, ipſi archiepiſcopo deportate, & coram ſacerdotibus, & judicibus ipſam legere facite; ſimiliter autem & monaſterium ſancti Martini ſecundum noſtram juſſionem, Joanni diacono, & chartulario pro noſtro reddat amore. Nam & manſionem, quam Maimbertus ab ipſo diacono ſuam per fraudulentiam abſtulit, ſimili modo eum cum Petro nepote ſuo inveſtire ſtudete. Data *ut ſupra*, indictione xv.

* reperitur.

CCCIV. AD RAVENNATES.

Dolet eorum antiſtitis morte: monet, ut electum ab eis archiepiſcopum congruo proſequantur honore: eccleſiam Ravennatem, & Deuſdedit & Joannis ducum bona defendant.

Sacerdotibus & ſenatui populoque Ravennati fidelibus noſtris.

RAvennatis antiſtitis, veſtri videlicet patris, obitum audientes, valde dolemus; pro quo ut oretis hortamur: ſolitam vero, tantamque fidelitatem veſtram erga nos unitate vigere cernentes, immo gaudemus, & ut omnipotens interceſſione apoſtolorum principum vos patre deſiderato recuperet, veſtro pro velle decertabimus. Ceterum monentes hortamur, & expreſſe jubemus, ut jam quem unanimiter, quomodo ſcripſiſtis, elegiſtis, unanimiter eum electum teneatis, diligatis, & veſtro de more honoretis: & uſquequo, Deo annuente, præſentia pontificii noſtri deſiderio veſtro illuxerit, Ravennatem eccleſiam ab omnibus hoſtibus defendite, deprædationibus pro poſſe levate, ne ipſa eccleſia aliquam deprædationem ſuſtineat: quoniam nos hoc inultum nunquam dimittemus, & prædatores prædatorumque receptores legali vigore modis omnibus feriemus. Porro præcipimus, ut res mobiles, & immobiles, ſeſeque moventes, Deuſdedit, & Joannis glorioſorum ducum noſtrorum conſiliariorum ſalvare, & in illas, quas hactenus invaſas habuerunt, nullam invaſionem facientes, illorum hominibus defendite: jam quia noſtro utuntur ſervitio, noſtra modis,

dis omnibus debent perfrui defensione, servatori A
Locus corruptus. hujus justus, gratia corruptoris pro justu erit nihilo minus compositori.

CCCV. AD HUGONEM ABBATEM.

Hortatur suadeat Ludovico regi ut ad se veniat: monet etiam, ut se a quorumdam communione separet.

Hugoni strenuo, nobili, regali prosapiæ edito, atque excellentissimo abbate.

QUanto vos, carissime fili, amore diligimus celeberrima fama vestri boni operis circumquaque accensi, explicare verbis nullatenus possumus. B Quapropter, ut nostro desiderio præsentiæ vestræ capiamus effectum, mature volumus hortemini Ludovicum regem filium nostrum, vosque cum eo ad nos concite properare: quatenus, Christo cooperante, exaltationem totius Christianitatis communiter operemur. Sic agat vestra dilectio, ut tristitiam, quam animo de vestra absentia nuper Papia intulistis, lenire moderatissime valeatis. Inter hæc ab omni te consortio Formosi anathematizati optamus, fili carissime, separare, Joannis archiepiscopi * Rodomensis *, Adelardi Turonensis *, Frotarii Bituricensis *. Data *ut supra*.

* *al.* Rodonensis, * *id est*, Rotomagensis, *nec quicquam mutandum. Edit. Rom.* Beduriensis.

CCCVI. AD CAROLUM REGEM.

Embolum ut Carlomannum regem in ecclesiæ Romanæ dilectione confirmet.

JAm quod te, carissime fili, tantæ devotionis, tantæque fidelitatis erga vestræ matris Romanæ ecclesiæ pontificium esse videmus, tanquam utero natum monentes rogamus, flagitantes hortamur, ut pro amore apostolorum principum, quasi vestro proprio consulto, nec repræsentaliter, Carolomanno glorioso regi mittatis, consilium dantes, ut antiquos honorans amicos, fruens caritate, ad parentum consilium redeat, & de epistolis, quas illi ex maritimo itinere remisimus, respondeat, & Romanam ecclesiam, quæ vobis utrisque omnibus decus regale & imperiale intulit, veneran- D
do diligat, mittens præsentialiter ipsis anathematizatis Lamberto & Adalberto. Data *ut supra*.

CCCVII. AD SUPPONEM COMITEM.

* Cinisium. Mandat ut ad montem * Cinisem obviam sibi veniens, imperatricem Angelbergam, & præsules Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, ut simul quæ ad utilitatem ecclesiæ pertinent tractare valeant.

Dilectissimo filio Supponi glorioso comiti.

QVia nos, in quibus, Deo dispensante, fines sæculorum devenerunt, pro sanctarum Dei ecclesiarum statu variis motibus ducimur, diver- E
sisque fluctuum procellis impellimur, sed tamen non destituimur propter eum, qui nos confortat Christum Jesum, servata prædecessorum nostrorum fide proli Francorum, ad Gallias properantes idcirco venimus, ut pacis, atque unitatis vinculo regum corda connecteremus. Sed completum vi-
Matth. 24. demus, quod in evangelio legimus: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit caritas multorum*. Quapropter vestræ dilectioni fidentissimæ, & probatæ fidei mandamus, ut nobis cum officio decentiæ vestræ, ad montem Cinisem obvii quantocius veniatis, ut pariter convenientes, quæ ad utilitatem congruunt, Domino permittente, tractare valeamus. Simulque hoc precamini dilectam filiam nostram Angelbergam imperatricem, atque Anspertum archiepiscopum Mediolanensem, Wibbodumque Parmensem episcopum, aliosque fideles atque amicos. Data *ut supra*.

CCCVIII. AD JOANNEM EPISCOPUM FICOCLENSEM.

Visitationem Faventinæ ecclesiæ pastore destitutæ, ejusque curam ei committit, donec novus pastor eidem præficiatur.

Joanni episcopo Ficoclensi.

OBitum Romani Faventinæ civitatis antistitis directa dudum relatio patefecit: quapropter visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de * provectionibus clericorum, * j
reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud ve
est in patrimonio eodem, a quoquam præsumatur ecclesiæ; & ideo * ecclesia tua ad prædictam ec- *
clesiam ire procuret, ut quidquid utilitati illius congruit, interim solerti cura prævideat, quousque, qualiter se habeat electio, vel ordinatio succedentis episcopi coram nobis synodali discutia- C
tur examine, & apostolica terminetur, Deo juvante, censura. Data XIII. Kal. Augustas, indictione XIV.

CCCIX. AD ALDEFONSUM * REGEM.

*
Ovetensis ecclesia Gallæciæ metropolitana efficitur.

Joannes episcopus servus servorum Dei, Aldefonso regi Christianissimo, seu cunctis venerabilibus episcopis, abbatibus, vel orthodoxis Christianis.

QUia igitur in cura nos totius Christianitatis B. Petri apostolorum principis sempiterna providentia efficit successores, ea Domini nostri Jesu Christi constringimur adhortatione, qua beatum Petrum apostolum monuit, dicens quadam * * *
voce *: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*, & reliqua. Hinc rursus imminente Domini nostri articulo glorioſæ passionis, inquit: *Ego* Lu
pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ideoque quia vestræ notitiæ fama per hos fratres limina apostolorum lustrantes, per Severum * & Desiderium * *
presbyteros nobis miro odore bonitatis est revelata, paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus, gratia duce, perseverare, quatenus copiosa vos beati Petri protectoris vestri & nostra protegat benedictio. Et quotiescumque, fi- E
lii carissimi, ad nos venire quilibet vestrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de ultimis Gallæciæ finibus, cui vos præter me Dominus rectores constituit, tanquam jure filios nostros, vos colligimus: & ecclesiæ Ovetensi, quam vestro consensu & assidua petitione metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus. Et concedimus etiam prædictæ sedi, ut ea quæ reges, seu * fideles juste obtule- *
runt, vel in futurum, Domino opitulante, contulerint, rata, firma, & inconcussa manere in perpe-

petuum præcipimus. Hos quoque latores literarum noſtrarum omnes hortor ut habeatis commendatos. Bene valete.

CCCX. AD ALDEFONSUM * REGEM.

Monet eccleſiam ſancti Jacobi conſecrari.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Aldefonſo glorioſo regi Gallæciarum.

LIteras devotionis veſtræ ſuſcipientes, quia devotum vos eſſe cognoſcimus erga veſtram ſanctam eccleſiam, gratias vobis multiplices referimus, Dominum exorantes, ut vigor regni veſtri * abundet, de inimicis veſtris victoriam vobis concedat. Nam nos, fili cariſſime, ſicut petiſtis, ſedulas preces Domino fundimus, ut regnum veſtrum gubernet, vos ſalvos faciat, cuſtodiat, & protegat, & ſuper inimicos veſtros erigat: eccleſiam autem B. Jacobi ab Hiſpanis epiſcopis conſecrari facite, & cum eis concilium celebrate. Et nos quidem, glorioſe rex, ſicuti vos, a Paganis jam conſtringimur, die ac nocte cum illis bella committimus; ſed omnipotens Deus * dat nobis de illis triumphum. Hujus rei gratia rogamus dilectionem veſtram, & * animum deprecamur, ut quia, ut diximus, valde a Paganis opprimitur, aliquantos utiles & optimos Mauriſcos cum armis, quos Hiſpani cavallos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittatis. Qualiter nos recipientes, Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum portatorem de benedictionibus S. Petri vos remuneremus. Bene vale, dilectiſſime fili & clariſſime rex.

CCCXI. AD CLERUM SALERNITANUM.

Joannes VIII. clero & ordini Salernitano.

DE illis presbyteris qui tempore ſanctiſſimi deceſſoris noſtri domini papæ Nicolai excommunicati ſacrum miniſterium contingere præſumpſerint, ipſi in ſe damnationis, ſicuti ſancti canones ſtatuunt, ſententiam incurrerunt. Tamen quia miſeratio apoſtolica veniam ſolet præſtare correctis, ob multitudinem miſericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut ſancta communione D ſaginati ſtudeant tribus continuis annis per hebdomadam omni ſecunda & ſexta feria, aut a vino, aut a * cibo penitus jejunare, & ultra lugenda nequaquam committere.

CCCXII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Joannes VIII. Michaeli regi Bulgarorum.

SI ab his quos excommunicatos habebamus ſacramenta quæcumque ſuſcipitis, conſtat quia idololatriam, non ut catholici eſſetis, ſed ut ſchiſmatici efficeremini, * deliquiſſe videmini.

CCCXIII. AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Vices ſuas in Gallia & Germania committit Anſegiſo archiepiſcopo Senonenſi.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus ſanctiſſimis epiſcopis per Gallias & Germanias conſtitutis.

VEſtræ omnium innoteſcimus ſanctitati, quia pro alleviandis multiplicibus oneribus eccleſiaſticis, quibus quotidie ſatis abundeque deprimimur, quibus maxime ſuper negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus nobis aſſidue deſtinatis arctamur, [1] Anſegiſum fratrem & coepiſcopum noſtrum Senonenſis eccleſiæ præſulem, qui quoties utilitas eccleſiaſtica dictaverit, ſive in vocanda ſynodo, ſive in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias vice noſtra fruatur. Et volumus, ut decreta ſedis apoſtolicæ per ipſum vobis manifeſta efficiantur, & rurſus quæ geſta fuerint, ejus nobis relatione, ſi neceſſe fuerit, pandantur: ut majora negotia ac difficiliora quæque ſuggeſtione ipſius a nobis diſponenda & enucleanda quærantur. Quapropter vos huic piæ ſanctioni omnimodis intendentes, quæ ſuper hoc apoſtolica auctoritate decernimus unanimes admittite. Talem quippe illum agnovimus, talemque circa ſedem apoſtolicam devotum & in commiſſo fidelem reperimus, ut merito ei talia committi poſſe ducamus: quin & his majora conferri debere illi ſine cunctatione credamus, pro ſua ſcilicet ſanctitate, & fidei merito, atque divinitus ſapientiæ dono conceſſo. Optamus vos bene valere. Data IV. Nonas Januarias, indictione IX. *Recitata in ſynodo Pontigonenſi.*

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1. *Anſegiſum fratrem.*) Quem ex abbate S. Michaelis in epiſcopatu Bellovacenſi ad Senonenſem cathedram evectum didicimus anno DCCCLXXI. Romanæ ejus legationis, cum adhuc abbas eſſet, meminit Aimoinus lib. V. c. XXVII. Perverſe autem faciunt, qui hunc cum altero antiquiore Anſegiſo confundunt abbate Lobienſi, qui Caroli Magni & Ludovici Pii capitula in quatuor libros digeſſit anno DCCCXXVII.

CCCXIV. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Ut in locum Hincmari ordinetur epiſcopus in Eccleſia Laudunenſi.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.

[1] QUamvis de ſanctitatis tuæ judicio nihil dubitaſſemus, quia tamen cariſſimus filius noſter Carolus invictiſſimus imperator, a nobis diligentiſſime percunctatus, circumſtantiam judicii a beatitudine tua, coepiſcopiſque ſuis, in Hincmarum dudum Laudunenſem epiſcopum prolati apoſtolatui noſtro retulit, agnovimus juſtum fuiſſe omnino judicium. Neque enim tantus princeps niſi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Unde nefas eſſe duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo jam nunc eccleſiam Laudunenſem viduatam, & ſine regimine paſtorali dimittere: ſed indifferenter electum, & de Laudunenſis eccleſiæ clero, virum idoneum, & in quo omnium vota conſentiant, eidem eccleſiæ præfice prorſus epiſcopum. Cui electioni vo- E lumus etiam miſſum præfati piiſſimi imperatoris intereſſe, ut ſine ſæcularium ſtrepitu omni latere talis eligatur, qui aptus ſacris canonibus eſſe modis omnibus approbetur. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. *Data eſt Romæ Theodorico, juſſu papæ Joannis, & domni Caroli novi imperatoris, per manus Anaſtaſii bibliothecarii, in ſecretario eccleſiæ ſancti Petri, anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXVI. *Nonis Januarii, indictione* IX. *Et delata eſt ab eodem Theodorico in civitate Rhemis Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo, eodem anno, & eadem indictione* V. *Idus Martii.*

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Quamvis de sanctitatis tuæ.*) Superstite Hincmaro Laudunensi alium in ejus locum subrogari jubet, Carolo imperatori de illius depositione assentiens, quam Hadrianus improbarat. Itaque tertio post mense electus est Hedenulfus.

CCCXV. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI REGIS BAIOARIÆ constitutos.

Arguit eos quod Ludovicum regem ab invadendo Caroli fratris absentis regno non cohibuerint, monetque ut legatis, quos ad examinanda inter utrosque negotia mittit, satisfacere studeant.

Joannes episcopus servus servorum Dei, omnibus reverentissimis, & sanctissimis archiepiscopis & episcopis in regno Hludovici glorioſi regis Bajoariæ constitutis.

APostolicæ moderationis ordinem sequimur, si ecclesiarum Dei solicitudinem retinentes, pro domo spiritalis Israelis murum correctionis opponimus, & concordantes animos, aut sub ecclesiasticæ pacis unione complectimur, aut discordes ad concordiæ gratiam revocamus, aut certe inter nos & illos qui apostatæ angeli, zizanii scilicet seminatoris, fraudibus irretiti, sanctæ sedi apostolicæ concordare despiciunt, sartaginem ferream juxta Ezechielis prophetæ magisterium collocamus. Reversurus enim ad Patrem Dominus pacis bonum discipulis attentius commendavit; eamque quasi testamentum firmissimum futuris hæredibus dereliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, & beatus apostolus Paulus ait: *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ:* quia videlicet ad unam vocationis spem nequaquam pertingunt, si non ad eam cum proximis unita mente curratur. Quapropter sicut filii Dei, qui ex testamento ejus sibi per apostolos derelicto pacem custodiunt, ita nimirum diaboli sunt filii, qui pacem confundunt. Ille quippe ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, ejusque invidia, sicut scriptum est, mors introivit in orbem terrarum. Nam dum protoplastis invidens, deceptionis laqueum jam deceptus utique a semetipso composuit, mortis poculum mortalibus propinavit; & quos immortales obedientiæ merito futuros noverat, inobedientiæ venenis infecit, sicque in omnes homines mortis sententiam vitæ hostis induxit. Denique eisdem laqueis, quibus protoplastos deceperat, adhuc Adæ filios jugulat, & odio suæ ambitionis fraterna corda dissociat: ita ut quos unum patris femur tenuerat, jam Galliæ omnes non capiant, fraternis provectibus frater invideat, & quem monitis apostolicis sæpius etiam in durissimis casibus obsequentem sequi despexerat, hunc a sede apostolica sibi prælatum doleat, immo ut Cain fratris hostia, scilicet obedientia, stimulatus, contra fratrem frendens occurrat: fideles ejus fraudibus diversis inficiat, ad pejerandum terribilis Dei nomen impellat, pacem regni diuturno fratris studio radicatam corrumpere gestiat, & lactatus a peccatoribus, suis dumtaxat complicibus acquiescens, pedes suos ad malum currere faciat, madentibus adhuc campis Fontanicis, quos in juventute sua humano sanguine tinxerat, in senectute decrepita, minarum & cædis spirans, ad fundendum Christianorum multorum sanguinem pro sua singulari ambitione discurrat. Et qui amore fratris a sede apostolica obedientiæ suæ merito benedictionem sperare, suumque piis operibus propagare debuerat, alterius regnum pervicaciter sibi suis armis subjugare desiderat, scilicet ut quos armis acquirit, ditione possideat, & colla vetustæ libertatis ingenua nova servitute prosternat. Quis hoc, dilectissimi nobis, nisi antiquus humani generis adversarius, inter tales ac tantos fratres, quos nos pari spiritus amore complectimur, per suos satellites operatur? qui dum bonorum provectibus invidet, in agro sanctæ Dei ecclesiæ semper zizania seminare contendit. Quis hoc, carissimi, nisi diabolus operatur? qui Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejusque religiosum propositum longius propagari pavescens, levibus primo jaculis, quamquam frequentibus, lacessivit; deinde adversitatibus multis, quasi durissimis arietibus stimulavit: fideles ejus frequentissime rebellare suasit: in procinctu contra Northmannos pro ecclesiæ Dei liberatione pugnanti, & inimicos crucis Christi usque ad ultimam deditionem constringere satagenti, senioris vestri utrimque animum ad invasionem relicti imperii suscitavit: ipsos familiares, ipsum postremo filium, ad ejus extinctionem hostiliter provocavit. Et ne quandoque ad imperium, quod ei constat non humano collatum beneficio, licet per nostræ mediocritatis ministerium, sed divino, pertingere potuisset, tota fraudulentiæ tuæ virtute prohibuit, tota consilii sui versutia debellare contendit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia per mutabilium rerum principes mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri voluit, deprimi penitus, sicut vobis est cognitum, nunquam permisit. Et afflictiones sanctæ suæ ecclesiæ per eum specialiter, sicut divinitus revelatum fuerat, & nunc veraciter credimus, tandem aliquando revelare contendens, hunc, a decessoribus nostris, reverendæ scilicet memoriæ Nicolao & Hadriano pontificibus, diu quidem desiderari voluit: tandem usque ad hæc periculosissima tempora, quibus a Belial filiis pene tota vallatur Italia, misericorditer reservavit, angelicis ductibus vias ejus per invia loca direxit, frustratis insidiis ei compositis liberavit, paludes lubricas equitabiles reddidit, vada profundorum fluminum multis sæculis incognita transmeabilia demonstravit: ei elementis contra naturam cedentibus diffidentium corda perterruit: non solum sine sanguine, verum etiam cum magnis honoribus, hinc inde gaudentibus populis, Italiam penetrare permisit, & per apostolicæ sedis privilegium, cunctorum favoribus approbatum sceptris imperialibus sublimavit: ut qui per tot annos, communibus peccatis merentibus, pro defectibus sanctæ Dei ecclesiæ diversis modis affligimur, per ejus solicitudinis expertam prudentiam consolemur, per quem Gallicanarum ecclesiarum status, & totius religionis vigor illis in partibus plausibiliter refloruisse cognoscitur. Hæc itaque hostis humani generis futura prospera præcavens, dilecti filii nostri Hludovici glorioſi regis vestri, si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis per antecessores nostros, perque nos ipsos prolatis, semper inobedientissimus extitit, si glorioſus dici debet, cui contra Christicolas bella geri placuit, nullos habitura triumphos, si rex dici potest, qui semet ipsum regere noluit, quo minus contra fratris absentiam inglorius pugnavisset, animos incitavit, ut neque divinum timorem præ oculis retinens, neque imminens sibi judicium provectæ senectutis agno-

Ezech. 4.
Joan. 14.
Ephes. 4.
Sap. 2.

agnoſcens, neque ſanguinis affinitatem fraternaque pacta perpendens: ſed neque Chriſtianæ religionis diſciplinam cuſtodiens: tam deceſſorum noſtrorum ſcripta, quam recentia noſtra monita religioſorum principum, & quod eſt mirabilius, contra conſuetudinem tyrannorum veterum, parvipendit, & indictum ſibi a nobis tempus cum mediantibus nobis cum fratre jure paciſceretur, præripiens, quantum in ſe fuit, per veſtram negligentiam ſive condeſſenſionis audaciam, fratris abſentis regnum pervaſit, ac per hoc totius eccleſiæ Dei pulchritudinem maculavit, pacem corrupit, religionem fugavit, & ut cum Terentio compendioſe dicamus, dum in alieno bonorum extortor & legum contortor apparuit, cunctis criminibus licentiam relaxavit. Nos etenim, quamvis illum, quem interim filiolitatis amore complectimur, oppido reprehenſibilem non negemus, vos tamen multo reprehenſibiliores agnoſcimus, qui in illis partibus ſacerdotali magiſterio præditi, & apoſtolatus noſtri recentibus monitis inſtituti, dum ex officio veſtro reſtitiſſe libere nunquam videmini, procul dubio conſenſiſſe probamini, & vos qui paſtores dicimini, gregem vobis creditum quia non retraxiſtis, utique ad præcipitium provocaſtis. Et ubi eſt, quæſumus, quod vicem Chriſti in eccleſia fungimur, ſi pro Chriſto contra inſolentiam
6. principum non luctamur; præſertim cum ſecundum apoſtolum non ſit nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates. Ubi eſt quod epiſcopi dicimur, ſi de ſublimibus eccleſiaſticæ diſcretionis ſpeculis gladium venientem non cernimus, cernentes ut devitetur annunciare diffugimus? Enimvero ſacerdotes non ad gratiam, ſed ad pompam immerito dici cognoſcimur, ſi quos docere debuimus ſequi contendimus, ſi quos corrigere debuimus, ſaltem verbis paſtoralibus non terremus. Hinc Dominus per Iſaiam prophetam ſacerdotum taciturnitates
6. increpat dicens: *Canes muti, non valentes latrare*. Hinc per Ezechielem ſacerdotum negligentias
13. arguit dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*. Ex adverſo quippe aſcendere eſt, pro defenſione gregis libera voce hujus mundi poteſtatibus contraire: & in die Domini in prælio ſtare eſt, pravis decertantibus ex juſtitiæ amore reſiſtere. Quod rurſum per eumdem prophetam
33. deterret inquiens: *Si non annunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram*. Quid ad hæc dicemus, fratres? Forſitan ideo vos excuſabiles creditis, quia regem non arguendum dicitis, ſed monendum. Ad hæc apoſtolica
5. tuba reſpondet: *Obedire oportet Deo magis quam*
4. *hominibus*: & Paulus Timotheo: *Argue, obſecra,*
6. *increpa in omni patientia & doctrina*. Item Tito: *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſuarum*. Aut perſecutionem quamlibet præcaviſtis. Sed a Domino juſſum eſt ita: *Cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Aut mortem, quæ cunctis ultima pœna eſt, timuiſtis. Sed idem redemptor noſter in evangelio nos hortatus eſt di-
10. cens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*: Verum quia nihil horum, quia nec inferendum vobis ab aliquo fuerat, timuiſtis, reſtat procul dubio, quia non ſolum ſecundum prohibitionem ſedis apoſtolicæ compatriotas veſtros ab invaſione regni alterius ſacerdotaliter non vetuiſtis, immo cupiditati eorum veſtri favoris conniventiam ſociantes, quaſi pulvillos ſub cubito eorum manuum conſuiſtis, & illud Væ vobis propheticum maturaſtis, quo dicitur:

A *Væ his qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. Quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, dum correctionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla contradictionis aſperitas pulſat. Sed hæc rectores qui ſemetipſos diligunt, his procul dubio, juxta quod beatus prædeceſſor noſter Gregorius meminit, exhibent, a quibus ſe minus poſſe ſtudio gloriæ temporalis timent. Quid igitur, fratres, ſi tamen adhuc fratres dici meremini, qui ſedis apoſtolicæ ſalubria monita contemnentes pro Chriſto legatione functi non eſtis, vobis agendum eſt, niſi ut tandem aliquando, B cum ſancta ſede apoſtolica ſentientes, tam dilectum filium noſtrum Hludovicum regem veſtrum, quem paternis affectibus adhuc complectendum decernimus, quam cunctos illius regni ſubditos, voce libera moneatis, & ab invaſione ſive oppreſſione imperii dilecti filii noſtri Caroli ſemper Auguſti penitus compeſcatis? nunquamque de reliquo, ſive blandimentis, ſive terroribus, conſenſum quemlibet favoremve præſtetis ad funeſtum prælium conferendum, & Chriſtianorum ſanguinem profundendum, ſi non vultis, amiſſis ſacerdotalibus inſulis, ab apoſtolica communione præſentialiter ſequeſtrari, & perpetuis anathematis vinculis, quod nunquam cupimus, obligari? Nam cujuſcumque ſit gradus, ordinis, ſublimitatis, ſi- C ve profeſſionis, qui cum præſentibus legatis noſtris, Joanne Siculenſi, itemque Joanne Tuſcanenſi, venerabilibus epiſcopis, quos vice noſtra * illas in partes ad examinanda ſimulque diſ- * *Forte deeſt* finienda canonice ſive legaliter, quæ hoc anno in- *mittimus* ter utroſque emerſere negotia, convenire in loco *Harduinus.* ab eis deſignato, eiſque ſatisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps noverit denegari: nec amodo communionis noſtræ, ut verbis ſanctiſſimi noſtri prædeceſſoris utamur, futurum eſſe conſortem, quiſquis eſſe noluerit diſciplinæ. Optamus ſanctitatem veſtram ſedis apoſtolicæ monitis obſequentem ſemper in Chriſto bene valere. D *Recitata in ſynodo Pontigonenſi.*

CCCXVI. AD COMITES IN REGNO LUDOVICI REGIS BAJOARIÆ conſtitutos.

Arguit eos, quod Caroli regnum pervadere tentarint; monetque ut Ludovicum regem ab ea mente revocent, & ut legatis, quos mittit, ſatisfacere non detrectent.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus glorioſis comitibus in regno Hludovici regis Bajoariæ conſtitutis.

E MInisterii noſtri eſt, univerſalis eccleſiæ Dei ſolicitudinem, ſecundum beati Pauli apoſtoli ſententiam, circumferre, & quid in qualibet mundi parte congruat, ſive non congruat, cenſoria gravitate depromere: quatenus oves dominicæ, quæ vocem paſtoralis noſtræ ſolicitudinis cognoſcentes, paſtorum principem humiliter audiunt, in ovile dominicum recognitæ collocentur, & oves morbidæ, quæ pervicaciter negligunt, ab ovili dominico, ne ſanas vicini pecoris contagio lædat, quia nimirum multa corporibus tranſitione nocent, per apoſtolicæ auctoritatis miniſterium repellantur. Scriptum quippe eſt: *Si ſeparaveris ca-* *Jerem. 15.*

Matth. 7. *rum a vili, quaſi os meum eris;* & iterum: *Auferte malum de medio veſtri*: & Dominus in evangelio præcipit, ut ſroculus, pes, vel manus ſcandalum nobis generat, abſcindatur atque projiciatur: & illud poſt alia: *Si eccleſiam non audierit, ſit ſicut ethnicus & publicanus.* Item apoſtolus: *Si quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo.* Quibus teſtimoniis evidentiſſime provocamur, ut vos, quos contemptis apoſtolicæ ſedis epiſtolis, regnum dilecti filii noſtri Caroli Chriſtianiſſimi imperatoris, contra interdictum noſtrum, immo contra Dei omnipotentis timorem, pervadere, ſicut audivimus, pacemque ſanctæ Dei eccleſiæ corrumpere tentaviſtis, a corpore totius ejuſdem eccleſiæ, quam per anteceſſores noſtros, perque noſmetipſos, vos ſuis epiſtolis commonentem audire hactenus noluiſtis, ſequeſtrari præſentialiter debeatis. Sed quoniam ſanctæ ſedis apoſtolicæ miſeratio vos interim filiorum dilectione complectitur, & diſſimulare peccata veſtra magis quam punire velle cognoſcitur, has iterum caritati veſtræ ſanctæ Dei eccleſiæ literas deſtinamus, hortanteſque inſtamus, ut divini judicii memores, & fraterni fœderis recordantes, imminentemque veſtræ vocationis diem ultimum præcaventes, fraudem diabolicam, per quam mors introivit in orbem terrarum, effugiatis: diſcordiam, quæ nutrix eſt cunctorum criminum quaſi venenum peſtiferum declinetis: ne ſimiles ei efficiamini, de quo Salo-

Matth. 18. 2. Theſſ. 3.

Prov. 6. mon ait; *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia ſeminat.* Pacem & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, diligatis: quoniam ſicut pacifici ſunt a Domino non ſolum beati, ſed etiam filii Dei vocati: ita ſatanæ ſunt filii, qui pacem confundunt. Nam diſcordes tamdiu nullum boni operis Deo ſacrificium immolant, quamdiu a proximorum caritate diſcordant. Unde per

Matth. 5. Matthæum præcipitur: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* In qua dominica præceptione penſandum eſt, quorum hoſtia reſpuitur, quam intolerabilis culpa monſtratur. Cum enim mala præterita bonis operibus diluantur, penſare debetis, o prudentiſſimi comites, quanta ſunt mala diſcordiæ, quæ niſi extincta fuerint, bonum ſacrificii ſubſequi non permittunt. Quis itaque, dilectiſſimi, vos ad tantæ diſcordiæ crimina, niſi antiquus humani generis adverſarius, provocavit? qui ex angelo factus apoſtata bonæ meſſi ſemper zizania ſuperſeminare laborat. De cu-

1. Petr. 6. jus aviditate per apoſtolum dicitur: *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Et certe fides ſine operibus mortua eſt: & beatus Paulus, collatis multis virtutibus, caritatem, quæ multi-

1. Cor 13. tudinem peccatorum operit, prætulit dicens: *Sive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur*: & infra: *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc, major autem his eſt*

2. Joan. 4. *caritas.* Unde bene per Joannem dicitur: *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Conſtat ergo, quia qui in Deo non manet, in diabolo manet, cujus membra ſunt omnes qui jurgia ſeminant, & eccleſiaſticam diſciplinam recuſant, quibus veraciter di-

Joan. 8. citur: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Qui videlicet Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejuſque religioſum propoſitum longius pro-

A pagari paveſcens, multis adverſitatibus laceſſivit, fideles ejus frequentiſſime rebellare ſuaſit: in bello contra Northomannos pro eccleſiæ Dei liberatione pugnanti, eoſque uſque ad ultimam deditionem compellere tatagenti, ſenioris veſtri, parentum quoque, ſive veſtrum animum ad invaſionem relicti ejus imperii, ſicut & modo feciſſe dignoſcitur, ſuſcitavit. Ipſos familiares, ipſum poſtremo filium, ad ejus exterminium hoſtiliter provocavit: & ne quando ad imperium, quod ei conſtat non humano collatum beneficio, licet per noſtræ mediocritatis miniſterium, ſed divino, pertingere potuiſſet, tota fraudulentiæ ſuæ virtute prohibuit, tota conſilii ſui verſutia debellare certavit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia

B per mutabilium rerum principes totius mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri frequentibus voluit; deprimi penitus, ſicut a vobis crebro probatum eſt, nunquam permiſit, ut ſcilicet futurus imperator in regni poteſtate diſceret, quantum timere Dominum in proſperis, quantum in adverſis Deo confidere debuiſſet. Et quidem reprehenſibilis eſſet, ſi metas ſui regni ingrediens fines alterius uſurpaſſet, ſi fideles alterius ſolicitans, ad perjurium, ſicut vos feciſſe probamini, compuliſſet, ſi pacem regni, ſicut vos facitis, temeraſſet. Nunc vero, cum divinitus

C præſcitus & prædeſtinatus, non a ſemetipſo, ſed ab eccleſiæ Dei filiis invitatus advenerit, ſine ſanguine, ſola ſua benevolentia hujus Italiæ fortiſſimos ſibi duces devinxerit, angelico munere vias ſuas per invia loca directas inſpexerit, fruſtratis inſidiis ei compoſitis divinitus liberatum ſe ſenſerit, paludes invias ſibi pervias factas invenerit, vada profundorum fluminum, velut alter dux Iſraeliticus, exercitibus ſuis pene ſicca repererit, miramur & obſtupeſcimus, cur eum a Domino prælatum non intelligitis vos, qui ſenſibiles eſtis, quem elementa inſenſibilia ſenſiſſe videntur. Miramur & obſtupeſcimus, cur parricidalia contra

D eum arma ſuſtollitis, quem ab ipſa ſua infantia multis adverſitatibus fatigatum vidiſtis, ſuperatum vero protegente Domino minime cognoviſtis. Miramur, inquam, & obſtupeſcimus, cur eum, quem obedientiæ ſuo merito vobis divinitus præfatum cognoſcitis, non ſicut revera imitabilem ſequimini, ſed ſicut deteſtabilem, quantum in vobis eſt, perſequi laboratis. Cum ſi exemplo illius obedientiæ vos ſancta ſedes apoſtolica ſibi aliquoties devotiores cognoſceret, benedictionis ſuæ vos & in hoc ſæculo gratia debriaret, & in futuro ad hæreditatem regni cæleſtis admitti ſuis continuis precibus impetraret. Sed quando ſanctæ ſedis apoſtolicæ debitam vos obedientiam ſervaturos putabimus, quos contra Dei omnipotentis ordinationem tam manifeſtis indiciis rebellare videmus? Neque enim contra Carolum eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum, cujus eſt regnum, & cui voluerit ipſe dat illud, qui etiam per Salomonem

Pr dicit: *Per me reges regnant:* item per doctorem

E gentium teſtatur dicens: *Non eſt poteſtas, niſi a* R *Deo*: & iterum: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Redite igitur prævaricatores ad cor, & quia mors non tardat, nolite differre de die in diem. Nolite ſocialia bella committere: nolite parricidales gladios in perniciem veſtri ſuſtollere. Nolite Fontanicum deteſtabile prælium revocare: quia ſicut qui pro eccleſiæ Dei defenſione moritur, ſuo ſanguine coronatur: ita qui contra Dei eccleſiam pugnans ut refuga Chriſtianitatis perimitur, procul dubio condemnatur. Nolite, cariſſimi, pro brevibus vitæ commodis æternæ remunerationis vobis januam claudere. Noli-

te

te pro rebus transitoriis æternorum bonorum commoda præterire. Quia juxta beati Marci sententiam, *nihil prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Hujus rei gratia generalitatem vestram, quam paterno affectu complecti volumus, his apostolicæ auctoritatis literis identidem hortamur ac obtestamur, ut tandem aliquando nobiscum pariter sentientes, tam dilectum nostrum Hludovicum glorioſum regem vestrum, (si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis semper inobedientissimus extitit, si glorioſus dici debet, qui adhuc in senectute decrepita Christiani sanguinis effusionem desiderat, si rex dici debet, qui neque vos, neque semetipsum regere valuit, quominus absentis fratris regni pacem corrumperet,) quam cunctos vestri regni homines, voce libera moneatis, & ab invasione sive oppressione imperii dilecti filii nostri Caroli semper Augusti funditus retrahatis: nunquamque de reliquo, sive blandimentis, sive terroribus, assensum quemlibet, favoremve præstetis ad funestum prælium inferendum, & Christianorum sanguinem, quod Dominus averterit, effundendum. Nam cujuscumque sit sublimitatis, dignitatisve persona, quæ præsentibus legatis nostris, Joanne Siculensi, itemque Joanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra * illas in partes, ad examinanda simulque diffinienda canonice, sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque fratres emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem; qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus gloriam vestram apostolicis monitis obsequentem semper in Christo bene valere.

Matth. 8.

rte de-
nisimus.
luimus.

CCCXVII. AD EPISCOPOS ET COMITES IN REGNO CAROLI; constitutos.

Laudat illos, quod in fide constantes erga Carolum perstiterint: & de legatis, quos ad componenda dissidia mittebat in Galliam.

BEnedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui vestræ sinceritatis fideique constantiam duriorem, ut ita dixerimus, adamante erga fidelitatem invictissimi principis domni Caroli spiritalis filii nostri, semperque Augusti, hactenus non indebite fecit persistere, & quanti caloris in vobis caritas vigeat, dono gratiæ largitatis suæ clarius demonstravit; quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ suæ, & divitias bonitatis suæ, ad profectum fidelium, & ad correctionem infidelium, omnibus revelaret. Ostendistis enim, carissimi, quantum sit erga pacis & concordiæ cultum vestræ benevolentiæ benignus affectus, & impletis opere quod ipse a vobis exigit Christus, dicens in evangelio: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* & apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Unde noster apostolatus immensæ lætitiæ repletus tripudio, primum quidem Deo omnipotenti sufficientes ac laudes debitas, quia nihil sine eo facere possumus, retulit, & vobis, qui studiose tanto imperatori fidem immaculatam servastis, multimodas gratiarum actiones agere, digniſque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectissimi, satis vobis prudenter consuluistis, quando aliis, quod flentes dicimus, vel sponte, vel callide ac fraudulenter deceptis, vos, sicut diximus, fidei calore utentes, & Deum præ oculis habentes, noluistis iniquorum vel tyrannorum fascibus onerari vel maculari. Quin potius restitistis, pravitatibus eorum non consensistis, & peccatis alienis minime communicastis. Idcirco libere dicere valebitis: Non adhæsit mihi cor pravum: quoniam nulla pars fidelis cum infideli, Christi ad Belial, justitiæ ad iniquitatem, vel lucis ad tenebras. Ergo, quia ita est, state in fide, & viriliter agite, seniorique vestro Domino imperatori fidem specialiter repromissam, sicut cœpistis, inconvulsam servate, & in melius confortati ejusdem honori seu profectui providete: ac ne pro temporalibus æterna, pro corporalibus spiritalia, pro terrenis cælestia gaudia amittatis, summopere decertate; scientes quia adjuvante illo qui dicit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, & posse vobis cælitus dabitur, & perseverantia tribuetur: opeque summæ divinitatis vestrum cor confortabitur, immo & ad omnes inimicorum insidias reprimendas confortabit Dominus mentes vestras in caritate & gratia, & tuebitur vos in sæcula sæculorum: ut iterum atque iterum benedicatur Dominus & Pater Domini nostri Jesu Christi, & a nostro pontificatu, immo ab universis Christi fidelibus, vobis innumeræ gratiæ referantur. Porro, si qui adhuc, quod minime credimus, in aliquo læsi quicumque vestrum reperti fuerunt, hortamur ut resipiscant, & dignam emendationem se corrigendo exhibeant. Nam cujuscumque sit sublimitatis, dignitatis, vel ordinis, qui cum præsentibus legatis nostris, Joanne videlicet & Joanne venerabilibus episcopis, dilectis quoque familiaribus nostris, quos voce nostra illas in partes ad examinanda, simulque diffinienda canonice, sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque fratres emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverint denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vel gloriam vestram in Christo bene valere. Data XIII. Kalendas Martias, indictione IX. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

Matth. 7.

Jac. 2.

Matth. 10.

CCCXVIII. AD EPISCOPOS, QUI A CAROLO DESCISCENTES, Ludovico regi adhæserant.

Increpat eorum infidelitatem, monetque ut resipiscant, ac legatos a sede apostolica missos benigne suscipiant.

RElatione vera didicimus, quod dilecto ac spiritali filio nostro Carolo glorioſissimo imperatore Augusto, seniore vestro, ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli principum veniente, ubique, ut Christianissimum decet ecclesiæ Christi patronum, vota sua prisco jam tempore præoptata Domino Deo humiliter exolvente, Augustaleque diadema, sibi divinitus sine dubio collatum, per humilitatis nostræ ministerium accipiente, fratri ejus, Hludovico scilicet regi, si tamen rex jure dici debeat, qui mentis suæ motus in abruptum impietatis cadentes non rexit, in regnum ipsius collecta populi nefandi multitudine intranti, & Paganorum more ecclesiam Dei, populum videlicet pretioso Christi cruore redemptum,

ptum, in pace positum conturbanti, relictis vestris concivibus atque sodalibus, qui Deo & seniori suo fideles procul dubio esse videntur, hærere, atque cum eo adversus Dominum, gentem, & populum vestrum, ab statu restræ fidelitatis, & promissione divinorum sacramentorum, contra sacri ministerii vestri officium, & contra sponsionis ac fidei vestræ jusjurandum, arma cum hostibus elevare, pariterque nefanda & impia committere præsumpsistis. Heu proh dolor! quare tantæ iniquitatis scelus sponte committere, quare tantæ infidelitatis malum mundo universo, sicut Judæ Iscariotæ, execrabile in exemplum ostendere non dubitastis? Quæ gens hoc audiens vos non odiat? quod regnum vos exosos fore non judicet? quando etiam gentibus, quæ Deum verum utique ignorant, tale committere nefas videtur incongruum. Quarum pro terrenis lucris vel minis eos, quos societate & unanimitate vestra defendere, salvareque ut vosmet debuistis, appetere, & cum inimicis persequi non contempsistis? cum dicente Domino, *majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, in quo scilicet vos eam, quæ per dilectionem operatur, caritatem, sine qua impossibile est placere Deo, in qua totam legem & prophetas pendere scimus, nullatenus constet habuisse, quin potius Cain fratricidam diu mente gessisse. Nonne lux mundi, & sal terræ, Veritate attestante, vos estis, qui verbis pariter & exemplis, quasi luminaria mundo lucere omnibus, atque insulsas hominum mentes sapientiæ cælestis sale condire instantissime debetis? Nonne vos posuit Spiritus S. episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo? Nonne magis vestrum erat docere populum, non autem in tam perversis rebus assensum præbere? Dolemus itaque de vobis, quasi de membris corporis Christi, dicentes cum propheta: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt*: & iterum: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plangam populum istum die ac nocte?* Quapropter monemus, hortamur, & saluti vestræ volentes pro affectu consulere magnopere suademus, ut resipiscentes, tantæ iniquitatis auctore scelesto relicto, ad Deo dilectum imperatorem seniorem vestrum Augustum toto animo fidelique voluntate reverti, ac deinceps ei fideliores existere omnibus modis procuretis. Nam vestrum erat pacem annunciare his qui prope, & his qui longe sunt, dicente Domino: *Supra montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*: vestrumque erat annunciare populo scelera & peccata sua, ne sanguis eorum de manu vestra a Domino requiratur, non, ut dictum est, sequi. Et ideo contaminati estis secundum prophetam dicentem: *Væ quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito*: & communicantes pravis eorum sceleribus, infructuosisque operibus vos reprehensibiles ostendistis. Tamen quia scimus procul dubio late patere viscera pietatis Dei, revertimini, & nolite de cetero jugum cum infidelibus ducere. Nolite amplius imitari eos, qui pacis sanctæ fœdera violant, unitatem dividunt, & in agro dominico zizania superseminare ad propriam infelicitatem præsumunt. Revertimini & sectamini charismata meliora, nec iterum antiqui hostis versutiis pareatis: sed sicut Dei ministri, Domini præcepta sequentes, in omnibus cum jam dicto imperatore carissimo filio nostro perfecte stare satagite. Quia si cum præfato rege Hludovico, vel aliquo filiorum ejus ad scandalum & regni perturbationem manere, aut eis aliquod adjutorium modo quolibet præbere tentaveritis, & non potius ad eumdem dilectum filium nostrum Cæsarem Augustum certissime redieritis, atque cum eo adversus ejus inimicos viribus totis fideliter non steteritis, scitote vos per auctoritatis nostræ legatos anathemati submittendos. Præsentes autem missos nostros, Joannem videlicet & Joannem venerabiles episcopos, dilectosque familiares nostros, benigne admittite, injunctam sibi legationem intelligenter audite, & efficaciter obaudite: ut in hoc quam vere sitis filii pacis cunctis detur intelligi, & neminem possit latere mortalium. Pro Christo enim, qui est pax nostra, legatione funguntur, cum procul dubio a sede apostolica pro pace mittuntur. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

Joan. 15.
Jerem. 4.
Jerem. 9.
Isaiæ. 40.
Isaiæ. 6.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Relatione vera.*) Eorum qui tunc a Carolo defcivere princeps fuit, Aimonio teste, Ingelramnus nuper camerarius, regique intimus, nunc Ludovico Germaniæ regi auctor fraterni regni invadendi. De his ergo * Aimonius idem lib. v. cap. xxxii. *Ad obsistendum*, inquit, *Ludovico primores regni Caroli, jubente Richilde regina, sacramento se confirmaverunt, quod non servaverunt, sed ex sua parte regnum Caroli pessumdantes hostili more devastavere. Similiter & Ludovicus cum suo exercitu idem regnum pessumdedit.*

* Immo Continuator ex annalibus Bertinianis ad an.

CCCXIX. AD UNIVERSOS GALLOS ET GERMANOS.

De damnatione Formosi episcopi, Gregorii nomenclatoris, & aliorum, qui Romæ in synodo fuerant excommunicati.

Joannes servus servorum Dei reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, sacerdotibus, cunctisque judicibus, & universo populo, per omnes Gallias & Germanias constitutis.

ZElo Christianæ religionis ecclesia Dei quæ pene nos est, instinctuque dilecti filii nostri sereniſſimi imperatoris, immo spiramine Spiritus sancti commonita, pro diversis ecclesiæ Dei referendis incommodis, contra Gregorium nomenculatorem, & Georgium generum ejus, duo scilicet iniquitatis vasa contra excelsi Dei religionem pugnantia; tam præterito mense Februario præsentis nonæ indictionis, per Petrum venerabilem Forosemproniatem episcopum penes præfatum spiritalem filium lacrymabilem suggestionem deposuit: quam nostram quoque pontificalem suggestionem pridie Kalendas Aprilis die contra eosdem per semetipsam offerre curavit. Quapropter nos per Zachariam & Gaidericum venerabiles episcopos, & Christophorum sedis apostolicæ primicerium, eis suggestionum contestationem emisimus, admonentes atque jubentes, ut si aliquid de conscientiæ suæ puritate confiderent, ad conditum venire studerent examen. At illi mollibus sermonibus, & exquisitis adinventionibus, se quidem venturos, & ad voluntatem nostram cuncta se emendaturos dixerunt: sed de die in diem sub obtentu ægritudinis tamdiu judicii diem distulerunt, donec aut nos cum fidelibus ecclesiæ Dei potuissent perimere, aut Sarracenos, quos jam per suos familiarissimos æque Sarracenos invitaverant, in Romanam urbem ad perditionem omnium intromittere valuissent. Cumque nos contra utramque fraudem juvante Domino præparatos vidissent, & imminere sibi judicii statutum diem cognoscerent, dece-

decepti se cum quibusdam suis complicibus, videlicet Formoso episcopo, Stephano secundicerio, & Sergio magistro militum, & Constantino nomenculatoris filio, quos non nostræ conventionis judicium, sed reatus propriæ conscientiæ stimulabat, contra salutem reipublicæ & regni dilecti filii nostri Caroli serenissimi principis, cui semper infideles fuerunt, & cujus provectioni semper detraxerunt, conspirantes, nescimus quo profecturi, noctis silentio cum adulterinis clavibus portas urbis, quæ vocatur sancti Pancratii, aperuerunt, & cum suis complicibus, cumque omnibus thesauris sanctæ Dei ecclesiæ, Sarracenis undique populantibus, diffugerunt: portasque patentes relinquentes, multis margaritis fugiendi, & Sarracenis ingrediendi aditum, nisi nos divina custodia tueretur, procul dubio reliquerunt. Itaque obstupescentes in talibus, Dominicum & Grimoldum venerabiles episcopos ad evocandum eos direximus. Qui revertentes nunciaverunt sibi a satellitibus suis fuisse responsum, nescire se, quonam profecti fuissent. Judicio sane in diem alterum prorogato, cum eos iterum synodice simulque & legaliter quæreremus, & habere minime valeremus, cum omni Dei ecclesia in basilica sanctæ Dei genitricis, quæ ad martyres vocatur, synodum vocavimus, & post regulares allocutiones, sententias in eos protulimus, quarum exempla secundum ecclesiasticum morem generalitati vestræ direximus, ne vobis communicandi cum eis occasionis aditus tribuatur. Quæ scilicet sententia ita se habet: Formosum Portuensem episcopum, qui a beatæ memoriæ domno prædecessore nostro papa Nicolao in Bulgarorum patriam destinatus, noviter in Christo regenerati regis animos adeo suis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus sacramentis eum sibi obstrinxisse testatus sit, ne se vivo quemlibet episcopum a sede apostolica susciperet, seque eidem terribilibus nihilo minus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuisset, obstrictum fuisse professus sit, quique a nobis proficiscendi illuc licentiam, literas & necessaria adjutoria impetravit: quoniam jamdudum per ambitionem a minori ecclesia in majorem, videlicet sanctam sedem apostolicam, prosilire conatus, plurimos sibi consolatores effecit, & nunc per repertam hypocrisim retrorsum rediens, sine licentia vel conscientia nostra, propriam parœciam deseruit, urbe discessit, & contra salutem reipublicæ, dilectique filii nostri Caroli a nobis electi & ordinati principis, cum suis fautoribus conspiravit: nisi amodo intra
Ch 876 diem decimum, id est III. Kalendas Maii præsentis nonæ indictionis, præsentiam suam nobis satisfaciendo monstraverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctoque apostolorum principum Petri & Pauli, omni ecclesiastica communione privatum esse decernimus. Decernitis & vos ita? Responderunt omnes: Decernimus: & nisi post diem decimumquintum, id est IV. Nonas Maii præsentis IX. indictionis, resipiscens satisfacturus nobis occurrerit, auctoritate & judicio sancti Spiritus qui semper effugiet fictum, omni sacerdotali ministerio penitus denudatum fore judicamus. Judicatis & vos ita? Responderunt omnes: Judicamus. Qui si nec hujus dilationis miseratione commotus, humiliter se post diem XX. id est VII. Idus ejusdem Maii mensis, præsentiæ nostræ reddiderit, vel si in ecclesia Dei in aliquo conturbare præsumpserit, si contra hanc communem omnium nostrum sententiam agere vel resultare tentaverit, anathema sit a Patre, & Filio & Spiritu sancto, nunquamque in ulla synodo recuperationis spem, aut satisfactionis aditum sibi noverit reservatum. Gregorium nomenculatorem, Theophylacti quondam nomenculatoris filium, qui jusjurandum fidei suæ diverso modo corrumpens, puritatem sanctæ Dei ecclesiæ suis fraudulentiis, avaritiis, rapinis, cupiditatibus, simulque calliditatibus, per octo ferme annorum curricula maculans, summum Romanæ urbis pontificium, conjurantibus sibi dudum suis complicibus, factiose præripere affectavit; & de multis palam recitatis capitulis, tam primo penes dilectum filium nostrum Carolum serenissimum imperatorem, quam postea penes nos ad generalitatem sanctæ Dei ecclesiæ, per nonnulla suggestionum capitula noxius diffamatur, & pro eisdem criminibus a nobis per Zachariam & Gaudericum venerabiles episcopos, & Christophorum primicerium sanctæ sedis apostolicæ, cum fratre & genero, suisque complicibus, juridice contestatus, examini se præsentandum fore, & cuncta, quæ ecclesiis, vel piis locis, aliisque hominibus abstulerat, sub jurisjurandi interpositione restituturum promisit: deinde conventum nostrum de die in diem fraudulenter, (usquequo nos vel fideles hujus ecclesiæ interimere, vel hostes Christiani nominis, id est, Sarracenos, quos per suos familiarissimos Sarracenos jam invitaverat, intra Romanam urbem introducere potuisset,) eluit: & præfinitum diem, quo canonice sive legaliter audiri debuisset, fraudulenter præripiens, eum Georgio & Sergio magistris militum, nec non & Stephano secundicerio, aliisque suis complicibus, nocturno silentio portas hujus sacræ urbis, Sarracenis circumquaque imminentibus, cum clavibus adulterinis aperuit, seque contra salutem reipublicæ simulque quietem imperii præfati filii nostri serenissimi Augusti, contra leges conspirando, fraudulenter proripuit, & cum omnibus pene thesauris ecclesiæ Romanæ, dubium quo profecturus, excessit. Simulque Stephanum secundicerium, qui diversas ecclesias spolians per avaritiam, turpisque lucri compendia, tributa vetera multiplicavit, & in omnibus perversitatibus superius nominatis fratri complex & consentaneus extitit. Necnon & Georgium Gregorii primicerii filium, qui germani proprii concubinam subripiens, eum veneno necavit: deinde post execrabiles Christianis incestus, vivente nepte sanctissimæ recordationis Benedicti papæ, cujus opibus de paupertate surrexerat, præfati nomenculatoris Gregorii filiæ se fornicario more commiscuit: propter quam pene publice jam dictam legitimam uxorem peremit. De cujus homicidio, & principibus adulterinos missos eruens, adjudicante conscio socero nefandus gener impunitus exiliit. Quique post diversa homicidia, deprædationis & malignitatis genera, tam patriarchium, quam vestiarium sedis apostolicæ sibi commissum, non tantum auro, argento, vel paliis, verum etiam æreis signis, vasisque privavit: & in omnibus impietatibus socerum loquens, immo præveniens, Sarracenis undique sævientibus, portas urbis cum eo fraudulente aperuit, & cum sibi conspirationibus contra salutem reipublicæ demigravit. Simulque Sergium magistrum militum, Theodori magistri militum filium, qui reverendæ memoriæ domno Nicolao, cujus neptem in conjugium suscipiens, ita ingratus ac inhumanus extiterat, ut vivente eo, & in extremis posito, eidem thesauros suos ad eleemosynas faciendum cum præfatis suis complicibus abnegasset. Quique eadem sua conjuge, propter quam de maxima paupertate convaluerat, derelicta, cum Valuisindula concubina, præstito jurejurando ut eam nuptialiter sumeret, nuper effugit, & in omnibus

imquitatibus cum nominatis ſuis complicibus conſpiravit. Sed & Conſtantinam præfati Gregorii nomenculatoris filiam, quæ primo per conſenſum patris, ſub conditione jurisjurandi, legaliter Ceſſario Pipini potentiſſimi veſtararii filio copulata, dein conſumptis omnibus ſoceri ſui divitiis, viventem & valentem ſponſum ſuum ſine ulla legali diſquiſitione deſeruit, & ad Gratiani Gregorii magiſtri militum filii nuptias publice convolavit: poſtremum cum alio fugere geſtiens inceſtum commiſit, ex quo prægnans inventa prædictum Gratianum Gregorii filium maritum ſuum relinquens, cum rapacibus, perjuris, ſacrilegis, mœchis, fornicatoribus turpiter fornicatura diſceſſit. Niſi intra diem decimum, id eſt III. Kalendas Maii præſentis nonæ indictionis, præſentiam ſuam nobis præfati, videlicet Gregorius, Stephanus, Georgius & Sergius, ſimulque Conſtantina, congrue ſatisfacientes exhibuerint, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum principum Petri & Pauli omni Chriſtiana communione privatos, cum omnibus communicatoribus & fautoribus ſuis permanere decernimus. Et niſi poſt diem quintumdecimum, id eſt IV. Nonas Maii jam dictæ præſentis indictionis, ſimpliciter & humiliter nobis, immo eccleſiæ Dei, ſæpedicti ſcilicet Gregorius, Stephanus, Georgius, Sergius, & Conſtantina, purificaturi occurrerint, eos auctoritate & judicio S. Spiritus, cum cunctis ſibi communicantibus, perpetuo anathemate condemnamus. Hi vero qui ab omni ſe ſocietate removentes ad unitatem ſanctæ apoſtolicæ ſedis redierint, communionis & benedictionis noſtræ gratiam ſibi reddendam eſſe confidant. His itaque auctoritate ſancti Spiritus promulgatis, omnium veſtrum generalitatem his apoſtolicis literis exhortamur, ut has literas per omnes diœceſes veſtras publice relegentes, & ad vicinas parœcias dirigentes, præfatorum depoſitorum, excommunicatorum, & anathematizatorum conſortia, quaſi venenum peſtiferum declinetis: neque cum eis communicantibus in cibo, potu, ſive colloquio communicetis, ſcientes eum qui eis, ſive communicationibus eis, ſe in oratione, cibo, potu, colloquioque miſcuerit, eadem excommunicationis & anathematis cenſura juxta canonicum capitulum modis omnibus obligatum, nunquamque a nobis ſine digna ſatisfactionis pœnitentia ſibi fore communicandum. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data XI. Kalendas Maii. *Recita in ſynodo Pontigonenſi.*

[a] CCCXX. JOANNIS PAPÆ VIII. NOMINE SCRIPTA AD PHOTIUM.

De proceſſione Spiritus ſancti.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Photio reverendiſſimo & catholico fratri patriarchæ Conſtantinopolitano, gratiam deſuper ad opera ſalutarem.

NOn ignoramus, quod nonnulli eorum, qui apud vos ſunt pacis parum ſtudioſi de noſtra eccleſia & de nobis ipſis, veritate neglecta, male loquuntur. Reſque eo progreſſa eſt, ut parum abſit, quin tua fraternitas de nobis, & de iis qui nobis ſunt ſubditi, male ſentiat. Et illi quidem nacti ſunt occaſionem, ſicut etiam ego ipſe affirmarem hujuſmodi propoſito ſatis congruam, veritas tamen ipſa, uti ſe habet, nullo pacto eſt adulterata, neque vitiata, ut procedens ſermo rem manifeſtam faciet, & Deus hoc ipſum nobis ſuo teſtimonio deſuper confirmabit. Verum illi inſtar eorum, qui vinum aqua miſcent & adulterantur, nonnulla a ſeipſis falſa fingentes & excogitantes adhibent. Oportet enim ut dæmon qui ab initio mali opifex fuit & inter nos & Deum inimicitias poſuit, ac deinde noſtrum primum parentem a Dei amore ſeparavit, & creatori ſuo inimicum illum conſtituit, etiam nunc aliquos habeat ſui miniſtros & hos ipſos impellat, ut inter eccleſias ſcandalum aliquod concitent.

Ego vero ad Deum potius auctorem & largitorem oculos dirigens, qui inimicitias etiam in cruce ſua morti tradidit, pro viribus illorum hominum qui malis delectantur, ora obſtruere contendo. Et hac de cauſa etiam antequam tua fraternitas aliquid mihi ſignificet, hæc tibi manifeſta facere decrevi, ut de rebus noſtris ſatis edoctus, aures minus præbeas iis, qui contendere & convitiari ſtudent: ſed ipſos rejicias potius & reſpuas, efficias præterea, ut alii eorum verbis fidem non adhibeant.

Novit etiam tua fraternitas, quod cum nuper ad nos acceſſit qui a te miſſus eſt, & de ſancto ſymbolo nos conſuluit, quomodo invenit nos illud inconcuſſum, ſicut nobis ab initio traditum eſt, conſervare, neque aliquid addidiſſe, vel detraxiſſe, cum recte noverimus, quod eos qui talia facere audent, gravis condemnatio expectat. Reverentiæ itaque tuæ iterum ſignificamus, ut de hac additione in ſymbolo (ex Filio ſcilicet) tibi ſatisfacimus, quod non ſolum hoc non dicimus, ſed etiam quod eos qui principio hoc dicere ſua inſania auſi ſunt, quaſi tranſgreſſores divini verbi condemnamus, ſicut theologiæ Chriſti Domini everſores, & ſanctorum patrum qui ſynodice convenientes ſanctum ſymbolum nobis tradiderunt, & una cum Juda illos collocamus, quod eadem ipſa quæ ille patrare non ſunt veriti; non quia dominicum corpus morti tradiderunt, ſed quia Dei fideles, qui ſunt ejus membra, ſchiſmate ſegregarunt, & invicem diviſerunt; & ita æterno igni illos præcipites dantes, & multo magis ſeipſos, ut fecit prædictus Judas indignus Chriſti diſcipulus, ſuffocarunt.

Arbitramur autem, tuam reverentiam recte noſſe, cum ſis ſapiens & doctrina præditus, quod dum, ut reliqui noſtri epiſcopi nobiſcum idem ſentiant, totis viribus contendimus, non mediocrem id nobis moleſtiam affert. Et revera rem adeo gravem cito commutare, nullus id facere poſſet, licet brevi tempore ortum habuerit, nec multorum annorum ſpatio fuerit confirmata. Et hac de cauſa rationi congruum nobis viſum eſt, ne violenter aliquis cogatur a vobis additionem illam dimittere, quam ipſe adjeciſſe ſymbolo ſe noverit, ſed potius manſuetudine aliqua hujuſmodi homines admonere, & paulatim a blaſphemia revocare: *Paſcite*, inquit ſummus apoſtolorum Petrus, *qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis.* [1. Pet. 5.] Qui igitur ita nos accuſant, ac ſi talia male ſentiamus, non jure nos accuſant. Tuam itaque decet fraternitatem, neque ſcandalum aliquod adverſus nos pati, neque a reliquo eccleſiæ corpore proſcindi, ſed potius nobiſcum fidei agones ſuſtinere cum prudentia & longanimitate; & alios qui a veritate declinaverunt, ad illam amplectendam revocare, ut pro his eamdem nobiſcum mercedem recipias. Vale in Domino, reverendiſſime & catholice frater.

NOTA

Nota Severini Binii.

nnia de essione itusſan- Photio ni pa- objecta atur.

a *Epiſtola*) Photius inter alias etiam hanc Joanni papæ affingens calumniam, quaſi eadem cum Græcis de Spiritus ſancti proceſſione ſenſerit, finxit hanc epiſtolam ſub nomine Joannis papæ VIII. ad ſe Photium ſcriptam de proceſſione Spiritus ſancti: quam vel ab ipſo Photio, vel alio quodam effictam eſſe oportet. His enim temporibus in Romana eccleſia abſque aliqua ambiguitate uſu receptum fuiſſe ut Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedere diceretur, poſt alias ea imprimis ratione manifeſte probatur, quod Joannes ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus ſcribens ad hunc ipſum Joannem pontificem quatuor a ſe elaboratos libros vitæ ſancti Gregorii papæ, ubi agit de dialogis ab eo ſcriptis, & in Græcum a Zacharia papa translatis, juſte queritur, quod cum ipſe ſanctus Gregorius in eis aſſeruerit diſertis verbis, Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere, illi textum corruperint, illaque verba *Filioque* abradendo inde abſtulerint, illos magnopere redarguens, quod audacter nimis ſicut & impudenter ſancti Gregorii textum ita corruperint: plane ſignificans Romanam eccleſiam nihil diverſum ab ipſo ſancto Gregorio ſentire, nec Joannem, ad quem ſcribit, ab ea ſententia diſcrepare. Vide quæ dicam infra in notis conciliabuli pſeudooctavi, verbo *conciliabulum*.

FRAGMENTA QUÆDAM ALIARUM EPISTOLARUM Joannis papæ VIII.

Quod ſacerdos homicida non poteſt in ſacerdotio manere.

Cennemoco epiſcopo Venetenſi.

o. Mi- ninus.

MIror minus doctam ſcientiam tuam ſacerdotem putare poſt perpetratum homicidium poſſe in ſacerdotio miniſtrare: immo, quod eſt pejus, nobis ſuadere velle, ut ipſi tali præſumptioni præberemus aſſenſum. Quis enim tam demens, tamque perverſi ſenſus, tale quid æſtimaret, vel poſt quantamcumque pœnitentiam concedendum, cum omni ſit canonicæ diſciplinæ contrarium? Debet ergo ſacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere: ut talibus ſaltem remediis curatus, ſalutis poſſit invenire ſuffragium.

Communione privetur ſponſa, niſi raptorem deſerere, & ad ſponſum ſuum redire voluerit.

Roſtagno archiepiſcopo Arelatenſi.

2. A- præſen- i.

Atho præſentium lator, dum in noſtro ſervitio fideliter excubaret, quemdam virum fœminam ſibi deſponſatam queritur rapuiſſe. Et ideo fraternitas tua, auctoritate noſtra ſuffulta, ſuffraganeos ſuos epiſcopos præſentialiter convocet: ſicque unanimi ſententia, ſi ſponſam huic raptor non reddiderit, tam idem, quam rapta, ſi ad ſponſum priſtinum remeare noluerit, omni communione priventur.

De examinanda cauſa cujuſdam presbyteri.

Sigibodo archiepiſcopo Narbonenſi.

urt. 10. p. 26.

Præſentium literarum gerulus, ſedi apoſtolicæ præſentatus, ſe presbyterum eſſe querula & lamentabili voce perhibuit, & a ſanctitati tuæ ſubjectæ diœceſeos epiſcopis ab officio presbyteratus ſuſpenſum, & aliis quibuſdam epitimiis uſque ad ſpeciale judicium noſtrum ſubmiſſum, pro eo quod inquit, facto tumultu, quidam ſe apprehenſum, & a terra brachiis ſublevatum, in proprium fratrem forti jactaverit impetu, ut idem germanus ſuus tanti * operis male impulſus in

pon- i malo,

A terram ruerit, & proſtratus atque oppreſſus vitæ flatum violenter amiſerit. Denique illi reverendi antiſtites, cum ſibi, ut iſte retulit, res in dubium veniret, utrum commiſſo ſibi, dudum carere, nec ne, penitus debuiſſet officio, non ipſi hanc deliberare, ſed noſtro decerni & definiri judicio voluerunt. Sed tunc hoc ſolemniter agerent, ſi primum ipſi plenario, & ex canonibus in cauſa presbyteri delegato judicio, quatuor deputatis ex venerandis decretis & legibus perſonis præſentibus, hanc ventilaſſent, & ſubtili examine diſcuſſiſſent: ut ita facta ſcripto relatione, ſi quid dubium ſibi ſeu difficile ingeſſiſſe videretur, noſtrum ſuper hoc more priſco decretum expoſcerent. At ubi nobis & perſona relatoris incoB gnita, & nullo epiſcoporum ſcripto commendatio approbata eſt, & rurſus ubi nulla eſt accuſatoris objectio, nec accuſati reatus confeſſio, nec fidelium comprobatio teſtium, nos nec illius ſolius narrationi creduli eſſe poſſumus, nec rurſus in eum definitivam damnationis ſententiam proferre valemus. Ergo ſaltem nunc fraternitas tua metropolitani jure potita, ex epiſcopis ſub ſe degentium vel vicinorum ſex, una cum epiſcopo, cujus eſt iſta parœciæ, ſibi ſocians, tantum negotio ſubtili ventilet diſcuſſionis ventilabro, & invento quod juſtum eſt canonice decernat, & communi fratrum cenſura diffiniat.

Pallium, niſi poſt conſuetam fidei profeſſionem, dari non debet.

C

Vviliberto Colonienſi archiepiſcopo.

Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus: cum videlicet in ea nullam ſanctarum univerſalium ſynodorum, in quibus fidei noſtræ ſymbolum continetur, nec decretalium pontificum Romanorum conſtitutorum, ſecundum morem, feceris mentionem: ſed nec illam propria ſubſcriprione munieris, nec aliquem qui hanc jurejurando firmaret miſeris. Dist. 100. c. Optatum.

☞ *Joannes VIII. Ludovico Imperatori.*

D

Qualiter Rainaldus Caſtri Fœlicitatis Epiſcopus ſuper homicidio tam penes apoſtolicam quam penes Imperatoriam ſedem publico murmure fuerit denotatus, & Gregorio dilecto filio nomenclatore miſſo & apocriſiario ſanctæ ſedis noſtræ cum Gregorio illuſtri magiſtro militum ac veſtiario ſacri noſtri Patriarchii apud dilectiſſimam filiam noſtram Imperatricem Auguſtam conſiſtente, a matre perempti juvenis aliiſque parentibus fuerit impetitus, & ad purificandum ſe a nobis per frequentes excommunicatorias epiſtolas acceſſerit Romam coactus, ſerenitati veſtræ credimus manifeſtum. Sed quia idem Romam veE niens purgationis ſuæ tempus præripuit, & indicta pro ſe Synodo deputatum ſibi a nobis locum, fraudulentus excedens more furis per urbis ſe muros dejecit, & vera fuiſſe crimina, quæ ſibi illata ſunt, indicium ſubterfugiens, propalavit, hinc auctoritate Dei omnipotentis ſanctorumque Apoſtolorum Principum & noſtræ mediocritatis ab omni eccleſiaſtica ſimul & chriſtiana communione penitus ſequeſtramus. Ivo par. 10. cap. 52.

Joannes VIII. Marino & Pulchari.

Sed & provinciis veſtræ fidelitatis vobis injungimus, ut cum aliquibus navibus veſtros milites Ibid. cap. 68.

☞ robuſtiſſimos præſentialiter deſtinetis, qui quadraginta Sarracenos, qui dudum Græcorum noſtrorum navibus in mare fugere, quique poſtea terreſtrium noſtrorum militum expoliati armis omnibus virtute, in montis Circei latibulis evaſerunt, una cum noſtris pedeſtribus apprehendant, quia nos pro tantillis Sarracenis dromones noſtros fatigare nolumus, dum de vobis confidere (ſicut & ipſi velle dicimini) provocamur modis omnibus confidentes. Quia ſi obedientiæ veſtræ conſtantiam & fidei puritatem cum virtutis efficacia circa S. R. E. amodo conſenſerimus, non ſolum de his tribus, quibus vos ultra conſuetudinem prægravatos dicitis, in quantum ratio poſtulaverit, levigabimus; verum etiam, ut propriam S. Petri familiam terra marique vos tueri, Domino confortante, ſtudebimus.

Joannes VIII. Angelbergæ imperatrici,

Ivo par. 13. cap. 69. Siquidem cum virtute Dei, melius quam Naletam, quæ noſtra ſunt defendemus & illorum in nullo penitus indigemus. Dromones videlicet cum ceteris navibus conſtruentes, & cetera vaſa bellica & apparatus, quin potius & ipſos animos hominum præparantes, & adverſus hoſtiles incurſus indeſinenter armantes.

Joannes VIII. Domaſol Duci glorioſo.

22. q. VIII. c. Præterea Ivo ibid. cap. 70. Præterea devotionis tuæ ſtudium exhortamur, ut contra marinos latrunculos qui ſub prætextu tui nominis in Chriſticolas debacchantur, tanto vehementius accendatur, quanto illorum pravitate famam tui nominis obfuſcatam fuiſſe cognoſcis, quoniam licet credi poſſit quod, te nolente, illi navigantibus inſidientur; tamen quia a te comprimi poſſe dicuntur, niſi eos compreſſeris, innoxius non haberis. Scriptum quippe eſt: Qui crimina, cum poteſt emendare, non corrigit, ipſe committit.

Joannes VIII. Imperatori & Imperatrici.

Ibid. cap 71. Cum reverſi fuiſſemus omnia littora noſtra deprædata etiam & in Fundis & in Terracina, velut in domo propria multos Sarracenos invenimus reſidere, pro quibus non pluſquam quinque diebus in Urbe manentes, quamvis corporis non modica detineremur moleſtia, exivimus cum fidelibus noſtris, quorum Domino adjuvante cœpimus naves octodecim. Sarraceni vero multi occiſi ſunt, captivos autem fere ſexcentos liberavimus. Ideo vobis venientibus neceſſe valde eſt ut talis in littoribus marinis fortitudo virorum remaneat, quorum virtute noſtra omnia ſalva conſiſtant, & ea quæ necdum deprædata ſunt loca, non prædentur.

Joannes VIII. Neapolitanis, Salernitanis & Amalphitanis.

Ibid. par. 12. cap. 72. Conſcientia veſtræ in Chriſto dilectionis juſte dijudicet, quantum Chriſto averſi ſunt hi qui cum ejus infidelibus contra prohibitionem Pauli tanti Apoſtoli pollutam fœderis ineunt unitatem. Cum enim regis rebellionibus quocumque participio conjunguntur, pariter majeſtatis criminibus obnoxii judicantur, parique ſententia condemnantur: quantum a corpore Chriſti probantur extranei, qui ejus hoſtibus fœderati, membra ipſius tanto perniciosius lacerant, quanto vicinius Eccleſiæ Dei colliminant? *Item*

A Quantum autem Deo ſit execrabile cum impio fœdera pangere, luculenter ex hoc deprehenditur: quod Joſaphat rex Juda, qui tot de anteacta vita præconiis extollitur, de Achab amicitiis inerepatur, cum ei per Jehu propheta dicitur: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te eo quod abſtuleris lucos de terra Juda. Quantum præterea ſit Deo delectabile ab inimicorum Dei pace deſiſtere, noſter Pſalmographus manifeſtat cum dicit: nonne qui oderant te Domine oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Ex quo dilectiſſimi
B filii patenter oſtenditur, quanto crimine cum peſſimis pax tenetur, ſi Propheta tantus hoc velut in hoſtiam Deo obtulit quod contra pravos pro Deo inimicitias excitavit. Hinc Levi tribus, aſſumptis gladiis per caſtrorum media tranſiens quia feriendis noluit peccatoribus parcere, Deo manus ſuas dicta eſt conſecraſſe: hinc Phinees peccantium civium gratiam ſpernens, coeuntes cum Madianitis perculit, & iram Dei iratus placavit.

Joannes VIII. Luitberto Archiepiſcopo Magontino.

Engeltrudem uxorem Boſonis noveris non ſo- Ibid.
lum excommunicatione quæ a fraterna ſocietate
C ſeparat, ſed & anathemate, quod ab ipſo corpore Chriſti quod eſt eccleſia, recidit, crebro percuſſam.

Joannes VIII. Petro epiſcopo.

Si Deodatus & Gregorius ſtatuto jam tem- Ibid.
pore ad nos venire & omnia juſte atque canonice emendare contempſerint gravioribus eos perpetui anathematis vinculis innodabimus, eorumque ſcelera & excommunicationes, & anathemata ſcribentes ante ſanctiſſimam beati Petri Apo-
D ſtoli imaginem ſuſpendemus ut omnibus de toto mundo ad limina Apoſtolica venientibus illorum ſit nota iniquitas & conſortio ſacræ Eccleſiæ videantur extranei.

Joannes Papa VIII.

Joannes Papa VIII. Si quis domum Dei vio- Ex Mif
laverit & aliqua ſine licentia illius, cui commiſ- pag.
ſa eſſe dinoſcitur, inde abſtulerit, vel in Eccle- edit.
ſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec in con- ſis.
ventu admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione fore privatum. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventionem coram epiſcopo ſatisfacere detrectaverit, ſacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut ſecundum Apoſtolum nemini fidelium miſceatur.

E *Joannes VIII. Ludovico II. Imperatori inter cetera.*

Nam monaſterium Sanctæ Mariæ in Coma- Ex
clo, quod Pompoſia dicitur, & monaſterium ſan- Bali
cti Salvatoris in monte Feretri, aliudque monaſterium quod vocatur ſancto Probo, atque colonos in territorio Ferrarienſi & Adrienſi & Gallicata & Fanventillam Ravennati Archiepiſcopo non abſtulimus, ſed ea monaſteria & loca ab anteceſſoribus noſtris poſſeſſa reperientes poſſedimus hactenusque jure proprio retinemus. Alia quoque loca & villas & prædia de quibus aliquam

quam functionem per D. jam annos Eccleſiæ Ravennas recepit, volumus ut priſtinam functionem & dationem eadem Eccleſia deinceps recipiat. Et quia eidem Eccleſiæ alia loca nec tulimus nec occupari fecimus, habeat quæ hactenus habuit abſque prædictis locis, ideſt Gallicata, & maſſa Faventilla, & abſque præfatis monaſteriis, quouſque in præſentia noſtra & ipſa loca quæ ſua eſſe putat, noſtræ potius Eccleſiæ lege & ratione pertinere omnimodis cognoſcatis. Datum IV. Kal. Febr. indictione VII.

Joannes Epiſcopus Angelbertæ Imperatrici inter cetera.

eodem uzio. Ad hoc uſque malum crevit & increſcatum eſt ut factione Ravennatis Archiepiſcopi Maurinus cum ſuis complicibus, qui excommunicati & anathematizati a nobis jam ſunt Ravennam ingrederetur & fidelium noſtrorum res cum eis funditus raperet ac devaſtaret, adeo ut claves civitatis Ravennæ a Veſtarario noſtro violenter ſubtraheret & pro libitu ſuo, neſcimus cujus auctoritate, ipſi Archiepiſcopo, quod nunquam factum fuiſſe recolitur, poteſtative concederet.

Joannes Epiſcopus Annoni Friſinguenſis Eccleſiæ Epiſcopo.

eodem duzio. Efficaciam tuæ fidelitatis circa ſedem Apoſtolicam, quam nimirum literis tuis extuleras, operibus te approbare velle ſatis devotiſſime promittentem & gratanter accepimus & pro commendatione rerum Romanæ Eccleſiæ proviſioni tuæ ut aſſeris commiſſarum. Noveris itaque nuperrime nos literas dilecto filio noſtro Hludovvico Regi, ſed & Epiſcopis & Comitibus Italici regni qui earum redditus nobis deferri ſalvos faciant tranſmiſiſſe, nihilque aliud ſupereſſe cognoſcimus niſi ut aurum aliaſque ſpecies quas te collegiſſe fateris ſimul cum præteritæ indictionis qui minus fuerunt redditibus ſub omni plenitudine nobis per totum Septembrem futuræ VII. indictionis, aut per temetipſum deferas aut tranſmittas, ſciens quia ſi hoc condicto tempore redditus nobis non venerint, nullius alterius niſi tuæ moroſæ negligentiæ ſpecialiter imputandum. Precamur autem ut optimum organum cum artifice, qui hoc moderari & facere ad omnem modulationis efficaciam poſſit ad inſtructionem muſicæ diſciplinæ nobis aut deferas, aut cum eiſdem redditious mittas: quatinus dum vile metallum beato Petro conferre feſtinas ab eo aurea regni cæleſtis munera capeſſas.

Joannes Papa VIII. Roſtagno Archiepiſcopo Arelatenſi, Sigiboldo Archiepiſcopo Narbonenſi, & Roberto Archiepiſcopo Aquenſi a paribus.

eodem izio. Veracium relatione comperimus, Gilbertum Nemauſenſem venerabilem Epiſcopum, quod quoddam monaſterium noſtrum quod ſuper eundem Epiſcopum acquiſivimus, ipſe Gilbertus temere invaſerit, cunctaſque res ipſius monaſterii per ſuos homines diſtribuerit, & illius monachos inde contra ſacras Regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis diſplicuit, quantum, ſicut ipſe nobiſcum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum contra Privilegium Apoſtolicæ Sedis eum feciſſe non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus ut vice noſtra cum confratribus & coepiſcopis noſtris junctis eundem Nemauſenſem epiſcopum ad commune colloquium convocetis, & ex auctoritate noſtra conveniatis ut ab omni invaſione ipſius monaſterii tam ſe quam ſuos removeat, & ulterius nec res ejus, nec monachos illic Domino famulantes moleſtare præſumat. Quod ſi ipſe ſurda aure, quod abſit, per vos monita noſtra audierit, tunc ex auctoritate Beati Petri Apoſtoli, cui idem monaſterium pertinet, ſimul & noſtra, illum a miniſtro ſacerdotali excommunicando ſuſpende quouſque dum aut ab ipſa invaſione ſe ſubtrahat, aut ad Sedem Apoſtolicam, vel ad noſtram præſentiam nobis ſatisfacturus occurrat. Agat in his ſanctimonia tua, ſicut illam agere decet ut & nos Deo laudes, & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kal. Julii. Indictione XII.

Excommunicatio Joannis VIII. in eos qui de morte Romani clerici ſuſpecti erant.

Qui de homicidio Romani religioſi clerici ſuſpecti, a nobiſque canonicæ ſuæ excommunicationis intentione, mediante Junio præſentis octavæ Indictionis, vocati venire contempſerunt, & ob hoc per noſtras literas ſecundo & tertio advocati, extremum vero per Joannem, Leonem epiſcopos omnimoda communione privati, quia Apoſtolatus judicium hactenus ſubterfugiſſe & neque veniſſe neque miſiſſe probantur: auctoritate Sancti Spiritus anathematizatos eſſe decernimus quouſque futuris Kalendis Octobribus, futuræ nonæ Indictionis purificari canonice mereantur. Si autem neque tunc pleniſſimam nobis ſatisfactionem oſtenderint: perpetuo anathemate teneantur innexi, ita ut quicumque amodo eis in cibo, potu, vel oratione communicaverint, pari cum eis anathematis ſententia colligentur. Ex Ivone par. 10. cap. 17.

Joannes VIII. Ausberto Archiepiſcopo Mediolanenſi.

Vir ſpectabilis Rudolphus nomine, imperatorius homo nos nuper adierat, quæritans & aſſeverans ſe uxorem ſuam nomine Bauam zelo pudoris fervente obſcœnæ ſuſpicionis macula denotaſſe, ac ſiniſtra crebeſcente fama carnalis accuſatione criminis impetiſſe. Qui cum hanc ad purgandum ſecundum legis propriæ tenorem, parentibus ejus & conſanguineis tradidiſſet, ultra ſpatium anni fuerit ſub criminalium reatu calumniarum retenta. Qua de re nos æquitatis amore ſuccenſi, apoſtolica parentibus ejus auctoritate præcipimus, quatenus mediante menſe Auguſto præteritæ ſeptimæ indictionis ſive purgatam, ſive aliter eandem fœminam viro proprio reddidiſſent, haud dubium quin ſubituram ſi non ſecularis legis, ſaltem eccleſiaſticæ pietatis medelam. Alioquin corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſe noſcent cum ea communione privandos, qui nec mundanarum, vel divinarum legum cenſuram, nec Apoſtolicæ ſedis reverentes decretum. Horum nihil (ut prædictus vir ad nos iterato veniens retulit & ipſius rei exitus innuit) agere curaverunt. Quamobrem in ſacro communionis munere ſecundum quod illis intentando comminati fueramus, eos merito privaremus niſi alteram partem audiendam fore judicaremus. Unde quia nos eſſe juſtos mediatores oportet, unius autem mediator non eſt, eoſdem vexare longius proficiſcendo nolumus, ſanctitati tuæ ſuper hujuſcemodi controverſiæ circumſtantia, vice noſtra delegata hortamur, ut ſtatuto & indicto tempore venerabiles Lintfridum Ficinenſem, Paulum Placentinum antiſtites ad certum accerſias, & uxore jam memorati Radulphi Ex eodem par. 8. cap. 119.

missis vestris & literis advocata, quæ legis sive mundanæ, sive Divinæ sunt, super utroque conjuge incunctanter exerceas, secundum præstitutam vobis sacerdotalis mensuram dumtaxat officii, Quæ si post vocationem vestram quam tertiam esse post secundam nostram proculdubio constat, ad virum proprium collata sibi legali & indubitabili se libertate purgandi, minime redire delegerit, examenque sanctitatis vestræ subterfugiens declinaverit, a sacris & sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione in idipsum una cum spiritu nostro convenientes, tam ipsam quam nequiter eam tuentes & defendentes consanguineos, quinimmo fautores ejus & omnino communicatores, donec obediant, sequestrate,

Joannes VIII. Ludovico Imperatori.

Dist. 10. c. Vides. Dist. 85. c. facientis. Ivo p. 6. c. 115.

Vides fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur. *Item*. Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, participes judicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere; nec caret scrupulo consentionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes: nec relinquit sibi locum deviandi, qui non pepercerit excedenti. Et primus innocentiæ gradus est, odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum, & nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.

Joannes VIII. Neapolitanis, Salertinis & Amalphitanis.

Ivo p. 4. c. 233.

Quia fidelibus & mysterium Christianitatis scientibus loqui nos credimus, per sacrarum Scripturarum testimonia longius tendere devitamus, dilectioni vestræ Donatum venerabilem episcopum, cujus laus est in sancta octava Synodo, & Eugenium religiosum presbyterum, dilectos filios & consiliarios nostros ecce dirigimus.

CONSTITUTIO JOANNIS PAPÆ VIII.

De jure cardinalium.

Itemque ex nostra præsenti constitutione bis in mense vel eo amplius, vel apud illum vel illum titulum, sive apud illam vel illam diaconiam, sive apud alias quaslibet ecclesias vos convenire mandamus. Et ob vestram & inferiorum clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus vestium perscrutandum, & qualiter quilibet præpositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis præpositis non obediant, & ad quæque illicita amputanda, clericorum quoque & laicorum querimonias, quæ ad nostrum judicium pertinent, quantum fieri potest, definiendas. Quippe cum sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita & vestram fraternitatem septuaginta seniorum, qui sub eodem causarum negotia dijudicabant, vicissitudinem gerere, certum habeamus. Item monasteria abbatibus viduata & abbatum, nostra præcedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter * nos, vel fuerint monasticæ professionis, disponenda committimus.

* vos

Propter solicitudinem autem ecclesiarum & clericorum earumdem disciplinam, sive laicorum querimonias definiendas, bis in hebdomada ad sacrosanctum palatium, juxta decreta prædecessoris nostri Leonis quarti, vos convenire mandamus.

Item sancimus de parochiis nostris, quantumque pontifici competit, pontificali beneficio vos in perpetuum possidere, & in principalibus ecclesiis juxta primatum vestræ consecrationis vicissim officia divina peragere, & earum oblationibus, salva semper cardinalium diaconorum prisca consuetudine, æqualiter participare tam propter usum vestrum, quam in ecclesiarum vestrarum luminarium concinnationes.

APPENDIX EPISTOLARUM JOANNIS PAPÆ VIII.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Polliciti sumus in nostra conciliorum historica synopsi nos fragmentis epistol. Joannis papæ VIII. corollarium aliquod τοῦ Θεοῦ adjecturos, ac ne lectores diutius differremus prægustandam ipsis promulsidem obtulimus ex codice m. s. viri clarissimi Claudii Hardy senatoris Parisiensis; hoc est diploma ad Vvalonem Metensem episcopum, cui & alia nonnulla deinceps subjungemus aliunde a nobis accersita.

I. AD VVALAM SEU VVALONEM METENSEM EPISCOPUM.

Concedit illi pallium certis diebus deferendum.

Joannes episcopus servus servorum Dei, Vvalæ venerabili episcopo Mediomatricorum ecclesiæ, quæ & Mettis vocatur, in honore scilicet sancti Stephani primi martyris.

SI pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ac ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur? Attendamus ad susceptum, officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter ceteros judicamur. Palleum autem fraternitati tuæ ex more ad missarum solemnia celebranda concessimus, diebus vitæ tantummodo: quod tibi, non ecclesiæ tuæ, aliter privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus. Quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo utrisque possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Dominum videatur esse, bene quod vixerint. Corrigant, ne prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincant. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniat. Sub ea videlicet ratione concedimus fraternitati tuæ, ut a secretario usque ad sacrum altare, & ab altari usque ad secretarium, sicuti prisca extitit * palleatis consuetudo, indui debeas. Auctoritate autem beati Petri apostolorum principis licentiam diebus vitæ tuæ sub jure & ditione nostra, ut diximus, habeas. Nullum usum vel consuetudinem successoribus tuis

* Pro liatis

per

per hoc noſtrum tibi conceſſum apoſtolicum privilegium habere cenſuimus. Et neque epiſcopus, archiepiſcopuſque adverſus te pro hoc altercationis contentionem commoveat. Ita Domino regente & gubernante cor tuum, commiſſam exequi gubernationem ſtudeas, ut adepto hujus honoris officio, dignitate & probitate morum amplius procures adornari. Scriptum per manum Georgii ſcriniarii S. R. E. in menſe Septembrio, indictione XII. Data VIII. Idus Septembris per manum Vvalperti humillimi epiſcopi ſanctæ Portuenſis eccleſiæ, anno Domino propitio pontificatus domini noſtri Joannis ſummi pontificis & univerſalis papæ in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli ſexto, indictione XII. *Hoc eſt anno* 878. *verum aut September in Octobrem, aut indictio* 12. *in* 11. *mutanda: quod ex privilegiis Floriacenſi, Cabilonenſi, aliiſque diſces: & nos fuſius alias explanabimus, licet non diffiteamur in antiquis diplomatibus indictionem nonnunquam uſque ad natalem Chriſti diem aut pridie Kalendas Januarii protendi ab incurioſis tabellionibus librariiſve.*

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

Auctor hiſtoriæ Treviriciæ nondum quod ſciam editæ, cujus exemplar calamo exaratum penes me eſt, hujus a Joanne papa conceſſi Vvalæ privilegii, turbarumque inde exortarum meminit hiſce verbis:

*** Anno quinto Bertolfi moritur Adventius Metenſis epiſcopus: Vvalo ei ſubſtituitur, cui ordinationis ſuæ anno ſecundo tranſmiſſum eſt pallium a Joanne papa cum literis docentibus quibus in feſtis eſſet uſurus. Bertulfus vero metropolitanus audiens Vvalonem in die ſancto paſchæ cum pallio procedere, miſſis literis Treveris evocatum percunctatus eſt, quando, vel quomodo vel a quo procedere cum pallio ſibi fuerit conceſſum. Vvalo lecto in auribus omnium qui aderant quod ſibi a papa tranſmiſſum fuerat de uſu pallii privilegio aſſeruit non ſe primum, ſed quintum fuiſſe, quem apoſtolica ſedes hoc honore dignata ſit ſublimare: ſalva tamen in omnibus metropolitano ſubjectione. I. Urbicium. II. Pippini regis ex ſorore nepotem Crodegangum. III. Angelramum. IV. Drogonem Caroli Magni imperatoris filium. Bertulfus his aſſertionibus non ſatisfactus capitulo canonum lecto quo aſſeritur nulli ſuffraganeorum novum & quod non ab omnibus in eccleſia ſua prædeceſſoribus non habebatur abſque metropolitani ſui conſilio & licentia præſumendum, interdixit ei per ſanctam quam in omnibus eccleſiaſticis negotiis deberet obedientiam, ne ulterius niſi ab eo petita & conceſſa licentia pallio uteretur. Cumque Vvalo apoſtolicam auctoritatem prætenderet, archiepiſcopus vero metropolitanorum privilegia defenderet, grandis utrimque conflata eſt inimicitia. Hincmarus igitur reverendiſſimus Remorum archiepiſcopus & eloquentia clariſſimus audiens hanc diſſidentiam, epiſtolam Vvaloni tranſmiſit ſapientiæ ac ſacri concilii ſale conditam, per quam eum ad metropolitani ſui inſtruxit obedientiam & reſtituit concordiam, &c.

Meminit ejuſdem diſſenſionis Flodoardus libri tertii hiſtoriæ Rhemenſis cap. 23. ſcriptamque teſtatur ab Hincmaro ad Vvalonem epiſtolam de pallio a ſede Romana obtento, & Bertulfum literas papæ noluiſſe ſuſcipere. Eadem quoque narrat paulo fuſius chronicon ſancti Trudonis libri II. primæ partis cap. 13. hujus fragmentum recitat pag. 275. hiſtoriæ Metenſium epiſcoporum F. Meuriſſius O. M. epiſcopus Madaurenſis ac Metenſis epiſcopatus ſuffraganeus.

II. AD GEILONEM ABBATEM

TORNUTIENSEM EJUSQUE monachos.

Illorum omnia, vel regia, vel epiſcopalia privilegia, pontificia auctoritate ſancit, anno Chriſti 876. quibus addit exemptionem ab omni cujuslibet antiſtitis juriſdictione.

* *Ex autographo in phlyra, literis uncialibus Gotticis deſcripto, longo pedes circiter* XII. *lato duos.*

* Edidit R. P. Chiffletius S. J.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Geiloni inclyto abbati, dilectiſque filiis noſtris in Tornutio monaſterio, a ſpirituali filio noſtro, glorioſo Carolo imperatore Auguſto, ſanctæ & intemeratæ ſemperque virgini Dei genitrici Mariæ, atque pretioſo confeſſori Chriſto Philiberto largito, ſub regula ſancti Benedicti religioſa converſatione degentibus, nunc & futuris temporibus.

QUando ab ea quæ catholicorum imperatorum corda pontificalibus ſunt monitis provocanda, ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia tam ſuccenduntur, ut ab eis ultro poſcantur, tanto alacri & læto ſunt animo concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta ſcripta petitoria filii noſtri, præcellentiſſimi imperatoris Caroli, hujuſmodi privilegium præſentis auctoritatis noſtræ decreto, eidem venerabili monaſterio veſtris futuriſque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus: ut ſicut ipſe glorioſiſſimus filius noſter, divino ductus amore, de villis ac facultatibus, ſeu ſtipendiis ſpecialiter monachorum & eccleſiæ ornamentorum, vel luminariorum, ac matriculariorum, ſeu hoſpitum, atque pauperum uſibus ſervata, vel emeliorata ſeu aucta ordinatione præcepto ſuæ auctoritatis firmavit privilegium quod venerabilibus fratribus ac filiis noſtris epiſcopis illarum regionum fieri & confirmari fecit; ita ſicut eodem privilegio, atque præceptis, in primis filii noſtri Caroli exinde factis continentur, perpetuo inconvulſa permaneant. Quamvis enim fama fuerit hoc tenuiſſe ad epiſcopatum Matiſconenſem, nullaque ibi auctoritate qua teneri poſſit adjunctum longo interveniente tempore fuerit, melius, multoque ſanctius apoſtolicæ diſcretionis noſtræ viſum fuit, ut monaſticis utilitatibus in prædicto monaſterio confirmetur, quam laicalibus ſine aliqua acquiſitione ſanctorum locorum depopulationibus indulgeatur. Conſtituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antiſtitum vel abbatum, ſeu quilibet quacumque præditus dignitate, de his qui in præfato privilegio, ſeu in præceptis ipſius filii noſtri Caroli ex his quæ præmiſimus factis continentur, vel in futuro, ab eo vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint his ſpecialibus uſibus jure collata, ſub cujuslibet cauſæ occaſione ſive ſpecie, quicquam minuere vel auferre, ſive ſuis uſibus applicare, vel aliis quaſi piis cauſis pro ſuæ avaritiæ excuſatione præſumat concedere: ſed cuncta quæ præfatis uſibus monachorum, & eccleſiæ ornamentorum, vel luminariorum, matriculariorum, hoſpitum, & pauperum oblata ſunt, vel offerri contigerit, perenni tempore inlibata & inconvulſa, ac ſine aliqua inquietudine, eorum uſibus pro quorum ſuſtentatione gubernationeque conceſſa ſunt, modis omnibus profutu-

futura permaneant. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique noſtri pagina continet, tam vobis quam cunctis qui in eo quo eſtis ordine locoque ſucceſſerint, in perpetuum conſervanda decernimus. Salva in omnibus quæ hujus decreti pagina continentur, auctoritate & honore ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & ſedis apoſtolicæ privilegio. Placet etiam ut per futura tempora, ipſi monachi ex ſcriptis habeant licentiam eligere abbatem. Si quis autem temerario auſu, magna parvaque perſona, contra hoc noſtrum apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatum, & a regno Dei alienum, & cum omnibus impiis, æterni incendii ſupplicio condemnatum. Qui autem verus cuſtos & obſervator hujus confirmationis extiterit, benedictionem, & gratiam & cæleſtem miſericordiam a Domino conſequi mereatur. Scriptum per manum Anaſtaſii notarii regionarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Octobrio, indictione decima. Bene valete.

Subſcriptum Idus Octobrias, per manum Chriſtophori primicerii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ, imperante domino piiſſimo principe Auguſto Carolo, a Deo coronato, magno imperatore anno primo, & poſt coronationem ejus anno primo, indictione decima. *

* An. Chriſti 876.

III. AD CAROLUM IMPEREATOREM, GEILONEM ABBATEM TORNUTIENSEM, ejuſque monachos,

Cellæ Godith, a Deſiderio principe fundatæ ſua jura confirmat: quibus addit immunitatem ab omni epiſcopali juriſdictione anno Chriſti 887.

* Ex autographo in phiſyra idem edidit R. P. Petrus Franciſcus Chiffletius S. J.

*Joannes * epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ſpirituali filio noſtro glorioſo Carolo imperatori Auguſto, ac Geiloni inclyto abbati, dilectiſque filiis in Trenorchio monaſterio ſanctæ & intemeratæ, ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ, atque pretioſo confeſſori Chriſti Filiberto largito, ſub regula ſancti Benedicti degentibus nunc & futuris temporibus,*

POſtquam enim auxiliante Chriſto eccleſiæ cœpit origo, ſemper impiorum flatibus agitatur. Sed quia noſtris temporibus alis imperialibus ſuſtollitur, nos in quantum valemus, apoſtolicis auctoritatibus confirmare debemus. Proinde juxta petitionem filii noſtri præcellentiſſimi imperatoris Caroli, privilegium hujuſmodi auctoritatis noſtræ, eidem monaſterio veſtris futuriſque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus, ut ſicut ipſe glorioſiſſimus filius noſter, per deprecationem Deſiderii principis, cellam quæ vocatur Godith in pago Vallavenſi, in loco qui dicitur Vallis anguſta, loco prædicto, necne præſcriptis ſanctis, cum villis ac facultatibus ſeu ſtipendiis conceſſit, & præcepto ſuæ auctoritatis roboravit, atque privilegio fratrum & filiorum noſtrorum epiſcoporum illarum regionum confirmari fecit: ita ſicut in eadem charta nobilitatis quam fecit Deſiderius, & præcepto filii noſtri Caroli continetur, inconvulſa permaneant: ut nullus regum, nemo antiſtitum vel abbatum, ſeu quilibet quacumque præditus dignitate, de his quæ in hoc privilegio vel in præceptis ipſius filii noſtri Caroli continentur, quicquam exinde minuere vel auferre præſumat; ſed cuncta quæ præfatæ eccleſiæ Godithi oblata ſunt vel offerri contigerit, inconvulſa & illibata permaneant. Conſtituimus alia auctoritate beati Petri, ut eccleſia in valle prædicta conſtructa, & in honore ſalvatoris, ejuſque genitricis dicata, immunis habeatur ab omni dominatione terrena: quia injuſtum decernimus ut glorioſa mundi regina, quæ cum Filio juncta, exaltata eſt ſuper choros angelorum, humanis ſubdatur poteſtatibus. Anathematizamus igitur, ut nemo antiſtitum locum ſibi vindicare audeat, ſeu qualibet occaſione abſolutionis, atque excommunicationis, vel ſacræ ordinationis adire præſumat, niſi ab abbate loci, vel a monachis ibi Deo ſervientibus fuerit invitatus. Ceterum ab omni ſæculari perſona decernimus eſſe liberum & quietum, ut in præceptis Filii noſtri Caroli continetur. Si quis autem temerario auſu, magna parvaque perſona, contra hoc noſtrum decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatum, & a regno Dei alienum, & cum impiis æterno incendio condemnatum. Scriptum per manum Anaſtaſii notarii regionarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Junio, indictione * quinta. Bene valete. *In plumbo Joannis papæ.*

* de ſcil.

IV. PRIVILEGIUM A JOANNE VIII. PAPA, ANNO CHRISTI DCCCLXXVIII. in concilio Trecenſi Geiloni abbati & monaſterio Trenorchienſi datum, & patrum ejuſdem concilii auctoritate firmatum.

ANno dominicæ incarnationis, &c. *Vide paulo poſt Cabilonenſem conventum anno* 875.

V. RESCRIPTUM DE ANSEGISO SENONENSI ARCHIEPISCOPO apoſtolicæ ſedis legato.

* *ſ. id epiſt. ſupra* 226.

ILlud perhibetur fuiſſe mſ. in bibliotheca Antonii Auguſtini Tarraconenſis archiepiſcopi. *Videant qui Scorialenſem in Hiſpania theſaurum ſervant, an inde quid ſperare liceat reipublicæ literariæ.* Sapientia *enim* abſconſa & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque. *Eccleſiaſtici* XX. 32.

VI. PRIVILEGIUM MONASTERIO FLORIACENSI S. BENEDICTI ad Ligerim conceſſum.

JOannes *epiſcopus*, &c. Quoniam ex apoſtolica. *Videſis ad annum* 878. *ſectionem ſeu caput* XIII. *concilii Tricaſſini II.*

VII. COMMONITORIUM AB EODEM JOANNE VIII. PAPA DATUM LEGATIS Paulo & Eugenio ac Petro, ſed ab impoſtore Photio falſatum.

CUm primum, &c. *Vide infra concilium Romanum III.*

Iis vero non pigebit ſubjungere.

EPISTOLAM EPISCOPORUM GERMANIÆ AD JOANNEM PAPAM VIII. a Joanne Cordeſio poſt Hincmari opuſcula & epiſtolas anno 1615. excuſam Pariſiis cum jam ab anno 1611. Monachii in appendice chronici monaſterii Reicherſpergenſis in Bajoaria opera Chriſtophori Geuvoldi cum pluribus aliis antiquis diplomatibus prodiiſſet.

Epiſtola epiſcoporum Germaniæ ad Joannem papam VIII. *

De Slavis ad fidem Chriſtianam converſis & eorum archiepiſcopo & epiſcopis.

Summo pontifici & univerſali papæ domino Johanni Romanæ ſedis magnifico gubernatori, humillimi paternitatis veſtræ filii, Theotmarus Juvanenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Vualdo Friſingenſis, Erchenpaldus Eyſtatenſis, Zacharias Sæbonenſis, Tutto Ratiſponenſis, Richarius Patavienſis eccleſiæ epiſcopus, necnon & univerſus clerus, populuſque Chriſtianus per totam Noricam, quæ & Bavaria vocatur, proſperum in ſalvatore noſtro provectum, catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.

ANteceſſorum veſtrorum decretis, & ſanctorum patrum inſtitutis pleniſſime inſtruimur in omnibus noſtro ſacerdotali miniſterio obſtantibus & averſantibus Romanum appellare pontificem, ut quod ad unitatem concordiæ, & ad cuſtodiam pertinet diſciplinæ, nulla diſſenſione violetur, ſed ab ipſo ſumma proviſione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audivimus, ut de illa ſancta & apoſtolica ſede, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, origo Chriſtianæ religionis, profluxerit quippiam perverſitatis, ſed doctrina & authoritas eccleſiaſticæ rationis. Sed venerunt, ut ipſi promulgaverunt, de latere veſtro tres epiſcopi, videlicet Joannes archiepiſcopus, Benedictus & Daniel epiſcopi, in terram Slavinorum, qui Moravi dicuntur, quæ legibus noſtris & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ religionis, quam in tributo ſubſtantiæ ſæcularis, quia exinde primum imbuti, & ex paganis Chriſtiani ſunt facti. Et idcirco Patavienſis epiſcopus civitatis, in cujus diœceſi ſunt illius terræ populi, ab exordio Chriſtianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obſtante intravit, & ſynodalem cum illis, & cum ſuis, & etiam inibi viventibus conventum frequentavit: & omnia, quæ agenda ſunt, potenter peregit, & nullus ei in faciem reſtitit. Etiam & noſtri comites illi terræ confines placita ſæcularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda ſunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis reſtiterunt, uſque dum increſſante corda eorum diabolo Chriſtianitatem abhorrere, & omnem juſtitiam detrectare, belloque laceſſere ac obſiſtere ſæviſſime cœperunt: adeo ut via epiſcopo & prædicatoribus illuc non eſſet, ſed libitu ſuo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero, quod nobis grave videtur & incredibile, in augmentum juſtitiæ jactitant, ſe magnitudine pecuniæ egiſſe, vos eoſdem præfatos epiſcopos ad ſe direxiſſe, & in eodem Patavienſi epiſcopatu talia egiſſe, qualia de illa apoſtolica ſede nunquam exiſſe, neque canonum decreta ſanxiſſe, ut tantum ſchiſma una pateretur eccleſia. Eſt enim unus epiſcopatus in quinque diviſus. Intrantes autem prædicti in veſtro nomine, ut ipſi dixerunt, epiſcopi, ordinaverunt in noſtro eodemque epiſcopatu unum archiepiſcopum (ſi in alterius epiſcopatu archiepiſcopus eſſe poteſt) & tres epiſcopos ejus ſuffraganeos, abſque ſcientia archiepiſcopi, & conſenſu epiſcopi, in cujus fuerunt diœceſi: cum in concilio Africano 20. decretum ſit, *Ut plebes, quæ in diœceſibus ab epiſcopis retinentur, quæ nunquam epiſcopos habuerunt, nec niſi cum voluntate ejus epiſcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores & epiſcopos.* Item in eodem concilio cap. 65. *Ut plebes quæ nunquam habuerunt proprios epiſcopos, niſi ex concilio plenario uniuſcujuſque provinciæ, & primatis, atque conſenſu ejus, ad cujus diœceſim eadem plebs pertinebat, epiſcopos minime accipiant.* In decretis papæ Leonis cap. 15. ſcriptum eſt: *Nulla ratio finit, ut inter epiſcopos habeantur, qui a provincialibus epiſcopis, cum metropolitani judicio non conſecrantur.* Item cap. 49. *Ut ſi indignis quibuſque, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis paſtorale faſtigium & gubernatio eccleſiæ detur: non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.* Et in eodem cap. poſt pauca inquit, *Difficile eſt, ut bono peragantur exitu quæ malo ſunt inchoata principio.* Et in decreto papæ Cœleſtini anteceſſoris veſtri capite decimoſeptimo continetur, *ne alicui locus concedatur ſacerdoti in alterius injuriam:* Anteceſſor veſter Zuentibaldo duce impetrante, Vvichingum conſecravit epiſcopum, & nequaquam in illum antiquum Patavienſem epiſcopatum tranſmiſit, ſed in quamdam neophytam gentem, quam ipſe dux bello domuit, & ex paganis Chriſtianos eos eſſe patravit. Cum autem eiſdem Slavis locus familiaritatis apud legatos veſtros dabatur, accuſabant & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus inſtabant, quia nemo eis vera reſpondebat, dicentes, nos cum Francis & Alemanis ſcandalum & diſcordiam habuiſſe: cum hoc falſum eſſe ex hoc convincitur, quia amiciſſimi noſtri ſunt, & charitativi cooperatores; Et etiam cum ipſis impacatos eſſe accuſabant. Quod non noſtra culpa exigente, ſed ſua potentia faciente, ita fatemur eſſe. Quia quando Chriſtianitas illis cœpit vileſcere, & inſuper debitum tributum ſenioribus noſtris regibus, & principibus eorum ſolvere reſpuerunt, belloque reſiſtere, & gentem noſtram cœperunt laceſſere, orta eſt ſeditio inter illos. Et quoniam armis ſibi eos defenderunt, in ſervitium redegerunt; idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent; & ſive velint, ſive nolint, regno noſtro ſubacti erunt. Quapropter oportet nos ab alto ſpeculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque ſereniſſimi ſenioris noſtri Hludovici, videlicet imperatores, & reges ex Chriſtianiſſima Francorum gente prodierunt: Moravii vero Slavi a paganis & ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam rempublicam ſublimaverunt, iſti damnarunt: illi Chriſtianum regnum confortaverunt, iſti latibulis & urbibus occultati fuerunt: illorum conſilio apoſtolica ſedes pollebat, iſtorum perſecutione Chriſtianitatis dolebat; in omnibus his juvenculus rex noſter, nulli prædeceſſorum ſuorum ſecundus, nulli & inferior, ſed ſecundum virtutem a Deo ſibi datam, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & vobis ſummo Patri, cum omnibus regni ſui principibus, adjutor optat eſſe fortiſſimus. Omne namque regnum divinitus ſibi commiſſum, ad Dei ſervitium, ſuumque adjutorium, unum vult & operatur. Unde & pace viget & concordia gratulatur, atque ad veſtram paternitatem, ſicut patres ſui, ſe pertinere lætatur. Quod nos præfati Slavi criminabantur cum Ungaris fidem catholicam violaſſe, & per canem ſeu lupum, aliaſque nefandiſſimas & ethnicas res ſacramenta & pacem egiſſe, atque ut in Italiam tranſirent, pecuniam dediſſe, ſi vobis coram poſito ratio inter nos agitaretur, ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis qui vicem

ejus

ejus apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris, longe a nobis positis, semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ substantiæ pecuniam, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus eorum aliquoties * virilitatem mulceremus, & ab eorum persecutione * quiescere faceremus. Talia namque, ut præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, & pontifices vestros ad injuriam nostram incitantes, adeo ut directa nobis epistola quasi ab apostolica sede hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis quod quidam sapiens ait: *Justus tulit crimen iniqui*. Ipsi enim crimen, quod nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt, & super nostros Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios pessima carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputaverunt, & nobiles viros, ac honestas mulieres in servitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia tantum una non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierint, & totam terram desolatam viderint. Quando vero Ungaros in Italiam intrasse comperimus, pacificati cum eisdem Slavis, teste communi Deo, multum desideravimus, promittentes ei propter Dominum omnipotentem, ad profectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque facta; & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos facerent, & tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare & res sancti Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere, liceret: & nec ipsum ab eis obtinere potuimus. Et post tanta maleficia habent beneficia & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse, & justitiæ restitisse conetur, veniat præsens, & eum ludificasse, & nos de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam opportunitas exigatur, ut hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus, & generalis dolor angustat quos Germania & tota tenet Norica, quod unica ecclesia dividitur scissura. * Ideo si quid fraus maligna Slavorum calliditate adduxerit, justitia avertat: vosque ex alto virtute induti & apostolica potestate armati, juxta prophetam, *quod fractum est, alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite*, ut deinceps populus & fidei integritate gratuletur, & sancta ecclesia tranquilla devotione lætetur. Theotmarus indignus archiepiscopus, & apostolicarum rerum procurator promptissimus, pecuniam vestro juri debitam, propter infestam paganorum sævitiam, nec per se perferre, nec per alios poterat transmittere: sed quia Dei gratia liberata est Italia, quantocyus potero, vobis transmitto. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula ad transmissa cum epistola.

Alme pater mundi, dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris;
Sisque tuis famulis protector verus, & ipsos
Commendes Domino, cælo qui præsidet alto.

* feritatem

* quiescere-mus.

* Est ut pr-mus, episco in qui divisu

ANNO CHRISTI 871. 872.

APPENDIX EPISTOLARUM JOANNIS VIII.

IN SEQUENTES EPISTOLAS ADMONITIO.

Ex Suppl. Mansi tom. I. pag. 1014.

EPistolas Joannis VIII. a Labbeo, ceterisque post illum collectoribus conciliorum, prætermissas, ipse pariter omittere constitueram, quod raræ essent, nihilque continerent ad canonicam scientiam, sive ad historiam ecclesiasticam illustrandam pertinens. Sed cum aliquas ex illis dare hæc eadem necessitas cogeret; aliqua pariter de nonnullis adnotanda succurrerent; ideo cum spicilegium quoddam dandum fore animadverterem, malui omnes, quotquot collegeram, exhibere. Cum præsertim fieri potuerit, ut quas ego supervacaneas reputavi, hæ lectorum quorumdam consilio maxime servirent; ac præstare judicarim inutile potius aliquid tradere, quam aliquid omittere, quod unius vel alterius Lectoris commodis servire posset.

Inter eas vero, quæ colligendæ suppetebant, epistolæ, suum sibi locum præ cæteris vindicaret epistola, ita enim appellat, quam Baluzius Miscellan. tom. VII. velut ineditam pag. 352. repræsentat; continet enim pontificis illius in violatores raptoresque rerum sacrarum sanctionem. At dum illam excutio, agnovi tandem, factaque collatione reperi, ipsum esse canonem V. concilii Ravennatensis, cujus canones Holstenius primum, dein Labbeus in sua collectione vulgavit. Hac ergo omissa reliquas produco.

I. JOANNIS VIII. BULLA

Qua confirmatur partitio monachorum S. Medardi Suessionensis.

Johannes episcopus servus servorum Dei, venerandæ congregationi religiosorum monachorum venerabilis monasterii sancti & confessoris Christi Medardi, necnon & beati martyris Christi Sebastiani imperpetuum.

Ibid. Ex Ion. A B ton num. pend.

QUotiens illa a nobis tribui pro desiderio postulantis, quæ omni rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & pie petentibus impartiri suffragium. Igitur omnium Christi fidelium cognoscat solertia, quoniam dilectissimus filius noster Carolus imperator augustus, beatorum Petri & Pauli apostolorum principum adiens limina, nobis mente devota suggessit, quatenus eidem prædicto venerabili monasterio ad utilitatem & usum tam nominatorum monachorum, ibidem Domino servientium, per apostolatus nostri privilegium confirmaremus, & immobilia loca, quæ idem christianissimus Cæsar, tam pro veneratione eorumdem sanctorum, quamque pro mercedis suæ augmento per regale præceptum contulisse dinoscitur, quorum nomina inferius scripta leguntur, Bernejum scilicet, Croviacum, Domno regium, Sodoleum, Berziacum

cum una cum molendino, Berziſo, mariſiacos duos, atque ſpicarium & propter has Murocinetum, Cerniacum-vadum, ſicut Hilduinus anterior abba ad ſuum tenuit dominicatum, ſuperaddens in Murocincto manſum unum, Malcas etiam & piſcinas ſuper mare & Cubonimaci cultæ terræ bonaria XXIV. & Ruminiaco manſos quinque, & partem prati de loco Geigio, & manſos duos in villa, quæ dicitur Lentegere-vicinium; decernens, ut camera veſtimentorum monachorum habeat tres villas, Capram, Albiacum, & Solmam; & hoſpitalis nobilium accipiat nonam ex villis ipſius abbatiæ ſecundum priſcam conſuetudinem, & habeat Cauciacum ſimul cum lignariis de Pivone: & hoſpitalis peregrinorum accipiat decimam, & habeat Hatoniſcurtem. Theſaurarius autem & portarius, atque hoſpitalarius, necnon & camerarius intra octo dierum dominicæ nativitatis, & reſurrectionis Dominicæ ſpatia, bis in anno plenariam refectionem habeant; inſuper ex præfatis aliis villis terminum nativitatis dilecti filii ſui Carolomanni plenariam refectionem habeant, & poſt ejus obitum diem nativitatis transferant in diem depoſitionis, ſimiliter ex villa Bernoilo decrevit refectionem abundanter fieri eiſdem monachis in anniverſario Bertæ amitæ ſuæ, & luminaria exhibeat eccleſiæ ſanctæ Sophiæ inferiori, & ſanctæ Trinitatis ſuperiori, ſicut in privilegio ejuſdem pii auguſti de his omnibus facto continetur: ut quicquid ab eodem illuſtriſſimo Cæſare tam de mobilibus, & immobilibus rebus, quam de theſauro collatum eſt, & in futuro conferetur, pro animæ ſuæ remediis firmum & inviolabile in perpetuum omnino conſiſtat. Hujus rei gratia, quia eumdem ſublimem imperatorem divino amore contactum pia egiſſe confidimus, congruis ſuggeſtionibus ejus favere volentes, decernimus, ſtabilimus, & apoſtolica auctoritate omnimodis confirmamus cuncta ſuperius dicta immobilia loca cum nobilibus, ſeu famulis utriuſque ſexus, una cum theſauro ad uſum & utilitatem ſupra dictorum monachorum, utpote idem præſtantiſſimus imperator auguſtali præcepto eidem monaſterio ob ſalutem animæ ſuæ conceſſit, vel conceſſurus erit. Statuimus autem ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interdicto, ut nemini mortalium liceat quoquo modo aliquid dare de his omnibus a jure venerabilis noſtri monaſterii, vel utilitate monachorum auferre, alienare, ſubripere, aut per qualemcumque modum, vel argumentum ſubtrahere: ſed omnia hæc, & quæ adhuc in theſauro ab ipſo pio Cæſare vel ab aliis Deum timentibus in jus, dominium, vel utilitatem noſtri venerabilis monaſterii ac monachorum ibidem morantium conferentur, perennibus conſiſtat omnino temporibus. Si quis autem, quod numquam optamus, contra hoc noſtræ confirmationis præceptum, aliter agere non formidans, aliquid inde alienare, minuere, ſubtrahere, vel temerario auſu mutare præſumpſerit, aut aliter ordinare, præter quod jam ordinatum eſt, tentaverit, vel in toto, vel in parte tranſgreſſor apparuerit, Dei omnipotentis judicio ſciat ſe eſſe anathematis vinculis innodatum, & cum Diabolo, & ejus atrociſſimis pompis; atque cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti; & cum impiis omnibus portionem habeat, & a regno Dei alienus exiſtat. Qui vero pio in omnibus intuitu verus obſervator, & curator extiterit benedictionem, gratiam, & cæleſtem miſericordiam, ſive veniam delictorum ſuorum a juſto judice Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii, & ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Januarii, indictione nona. Bene valete, quarto nonas Januarii, per manum Anaſtaſii Bibliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, anno Deo propitio pontificatus Domini Joannis quarto, imperatore domino piiſſimo perpetuo Auguſto Carolo a Deo coronato magno imperatore anno primo, & poſt conſulatum ejus anno primo, indictione nona.

ANNO CHRISTI 872.

II. AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

Quid agendum de monachis ab abbate ſuo ordinatis.

Joannes ſervus ſervorum Dei epiſcopus Romanæ urbis, in Chriſto fratribus univerſis epiſcopis citerioris Britanniæ ſalutem in Chriſto & viſitationem.

Ibid. Ex Anecdot. Marten. tom. III. col. 368.

QUia vice B. Petri apoſtolorum principis Domino Deo dignante omnium eccleſiarum curam ſuſcepimus, ſollicitudinem, quæ uniuſcujuſque fides integra in eodem Domino reſervetur, ſine qua nullus ei placere valebit, ubique ſevere obſervare debemus, ideoque notum ſit vobis quoniam cariſſimus frater noſter Arduinus, ſanctæ Turonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, veniens ad apoſtolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura ſui archiepiſcopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta ſanctorum pontificum ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ ſuis prædeceſſoribus conceſſa & confirmata fuerunt, a veſtro archiepiſcopo & ſuis deceſſoribus per violentiam, & paganorum Normannorum contrarietatem ſublata videntur, unde apoſtolica auctoritate vobis ſciatis interdictum, ne illius ullo modo juri reſiſtatis deinceps, de omnibus quæ prædictus archiepiſcopus confirmat archiepiſcopatui ſui pertineri debere, quouſque ille veſter archiepiſcopus, aut aliquis ex vobis cum Arduino archiepiſcopo, ſive cum ſuo ſuffraganeo, vel alio fideli miſſo ad noſtram ſanctam matrem eccleſiam veniat, ut ibi prægnitis cauſis inter vos & illum, quod æquum comprobabimus, diffiniatur, ad laudem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quod ſi aliter quam jubemus contra voluntatem ejus feceritis, cognoſcatis voſmetipſos Dei, & B. Petri principis apoſtolorum per noſtræ humilitatis mandatum, auctoritate excommunicatos ab omni eccleſiaſtico officio.

Quod ſi vere debitam reverentiam circa prædictum fratrem noſtrum obſervare vobis placuerit, ſecundum juſtitiæ decretum a S. Romana eccleſia ſtatutum, permaneatis cum Dei benedictione in unitate noſtræ catholicæ communionis. Interea ſciant regni veſtri homines maxime nobiliores, nominatim Berengarius, & filius ſuus Conanus, & Hoel cum fratre ſuo Guerech, cum ceteris majoribus, ut ſi contra juſtitiam inobedientes fuerint huic noſtræ juſſioni, & contrarii ſeu rebelles extiterint prædicto fratri noſtro Turonenſi epiſcopo, ſint & ipſi excommunicati, & noſtra benedictione apoſtolica privati.

ANNO CHRISTI 873.

III. AD TICINENSEM EPISCOPUM.

Ex Suppl. Mansi tom. I. pag. 1014.

Archiepiscopalia insignia utenda concedit cum facultate vocandi ad suam Synodum archiepiscopos Ravennatensem, & Mediolanensem.

☞

Joannes episcopus servus servorum Dei,

Reverendiss. Joanni S. Ticinensis ecclesiæ &c. in perpetuum.

Ex Ughell. in Papiensi but tom. 1.

SUpernæ miserationis ad hoc regiminis curam susscepimus, & apostolicæ miserationis sollicitudinem gerimus, ut juste precantium votis libenti animo habeamus, & libramine æquitatis cunctis in necessitatibus positis subvenire debeamus. Nam summæ sedis gerentes auctoritatem de venerabilium locorum stabilitate, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, satagere debemus; hoc namque studio & divina placatur clementia, & laus, atque utilitas Christi ecclesiæ procuratur. Igitur postulante a nobis tua reverentia, quantum ea quæ ad stabilitatis integritatem, & ad profectum honoris sanctæ tuæ pertinere noscuntur ecclesiæ, cui ex divina largitate præesse dignosceris, enucleanter perficere studeamus, inclinati precibus tuis per hoc nostrum apostolicæ auctoritatis privilegium confirmamus tibi successoribusque tuis omnia privilegia tam sacrorum pontificum, quam glorioforum Augustorum præcepta, quod pro honore sanctæ tuæ ecclesiæ, & re am omnium mobilium, & immobilium stabilitate collata sunt; nec non & apostolica censura statuimus, ut secundum sacros canones, spiritu Dei conditos, clerici vel sanctimoniales, aut viduæ sub tua, tuæque ecclesiæ cura, & sollicitudine stare debeant, nullusque tam sacri ordinis præditus honore, quam etiam secularium ministeri dignitatum, quocumque modo eos, easque ad publicum pertrahere judicium, aut ob hoc res illorum, illarumque in bannum ponere præsumant; sed æquo judicio, specialique præsentia tua, successorumque tuorum de quibuscumque causis, vel negotiis, quæ secundum temporis qualitatem acciderint, justitiam, judiciumque faciant. Sancimus etiam, ut monasteria, quæ intra tuæ diœcesis fines consistunt, sub tuo, & eorum, qui tibi successerint, jure canonico permaneant in perpetuum videlicet, & consecratione abbatum, vel abbatissarum, & in eorum earumque criminum discussione; ita sane ut nulli in eisdem venerabilibus locis quoties opportunum fuerit sine tua, tuorumque successorum providentia, atque consensu fiat electio, sicut canonica jubet auctoritas, salvo scilicet in omnibus sedis Apostolicæ privilegio speciali; harumque tenore præcipientes, ut monasterium S. Donati fundatum a Luitprando episcopo, decessore tuo in loco, qui dicitur Scogialo, cum omnibus rebus mobilibus, & immobilibus secundum testamenti sui seriem collatis, & aliud monasterium S. Mariæ positum in Cariata, quæ juri ecclesiæ tuæ proculdubio & pertinere videntur, te, successoresque tuos perpetuis temporibus jurisdictionem tenere, habereque decernimus, & quamvis in alienis parochiis consistant, apostolica jubemus auctoritate in omnibus, quæ ibi agenda, vel ordinanda erunt, liberam sine alicujus contradictione habeas potestatem; Presbyteros vero, & monachos prædictorum omnium Cœnobiorum ad tuum canonicum, prout ecclesiastica necessitas exegerit, sine alicujus contradictione statuimus venire concilium. Quod si aliqua in eisdem monasteriis præcepta canonicis in aliquo regulis obviare videntur, fuerint reperta, major hoc canonice factum illis habere auctoritatem decernimus. Ita etiam de cœmeteriis, quæ intra, vel extra civitatem Ticinen. consistunt, præcipimus, ut sub tuæ ecclesiæ cura, & potestate antistitis, absque alicujus controversia permaneant. Sancimus etiam apostolica auctoritate largiendo tibi tuisque successoribus crucem habere quocumque volueris ferre, pallium quoque similiter concedimus, nec non album equum coopertum equitare in ramis palmarum, & secunda feria post pascha. Sancimus etiam, ut secundum tenorem capituli decimi, quod synodali decreto Ravennæ statuimus per indictionem decimam, nullus unquam cujusque dignitatis aut potentiæ homo, quasi sub obtentu hospitalitatis, in tuo venerabili episcopio, aut in domibus sacerdotum tuorum, & omnium clericorum sine tua, tuorumque successorum voluntate applicare præsumat. His ita prælibatis decernimus, ut si humana contradictione tuæ sedis episcopus ex hoc mundo migraverit, de proprio clero quem idoneum præ cæteris clerus & populus repererit, potestatem habeat secundum statuta venerabilium Patrum, & Romanæ sedis antistitum, nulla seculari contradicente potentia, eligendi episcopum. Quod si fortasse in eadem plebe (quod minime credimus) tantæ sedis honore dignus repertus non fuerit, tunc si alter de altera ecclesia canonice providendus est, consensu tamen & voluntate ipsius plebis nonnisi antea electus ordinetur antistes. Atque in his partibus mala molestaque consuetudine a quibusdam sacras leges ignorantibus Clericalis ordinis viros sub jugo servitutis post consecrationem teneri, famulosque velle vocari audivimus, quod dici nefas est. Volumus, atque expresse jubemus, ut sicut is, qui nullius unquam conditionis fuit, ita etiam & ille, cui ad hoc officium suscipiendum morum dignitas suffragaverit, nullius viri vinculo postmodum teneatur adstrictus. Quia humana lege non debet arctari, quem divina gratia ad tantam sacri ordinis dignitatem provehere dignata est. Præcipimus etiam, ut in omnibus mobilibus & immobilibus, rebusque S. tuæ ecclesiæ pertinentibus, hominibus quoque utriusque sexus, tam liberis, quam servis, nullam a quoquam contrarietatem, aut fortiam, nullam violentiam, aut invasionem absque legali calculo aliquibus fieri. Confirmamus etiam S. ecclesiæ tuæ Xenodochium fundatum intra Ticinen. civitatem juxta ecclesiam S. Mariæ quæ dicitur Minor, quod filius noster Dominus Carolus imperator Augustus eidem ecclesiæ, a qua injuste subtractum fuerat, legaliter per præcepti sui paginam restituere curavit, ut sibi jure, ac ditione tua, tuorumque successorum sine aliqua refragatione perpetualiter maneat; immunitatem etiam ipsius ecclesiæ secundum imperialia præcepta statuimus, & hoc nostro apostolico privilegio inconcussam, stabilemque manere jubemus. Si quis autem temerario ausu contra hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem pie a nobis, & canonice promulgatam venire, agereque tentaverit, & omnia, quæ superius statuta sunt, tuæ S. ecclesiæ fine tenus non observaverit, sciat se Domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo, & ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi, æterno incendio concremandum, & qui pro intuitu custos, obediens atque observator hujus nostræ salutiferæ præceptionis extiterit, benedictio-

ctionis gratiam, & cæleſtis retributionis æterna gaudia a juſto judice Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Leonis Scriniarii S. R. E. in menſe Septemb. bene valete. Datum eſt hoc nono Kal. Septembris, per manum Leonis epiſcopi miſſi & Apocriſarii S. Sedis apoſtolicæ, imperante Dom. Carolo coronato magno imperatore. Et ut certius appareat hoc noſtrum privilegium, & inconcuſſum permaneat, ſigillo noſtro juſſimus inſigniri. Anno II. poſt conſulatum ejus anno II. indict. XI.

Zacharias humilis epiſcopus S. eccleſiæ Anagnien. in hoc privilegio conſenſi, & ſcripſi.

Petrus epiſcopus Foroſempronienſis eccleſiæ in hoc privilegio conſenſi, & ſcripſi.

Laurentius humilis epiſcopus Campaniæ eccleſiæ conſenſi & ſcripſi.

Leo humilis Scriniarius & Notarius S. R. E. & cum juſſione reverendiſſ. D. Joannis papæ ſcripſi, & aliis roborandam protuli, & eſt ſigillatum ſigillo plumbeo magno impreſſo, habente imaginem ſanctiſſ. olim papæ Joannis, cum literis infraſcriptis ſimilibus, videlicet: Joannes papa.

IV. AD MONACHOS S. VEDASTI ATREBATENSIS.

Confirmat omnia contenta in diplomate Caroli imperatoris.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, fratribus monaſterii B. Vedaſti, quod vocatur Nobiliacus, vel Atrebas, ubi ipſe S. Vedaſtus confeſſor Chriſti corpore quieſcit in perpetuum.

SI utilitatibus ſervorum Dei pie conſuluimus, locaque Chriſto dicata apoſtolicis fulcimus ſanctionibus, quo divini cultus ſervitores, inibi Deo vacantes, a turbinibus, & variis tempeſtatibus ſecularium muniantur excurſibus, nihil hoc holocauſto gratius redemptori noſtro credimus offerendum. Qua de re luce clarius patet omnibus eccleſiæ filiis, quia cariſſimus filius noſter Karolus rex, adiens limina beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli, honorifice a nobis exceptus, poſtquam ſolemniter vota regia perſolviſſet ad ſepulchrum B. Petri, die nativitatis Domini, in eccleſia ipſius B. Petri apoſtolorum principis dignitatem imperialem per impoſitionem manuum noſtrarum adeptus eſt. Dehinc non minus ſincere, quam devote a nobis expetiit, ut B. Petri apoſtolorum principis, ſimulque apoſtolatus noſtri auctoritate decerneremus privilegium Romanæ, atque apoſtolicæ ſedis aſtipulatione roboratum, fratribus jam dicti monaſterii confeſſoris Chriſti Vedaſti, per quod ſtabili jure, ac ſine perturbatione poſſiderent clauſtrum ac prædictum monaſterium, & omne quod eis per ſuum præceptum conceſſerat, ac Gallicanorum epiſcoporum decreto muniri fecerat. Hujus rei gratia, quia eumdem Auguſtum divino contactum amore id feciſſe perſpeximus, gratanter ejus petitionibus aſſenſum præbuimus, decernentes apoſtolica auctoritate, ea quæ hic inſerta habentur inconvulſa manere. Ad matriculam ſcilicet eccleſiæ Maisbodvillam, Bais, Senous, Herbodciſternam, Pomerias, Herlincurtem, & in Boninicurtem manſos, & cum Longobragium, Manium, Morſele, & Sceldogotheim, Juventiacum, & in Dominica curte manſum 1. & in Farreolo manſum 1. Ad neceſſaria vero fratrum, victus ſcilicet, & potus, medietatem vici, qui vocatur Hovavilla, & tabernam unam, Filciacum dominicam curtem, Theuludum, Bigartium, Hecnam-curtem, Berne villam, Mediolanas, Puteas aquas, Angeli-curtem, vallis cum camba una, & duobus molendinis, Stagras, Saltiacum, Atiamentarius, Maſt, Marcheim, Seringe-him, precariam Emmonis, & Tangigarii. Ad cameram vero villas ſitas in pago Batua, quæ circumfluit Rhenus bicornis fluvius, his nominibus Rehxnam, VVulfrum, una cum capella ibidem poſita, Rotheim ſuper fluvium Verſiam ſitam. Item in altera Rotheim manſos VI. præterea etiam ultra Rhenum prælibatum fluvium manſos numero XXXVI. pariter cum ſilvis appendentibus. Deinde in pago Atrebatenſi Athejas, Saltiacum, Liniacum, Campanias, & in Fontanido manſos III. & in Lambras manſum I. & alterum in Hadas, & tabernam I. in vico monaſterii. Ad portam Bernejam villam, & in Anzinio manſum I. cum molendino & in Enez manſos V. cum molendino & decimam omnis abbatiæ. Ad hoſpitale pauperum in Daginvilla manſos VII. in Bonejam villam, & Lentſales manſos III. & quintam partem omnis decimæ. Ad domum vero infirmorum omne thelonium ex mercato, & has villas quas pro remedio animæ ſuæ dedit, vel reddidit S. Vedaſto, Frontellicurte, Cilliacum, Lutoſum montem, atque Tilgidum. Has ergo villas cum omnibus appenditiis, & reditibus & mancipiis, quemadmodum per præcepti paginam ordinata ſunt, atque tradita, per noſtri apoſtolatus auctoritatem ſancimus, ut nulli mortalium liceat aliter ordinare, mutare, vel aliud quid quoquo modo exinde, vel parum agere, præter quod a ſæpe dicto filio noſtro piiſſimo Auguſto conſtitutum eſt; ſed omnis ordinatio in arbitrio abbatis pendeat. Qui ergo ea quæ ſancta atque apoſtolica ſedes ſtabilivit pro nihilo duxerit, temerarioque auſu avaritiæ, diabolicæque cupiditatis inſtinctu qualitercunque violare tentaverit, ſi ex toto, aut ex parte tranſgreſſor apparuerit, B. Petri apoſtolorum principis, noſtrique apoſtolatus auctoritate anathematis nexibus, ut fur, & ſacrilegus aſtrictus, atque ab unitate matris eccleſiæ & participatione corporis & ſanguinis Chriſti ſequeſtratus, cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Diabolo ejuſque atrociſſimis pompis in tremendo die magni examinis ſententiam damnationis accipiat. At qui his apoſtolicis conſtitutionibus ſincero amore obſervator extiterit, benedictionem, & miſericordiam a Domino Jeſu Chriſto percipiat, & partem, & ſocietatem cum eis, quorum nomina ſunt ſcripta in libro vitæ agni a conſtitutione Mundi. Amen.

Data per manus Anaſtaſii primiſcrinii anno primo imperii Karoli ſereniſſimi Auguſti, & poſt conſulatum ejus anno I. indictione VIII.

V. AD ABBATEM, ET MONACHOS HERENSES. Ibid.

Approbat donationem monaſterii S. Porciani illis factam.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Geiloni religioſo abbati venerabilis monaſterii ſanctæ Dei genitricis, ſemperque virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & S. Filiberti, ac per te eidem venerabili monaſterio in perpetuum.

CONvenit apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benevola compaſſione ſuccurrere, poſcentium animis alacri devotione impertiri aſſen- Ex ſpicileg. D. Acher. tom. III. pag. 351.

assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præ-
ANNO CHRISTI 872. mium a conditore omnium Domino promere-
Ex Suppl Manli to. I. pag. 1033. mur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta.

Igitur omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, & nostris, præsentibus, & futuris notum fieri volumus, qualiter reverentia tua per Adalgarium sanctissimum episcopum sanctæ Eduensis ecclesiæ nostro suggessit apostolatui, observans quod abbatiolam, quæ vocatur S. Portianus, quamque piæ memoriæ Karolus imperator, spiritualis scilicet filius noster, ob sui perennem memoriam, per præcepti seriem in eodem venerabili monasterio conferens largitus est, nostri apostolici privilegii auctoritate confirmaremus.

Nos autem considerantes hanc petitionem salubrem fore, & eidem venerabili monasterio, cui præesse dignosceris, stabilimentum consistere; præcipue cum omnia pia loca proprium habere optemus; inclinati petitionibus tuis a præsenti nona indictione præfatam abbatiolam cum omnibus rebus suis mobilibus, vel immobilibus, sibi juste & legaliter pertinentibus, quemadmodum ex prædicto eodem Augusto concessum est, per hoc apostolicum nostrum privilegium in sæpe dicto venerabili monasterio confirmamus, & perpetualiter stabilimus, & ad mercedem nostram roboramus; ita quoque apostolica auctoritate munientes decernimus, ut nullus episcoporum ad negotia divina illuc, aut pro alia re peragenda, nisi a te successoribusque tuis abbatibus fuerit invitatus, ire pertentet; immo ne judiciaria potestas quamcumque vel molestiam, aut destructionem quamlibet pergens facere audeat, quam secundum ipsius venerabilis monasterii ritum, & prædicti Augusti concessionem, nec non & hanc apostolicam concessionem, & confirmationem ab omnibus Christi fidelibus observandam sancimus.

Si quis autem cujuslibet dignitatis homo contra hoc nostrum apostolicum privilegium (quod non credimus) in toto vel in parte ire præsumpserit, ac quod a nobis salubriter sancitum est, in aliquo frangere ausus fuerit, auctoritate Dei omnipotentis, & beati Petri apostoli, atque nostra, sciat se propria communicatione privatum; & nisi cito resipuerit, ac canonicæ sanctioni obedierit, anathemate perpetuo condemnatum: qui vero custos & observator extiterit, benedictionem, & gratiam a Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manus Anastasii notarii regionarii, & Scriniarii Sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Octob. indictione nona. Bene valete.

Datum idus octob. per manum Christofori Primicerii sanctæ summæ sedis apostolicæ. Imperante Domino piissimo Augusto Karolo a Deo coronato magno imperatore, post consulatum ejus anno primo, Indictione nona.

JOANNES EPISCOPUS.

Commonitorium Paulo episcopo fungenti legatione in Germaniam & Pannoniam.

Non enim solum inter Italiam, ac ceteras Hesperiæ provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines consecrationes, ordinationes & dispositiones apostolica sedes antiquitus patrare consuevit. Porro si de annorum numero forte causatur; sciat quia inter Christianos & eos qui sunt unius fidei numerus certus affixus est. Cum tamen ubi Paganorum, & incredulorum furor est in causa, quantalibet pertranseant tempora juri (non) præjudicant ecclesiarum, quæ corporalia nescientes arma, solum Dominum propugnatorem suum, quomodo ei placuerit misereri patientem, expectant. Verum, si annorum prolixitas in talibus impedit, ergo Deus ipse reprehendendus, qui post 400. & 30. annos filios Israel de servitute Pharaonis e fornace ferrea liberavit, & qui hominum genus post longa tempora de claustris inferni, & Dæmonum potentia eripuit.

Joannis VIII. papæ.

Administratores secularium dignitatum, qui ad ecclesiarum, ac viduarum tuitionem rapaciumque refrænationem sunt constituti, quotiens ab ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant; & quod necesse illis fuerit diligenter & cito perficiant; quod si neglexerint vindicare vel corrigere post tertiam admonitionem priventur a communione.

Ejusdem.

Præsides, cum ad præsidiatum promoti fuerint, literas accipiant ecclesiasticas communicatorias; ita tamen, ut in quibuscumque locis præsidiatum gesserint, ab episcopis ejusdem loci cura de illis agatur, ut si cœperint contra publicam agere disciplinam a communione secludat divina.

CONCILIUM ROMANUM

In Adalgisum ducem Beneventanum, & pro sanciendis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus nonnullis celebratum,

Anno 872. Joannis VIII. anno I.

Ibid. REgino ad annum 872. hæc de concilio isto scribit: *Ludovicus imperator Romam veniens, ibique conventum celebrans coram summo pontifice, multa super Adalgisii* (Beneventani ducis) *tyrannide conquestus est ..... Joannes papa imperatorem a juramento, quo se obligaverat, authoritate Dei, & S. Petri absolvit, affirmans nihil obesse, quod ad mortis periculum evadendum coactus fecerat.* Hæc ille de rebus in eo concilio gestis. Ad illud forte concilium spectat ea sanctio de ecclesiarum possessionibus nemini nisi quibus canones permittunt, concedendis, quam idem Joannes in canone II. concilii Tricassini II. olim, priori anno ordinationis suæ, edidisse se affirmat his verbis: *Ut est illud primo anno ordinationis nostræ apud Beatum Petrum apostolum constitutum.*

CON-

ANNO CHRISTI 873.

CONVENTUS FRANCOFORDIENSIS

ANNO CHRISTI 873.

ANNO DCCCLXXIII.

A Ludovico Germaniæ Rege celebratus.

ANno Christi 873. Ludovicus Germaniæ Rex A mense Januario Episcoporum & Comitum Conventum habuit Francofurti, ubi 7. Kalendas Februarias Carolus ejus filius natu minimus a malo dæmone invadi contigit, uti ex Annalibus Francorum refert Baronius ad hunc annum 2. n. 6. & 7. Et Aimoinus lib. 5. cap. 30. hæc habet: *Ludovicus Germaniæ Rex ante nativitatem Domini ad Franconofurth palatium venit, ibique nativitatem celebravit, & Placitum suum ibidem circiter Kalend. Februarias condixit.*

ANNO CHRISTI 873.

CONCILIUM OVETENSE

ANNO CHRISTI 873.

IN HISPANIA

Anno Christi non 872. sed 873. aut aliquo proxime sequenti, die XVIII. Kalend. Julii æra non 910. sed 911. aut alia quavis consequente, si vere, ut ajunt Hispani scriptores, celebratum fuit sub Joanne VIII. papa, & Adelfonso Galliciæ rege.

Ex Sampiri Asturicensis episcopi historia a Prudentio Sandovallio episcopo Pompejopolitano edita cum aliis quatuor Hispanicis scriptoribus iisdemque episcopis.

CUm tantis triumphis (Adelfonsus III. rex) lætatus est nimis & velociter presbyteros suos Severum & Synderedum Romam ad papam Joannem cum literis suis misit, & reversi a domino papa una cum Raynaldo gerulo suo & cum subscriptis epistolis licentiam consecrandi ecclesiam beati Jacobi apostoli, sive & concilium celebrandi cum Hispanis episcopis.

Hanc epistolam asportatam de urbe Romense a duobus presbyteris Severo & Synderedo mense Julio æra * DCCCCIX.

Joannes episcopus, &c. *Vide supra Epist.* 309.

Item alia epistola ab eodem papa Romense directa per Raynaldum gerulum mense Julio æra * DCCCCIX.

Joannes episcopus, &c. *Vide supra Epist.* 310.

Visis itaque rex epistolis, magno gaudio gavisus est, tunc constituit diem consecrationis jam dictæ ecclesiæ, sive & concilium celebrandum apud Ovetum cum omnibus episcopis qui in illius erant regno, ii sunt:

Joannes Oscensis, Vincentius Legionensis, Comerus Asturicensis, Hermegildus Ovetensis, Dulcidius Salmanticensis, Jacobus Caurensis, Naustus Conimbriensis, Argimirus Lamecensis, Theodemirus Vessensis, Gumadus Portugalensis, Argemirus Bracharensis, Didacus Tudensis, Egila Aurensis, Sisnandus Iriensis, Recharedus Lucensis, Theodesindus Britonensis, & Elecca Cæsaraugustensis episcopus ibi interfuit.

Igitur auxiliante Domino venit rex ad statutam diem cum uxore sua, & filiis, & cum prædictis episcopis, & cum universis potestatibus, sive & cum subscriptis comitibus suis pernominatis, Alvarus Egunensis comes, Veremundus Legionensis comes, Sarracinus Astoricæ, & Berizo comes, Veremundus Torrensis comes, Betotus Indeza comes, Ermegildus Tude, & Portugalle comes, Arias filius ejus in Minio comes, Pelagius Breganciæ comes, Ordarius Castellæ & Ausæ comes, Sylus Prucii comes, Erus in Lugo comes & cum istis omnibus omnis plebs catholica, ubi facta est turba immodica ad videndum, sive & audiendum verbum Domini in prima die, quod erat nonas Maii anno incarnationis Domini æra DCCCCLXXIX. secunda feria deducebat animum ad lunæ cursum IV. luna XI. consecratum est jam dictum templum a prædictis pontificibus hoc ordine subscripto. In primis consecraverunt altare in honorem servatoris nostri Jesu Christi, & ad dextrum prædicti altaris consecraverunt altare in honorem apostolorum Petri & Pauli, & ad lævam jam dicti altaris consecraverunt altare in honorem sancti Joannis apostoli & evangelistæ. In altari quoque quod est super corpus beati Jacobi apostoli, quod consecratum fuerat a septem discipulis ejus, quorum nomina sunt hæc, Calocerus, Basilius, Pius, * Grisogonus, Theodorus, Athanasius, Maximmus, tamen nemo ex dictis episcopis ausus fuit aliquid in eo agere, nisi tantum orationem, missamque cantare.

Peracta dies dedicationis prædicti pontificis jussu regis secus flumen Ulliain, montemque qui ab antiquis vocatur Ilianarius, consecraverunt ecclesiam in honorem sancti Sebastiani martyris, & ab illa die usque hodie vocatum est nomen ejus mons sacratus. His peractis abjerunt omnes.

Transactis itaque XI. mensibus prædictus rex una cum uxore & filiis, & cum prædictis episcopis, sive & comitibus, & potestatibus venerunt Oveto, ad celebrandum concilium cum auctoritate domini papæ Joannis, & cum consilio * Caroli principis Magni. Memorati itaque episcopi rege præsente & universalis Hispaniæ concilium illis faventibus Ovetensem urbem metropolitanam elegerunt sedem, & in ea Hermegildum consecraverunt archiepiscopum. Et dixerunt:

Infestatione namque, & incursione gentili extra Asturiarum montes, nonnullis præsulum a suis penitus sedibus pulsis; Nos vero in nostris nimium inquietati ad ipsam domum Domini & salvatoris nostri Jesu Christi de hostium faucibus confugimus erepti, ubi ipsius protectione muniti ad ejus laudem, qui nobis præsideat constituimus archipræsulem, quo præsenti concilio præmisso triduano jejunio decernimus unumquemque nostrum pastora-

rum characteres videntur mendosi, ut excutiemus in notis.

* Pro, *Chrysogonus*. H.

* Hoc est Caroli Calvi.

Ovetensis ecclesiæ metropolis erigitur post nativitatem Domini ab incarnatione 873.

storali cura secundum canonum instituta regere populum sibi commissum, ad hoc sancimus ut consilio regis, & optimatum regni & ecclesiæ plebis eligamus archidiaconos boni nominis viros, qui per monasteria, & parochiales ecclesias eundo bis in anno concilia celebrent, & lolium extirpando ad gregem Domini prædicationis semina ministrent, ipsaque monasteria, sive ecclesias ita disponant, quatenus nobis fideliter rationem reddant. Si vero quispiam eorum negotium sibi commissum indigne & fraudulenter tractaverit, canonis sententiæ subjacebit.

ANNO CHRISTI 873.

Tunc inquit prædictus rex, rogandus est itaque ipse Dominus noster Jesus Christus, ut omnes istas sedes supradictas tam populatas, quam etiam a gentibus diruptas pia miseratione restituat, eisque tales episcopos conferat, qui ei placeant, sedemque Ovetensem metropolitanam & præsidium habeant. Tunc inquiunt prædicti episcopi: Nunc igitur quicumque in præfatis sedibus fuerunt episcopi, ad concilium vocentur, eisque in Asturiis mansiones singulæ de sede sancti salvatoris dentur, quibus quisque sua necessaria teneat; ne dum ad concilium tempore statuto venerit, victus supplementum ei deficiat. Asturias enim patria tantum terrarum spatio est distenta, ut non solum Christi episcopis in ea singulæ mansiones possint attribui, verum etiam sicut prædictus princeps Magnus Carolus per Theodulfum episcopum nobis significavit, Christi præsulibus ad vitæ subsidia valeant impendi singula loca, cum ad concilium celebrandum venerint.

Princeps Magnus Carolus quis hic fuit?

Tunc rex inquit iterum: Vos ergo venerandi pontifices in solitudinem redactas restaurate sedes, & per eas ordinate antistites; quia, *qui domum Dei ædificat, semetipsum ædificat*; unde Daniel loquitur dicens. *Qui ad justitiam erudiunt multos:* * *& quasi stellæ in perpetuas æternitates*: & Dominus in evangelio ait. *Gratis accepistis, gratis date.* In Asturiarum vero circuitu posuit montes firmissimos, Deus, & Dominus est custos in circuitu populi sui, ex hoc, nunc & usque in sæculum; infra quorum montium ambitum, qui quidem vix x. dierum spatio valet circui, possunt Christi episcopi, mansiones singulas datas vobis ex sede sancti salvatoris obtinere, vestrisque sedibus extra honeste providere.

1 Cor. 14. 4.

Dan. 11. * Tres, erunt. 11.

Matth. 10.

Tunc iterum inquiunt prædicti pontifices: Roma namque ab hominibus ædificata, simili modo plures habet episcopos, qui foris præsunt & provident decenter suis sedibus, quæ eis necessaria ministrant in civitate morantibus, & Romano pontificici famulantibus, cujus Romani pontificis Joannis jussu & consilio congregati Oveto sumus. Quo sane loco, ut præmisimus, montium munimine, manu Domini salvatoris nostri, ejusque glorioſæ genitricis Mariæ virginis, necnon & duodecim apostolorum, quos ipse Dominus jussit evangelium prædicare, & ecclesiam suam toto orbe terrarum congregare, vera humilitate & fideli devotione conveniremus; quemadmodum super ipsos apostolos Spiritus sanctus in igne descendit, eosque linguis variis magnalia Dei loqui edocuit. Itaque ita procul dubio idem Spiritus sanctus super nos veniet, qui nos doceat, & ignem suum cordibus nostris infundat, & gentes, quæ nos infestant, reprimat, nosque ad cælorum regna perducat. Si quis autem nostrum se obliviosus concilii unitate substraxerit; a vera & integra societate sanctorum segregatus, pariterque anathemate cum Juda Domini proditore, cum diabolo & angelis ejus in perpetuum sit damnatus. Modo erga nos episcopi vel reliqui sacerdotes Ovetenses sem sedem quam Deus elegit, metropolitanam colligimus, ac pro posse nostro fideliter erigimus, & sicut superius diximus, locis qui nobis ab ipsa sede per Asturias adtribuuntur, rei nostræ rectos procuratores ponimus, ut prædiffinito tempore ad concilium Oveto recurramus.

Dationem istam in fine libri hujus invenies eam, ea videlicet manente, ut per ipsas sedes, quæ foris sunt, communi consilio laboremus: in hac civitate videlicet Asturiis, quam Deus fortissimam fundavit, substantiam nostram reponamus, & contra hostes sanctæ fidei concordi mente dimicemus: nam Dominus & salvator noster ad suorum fidelium refugium, & ecclesiæ firmamentum, eam firmissimam elegit: in qua si omnes caritatis vinculo vincti fuerimus, ipso auxiliante adversariis nostris resistere, camposque defendere, ex quibus intus victum poterimus habere: scriptum quippe est; *Civium concordia in hostes est victoria.*

Tunc inquit Hermegildus Ovetensis ecclesiæ archiepiscopus: Hoc ergo reverendi episcopi una cum Romanis epistolis, unusquisque vestrum diligenter scribite, & per concilia celebrate, legiteque. Quod si aliter feceritis & a nostro præcepto alienos vos habueritis, videte (quod absit) ne in judicium Domini incurratis. His peractis jam dictus rex surrexit, & saventibus cunctis, qui aderant in concilio tam ecclesiasticus ordo quam sæcularis, subscriptam diœcesim jure perpetuo tradidit Ovetensi ecclesiæ. In Gallecia Suarnam cum possessionibus sancti Martini, & sanctæ Mariæ de Villavoli cum omnibus suis appenditiis, Vallem longam, & possessionem sanctæ Mariæ cum omnibus suis appenditiis. Neram cum possessionibus sancti Martini de Asperella, & sancti Jacobi de Corias cum omnibus appenditiis earum: Flanioſam, & possessionem sancti Martini de Perellinos cum omnibus suis appenditiis; Totam Sarriam, & possessionem sanctæ Mariæ de Corvella cum omnibus suis appenditiis. Paramum usque ad flumen Mineum, totam Lemostum, Vintio, & Verosino, & Saviniano, & Froiane usque ad flumen Sylum. Totam Luneam cum ecclesiis de Patraio quæ ædificatæ sunt, vel fuerint inter Ornorium flumen, & Sylum, terminum montis Baron, & per aquam Zore, usque in fluvium, & fundum Arnoie; & per ipsum discursum usque in flumen Mineum. In Veza usque in Portellam de Vanati: & ecclesias de Sallar inter Arnoiam, & Sylum cum ecclesiis de Barrosa Castellani, & possessiones sancti Salvatoris de Ilbasmœsas cum Saucam, Barvantes, Aura, & Avion, Asina, Camba, Aviancos, & possessionem ecclesiæ sanctæ crucis de Soto senatori cum omnibus suis appenditiis, sicut prædictam sedem hæreditaverunt nostri prædecessores, & Vandali reges stabilierunt, ita nos eam præcipimus stare & confirmamus.

Ovetensis ecclesiæ.

Tunc omnes, qui erant in concilio una voce dixerunt: Placet, placet omnibus.

Deinde tractaverunt ea, quæ pertinent ad salutem totius regni Hispaniæ; his peractis, solutoque concilio abierunt unusquisque in sua cum gaudio.

Solvitur concilium.

Actum concilium XVIII. Kal. Julii æra * DCCCCX. * Imo DCCCXI. aliqui quos

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Supra jam monuimus æram illam Hispanicam corruptam esse, atque Amanuensis incuria excidisse saltem unitatis notam, scribendumque esse DCCCXI. aut DCCCCXII. neque enim Joannes VIII. Hadriani II. Kalendis Novembris anni 872. defuncti in pontificia dignitate successor electus dumtaxat die XIV. Decembris ejusdem anni duas ad Adelfonsum, quæ initio concilii memorantur, epistolas mense Junio, Juliove scribere potuit, antequam,

pon-

ANNO CHRISTI 873.

pontifex fieret, neque concilium ab eo indictum celebrari, nisi vel anno 973. aut aliquo ex proxime sequentibus: Sandovallius in notis meminit diplomatis Callisti papæ II anno 1122. concessi in hæc verba: *Ecclesiam Ovetensem pro qua nos exorasti, cujus privilegia, regaliaque testamenta & diœcesis determinationes nobis præsentare studuisti, sicut rex Adelfonsus Ordonii filius & omnes illius temporis episcopi Hispanienses cum auctoritate* (sic enim legendum, non *ante*) *prædecessoris mei bonæ memoriæ Domini Joannis papæ constituerunt, & confirmaverunt eis, in perpetuum stare præcipimus & apostolicæ auctoritatis privilegio sancimus*. Ceteros temporum characteres qui in historia Sampiri mendosi apparent excutientur a nobis accuratius alio in loco.

ACTA CONCILII OVETENSIS.

Ex m. s. ecclesiæ Toletanæ & Ovetensis primum edidit Cardinalis de Aguirre.

I. SUmmi dispositoris providentia permanente, plerisque Hispaniensium a gentilibus subversis urbibus, mole peccaminum exigente, gloriosissimi regis Adephonsi Casti, & Adulphi Ovetensis episcopi solerti consideratione, nec non piissimi Francorum principis Caroli consilio, quem equidem missa legatione super hoc convenimus Oveti negotio nos hic subscripti Pontifices: Theodemirus Columbriensis, * Agrimundus Bracarensis, Didacus Tudensis, * Theoderindus Iriensis, Vincentius Legionensis, Wimaredus Lucensis, Gomellus Asturicensis, Abundantius Palentinus, & Joannes Oscensis, * rege præsente, & universali Hispaniensium concilio nobis favente; Ovetensem urbem metropolitanam eligimus sedem. Infestatione namque & incursione gentili extra Asturiarum montes nonnullis præsulum a suis penitus sedibus pulsis, nos vero in nostris nimium inquietati, ad ipsam domum Domini & Salvatoris nostri de hostium faucibus confugimus erecti: ubi ipsius protectione muniti, ad ejus laudem, qui nobis præsideat, constituimus archipræsulem.

[margin: * Agi-... Aricen... Argi... us, &c. ... desu... ... & ... a Cæ... gusta ... & rego]

II. Quo præsenti concilio, præmisso triduano jejunio, decrevimus unumquemque nostrum pastorali cura, secundum canonum instituta, regere populum sibi commissum.

III. Ad hæc sancimus, ut consilio regis & optimatum regni, & ecclesiæ plebis, eligamus archidiaconos, boni nominis viros, qui per monasteria & parochitanas ecclesias eundo, bis in anno concilia celebrent; & lolium exstirpando, gregi Domini prædicationis semina ministrent: ipsaque monasteria sive ecclesias ita disponant, quatenus nobis fideliter rationem reddant. Si vero quispiam eorum negotium sibi commissum indigne & fraudulenter tractaverit; si forte ecclesiæ servus exstiterit, a dignitatis honore publice remoto, septuaginta ei flagella conferamus; & initio servitioque infimo redigamus, & ad gradum pristinum nullo in tempore revocemus. Si autem ingenuus fuerit, nos episcopi cum comitibus & plebe ecclesiæ conjuncti, ut superius ab honore sublato septuaginta flagella ingeramus: & juxta sententiam canonicam, & librum Gothorum, quidquid de facultatibus ecclesiæ illicite distraxerat, pro quantitate culpæ persolvat; communique consilio alius loco ejus succedat. Quod si quis episcoporum veritatis contemptor injuste objecerit crimen archidiacono, quod ratione nequeat probari; tantum de suis facultatibus falso accusato impendat, quantum si ipse archidiaconus foret convictus, persolvere debuerat. Insuper communi decreto concilii pro foribus ecclesiæ quadraginta dies pro commisso facinore pœniteat.

IV. Præterea monasteria, quæ de sancti Salvatoris Ovetensis archiepiscopali datione, & regali concessione, nobis singulis conferuntur, singula fidelibus dispositis provisoribus ædificare curemus, ne aliquam victus inopiam toleremus, dum ad celebranda concilia Ovetum venerimus: quæ quidem sedes metropolitana ex Lucensi sede archiepiscopali est translata. Lucensis namque sedis prius metropolitana, Bracaræ fuit deinde subdita: Bracara vero a gentibus destructa, Lucensis sedes in concilio sancto Ovetensi archiepiscopo pio est subdita.

V. Omnes igitur episcopi ordinati, seu in subscriptis sedibus ordinandi, id est, in Bracara, in Tude in Dumio, in Iria, in Conimbria, in Aquascalidas, in Veseo, in Lamego, in Cœlenes, in Portugale, in Boenes, in Auriense, in Britonia, in Astorica, in ambas Legiones, quæ sunt una sedes; in Palentia, in Auca, in Saxomone, in Segovia, in Oxonia, in Avela, in Salmantica, subditi sint ecclesiæ Ovetensi Salvatoris nostri Jesu Christi, qui pacificavit omnia ex Patre genitus ante sæcula; qui ipsum locum muro firmissimo, montium videlicet munimine vallavit, & ante sæcula ad fidelium salvationem præscivit, quos per servum suum Pelagium liberavit. Rogandus est itaque ipse Dominus noster Jesus Christus, ut omnes istas sedes supradictas tam populatas, quam etiam a gentibus dirutas, pia miseratione restituat, eisque tales episcopos conferat, qui ei placeant, sedemque Ovetensem metropolitanam ut præsidium habeant. Si vero antiquas sedes, quæ in canonibus resonant, vel alias quas modo nominavimus, id est, Legionem, Saxomonem, Cœlenes, vel alias, quas nec Suevi nec Gotthi restaurare potuerunt, scire volueritis; Idatium librum legite, & per ipsas civitates annotatas invenietis sedes.

VI. Nunc igitur quicumque in præfatis sedibus inventi fuerint episcopi, ad concilium vocentur; eisque, sicuti & nobis, in Asturiis mansiones singulæ dentur, quibus quisque sua necessaria teneat; ne dum ad concilium tempore statuto venerit, victus supplementum ei deficiat. Asturiarum enim patria tanto terrarum spatio est distenta, ut non solum viginti episcopis in ea singulæ mansiones possint attribui; verum etiam (sicut prædictus magnus rex Carolus per Theodulfum episcopum nobis significavit) triginta præsulibus ad vitæ subsidia valeant impendi singula loca. Vos ergo, venerandi Pontifices, in solitudine redactas restaurate sedes, & per eas ordinate antistites: quia *Qui domum ædificat, semetipsum ædificat*: unde & Daniel loquitur dicens: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Et Dominus in evangelio ait: *Gratis accepistis, gratis date*. 1. Cor. 14. 4. Dan. 11.

VII. Ne igitur cuiquam videatur dissonum, & quasi rationi contrarium, Lucensem, seu Bracarensem archiepiscopatum Oveto fuisse translatum; legimus Gotthos dignitatem Carthaginis Toleto transtulisse; eique sedes viginti subdidisse. Judicio autem divino propter peccata retroacta cecidit Toletus, elegit Asturias Dominus. Toletus quippe in ambitu habet quinque vel sex millia passuum: cujus civitatis ambitus humano artificio auctus, fuit destructus, quia valuit dissipari a gentibus. In Asturiarum vero circuitu posuit montes firmissimos Dominus, & Dominus est custos *in circuitu populi sui ex hoc nunc & usque in sæculum*. Infra quorum montium ambitum (qui quidem vix * viginti dierum spatio valet circuiri) possunt viginti episcopi mansiones singulas obtinere, suisque sedibus extra honeste providere. Roma namque ab hominibus ædificata, simili modo Matth. 10. * Over. decem.

ANNO CHRISTI 873.

——do plures habet episcopos, qui foris præsunt, & providentdecenter suis sedibus, quæ eis necessaria ministrant in civitate morantibus, & Romano Pontifici famulantibus; cujus Romani Pontificis Joannis jussu & consilio congregati sumus Oveto.

VIII. Quo sane loco (ut præmisimus) montium munimini manu Domini firmato, si in domo Domini Salvatoris nostri, ejusque gloriosæ genitricis Mariæ Virginis, nec non & duodecim Apostolorum, quos ipse Dominus misit evangelium prædicare, & ecclesiam suam toto orbe terrarum congregare, vera humilitate & fideli devotione conveneritis; quemadmodum super ipsos Apostolos in sancta civitate Jerusalem propter metum Judæorum in unum congregatos, Spiritus sanctus in igne descendit, eosque linguis variis magnalia Dei loqui edocuit; ita procul dubio idem Spiritus sanctus super vos veniet, qui vos doceat, & ignem suum cordibus vestris infundat, & gentes quæ vos infestant reprimat, vosque ad cælorum regna perducat. Si quis autem nostrum se ab hujus concilii unitate subtraxerit; a vera & integra societate sanctorum segregatus, parique anathemate cum Juda Domini proditore percussus, cum diabolo & angelis ejus in perpetuum sit damnatus.

IX. Adhuc etiam, ut omnes invidos & refragatores Oveto metropolitanæ translationis leviter convincamus, alia exempla adducimus. Nulli quidem est dubium, olim Babyloniam mundi urbium tenuisse principatum. Destructa vero a Domino Babylonia, mundi principatum obtinuit Roma, quam beatus Petrus accepit in sorte sua. Sic & Hierosolyma, quæ antea Romæ & Babyloniæ fuit subdita, omnium provinciarum facta est domina, in qua Dominus noster Jesus Christus pro nostra omniumque redemptione pati, & in ejusdem confinio Bethleem est dignatus nasci. Postquam autem idem Redemptor noster victor cælos ascendit, culpa infidelitatis est derelicta, velit tugurium in vinea, & crevit fides Christi per universa mundi climata. Simili etiam modo Toletus totius Hispaniæ antea caput exstitit, nunc vero Dei judicio cecidit, cujus loco Ovetum surrexit.

X. Modo ergo vos, episcopi, vel reliqui sacerdotes, Ovetensem sedem, quam Dominus elegit metropolitanam, colite, ac pro posse vestro fideliter erigite: & sicut superius diximus, locis, quæ vobis ab ipsa sede per Austrias attribuuntur, rei vestræ rectos procuratores ponite; & definito tempore ad Concilium Ovetum recurrite; ea videlicet ratione manente, ut per ipsas sedes quæ foris sunt, communi consilio laboremus; & in hac civitate, videlicet Asturiis, (quam Dominus fortissimam fundavit) substantiam nostram reponamus; & contra hostes sanctæ fidei concordi mente dimicemus. Nam Dominus & Salvator noster ad fidelium refugium, & suæ ecclesiæ firmamentum erexit; in qua si omnes caritatis vinculo juncti fuerimus; ipso auxiliante adversariis nostris resistere, campos etiam defendere, ex quibus intus victum poterimus habere. Scriptum quippe est: *Civium concordia in hostes est victoria.*

XI. Verumtamen nisi prius fuerit dissensio in Domini filiis, non revelabitur filius perditionis: quia si in Asturiis non fuisset dissensio, & duorum Principum electio; aut in episcopis & ceteris servis Dei sanctæ caritatis fuisset dilectio; profecto gladius furoris non immineret Oveto; qui circa adjacentem ecclesiam beati Petri plerosque ex utraque parte divino judicio interfecit. Surrexerunt namque alienigenæ, & plerique falsi Christiani cum duce Mahamut, ministro diaboli, & filio perditionis, tunc temporis principante Asturiensibus Christianis Mauregato invasore regni Adephonsi Casti, invaserunt fines Asturiarum; quibus rex Catholicus occurrens cum multitudine Christianorum, loco prædicto commiserunt bellum. Peracta itaque, ut præmisimus, strage utrimque infinita, Salvatoris nostri Jesu Christi clementia, cui mente devota nostra famulatur patria, Christianis tandem cessit victoria. Hostes igitur terga vertentes, partim sunt gladio cæsi, partim vero, ad exemplum Ægyptiorum, alveo Minei fluminis sunt submersi. De qua victoria, fratres, Dominum collaudantes, conjuncti simus summæ caritatis dilectione: nec recedamus a præceptis Dei & Salvatoris nostri, qui nobis super sanctæ ecclesiæ hostibus consolationem dabit; insuper cum sanctis electis in regno cælorum nos annumerabit.

XII. Hoc ergo, reverendi episcopi, privilegium unusquisque vestrum diligenter scribat, & per concilia celebrata legat. Quod si aliter feceritis, & a nostro præcepto alienos vos habueritis; videte (quod absit) ne judicium Domini incurratis. Actum privilegium, XVII. Kalend. Julii, Æra DCCC. Z. VIIII.

SUBSCRIPTIONES.

Adephonsus serenissimus Princeps hoc privilegium confirmo.

Adulphus Oventensis episcopus confirmo.

Argimundus Bracarensis ecclesiæ episcopus confirmo.

Didacus Tudensis ecclesiæ episcopus confirmo.

Theoderindus Iriensis ecclesiæ episcopus confirmo

VVimaredus Lucensis ecclesiæ episcopus confirmo.

Gomellus Asturicensis ecclesiæ episcopus confirmo.

Vincentius Legionensis ecclesiæ episcopus confirmo.

Abundantius Palentinæ ecclesiæ episcopus confirmo.

Joannes Oscensis ecclesiæ episcopus confirmo.

ADNOTATIO P. ANTONII PAGI

ad An. Ch. 882. n. 4. & seqq.

Sampirus Asturicensis Episcopus, cujus Historiam Sandovallius publicavit, narrat, *Adelfonsum* III. Legionis & Asturiarum Regem, post varias victorias de *Saracenis* reportatas, Presbyteros duos Romam ad Joannem VIII. Papam misisse, qui ab eo peterent, ut Ecclesia beati Jacobi Apostoli consecraretur, & Concilium celebraretur. Epistola Joannis VIII. ad Adelfonsum est ordine CCCIX. in Registro Epistolarum Joannis VIII. qui ea concedit, ut *Ovetensis Ecclesia* Gallæciæ Metropolitana efficiatur. Ea vero qua monet, ut Ecclesia Sancti Jacobi consecretur, est ordine CCCX. Visis literis *Adelfonsus* venit cum uxore & filiis ac Episcopis & totius regni Comitibus, consecrataque Ecclesia, & *transactis XI. mensibus venerunt Oveto ad celebrandum Concilium cum auctoritate Domini Papæ Joannis, & cum consilio Caroli Principis Magni*. Ibi Ovetensis Urbs Metropolis declarata actumque de restituendis Sedibus a Saracenis depopulatis, eisque Episcopos præficiendi. *Ovetensis* Ecclesia ceteris prælata, quod, ut inquiunt Patres, ad montana Asturiarum posita, esset velut unicum Christianorum refugium, in qua proinde præcipua Sedes esse deberet, ut dicitur in eodem Concilio, cujus Acta nunquam hactenus edita, publicavit Em. Card. de Aguirre Tom. III. Concil. Hispaniæ. Quibus adde in Codicibus MSS. Sampirii ab Anonymo qui asservatur in Bibliotheca Mazarina visis, dici etiam Concilium coactum *XVIII. Kal. Julii*.

Hic Anonymus pag. 58. monet etiam, quatuor lineas, quibus dicitur Concilium *æra DCCCCIX.* celebratum, addititias esse, pag. 59. *æra CIX.* dicitur interpolata, & lineis sequentibus unicam Joannis Papæ Epistolam in duas esse divisam. Tum notat, hæc verba addititia esse,

se, *in prima die, quod erat Nonas Maii anno Incarnationis Domini æra DCCCCLXXIX. secunda feria, deducebat animum ad lunæ cursum IV. Luna XI.* Addititia est etiam hæc nota temporaria Concilii, *Actum Concilium XVIII. Kal. Julii æra DCCCCX. congregato magno exercitu ac triennio peracto æra DCCCCXL. urbes desertas ab antiquis populari Rex jussit*, legendumque juxta proba exemplaria MSS. *Actum Concilium XVIII. Kal. Julii, de triennio peracto urbes desertas ab antiquitus populare Rex jussit*, & delenda æra Hispanica, quæ nullibi exprimitur.

Sandovallius in Notis & Dissertationibus suis pag. 245. ait, fuisse, qui existimarint, Concilium istud ante annos centum, regnante *Alfonso Casto*, congregatum esse, innixos Privilegio Monasterio sancti Vincentii Montisfortis in eodem concesso; sed cum annus, quo illud emissum, diuturnitate temporum corruptus sit, Sandovallius concludit, anno octingentesimo septuagesimo septimo habitum, quia Ecclesiæ Sancti Jacobi dedicatio ad æram nongentesimam decimam quartam, seu ad annum Christi DCCCLXXVI. necessario pertinet. Sampirus enim scribit, *transactis XI. mensibus*, a dedicatione nempe illius Ecclesiæ, Regem cum uxore & filiis, Episcopis & Comitibus venisse *Oveto, ad celebrandum Concilium cum auctoritate Domini Papæ Joannis, & cum consilio Caroli Principis Magni*, & Ovetensem Urbem Metropolitanam elegisse Sedem, & in ea *Hermegildum* consecrasse *Archiepiscopum*, idque *Nonas Maii*. In exemplari edito hæc verba leguntur, *secunda feria, deducebat animum ad Lunæ cursum IV*, (quod recte Sandovallius de numero aureo explicat) *Luna XI. consecratum est jam dictum templum*, qui characteres annum DCCCLXXVI. ut subjungit Sandovallius, certo designant. Verum quidem est, eos interpolatos esse; sed cum inter se exacte conveniant, non dubitandum, quin ex aliquo antiquo Monumento ab Interpolatore excepti fuerint. ANNO CHRISTI 873.

Video, quid ad hæc responderi possit, morem nempe tulisse, ut ecclesiarum Dedicationes diebus Dominicis fierent. Verum is mos non semper servatus, præsertim hoc tempore in Hispaniis, ubi qui Asturiarum & Gallæciæ montes incolebant, disciplinæ Ecclesiasticæ prorsus rudes erant, & in extrema versabantur barbarie, ut ipsimet Hispani fatentur. Præterquam quod hanc dedicationem septima die Maii anni DCCCLXXVI. peractam, & *Concilium Ovetense* mense Martio octingentesimi septuagesimi septimi coactum, demonstratione constat; in Codice enim MS. non solum, ut in exemplari impresso, legitur, *ad celebrandum concilium cum auctoritate Domini Papæ Joannis, & cum consilio Caroli Principis Magni*; verum etiam, *Caroli magni Imperatoris Romanorum & Regis Francorum memorati*. Quæ verba secundum Sampirum ostendunt, Carolum Calvum, qui *Magnus* cognominabatur, Imperatorem tunc fuisse. Denique Interpolator Hispanus chartam sancti Vincentii Montisfortis, antequam depravata esset, videre potuit. Hujus itaque Concilii epocha nunc certa videtur; cum regula a diebus Dominicis deducta, nec generalis, nec sine exceptione fuerit. Ex his, sicuti & ex dictis anno DCCCXLIX. apparet, *Carolum Calvum* magno in honore apud Hispanos fuisse. Nomina Episcopatuum Ovetensi Metropolitæ subjectorum legenda anno DCCXII. num. ult.

CONCILIUM CABILONENSE,

IN ECCLESIA SANCTI LAURENTII

trans Ararim celebratum anno Christi DCCCLXXIII.

Synodi hujus meminit Petrus a sancto Juliano in historia rerum Cabilonensium, ad eamque convenisse narrat Remigium Lugdunensem & Adonem Viennensem archiepiscopos, Liudonem Æduensem, Girboldum Cabilonensem, & Bernardum Matisconensem episcopos, Leuboinum item chorepiscopum Lugdunensem, cum abbatibus & clericis ac monachis permultis. Meminit & decreti ab ea conditi de ecclesia sancti Laurentii, in qua synodus agebatur, cum de ea quæreretur, liberane ac sui juris esset, an sancti Marcelli ecclesiæ, quod ista contendebat, potestati obnoxia. Qua de re quid statutum sit a synodo, non declarat. Decreto autem appositam fuisse notam testatur anni Caroli Calvi regis in Lotharii nepotis sui regno tertii, qui incidit in annum regni ejus XXXIII. *Christi* DCCCLXXIII.

* CHARTA RESTITUTIONIS ECCLESIÆ SANCTI LAURENTII CABILONENSIS FACTÆ canonicis sancti Marcelli a concilio episcoporum habito in eadem ecclesia sancti Laurentii XII. Kal. Judii anno Christi DCCCLXXIII. Caroli Calvi in Burgundia tertio post mortem Lotharii regis.

REmigius sanctæ Lugdunensis sedis archiepiscopus, & cum eo Ado reverendissimus archiepiscopus Viennensis, Liudo quoque Augustodunensis episcopus, nec non & Girboldus Cabilonensis; Bernaldus etiam Matiscensis reverendi episcopi, sed etiam Leubonius * chorepiscopus Lugdunensis, simulque acceptabilis multitudo canonicorum monachorum, archidiaconorum, abbatum, ac reliquorum ordinum, secundum Dei voluntatem in suburbio Cabilonensi nobiscum congregata, apud basilicam sancti Laurentii, quæ juxta * monita civitatis ejusdem constructa est. Omnibus Christum per orbem quadrifidum adorantibus, pacis, concordiæque * munus. Notum sit cunctis, quod nobis residentibus in eadem ecclesia, antefati martyris nomine insignita, anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. regni domini Caroli tertio post mortem nepotis sui Lotharii, in Burgundia; venit in ipso concilio quidam presbyter, nomine Leuterius, præpositus & advocatus canonicorum sancti Marcelli martyris. Et stans in medio synodi, monstravit nobis per privilegia ejusdem loci, ipsam ecclesiam in qua residebamus sancto Marcello a regibus ipsius loci constructoribus, ex consensu episcoporum Cabilonensis civitatis fuisse tributam: eamque injuste per incuriam & negligentiam * prædictorum canonicorum sancti Marcelli, ab episcopis prædecessoribus usurpatam. * sit animus

* perditam haberent

Qua de re dominum & fratrem nostrum, præclarum videlicet virum, Girboldum episcopum interrogantes quid ei placeret; ut justis rebus fuit semper annuens, dixit: Si hæc a nostris antecessoribus jam dicto loco donata, ut suprema nobis patescerent limina, hæc ipsa ex nostra parte dare debuissemus ei donaria. Sed quia hujusce causæ nobis evidentia monstrantur scripta, quod eatenus a nobis ipsa tenetur ecclesia; decernat sanctitas vestra quid nos conveniat agere. Cujus verba audientes, ex ipsius, cunctæque illius congregationis, & canonicorum consensu, judicavimus sancto Marcello ipsam ecclesiam reddi, atque ut deinceps illi servientes possiderent. Cunctum concilium judicium nostrum per has litteras laudavit, & firmavit, ac in ipso nemo contradixit, ut quicumque clericus vel laicus contrariari præsumpserit, humanis legibus * coactus, etiam divinis usque ad emendationem sub anathemate foret. Hanc autem scripturam fieri præcepimus: ac ut in futuris temporibus teneatur, manibus roboravimus.

* convictus

Remigius humilis episcopus.

——Ado Viennenſis epiſcopus,
ANNO CHRISTI 873. Liudo ſanctæ Eduenſis eccleſiæ epiſcopus.
Bernaldus Matiſcenſis epiſcopus.
Girboldus Cabilonenſis Epiſcopus.
* Leubonius. Leuboinus * chorepiſcopus.
Heriboldus monachus.
Herpinius abbas.
Eudo humilis abbas.
Theodbertus diaconus.
A Gontranus * presbyter.
Bertrannus * diaconus.
Gontardus abbas.
Leviſingus * archidiaconus.

Data anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIII. regni domini Karoli tertio in Burgundia. XII. Kal. Junii. Marcellus non meritus levita ſcripſit, & roboravit in Dei nomine feliciter. Amen.

CONCILIUM COLONIENSE,

SIVE MONUMENTUM SYNODI MAGNÆ

anno incarn. dominicæ DCCCLXXIII. indict. VIII. * ſub piiſſimo rege Ludovico, anno imperii ejus XXXIII. apud Coloniam Agrippinam collectæ VI. Kalendas Octobris ex pervetuſto bibliothecæ Gelenianæ codice ſcripto manu Hermanni de Vveſalia V. Cl. quem Federicus III. Cæſar ſancti Severini Coloniæ, & beatæ Mariæ virginis Aquiſgrani canonicum fecit.

* corrige vit. quæ biduo ante cœpit die 14. Septembris; vide ſubſcriptiones.

* Editum ad calcem libelli de ſuffraganeis Colonienſibus miſſi ad nos a R. P. Joannes Gamans S. J. presb.

IN nomine * ſanctæ & individuæ Trinitatis VVilibertus divina prædeſtinante clementia Colonienſis civitatis archiepiſcopus.

* matris

Noverit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter Guntharius ſedis noſtræ venerabilis paſtor divino ductus amore, una cum conſenſu & voluntate ſuorum clericorum ac laicorum noſtræ * matricis eccleſiæ rebus privatim ſingulis monaſteriis ad hunc pertinentibus ac canonice in eis commorantibus ſumptuum ſuorum neceſſaria habenda delegavit atque contradidit, quatenus deinceps videlicet eadem monaſteria & iidem canonici futuris temporibus perpetualiter inde conſiſtere quiviſſent abſque alicujus ſumptus indigentia. Præterea quidem & hoc quiſque eccleſiæ amator agnoſcat qualiter jam fatus vir paſtoralis (ſumptibus neceſſariis, ut prælibatum eſt, in præſignatorum jus clericorum ex donatione ordinabiliter atque regulariter delegatis atque diſtributis) illis conceſſit atque donavit ultra licitum fore cum ſecura poteſtate & libero arbitrio inter ſe ordinare & facere tam de ſua electione, quam de omnibus ſuis rebus abſque ejus conſultu & imperio: ſimiliter vero cunctis innoteſcat, quod idem ſupra memoratus paſtor in futurum præcavens ne prælati ordine regiminis confuſe utendo aliquando inter ſe fortem diſſenſionem inde incurrerent, ac ne ob hoc ſtatu tum clerici tandem inſtabiles denuo ſicut prius abſque correctionis & increpationis timore huc illucque vagabundi liberius diſcurrerent, decrevit, ut præpoſito in ſibi ſubjectis nullus nec prælatione nec poteſtate ſuperponeretur, ſed idem potius in ambobus ſuper omnes præſtantiſſimus haberetur, ac inſuper eorumdem ſubjectorum res communes interius exteriuſque ipſe ſolus cum conſilio prudentum benevolentiumque fratrum gubernans, diligenterque providens, totum in ſuam aſſumeret reſervandum cuſtodiam, quicquid ex his debite proveniret, & ſic poſtea ſumma cura atque diligentia idipſum in illorum utilitatem miniſtrando diſpenſaret. Nihilominus, ſcilicet ipſe idemque beatæ & dignæ memoriæ vir & divini conſilii inſpiratione admonitus firma ac perpetua lege ſancivit, ut nullus unquam pontifex ſine illorum conſcientia ſive conſenſu de ipſa ſubſtantia, minimam unquam præbendam alicui per potentiam tribueret, aut item in domibus ſive ædificiis in urbe vel exterius circa urbem ſibi jam a quibuslibet in eleemoſynam datis ſeu deinceps donandis, aut uſquam alibi in ceteris univerſis illorum locis in omnibus rebus abſque conſenſu, & communi cunctorum voluntate, quidquam eis per potentiam ſive per aliquam vim deſtrueret, illorum donationem ſeu traditionem quam inter ſe in claüſtro de qualibuſcumque ſuis rebus, teſtibus adhibitis feciſſent, hoc illis quaſi in jus hæreditarium firmiter concedens, quatenus quiſque illorum ſive nobilis ſive ignobilis eſſet, uſque in ſempiternum liberum haberet arbitrium ſuam manſionem cum ceteris quibuſcunque rebus donare ſeu etiam tradere cuicumque ſuo confratri voluiſſet, poſt obitum ſuum poſſidendum abſque ullius epiſcopi conſultu ſive contradictione. Hujus itaque ordinationis ac conceſſæ electionis atque memorialis decreti præſens conſcriptum ob memoriam & eleemoſynam noſtri fieri volentes, juſſimus illud in conſpectu totius ſynodalis conventus publice recitari, quem ſimul nobiſcum hodierno die collectum habuimus ob noſtræ eccleſiæ dedicationem faciendam & ob plurima divina tractanda negotia, id eſt, coram Luitberto ſancto viro Moguntinenſis eccleſiæ archiepiſcopo, nec non Bertolpho Trevirenſis eccleſiæ archiepiſcopo ac coram plurimis aliis epiſcopis tam ſuis quam noſtris ſuffraganeis, nec non coram ceteris omnibus ſacri ordinis viris præſto habitis, quatenus illorum communi examinatione probaretur, ſi eſſet a nobis recipiendum nec ne. Cunctis autem unanimiter diiudicantibus, non ſolum recipiendum fore, verum etiam digne & juſte & ſecundum regulam adimplendum, eo quod regulariter atque rationabiliter in omnibus ordinatum haberetur, tam noſtra manu ſubtus id firmavimus quam etiam propriis ſingulorum manibus roborari fecimus. Unde juxta illorum judicii authoritatem una cum ipſis proferre damnationis ſententiam firmiſſime decrevimus, quiſquis quaſi eccleſiaſtici ordinis violator & contemptor hoc in perpetuum auſu temerario vel infringere vel diſturbare aggrederetur. Et ideo quicumque ſucceſſorum noſtrorum id ſcienter facere præſumpſerit, omnibuſque conſiliariis ejus, quorum conſilio hoc nefas egerit, Deus conteret dentes eorum & in ore ipſorum molas confringet Dominus. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens, convertantur ad veſperam & famem patiantur ut canes. Ac propter hæc opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum ſit. Pedes eorum ad malum currant: cogitationes eorum inutiles: vaſtitas & contritio in viis eorum. Viam pacis neſciant, & non ſit judicium in greſſibus eo-

Licentia proprietatis.

Libertas electionum.

De temporalibus curet præpoſitus.

Lic ſta

Syn bita ded nem neg

Syn perſ

VVi & al ſcrip

Male nes les.

eorum, semitæ eorum incurvatæ sint, in tenebris A ambulent & palpent sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectent. Salus elongata sit ab illis, multiplicatæ sint iniquitates eorum coram te Domine. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur in æternum Domine. Fiant corruentes in tempore furoris tui Domine, & duplici contritione contere eos Domine Deus noster, amen. Decidant a cogitationibus suis, convertantur dolores eorum in caput ipsorum, & in verticem eorum iniquitates eorum descendant. Pones eos Domine in clibanum ignis, in tempore vultus tui: fructum eorum de terra perdes, erubescant & conturbentur & deducantur in infernum; muta fiant labia eorum. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, veniat mors super illos. Destrue illos in finem, & disperge illos in virtute B tua Domine. Evelle eos de terra & radicem eorum de terra viventium. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum; obscurentur oculi eorum ne videant: effunde super eos iram tuam. Fiat habitatio eorum deserta: appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Deleantur de libro viventium. Fiant cum illis qui dixerunt Domino Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Imple facies eorum ignominia, erubescant & conturbentur in sæculum sæculi. Fiant dies eorum pauci & anni eorum non memorentur amplius. Maledicti sint in agro, maledicti in domo, maledictus fructus eorum. Habeant oculos & non C videant, aures & non audiant, nares & non odorentur, gustum & saporem nesciant, sensum ut non intelligant, tactum inutilem atque insensibilem præstante te Jesu Christe, qui vivis & dominaris per cuncta sæcula. Amen.

His ita rite peractis prostraverunt se in terram adorantes Dominum atque laudantes dicebant: *Benedictus Dominus quod suæ sanctæ ecclesiæ talem dignatus est conferre pastorem.* Tunc surgentes in medio Luitbertus atque Bertolphus archiepiscopus dixerunt: *O sanctissimi patres, licet nobis adhuc de authoritate sanctorum patrum parvam damnationis sententiam inferre:* Respondentibus omnibus: *Licet:* Luitbertus archiepiscopus dixit: Quisquis, ut antedictum est, vel ecclesiastici ordinis violator & D contemptor hoc perpetuum infringere aggredietur, vel quicumque successorum nostrorum id potestative seu qualicumque modo vel ingenio irritum facere præsumpserit, fiat ei juxta apostoli sententiam dicentis: *Qui nos conturbat, portabit judicium quicumque est ille:* & iterum. *Utinam abscindantur, qui nos conturbant.* Insuper sciat se irrevocabili anathemate innexum haberi, & in extremæ ultionis die, cum diabolo & angelis ejus cruciandum, juxta hoc quod S. Basilius de pastoribus ecclesiæ dixit: Si is qui præest fecerit, aut cuiquam quod a Domino prohibitum est facere jusserit, vel quod præceptum est præterierit, aut potestative mandaverit, sancti apostoli Pauli E sententia ingerenda est ei dicentis: Etiamsi nos aut angelus de cælo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Si quis prohibet nos facere quod a Domino præceptum est, & a sanctis patribus traditum est: vel rursum imperat fieri, quod Dominus & SS. PP. fieri prohibent, execrabile sit Deo & omnibus qui diligunt Dominum. Item de eodem de cujus supra episcopus dixit: qui clero præest si præter voluntatem Dei præterquam quod in scripturis sanctis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid vel imperat tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur. Actum Coloniæ in supradicta civitate V. Kalendas Octobris die, sub piissimo rege Ludovico, anno imperii illius XXXIII. ANNO CHRISTI 873. Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. Indictione septima.

Ego Vvilbertus prædictæ civitatis Colonienſis archiepiscopus, qui hoc præsens regularis electionis conscriptum fieri jussi, consentiens subscripsi.

Ego Luitbertus Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopus consentiens subscripsi.

Ego Bertolphus Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus consentiens subscripsi.

Ego Bernardus Virdunensis Ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Alfridus Hildinisheimensis ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Theodoricus Mimidonen. ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Gerolphus Firdensis ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Luithardus Paderborn. ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Hildigrimus Halverstad. ecclesiæ episcopus similiter.

Ego * Hodolfus Mimigernafurdensis ecclesiæ episcopus similiter. * *al.* Odolfus, & Hedolfus & Holdolfus.

Ego * Lubertus Osnaburgensis ecclesiæ episcopus similiter. * *al.* Hebigebre Chuaburgensis

Lutbertus presbyter similiter.

Sibaldus presbyter & præpositus similiter.

Everardus presbyter similiter.

Hundolphus presbyter similiter,

Reginhardus presbyter similiter.

Ego Adelvvinus indignus diaconus ad vicem Adeloldi presbyteri atque cancellarii subscripsi.

Et manu Vviliberti:

Miserere Domine; miserere misero Vviliberto indigna agenti & digna patienti: assidue peccanti & tua flagella quotidie sustinenti. Memento mei Deus in bono, Deus ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei & in cæremoniis ejus. Amen.

Corroboratio glorioſissimorum archiepiscoporum Domini Vviliberti Colonienſis, Luitberti Moguntinensis, Bertolphi Trevirensis, nec non & aliorum episcoporum ac suffraganeorum suorum cum ceteris sacri ordinis viris quam plurimis ac nobilibus laicis, de sumptibus canonicorum & de electione perpetualiter habenda, ac regiminis regularis ordinatione, ut si qui eam infringere conentur, sicut infra scriptum, teneantur summo anathemate usque in perpetuum, nisi pœnitendo resipiscant; extinguaturque lucerna eorum in perpetuum. Amen. *Hactenus ms.*

IN eadem synodo ab iisdem episcopis confirmata est fundatio illustrissimi Parthenonis Assindiensis; cujus hæc est clausula:

Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXVII. (lege III.) sub piissimo rege Ludovico anno imperii ejus XXXVI. (lege III.) apud Coloniam civitatem V. Kalen. Octob. in ipsa die dedicationis basilicæ S. Petri. Ego Alfridus episcopus hoc privilegium coram Domino VViliberto prædictæ civitatis archiepiscopo, recitavi, necnon coram Luitberto Moguntiacensi archiepiscopo, & Bertolpho Trevirensi archiepiscopo &c. (*eodem quo supra ordine*) Episcopis, nec non coram aliis compluribus sacri ordinis viris, qui ob supradictæ ecclesiæ dedicationem convenerant. Prælecto itaque Fundatio Essendiensis. hoc privilegio in omnium supradictorum conspectu acclamantibus omnibus hanc constitutionem salubriter atque ordinabiliter institutam, ut non modo addi, verum etiam aliquid minui damnosum videretur, omnes unanimiter hujus conscripti

pti aliquo malo ingenio violatorem in perpetui anathematis foveam detrusimus. Universis mecum uno ore clamantibus; Ex authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, & SS. apostolorum excommunicamus & anathematizamus omnes, qui sua præsumptione vel aliquo malo ingenio hanc constitutionem scienter violare præsumpserint,

ANNO CHRISTI 873.

Hactenus clausula ex copia fundationis & confirmationis Assidiensis in membrana conscriptæ, cui appensum est plumbum exhibens crucem decussatam ab una parte, & ab altera signum Alfridi episcopi nomen ejus exprimens. Porro in eadem synodo vel certe tempore hujus synodi videtur erecta & stabilita fuisse dotatio Gerrisheimensis parthenonis; ita enim suadent personæ nominatæ in dotationis forma, quam eidem parthenoni in honorem S. Hippolyti martyris a S. Gerico duce fundato, dedit B. Regenberga dotatrix ejusdem parthenonis, cujus hæc est clausula,

Gerrisheimensis fundatio.

Monarchiam imperii gubernante Ludovico imperatore Augusto & sanctæ ecclesiæ Colonienſi fideliter præsidente Vviliberto archiepiscopo, Regenberga indigna Christi famula, & militis Gerici filia pro spe & requie futura beatæ vitæ, ea quæ ad me hæreditario jure pervenerunt jura mancipiorum, prædia & ecclesias quasdam ad cœnobium patrio nutu ac sumptu in Gerresheim pro remedio cælestis patriæ constitutum & a venerabili supradicto archiepiscopo dedicatum tradidi, atque sub testimonio & auxilio archicancellarii Luthardi, nec non archicapellani Lotberti, atque advocati hujus præscripti loci Hatheboldi patruelis nostri, sub authoritate regali atque pontificali firmavi.... coram archiepiscopo Vviliberto, necnon principibus, quam multis clericis atque laicis, ea lege.....

Hactenus monumenta synodalia, de quibus insignem, qui posset attexi commentarium, relinquo * avunculo meo R. D. Ægidio Gelenio historiæ Coloniæ pervestigatori: illud solum dicam.

* editoris Colon. verba sunt.

Aliqua Guntharii defensio.

1. Guntarium, cujus hic mentio honorifica habetur, etsi ob consensum datum in repudium Lotharii imperatoris sit suspensus, & causam Romæ agere debuerit, uti apud Baronium, Miræum, & imprimis Brovverum in Trev. histor. legimus, non tamen ita esse abdicatum, ut papa in novi episcopi electionem consentiret: ut patet ex jure canon. dist. 63. cap. 4. & epist. mox citanda, nec ita malum fuisse, ut continuo nihil boni operis in eo posset reperiri. Annal. Franc. a Pithæo editi Guntherum pœnituisse dicunt.

Diversa synodi Colonienses.

2. Vvilibertum successorem Guntharii anno 869. electum, teste Reginone, & a Luitberto Mogunt. archiepiscopo anno 870. consecratum in quadam synodo, quæ ab antedicta diversa est, & de qua annales Pithœani, Herm. Contractus a Canisio editus, Sigebertus vero ad an. 871. & alii meminerunt: qui errore lapsi noscuntur in hoc quod synodum, in qua est consecratus Vvilibertus, cum synodo altera dedicationis confuderint, & æris diversis utendo lectorem implicuerit, & quamquam Hadrianus PP. indict. 3. 5. Kal. Jul. (id est anno 870.) in literis ad Ludovicum regem Germ. scribat:

Miramur præterea gloriam vestram præficiendo episcopum Agrippinæ Coloniæ, tam indiscrete præbuisse consensum, cum evidentissime scires, quod apostolicæ sedis judicio atque consensu ibidem debuerit ordinari antistes, cujus censura nuper fuerat eadem ecclesia suo privata rectore. Et quidem quod post judicium sedis apostolicæ factum est, dure suscepimus, sed quod tua super hoc devotio, quam circa nos habere probaris omnimodis tacuit, durius æstimamus. Præcipue quia Guntharii dudum archiepiscopi causam, antequam in locum illius substitueretur episcopus, nos iterum audituros & vocem ejus admissuros fore spopondimus: Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quo usque ille qui ordinatus est nostræ exhibeatur præsentiæ, & utraque pars coram nobis discussa conventus synodalis perpendatur audientia.

Quamquam hæc Hadrianus PP. rescripserit, Vvilbertus tamen in episcopatu permansit, & eodem anno (circa Augusti mensem) in Italia defuncto Gunthario, in synodo Colonienſi est consecratus. Eidem tamen pallium negavit successor Hadriani Joannes, eo quod id consueto modo non petierit, ut est in jure can. dist. 100. cap. 4. qui etiam ad Vvilibertum hunc plures dedit epistolas videlicet 106. 283. V. synodum Pontiniac. in conc. Gallicanis & Binii.

3. Ex catalogo episcop. qui synodo Colonienſi subscripserunt, restaurandos esse catalogos Monasterii Osnab. Mind. & Paderbon. episcoporum, & eorum historiam illustrandam, quo ad martyres qui an. 879. vel 880. in Ebbekestorff in inferiore Saxonia martyrio sunt coronati: ex quo perspicuum fit Gerricum ducem Gerrishemensem fundatorem, non esse illum qui in Ebbekestorff cum antedictis episcopis a Normannis est occisus, quippe cujus corpus sub ducis Lotharingiæ titulo virgines apud se asservant, cum illorum martyrum corpora in cumulum congesta & tabo infecta dignosci nequiverint. Plura de his Crantzius cum in epistola quadam, tum in historia Saxonica consultus docebit.

Illud tamen non prætermittam dicere, quod ad hæc tempora spectet Vverdensis monasterii cum ecclesia consecratio, quam Vvilibertus archiepiscopus una cum Hildegrimo Halberstadensi episcopo peregit teste Cleinsorgio. Et forte evenit ut pars episcoporum, uti Colonia cooperata fuerat, Gerrisheimium, & inde Vverdenam sit cum Vvilberto profecta, quo eidem suffragaretur in pontificio ritu; ut vel idcirco synodus hæc intermitti non debuerit, quin suffraganeis nostris jungeretur, præterquam quod eadem synodus erit auctarium quoddam tribus conciliorum Gallicanorum tomis a P. Sirmondo S. J. nuper utilissime & ad historiam ecclesiasticam optatissime editis Parisiis,

Cum autem, ut supra dictum est, Vvilibertus novam sancti Petri basilicam a B. Hildebaldo cœptam in vestigio Castelli Ubiorum collocasset & dedicasset, necesse fuit ecclesiam, unde metropolitica dignitas transferebatur, quæque a sancto Materno in honorem B. Mariæ & S. Petri anno 94. dedicata fuerat, ac postea sanctæ Eugeniæ dicta, alio titulo decorari, idcirco idem Vvilibertus ei ecclesiæ titulum sanctæ Cæciliæ indidit, & collegio virginum honoravit, quod cum nomine manet ad præsens tempus unum e præcipuis collegiatis urbis ecclesiis. Ipsa vero Vvilibertina ædes pridem diruta est in gratiam angustioris illius molis, quæ parte sui perfecta miraculum mundi octavum præferre videtur.

Denique Vvilibertus hic ita episcopatum gessit, ut licet Joannes PP. ei pallium dignitatis ecclesiasticæ (ob nescio quas causas) negaverit, ut est dist. 100. cap. 4. gloriæ tamen cælestis decore ornatus in sanctis catalogis passim recenseatur, & locum habeat in martyrologiis Ferrarii, Canisii & aliorum 11. Septembr. Sedit (si septem annos quibus sedes Colon. ob Guntharium vacavit ei accenseas) 26. annis, alias 20. & obiit anno 890.

ANNO CHRISTI 873.

CONCILIUM SILVANECTENSE,

IN QUO EPISCOPI DUARUM PROVINCIARUM,

Senonensis ac Rhemensis, Caroli regis jussu congregati, Carlomannum ejus filium clericum, ob varias grassationes & perduellionem, diaconi gradu dejecerunt, laicæque communioni reddiderunt, anno Christi DCCCLXXIII.

Carolomannum Caroli Calvi regis filium, Meldensis ecclesiæ diaconum, in custodiam propter rebellionem & insidias in patrem, apud Silvanectensem urbem missum anno DCCCLXX. *fuisse supra dictum est ex Aimoino lib.* V. *cap.* XXIV. *Eum inde deprecantibus Hadriani papæ legatis solutum, patremque in expeditione Gerardum sequi jussum, idem est auctor cap.* XXV. *At fuga mox elapsus in Belgicam, quod directionibus omnia fœdaret, patris jussu primum ab episcopis per encyclicas literas excommunicatus, tum deinde synodi apud Silvanectum, ubi iterata custodia tenebatur, sententia diaconi gradu exauctoratus, atque in laicorum ordinem rejectus est. Qua de re in hæc verba idem Aimoinus cap.* XXIX. Quia multi erant, *inquit*, in regno Caroli, & in aliis regnis, qui expectabant ut per Carlomannum filium ejus adhuc rediviva mala remergerent, episcopos apud Silvanectensem civitatem, in qua idem Carlomannus morabatur, convocavit, ut secundum sacros canones episcopale ministerium exequerentur. Quod sane ipsi fecerunt, deponentes illum secundum sacras regulas ab omni gradu ecclesiastico, laica sibi communione servata. *Synodi hujus acta non habemus? fuisse aliquando constat in codice sancti Laurentii Leodicensis, in quo hærent adhuc singularum synodi partium tituli, quinque capitibus distincti, id est:*

I. Proclamatio diversarum querimoniarum Caroli adversus Carlomannum, scripta ad Ansegisum archiepiscopum, & Hildegarium Meldensem episcopum, concluſa in capitulis XV.

II. Epistola ejusdem Caroli regis de eodem Carlomanno.

III. Recapitulatio prioris epistolæ, scilicet ad Ansegisum & Hildegarium, ac ceteros episcopos ex duabus provinciis Senonum & Rhemorum, qui sacro conventui apud Silvanectis adfuerunt.

IV. Sententiæ judiciariæ in Carlomannum prolatæ: sed & subscriptiones episcoporum simul insertæ.

V. Tria capitula a rege Carolo episcopis data, ubi accusatio adversus Carlomannum, & quæsitio consilii de eo tenendi continetur.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concilium Silvanectense.*) Ex synodi hujus actis, post indicem quem descripsimus, restabat in veteri codice initium proclamationis Caroli regis hoc titulo: *Carolus gratia Dei rex Ansegiso & Hildegario ac ceteris episcopis, qui in Christi nomine congregati huic sanctæ synodo interestis*: Omnibus negotiis divinæ res præponendæ sunt, *& cetera*, usque ad finem pagellæ. Reliqua enim ad delendam, ut reor, funesti judicii memoriam, jam olim excisa.

CONCILIUM DUZIACENSE II.

ADVERSUS INCESTA CONJUGIA,

& rerum ecclesiasticarum pervasiones, apud Duziacum villam, Idibus Junii, indictione VII. celebratum, anno Christi DCCCLXXIV. Joannis papæ VII. anno II. Caroli Calvi regis XXV.

Epistola synodica concilii ad episcopos Aquitaniæ.

Sancta synodus plurimarum provinciarum, nutu divino, & sanctione domni Caroli regis glorioſi, apud Duziacum secus municipium Mosomum Rhemensis parochiæ, in Dei nomine anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIV. indictione VII. Idibus Junii convocata, dilectis fratribus & venerabilibus consacerdotibus nostris, in provinciis Aquitanicæ regionis sanctas Dei ecclesias gubernantibus, plurimam in salvatore salutem. Sicut ad humilitatem nostram non incerta relatione atque exinde consultatione perventum, quamplures, & maxime carne nobiles, & honore temporali sublimes, inter alia Deo & suæ saluti contraria, incestis conjunctionibus, & rerum ecclesiasticarum pervasionibus, pestilentia exitiosa in regionibus illis depereunt: assumentes de incesti pollutione velamentum securitatis quorumdam prava & perversa doctrina, de hoc quod S. Gregorius, sanctæ catholicæ atque apostolicæ Romanæ primæ sedis ecclesiæ pontifex, Augustino primo Anglorum episcopo interroganti usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari, & si novercis & cognatis liceat conjugio copulari, rescripsit dicens; Quædam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omnimode debet abstinere. Cum noverca autem misceri, grave est facinus, quia & in lege scriptum est: *Turpitudinem patris tui non revelabis.* Neque enim patris turpitudinem filius revelare potest. Sed quia scriptum est: *Erunt duo in carne una*, qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto ejus turpitudinem reve- *Levit.* 1. *Genes.* 2.

ANNO CHRISTI 874.

revelavit. Cum cognata quoque miſceri prohibitum eſt, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerat facta. Pro qua re etiam Joannes Baptiſta capite truncatus eſt, & ſancto martyrio conſummatus, cui non eſt dictum, ut Chriſtum negaret, ſed pro Chriſti confeſſione occiſus eſt: & quia iſdem Dominus noſter Jeſus Chriſtus dixerat: *Ego ſum veritas*, quia pro veritate Joannes occiſus eſt, videlicet pro Chriſto ſanguinem fudit. Quia ſunt multi in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando conjugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi ſunt, ut ſe abſtineant, & grave hoc etiam peccatum cognoſcant. Tremendum Dei judicium timeant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re ſacri corporis & ſanguinis Domini communione privandi ſunt, ne in eis illa ulciſci videantur, in quibus ſe per ignorantiam ante lavacrum baptiſmatis adſtrinxerunt. In hoc enim tempore ſancta eccleſia quædam per fervorem corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſſimulat, atque ita portat & diſſimulat, ut ſæpe malum, quod averſatur, portando & diſſimulando compeſcat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi ſunt ne tale aliquid audeant perpetrare: ſi qui autem perpetraverint, corporis & ſanguinis Chriſti communione privandi ſunt. Quia ſicut in his qui per ignorantiam peccaverunt, culpa aliquatenus toleranda eſt, ita in his fortiter inſequenda, qui non metuunt ſciendo peccare. Sed non eſt mirum, ſi juxta beati apoſtoli vocem indocti & inſtabiles hæc intellectu perverſo depravant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem, & fiunt magiſtri erroris qui noluerunt fieri diſcipuli veritatis, introducentes ſectas perditionis, magiſtri mendaces, promittentes ſcientiam falſi nominis, & circa fidem excidentes. Sed & de his, qui talium doctrinam potius, quam veritatem ſequi ad ſuam ſalutem diligunt, egregius prædicator dicit: *Erit*, inquiens, *tempus, cum ſanam doctrinam non ſubſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et item: *In noviſſimis*, inquit, *diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; & hos devita.* Si enim prava hinc unde agitur exitiabiliter docentes, & libenter obaudientes veritatem magis quam falſitatem, & ſalutem magis quam perditionem ſuam quærere & ſequi ſtuderent, non de ſalubri antidoto ſpiritalis medici B. Gregorii neophytis confecto potionem ſibi veneficam temperarent, legentes, & non negligentes, quæ hinc Felix Sicilienſis epiſcopus, & B. Gregorio connutritus, ad eumdem papam ſcripſit. Ait enim inter cetera in epiſtola ſua præfatus Felix ad B. Gregorium: Perlatum eſt ad nos a quibuſdam Roma venientibus, vos Auguſtino conſodali noſtro, per venerabilem ſanctitatem veſtram poſtmodum epiſcopo Anglorum genti ordinato, & illuc directo, atque Anglis ſcripſiſſe, quos olim ad fidem converſos per vos cognovimus, ut quarta progenie conjuncti non ſeparentur. Quæ conſuetudo dudum illis aut iſtis in partibus, quando una nobiſcum ab infantia nutritus atque eloctus fui, non erat, nec in ullis prædeceſſorum veſtrorum decretis, aut reliquorum

Joan. 14. Reſp. ad Int. 7.

1. Petr. 3.

2. Tim. 4.

2. Tim. 3.

A generaliter vel ſpecialiter patrum inſtitutis legi, aut hactenus ab ullis ſapientibus eſſe conceſſum didici: ſed ſemper uſque ſeptimum originis ſuæ gradum hæc a ſanctis anteceſſoribus veſtris, & ceteris ſanctis patribus, tam & in Nicæna ſynodo, quam & in aliis ſanctis conciliis congregatis, ſervari debere reperi, & a recte viventibus ac Deum timentibus hominibus ſtudioſe provideri cognovi. Unde beatus Gregorius inter cetera eidem Felici reſcripſit: Quod, inquiens, ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis epiſcopo, alumno videlicet, ut recordatus es, tuo, de ſanguinitatis conjunctione, ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter, & non generaliter ceB teris me ſcripſiſſe cognoſcas, unde & mihi omnis Romana civitas teſtis exiſtit; nec ea intentione hæc illis ſcriptis mandavi, ut poſtquam firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam conſanguinitatem inventi fuerint, non ſeparentur, aut intra affinitatis lineam, id eſt uſque ad ſeptimam generationem conjungantur. Sed adhuc illos neophytos exiſtentes, ſæpiſſime eos prius illicita eſſe docere, & verbis & exemplis inſtruere, & quæ poſt de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam juxta apoſtolum qui ait: *Lac vobis potum dedi, non eſcam*, iſta illis modo, non futuris, ut præfixum eſt, temporibus tenenda indulſimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, exureretur, ſed C cœptum firmaretur, & uſque ad perfectionem cuſtodiretur. Sane ſi in his ſecus quam debuimus aliquid egimus, non propter ipſa in futurum ſervanda, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas: *& quæ ſequuntur, uſque* præmia mercedis acquirant. *Et poſt aliquanta.* Progeniem vero ſuam unumquemque de his qui fideliter edocti, & jam firma radice plantati ſtant inconvulſi, uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem: & quamdiu ſe cognoſcunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere ſocietatem. Nec eam, quam aliquis propria conſanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto Chriſtianorum licet, vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, D& abominabilis Deo & cunctis hominibus. Inceſtuoſos vero nullo conjugii nomine deputandos a ſanctis patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis, ſive a ceteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſiderationem, ne Chriſtianitatis bonum quod cœperant imperfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo vos dulcedine ſalutantes hortamur, ut propoſitas opportunitatis occaſiones in veſtra efficacia enixus elaborare debeatis, atque id modis quibus poſſibile fuerit, omni ſtudio agere contendatis, quatenus prædicabile deſiderium noſtrum in auxilium omnium adjuvante Domino compleatis. Nec hoc quoque in hac ſolicitudinis parte relinE quimus, quod omnes inceſtuoſi a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſunt ſeparandi, quo uſque per ſatisfactionem precibus ſacerdotum canonice eidem ſanctæ eccleſiæ catholicæ reconcilientur: *& reliqua uſque* plures conveniunt ſacerdotes? Sic & ſancta catholica & apoſtolica eccleſia, ſecundum ſanctarum tramitem ſcripturarum, prædicationemque majorum, diffinivit, quia omnis illicitus concubitus inceſtus ſit: multo magis concubitus cum propinquis, Deoque dicatis fœminis, habetur inceſtus. Qui enim vel cum Deo ſacratis, vel cum ſanguine propinquis miſcentur, inceſti, id eſt incaſti, judicantur. Tamdiu vero, ut Chriſtiana religio

& au-

& auctoritas ſanctæ eccleſiæ ſancit, conjugia inter proximos vitanda ſunt, quamdiu neceſſitudinum nomina perſeverant: quoniam nunquam Chriſtianis convenit, ut duæ aut tres neceſſitudines, ut beatus ait Auguſtinus, in homine uno fiant. Auctoritate quippe Dei ſancta eccleſia, quam ab apoſtolis ſibi traditam creditur obſervare, cui refragari fas non eſt, & mundanæ legis cenſura, nec non & ipſius naturæ honeſtiſſimo ordine perdocetur, propinquitatis conjugia uſque ultra ſeptimum gradum differenda. Unde ſanctus Auguſtinus in libris de civitate Dei dicit, ne ipſa propinquitas longius abeat, & eſſe deſiſtat, hanc matrimonii vinculo rurſus colligari, & quodammodo fugientem revocari. Iſidorus itaque de conſanguinitate ſic loquitur: Cujus ſeries ſeptem gradibus dirimitur hoc modo. Filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos, & abneptis, adnepos & adneptis, trinepos & trineptis, trinepotis filius, & trinepotis filia. Hæc conſanguinitas dum ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens uſque ad ultimum gradum ſeſe ſubtraxerit, & propinquitas eſſe deſierit, eam rurſus lex matrimonii vinculo repetit, & quodammodo revocat fugientem. Et arbor juris legis Romanæ, eccleſiaſticis concordans legibus, a præcedentibus & ſubſequentibus, dextra lævaque, uſque ultra ſeptimum gradum neminem nemini legaliter ſociari permittit: & filii, qui ex tali conjugio naſcuntur, in hæreditatem ſecundum legalem cenſuram legitime non admittuntur. Sciendum eſt etiam, quia propinqui filii vel filiæ ex parte patris agnati vocantur, ex parte autem matris cognati appellantur: & patris frater, vel ſoror, patruus & amita, patrui vel amitæ filius, patruelis, patrui vel amitæ filia, amitina, & ſic agnatio ex parte patris uſque ad ſeptimam generationem vadit. Frater matris, avunculus dicitur, ſoror matris, matertera, avunculi vel materteræ filius, conſobrinus: avunculi vel materteræ filia, conſobrina, conſobrinæ filius ſobrinus, conſobrini vel conſobrinæ filia, ſobrina, & ſic cognatio ex parte matris uſque ad ſeptimam generationem procedit. Patris pater avus, avi pater proavus, proavi pater abavus, abavi pater atavus, atavi pater tritavus, tritavi pater, pater tritavi vocatur. Matris mater avia, aviæ mater proavia, proaviæ mater abavia, abaviæ mater atavia, ataviæ mater tritavia, tritaviæ mater, mater tritaviæ dicitur. Avi frater propatruus, propatrui filius, propatruelis, & ſic ex parte avi cognatio uſque ad ſeptimam vadit generationem. Aviæ frater, major avunculus, aviæ ſoror, matertera magna, avunculi filius, proprius ſobrinus, materteræ filia propria ſobrina, inde ſobrini & ſobrinæ, & ſic uſque ad ſeptimam generationem cognatio ex parte aviæ vadit. Proinde neceſſe eſt, ut unuſquiſque fidelis hujuſmodi inceſta conjugia caveat: ne id quod licite poteſt cum aliis, illicite gerendo cum propinquis, & peccati lapſum incurrat, & apoſtolico anathemate percellatur: ſicut beatus junior papa Gregorius ante corpus beati Petri ſynodali definitione ſub anathematis vinculo hæc quæ ſequntur decrevit, dicens: Si quis presbyteram duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis diaconam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis commatrem ſpiritalem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis novercam, aut nurum ſuam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis virginem, niſi deſponſaverit, furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis ariolis, aruſpicibus, vel incantatoribus obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et ſanctum Ilerdenſe concilium decrevit, dicens: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit ut quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur. Cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet. Et hinc Toletanum concilium: Nam & hæc ſalubriter præcavenda ſancimus, nequis fidelium propinquam ſanguinis ſui, uſquequo affinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari, *& cetera, uſque* habeatur extraneus. Et venerabilis ſynodus Agathenſis hinc decrevit hoc modo: De inceſtis conjunctionibus, nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero, nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus: Si quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit: ſi quis fratris germanam uxorem accipiat: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ, ſobrinæve ſe ſociet. Quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea, quæ ſunt ante nos inſtituta, non diſſolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ conjugio polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. De his autem, qui ex hujuſmodi piaculis egerunt pœnitentiam, & eam minime ſervaverunt, S. papa Siricius ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum ſcripſit hoc modo: De his, inquiens, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint, a dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur: ut hac ſaltem diſtrictione correcti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandum eſſe cenſemus.

De pervaſione ſiquidem rerum eccleſiaſticarum, in

ANNO CHRISTI 874.

Can. 4.

1. *Cor.* 5. Concilium Toletanum II. can.

Concilium Agath. can. 61.

Siricius ep. 1. cap. 5.

Concilium apud Tuſiacum.

ANNO CHRISTI 874.

in epistola episcoporum XIV. provinciarum, a sy-nodo in Dei nomine congregata in villa Tusiaco Tullensis parochiæ Aquitanis directa, sufficienter de sacris auctoritatibus collectum habetur. De quibus quædam hic repetere non nobis est pigrum, quia experientia didicimus necessarium. Unde sanctus papa Anacletus, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea in sede Romana successor illius factus episcopus, cum totius mundi sacerdotibus judicavit: Qui abstulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater vero nostra ecclesia quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam & res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est. Item S. Urbanus papa & martyr: Res & facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradere satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. Item sanctus Lucius papa: Rerum ecclesiasticarum ac facultatum raptores, *& cetera, ut supra in concilio apud Tusiacum, usque* ambulare cum Deo tuo. His rite perpensis, quicumque vult ab excommunicationis anathemate, incestis, vel rerum ecclesiasticarum pervasoribus judicio sancti Spiritus intentato, esse immunis, eis post evangelicam commonitionem non communicet, donec separatione & pœnitentia congrua, ab hac contagione pollutionis vel sacrilegio se purificent, obaudientes apostolum, immo per apostolum loquentem Dominum: *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite*. Quam sententiam ita beatus Augustinus exponit: Duobus, inquit, modis non te maculat malus; si non consentias, & si redarguas. Quia enim parum erat non communicare, id est non consentire operibus tenebrarum, si sequeretur negligentia disciplinæ, ait apostolus, *magis autem & redarguite*, Domino item in scriptura dicente: *Anathema in medio tui: non poteris stare coram inimicis tuis*. Hæc fratres & filii, in quocumque ordine & dignitate quisque sit Christianus, ad vos ex Domini mandato dirigimus, qui de omnibus hominibus omni episcopo dicit: *Tu autem audiens nunciabis eis ex me. Ex me*, inquit, & non, Ex te. Nos enim non nostra, nec nova cudimus, vel condimus, sed vetera per sanctos veteres patres, Spiritu Dei condita vobis annunciamus. Propterea hæc sicut Domini mandata suscipite, cujus potentiæ non potestis, & voluntati atque mandato non debetis resistere, si non vultis ut vestri proprii inimici saluti vestræ obsistere. Nos autem talia vobis tacere nec possumus, nec audemus: quia Dominus nobis per prophetam dicit, quod si non annunciaverimus vobis, sanguinem vestrum de manu nostra requiret: & ab illis patribus & prædecessoribus nostris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino degradamur in cælis, si non exequimur quæ illi statuerunt regulis divinitus inspiratis: quoniam sicut beatus Leo papa sancto Spiritu inspirante dicit, subditorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Propterea si vos ab his, unde commonemini, quantocius non correxeritis, sicut illi in cælo, & nos in terra, una cum apostolicæ sedis præsule, & omni sacerdotum unanimitate, vos a Christi & fidelium ejus consortio segregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Christo & vestra salute obnixius deprecamur. Vos autem, si mandatis dominicis obedire studueritis, & vestram salutem præsentem scilicet & futuram agetis, & gloria atque corona nostra coram Domino eritis, qui de vobis reddemus illi in die judicii rationes, sicut & vos de omnibus vobis commissis rationem estis sine dubio reddituri. Quod tunc erit, si modo a diabolicis & malis operibus, atque a perversis hominibus vos segregaveritis, vindicantes contra diabolum & vitia atque peccata honorem vestrum, qui homines ad imaginem Dei facti estis. Ad hoc enim, sicut scriptum est, ut Deum timeat & mandata ejus custodiat, factus est omnis homo, propter quem factus est Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ephes. 5.

Josue 7.

Ezech. 3.

Ezech. 3.

DIFFINITIO EJUSDEM SYNODI.

De quadam monacha nomine Duda sacrilege corrupta: sed de ejusdem sceleri consentientibus Berta & Erpreda.

CAusam sceleris inter Dudam monacham, partu convincente vix tandem confessam se de Huntberto presbytero concepisse ac peperisse, & eumdem Huntbertum hoc pertinaciter sæpe denegantem, quia putat se juramento iniquitatem suam posse abscondere, jurando cum presbyteris complicibus, qui juxta quod scriptum est, umbra ejus umbram protegunt, videlicet defensione illius iniquitatis, cum de hujusmodi fuerint interpellati, suam nequitiam abscondendo se posse protegere, & inter monachas Bertam & Erpredam huic sceleri consentientes, quæ hinc interrogatæ facile dicuntur fuisse confessæ, secundum tramitem scripturarum, prædicationemque majorum, per sacras leges ac regulas, quas conjunctim multoties in decretis suis ad causas diffiniendas beatus papa Gregorius ponit, rationaliter diffiniri posse putamus.

Isai.

I.

Primum quidem attendendum est in Huntberto presbytero, de peccato manifesto se excusante, quod beatus Gregorius in regula pastorali dicit: *Ibi habuit foveam ericius*. Ericii quippe nomine impuræ mentis seseque callide defendentis duplicitas designatur: quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur; sed mox cum apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul antea videbatur. Sic nimirum, sic impuræ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim ericii cernitur, quia quo initio ad culpam peccator accesserit, videtur: pedes ericii conspiciuntur, quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur: & tamen adductis repente excusationibus impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit: caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit: & quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ jam cognoverat subito amittens, involutum intra conscientiam peccatorem tenet: & qui totum jam reprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus totum pariter

Greg. stor. cap.

igno-

ignorat. Unde neceſſe eſt, ut ex alia ſua actione quam negare non poteſt, idem Huntbertus convenia-
tur, ſicut idem ſanctus Gregorius in præfata regula docet: Nonnulla, inquiens, ſunt ſubtilia occulte perſcrutanda, ut quibuſdam ſignis erumpentibus rector in ſubditorum mente omne quod clauſum latet inveniat, & interveniente correctionis articulo ex minimis majora cognoſcat. Unde ecce ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode tibi parietem.* Ubi mox iſdem propheta ſubjunxit: *Et cum perfodiſſem parietem, apparuit oſtium unum, & dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt.* Hic notandum itaque eſt, quia prius foramen in pariete, ac deinde oſtium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonſtratur, Quia nimirum uniuſcujuſque peccati prius ſigna forinſecus, deinde janua apertæ iniquitatis oſtenditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet aperitur.

II.

Dicitur namque quod præfata Duda aſpirans ad regimen abbatiſſæ, aſcivit ſibi familiarem Huntbertum presbyterum, qui ſcribebat breviculos, quos ipſa Duda contra regulam ſuæ profeſſionis per diverſos mittebat, ut ſatagerent quatenus abbatiſſa fieret: decernente B. Benedicto, ut nullatenus liceat monachæ, neque a parentibus ſuis, neque a quoquam hominum, nec ſibi invicem literas, vel eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare, ſine præcepto abbatiſſæ. Quæ autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubjaceat. Et adeo latens malum excrevit, ut ipſe Huntbertus contra abbatiſſam, cui fidelitatem juravit, ſed & contra præpoſitum ſuum, falſos breves ſcripſerit, ut abbatiſſa depoſita, Duda regimen poſſet aſſumere. Quos breves uſque ad præſentiam & inquiſitionem regiorum miſſorum protulit, & de mendacio, ac infidelitate, ſeu perjurio, exinde in præſentia illorum revictus fuit, ac per hoc calumniatoris crimen incurrit. Unde ſacræ leges, quibus una cum ſanctis regulis ſancta moderatur eccleſia, dicunt: Calumniatores ſunt, qui falſa deferentes contra cujuſcumque innocentis perſonam, principum animos ad iracundiam commovere præſumunt, qui omnes infames effecti in exilio detrudentur. Et item: Non eſt ratio, qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur. Nec enim patimur frequentia iterari, quæ conſiſtere prima accuſatione nequiverunt, atque alienam innocentiam ſecuritatemque ſine crimine damnabili appetitione terreri. Et item: Quicumque ſcripturam in audientiam protulerit, veritatem ejus probare jubeatur: quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, ut ſcripturam prolator affirmet. Nam ſi is qui ſcripturam protulit, ejus non adſtruxerit veritatem, ut falſitatis reum eſſe retinendum. Inter decem quippe præcepta, quæ Dominus in monte Sina per famulum ſuum Moyſen Iſraelitico populo dedit, falſum teſtimonium ſpecialiter prohibuit. *Non falſum*, inquiens, *teſtimonium dices.* Hi namque, qui contra juſtitiam falſitatem opponunt, ut catholici doctores tradunt, ſimiles ſunt falſis teſtibus, qui in paſſione Chriſti falſum contra eum dixerunt teſtimonium. De falſis quoque teſtibus in libro Deuteronomii ita jubetur: *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum & judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentiſſime perſeverantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddant ei ſicut fratri ſuo* A *facere cogitavit. Et auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, & non miſereberis ejus.* De falſis quoque teſtibus Salomon ait: *Teſtis falſus non erit impunitus.* Et alibi, in ſex quæ ſe Deus odiſſe dicit, teſtem fallacem & proferentem mendacia annumerat. Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis obnoxius: primum Deo, quem pejerando contemnit: ſequenter judici, quem mentiendo fallere cupit: poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. In ſancta quoque ſua lege Dominus ſpecialiter falſum teſtimonium & perjurium atque mendacium prohibuit. Quicumque igitur unum ex his tranſgreſſus fuerit, dominici præcepti prævaricator ſine dubio exiſtit. Et de his B tribus præfatis presbyter Huntbertus convictus ante miſſos regios fuiſſe dicitur. Quapropter vocem non habet, ut ſacramento de hoc ſacrilego adulterio ſe, vel ſingulariter, vel cum ſuis complicibus, valeat expurgare: decernente hinc ſacra lege, quam probat eccleſia: In convictum reum, qui de objecti criminis veritate convincitur, ſive torqueri poſſit ſive non poſſit, judex quod ei viſum fuerit, judicabit. Et Africano decernente concilio: Quotieſcumque clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera jam non admittatur. E contra Huntbertus presbyter, qui de præfatis comprobatus dicitur atque convictus, ad ſe purgandum de objecto ſacrilego adulterio, ſicut & præcedens lex manifeſtat, non habetur idoneus.

III.

Quia vero lex dicit: Criminum diſcuſſio ibi agitanda eſt, ubi crimen admiſſum eſt: nam alibi criminum reus prohibetur audiri: & Carthaginenſe concilium dicit, ut accuſatus vel accuſator in eo loco, unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes producere, ubi cauſa finiatur. Et Africanum concilium illic jubet agitari judicium, ubi teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multa alia impedimenta adduci valeant. Et quia quæ teſtificantur adverſus eum de ſacrilego adulterio, a monaſterio rationabiliter longius abduci non poſſunt, vicarii ſynodi cum miſſis regiis ad idem accedant monaſterium, & ſubſequenti modo cauſa diffiniant.

IV.

Separentur ab invicem monachæ, & ſigillatim interrogentur, ſi forte ſuam ſententiam immutabunt, vel in eadem qua prius permanebunt ſententia. Et interrogetur Duda de temporibus, & locis, & horis, quando hoc nefarium ſcelus cum Huntberto commiſit presbytero. Et oſtendatur ei, quam graviter peccatum ſuper peccatum addet, ſi de alio aliquo concepit & peperit, & falſo Huntbertum de crimine ipſo inſimulat. Et allegetur ei, ut ſecundum profeſſionis ſuæ regulam veritatem ex corde & ore proferat: quia pura confeſſio etiam a morte liberat, & juſtificationem per indulgentiam confitenti apud Deum misericordiam impetrat, dicente ſcriptura: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut juſtificeris. Prior*, inquit, quia ſi ipſa non dixerit, diabolus in judicio coram omnibus ſanctis & peccatoribus dicet. Propterea melius illi eſt, ut hic puram confeſſionem faciat, & indulgentiam accipiat, quam in conſpectu angelorum & hominum omnium in futuro judicio confundatur, & perpetuis flammis tradatur. Et ſi puriter fuerit confeſſa, levior il-

ANNO CHRISTI 874.

Prov. 19. Prov. 6.

Interpretatio.

Cap. 97.

Concilium Carthaginenſe canone 30.

* Forte melius, miſeri cordem. Harduinus.

ANNO CHRISTI 874.

li erit pœnitentia. Deinde consentientes nequitiæ illius sorores singillatim interrogentur, & similiter de sententia sua experientia colligatur. Deinde idem presbyter securetur, quia juramento nec singulariter, nec cum aliis presbyteris, se poterit expurgare, quia vocem propter præmissa non habet, ut se idoneum reddere valeat. Et si facile ac puriter confessus fuerit, veniant simul in conspectu congregationis idem presbyter & complex illius Duda & consentientes eis, & coram omnibus singillatim confiteatur. Si autem idem presbyter negaverit, veniat coram synodi vicariis, & missis regis, ac presbyteris & clericis ipsius monasterii, & coram abbatissa & congregatione, & veniat ipsa Duda, & consentientes eis, & revincant ipsum presbyterum, computantes tempora, & loca, & horas, secundum quod de crimine conscia quæque illarum exstitit. Et si ipse presbyter se concrediderit, facilior ei erit pœnitentia; sin autem in pertinacia sua perstiterit, convincatur hoc modo.

V.

Leges dicunt: Judex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reus ipse fateatur, aut convictus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commisisse manifestius convincatur. Et item: In criminibus eruendis quæstio quidem adhibetur, sed non statim a tormentis incipiendum est. Ideoque prius argumentis quærendum: & si suspicione aliqua reus urgeatur, adhibitis tormentis de sociis & sceleribus suis confiteri compellatur. Et item: Unius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, ut ab eo primum incipiatur, qui timidior, & teneræ ætatis esse videatur. Et item: Testes prius quam de causa interrogentur, sacramento debere constringi, ut jurent nihil falsi se esse dicturos. Quia vero juratio non nisi
Matth. 6. in necessitate utenda est; ostendit Dominus: *Sit*, inquiens, *sermo vester est est, non non, quod amplius est, a malo est.* Id est, jurare cogeris; scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas utique malum est. Unde quotidie nos liberari deprecamur, cum di-
Matth. 6. cimus: *Libera nos a malo.* Ideoque non dixit: Quod amplius est, malum est, sed a malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris. Secundum quod præmissa lex dicit, super sacrosancta evangelia & cetera divina mysteria jure prius Duda, & postea illæ, quæ suo facinori consenserunt, de causa interrogata se nihil falsi esse dictura: & post juramentum, proferant testimonium adversus Huntbertum presbyterum. Post prolatum autem testimonium, quia lex dicit, quod Dominus in evangelio approbat, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: &
2. Tim. 5. apostolus ad Timotheum scribit: *Adversus presbyterum accusationes noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus*, &: *peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant*, &, ut præmisimus, leges dicunt, ut criminosus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commisisse convincatur: & sacri Nicæni canones diffiniunt, ut si aliquod delictum animæ circa personam neophyti episcopi reperiatur, & a duobus vel tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat: vel confessus, vel convictus Huntbertus presbyter, tribus testibus criminis sui consciis, auctoritate sacrarum legum ac regularum, synodali judicio a vicariis synodi deponatur, & per missos regios in longinquam terram ac perpetuum exilium, juxta imperatorum & regum antiquas & consuetudinarias leges deducatur & aliquo monasterio ipsius exilii sub pœnitentia retrudatur, laica tantum sibi communione servata. De hujusmodi enim degradatione sanctus Innocentius decrevit, dicens: Eos qui talia perpetrasse dicuntur, jubebitis in medio collocari, discussisque objectionibus, quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio, quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur a ministerio, quod vivendo illicite polluerunt. De perpetuo namque exilio in longinqua terra, & sacræ leges, & epistolæ Leonis atque Gregorii ostendunt, quia longius a loco, quem fœce suæ iniquitatis infecit, amoveri debeat & abduci. De retrudendo autem eo in monasterio sanctus Leo decrevit dicens: Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo?* Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Et sanctus Gregorius ad Sabinianum episcopum: Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse cognoscas, sed in monasterio sub pœnitentia retrudatur. Et canones Neocæsarienses: Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. De non excommunicando autem eo a communione corporis & sanguinis Christi, item canones dicunt: Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur: non tamen communione privetur. Dicit enim scriptura: *Non judicabit Dominus bis in idipsum.*

VI.

De Duda siquidem monacha sacrilege corrupta sanctus Siricius ad Himerium diffinivit, dicens: Præterea monachorum quosdam atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint: quas & publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu, ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere: ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subveniri. Et hinc sanctus Innocentius: Quæ Christo spiritaliter nubunt, & a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo coruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est,

quæ

quæ antea se immortali sponso conjunxerat, & A judicio tribus annis immoretur, & abbatissa soli-
ANNO CHRISTI 874. postea ad humanas nuptias transmigravit? Et sanctus Leo: Propositum monachi, proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, aut honestum potest esse conjugium, electionem meliorum deseruisse, transgressio est. Et sanctus Gelasius: Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere, quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: B aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

citudinem de illius pœnitentia & consolatione secundum capitulum XXVII. regulæ diligenter adhibeat. Et alios tres annos, secundum capitulum XLIX. regulæ, sororibus in oratione communicet, non tamen in choro cum sororibus, sed retro ostium stans vel orans, secundum canones sacros, sive in loco constituto sibi a matre monasterii, ut ab omnibus possit videri, sicut & regula de ea dicit, quæ tarde ad divinum officium, eam stare & satisfacere * jubet. Septimum vero annum, secundum cap. XXIX. regulæ, in ultimo loco degens, in oblatione sororibus secundum canones sacros communicet. Et post septem annos communionem corporis & sanguinis Christi, si pœnituerit digne, percipiat; de cetero usque ad ultimum vitæ suæ finem permanens in omni regulari subjectione. Et sicut ipsa regula dicit, præterita peccata sua cum lacrymis vel gemitu quotidie Domino in oratione confiteatur, reducens ante oculos quantos gemitus in partu habuit, quem cum delectatione concepit, & quanta suspiria etiam ante partum emisit, timens deprehendi, sicut & est deprehensa: & hos gemitus, atque suspiria, seu profusas lacrymas emittat in sceleris pœnitentia, de qua dicit psalmus: *Ibi dolores ut parturientis. Ibi*, id est, in contri- *Psal. 47.* ti cordis pœnitentia, sunt dolores ut parturientis. Dolor enim pœnitentis, quasi dolor est parturientis: quia confitendo in oratione cum gemitu ac C fletibus a se emittit, quod male ac voluptuose in voluntate concepit. Hinc & alius psalmus dicit: *Introite portas ejus in confessione, atria ejus in* *Psal. 99.* *hymnis: confitemini illi.* Cum peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ portas ingredimur. Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ in atria in confessione laudis intramus. Quia ibi jam in angusta via non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis assumpserit. Propter quam confessionis nostræ angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam por-* *Matth. 7.* *tam.* Et cum se psalmista recipi in latitudine gaudii æterni præsumeret, dicebat: *Statuisti in* *Psal. 30.* *loco spatioso pedes meos.* Quapropter providendum est his qui peccata suorum operum deplorant, D ut consummata mala perfecta diluant lamentatione, ne plus astringantur in debito perpetrati operis, & minus solvant in fletibus satisfactionis, sicut scriptum est. *Potum dedit nobis in la-* *Psal. 79.* *crymis in mensura*, ut videlicet uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lacrymas; quantum suo a Deo meminit aruisse per culpas. Debet ergo majorem in se quisque severitatem exercere, ut a seipso judicatus peccator, vel judicata peccatrix, non judicetur a Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, si ascenderit homo adversum se tribunal mentis suæ, & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori. At- E que ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, * justa ratio, *f. judex* carnifex timor: deinde sanguis animæ continentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum vel indignam peccator sive peccatrix judicet participatione corporis & sanguinis Domini. Versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse vel ipsa non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Servatis quoque, quantum humana fragilitas patitur, regula-

VII.

Hæc a sanctis canonibus, antequam sanctus Spiritus per B. Benedictum eodem spiritu, quo & sacri canones conditi sunt, regulam monachorum ediderit, de hujusmodi sunt decreta: sicut & ea quæ sancti Ambrosius & Hieronymus de lapsu virginis Deo sacratæ, & B. Augustinus de sancta virginitate & lapsu monachi scripserunt. Quæ Dudæ attentius & sæpius sunt relegenda, ut intelligat quantam dignitatem amiserit, & ad quantam vilitatem devenerit, unde exciderit, & quo ceciderit: & agat pœnitentiam cum fletus & abjectionis humilitate quamdiu vixerit. Quæ C pœnitentia sit illi, ut scriptum est, in velamentum oculorum, memoreturque se deprehensam. Et cum sermonem beati Augustini de lapsu monachi legerit, sciat se, licet imparem sexu, parem professione: & quæ de monacho dicit, de se monacha dictum intelligat. Ceterum quoniam eadem regula, sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati papæ Gregorii inter canonicas scripturas, & catholicorum doctorum scripta, est teneri decreta: sæpefata Duda sacrilego adulterio corrupta, secundum eamdem regulam ea temperantia, ut cum sacris canonibus judicium regulare conveniat, est judicanda. Quia monachus, vel monacha, juxta eamdem regulam collum non excutit de subjugo regulæ, si quod con D tra regulam commisit, per regularia judicia suæ professionis studuerit emendare. Quapropter, quia multis modis ipsa Duda contra regulam admisit, pro quibus graviori vindicta, vel virgarum castigatione castigari, sicut actiones illius produnt, & qui regulam norunt intelligunt, (quæ hic omnia inferere superfluum duximus) jubetur, coram abbatissa sua, vel sororibus, ut ceteræ metum habeant, nudo dorso, remota virorum præsentia, virgis flagelletur, si se humiliaverit, cum misericordia, sicut scriptum est: *Corripiet me justus in misericordia:* ut caro quæ delectabiliter illam traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, & sanguine carnis virgis elicito, sanguinem animæ, videlicet profusas lacrymas, flagel- E lo producat a mente. Si autem durior fuerit faciat abbatissa secundum caput regulæ, incerte scriptum est: Improbas, inquiens, & duras, & superbas, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: *Stulta verbis non corrigitur*: & iterum: *Percute filiam tuam virga, & liberabis animam ejus a morte.* Et quia sacri canones hujusmodi pœnitentia publica jubent mulctari, secundum capitulum XXV. regulæ, quod sententiæ Pauli apostoli, & canonum diffinitioni concordat, judicium pro gravi culpa suscipiat. In quo

ribus

ANNO CHRISTI 874.

——ribus XI. gradibus * humiliatis, juxta XII. gradum corpore humiliatam videntibus se semper indicet, id est, in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque, sedens, orans, & ambulans vel stans inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, ream se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio repræsentari existimet, dicens ibi in corde semper illud quod publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine non sum digna ego peccatrix levare oculos meos ad cælum. Et item cum propheta: *Incurvata sum; & humiliata sum usquequaque*. Imitans meretricem mulierem pedes Domini lacrymis rigantem, & capillis sui tergentem, & unguento ungentem: cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Gestet denique incessanter fœtorem luxuriæ in naribus mentis suæ, & depictum sacrilegium Deo dicati corporis sui, & incestum adulterium a se commissum, quæ Christo spiritaliter nupsit, in corde suo dicens cum lactymis ex visceribus intimis: *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. Et increpante se rea conscientia dicat, peccavi Domino, ut transferat Dominus peccatum suum, & non moriatur in æternum. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, & allevat omnes qui corruunt: & erigit omnes elisos. Post lacrymas quoque tam nocturnas, quam diurnas, non ad inanem lætitiam, vel mortiferam tristitiam, seu pravas & turpes cogitationes cor suum redire permittat & lucrum compunctionis per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sed quotiescumque turpes & fluxæ cogitationes illi subrepserint, signet frontem suam & cor suum signo crucis Christi, petens ut crucifixa mundi salus crucifigat carnem suam & mentem suam cum vitiis & concupiscentiis, & assidue illi in memoria maneat, quod sancta fœmina Anna ideo obtinere meruit quod popposcit, quia se post lacrymas in eodem mentis vigore servavit. De qua nimirum scriptum est: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati*. Quia igitur non est oblita quæ petiit, non est privata munere quod popposcit. Et in his omnibus secundum sacros Nicænos canones propositum & speciem pœnitentiæ in ea convenit explorari. Si autem antea infirmaverit, & desperata fuerit, viatico munere non privetur. Et si convaluerit post communionem, sit inter eas quæ communionem orationis tantummodo consequuntur, usquedum decreto modo præfixos compleat annos. Meminerit autem abbatissa secundum cap. LXIV. regulæ, calamum quassatum non conterendum, & ne quid nimis: ne dum cupit eradere æruginem, frangatur vas, suamque fragilitatem semper suspecta sit. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed prudenter, & cum caritate ea amputet, prout viderit cuique expedire.

humilitatis, *Luc. 18.* *Psal. 118.* *Psal. 50.* *Reg. IX.*

VIII.

Sicut est discretio in peccatis peccantium, & in medela eorum, ita est discretio in correctione peccantium, & in manifestatione ac medela peccatorum peccantium. De quibus omnibus ne prolixior sermo legentibus sit onerosus, de his tantum quæ ad hoc unde agitur pertinent, succincte dicamus. Beatus gratia & nomine Benedictus A sancto Spiritu inspiratus, consona sacris scriptu— ris, & aliorum orthodoxorum patrum prædicationibus, in regula sua dicit: Si quis in labore quovis, vel in quocumque loco aliquid excesserit, & non veniens continuo ante abbatem vel congregationem ipse ultro satisfecerit, vel prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere & publicare. Quæ & in monacharum cœnobiis erga sui sexus spirituales monasterii matres oportet monachas observare. Ceterum omnes tam clerici, quam laici, vel feminæ confitentes secreta B confessione sacerdotibus peccata sua, & ea dignæ pœnitentiæ satisfactione deflentes, nequaquam sunt prodendi, & peccata eorum nulli a sacerdote quacumque sunt significatione manifestanda, nisi soli Domino in secreta oratione, pro quibus sicuti & pro suis jugiter intercedat peccatis. De peccatis vero, quæ frater in fratrem admiserit, evangelicum documentum est prorsus sequendum, quo dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum*, & reliqua usque dum dicit, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Quod autem conscii alienorum peccatorum, nisi aut ea correxerint, aut emendationis gratia his quorum interest manifestaverint, in discrimen adducantur, sancta scriptura tam veteris C quam novi testamenti demonstrat, dicens in Levitico per Moysen; *Si peccaverit*, inquit Dominus, *anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse viderit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem ejus*, sine dubio qui aut egit aliquid, aut juravit quod non debuit. Hoc etiam, ut majores nostri exponunt, juxta historiam nos ædificat, & docet ne unquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec consensum malum agentibus præbeamus. Consensum autem, non solum pariter augendo, sed etiam quæ illicite gesta sunt reticendo, quæ secundum evangelicam regulam manifestare debemus. Hinc & Paulus apostolus dicit: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite*. Quam sententiam ita B. Augustinus exponit: Duobus, inquiens, modis non te maculat malus: si non consentias, & si redarguas: hoc est non communicare, non consentire. Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, addidit: *Magis autem & redarguite*. Unde sciendum est, sicut catholica tenet ecclesia, quod si quis ea videt in delicto proximi, vel proximæ suæ, & non indicet secundum regulam superius dictam, vel in testimonium vocatus, vel vocata, non quæ vera sunt dixerit, peccatum quod commisit ille vel illa, quem aut quam celat, ipse vel ipsa suscipiet, & pœna commissi revolvetur ad conscium, vel ad conscias, protestante sancto Spiritu per psalmistam: *Videbas*, inquit, *furem & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*, Et per apostolum: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus mala, digni sunt morte*. Quapropter Berta & Erpreda conscientes tantæ nequitiæ, non indicantes eam, juxta libri Levitici, & evangelii, & apostolicæ doctrinæ regulam, ac per hoc peccatum committentium suscipientes, quarum gravioris lepræ immunditia, sicut & Dudæ, in apertum prorupta, juxta legis præceptum sacerdotali est purificanda judicio, post mensuratam virgarum castigationem, quia interrogatæ dicuntur facile fuis-

Eph. *Psal.* *Rom.*

se

se confessæ, per tres annos & dimidium prætaxato Dudæ modo pœniteant. Quæ si infirmaverint, prætaxato modo viaticum munus suscipiant, & si convaluerint, ordine præfinito ad perfectionem restitutionis perveniant, & usque ad finem vitæ suæ, sicut de Duda scripsimus, in omni subjectione & humilitate regulari, & confessione peccatorum suorum permaneant. Debuerant enim & Duda, & ejus sceleri consentientes, duplicem annorum numerum in pœnitentia duplicare, quia & monacha cum presbytero sacrilego adulterio consenserunt. Sed quia & sexus est fragilis, & apostolus dicit: *Ne abundantiori tristitia quæ hujusmodi sunt absorbeantur*, & patrum est decreta sententia, quoniam apud Deum non est tam mensura temporis, quam doloris, nec abstinentia ciborum, quam mortificatio vitiorum: credimus per hanc pœnitentiam, si tamen districte ac digne illam egerint, eas Domino satisfacere posse, cujus misericordiæ, ut Leo scripsit, nec modum possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per prophetam: *Mox ut ingemueris salvus eris*, &: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*, quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Sed & plagæ virgarum illis tempus pœnitendi usque ad communionis restitutionem abbreviant, quia sicut scriptum est: *Livor vulneris abstergit mala, & plagæ in secretioribus ventris*. Mala, inquit Gregorius, livor vulneris abstergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit, quia cum exterius percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictione revocamur, atque ante oculos nostros cuncta, quæ a nobis sunt male gesta, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Unde fit ut inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreti ventris, id est mentis: quia sanat nequitias pravi operis occultum vulnus doloris. Hoc medicamentum pœnitentiæ diversis modis conjectatum, quasi antidotum ex diversis pigmentis, contra venena diaboli, id est peccata, ex sanctis scripturis, & canonum ac regulæ sancti Benedicti constitutionibus, & orthodoxorum prædicationibus confectum, pro modulo nostro industriam patrum sequentes, quoniam, ut dicit Gregorius, ars artium est regimen animarum, non præjudicantes majorum statutis, condidimus: quatenus & ærugo eradatur, & vascula non frangantur, & juxta veritatis vocem calami quassati non conterantur, & quæ confracta sunt alligentur, & quæ diaboli suggestione, & propria fragilitate abjecta sunt, per pœnitentiæ satisfactionem ad finum matris ecclesiæ reducantur.

ANNO CHRISTI 874.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Duziacense* II.) In codice S. Laurentii Leodiensis, cui synodum hanc debemus, epistolæ synodicæ titulus est hujusmodi: *Epistola synodica episcoporum plurimarum provinciarum apud Duziacum Rhemensis parochiæ congregatorum, anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXIV. *indictione* VII. *Idibus Junii, ad episcopos provinciarum Aquitaniæ regionis, de inceptis conjunctionibus a quampluribus, & maxime carne nobilibus viris, ibidem perpetratis, & de rerum ecclesiasticarum pervasionibus*. Generale placitum Idibus Junii hoc anno a Carolo rege in villa Duzia celebratum auctor est Aimoinus lib. v. cap. XXXI.

CONCILIUM RAVENNENSE,

In quo a Joanne PP. VIII. controversia Gradensis patriarchæ, & ducis Venetiarum, definita anno Dom. DCCC. LXXIV.

De hoc concilio sic Rubeus lib. V. Ravennat. histor. Hadriano paulo post mortuo Joannes VIII. suffectus est, qui Ravennam profectus, anno octingentesimo septuagesimo quarto, septuaginta episcoporum conventum egit. In eo lis inter Ursum ducem Venetiarum, & Petrum patriarcham Gradensem, composita est. Nam Senatore episcopo Torcellano mortuo, Petrus patriarcha confirmare consecrareque Dominicum, Leonis Caloprini filium, abnuerat, monasterii Altinatis abbatem, quia sibi virilia succidisset. Itaque Petrus a duce eam ob rem perterritus, Dcontenderat Romam, & causam a pontifice cognosci ac definiri postulabat. Pontifice autem Ravennatem profectionem ineunte, una secum Ravennam venit: quo etiam accessit Hendelmarius Aquilejensis patriarcha, & Leo Caprulensis episcopus, ceterisque ejusdem provinciæ episcopi, Ravennam advocati. Qui tamen, quoniam advenere confecto jam conventu, communione privati sunt. Quanquam haud ita diu post Ducis precibus restituuntur. Ecclesiæ Torcellanæ bona Dominico tamen permissa.

SYNODUS RHEMENSIS.

Anno Christi DCCCLXXIV.

Extat inter Hincmari Rhemensis Capitula tomo XVI. pag. 493. & seqq.

CON-

ANNO CHRISTI 875.

*CONVENTUS CABILONENSIS.

ANNO CHRISTI DCCCLXXV.

*Edidit R. P. Petrus Franciſcus Chifflerius in hiſtoria monaſterii Tornutienſis.

Quo poſt Adalgiſi Æduorum Epiſcopi ordinationem confirmata ſunt ab epiſcopis quæ ad monaſterium Tornutienſe pertinebant.

ANno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXV. regnante piiſſimo rege Caroło, filio Hludovvici quondam ſereniſſimi Auguſti, anno XXXVI. factus eſt in ſuburbio Cabilonenſi, S. Marcello, conventus venerabilium epiſcoporum, Remigio, Hiſaac, Gerbaldo, & Fulcualdo archidiacono ad vicem Lamberti Matiſconenſis epiſcopi: Cauſa ordinationis Adalgerii Eduorum epiſcopi. Qua canonice peracta, reſidentibus nobis, idem Adalgerius ex parte glorioſiſſimi & orthodoxi ſupradicti Caroli regis intulit, ut monaſterium Tornutium, ubi beatus Valerianus martyr corpore quieſcit, in comitatu Cabilonenſi, ſuper fluvium Sagonnam, cum omnibus appendiciis ſuis: & in pago Matiſconenſi cellam S. Romani, cum omnibus appendiciis ſuis; & in comitatu Arvernico, cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis ſuis, quæ ipſe ſolita pietate, cauſa confugii, monachis ſanctæ & intemeratæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Filiberti inclyti confeſſoris, ob vitandam Marchomannicam ſeveritatem contulerat: ſive quæ ipſe per alia loca, id eſt, Aſinarias quæ eſt in pago Sanctonico, cum omni ſua integritate: & in Pictavienſi territorio, cellam S. Prudentii cum omni ſua integritate: & in pago Cenomannico, Buſſiolium, cum omni ſua integritate: & in pago Valagio, cellam quæ vocatur Godet, quam Deſiderius quidam vir pro remedio animæ ſuæ ſupradictis ſanctis dederat, ut in monachorum uſibus, & pauperum neceſſitatibus ſemper deſervirent: privilegio noſtræ auctoritatis (ne ab aliquo tyrannica ereptione tolleretur) illis confirmaremus, cum omnibus ad ſupradicta loca pertinentibus: ſive quæ ipſe per quæcumque loca præcepto ſuo, aut aliquis fidelium dederat; vel ſi Deo propitiante in reliquum ipſe aut quicumque daturus fuerit. Quod decreti noſtri ſcriptum apoſtolica poteſtas excellentia ſuæ auctoritatis roborare valeret. Cujus piiſſimo mandato eo libentius ceſſimus, quo etiam nos idipſum precaturos proſpeximus amplius. Auctoritate ergo, quam a Chriſto Jeſu Domino noſtro ſummo ſacerdote in B. Petro accepimus, prædictum monaſterium cum omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili abbati ſanctæ genitricis Dei, & ſupradictis ſanctis, futuriſque poſt eum abbatibus, ad monaſticum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus, & delegantes jubente domno noſtro piiſſimo rege, inviolabiliter & inſeparabiliter, ſine detractione, vel qualibet minoratione perpetualiter confirmamus. Abbates vero ex ſeipſis ſecundum regulam ſancti Benedicti, ſicut a piiſſimo domino noſtro rege Carolo glorioſiſſimo, & præceſſoribus ejus uſque nunc licentiam habuerunt, ita & in antea ut perpetualiter eligant, inviolabiliter decernimus. Si quis autem temeraria præſumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei æterna & noſtra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præſumpſerit, æterna ſe ſciens damnatione mulctandum, a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ habeatur extorris, quoad uſque ab illicita præſumptione reſipiſcens, condigna pœnitentia & emendatione iram omnipotentis Dei, quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque ſanctionum evidentiſſimam confirmationem, manibus ſacrorum præſentium pontificum, ſubternotatam, abſentium quoque conſacerdotum nec minus idoneis ſtipulationibus, per Chriſtum & in Chriſto fulciri poſtulamus.

Remigius Lugdunenſis eccleſiæ humilis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Adalgarius Æduenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Iſaac Lingonenſis eccleſ. humilis epiſc. ſubſcr.

Gerbardus Cabilonenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Ado Viennenſium eccl. humil. archiep. ſubſcripſi.

Theodoricus Veſoncionenſis eccleſiæ humilis atchiepiſcopus ſubſcripſi.

Frotarius Burdegalenſis archiepiſcopus ſubſcr.

Hincmarus Remorum epiſcopus ſubſcr.

Gislebertus * C. ſubſcripſi. * Hoc nomen Pont.

Anſegiſus Senonum epiſcopus ſubſcr.

Sigeboldus primæ Narbonenſis humil. ep. ſubſcripſi.

Aurelianus exiguus archiepiſcopus Lugdunenſis in Chriſti nomine roboravi.

Lambertus Matiſconenſis eccl. humil. ep. ſubſc.

Ratbertus Valenciæ eccleſiæ ac ſi indignus epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Gibertus Nemauſenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Bernarius Gratianopolitanus humil. epiſc. ſubſcripſi.

Theotarius eccl. Gerundenſis humil. ep. ſubſcripſi.

VVido Vellavorum epiſcopus ſubſc.

Frodoinus Barchinonenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Aganulfus Gabalenſis epiſcopus ſubſc.

Guilhelmus Cadurcenſis epiſcopus ſubſcr.

Abbo eccl. Magdalonenſis * exilis ep. ſubſcr. * lege Iouen.

Rodſteignus ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ, conſenſi & ſubſcripſi.

Etherius humilis Albienſium ſeu Vivarenſium epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

* ſanctæ eccl. Maſſilienſis ep. conſenſi & ſubſcripſi.

VValterus Aurelianenſis eccl. epiſc. ſubſcripſi.

Adaboldus archiepiſc. Turonenſis eccl. ſubſc.

Berno humilis Catalaunenſis epiſc. ſubſcripſi.

Hildebodus ſanctæ Sueſſonicæ eccl. ep. ſubſc.

Batfridus Avinianenſium præſul infimus aſſenſum præbui & ſubſcripſi.

Aurelius Dienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ottulfus ſanctæ Auguſtæ * Tricorum eccl. ſubſcripſi. * Hoc caſtiu

Geroldus ſanctæ Ambanienſis eccl. ſubſcr.

Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcoporum minimus corroboravi.

Hedenulfus Lugduni Clavati epiſc. ſubſcr.

Joannes Camaracenſis epiſcopus ſubſcr.

Raganelmus Tornacenſis eccleſ. epiſc. ſubſc.

Hildebertus Silvanectenſis eccl. epiſc. ſubſcr.

Ala-

Alaricus exilis omnium ſervorum, Biterrenſis epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Abbo Nevernenſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.

Agilmarus humilis Arvernenſium præſul, ſubſcripſi.

Ingilvvinus Pariſiacæ eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Guido Lugdunenſis eccl. humil. archiep. ſubſcripſi.

Ericus Lingonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Rotbundus Edunenſis epiſcopus ſubſcr.

Ildeboldus Cabilonenſis epiſc. ſubſc.

* *Joannis VIII. papæ confirmatio altera eorumdem bonorum monaſterii Tornutienſis facta anno* 878. *die* 29. *Aprilis cum ſubſcriptionibus plurium epiſcoporum.*

ANno dominicæ incarnationis DCCCLXXVIII. indictione undecima, regnante piiſſimo atque glorioſiſſimo rege Hludovico, Caroli filio ſereniſſimi Auguſti, auxiliante Domino noſtro, in honorem ejuſdem Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, atque prædictus filius noſter glorioſus rex Hludovicus, conſtituimus conventum venerabilium archiepiſcoporum, necnon & præſulum totius regni Trecas civitate: quo interfuit memoratus rex piiſſimus: eoque peracto precatus eſt nos cum filiis & fratribus noſtris epiſcopis jamdictus glorioſus imperator, ut Tornutium monaſterium, quod fundatum eſt in comitatu Cabilonenſi ſuper Sagonnam Fluvium, ubi martyr Chriſti Valerianus corpore quieſcit, quod dudum pater ejus Carolus imperator, vel ipſe poſtmodum per præceptorum ſeriem, monachis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Philiberti inclyti confeſſoris, præſentibus & futuris, ob vitandam Marcomannicam ſeveritatem contulerant; cum omnibus rebus ad ipſum locum aſpicientibus, privilegio noſtræ auctoritatis corroboraremus. Cujus piiſſimo mandato eo libentius ceſſimus, quo etiam nos idipſum precaturos perſpeximus amplius. Igitur privilegio noſtræ auctoritatis confirmamus eis omnia, quemadmodum in præceptis glorioſiſſimorum imperatorum ſunt inſerta, id eſt, prædictum locum, & omnes res ei adjacentes, cum omni libertate. Et in comitatu Arvernico cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis. In pago quoque Sanctonico, Aſinarias cum omni ſua integritate. Et in Pictavienſi territorio cellam S. Prudentii, cum omnibus rebus adjacentibus. Et in pago Andegavenſi, Cunaldum cum omni integritate. In pago vero Cennomanico, Buſſiolium cum omnibus appendiciis. Et in pago Vallaico, cellam quæ vocatur Godditus, cum omnibus rebus ad ſe pertinentibus. Itaque in partes Burgundiæ, in pago Lugdunenſi, Biſiacum villam cum eccleſia. Et in pago Matiſconenſi, cellam S. Romani, & Olcaſiacum villam cum eccleſia, & omnibus appendiciis. Verum quia ob vitandam perſecutionem Nortmannorum, Geilo-ni inclyto abbati, monachiſque præſentibus & futuris, prædictum locum glorioſus rex, necne pater ejus contulerant, & pontificalis calliditas nimis eumdem locum ſubegerat, poſtulavit iſdem rex ut tam larga eleemoſyna, immunis atque libera haberetur ab omni pontificali potentia, noſtra annuente clementia. Cujus petitionibus favens omnis epiſcopalis conventus, abnegare nequivimus quod tam pie poſtulabat imperator glorioſiſſimus. Auctoritate ergo quam in Chriſto Jeſu Domino noſtro ſummo ſacerdote in B. Petro accepimus, prædictum monaſterium cum omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili abbati ſanctæ genitricis Dei, & ſupradictis ſanctis futuriſque poſt eum abbatibus ad monaſticum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus, & delegantes jubente filio noſtro piiſſimo rege, inviolabiliter & inſeparabiliter ſine diſtractione aut immutatione vel qualibet minoratione perpetualiter confirmamus. Anathematizamus igitur auctoritate B. Petri apoſtoli & noſtra, ut nemo antiſtitum præſentium vel futurorum, locum adire præſumat, qualibet occaſione excommunicationis, vel abſolutionis, ſeu ſacræ ordinationis; niſi ab abbate vel monachis loci fidelibus fuerit invitatus. Quia injuſtum decernimus, ut glorioſa mundi regina, quæ exaltata eſt ſuper choros Angelorum, humanis ſubdatur poteſtatibus. Ceterum ab omni ſæculari potentia locum decernimus eſſe liberum & quietum: & ut caput habeatur omnium quæ præſcriptis ſanctis, vel loco oblata ſunt, ac deinceps oblatum annuente Deo fuerit, ut in regum reperitur præceptis. Si quis autem temeraria præſumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei & noſtra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præſumpſerit, æterna ſe ſciat damnatione mulctandum, & cum diabolo & angelis ejus perpetuo incendio cremandum: a liminibus quoque ſanctæ Dei eccleſiæ habeatur extorris, quouſque ab illicita præſumptione reſipiſcens, condigna pœnitentia & emendatione, iram omnipotentis Dei quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque ſanctionum evidentiſſimam confirmationem, manibus ſacrorum præſentium pontificum ſubnotavi, abſentium quoque conſacerdotum nec minus idoneis ſtipulationibus, per Chriſtum & in Chriſto fulciri poſtulamus.

Hincmarus Remorum epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.

Anſegiſus epiſcopus Senonenſis.

Ottuiſus epiſcopus. Giſſibertus epiſcopus. Hildibaldus epiſcopus. Berno epiſcopus. Geraldus epiſcopus. Hincmarus epiſcopus Laudunenſis. Edenulfus epiſcopus. Joannes epiſcopus. Raganulfus epiſcopus. Adalardus archiepiſcopus. Alericus epiſcopus. Abbo epiſc. Agilmarus epiſcop. Ingilvvinus epiſcopus. Acfredus epiſcopus.

Datum III. Kalendas Maji, per manum Chriſtiſori primicerii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ, imperante piiſſimo Ludovico.

ANNO CHRISTI 875.

CON-

ANNO CHRISTI 875. Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1083.

CONCILIUM ROMANUM.

In quo de eligendo Carolo Calvo ad imperium deliberatum eſt.

Anno 875.

LUdovico Auguſto fatis jam functo, Joannes VIII. pontifex de aſſumendo ad imperium Carolo Calvo, cujus ope contra irruptiones Saracenorum indigebat, cogitare cœpit. Quare per literas illum invitavit, ut Romam imperiale diadema ſuſcepturus veniret. Secundum hæc, in frequenti epiſcoporum concilio rem totam propoſuit, ſimulque cum patribus illis ſtatuit, ut quoaduſque Carolus imperialis conſecrationis cauſa abfuiſſet, moneretur Ludovicus Germaniæ rex, ejuſque filii, ne quid in hæreditatem defuncti imperatoris Caroli incommodum tentarent. Ita viſum ab omnibus, cujus ſanctionis auctoritate, Carolo jam Romæ agente & ad imperium aſſumpto, expeditæ ſunt ea de re literæ Joannis ad Ludovicum, & epiſcopos in regno ejus conſtitutos, quæ extant inter epiſtolas Joannis Labbeanas num. 315. 318. & 319. Concilii hujus, quod fugiſſe collectores admiror, mentio perſpicua extat in altera editione concilii Pontigonenſis, quam exhibet Labbeus tom. XI. pag. 289. Venet. edit. Hæc enim ibi: *Congregata igitur in urbe Roma ſancta ſynodo ante adventum prædicti Domini imperatoris &c.*

* Prætermiſſam a regio collectore ex pag. 599. III. tomi Conciliorum Galliæ R. P Sirmondi reſtituimus.

*ODONIS EPISCOPI BELLOVACENSIS.

INSTITUTIO.

De rebus eccleſiæ S. Petri congregationi deſtinatis; & de quinquagenario in ea numero canonicorum.

ODo gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti Bellovacenſis eccleſiæ præſul. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, maximeque ſucceſſoribus noſtris, quoniam unanimis congregatio, pariſque voto, ſcilicet canonici S. Petri jam fatæ eccleſiæ, cui Deo auctore deſervio, expetiit noſtram obnixe liberalitatem, quatenus res ſibi a noſtris prædeceſſoribus juxta confinia ſingularum conceſſas, pariterque noſtra ſibi ſolidatione firmatas, canonice, juxta aliarum morem eccleſiarum, dono liberalitatis, regiſque præcepto, abſque ullius contradictione quietis, conceſſa diſponerem. Enimvero videns excedere hujuſmodi negotium meæ ſolummodo diffinitionis vires, pariterque gratia ſuperni conſilii præeunte providens jam dictæ congregationi ſibi profutura quærere, & illis ſuper hoc aſſenſum præbendo, timens ne ovilia dominici gregis, quod abſit, tyrannica irrumperentur aliquando infeſtatione, expetii conſilium tam metropolitanæ Remorum provinciæ Hincmari, quam ceterorum venerabilium videlicet archiepiſcoporum, ſeu coepiſcoporum meorum, ut quorum ſanctione eccleſiaſtica pertractantur negotia, eorum taxatio, inſpirante gratia ſuperni numinis, mihi noſtræque eccleſiæ utile afferret ac ſalubre proventum. Quorumque conſultu adii piiſſimi Caroli regis ſerenitatem, ut ſolita miſericordia ſua, ſicut omnibus ubique ſupernæ majeſtati famulantibus, ita huic eccleſiæ mihi, nullis præcedentibus meritis, ad regendum commiſſæ profutura quiete prævideret, cum præceptione ſolidæ firmitatis. Ille vero, gratuita ſua clementia precibus noſtris pium præbens aſſenſum, decrevit ordinatiſſima ſua auctoritate ſtabile fore, quod noſtra etiam prævidit benevolentia. Unde neceſſitatibus jam dictæ noſtræ congregationis deſtinamus canonica inſtitutione villulas infra ſcriptas in pago Bellovacenſe, cum omnibus adjacentiis ad ſe pertinentibus, nec non & cum omnibus habitatoribus ad ſe legitime pertinentibus. Hoc eſt, Burcinas, Pretioſas, Velena, Haverciaco, Frotmaro-Curte, Hilgia, Cambariaco. In Ballicino valle de vinea Bunnar. IV. & arpennum I. In ſuburbio noſtræ civitatis molendina duo & cambas II. & hortos cultos II. & curticulos X. pratum unum. Precariam ubi ſunt manſi XXIV. S. quam Sigebertus tenet cum cenſu. Obſecrantes ut nullus ſucceſſorum noſtrorum, quod Deo auctore a nobis conſtitutum eſt, exinde aliquid minuendo ſubtrahat, nec ſuis propriis, ſuorumque uſibus aliquid impertiatur. Sed hæc, quæ divino amore & animarum ſalute patravimus, inconcuſſa obſervent, æqualem & unam nobiſcum a Domino mercedem ſperantes. Numerus vero canonicorum inibi degentium volumus, atque expreſſe conſolidari nitimur, niſi res addantur, unde facultas ſubminiſtretur, non tranſcendat quantitatem quinquagenarii numeri. Verum & cum quilibet divina vocatione deceſſerit, alius ſubrogetur, ne præfatus numerus minuatur. Et ut etiam noſtræ devotionis auctoritas firmiorem obtineat vigorem, non ſolum præcepti magni & piiſſimi Caroli regis, verum etiam dominorum patrum, venerabiliumque coepiſcoporum meorum, quorum conſenſu iſta peregimus, canonica auctoritate roborare obnixe decrevimus.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Rhemorum arch epiſcopus ſubſcripſi.

Anſegiſus Senonum archiepiſcopus ſubſc.

VVenilo Rotomagenſium archiepiſc. ſubſcr.

Hrothadus Sueſſonicæ eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Immo Noviomagenſis eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Lupus Catalaunicæ civitatis epiſc. ſubſcr.

Folcoinus civitatis Morinenſis epiſc. ſubſcr.

Theodericus eccleſiæ Cameracenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ragenarius eccleſiæ Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Erpoinus Silvanectenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Datum in ipſis Kalendis Martiis in civitate Sueſſionis, ante altare ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, anno XXXV. regni Domni Caroli regis glorioſi, qui hoc privilegium ſua pietate conſenſit, & regia auctoritate roboravit, indictione VIII.

ANNO CHRISTI 876.

SYNODUS TICINENSIS,

QUA IMPERIUM CAROLO COLLATUM

Confirmatur anno Domini DCCCLXXVI. tempore Joannis papæ VIII. indictione IX. menſe Februario.

Hæc ſynodus inſerta eſt concilio Pontigonenſi ſequenti, ubi confirmata fuit.

DECRETUM CLERI LAUDUNENSIS

DE HEDENULFO ELECTO EPISCOPO.

Domino reverentiſſimo & ſanctiſſimo Hincmaro archiepiſcopo, ceteriſque noſtræ diœceſeos ſanctis patribus & epiſcopis, clerus Laudunenſis, cum totius parœciæ plebibus, & ſibi conjunctis præſulibus, æternam in Domino Jeſu Chriſto ſalutem & pacem.

CAnonicis regulis & apoſtolicis inſtitutionibus ſtatutum eſſe recolimus, ut quoties quælibet civitas miniſterio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque paſtore vacaverit, cum decreto electionis, ſingulorum petentium manibus roborato, metropolitanum adire pontificem debeant, ac de ſubſtituendo in loco ejus qui deceſſit paſtore, petitione ſupplici commonere: quatinus & civitas ſolicitudine paſtorali deſtituta proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus eſt, gratioſius poſſit accedere: quia cui debet ab omnibus obediri, utique debet & ab omnibus eligi, ne civitas non optatum epiſcopum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religioſa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit: hi vero qui ordinaturi ſunt, in quem viderint omnium vota propenſius concordare, promptius liberiuſque illi manus imponere poſſint. Quapropter cum decreto noſtræ electionis manibus ſingulorum noſtrorum roborato, ad paternitatem veſtram accedentes, * Hedenulfum eccleſiæ noſtræ filium, & in eccleſia noſtra ſuffragantibus ſtipendiorum meritis ad onus ſacerdotale promotum, vita & moribus ac ſancta converſatione idoneum approbatum, quem per licentiam veſtram, favente Chriſtianiſſimo imperatore Carolo, pari conſenſu ac concordi devotione, atque unanima voluntate elegimus, per manus veſtras ac ceterorum veſtræ diœceſeos ſanctorum epiſcoporum conſecrari, nobiſque & eccleſiæ noſtræ doctorem atque pontificem inſtitui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore paſtorem, quem apoſtolicæ formæ, qua epiſcopum ornatum beatus Paulus eſſe debere demonſtrat, congruere & ſacris non obviare canonibus, Chriſti gratia cooperante confidimus. Oramus ſanctam paternitatem veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Actum v. Kalendas Apriles in baſilica ſanctæ Mariæ genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXVI. regni domni Caroli imperatoris XXXVI. ac imperii primo, indictione IX.* * Anno Chriſti 876.

* ita reſtitue in titulo.

AD CONCILIUM TICINENSE

Anno 876. habitum.

ADDITIO.

NE quid omittam in re conciliari, ſi quæ forte addenda alicubi offendi, concilio huic Ticinenſi hæc addo ex Hugone Flaviacenſi in chronico: *Concilium habuit Carolus in Ticinenſi palatio, cui interfuit Berhardus Virdunenſis. Damnati & depoſiti ſunt..... & ..... ricenſis, Agelmarus Alvernenſis ..... Linguonenſis.*

[1] CONCILIUM ROMANUM

A Joanne Papa VIII. In Formoſum Epiſcopum Gregorium Nomenclatorem, alioſque Anno DCCCLXXVI. menſe Aprili celebratum.

HUjus ſynodi expreſſa mentio in Joannis Papæ VIII. Epiſtola n. 319. ad univerſos Gallos & Germanos ſupra relata, & data XI. Kal. Maji indictione IX. In ea recenſentur crimina Formoſi Epiſcopi Portuenſis, Gregorii Nomenclatoris, aliorumque, qui cum Saracenis conſpiraverant, eiſque urbem Romam tradere moliebantur; & de ſynodo in eos congregata hæc habentur: *Judicio ſane in diem alterum protelato, cum eos iterum ſynodice ſimulque & legaliter quære-*

1 In hac ſynodo fortaſſe primum agitata lis Veronenſem inter & Tridentinum Epiſcopos, ut innuitur in Joannis Papæ VIII. ep. 267. anno 881. data ad Joannem Egiſulfum, alioſque Epiſcopos, quibus eadem his jam textio definienda committitur.

reremus & habere minime valeremus; cum omni ANNO CHRISTI 876. Dei ecclesia in basilica sanctæ Dei genitricis, quæ ad martyres vocatur, synodum vocavimus; & post regulares allocutiones, sententias in eos protulimus, A quarum exempla secundum Ecclesiasticum morem generalitati vestræ direximus, ne vobis communicandi cum eis occasionis aditus tribuatur. Hinc subduntur sententiarum exemplæ inibi legenda.

Ex Suppl. Mansi pag. 1023.

☞ ROMANUM CONCILIUM

Quo Formoso Portuensi dies dicta,

Anno 876. celebratum.

NEgari non potest Synodum aliquam Romæ B conveniisse, in qua dies dicta fuerit Formoso Portuensi episcopo, ceteriisque dein in synodo Pontiniacensi pariter damnatis. Id non obscure prodit Joannes VIII. in epistola, quæ est ordine 319. in qua scribit vocasse reos illos, ut prid. Kal. Aprilis indict. 9. idest hoc eodem anno 876. ad causam suam defendendam venirent. Quibus parere recusantibus, *Synodum*, ait pontifex, *vocavimus, & post regulares allocutiones, sententias in eos protulimus*. Epistolam hanc præsenti anno datam fuisse, ex ipso ejus contextu liquet, & Pagius hic num. 5. admittit. Addit autem in ea pontifex, se in ea synodo alium terminum dierum decem præscripsisse reis, ut causam suam dicturi venirent. Terminus vero iste desinit, inquit pontifex, die III. *Kal. Maji præsentis nonæ indictionis*. Ex quo intelligimus synodum celebratam fuisse medio circiter Aprili hujus anni, & epistolam hanc, vel in ipsa synodo vel statim ea absoluta datam, consignatur enim XI. *Kal. Maji*. ☜

CONCILIUM PONTIGONENSE,

IN QUO SYNODI QUOQUE TICINENSIS

Ex editione Sirmondi. Acta confirmata sunt ab episcopis Cisalpinis, præsente Carolo Calvo imperatore, & legatis sedis apostolicæ celebratum mense Junio ac Julio, indictione IX. anno Christi DCCCLXXVI. Joannis VIII. papæ anno IV. Caroli ejusdem regni anno XXXVII. imperii primo.

INDEX EORUM QUÆ AD CONCILIUM PONTIGONENSE PERTINENT.

I. *Synopsis actorum concilii Pontigonensis, ex Aimoino.*

II. *Synodus Ticinensis in concilio Pontigonensi confirmata.*

III. *Canones, seu capitula* XV. *apud Ticinum edita, & apud Pontigonem iterum promulgata.*

IV. *Actorum concilii Pontigonensis editio altera, ex antiquis codicibus.*

V. *Libellus proclamationis ecclesiæ Rhemensis oblatus synodo adversus Ludovicum regem Bajoariæ.*

VI. *Definitio synodi Pontigonensis de Adalgaudo presbytero informato.*

VII. *Consensus Leonis episcopi, missi & apocrisiarii sedis apostolicæ, cum post synodum discessurus esset.*

VIII. *Juramentum, quod Hincmarus archiepiscopus edere jussus est apud Pontigonem.*

I.

*Acta concilii Pontigonensis ut ab Aimoino * recitantur lib. V. cap. XXXIII.*

* seu potius Aimoini historiæ Francicæ continuatore, qui hæc omnia descripsit ex annalibus Bertinianis ad an. 876. Sessio I.

UNdecimo Kalendas Julii, indictione IX. episcopis & ceteris quibusque clericis vestibus ecclesiasticis indutis, & domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio synodi & prospectu imperialis sedis lectorio superpositis sacrosanctis evangeliis venit domnus imperator Carolus in vestitu deaurato habitu Francico cum legatis apostolicæ sedis in synodum, & cantoribus antiphonam, Exaudi nos Domine, cum versibus & Gloria Patri, cantantibus, post Kyrie eleison, data C oratione a Joanne Tuscanensi episcopo, resedit domnus imperator in synodo, & legit Joannes Tuscanensis episcopus epistolas a domno apostolico missas, cum quibus & legit epistolam de primatu Ansegisi * Senensis episcopi, ut quoties utilitas ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda synodo, sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias apostolica vice fruatur, & decreta sedis apostolicæ per ipsum episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerint ejus relatione, si necesse fuerit, apostolicæ sedi pandantur, & majora negotia ac difficiliora quæque D suggestione ipsius a sede apostolica disponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem episcopis, ut eis permitteretur ipsam legere epistolam quibus erat directa, non acquievit imperator; sed responsum quæsivit ab eis, quid de his jussis apostolici responderent. Quorum responsio talis fuit, ut servato singulis metropolitanis jure privilegii, secundum sacros canones, & juxta decreta sedis Romanæ pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, domni Joannis papæ apostolici jussionibus obedirent. Et cum imperator & legati apostolici satagerent, ut absolute archiepiscopi responderent se obedituros de primatu E Ansegisi, sicut apostolicus scripsit, aliud nisi quod prædictum est, responsum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotarius Burdegalensis episcopus, quoniam a Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit quod imperatori placere cognovit. Tunc motus imperator dixit, quod domnus apostolicus ei suas vices commisit in synodo, & quod isdem præcepit, ille exequi studeret. Et accepit ipsam epistolam involutam, una cum Joanne Tuscanensi & Joanne Aretino, & dedit illam Ansegiso. Et jussit

* P. neu

sel-

sellam plectilem poni ante omnes episcopos Cisalpini regni sui, juxta Joannem Tuscanensem, qui ad dextram illius sedebat, & præcepit Ansegiso, ut supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella. Rhemorum archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Imperator tamen in sententia sua permansit: & petentibus episcopis, ut liceret eis saltem exemplar sibi de epistola directa sumere, nec hoc ullo modo impetravere. Et sic soluta est synodus in die illa.

II. Decimo Kalendas præfati mensis iterum convenerunt episcopi. In quo conventu lectæ sunt epistolæ a domno apostolico laicis missæ: & lecta est electio domini imperatoris ab episcopis & ceteris Italici regni firmata. Sed & capitula quæ in palatio Ticinensi constituit, & in omnibus confirmari fecit: quæ & episcopis Cisalpinis confirmare præcepit: & sic soluta est synodus in illa die.

III. Quinto Nonas Julii convenerunt iterum episcopi sine imperatore: & habitæ sunt contentiones de presbyteris ex diversis parochiis clamantibus ad legatos apostolici: & sic soluta est synodus in hac die.

IV. Quarto Nonas ejusdem mensis iterum convenerunt episcopi, & imperator in synodo residens audivit oratores fratris sui Ludovici regis, VVillebertum archiepiscopum Coloniæ, & Adalardum ac * Menigardum comites, per quos petiit partem de regno Ludovici imperatoris, filii Lotharii fratris eorum, sicut ei competeret ex hæreditate, & illi firmatum erat sacramento. Et legit Joannes Tuscanensis epistolam a Joanne papa episcopis regni Ludovici directam, & dedit exemplar VVilleberto archiepiscopo, ut deferret illud præfatis episcopis: & sic soluta est præfata synodus in illa die.

V. Sexto Idus Julii convenerunt episcopi, & circa horam nonam venerunt legati domni apostolici, Leo episcopus & apocrisiarius ac nepos apostolici, atque Petrus Forisempronii episcopus, deferentes epistolas imperatori & imperatrici, & salutationes apostolici ad episcopos: & sic soluta est synodus in illa die.

VI. Quinto Idus Julii convenientibus episcopis, lecta est epistola apostolici de damnatione Formosi episcopi, Gregorii nomenclatoris, & consentientium eis. Et præsentata sunt imperatori ab apostolico missa dona; inter quæ fuerunt præcipua, sceptrum & baculus aureus. Sed & imperatrici dona sunt ab eo missa, pallia, & armillæ cum gemmis: & sic soluta est synodus in illa die.

VII. Pridie Idus Julii convenerunt episcopi, & misit imperator vicarios apostolici increpare durius archiepiscopos, qui pridie non venerant, sicut præcepit. Illis autem canonice rationabilem reddentibus rationem, sopita est increpatio. Et lecta est a Joanne Tuscanensi iterum epistola, jubente imperatore, pro primatu Ansegisi, & quæsita est ab episcopis denuo inde responsio. Et respondentibus singulis archiepiscopis, quod veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire, tunc facilius est illorum admissa responsio, quam fuerat in imperatoris præsentia. Et sic iterum, post multas contentiones de presbyteris diversarum parochiarum reclamantibus ad legatos apostolici, lecta est proclamatio Frotarii Burdegalensis archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem Paganorum in civitate sua, ut liceret ei Bituricensem metropolim occupare. Cujus petitionibus unanimitas episcoporum nullatenus acquievit.

ANNO CHRISTI 876 Sessio VIII.

Et jubentibus legatis apostolici, ut XVII. Kalendas Augusti convenirent episcopi; mane circa horam nonam venit imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum apostolicæ sedis legatis more Romano vestitis, ad episcopos ecclesiasticis vestimentis indutos, & ceteris secundum modum primæ horæ diei, quando inchoata est synodus, præparatis; & ut prius cantata antiphona Exaudi nos Domine, cum versibus & Gloria, post Kyrie eleison data oratione a Leone episcopo, resederunt omnes: & legit Joannes Aretinus quamdam schedulam ratione & auctoritate carentem. Postquam legit Odo Belgivacorum episcopus quædam capitula, a legatis apostolici, & ab Ansegiso, & eodem Odone sine conscientia synodi dictata, inter se dissona, & nullam utilitatem habentia; verum & ratione & auctoritate carentia. Et ideo hic non habentur subjuncta. Iterum mota est interrogatio de primatu Ansegisi, & post multas ab imperatore & legatis apostolici contra episcopos querimonias habitas, tantum in novissimo quantum & in principio synodi exinde Ansegisus obtinuit. Posthæc perrexit Petrus episcopus Forisempronii, & Joannes Tuscanensis ad cubiculum imperatoris: & adduxerunt imperatricem Richildem coronatam in synodum. Et stante illa juxta imperatorem surrexerunt omnes, & stantes quique in gradu suo inceperunt laudes Leo episcopus & Joannes Tuscanensis episcopus. Et post laudes actas in domnum apostolicum & domnum imperatorem & imperatricem & ceteros, juxta morem, data oratione a Leone Gabinensi episcopo, soluta est synodus.

II.

SYNODUS APUD TICINUM

ACTA PALATIUM ANNO INCARNATIONIS dominicæ DCCCLXXVI. indictione IX. mense Februario, confirmata in synodo apud Pontigonem eodem anno & indict. mense Junio.

ELECTIO CAROLI IMPERATORIS

ab Italici regni episcopis & ceteris optimatibus confirmata.

Glorioſiſſimo & a Deo coronato magno & pacifico imperatori, domno noſtro Carolo perpetuo Auguſto, nos quidem omnes epiſcopi, abbates, comites, ac reliqui qui nobiſcum convenerunt, Italici regni optimates, quorum nomina generaliter ſubter habentur inſerta, perpetuam optamus proſperitatem & pacem.

JAm quia divina pietas vos, beatorum principum apostolorum Petri & Pauli interventione, per vicarium ipsorum, domnum videlicet Joannem summum pontificem & universalem papam spiritalemque patrem vestrum, ad profectum sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque omnium invitavit, & ad imperiale culmen sancti Spiritus judicio provexit: nos unanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrum eligimus. Cui & gaudentes toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia quæ ad profectum totius sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernitis & sancitis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente & prompta voluntate observare promittimus.

ANNO CHRISTI 876.

Et subscripserunt illi qui in Italia adfuerunt.

Anspertus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Joannes sanctæ Aretinæ ecclesiæ humilis episcopus subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Ticinensis ecclesiæ subscripsi.

Benedictus Cremonensis episcopus subscripsi.

Teudulfus Dertonensis episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis episcopus subscripsi.

Azo Eporediensis episcopus subscripsi.

Gerardus exiguus in exigua Laudensi ecclesia episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis ecclesiæ episcopus subscr.

Ratbornus sedis Augustanæ episcopus subscr.

Leodoinus Mutinensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis ecclesiæ episcopus subscr.

Bodo humilis sanctæ Aquensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Sabbatinus Jenuensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Eilbertus Comensis episcopus subscripsi.

Adelardus servus servorum Dei Veronensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus sanctæ ecclesiæ Placentiæ episcopus subscripsi.

Ego Andreas sanctæ Florentinæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Raginerius abbas subscripsi.

Signum Bosonis inclyti ducis, & sacri palatii archiministri, atque imperialis missi.

Signum Richardi comitis.

Signum VValfridi comitis.

Signum Liutfridi comitis.

Signum Alberici comitis.

Signum Supponis comitis.

Signum Hardingi comitis.

Signum Bodradi comitis palatii.

Signum Cuniberti comitis.

Signum Bernardi comitis.

Signum Airboldi comitis.

Acta sunt hæc in palatio Ticinensi anno Domini DCCCLXXVI. regni domni imperatoris Caroli, Hludovvici Augusti piæ memoriæ filii, in Francia XXXVI. imperii primo, indict. IX. *

*An. Ch. 876.

Confirmatio Cisalpinorum apud Pontigonem.

SIcut domnus Joannes apostolicus & universalis papa primo Romæ elegit, atque sacra unctione constituit, omnesque Italici regni episcopi, abbates, comites, & reliqui omnes, qui cum illis convenerunt, domnum nostrum glorioſum imperatorem Carolum Augustum unanimi devotione elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse; ita & nos, qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria, ac Provincia, pridie Kalendas Julii, in loco qui dicitur Pontigonis, anno XXXVII. in Francia, ac imperii primo, jussu ejusdem domni & glorioſi Augusti convenimus, pari consensu ac concordi devotione eligimus & confirmamus.

III.

INCIPIUNT CAPITULA QUÆ DOMNUS CAROLUS LUDOVICI AUGUSTI piæ memoriæ filius, una cum consensu & suggestione venerabilium episcoporum, & illustrium optimatum, reliquorumque fidelium suorum, ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, & ad pacem & profectum totius imperii sui, fecit anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVI. regni vero sui in Francia XXXVI. imperii autem sui I. indictione IX. mense Februario, in palatio Ticinensi.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut Romana Ecclesia ab omnibus honoretur.*

II. *Ut Joanni papæ honor obedientiaque ab omnibus exhibeatur.*

III. *Ut res ecclesiæ Romanæ proprias nemo diripiat.*

IV. *Ut ecclesiasticis honor & reverentia præstetur.*

V. *Ut imperatori honor ab omnibus observetur.*

VI. *Ut episcopi ministerium suum sine cujusquam impedimento & molestia peragant.*

VII. *Ut episcopi per se & presbyteros prædicationi insistant: & fideles diebus festis ad publicas stationes occurrant, domique suæ nullus missas celebret sine licentia episcopi.*

VIII. *Ut episcopi cum clero suo in claustris resideant: presbyteros vero ab ecclesiis suis abesse, aut ab eorum potestate dissilire non permittant.*

IX. *Ut sacerdotes a familiaritate fœminarum, itemque venatione, armis militaribus, & habitu non decenti abstineant.*

X. *Ut res ecclesiasticas nemo invadat, & quæ cum detrimento ecclesiæ a rectoribus distractæ sunt repetantur.*

XI. *Ut decimæ absque fraude offerantur, & a presbyteris episcopi arbitrio dispensentur: & de baptismalibus ecclesiis per earum filios restaurandis.*

XII. *Ut episcopi comites & vassos regios diligant ut filios, & hi episcopos honorent ut patres, & ut episcopi in suis episcopiis missorum dominicorum potestate fungantur.*

XIII. *Ut episcopi & comites in pauperum domibus nisi rogati non diversentur: & ut prædas ac devastationes inhibeant.*

XIV. *Ut defuncti episcopi facultates nullus invadat: sed successori reserventur, vel pro illius anima erogentur.*

XV. *Ut infideles regni nemo celet, nec ullam eis sustentationem præbeat.*

CAPITULA.

I.

Ut sancta Romana ecclesia &c. *Exstat in Baluz. &c. T. II. pag.* 239.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

[1] Ansbertus Archiepiscopus subscripsi.

Johannes humilis Aretinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Adalardus servus servorum Dei sanctæ Veronensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Azo Eporedienſis Episcopus subscripsi.

Benedictus Episcopus Cremonensis subscripsi.

Hil-

1 Subscriptiones istæ sunt additæ ex codice Bellovacensi. Nam horum capitulorum subscriptiones in editione Sirmondi incipiunt a Joanne Tuscanensi. At sane hic videntur necessariæ, cum multa diversa habeant a subscriptionibus tituli præcedentis. *Baluzius tom. 2. Capitular. col.* 1283.

Hildradus Albenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Gerardus Exiguus Eccleſiæ Laudenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Johannes humilis Epiſcopus ſanctæ Ticinenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.
Teudulfus Terdonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hilduinus Altenſis Epiſcopus ſuſcripſi.
Sabbatinus humilis Jemenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Signum Boſonis Ducis & Miſſi Italiæ atque ſacri palatii Archiminiſtri.
Signum Bernardi Comitis.
Signum Bodradi Comitis palatii.
Signum Ricardi Comitis.
Signum Airboldi Comitis.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Alberici Comitis.
Signum item Bernardi.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Berardi Comitis.
Joannes Tuſcanenſis epiſcopus, legatus ſanctæ ſedis apoſtolicæ & domni Joannis ſummi pontificis, & univerſalis papæ, in his quæ ſupra ſcripta interfui, conſenſi & ſubſcripſi.
Anſegiſus Senonum metropolis epiſcopus, ſanctæ & apoſtolicæ ſedis per domnum Joannem ſummum pontificem papam vicarius, interfui, conſenſi & ſubſcripſi.
Joannes Aretinus epiſcopus, ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatus, interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.
Hincmarus Rhemorum archiepiſcopus ſubſcr.
Aurelianus Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.
Frotarius archiepiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ottramnus Viennenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.
Joannes Rothomagenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.
Bertmundus Ebredunenſis Eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ragenelmus Tornacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
VValterius humilis Aurelianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Gerboldus Gabilonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Gislebertus Carnotenus eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Hildeboldus Sueſſionenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Roſtagnus ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ humilis epiſcopus ſubſcripſi.
Iſaac Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcr.
Lantbertus Matiſcenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Ingelvvinus ſanctæ Pariſiacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Geroldus Ambianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Nevernenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Joannes Cameracenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Hadebertus Silvanectenſis eccleſiæ epiſcopus ſubripſi.
Odo Belgivacorum epiſcopus in Chriſti nomine ſubſcripſi.
Ratbertus Valentinæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Bernarius Gratianopolitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Agenulfus Gabalitanenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Birico VVapincenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Alduinus Avenionenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
VVido Vellavenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebranus Sagenſis epiſcopus ſubſcripſi.
VVillebertus humilis Catalaunorum epiſcopus ſubſcripſi.
Ragenfridus Meldenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Heirardus Lixovienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Sigenandus Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Ætherius Vivarienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Erchambertus Bajocenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Hedenulfus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Agilmarus Arvernenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Anſelmus Lemovicenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Adalbertus Morinenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
VVillelmus Cadurcorum eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Lupus Albienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Ottulfus ſanctæ Trecaſſinæ eccleſiæ humilis epiſcopus ſubſcripſi.
Berardus Virdunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Arnaldus Leucorum eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Franco Tungrenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcr.
Theodoricus Veſontionum eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.
VVala Autiſſiodorenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Adalgarius Auguſtidunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Hemico Dienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Aimarus Ruthenenſium eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Theotarius Gerundenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Hugo abbas.
Albuſtus abbas ex monaſterio quod vocatur Bethlehem, ſive Ferrarias.
Hilduinus abbas & bibliothecarius.
VVIfardus abbas ſcripſit & ſubſcripſit.
Gauzlenus abbas & archicancellarius.

IV.

Actorum concilii Pontigonenſis editio altera, illa fortaſſe, quam cum legatis apoſtolicis dictaſſe, & in ſynodo legiſſe dicitur Odo epiſcopus Bellovacenſis.

Sancta ſynodus &c. *Ibid. pag.* 245.

Sequebatur poſt hæc in codice ſancti Remigii confirmatio ſynodi Ticinenſis, cum epiſcoporum ſubſcriptionibus ut ſupra.

V.

Libellus proclamationis eccleſiæ Rhemenſis adverſus Hludovicum regem Carolo imperatori oblatus in ſynodo Pontigonenſi.

Paternis magiſteriis &c. *Extat ibid. pag.* 249.

VI.

Definitio ſynodi Pontigonenſis de Adalgaudo presbytero infamato.

Pridie Idus Julii &c. *ibid.*

VII.

ANNO CHRISTI 876.

VII.

Juramentum, quod Hincmarus archiepiſcopus edere juſſus eſt apud Pontigonem.

Sic promitto ego, &c. *ibid.*

Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

1 *Concilium Pontigonenſe.*) *Extat in Baluz. ibid. pag.* 803.

Nota Severini Binii.

a *Concilium Pontigonenſe.*) Sic dictum a Pontigono. Eſt autem * Pontigonum, vel Pontigedanum (ut habet Kalendarium S. Joannis Vallenſis ad Carnutum urbem) pagus Galliæ Celticæ in diœceſi Carnotenſi vulgo dictus *Pontgoie*.

* Errat hic graviſſime Binius. Vide geographiam noſtram ſynodicam. Eſt enim in diœceſi Catalaunenſi.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

De eadem Pontigonenſi ſynodo & conceſſis a Joanne papa VIII. privilegiis Anſegiſo Senonenſi archiepiſcopo nonnulla referunt hiſtorici Senonum Odorannus in chronico ad annum 876. Robertus S. Mariani Autiſſiodorenſis monachus ord. Præmonſtratenſis in chronico, & auctor chronici abbatiæ S. Petri Vivi Clarius, ſive quis alius editus tomo II. ſpicilegii a D. Dacherio O. B.

Sancta ſynodus, quæ in nomine Domini vocatione domni Joannis ter beatiſſimi, & juſſione domni Caroli Auguſti congregata eſt in Pontigone anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, indictione nona, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, hæc capitula quæ ſubter adnexa ſunt, inſtituit.

OBeunte Hludovico qui Romani imperii jura regebat, Joannes ter beatiſſimus papa, per Jadericum Belitrenſem, Anſegiſum Senonenſem, Formoſum Portuenſem, Joannem Aretinum *, venerabiles epiſcopos, domnum Carolum tunc regem ad limina beatorum apoſtolorum invitavit, eumque eccleſiæ ipſius defenſorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum præ cunctis ſolum eligens ſpecialiter qui Romani imperii ſceptra teneret. Cujus ſacris inſtitutionibus pro debito parentes, quod ipſe confirmavit, pari conſenſu omnes confirmavimus.

* *al.* Alatrinum.

Sicut domnus Joannes ſanxit conveniente & conſentiente, ac condecernente * domno ac glorioſiſſimo Carolo imperatore ſemper Auguſto, Anſegiſum venerabilem archiepiſcopum Senonum ſuam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit, in evocanda ſynodo & definiendo canonice ſi quælibet inſurrexerint neceſſaria (& ut quælibet graviora ad ipſius notitiam referat,) & nos unanimiter omni devotione laudamus, & ut primatum ipſe teneat Galliæ & Germaniæ decernimus & ſancimus; cunctique ſucceſſores ejus in propria urbe Senonica.

* concedente.

Iſta deſunt apud Baronium an. 875.

Item invenitur in geſtis epiſcoporum eccleſiæ Rhemenſis de archiepiſcopo Senonenſi ita: Obtinuit domnus Anſegiſus archiepiſcopus Senonenſis a beatiſſimo Joanne papa, & a Carolo Auguſto, ut eſſet primus poſt papam, & teneret primatum totius Galliæ & Germaniæ, & ut fortiora quæque & graviora dijudicaret, ſynodumque evocaret, ſi quælibet inſurrexerint; cunctique ei obediant Galliæ & epiſcopi ſicut epiſcopo Romano. Voluit autem ei reſiſtere * Immarus archiepiſcopus Rhemenſis, ſed minime potuit, convictus apoſtolica auctoritate. Suo etenim tempore eccleſia Senonica magno & pacifico viguit honore.

* Hincmarus.

ADDITIO AD CONC. PONTIGONENSE.

Affertur a Severtio in hiſteria archiepiſcopatus Lugdunenſis inſtrumentum confirmationis Carilocenſis monaſterii in Pontigonenſi concilio factæ: quod ita ſe habet:

Sanctiſſimis atque reverentiſſimis totius religionis fratribus tam præſentibus, quam & futuris, ubique veritati ſub nutu Domini famulantibus: ſacroſanctum concilium epiſcoporum Gallicanorum optabilem ſummæ ac individuæ Trinitatis gratiam.

DUm in nomine Domini Jeſu Chriſti, omnium rerum Domini, ejus Incarnationis DCCCLXXVI. anno, imperii quoque domini Caroli ſereniſſimi atque piiſſimi imperatoris Auguſti primo, menſe Junio, Indictione IX. ab univerſis Galliarum partibus in Pontigonum celebre palatium prædicti principis, ſolicitatiſſima commonitione, ob ſtudium Divinorum obſequiorum conveniſſemus: nonnulli quibuſdam ſuarum opportunitatum votis nos adquieſcere & providere petentes, optarunt ut unanimiter eis etiam in futuro, ſicut mos a ſanctis patribus cum fide ſanctæ pietatis emanavit, conſuleremus. Inter quæ * confrater & coepiſcopus Robertus, Valentinenſis eccleſiæ venerabilis epiſcopus, noſtram humilitatem expetiit, ut cujuſdam voti ſui modum, intentionem, & executionem perpendentes, qualiter impoſterum caſſari quibuslibet oppoſitionum machinationibus, aut fraudibus nequiret omnimodis, prudenti deliberatione proſpiceremus. Siquidem ſanctus frater noſter & coepiſcopus, una cum fratre ſuo germano Eduardo, quem cæleſtis diſpoſitio noſtro jam vocavit ſæculo, ſuccenſus Divino amore, cœnobium quoddam per manus venerabilis abbatis Gauſmari, ſuorumque monachorum, fundare atque conſtruere, in poſſeſſione propria, in pago Matiſcenſi, ſuper fluvium qui dicitur Scorvinus, non longe a flumine Ligeri elegit, & ejuſdem ſuæ proprietatis Dominum noſtrum hæredem inſtituit. Quem etiam locum, quod fuerit minus gratum, Carilocum vocari voluit. Et ut promptiſſimam ſuam voluntatem, tam ſuperſtes, quam qui jam nunc viam univerſæ carnis ingreſſus, evidenter oſtenderent, publico teſtamento cunctam hujus rei ſeriem allegarunt. Prædictus itaque præſul fratris ſui ſuperſtes, tanti noſtri conventus unanimem fraternitatem exoravit, ut ejus voti retributioniſque particeps in Chriſto Jeſu Domino noſtro, privilegio ſacerdotali roborandum auctoritate, præcepto nihilominus imperialis munificentiæ confirmandum, ei, fratribuſque inibi Domino famulaturis concederemus, & more ſolito noſtrum aſſenſum propriis ſubſcriptionibus panderemus, & ſecundum quod fieri firmitatis gratia ſolet, obteſtationis vinculo omnem temeritatem malignantium obviaremus, ne forte cœpta minui vel perturbari quolibet poſſint inſtinctu. Igitur debita caritate fraternam in Chriſto Domino noſtro benevolentiam ſuſcipimus, & hoc privilegium ſic moderate, ut idem frater noſter juxta petitionem ſuam, dum advixerit, præfati Cariloci diſpoſitionem per abbatem & monachos, omnem exhibendo tuitionem & ſolicitudinem, veluti partem decet, obtineat: & ut effectum monaſterii perfectus aſſequatur, prudentiſſime ſatagat. Dum autem eum Dominus omnium in meliorem vitam

* Fr. verecmus

ſuſtu-

ANNO CHRISTI 876.

sustulerit cæleſti ſorte, nullus ſuorum propinquorum, aut aliarum quarumcumque perſonarum, ejuſdem loci ſibi poteſtatem uſurpet, aut in aliquo dominari pertentet: ſed liceat ibi ſanctis monachis normam ſuæ religionis nullis obſtantibus exercere, & expedita dominatione libere diſponere, ut in omnibus benedicatur Deus: nec fas ſit jure proprietatis, poſſeſſiones eorum, aut hactenus traditas, aut deinceps pro remedio animarum a fidelibus conferendas, ſiniſtro quolibet ingenio præſumere: ſed habeant poteſtatem liberam monachi, Domino, ſanctiſque martyribus Stephano & Fortunato, ac ſibi conceſſis dominari, & in militia cæleſtis converſationis ſuam ex eis voluntatem exequi. Si quis vero, abſit, hujus privilegii deſtructor, aut in ejus deſtructionem fraudulentus machinator, in poſterum emerſerit, ſalutem perſequens: ſecundum poteſtatem ligandi atque ſolvendi ab ipſo Domino Jeſu Chriſto nobis traditam, æterno vinculo damnationis extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus qui ei in hoc nequiſſimo facto conſentiunt; niſi hoc & actor ejuſque ſequaces correxerint: qui, quod ad multarum ſalutem animarum proviſum eſt, impie non timent infringere. Obſecramus etiam qui hanc piæ devotionis ſcripturam legerint, vel audierint, omnes fratres noſtros, ſed & religioſos abbates, ut voluntate ſua noſtræ faveant; & ſi rogati fuerint, propriis ſubſcriptionibus noſtram ſententiam confirment.

Ego Aurelianus Lugdunenſis eccleſiæ archiep. hoc privilegium relegens in Chriſti nomine roboravi.
Ottramnus Viennenſis eccleſiæ archiepiſcopus.
Hincmarus Remenſis archiepiſcopus.
Joannes Rotomagenſis archiepiſcopus.
Iſaac ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus.
Lambertus Matiſcenſis epiſcopus.
VVilebertus Catalaunorum epiſcopus.
Bermundus Ebredunenſis epiſcopus.
Anſelmus Lemovicenſis eccleſiæ epiſcopus.
Birico Vapincenſis epiſcopus.
Gilbardus Cabilonenſis epiſcopus.
Abbo Nivernenſis epiſcopus.
Hildeboldus Sueſſionicæ eccleſiæ epiſcopus.
Bernarius Gratianopolitanus epiſcopus.
Berardus Verdunenſis epiſcopus.
Hairardus Lexovienſis eccleſiæ epiſcopus.
Hildebrannus Sagienſis eccleſiæ epiſcopus.
Ingelvinus ſanctæ Pariſiacæ eccleſiæ epiſcopus.
Otulfus Tricaſſinæ eccleſiæ epiſcopus.
Agilmarus Arvernenſis eccleſiæ epiſcopus.
Theodoricus Veſontienſis epiſcopus.
Roſtagnus Arelatenſis eccleſiæ epiſcopus.
Frotarius Dei pietate Bituricenſis archiepiſcop.
Anſegiſus Senonum archiepiſcopus.
Gislebertus Carnotenſis epiſcopus.
Adalgarius Eduorum epiſcopus.
Hemico Deenſis epiſcopus.
Ætherius Vivarienſis epiſcopus.
VVilelmus Cadurcenſis epiſcopus.
Hadelbertus Silvanectenſis epiſcopus.
Odo Belgivagorum epiſcopus.
Arnaldus ſanctæ Tullenſis eccleſiæ epiſcopus.
Joannes Cameracenſis eccleſiæ epiſcopus.
Hedenulfus ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ epiſc.
Saginandus Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopus.
Erchambertus Bajocenſis epiſcopus.
Alduinus Avinionenſis epiſcopus.
Agenulfus Gabalenſis epiſcopus.
Leuboinus eccleſiæ Lugdunenſis chorepiſcopus.
Segaldus archidiac. eccleſiæ Turon. legatus.
Grymphatus, VVarno, Bego, abbates.
Gumertus Corbejenſis monaſterii abbas.
Bernardus Solemniacenſis monaſterii abbas.
Carnulfus Belliloci monaſterii abbas.

Data Kalendas Junias, Indictione VIII. anno XXXIII. regni Caroli glorioſiſſimi Auguſti in Francia, & imperii ejus primo.

Actum in Pontigono palatio in Dei nomine feliciter.

Mainardus ſcripſit rogatus.

ACTA CONCILII TICINENSIS

Anno DCCCXXLVI. Habiti pro electione Caroli in Regem Italia, ſupra allata ad pag. 310. & ſeqq.

Auctiora ex Mſſ. Codice Ambroſianæ Bibliothecæ una cum animadverſionibus Cl. viri Joſeph Antonii Saxii eidem bibliothecæ præfecti.

IN ACTA CONCILII TICINENSIS D. CLARISSIMO AD DOCTISSIMO VIRO

PRÆFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

VUlgatiſſima erant Acta Concilii Ticinenſis, Anno 876. habiti, in quo Carolus Calvus Francorum Rex, Romanorum Imperator a Joanne VIII. Summo Pontifice conſtitutus, ab Epiſcopis etiam atque Optimatibus Italici Regni Rex Italiæ electus & conſalutatus eſt. Ea quippe inter Annales Francorum a Pithœo, & Du-Cheſnio editos, tum in Annalibus Baronianis, in Labbeana Conciliorum Collectione, inter Concilia Gallica a Sirmondo collecta, atque inter Capitularia Regum Francorum a Baluzio illuſtrata repetitis editionibus proſtabant; ac proinde nullum mihi obverſatum fuerat conſilium de iis recudendis. Verum quum me per literas certiorem feciſſet Cl. Vir *Joſeph Antonius Saxius* Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus, eorumdem Actorum locupletius exemplum in prælaudata Bibliotheca adſervari, immo is pro antiqua ſua erga me benevolentia eadem deſcripta ad me miſiſſet, continuo intellexi, publicam eruditionem atque utilitatem exigere, ut quæ ex eo Concilio ſuperſunt, utpote auctiora, in Collectionem hanc inferrentur. Nam ut paucula ſint, magni tamen momenti exhibent monumentum cum ad eorum temporum Hiſtoriam, tum ad politicum Italiæ regimen, quod eſt ad ea tempora, certius agnoſcendum. Quod antequam præſtem, producere juvat, quæ in hanc rem doctiſſimus *Saxius* ad me perſcribenda duxit, Præfationis etiam locum apud Eruditos habitura.

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus S. P. D.

„ SCrutabar privati mei cujuſdam ſtudii conſilium Codicem manuſcriptum Bibliothecæ Ambroſianæ, „ qui complectebatur Epiſtolas Joannis VIII. Summi „ Pontificis, deſcriptas e pergameno Vaticano, Langobardicis literis, ut ibi aſſeritur, exarato; cum ecce occurrit non ſpernendæ antiquitatis Monumentum, Fragmentum nempe Synodi Ticinenſis, celebratæ Anno 876. cum Carolus Calvus, poſt acceptam „ Romæ Imperii coronam, promoveri quoque ad Italicum Regnum, Epiſcoporum, atque Optimatum ſuffragio curaret. Exilui ad inexpectatam hanc ſortem, „ cum probe ſcirem nondum hæc Acta integra prodiſſe, „ & apud Sirmondum, Balutium, Labbeum, alioſque „ hujuſmodi rerum Collectores ea tantum legi, quæ recitat Synodus Pontigonenſis, in qua Ticinenſi peractæ „ Electioni Gallicanorum Antiſtitum votum acceſſiſſe „ narratur. At mutila ea ſunt, nec ſincerum exhibent „ textum ea in re, quæ præcipuum hujus Synodi momentum fuit. Quæ enim de Anſperto Mediolanenſi

Ar-

ANNO CHRISTI 876.

„ Archiepiſcopo, univerſi Cœtus nomine ſententiam di-
„ cente, de Electione ipſa *in Regem Italiæ* Caroli Cal-
„ vi, deque præſtito ab utroque viciſſim juramento in
„ Exemplari Ambroſiano leguntur, Pontigonenſis Syno-
„ dus prorſus ſilet. Gratam me itaque cum Tibi, Vir
„ Clariſs. tum Eruditis omnibus operam facturum puta-
„ vi, ſi eadem ad Te illico, in cenſum magnæ Colle-
„ ctionis Rerum Italic. referenda tranſmitterem. De-
„ ſumpta dicuntur *ex Volumine Capitularium, & Conci-*
„ *liorum Gallicanorum apud Sanctiſſimum Dominum No-*
„ *ſtrum*; ſed valde dolendum, quod non integra Scri-
„ ptor inde produxerit: poſt relatos enim viginti titu-
„ los rerum, quæ in Ticinenſi hoc Conventu ſtatuta
„ fuere ſubdit: *Habentur hæc Capitula integra, & pro-*
„ *lixa in ipſo Exemplari, ſed propter feſtinationem Ego*
„ *Fontana contraxi*. Emendandæ illius calami culpæ ni-
„ hil intentatum reliqui; Egi ſiquidem cum Amicis per
„ Epiſtolas Romæ, ut Vaticana primum Bibliotheca
„ conſuleretur, num pretioſa hæc antiquitatis ſupellex
„ eidem obtigiſſet; verum ab ipſis accepi, inanem fuiſ-
„ ſe Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Majelle Cuſtodis laborem;
„ cum jamdiu a pluribus ætatibus in more poſitum ſit,
„ ut ex literariis Summorum Pontificum ſpoliis nihil in
„ Vaticanam inferatur, ſed in hæreditatis partem illa
„ quoque familiæ Gentilibus cedant. Converſa inde eſt
„ ſolicitudo ad erudita Principum Romanorum ſcrinia
„ exploranda, ſed undique incaſſum cura & preces re-
„ diere; quis enim divinare poſſit, quæ illius, inſignis
„ alioquin voluminis fortuna fuerit? Contuli me ita-
„ que ad Labbeum, & Baluzium, ut intelligerem, an
„ contracta a Fontana rerum ſeries editis Synodi Pon-
„ tigonenſis *Capitulis* reſponderet, atque eadem illa
„ eſſe prorſus inveni; niſi quod nonnulla præpoſtero or-
„ dine in manuſcriptis titulis deſignantur ac vulgatus
„ textus exponat; quæque hic quindecim tantum nu-
„ meris comprehendit, illi in viginti ſejunxerint. Quo-
„ circa ſatis ſuperque penſatam hujuſmodi jacturam
„ crediderim, cum peti poſſit ex editis, quod Codicis
„ noſtri expleat lacunam; atque ita invidente licet no-
„ bis primævum volumen injuria temporum, integrum
„ adhuc Concilium hoc dari.

„ Sed poſces fortaſſe Vir Præclariſſime. Quis hic
„ Fontana, vindicatæ e tenebris antiquæ hujus memo-
„ riæ gratia poſteris commendandus? Non is certe ve-
„ nalis tantummodo, aut rudis Exſcriptor fuit, cum
„ inſperſæ non raro eruditis notis memoratæ Joannis
„ VIII. Epiſtolæ hominem prodant in ſuperiorum æta-
„ tum recondita hiſtoria eximie verſatum. Præterea
„ ex eodem Codice aperte colligitur, inſudaſſe illum
„ eruendi undique antiquis monumentis; ut Carolo Si-
„ gobio Italici Regni hiſtoriam texenti ſuppetias fer-
„ ret; quinimmo ad eundem dirigit adnotationes ali-
„ quas ſuas, quibus illuſtrari poſſent aut etiam caſtiga-
„ ri nonnulla, quæ ille jam ſcripſerat. Propterea af-
„ firmare non dubitaverim illum eundem hunc eſſe,
„ cujus gratam mentionem Sigonius inſeruit Indici Au-
„ ctorum, quorum ſtudio, aut ſcriptis in Regno Itali-
„ co deſcribendo ſe profeciſſe teſtatur; inter poſtremos
„ enim recenſetur *Joannes Baptiſta Fontana Mediola-*
„ *nenſis, qui nuper magno hiſtoriarum detrimento eſt mor-*
„ *tuus*. Deceſſiſſe illum immatura abreptum morte,
„ utpote annos tantummodo triginta tres natum, do-
„ lens ſcribit Philippus Picinellus in Athenæo Litera-
„ torum Mediolanenſium; ubi etiam plura de nobili il-
„ lius familia, ſumma doctrinæ opinione, ac libris tum
„ editis, tum manuſcriptis, ad æternam tanti Viri me-
„ moriam literis conſignavit.

„ Ceterum hujus Synodi Ticinenſis, eo prorſus mo-
„ do, quo in Codice noſtro deſcribitur, meminit Sigo-
„ nius *De Regno Italiæ* ad annum 876. editionis Bono-
„ nienſis anno 1580. ubi compendiaria narratione quid-
„ quid in ea geſtum eſt refert, ejuſque verba in ſuis
„ Baſilicæ Ambroſianæ monumentis recudit Puricellius
„ ad annum eundem; nec dubium eſt, quin a memo-
„ rato Fontana Romæ tunc degente hiſtoricam hanc
„ lucem Sigonius acceperit. Nunc Synodum ipſam
„ producimus, quæ quantum illuſtrandæ antiquitati,
„ atque Italicæ gloriæ promovendæ conferat, nemo di-
„ gnius æſtimaverit, quam Tu, qui vaſto labore eru-
„ dita omnia rudera evolvens, tantam eidem lucem
„ affundis. Etſi enim ſcriptores ferme omnes Mediola-
„ nenſes a Gregorio Magno Pontifice Maximo ſplendi-
„ dum illud Privilegium trahant, quo Archiepiſcopus
„ noſter donatus dicitur, jure eligendi Italici Regis poſt
„ decimum quartum a Prædeceſſoris obitu diem; qui-
„ que modeſtius rem agunt, Carolum Magnum inſignis
„ hujus muneris Auctorem faciant, nullum tamen ve-
„ ſtigium tantæ exercitæ auctoritatis univerſa illorum
„ temporum refert hiſtoria. Primum hoc exemplum
„ eſt, in quo tutum figat pedem, venditati antiqui ju-
„ ris eximium decus; ſive enim Ludovico II. Impera-
„ tore ſine liberis decedente, ſeſe tandem in libertа-
„ tem, tot triſtibus bellorum eventibus antea concuſ-
„ ſam, aſſertos putarent Italici Optimates; ſive op-
„ portuna arrepta occaſione diſſidii inter defuncti Au-
„ guſti conſanguineos antiquum aliquod jus prætende-
„ rent, aut novum condere meditarentur, certum eſt
„ ab hac Caroli Calvi inauguratione tantum roboris
„ acceſſiſſe auctoritati Mediolanenſium Præſulum, ut-
„ pote dignitate atque opibus ſupra ceteros Italiæ Pro-
„ ceres eminentium, ut ſuo propemodum nutu de Ita-
„ lico Regno decernerent, evectis ad hanc ſupremam
„ dignitatem, aut etiam depulſis Principibus. An ve-
„ ro legitimo jure, an injuria Francici Imperii hæc ab
„ Italis peracta ſint, quæſtio eſt, ut optime noſti, a
„ Doctiſſimo Viro, Florentinæ libertatis diſquiſitione
„ celebri, recentiſſimis typis diſcuſſa, quam tamen at-
„ tingere in præſens minime fas eſt, cum neque id
„ modus Epiſtolæ ferat, nec patiatur doctrinæ tuæ am-
„ plitudo, cui aliquid ſuggerere idem eſſet ac ligna,
„ ut ajunt, in ſylvam inferre.

„ Id unum ſilentio præterire haud opportunum reor,
„ frequentiſſimos a me perfectos Scriptores tum exte-
„ ros, tum domeſticos, qui fidentiſſime aſſerunt, Joan-
„ nem ipſum Summum Pontificem huic Synodo inter-
„ fuiſſe, atque in ea effuſum in laudes Caroli Calvi,
„ plenis Epiſcoporum, & Optimatum ſuffragiis eidem
„ confirmaſſe Imperium ac Regnum. Quod quam a ve-
„ ro longe ſit, Synodi ipſius ad Te nunc miſſæ exem-
„ plar docet, in qua Archiepiſcopus ſolus Mediolanen-
„ ſis Anſpertus primas egiſſe vices legitur; mirorque
„ hinc magis a Pagio Juniore in Breviario Romano-
„ rum Pontificum teſtem adduci potuiſſe Continuato-
„ rem Aimoini, quod videlicet Joannes Papa cum Ca-
„ rolo Calvo Nonis Januarii Roma ſolvens, Ticinum
„ petierit, & in eadem Civitate Conventus Epiſcopo-
„ rum celebratus ſit, menſe Februario, in quo Impe-
„ rium eidem Carolo Romæ collatum, omnium con-
„ ſenſu a Joanne Pontifice, *ibi præſente*, iterum fuit
„ confirmatum. Continuator enim Aimoini non aliud
„ profert, quam quod in Annalibus quoque Bertinia-
„ nis, iiſdem prorſus verbis deſcribitur. *Nonis Janua-*
„ *rii Romam exiens* (Carolus Calvus) *Papiam rediit,*
„ *ubi & Placitum ſuum habuit*: nihil de Joanne Ponti-
„ fice, nihil de confirmato Imperio innuens. Occaſio-
„ nem huic errori datam crediderim tum a Petro Pi-
„ thœo, qui primus Romanum Concilium evulgans, in
„ quo vere a Joanne Pontifice confirmatum Carolo
„ Imperium fuit, illud celebratum menſe Februario
„ tradidit; quocirca cum idem menſis, ac etiam an-
„ nus Ticinenſi Synodo aſſignetur, cum eo confundi
„ facile potuit: tum a notis margini Annalium Baro-
„ nii adjectis, ubi enim ad annum 876. refertur, *Ser-*
„ *mo Domini Apoſtolici Joannis in Synodo Epiſcoporum,*
„ *Omnibus generationibus, immo cunctis mortalibus li-*
„ *quet &c.* in margine adnotatur: *Ticinenſis Synodus,*
„ *in qua Joannes Papa confirmat Carolum Imperatorem*.
„ Verba enim hæc, quibus inchoatur ſermo, certiſſime
„ ſpectant non ad Synodum Ticinenſem, ſed ad Concilium
„ Romanum, ut conferenti patebit. Errorem autem ma-
„ le aſſignati menſis, annique optime Pagius ſenior in
„ ejuſdem Critica emendavit; neque enim menſe Februa-
„ rio, ſed Julio, aut Anno 876. ſed ſubſequenti celebratum
„ Romanum Concilium ex ceævis hiſtoriis evincitur.
„ Hæc in præſenti adnotare neceſſarium duxi, ne au-
„ ctoritas eorum, qui Concilia hujuſmodi commiſcue-
„ re, Lectores impoſterum fallat.

„ Poſt Synodum Ticinenſem, nonnulla etiam Pontiſ-
„ gonenſis Conventus Acta exhibet Codex noſter. Re-
„ latis enim Ciſalpinorum Antiſtitum ſubſcriptionibus,
„ ſubdit Fontana: *Poſt has ſequuntur ſubſcriptiones Le-*
„ *gatorum, & Gallicorum Epiſcoporum, qui immediate*
„ *poſt Longobardos ſubſcribunt Concilio Ticinenſi, ſed for-*
„ *te ut Sigonius monuit, relecto in Conventu Pontigo-*
„ *nenſi*. Et ſane res ita ſe habuit; nam profecto in Gal-
„ lias Cæſare, Concilium Pontigonis coactum eſt, ibi-
„ que Decretis jam antea in Papienſi Conventu pro-
„ nunciatis, relectiſque illa in Synodo Tranſalpini Epi-
„ ſcopi ſubſcripſere. Hæc omnia aliquibus meis ani-
„ madverſionibus aucta ad Te mittere ſtatui, ut amo-
„ rem meum erga Te probarem, atque optimo conſi-
„ lio Tuo de Italica illuſtranda hiſtoria, pro virium
„ mearum tenuitate inſervirem. Perge incœptum Opus
„ fervidis conatibus explere, meque inter Tui aman-
„ tiſſimos numera. Vale. „

Ita ad me erudite pro more Saxius, cujus etiam breves Notas ipſis Actis ſubjiciam. Nunc præmonitos Lectores volo, Synodum hanc revera Ticini celebratam fuiſſe non Anno 887. ut in exemplo Ambroſiano legitur, ſed quidem Anno 876. Carolus enim Calvus *VIII. Januarii*, hoc eſt natali die Domini Anno 875. Imperialem coronam Romæ ſuſceperat. Cujus rei locupletiſſimum teſtem habemus Farfenſe Chronicon infra edendum, ubi ejuſdem Imperatoris Diploma occurrit, paucis poſt diebus conceſſum Monaſterio Farfenſi, cum hiſce notis Chronologicis: *Data VIII. Kalend. Januarii Anno* 36.

Re-

Regni Domni noſtri Karoli in Francia &c. & Imperii ejus Primo. Actum in Sancto Petro Indictione IX. Decurrere cœpit *Indictio Nona*. Septembri menſe Anni 875. atque adeo male calculos initurus foret, quiſquis ad Annum 876. Romanam Calvi coronationem referret. At Roma digreſſus Carolus *Nonis Januarii* Anno 876. recta, ut habet Annaliſta Bertinianus, *Papiam rediit, ubi & Placitum ſuum habuit*. Sub *Placiti* nomine deſignantur heic ea ipſa ſolemnia Regni Comitia, quæ a recentioribus edita, atque heic recuſa, *Concilii* nomen præferunt. Hæc autem celebrata dicuntur *Menſe Februario*, & quidem recte. Nam Puricellius in Monum. Baſilic. Ambroſian. ejuſdem Caroli Diploma profert, datum *IV. Kal. Martias* Ambroſiano Cœnobio. Diligentiſſimus quoque Sigonius Lib. V. de Regno Italiæ, referens ejuſmodi Comitia, auctor eſt ab eodem Auguſto *III. Kalendas Martias privilegia Caroli Magni, Pii, Lotharii, ac Ludovici nepotis, ut vocat, ſui, Eccleſiæ Cremonenſi fuiſſe firmata*. Ego Lectori rem non ingratam facturum me puto; ſi idem illud Diploma produxero, expeditum *in Sancta Sophia juxta Papiam*; ut hinc luculentius appareat, iis ipſis diebus Carolum Calvum Ticini fuiſſe verſatum. Illud ego deſcripſi ex vetuſtiſſimo Regeſto Epiſcopii Cremonenſis, unde & Sigonius lucem hujus rei acceperat.

Caroli Calvi Imperatoris Præceptum, per quod Benedicto Cremonenſi Epiſcopo, ejuſque Eccleſiæ, omnia illius bona & privilegia confirmat. Anno 876.

„ IN nomine Sancte & individue Trinitatis. *Karolus* „ ejuſdem Dei omnipotentis gratia Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter „ amorem Dei, ejuſque in eiſdem locis ſibi famulantibus opportuna beneficia largimur, premium nobis apud „ Deum eterne remunerationis rependi non diffidimus. „ Igitur omnium fidelium Sancte Dei Eccleſie, ac noſtrorum preſentium videlicet & futurorum, comperiat „ magnitudo, quia vir venerabilis *Benedictus Cremonenſis Eccleſiæ Epiſcopus* detulit obtutibus noſtris quaſdam „ pie recordationis *Avi noſtri Karoli*, nec non & *Patris noſtri Hludovici*, ſimulque etiam *fratris noſtri Hlotharii*, & *nepotis noſtri Hludovici* auctoritates præceptorum, in quibus continebatur, qualiter ipſi omnes „ res Epiſcopatus ſui, Sancte Marie videlicet, & Sancti Stephani, que ibidem a longo tempore uſque nunc „ pertinent, tam Monaſteria, quamque & Xenodochia, „ ſeu Eccleſias baptiſmales, & reliquas poſſeſſiones, & „ predia ad ejuſdem Epiſcopatum pertinentia, ſub ſua „ haberent defenſione, & predia ad ejuſdem Epiſcopatum pertinentia, ſub ſua haberent defenſione atque „ immunitatis tuitione. Unde memoratus *Benedictus* Preſul noſtram petiit pietatem, ut eaſdem auctoritates „ noſtro confirmaremus precepto. Cujus precibus pro „ mercedis noſtre augmento libentiſſime annuentes, hos „ Celſitudinis noſtre apices decrevimus fieri, per quos „ precipimus, modiſque omnibus confirmamus, ut quicquid ad prædictam Eccleſiam a longo tempore Reges, „ vel alii quilibet homines largiti ſunt *&c.* Reperimus „ quoque in auctoritate bone memorie *Avi noſtri Karoli*, qualiter ipſe ad prefatam Cremonenſem Eccleſiam „ quaſdam res condonaverat, & inde *Nepos noſter Hludovicus Imperator* ſui precepti auctoritate ad eamdem „ Sedem conceſſerat, locum videlicet, qui dicitur Tecledus cum Briſivola & Cucullo, vel omnia ad ipſa „ loca pertinentia, & Portum, cujus vocabulum eſt „ Vulpariolus, cum militorum tranſitorio uſque in Caput Addue, cum molatura de molendinis & portoribus uſque in Caput Addue: quas res & loca *Hlotharius frater noſter*, & inde *Hludovicus Nepos noſter* per „ ſua precepta in jam dicta confirmaverunt Eccleſia. „ Que omnia veraciter cognoſcentes, placuit nobis noſtram ſuperaddere auctoritatem, per quam concedimus, ut prefata dona, ſicut a Fratre noſtro & Nepote conceſſa ſunt, ita in futuro ipſa Sedes teneat, „ & nullus Miſſus, neque Judex publicus, neque ulla „ perſona *&c.* Quin & idem Preſul adjecit, quod quidam Longobardorum, vel aliarum gentium homines „ ſua peragentes negotia, ripaticum non ſolviſſent; indeque auctoritatem ei firmamus, ſicut Anteceſſores „ noſtri, *&* *Nepos noſter Hludovicus* conceſſit. Unde „ præcipientes jubemus *&c.*

„ Signum KAROLI glorioſiſſimi Imperatoris.

„ Audacher Notarius ad vicem Gauzini recognovit.

„ Data III. Kal. Martii, Anno XXVI. * Regni Domni Karoli Imperatoris in Francia, & Imperii ejus „ Primo.

„ Actum in Sancta Sophia juxta Papiam feliciter in „ Dei nomine Amen.

Quod unum mihi addendum ſupereſt, vix e mente mea dubitationem evellere poſſum, num in memoratis hiſce Comitiis Carolus tunc primum Rex Italiæ electus fuerit. Hoc quidem Acta ſonant: ſed mihi abhorrere a conſuetudine ceterorum Principum videtur, qui non antea ad Imperiale faſtigium aſcendere ſoliti fuerunt, quam Regni Italici habenas ac titulum conſequuti fuiſſent. Ludovicum Pium excipio, quia tunc Bernardo ejus nepoti Langobardicum Regnum parebat. Profecto quum difficilia tempora inſtarent Calvo, quippe Ludovicus ejus frater, Germaniæ Rex, & natu etiam major, ad Italiæ ac Imperii coronam & ipſe anhelabat, immo arma eam ob cauſſam jam arripuerat, fieri facile potuit, ut Carolus nihil ſibi cunctandum ratus ſatius duxerit præoccupare Imperiale nomen, & benedictionem Pontificis, quam conſiſtere ad colligenda Italicorum Procerum vota diviſa. Attamen ſuſpicari adhuc cogor, Carolum Calvum tum terrore injecto potentiæ ſuæ, tum eo quo potuit Optimatum, Populorumque conſenſu, Regnum Italicum prius ſibi conquiſiviſſe, ac deinde Romam convolaſſe. Uti habet Annalium Fuldenſium Scriptor, ut primum Ludovici II. Auguſti obitum *Carolus Galliæ tyrannus comperit, illico Regnum Italiæ invaſit*. Deinde Carlomanno fratris filio contra ſe cum validis copiis iruenti, ad fauces Italiæ vires ſuas objecit, eumque aut vi aut muneribus in Germaniam regredi coegit. Quo facto demum *quanta potuit velocitate Romam profectus eſt*. Ad hæc Annalibus Bertinianis fidem rei facientibus, Carolus poſt unctionem Imperialem *Roma exiens, Papiam rediit*. Ergo ante coronationem Romanam, ideoque Anno 875. Carolus Langobardici Regni Sedem pacifice ingreſſus fuerat; vixque excogitari poteſt, quin ibi ſe Regem Italiæ inſtituendum atque acclamandum ſine mora curarit. Quod ſi Anno ſubſequente 876. ex Urbe Ticinum regreſſus, electionem a Regni Proceribus quæſivit, hæc fuerit potius præcedentis confirmatio, atque ut ex concordibus Optimatum Langobardicorum ſuffragiis, quorum nonnulla ante deſideraverat, electio ſua eo magis legitima evaderet, enixiuſque conſolidaretur. In Pontigonenſi quoque Synodo, eodem Anno celebrata, Francici Regni Patres Carolum ipſum, quamquam tot ante Annos Francorum Regem, *elegerunt ſibi protectorem ac defenſorem eſſe*: cujuſmodi verbis ſecundum editionem Pithœi, Labbei, & aliorum, uſi ſunt & Italici Epiſcopi atque Optimates in Ticinenſi Concilio. Præterea Joannes VIII. Summus Pontifex, Anno ſubſequente 877. in Romana Synodo ejuſdem Caroli electionem rurſus firmavit, ac ratam habuit. Atque hæc pauca licuerit mihi edifſerere, quando uberiora & clariora eorum temporum monumenta ſperare non licet. Nam quod eſt ad Ambroſianum Actorum exemplum, nulla mihi dubitatio reſtat, quin ad Sigonium conterraneum meum Fontana miſerit, quando Sigonius ipſe in Libris de Regno Italiæ ad Annum 876. integram Præfationem qualis heic deprehenditur, exhibet ab iis verbis: *Nos Anſpertus cum omnibus Epiſcopis &c.* Ego hoc ex Puricellio ſupra laudato in Monumentis Baſilic. Ambroſ. num. 127. didici; neque enim in Sigoniani Operis editionibus, quibus utor, ego ejuſmodi verba reperio, minimeque compertum habeo, quam editionem Puricellius, iſta deſcribens, fuerit ſequutus.

ANNO CHRISTI 876.

CONCILIUM TICINENSE
In quo Carolus Calvus Imperator

Ab Anſperto Mediolani Archiepiſcopo, & aliis Italici Regni Optimatibus in Italiæ Regem electus fuit.

GLorioſiſſimo & a Deo coronato magno & pacifico Imperatori Domino noſtro Carolo perpetuo Auguſto. Nos quidem *Ansbertus* cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis, qui nobiſcum convenerunt Italici regni Optimates, quorum nomina generaliter ſubter habentur inſerta, perpetuam optamus proſperitatem & pacem.

Jam quia Divina pietas vos Beatorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli interventione per Vicarium ipſorum, Domnum videlicet Joannem Summum Pontificem & univerſalem Papam [1] veſtrum ad profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium incitavit, & ad Imperiale cul-

1 Legendum *Patrem*, ut in omnibus editis hujus Concilii actis.

culmen Sancti Spiritus judicio provexit. Nos unanimiter vos protectorem, dominum ac defensorem omnium nostrum, & *Italici regni Regem* [1] eligimus, cui & gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia, quæ nobiscum ad profectum totius Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernitis & sancitis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente, & prompta voluntate observare promittimus.

ANNO CHRISTI 876.

Anspertus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.

Joannes Sanctæ Aretinæ Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsi. [2]

Joannes Episcopus Sanctæ Ticinensis Ecclesiæ subscripsi.

Benedictus Cremonensis Episcopus subscripsi.

Theudulphus Tertonensis [3] Episcopus subscrip.

Adalhaudus Vercellensis Episcopus subscripsi.

Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.

Gerardus exiguus in exigua Laudensi [4] Ecclesia Episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis Ecclesiæ Episcopus subscrip.

Leodoinus Mutinensis Episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis Episcopus subscripsi.

Ratbonus [5] Sedis Augustanæ Episcopus subscripsi.

Bodo humilis Sanctæ Aquensis Ecclesiæ (*Episcopus*) subscripsi.

Sabbatinus Januensis [6] Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Filbertus [7] Comensis Episcopus subscrip.

Adelardus servus servorum Dei Veronensis Episcopus subscripsi.

Ego Paulus Sanctæ Placentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Andreas Sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ragnensis [8] Abbas subscripsi.

Signum Bosonis inclyti Ducis, & Sacri palatii Archiministri, atque Imperialis Missi.

Signum Ricardi Comitis.

Signum Walfredi Comitis.

Signum Luitfredi Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Bodradi Comitis palatii.

Signum Cuniberti Comitis.

Signum Beruardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

Juramentum Ansperti Archiepiscopi. [9]

SIc promitto ego, quia de isto die in antea isti Seniori meo, [10] quamdiu vixero, fidelis & obediens & adjutor, quantumcumque plus & melius sciero, & potuero, & consilio & auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude & malo ingenio, & absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione, & absque respectu alicujus personæ, & neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam, vel intromissam personam, vel quocumque modo, vel significatione contra suum honorem, & suam Ecclesiæ atque regni sibi commissi quietem & tranquillitatem, atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam, neque aliquod umquam scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contraria vel nociva esse possit. Sic me Deus adjuvet, & patrocinia. [11]

Quod Rex Carolus juravit Anspertо Archiepiscopo, atque Optimatibus regni Italici.

ET ego quantum sciero & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, te Sanctissime ac Reverendiss. Archiepiscope, & unumquemque vestrum, secundum suum ordinem & personam honorabo, & salvabo, & honoratum & salvatum absque ullo dolo, ac damnatione, vel deceptione conservabo, & unicuique competentem legem, ac juititiam conservabo, & qui illam necesse habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo. Sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare, & salvare, & unicuique competentem legem, & justitiam in unoquoque ordine conservare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere, & pro nullo homine ab hoc quantum dimittit humana fragilitas per studium, aut malevolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum, & possibi-

---

1 Quæ diverso charactere in hoc capite signantur, nunc primum prodeunt ex MSto Ambrosiano exemplari.

2 In MSto Ambrosiano Fontana adnotavit; *Hic erat Nuncius Sedis Romanæ*. Citra verum tamen, si de hac Synodo loquamur; neque enim ille se Legatum appellat, nec si id munus egisset, secundo post Anspertum loco se subscribere debuisset. Præterea nullum extat vestigium, quod Synodus ista coacta sit Pontificia auctoritate; quin immo ex epistolis ipsis Joannis VIII. colligi videtur, quod ipso inconsulto Concilium hoc celebraverit Anspertus; minatur enim eidem, epistola CLV. Labbeanæ editionis, Canonicas pœnas, si Carolomanno sese ab Italico Regno ob valetudinis vitium expediente, de nova Regis electione extra Romanam Synodum ageret, aut Regem aliquem absque illius consensu reciperet; quod certe indicendum non erat tanto severæ jussionis strepitu, si Ticinensis electio Caroli Calvi, annuente ipso, aut mandante peracta fuisset. Sed cur itaque Joannes Aretinus Episcopus subscripsit? P. Eustachius a Sancto Ubaldo in sua Dissertatione *de Metropoli Mediolanensi* ex hac ipsa Synodo arguit Aretinum Episcopuns, sicuti & Florentinum hic pariter subscriptum, Insubricæ nostræ Metronoli tunc paruisse; contendit enim contra Ticinensis Ecclesiæ propugnatores, Synodum hanc Provincialem fuisse. Quæ ille ibidem argumenta in hanc rem cumulat, apud ipsum videat Lector num. 176. 249. & seq.

3 Lege *Terdonensis*, seu *Dertonensis*.

4 Male in Harduino legitur *Laudunensis*, & *Laudicensis* in altero Concilio Ravennæ celebrato anno DCCCLXXVII.

5 *Ratbornus* in Labbeo, aliisque.

6 Melius quam in Labbeo, aliisque, apud quos legitur *Jenuensis*.

7 Alii legunt *Eilbertus*.

8 Sirmondo, & Labbeo *Ragnerius*. Du-Chesne, & Balutio *Reginerius*.

9 Eadem hac formula usus est Hincmarus Archiepiscopus, jussus cum aliis Episcopis juramentum præstare Carolo Calvo, eaque relata est inter Acta Concilii Pontigonensis. A Pithœo inscribitur *Generale omnium Fidelium sacramentum*.

10 Citra dubium est *Senioris* nomen hoc loco nihil aliud referre, quam *Dominum*; cuilibet enim vetera monumenta volventi passim occurrit hujusmodi appellatio ita accepta, & docet altera Synodus Ticinensis edita Tomo II. hujus collectionis pro electione, seu confirmatione Widonis in Regem Italiæ. Ibi siquidem pluries ab Episcopis *Senior* vocatur.

11 In juramento memorato Hincmari, postrema hæc verba ita leguntur: *Sic Deus me adjuvit, & ista Sancta Patrocinia*, ideest *Reliquiæ Sanctorum*, ut explicat Ducangius in Glossario.

sibilitatem, & si per fragilitatem contra hoc mihi surreptum fuerit, cum recognovero, voluntarie illud emendare studebo, sic &c.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Incipiunt Capitula, quæ Domnus Imperator Carolus Hludovici piæ memoriæ filius una cum consensu & suggestione *Reverendiss. ac Sanctissimi Domini Ansperti Archiepiscopi Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ*, [1] necnon Venerabilium Episcoporum, & Illustrium Optimatum, reliquorum fidelium suorum in regno Italico ad honorem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad pacem ac profectum totius Imperii sui, fecit anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 586. [2] Regni vero sui in Francia XXXVI. Imperii autem sui primo, Indictione IX. mense Februarii, in palatio Ticinensi.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut Sancta Romana Ecclesia sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur.*

II. *Ut honor Domno & spiritali Patri nostro Joanni Summo Pontifici & universali Papæ ab omnibus observetur.*

III. *Ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum nemo aliquam vastationem facere præsumat.*

IV. *Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis atque Clericalis reverentia in omnibus custodiatur.*

V. *Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter observetur, & præcepta a nullo violentur.*

VI. *Ut Episcopi ministerium suum secundum sacros Canones peragant prædicando, corrigendo, confirmando.*

VII. *Ut Episcopi præcipue per se prædicationem, & per suos exerceant, secundum jussionem Domini Nostri.*

VIII. *Ut sæculares & fideles laici diebus festis in civitatibus ad publicas stationes occurrant,*

IX. *Ut nullus Presbyter latibulosa Missarum officia celebrare præsumat, sine Episcopi licentia.*

X. *Ut Episcopi proximum Ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero regulariter Deo militent.*

XI. *Ut Presbyteri residere cogantur, sintque subjecti in omnibus suo Episcopo, secundum Canonicam auctoritatem.*

XII. *Ut a domibus Sacerdotum propter malæ opinionis famam habitacula fœminarum penitus tollantur.*

XIII. *Ut venationem nullus in Sacris Ordinibus exerceat, neque arma militaria portare audeat.*

XIV. *Ut res ecclesiasticas nemo auferre præsumat & immobiles nemo invadere.*

XV. *Ut Ecclesia Baptismales, quas Plebes appellant, secundum consuetudinem antiquam filii instaurent.*

XVI. *Ut Episcopi Comites, & Vassos Regios in Parrochia sua diligant, & econtra illi Episcopos.*

XVII. *Ut prævideat unusquisque secundum ministerium suum, ne prædæ & devastationes fiant.*

XVIII. *Ut mortuo Episcopo nullus facultates diripiat, sed Erogatariis, & Elemosynariis Ecclesiæ confugiatur.*

XIX. *Ut Decimæ collaborationum, & animalium, secundum sacra præcepta sine fraude offerantur.*

XX. *Ut nemo Fidelium quoquo modo celet aliquem, quem sciat esse Regi infidelem.*

ANNO CHRISTI 876.

Quæ sequuntur desumpta sunt ex editione Capitularium Franc. Balutii tomo II.

CAPUT I.

UT Sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur; neque quisquam contra jus & potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro universali Ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

II.

Ut honor Domno & Spiritali patri nostro Joanni Summo Pontifici & universali Papæ ab omnibus conservetur; & quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.

III.

Et licet in omnibus id observare velimus, præcipue tamen sancimus, ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum nemo in eundo, & redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem, & deprædationem facere præsumat; & quæ ipsius Sanctæ Ecclesiæ propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione, sine voluntate ipsius Sacri Pontificis sibi vindicare præsumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis male præsumtis, immunitatem ipsius Ecclesiæ persolvat, & bannum nostrum tripliciter componat.

IV.

Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis, atque Clericalis reverentia, debita competentique sinceritatis religione ab omnibus amplectatur, & in omnibus custodiatur, sicut avi & genitoris nostri monent edicta.

V.

Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter observetur; & quæ ab eo seu per epistolam, seu per legatos præcipiuntur, a nullo impune audeant violari.

VI.

Ut Episcopi ministerium suum, secundum sacros, & a Sancto Spiritu promulgatos Canones peragant; Parrochias suas absque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, & confirmando circumeant; & in hoc agendo nullus ei contraire, & quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis Parrochiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat; sed adjutor, si oportuerit, invitatus a Pontifice quisque Ecclesiæ filius existat; ut liceat eis criminalia scelera, & alia quæque corrigenda inquirere, discutere & dijudicare canonice. Quod qui temerare pro-

1 Etiam hæc verba diverso charactere signata nunc primum prodeunt ex MSto Ambrosiano.
2 Mendum scripturæ; constat enim edita hæc esse anno superiore.
3 Decretum hoc in editis ponitur sub num. XI.

ANNO CHRISTI 876.

proterve præsumserit, triplicem legem & triplex A bannum nostrum persolvat.

VII.

Ut Episcopi secundum sacram jussionem Domini Nostri Jesu Christi prædicationem per se, vel per suos congruenter exerceant, & Presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent.

VIII.

Ut Seculares & fideles laici diebus festis, qui in Civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant: & qui in villulis & possessionibus sunt, ad publicum officium in Plebem festinent.

IX.

Ut nullus latibulosa Missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia Episcopi.

X.

Ut Episcopi in Civitatibus suis proximum Ecclesiæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero secundum Canonicam regulam Deo militent.

XI.

Ut Episcopi Sacerdotes suos ad hoc constringant, ut Ecclesias non relinquant, & aliubi habitare præsumant. Sint etiam subjecti proprio Episcopo secundum Canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum potestate dissiliant. Neque seculari potestati ad hoc eis commendare C se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, aut contra Canonicas leges, & debitam Episcopi potestatem quodammodo defensentur. Hujusmodi vero Sacerdotes Episcopalis illico censura disciplinis Ecclesiasticis subdat. Nec fas est omnium eorum sollicitudinem Episcopos non gerere, quibus in committendis sacris Ordinibus dignum visum est communicasse.

XII.

Ut a domibus Sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio fœminarum penitus tollatur; neque illi in domos illarum intrare indiscrete præsumant, ne nomen Dei, quod absit, per illos blasphemetur, per quos laudari pie & jugiter debet.

XIII.

Venationem quoque nullus tam sacri ordinis exercere præsumat; neque arma militaria pro qualicumque seditione portare audeat, aut habitum quemlibet tantum apicem Sacerdotii non decentem assumant.

XIV.

Ut res Ecclesiasticas tam mobiles, quam & immobiles nemo invadere, vel auferre præsumat; & quæ a Rectoribus Ecclesiæ hactenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario, vel emphyteuticario jure dolose, vel cum damni detrimento Ecclesiæ amississe videntur, ad pristinum jus revertantur: quatenus liceat illis, quibus earum cura commissa est, quieto & pacifico ordine eas tene- B re, & pro nobis, regno nobis a Deo commisso, orare, pauperibusque debita stipendia erogare, familiam Ecclesiæ juste & rationabiliter regere, & gubernare. Transgressoribus autem indicimus injuste præsumta restituere, & sicut superius præfixum est, triplicem legem, & triplex bannum nostrum persolvere.

XV.

Ut Ecclesias Baptismales, quas Plebes appellant, secundum antiquam consuetudinem Ecclesiæ filii restaurent.

XVI.

Ut Episcopi Comites & Vassos nostros in Parrochia eorum manentes paterno amore secundum Ecclesiasticum ministerium diligant. Ipsi vero Comites & Vassalli, seu reliqua generalitas prædictos Episcopos ut sanctos patres honorent & venerentur, & ad ministerium illorum peragendum, ubicumque potuerint, eos adjuvare decertent. Si vero, quod non optamus, eis infesti, quominus quæ Dei sunt exercere possint, reperti fuerint, aut ipsi contra leges officia sua violaverint, & eos, quos venerari debent, inquietaverint, secundum Capitulare avi & genitoris nostri emendent. Qualiter quoque Presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipsius Capitularis forma doceantur. B Ipsi nihilominus Episcopi, singuli in suo Episcopio, Missatici nostri potestate & auctoritate fungantur.

XVII.

Ut Episcopi, & Comites in suis ministeriis commorantes in suis consistant domibus cum suis Vassallis, neque præsumant occasione hospitii in panperioris cujusdam vicini domo, nisi rogati, commorari; quia ob hoc maxime deprædationes & discordias hactenus pullulasse manifestum est. Prævideant quoque, secundum ministerium unusquisque suum, ne in potestate illorum prædæ & devastationes fiant. Et si aliqui hoc facere tentaverint, omni sua virtute illis resistant. Et si ipsi per se constringere illos ad emendationem non C potuerint, constitutis Missis nostris renuncient, ut ipsorum judicio legaliter secundum Capitulare avi & genitoris nostri emendent. Quod si & ipsi hoc emendare nequiverint, ad nostram notitiam perducant.

XVIII.

Ut quotiens Divinum judicium aliquem Ecclesiæ Præsulem e seculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad jus suum transferat, sed Erogatariis, & Elemosynariis Ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiæ constituto OEconomo, liberum sit, canonico more, juste rationabiliterque deputata successori futuro reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere. Quod qui iniqua cu- D piditate transgredi præsumpserit, ut superius prælibatum est, irrefragabiliter multetur.

XIX.

Ut decimæ collaborationum, animalium secundum sacra præcepta, omnino absque fraude, & aliqua retractatione offerantur; & in potestate Episcopi maneant, qualiter Presbyteris dispensentur canonice.

XX.

Ut nemo fidelium nostrorum quodammodo aliquem celet, quem nostrum scierit infidelem esse, neque ei sustentationem quamcumque præstare pertentet, si eum ad nostram fidelitatem revocare nequiverit. Quicumque autem contra hæc fe- E cerit, prædecessorum & progenitorum nostrorum judicium experietur.

Anspertus Archiepiscopus Mediolanensis subscripsi.

Joannes humilis Aretinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Adalardus servus servorum Dei Sanctæ Veronensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Adalgaudro Vercellensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.

Benedictus Episcopus Cremonensis subscripsi.

Hildradus Albensis Episcopus subscripsi.

Ge-

Gerardus exiguus Laudenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes humilis Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Theudulpus Terdonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Sabbatinus humilis Januenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Boſonis Ducis & Miſſi Italiæ atque Sacri Palatii Archiminiſtri.

Signum Bernardi Comitis.

Signum Berdradi Comitis Palatii.

Signum Richardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

Signum Cuniberti Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum item Bernardi Comitis.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Berardi Comitis. [4]

Joannes Tuſcanenſis Epiſcopus Legatus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Domini Joannis Summi Pontificis Papæ Vicarius interfui, conſenſi.

Anſegiſus Senonum Metropolis Epiſc. Sanctæ & Apoſt. Sedis (*Vicarius*) in his, quæ ſuperſcripta ſunt, interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Et Joannes Aretinus Epiſcopus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus interfui, & ſubſcripſi.

Hincmarus Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Aurelianus Lugdunenſis Epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.

Otrannus Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Bertmundus Ebredunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Vvalterus [2] humilis Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Gislebertus Carnotenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hadebertus Sylvanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Valpertus Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Agenulfus Gabalitanenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Frotarius Archiepiſcopus conſenſit, & ſubſcripſit.

Joannes Rotomagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Rangenelmus Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerboldus Cabullonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebodus Sueſſionenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Roſtagnus Sanctæ Arelatenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ingelvinus Sanctæ Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Belgivagorum Epiſcopus in Chriſti nomine ſubſcripſi.

Bernarius Gratianopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Brico Vvapricenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Alduvinus Avenionenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebrandus Sagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ragenfridus Meldenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Signandus Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Anſelmus Lemovicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvilelmus Carducenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Otulphus Sanctæ Tricaſſinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Arnaldus Leucorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Teutricus [3] Veſuntinorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaricus Auguſtudenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvido Vallavenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvilebertus humilis Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Heirardus Luxevienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Æterius Viſuarienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hedenulphus Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Lupus Albienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Bernardus [4] Sanctæ Viridunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Franco Tungrorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Wala Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Albuſtus Abbas in Monaſterio, quod dicitur Bethleem, ſive Ferrario, ſupſcripſi. [5]

Sequebatur etiam deinde in originali.

PRidie Idus Julii in loco, qui vocatur Pontigonis, ita a Legatis Sedis Apoſtolicæ Leone Apocriſario, Petro, Joanne, itemque Joanne Legatis, ac Anſegiſo Vicario ejuſdem Sedis, & ab omni Concilio definitum eſt de Adalgondo [6] Preſbytero. Quia Domnus noſter Joannes Sanctiſſimus Papa nos quidem, me ſcilicet. . . . & Leonem Gabinenſem Epiſcopum S. R. E. Miſſum, & Apocriſarium, & Petrum venerabilem Foroſempronienſem Epiſcopum ad hoc in has partes direxit, ſicut pridem Epiſcopos, Joannem videlicet, & Joannem mandaverat, quia diutius morari nequimus, ab ipſo revocati, & veſtram beatitudinem longius fatigare noluimus, hos Fratres noſtros, Joannem videlicet Aretinum, & Joannem Tuſcanenſem Epiſcopum commorari decrevimus, uſque dum res optatum finem accipiat in Synodo, in qua auctoritate Apoſtolica libere omnia definire poterunt, grataque erunt. [7]

DU-

ANNO CHRISTI 876.

1 Nemo ex Conciliorum Collectoribus, quos viderim, quique Concilium Pontigonenſe deſcribunt, iteratas haſce Italorum Antiſtitum, & Optimatum ſubſcriptiones retulit. Leguntur tamen in Capitularibus Regum Francorum a Baluzio editis, ubi de hac Synodo loquitur. Id factum crediderim, quod primo ſubſcripſerint electioni in Regem Italiæ Caroli Calvi, poſtmodum ipſius jam electi decreta firmaverint, non omnes tamen, ut ipſæ ſubſcriptiones docent.

2 Aliis *Ratbertus*.

3 *Theodoricus* in editis.

4 *Berardus* apud omnes.

5 Subſcriptiones iſtæ diverſo ordine in editis referuntur, neque omnes in Ambroſiano Codice extant, quæ ibi leguntur; nonnullæ etiam voces diverſimode inflectuntur, ſed ea adnotare non placuit, ne Lector gravetur, cum facile conferri hæc poſſint cum vulgatis.

6 Apud alios Conciliorum editores vocatur *Adalgaudus*.

7 Habentur hæc prolixius in editis Actis Concilii Pontigonenſis; ſed cum nonnulla differant, ea etiam addere non ingratum putavi.

ANNO CHRISTI 877.

DUPLEX CONVENTUS

Compendienſis, & Cariſiacenſis.

Ex P. Pagi ad an. 877. n. 3.

DE *his hæc Annaliſta Bertinianus*: Kalend. Maii Epiſcopos Rhemenſis provinciæ, ſed & aliarum provinciarum, Compendio convocavit (*Carolus Imp.*) & eccleſiam quam in eodem oratorio conſtruxerat, cum multo apparatu in ſua & Nunciorum Apoſtolicæ ſedis præſentia ab eiſdem Epiſcopis conſecrare fecit. Inde placitum ſuum generale Kalendas Julii habuit, ubi per capitula qualiter regnum Franciæ filius ſuus Hludovicus cum fidelibus ejus & regni primoribus regeret, uſque dum ipſe Roma rediret, ordinavit: & quomodo tributum de parte regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, ſed & de Burgundia exigeretur diſpoſuit, &c. *Extant illa Capitularia in Capitularibus Caroli Calvi tit.* 53. *ubi dicuntur conſtituta* Cariſiaci XVIII. Kal. Julias Indictione X. *Quare placitum illud Cariſiaci habitum fuit non Kalendas Julii, ut habet Annaliſta Bertinianus, ſed* 18. *Kal. Julias. Fecit & alia Capitula Cariſiaci Carolus Imperator ſub eodem titulo* 53. *recitata cum hac inſcriptione*: XVI. Kal. prædicti menſis, poſtquam domnus Imperator Carolus adnunciavit generaliter in populum de ſuo itinere Romam &c. *Verum antequam Carolus Imperator placitum illud celebraret, Compendienſem Conventum congregarat ibidem tit.* 52. *recitatum cum hac annotatione:* Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. Nonis Maii in Compendio Palatio de aliqua, ſed non de tota parte regni, quod domnus Imperator Karolus habuit, antequam junior Hlotharius defunctus eſſet, hæc conſtituta eſt exactio, Nortmannis, qui erant in Sequana, tribuenda, ut a regno ejus recederent. *Et tamen Annaliſta Bertinianus hac conſtituta placito Cariſiacenſi attribuit, ſicque geſta in utroque Conventu inter ſe confundit.*

☞ COLONIENSIS SYNODUS

In qua conſtitutio Alfridi Hildenesheimenſis epiſcopi pro condendo Aſſindenſi SS. Virginum cœnobio approbatur,

Anno 877. coacta.

Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1025.

„ COlonienſis provinciæ epiſcopi anno 877. ad civitatem metropolim convenerunt, ut „ novi templi S. Petri recens conſtructi dedicationem peragerent. Ea occaſione Aldefridus Hildenesheimenſis epiſcopus conditi a ſe in diœceſi ſua Parthenonis Eſnedenſis in honorem B. M. V. & SS. Coſmæ & Damiani diploma, quo „ & latifundia ſanctimonialibus illis aſſeruntur, „ & alia quædam in commodum commune diſpoſita, Patribus illis approbandum exhibuit. „ Diploma ipſum ex autographo a publico Tabellione deſcriptum Lunigius in ſpicilegio eccleſiaſtico exhibuit, adjectis ex iiſdem autographis tabulis Patrum illorum in violatores conſtitutionis illius anathematiſmis. Ex eo vero „ nos hic recitamus.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Alfridus, Dei diſponente providentia, Hildemesheimenſis eccleſiæ antiſtes. Cum inter immenſas Dei patris miſerationes, quibus humanum genus gratuita pietate relevare dignatur, præcipue ea, qua conſtat conſubſtantialem, & coæternum ejus Filium pro nobis incarnatum, & crucifixum fuiſſe ad memoriam reducere; circa me vero ſpecialiter divitias bonitatis ejus non ſine admiratione perpendere, qui me nullis exigentibus meritis de ſordibus levatum, ſua gratia inter principes eccleſiæ conſedere, & ſolium gloriæ fenere facit, ne tantis ejus beneficiis ingratus apparerem, quid retribuerem Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, diu multumque mecum cogitare cœpi. Tandem itaque ex divina, ut credo, inſpiratione occurrit animo ſanctiſſimam, & ſemper virginem Mariam unicum ac ſingulare præſidium peccatorum poſt Dominum eſſe, cui ſi quid veneration is impenderem, id & Deo fore gratum, & animæ meæ ejus patrocinantibus meritis arbitratus ſum profuturum. Opitulante itaque Dei gratia in prædio meo quod Aſtnide vocatur, in honore ſanctæ, & individuæ Trinitatis conſecratam, ſanctæque ſemper Virgini Mariæ & ſanctis martyribus Coſmæ, & Damiano dicatam eccleſiam ex his, quæ Deo donante poſſidebam, conſtruxi, in qua ad immaculatum ſacrificium ſanctimoniæ animæ, qua corporis Deo in cordis & ſpiritus contritione offerendum ſanctimonialium congregationem coadunandam, eique victus & veſtitus neceſſaria providere, ſpiritualem quoque matrem, quæ regulariter præſideat, eidem ex eadem præficere curavi. Ne vero poſt mei exceſſum futuris ſæculis de electione abbatiſſæ diſſenſio oriatur, ex decreto papæ Sergii, & ejus ſucceſſoris Adriani ſancitum eſt, & eorum privilegiis confirmatum, ut nec pretio nec ullo omnino unquam modo alterius congregationis ſanctimonialis ſupradictis ſanctimonialibus præponatur; ſed quæcumque ex eiſdem & in Dei ſervitio potiſſima, & in ejuſdem eccleſiæ rebus juſte diſponendis aptiſſima reperietur, hæc ex communi omnium ibidem Deo ſamulantium electione ſecundum Dei timorem ſuis ſororibus præficiatur. Quod autem conſuetudinarium jus tam ſupradictis ſororibus, quam clericis ibidem ſervientibus in adminiſtrandis ſuis rebus impoſuerim, & perpetualiter obſervandum velim, paucis abſolvam: poſſeſſiones eccleſiæ traditas ſive tradendas inferiores, & exteriores tam mobiles, quam immobiles, cum conſilio Deum timentium ſumma cum diligentia abbatiſſa procuret, redituſque earum tam in ſua, quam in ſororum æquabili diſtribuat utilitate; id ſummopere curans, utpote Deo rationem redditura, ut de communibus earum rebus nec unam minimam præbendam abſque earum conſilio vel utilitate alicui tradat, ne, quod abſit, penuria familiaris rei urgente ruptis ſanctimoniæ habenis liberius, hac & illac abſque Dei timore vagentur, ſi qua vero ſanctimonialis ibi-

ibidem habeat propriam domum, aut aliquod ædificium, vel a se emptum, vel dono sibi datum, vel aliquas res undelibet juste acquisitas, nihil omnino ex omnibus supradictis, neque abbatissa, neque aliquis ei auferat, neque ullo modo auferendum ei suadeat, sed eadem sanctimonialis libero arbitrio suam domum, & cuncta, quæ inibi possidet, sorori suæ, vel amico ad eandem ecclesiam pertinent, absque ullius contradictione, sive morti suæ proxima, sive vitæ, quocumque modo voluerit, tradat. Idipsum vero & clericis ibidem constituimus servientibus: si quis autem eorum aliquam ecclesiæ possessionem, Abbatissa largiente, susceperit, tali suscipiat conditione, ut post ejus obitum eandem possessionem ecclesia absque ullius contradictione suscipiat, restitutis prius omnibus, tam mobilibus, quam immobilibus rebus, quæ in illa esse videbantur ea die, qua ipse eam suscepit; cætera vero, quæ in eadem possessione adipisci potuit, aut Ipse vivens, prout voluerit disponat, aut alius amicorum ejus post illius mortem pro salute animæ ejus distribuat. Constituimus etiam, ut nullus hominum vel advocato, aliquis, aliquam jurisdictionem in civitate prænominata habeat, excepta abbatissa Assindiensi præter in truncatione manuum, vel armorum proclamatione. Anno Incarnationis Dominicæ DCCC. septuagesimo septimo, sub piissimo rege Ludovico, anno imperii ejus trecesimo sexto, apud Coloniam civitatem. quinto Kalendarum Octobrium in ipsa die dedicationis Basilicæ sancti Petri.

Ego Alfridus episcopus hoc privilegium coram Domino Wiliberto prædictæ civitatis archiepiscopo recitavi, nec non & coram Luitberto Maguntiacensi archiepiscopo, & Bertolfo Treverensi archiepiscopo, & Bernardo Virdunensi episcopo, atque Theodorico Mindenensi episcopo & Geralfo Firdensi episcopo, & Luithardo Paderbon. episcopo, atque Hildrigino Halverstadensi episcopo, & Ludolpho Munigernadensi episcopo, & Othiboldo Trajectensi episcopo, & cotam Luckberto Osnabrugensi episcopo, nec non & eorum aliis compluribus sacri ordinis viris, qui ad supradictæ ecclesiæ dedicationem convenerant. Prælecto itaque hoc privilegio in omnium supradictorum conspectu, acclamantibus omnibus, ita hanc constitutionem salubriter, atque ornabiliter institutam, ut non modo addi, verum & jam aliquid demi damnosum videretur, omnes unanimiter hujus conscripta aliquo modo, ingenio violatorem in perpetui anathematis foveam detrusimus, universis mecum uno ore clamantibus: ex auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & sanctorum apostolorum excommunicamus & anathematizamus omnes, qui sua præsumptione, vel aliquo malo ingenio hanc constitutionem scienter violare præsumpserint, eos omnes, & eorum consentaneos a consortio Dei sequestramus. Ita ut non habeant partem cum eo, neque cum sanctis ejus, deleantur de libro Dei, & cum justis ejus non scribantur; obscurentur oculi eorum ut non videant, aures eorum & nares sic obstruantur, ut non audiant, neque olfaciant, gustus eorum & tactus inutiles fiant. Deserat Deus, & migrare faciat de tabernaculis eorum, & evellat radicem eorum de terra viventium, veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes, prævaleant super eos peccatores, & Diabolus stet a dextris eorum, & oratio eorum fiat in peccatum, & dies eorum pauci, mendicent, & deijciantur de habitationibus suis, & diripiant alieni labores eorum; clament ad Deum, & non misereatur eorum, sed potius disperdat de terra memoriam eorum; induantur perpetua confusione, & reverentia, sint inter miseros miserrimi, inter perditos perditissimi; induant hanc maledictionem sicut vestimentum, & intret sicut aqua inter cutem eorum, & sicut oleum in ossibus eorum; fiat eis sicut vestimentum, quo operientur, & sicut zona, qua præcingentur, & in Dei judicio primi detrudentur in ignem æternum, ubi vermis eorum non extinguatur, sed crucientur cum Diabolo, & angelis ejus sine fine: annuente Domino nostro Jesu Christo, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 878.

IN HOC DIPLOMA MABILLONII CENSURA.

In Annal. Ord. S. B. ad hunc an.

Nicolaus Schetenus privilegium refert Asnidensi parthenoni, ut prætenditur, concessum in Synodo Colonienſi anni DCCCLXXIII. ab Alfrido episcopo, in quo ait, se in prædio suo, quod Asnide vocatur in honorem sanctæ, & individuæ Trinitatis, sanctæque semper V. Mariæ, & sanctis martyribus Cosmæ, & Damiano dicatam ecclesiastic. construxisse, ubi congregationem sanctimonialium adunaverit sub abbatissæ regimine, quam nec prece, nec pretio eligi, aut institui edicit secundum sanctionem Sergii papæ, ejusque successoris Adriani, concessa ejus loci sanctimonialibus libera rerum suarum, domorum, & ædificiorum proprietate, & de iis disponendi facultate, quod ne quidem regula Aquisgranensis canonicabus indulget. Quare id serius fabricatum verisimillimum est in gratiam canonicarum, quæ ex monachabus factæ sunt. Neque enim prope fidem est, Alfridum, ex monacho episcopum, alterius instituti, quam monastici sanctimoniales in loco ab se exstructo collocasse.

CON-

ANNO CHRISTI 877.

I CONCILIUM ROMANUM I.

In quo electio Caroli Calvi imperatoris

Totius ſynodi ſententia & ſubſcriptionibus confirmata eſt, menſe * Februario, indictione x. anno Chriſti DCCCLXXVII.

* Ita Sigonius atque Sirmondus: Chiffletius vero p. 113. hiſtoriæ Tornutienſis in exeuntem Majum differt, cujus menſis die 27. conſignatum eſt diploma Adalgerio Æduenſi ep. datum.

Sermo domni apoſtolici Joannis in ſynodo epiſcoporum.

OMnibus generationibus, &c. *Extat in Baluz. T. II. Pag.* 251.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concilium Romanum I.*) Jam monui &c. *Extat ibid. pag.* 805.

Adnotatio P. Antonii Pagi *ad an. Ch.* 876. *n.* 1. *&* 2.

Pithœus an. MDLXXXVIII. publicavit Scriptores coætaneos XII. Hiſtoriæ Francorum, & Synodo Romanæ, cujus initium eſt *omnibus generationibus* &c. hunc præfixit titulum: *Geſta qualiter Domnus Carolus filius Ludovici Imp. fuit factus Imperator Romæ, tempore Joannis Apoſtolici anno Inc. Domini DCCCLXXVI. indict. X.* ſed male, tam quoad annum, quam quoad indictionem X. Joannes enim VIII. in fine prædictorum geſtorum dicit, Caroli *ad Imperialia ſceptra electionem & promotionem, ante mundi quidem ordinem divinitus ordinatam; nuper autem, id eſt præterita nona indictione, per miniſterium noſtræ mediocritatis exhibitam, annuente Deo, ex tunc & nunc & in perpetuum firmam & ſtabilem decernimus permanſuram.* Quare hanc Synodum Romanam anno tantum ſequenti habitam fuiſſe certum eſt. Id recte vidit Sirmondus Tom. III. Concil. Gall. ſed in menſe erravit. Scripſit enim illam congregatam fuiſſe *menſe Februario*. Etenim Chiffletius in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 221. affert Diploma Caroli Calvi Imp. in quo is dicit, Adalgarium Epiſcopum Æduenſem ad ſe acceſſiſſe, ac petiiſſe, ut ſibi concederet Abbatiam Flaviniacenſem & Corbiniacum, quod ad illam ſpectat. Charta dicitur *data VII. Kalendas Martii, indictione X. anno XXXVII. regni Domini Caroli Imp. in Francia, & imperii ejus anno ſecundo. Actum Compendio Regio monaſterio.* Adalgarius itaque die XXIII. Februarii anni DCCCLXXVII. adhuc in Galliis erat. Annaliſta autem Bertinianus ad annum DCCCLXXVII. de Carolo Imp. verba faciens, ait: *Veniens ultra Jurim, uſque ad Urbam obviam habuit Adalgarium epiſcopum, quem menſe Februario Romam direxerat, pro agenda Synodo a Papa Joanne, cujus exemplar idem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit.* Synodus itaque Romana anno ſequenti menſe Februario celebrari non potuit; cum Adalgarius, qui ejus indictionem a Pontifice petiit, die XXIII. Februarii ejuſdem anni adhuc in Galliis fuerit, ideoque ad initium circiter Julii, non vero ſub finem Maji cum Chiffletio, differenda.

Annaliſta enim Bertinianus, poſtquam narravit Carolum Imp. Placitum ſuum generale Kalendas Julii habuiſſe, ſubjungit: *de Cariſiaco Compendium, indeque per Sueſſionem ad Rhemum civitatem: & ſic iter ſuum per Catalaunos & Pontigonem atque Lingones peragens, cum uxore & maxima auri & argenti, caballorumque ac facultatum aliarum copia, de Francia Italiam petit. Et veniens ultra Jurim uſque ad Urbam obviam habuit Adalgarium Epiſcopum, quem menſe Februario Romæ direxit pro agenda Synodo*, &c. Ibi tamen Annaliſta iſte quoad diem hallucinatur, ut enim anno ſequenti oſtendemus, Placitum illud XVIII. Kalend. Julii inchoatum, & XVI. Kalend. ejuſdem menſis abſolutum. Carolus igitur celebrato ſuo Placito tam longum iter ante medium Julii vix conficere potuit, cumque Adalgarius Carolo obvius fuerit ad Urbam Pagi Transjurenſis vicum a lacu Lemano millia paſſuum circiter XVIII. diſſitum, Roma medio circiter Julio poſt celebratam Synodum digreſſus erat. Neque enim finita Synodo aliquam moram *Adalgarium* Romæ interpoſuiſſe, quis ſibi perſuaſerit; cum filii Ludovici Germaniæ Regis nuper defuncti cum Carolo de Imperio quod huic in Synodo Romana confirmatum fuerat, contenderunt. Illius quippe Synodi indictionem eo tantum fine a Pontifice petit *Carolus*, ut ſibi totius Synodi conſenſu Imperium adverſus eoſdem iterum confirmaretur.

JOANNIS PAPÆ VIII.

synodus Ravennæ habita cum CXXX.

Epiſcopis anno Chriſti DCCCLXXVII. menſe * Auguſto, indictione X.

Ad diſciplinam & immunitatem eccleſiaſticam reſtituendam.

* Novembri ſcribere debuerat Holſtenius, qui hanc ſynodum primus vulgavit; ſi vera Chiffletii ſententia de tempore illius, quam aliis expendemus.

Hieronymus Rubeus historiæ Ravennæ lib. v. ad annum DCCCLXXVII.

Joannes pontifex, cum poſtulatum ab Carolo Calvo ſubſidium tardius expediretur, jam enim redierat in Galliam Carolus, Ravennam ire conſtituit. Itaque & eo indixit epiſcopis conventum, & ad Joannem archiepiſcopum ſcripſit, id ſe decreviſſe, tum quod ab improbis Chriſti fidelibus vexaretur, tum quod multis in rebus indigeret emendationis eccleſia. Quoniam vero nullus eſſet ad hæc peragenda locus Ravenna aptior, rogare ut eo cum ſuis ſubjunctis epiſcopis accurrere velit ad VIII. *Kalendas Julias. Mox Urſum Venetiarum ducem ſcriptis* VI. *Kalend. Junias literis admonuit, ut eo adeſſet.* XIII. *vero Kalend. Auguſti ſe Ravennam omni ſpreto incommodo itineris ſignificavit habendi conventus gratia conceſſiſſe, eumque Kalend. Auguſti inchoaturum. Conventu inde peracto, cujus ad nos acta non pervenerunt, ut maturius Calvum de inſtanti bello conſuleret, Ravenna egreſſus ad eum iter intendit.*

Videndæ Joannis VIII. epiſtolæ LIII. LV. LVI. LVII. LIX. LX. quibus epiſcopi ad hanc ſynodum celebrandam convocantur.

CAPITULA STATUTORUM.

I. *Ut metropolitani intra tres menſes fidem ſuam apud ſedem apoſtolicam exponant, & pallium petant.*

II. *Ut epiſcopi electi intra tres menſes a metropolitano ſuo conſecrentur.*

III. *Ut metropolitani non niſi ſtatutis temporibus pallio utantur.*

IV. *Ut Duces epiſcopos non præſentent, nec ipſos aliaſque eccleſiaſticas perſonas concutiant.*

V. *Ut qui domum Dei violaverit, & inde quid abſtulerit, communione privetur.*

VI. *Ut raptores niſi raptas reſtituant communione privati etiam anathemate percellantur.*

VII. *Ut homicidæ & incendiarii niſi publice ſatisfecerint poſt excommunicationem etiam anathematizentur.*

VIII. *Ut prædones, ſi his terve admoniti non emendaverint, præter excommunicationem etiam anathemate feriantur.*

IX. *Ut*

IX. *Ut excommunicatorum fautores & ipſi communione priventur.*

X. *Ut epiſcopi nomina excommunicatorum publice affigi curent.*

XI. *Ut eccleſiaſtico judicio obnoxiis refugium præſtantes & ipſi excommunicentur.*

XII. *Ut nemo ſe parochiæ propriæ conventui ultra tres dies dominicos ſubtrahat.*

XIII. *Ut magiſtratus ſæculares ab epiſcopis & clericis conventi, querimonias eorum diligenter examinent & corrigant.*

XIV. *Ut presbyter non niſi ad certum locum ordinetur.*

XV. *Ut nemo patrimonia Romanæ eccleſiæ petat, & ſi quis quomodolibet ſubtraxerit, anathema ſit.*

XVI. *Item de eadem re.*

XVII. *Ut nemo res eccleſiæ Romanæ beneficiali more aut ſcripto petere vel retinere audeat.*

XVIII. *Ut ſæculares in domibus eccleſiarum neque placitum neque hoſpitium ſibi vindicent.*

XIX. *Quod decimæ tantum ſacerdotibus parochiarum dari debent.*

INCIPIUNT STATUTA SYNODI APUD RAVENNAM.

I.

Quiſquis metropolitanus intra tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam palliumque ſuſcipiendum ab apoſtolica ſede nulla inevitabili neceſſitate imminente non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate; ita ut tamdiu epiſcopali illi ſedi cedat, omnique conſecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide & in expetendo pallio priſcum morem contempſerit. Sit licentia metropolitanis aliis poſt ſecundam & tertiam commonitionem viduatis eccleſiis cum conſilio Romani pontificis ordinando epiſcopum ſubvenire.

II.

Si vero conſecrandi epiſcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menſes eccleſia viduata conſiſtat, communione privetur, quouſque aut loco cedat, aut ſe conſecrandum præbere non differat. Quod ſi ultra quinque menſes per ſuam negligentiam retinuerit viduatam eccleſiam, neque ibi, neque alibi conſecrationis donum percipiat: immo metropolitani ſui judicio cedat.

III.

Quicumque ſane metropolitanorum per plateas vel in litaniis uti pallio præſumpſerit, & non tantum in præcipuis feſtivitatibus, & ab apoſtolica ſede indictis temporibus ad miſſarum ſolummodo ſolemnia, careat illo honore: & prout beatus papa Gregorius ad Joannem Panormitanum epiſcopum, & Marinianum ſcribit Ravennatem epiſcopum, qui grave jugum atque vinculum cervicis non pro eccleſiaſtica, ſed pro quadam ſæculari dignitate defendit, permiſſa qua abutitur dignitate careat: quoniam jure privilegium meretur amittere, qui audacter uſurpat illicita.

IV.

Nulli Ducum liceat quemlibet epiſcopum in præſentiam Romani præſulis introducere, vel cenſus ab eo ſumptus publicos, ſed dona quælibet exigere: ſed nec coram laicis epiſcopum objurgare concedimus. Clericos & ſanctimoniales, pupillos & viduas ſub tutela epiſcoporum eſſe decernimus, & eos ad ſæcularia trahi modis omnibus interdicimus. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem excommunicandum eſe decernimus: perſeverantem vero anathematis vinculo innodandum.

V.

Si quis domum Dei violaverit, & aliqua ſine licentia illius cui commiſſa eſſe dignoſcitur, inde abſtulerit, vel eccleſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec conventus & admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione fore privatum. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventionem coram epiſcopo ſatisfacere detrectaverit, ſacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur: ita ut ſecundum apoſtolum nemini fidelium miſceatur.

VI.

Quicunque ſanctimonialem, ſive quamcunque fœminam in matrimonium vel concubinatum rapuerit, donec eam coram epiſcopo civitatis parentibus vel civibus reſtituat, cum omnibus fautoribus ſuis excommunicatum ſe eſſe cognoſcat. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventionem, quam rapuit ſub ſatisfactione congrua non reddiderit, tanquam anathematizatus ab omni Chriſtianorum conſortio repellatur. Raptas enim nec immerito dicimus, quæ ſine conſenſu parentum, vel civitatis epiſcopi, aut ipſæ ultro diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur.

VII.

Si quis homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia fecerit, aut fieri juſſerit, aut facienti conſenſerit, quouſque de his legaliter vel amicabiliter coram epiſcopo civitatis, aliiſque civibus non emendaverit, ab eccleſia privatum ſe eſſe agnoſcat. Si ergo poſt ſecundam & tertiam conventionem cuncta in quibus arguitur non emendaverit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Chriſtianorum collegio ſeparetur.

VIII.

Porro de his, qui deprædationes fecerint, aut facere juſſerint, vel facienti conſenſerint, inſtituimus, ut ſi ab epiſcopo civitatis admoniti minime reſipuerint, XL. dies pane & aqua contenti, reliquis cibis & potibus ſint omnino privati. Quod ſi hanc excommunicationem ſuſpicati fuerint violaſſe, ſatisfaciant epiſcopo, quod illam non violaverint: ſicque demum ſi convicti fuerint hanc violaſſe, non ſolum quod unicuique arguuntur feciſſe emendent; ſed etiam bis aut ter commoniti ſi ſe non correxerint, ab omni communione privati ſint. Si vero poſt ſecundam & tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur, perfecte non emendaverint, anathematis ſententia ſe noverint obligatos.

IX.

Hi ſane qui ante audientiam communicare tentaverint, donec per pœnitentiam reatum ſuum defleant, ad communionem nullo modo reducantur, excepto mortis urgente periculo. Qui vero excommunicato ſcienter communicaverit, vel communicavit, & amodo ſaltem in domo ſimul oraverit, atque latebras defenſionis ne cominus ad ſatisfactionem perducatur præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam ſuſcipiat, corporis & ſanguinis Domini communione ſe privatum eſſe cognoſcat. Quicumque ergo intra anni ſpatium humiliter, ſive publice cauſam ſuam coram ſuis excommunicatoribus non peregerint, ipſi ſibi audientiæ aditum clauſiſſe videantur. Quod ſi obſtinato animo ſine communione defuncti fuerint, nos illorum cauſam juxta beati Leonis prædeceſſoris noſtri ſententiam divino judicio reſervantes quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.

X.

ANNO CHRISTI 877. Curæ ſit omnibus epiſcopis excommunicatorum nomina omnino tam vicinis epiſcopis, quam ſuis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita præ foribus eccleſiæ cunctis convenientibus inculcare; quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis eccleſiaſticus aditus excludatur, & excuſationis cauſa omnibus auferatur. Si quis ſane venerabilium epiſcoporum vel ſacerdotum in hac re diſtrictiſſime non vigilaverit, & in aliquo conniverit, quo minus eccleſiaſticæ ſeveritatis invectio circa perſonas delinquentium conſervetur, donec coram provinciali ſynodo ſatisfiat, a communione ſciat ſe eſſe ſuſpenſum. Si vero poſt tertiam conventionem in ſua negligentia manſerit, canonico judicio ſubjacebit,

Lib. 4. cap. 108.

XI.

Illos autem qui pro diverſis ſuis exceſſibus ſe conveniendos legaliter timent, aliumque ſenioratum confugiunt, & ibi pejora prioribus operantur, jubet ut a nemine ſuſcipiantur, donec ſub prioris Domini diſtrictione ſatisfaciant cunctis, quibus deliquerant. Si vero prius ſuſcepti fuerint, cum ſuo ſuſceptore communione priventur.

XII.

Lib. 3. c. 50. Verum quia ſunt plerique qui prolationem ſententiæ ſubterfugere cupientes, a matricialibus eccleſiis vel baptiſmalibus ſe ſubducunt; placuit, ut hi intra regionem poſiti, ſi a publicis eccleſiarum ſe conventibus ultra tres dies dominicos voluntarie ſententiam ſubterfugiendo ſubtrahunt, donec ſub ſatisfactione ſe corrigendos adſtruant, communione priventur.

XIII.

Adminiſtratores plane ſæcularium dignitatum, qui ad eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem conſtituti eſſe procul dubio debent, quotiens ab epiſcopis & eccleſiaſticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & ſecundum quod neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinent, & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi Dei timorem præ oculis non habentes negligere poſt ſecundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni ſe noverint communione uſque ad condignam ſatisfactionem privatos.

XIV.

Qui presbyterum ordinare neceſſarium ducit, deputet eum eccleſiæ in qua Domino ſerviens jugiter perſeveret.

XV.

Deuſd. l. 3. cap. 52. Anſel. l. 4. cap. 31. Auctoritate ſummi judicis Domini noſtri Jeſu Chriſti & principum apoſtolorum Petri & Pauli ſimul & omnium ſanctorum præcipimus, decernimus, & modis omnibus interdicimus, ut amodo & deinceps nullus quilibet homo petat patrimonia ſanctæ noſtræ eccleſiæ: Appiæ videlicet, & Lavicanenſe, vel Campaninum, Tiburtinum, Theatinum, utrumque Sabinenſe & Tuſciæ, porticum ſancti Petri, monetam Romanam, ordinaria & actionarica publica, ripam, portus, & Oſtiam. Sed hæc omnia in uſum ſalarii ſacri palatii Lateranenſis perpetualiter maneant, ita ut ſolitos reditus & angarias perpetualiter abſque * illa contradictione perſolvant. Et ſi quis hæc beneficialiter, vel alio quolibet modo ſubtrahere quovis tempore voluerit, anathema ſit. *Et infra.* Exceptis his quos familiares vel noſtros vel noſtrorum ſucceſſorum eſſe ratio proficua evidentiſſime demonſtraverit. Quod ſi quiſquam huic decreto noſtro contraire præſumpſerit, ſcilicet eadem patrimonia ſanctæ Romanæ eccleſiæ beneficiali ſeu quolibet more ſibi amodo dari petierit, aut volenti dare conſenſerit, & qui dat & qui recepit, anathema ſit.

* *Varius*, ulla. *H.*

XVI.

Si quis de maſſis ſive de colonis eorumdem patrimoniorum ſancti Petri apoſtoli, de quibus hactenus nulla conceſſionis conſcriptio reperitur, aut præcepta ſibi fieri poſtulaverit, aut poſtulanti aut ſuadenti conſenſerit; Ananiæ & Saphiræ, qui de propriis mentientes ante pedes apoſtolorum expiraverunt, pœna mulctetur. Et non ſolum is apud quem de prædictis rebus præcepti alicujus ſeries inventa fuerit, res illas cum frugibus, quibus ex eis abuſus eſt, ex toto reſtituat, ſed & eadem ſcriptura caſſata nihil per illum proficiat: verum etiam cum omnibus ſibi conſentientibus perpetuo anathemate perculſus, cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti æterni ignis incendiis exuratur.

Ibi

XVII.

Item apoſtolica auctoritate præcipimus & ſancimus, ut amodo & deinceps nullus cujuslibet gentis vel ordinis homo monaſteria, cortes, maſſas & ſalas, tam per Ravennam, & Pentapolim, & Æmiliam, quam & per Tuſciam Romanorum atque Longobardorum, & omne territorium ſancti Petri apoſtoli conſtitutas, præſumat beneficiali more, aut ſcripto, aut aliquolibet modo petere, recipere, vel conferre: exceptis illis dumtaxat, quibus pro utilitatibus & ſpeciali ſervitio ſanctæ Romanæ eccleſiæ vel ducatus uniuſcujuſque loci habitatoribus præbetur, vel ad noſtra diſpenſanda conſtituti ſunt vel conſtituentur. Quod ſi quiſquam huic noſtro ſtatuto contraire tentaverit, & de præfatis quibuslibet alicujus modi ſcriptum ſibi fieri poſtulaverit, aut etiam beneficiali more ea retinere præſumpſerit, excepta diſpenſatione apoſtolica, quæ ad augmentum & ſervitium ſanctæ Romanæ eccleſiæ eſſe probatur, ſtatuimus ut non ſolum ſcriptura illa caſſata nullum robur obtineat firmitatis, ſed etiam fruges ex eis quibus uſus, omnino reſtituens, nihil ex hac ambitione vel beneficiis ipſis lucratus anathemati ſubjaceat.

Lib.

XVIII.

Decimas unumquemque fidelem illi ſacerdoti dare cenſuimus in cujus parochia eum procul dubio conſtat ſub epiſcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab epiſcopo ſuo eſt conſtitutus, manere. Et ideo nullum alterius diœceſeos ſacerdotem aut levitam alteri jure canonum debita hujuſmodi audere impudenter vel temere quærere aut accipere donationem. Eum vero qui aliter dare vel accipere præſumpſerit, eccleſiaſtica communione tamdiu judicamus manere privatum, donec ſecundum hoc noſtræ apoſtolicæ auctoritatis capitulum ſtuduerit agere.

XIX.

In domibus eccleſiarum neque miſſus, neque comes vel judex, quaſi pro conſuetudine, neque placitum, neque hoſpitium vindicent: ſed in publicis rebus domos reſtituant, in quibus placitum teneant, & ſecundum antiquam conſuetudinem hoſpitentur.

Explicit ſynodus Joannis VIII. Ravennæ habita.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ad hanc Ravennatenſem ſynodum haud dubie pertinet diploma quod ſequitur ab aliquot jam annis publicæ luci datum, tum a Ven. domno Georgio Violeo O. B. congregationis S. Mauri monacho anno 1653. in defenſione ſive vindiciis reliquiarum S. Reginæ virginis & mar-

martyris, tum a R. P. Petro Francisco Chiffletio S. J. in probationibus historiæ Tornutiensis monasterii anno 1664. Divione excusæ.

EPISTOLA CONCILII RAVENNENSIS

EPISCOPORUM LII. QUA PRÆSENTE Joanne papa VIII. possessio Flaviniaci monasterii, & Tiliniaci villæ, Adalgario Æduensi episcopo, & ejus ecclesiæ confirmatur *, mense Novembri anni Christi 877.

Ex tabulario ecclesiæ Æduensis.

ANno dominicæ incarnationis octingentesimo-septuagesimo septimo, indictione * decima, nos episcopi Ravennæ in nomine Domini apostolica auctoritate & imperiali decreto in sancta synodo congregati, præsidente eidem synodo sanctissimo & reverendissimo domino Joanne summo pontifice & universali papa; cum ecclesiastica negotia & sollicitudines pro viribus annuente divina gratia tractaremus, affuit reverendissimus & confrater noster Adalgarius sanctæ Augustudunensis ecclesiæ episcopus, missus etiam imperialis, deferens, nobis præcepta imperialia, & privilegio sedis apostolicæ roborata, ex quodam monasterio Flaviniaco nomine, quod est situm in pago Alsensi, in parochia jamdictæ Augustudunensis ecclesiæ: quod munificentia & liberalitate Christianissimi imperatoris & piissimi augusti Karoli jamdictæ matri ecclesiæ constat unitum, & indissolubili nexu commixtum, perpetuoque jure (sicut in præcepto, & privilegio, quæ coram nobis relecta sunt, continetur) æternaliter subjectum. Et ex Tiliniaco villa præceptum imperiale, & apostolicum privilegium, quam constat fuisse dudum a beato Leodegario martyre & pontifice eidem ecclesiæ collatam, & tyrannica usurpatione pravorum hominum olim ab eadem ecclesia subtractam, & per idem præceptum memorati Augusti eidem sancto loco redditam & reformatam, itemque privilegio apostolicæ sedis ex integro corroboratam; humiliter petens, ut id quod factum fuerat, etiam nostra auctoritate roboretur. Cujus petitioni, caritatis & fraternitatis gratia libenter annuentes, simul cum auctoritate & assensu jamdicti summi pontificis generali synodo præsidentis, statuentes decernimus, & decernentes statuimus, ut eadem præcepta & privilegia inconvulsam obtineant omni tempore firmitatem. Si quis autem præsumptor temerario ausu contra hoc quod sæpedictus augustus plenissima devotione pro animæ suæ, suorumque salute eidem sanctæ Augustudunensi ecclesiæ contulit, & restaurando reddidit, & sedes apostolica privilegii auctoritate firmando roboravit, nec non quod modo nostra humilitas, & generalis totius synodi auctoritas promulgando totis viribus astipulatur, venire, infringere, contradicere, aut in aliquo imminuere tentaverit, anathematis vinculo a Patre & Filio & Spiritu sancto cognoscat se æternaliter obligatum: sed & cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, ignis actoris incendiis concremandum; & in barathrum dæmonibus perenniter deputatum, ac sine spe recuperationis demergendum. Custodes autem & observatores hujus nostri decreti, benedictio & pax Domini nostri Jesu Christi per æterna sæcula conservare dignetur. Amen.

Joannes sanctæ Romanæ ecclesiæ summus pontifex & universalis papa subscripsi.

Anspertus Mediolanensis archiepiscopus subscripsi.

Joannes Ravennensis archiepiscopus subscripsi.

Petrus patriarcha sanctæ Gradensis ecclesiæ subscripsi.

Adelardus sanctæ Veronensis ecclesiæ subscripsi.

Wibododus Parmensis ecclesiæ subscripsi.

Leo missus & apocrisiarius sanctæ Romanæ ecclesiæ subscripsi.

Leodoinus Mutinensis episcopus subscripsi.

Gauginus Voloterrensis episcopus subscripsi.

Petrus Elibertinensis episcopus subscripsi.

Galtericus Velitrenensis episcopus subscripsi.

Zenobius Fesulanus subscripsi.

Olchisus * Pictorienſis episcopus subscripsi. * *Lego*, Pistorienſis. *H.*

Gerardus Lucensis episcopus subscripsi.

Dominicus Barensis episcopus subscripsi.

Vitalis Cumanus episcopus subscripsi.

Petrus Orbevetanus episcopus subscripsi.

Paulus Aquensis episcopus subscripsi.

Marinus Tiphernatensis episcopus subscripsi.

Odelgarius * Eferniatensis episcopus subscripsi. * *Pro*, Esserniatensis. *H.*

Adonius Pesaurensis episcopus subscripsi.

Theodoinus Hadriensis episcopus subscripsi.

Theodulphus * Tertonensis episcopus subscripsi. * *Pro*, Dertonensis. *H.*

Petrus episcopus Senogallensis subscripsi.

Vvalpertus Portunensis episcopus subscripsi.

Zacharias Anagnensis episcopus subscripsi.

Joannes Aretinus episcopus subscripsi.

Felix Spoletanus episcopus subscripsi.

Joannes Ticinensis episcopus subscripsi.

Joannes Populonensis episcopus subscripsi.

Viator Ferrariensis episcopus subscripsi.

Joannes episcopus Urbinatis subscripsi.

Petrus Cæsenatis episcopus subscripsi.

Maximinus Feretranus episcopus subscripsi.

Dominicus Trivensis episcopus subscripsi.

Paschalis Amerinensis episcopus subscripsi.

Theodorus Gallesiensis episcopus subscripsi.

Marcus Fanensis episcopus subscripsi.

Benedictus Cremonensis episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis episcopus subscripsi.

Antonius Brixianæ ecclesiæ episc. subscripsi.

Azzio Regiensis episcopus subscripsi.

Gerardus Laudicensis episcopus subscripsi.

Antigisus Genevensis episcopus subscripsi.

Vvalterius Sedunensis episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis episcopus subscripsi.

Garibaldus Bergomensis episcopus subscripsi.

Bodo Aquensis episcopus subscripsi.

Ratbornus Augustensis episcopus subscripsi.

Sabbatinus Genuensis episcopus subscripsi.

Heilbertus Comanus episcopus subscripsi.

Datum VI. Kalendas * Decembris, indictione decima, per manus supradicti Leonis missi & apocrisiarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, feliciter. Amen. * sunt qui legere malint Septembris quod multa evincunt.

ADNOTATIO P. ANTONII PAGI

ad An. Ch. 877. n. 11. & 12.

Concilium *Ravennatense*, de quo mentionem facit Joannes Papa in litteris LIII, LV, LVI, LVII, LIX, & LX, celebratum non fuisse existimavit Baronius; Rubeus vero in Hist. Ravennat. lib. 5. peractum quidem esse, sed ad nos Acta non pervenisse. Verum Holstenius decreta ejusdem Synodi in Collectione Romana postea publicavit, eisque hunc titulum præfixit: *Joannis Papæ VIII. Synodus Ravennæ habita cum CXXX. Episcopis an. Christi DCCCLXXVII. mense Augusto, ind.* X. Non indicat Holstenius, an ipsemet titulum ex suo addiderit, vel illum in MS. exemplari invenerit, qua in re etiam alii Conciliorum Collectores sæpe peccarunt. Cum tamen numerus ille CXXX. Episcoporum in canonibus hujus Concilii, qui tantum supersunt, non legatur, existimo illum ab Holstenio in MS. quo usus est, repertum. Chiffletius in Probationibus Historiæ Trenorciensis pag. 249. & in ipsa Historia pag. 119. suspicatur, Hol-

Holſtenium tam in Epiſcoporum numero, quam in menſe celebrati Concilii hallucinatum eſſe, quod poſſeſſio Flaviniaci monaſterii *Adalgario* Æduenſi Epiſcopo in eo Concilio confirmetur, ejuſque *Confirmationis* initio legatur: *Anno dominicæ Incarnat. DCCCLXXVII., indictione X.*, in fine vero: *datum VI. Kalendas Decembris, indictione decima*, & denique a quinquaginta tantum duobus Epiſcopis ſubſcripta ſit. Verum ſuperſunt complurima Diplomata in Conciliis confirmata, & a parte tantum Epiſcoporum, qui eiſdem interfuerunt, ſubſcripta. Ad hæc menſe Novembri Indictio undecima a Kalendis Septemb. in Italia obtinebat, ideoque loco *VI. Kalendas Decembris*, legendum, *VI. Kalendas Septembris*, quod hæc verba, quæ in eo Diplomate habentur, indicare videntur: *Nos Epiſcopi Ravennæ in nomine Domini Apoſtolica auctoritate & Imperiali decreto in ſancta ſynodo congregati*; menſe autem Novembri Joannes VIII., qui Synodo præfuit, literis ad Carolomannum Regem datis, & numero ſuperiori a nobis memoratis, ſolatus eſt eum de morte Imperatoris patrui ejus, eaque Epiſtola menſe Novembri data præfert *indictionem XI.* Nec veroſimile eſt, Imperio vacante Pontificem & Epiſcopos ſe *Imperiali decreto* congregatos dixiſſe. Sed verba alia, quæ in eadem Epiſtola habentur, opinionem Chifletii plane evertunt, & Concilium vivente Imperatore congregatum certo oſtendunt: *Affuit Reverendiſſimus & confrater noſter Adalgarius Sanctæ Auguſtodunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Miſſus etiam Imperialis, deferens nobis præcepta Imperialia, & Privilegio Sedis Apoſtolicæ roborata, ex quodam monaſterio Flaviniaco nomine, quod eſt ſitum in pago Alſenſi in Parochia jam dictæ Auguſtodunenſis Eccleſiæ: quod munificentia & liberalitate Chriſtianiſſimi Imperatoris & piiſſimi Auguſti Karoli jam dictæ matri Eccleſiæ conſtat unitum.* Noſtra igitur emendatio proſus certa, & Synodus Ravennatenſis ab Holſtenio accurate conſignata.

ANNO CHRISTI 878.

Synodus *Ravennatenſis* ad octavum Kalendas Julias primum indicta, poſtea ad undecimum Kalendas Auguſti dilata fuit, ut utrumque ex literis Joannis Papæ mox citatis certo conſtat. Quare vel iterum dilata fuit in aliquem diem Kalendarum Septembrium, vel ſaltem ea per menſem & amplius continuata, quod ultimum valde veroſimile; cum ex laudatis Joannis Papæ literis pateat, diverſa & magni momenti negotia in eo Concilio tractanda fuiſſe, & omnes Italiæ Epiſcopos eidem adeſſe debuiſſe. Illius Concilii ſuperſunt tantum Capitula XIX. ad diſciplinam & immunitatem Eccleſiaſticam reſtituendam ſpectantia, & præterea Epiſtola, qua poſſeſſio Flaviniaci monaſterii *Adalgario* Æduenſi Epiſcopo confirmatur, quam Holſtenius non viderat, ideoque cetera alia in eo geſta ignorantur. Chiffletius fatetur, Concilium Ravennenſe iterum dilatum fuiſſe, ſed innixus his verbis ejuſdem Epiſtolæ, *datum VI. Kalendas Decembris, indictione X.*, illud rejicit in menſem Novembrem, contenditque hoc tempore Indictionem ſæpe cum anno Chriſti inchoatam fuiſſe, quod ex variis Caroli Calvi Diplomatis probat. At licet in Galliis Indictiones ſæpe hoc ſæculo poſt Ludovici Pii mortem cum annis Incarnationis inchoatæ fuerint, in Italia tamen antiquus uſus ſemper ſervatus, præſertim Joannis VIII. Papæ tempore, cum omnes ejus Epiſtolæ, ex quibus complures ſuperſunt, notatæ reperiantur Indictione a Kalendis Septembris auſpicata. Neque video hoc in dubium venire poſſe.

[a] CONCILIUM IN NEUSTRIA

CELEBRATUM ADVERSUS HUGONEM

Lotharii regis filium illegitimum anno Domini DCCCLXXVII. * tempore Joannis Papæ VIII.

* aut potius ſeq. 878.

[a] *Concilium.*) In hoc concilii legati Ludovici Cchiepiſcopum, qui concilii præſes erat, literas imperatoris * III. conqueſti ſunt, quod Hugo Lotharii regis defuncti filius nothus & illegitimus, poſt obitum Caroli imperatoris, collecta factioſorum hominum multitudine, ejuſdem Ludovici regnum invaſiſſet, & ſummopere devaſtaſſet. Quo cognito, ſynodus per Hincmarum Rhemenſem arcomminatorias ſcripſit: quarum ſummarium Flodoardus lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 19. & 26. ſcripſit. Ad hujus concilii cauſam conducunt plurimum quæ Vvilhelmus Gemmeticenſis quingentis abhinc annis ſcripſit lib. 1. de ducibus Nortmannis c. 5. 6. 7. 8. & ſequentibus.

* Binius Lud. Balbum Franc. regem minus vere imperatorem hujus nominis III. appellare ſolet.

ROMANUM CONCILIUM

A Joanne VIII. papa, & plurimis ex Italia epiſcopis celebratum,

Anno 878.

Anno 878. LAmbertus Spoletanorum dux Romanam urbem infeſtis armis invaſit, occupatamque aliquandiu tenuit, manus interim, nec a laicis, neque a clero, nec dein a rebus ſacris abſtinens. Quam indignitatem ægerrime ferens Joannes VIII. pontifex, primo quidem amovere tyrannum blanditiis & pollicitationibus adniſus eſt. Dein vero erepta ex præſenti malo urbe, ſed pejora in futurum pertimeſcente, idem pontifex auxilium validum imploraturus iter in Galliam diſpoſuit. Prius tamen plurimis Italiæ epiſcopis ad ſynodum convocatis in eccleſia ſive beati Petri, ut ipſe Joannes in allocutione ad ſynodum Tricaſſinam II. narrat, ſive in eccleſia B. Pauli, ut ipſe in epiſtola LXXXIV. ad Joannem archiepiſcopum Ravennatem ſcribit, ſive ſemel in illa, iterum vero in iſta, Lambertum & Adalbertum comitem ſolemni lata excommunicatione damnavit, quam ſententiam in ipſis templi valvis ſcribendam Dad perpetuam impii ſceleris deteſtationem curavit. Synodi hujus, cujus alias mentio nulla ſuccurrit, meminit idem Joannes, in eadem, quam innui, ad Patres Tricaſſinæ ſynodi adlocutione, his verbis: *In eccleſia Beati Petri apoſtoli una cum epiſcopis, & confratribus noſtris Italicis excommunicavimus; & quia in his perſeveraverunt, chriſtianæ communionis immunes eſſe decrevimus. Quodque decretum in prædicta B. Petri eccleſia ſcriptum, ut ingredientes, & exeuntes legant, & doleant, eoſque anathematizatos teneant, poſuimus.* Hæc Joannes de concilio hoc Romano, alias ignoto. De anno, quod ambigamus, nihil ſuccurrit: ex epiſtolis enim Joannis, & ex Aimoino conſtat Lambertum anno 878. Romanam urbem invaſiſſe, eodemque anno pontificem, pronunciato prius in tyrannum anathemate, in Gallias ad concilium Trecenſe perrexiſſe.

ANNO CHRISTI 878.

CONCILIUM TRICASSINUM II.

Ab Joanne VIII. papa et episcopis

Gallicanis apud Tricassinam urbem, præsente Ludovico II. rege celebratum mense Augusto & Septembri anno Christi DCCCLXXVIII. eorumdem Joannis papæ anno VI. Ludovici Balbi regis primo.

Index eorum quæ pertinent ad concilium Tricassinum II.

I. *Actorum concilii Tricassini breviarium ex codice Virdunensi.*
II. *Allocutio Joannis papæ, & responsio episcoporum de Lantberto & Adalberto, qui Romæ fuerant excommunicati.*
III. *Excommunicatio papæ & synodi adversus pervasores rerum ecclesiarum.*
IV. *Iterata excommunicatio in Formosum episcopum, Gregorium nomenculatorem, & Georgium magistrum militum.*
V. *Statutum in eos, qui viventibus uxoribus alias ducunt, & in episcopos, qui de minore ad majorem ecclesiam migrant.*
VI. *Canones ab Joanne papa conditi, & in synodo probati ac recepti.*
VII. *Lex de sacrilegis ab Joanne papa Gothicis legibus addita in concilio Tricassino.*
VIII. *Privilegium ecclesiæ Pictavensis.*
IX. *Reclamatio & proclamatio Hincmari episcopi Laudunensis.*
X. *Epistola ad Frotarium archiepiscopum Burdigalensem.*
XI. *Confirmatio privilegiorum ecclesiæ Turonensis.*
XII. *Allocutio Joannis papæ ad episcopos synodi, & ad regem.*
XIII. *Privilegium monasterii Floriacensis.*
XIV. *Gestorum synodalium concilii Tricassini narratio altera ex Aimoino.*

I.

ACTORUM CONCILII TRICASSINI breviarium, sive, ut est in codice Virdunensi, ordo synodi, qualiter celebrata est, & excerptum quæ ibi facta sunt.

Regnante Domino nostro Jesu Christo per infinita sæcula anno incarnationis ejus DCCCLXXVIII. *indictione* XI. III. *Idus Augusti.*

Actio prima in ecclesia S. Petri Tricassina.

DUm domnus Joannes summus pontifex, & universalis papa Romanæ urbis pro quibusdam oppressionibus ecclesiarum in partes Galliarum deveniſſet, operæ pretium ducens pro sublevatione earumdem ecclesiarum generalem synodum Christo opifice aggregare, ut purgatis gratia Christi unigeniti scandalis de medio, una concordia atque votum omnium fieret toto orbe terrarum Domini sacerdotibus & regibus orthodoxis.

Allocutio pontificis. Domini fratres & consacerdotes, qualia in Romana ecclesia, quæ caput est omnium ecclesiarum, oppressionum perpessi sumus a quibusdam perversis hominibus, jam auditu clare percepistis. Quapropter unanimiter mihi omnium vestrum sanctitudo studeat vigilanti A cura concurrere, ut malum noviter in ecclesia exortum valeamus funditus eradicare.

Venerabiles episcopi responderunt: Petimus inducias, donec confratres nostri reliqui & quod superna gratia inspiraverit generalitati nostræ, vobis respondere parati erimus.

Actio II.

Allocutio pontificis. Jam alii fratres & consacerdotes nostri audierunt causas necessitatis Romanæ ecclesiæ, volo ut vos similiter audiatis. Item interlocutio in medio antistitum locutionis, cum de B Lantberto lectio legeretur, & de crudelitate quam in Romanam gessit ecclesiam, sancta synodus respondit: Secundum mundanam legem mori debet qui talia in ecclesiasticis committere ausus fuit rebus, ecclesiastico dogmate insolubiliter est feriendus. Item sancta synodus inducias petens scriptis respondere suis, delata a pontifice Romano sententia est, in qua præfixum est, ut per omnes metropolitanas ecclesias conjunctis suffraganeis legatur excommunicationis atque damnationis malefactorum sententia, & sic ad notitiam omnium Christianorum perducatur.

C Hincmarus archiepiscopus Rhemorum respondit: Secundum sacros canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, quos apostolica sedes per beatum & domnum nostrum papam, & sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater, privilegio sancti Petri damnat damno, quos anathematizat anathematizo, quos excommunicat excommunicatos habeo, & quos privilegio beati Petri receperit & ego recipio: & quod in omnibus, secundum sanctarum scripturarum tramitem, sacrorumque canonum decreta, sedes Romana tenet, per omnia & in omnibus, pro scire & posse meo, juvante Domino, D perpetuum prosequor & teneo.

Aurelianus similiter dixit, & ceteri episcopi similiter dixerunt.

Post hæc exurgens Rostagnus venerabilis episcopus Arelatensis libellum obtulit sanctæ synodo. Quo perlecto, inventum est de saltu migrandi de ecclesia ad ecclesiam ep scopis vel presbyteris, & de conjugio relicto adhuc uxore vivente, & alia superducta.

Vvalbertus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ venerabilem synodum interrogat dicens: Quid super hoc negotio nefarie in ecclesia perpetrato collegium vestræ sanctitatis censeat edicite. Hincmarus Rhemorum archiepiscopus vice synodi respondit: Poscimus inducias, quatenus de hoc scripto canonica deferam capitula.

Theodericus Vesontionensis episcopus libellum obtulit super quadam fœmina modo velata, Versinde nomine, quæ nunc conjugium horrende sortita est.

Actio

ANNO CHRISTI 878.

Actio III.

Univerſi epiſcopi ſanctæ ſynodi libellum concordiæ ac devotionis unanimitatiſque confectum ſummo pontifici porrexerunt. Quem idem præſul benigne propriis manibus ſuſcepit, & ſuum ſub brevitate ſancitum ſuper auctoritate canonica & concordia coepiſcoporum conjunctæ ſynodo dedit. Poſthæc libelli porrecti ſunt ſummo pontifici & ſanctæ ſynodo: quorum ſuper Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo unus erat, alter vero ſuper Rotfredo Avenionenſi epiſcopo. Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo datæ ſunt induciæ ad reſpondendum: Rotfredus ibidem non eſt inventus.

Actio IV.

Lecta eſt lectio conſenſus totius ſynodi, & ſententia roborationis ejus data in pervaſores eccleſiarum, & tranſgreſſores præceptorum Dei. Et ſtatutum eſt, ut ſcriptiones manibus ſingulorum roborarentur. Sancta ſynodus poſt hæc petiit, ut de ſingulis neceſſitatibus eccleſiarum denuo capitula fierent. Ad hæc pontifex conceſſit, & juſſit ut in craſtinum deferrentur. Summus pontifex ſanctam ſynodum alloquens, ne ultra quilibet cum excommunicatis vel abjectis communicare præſumat, ſtatuit. Deinde promiſſio regum lecta eſt, & ſacramenta, quæ Pippinus & Carolus obtulerunt beato Petro apoſtolo, lecta ſunt. Poſthæc lecta ſunt capitula ſtatuta a domno Joanne ſummo pontifice Romano, quæ ſancta ſynodus amplectenda recepit & confirmavit: Item anathematizati ſunt Formoſus quondam epiſcopus, & Georgius dudum Romanæ ſedis nomenculator, & Gregorius magiſter militum. Item lecta ſunt capitula de accuſatione fratrum, & repulſione Judæorum.

Actio V.

Ottulſus venerabilis epiſcopus ſanctæ Tricaſſinæ eccleſiæ libellum obtulit reclamationis ſuper Iſaac de villa Venderevenſi, ſuamque dicebat eum obtinere paræciam. Theodoricus Veſontionis item obtulit libellum ſuper ſuffraganeos ſuos, qui ſynodice vocati audientiam præbere hactenus noluerunt. Item lecta ſunt capitula canonica prohibentia ne epiſcopi audeant migrare de minori ad majorem eccleſiam.

II.

Allocutio Joannis papæ ad ſynodum de Lantberti & Adalberti, aliorumque ſequacium excommunicatione.

CAriſſimi, condolete mihi, & ſedi apoſtolicæ, quæ caput & magiſtra eſt omnium eccleſiarum Dei, quæ & vos religioſo utero genuit, reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ, ſacrique confratres & conſacerdotes Dei, venerabiles eccleſiarum Chriſti antiſtites, & totius ſacrati ordinis viri, & mecum tantas injurias eccleſiæ ſancti Petri apoſtolorum principis, cæleſtiſque regni clavigeri, cui ligandi & ſolvendi data eſt a Deo poteſtas, ſimul flentes requirite, tantaſque invaſiones atque contumelias civitati Romanæ illatas cum ingenti dolore lugete, & mecum, qui curam & ſolicitudinem omnium veſtrum habeo, & ſecundum Domini vocem, quoties cauſa exegerit, converſus vos in omnibus bonis debeo confirmare; ac neceſſariæ conſolationis opem conferre, viriliter ſtate, quærentes ſimul & judicantes tantæ patratores iniquitatis, tantæque temeritatis præſumptores, ut digna ultione temporaliter puniti, ſpiritu ſalvi ſint in die Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam eos prædictos Lantbertum & Adalbertum, ſequaceſque eorum, pro quibus tantis ſceleribus, tantiſque perjuriis patefactis, in eccleſia B. Petri apoſtoli, unâ cum coepiſcopis & confratribus noſtris Italicis, excommunicavimus, & quia in his perſeveraverunt, Chriſtianæ communionis immunes eſſe decrevimus. Quodque decretum in prædicta beati Petri eccleſia ſcriptum, ut ingredientes & exeuntes legant & doleant, eoſque anathematizatos teneant, poſuimus. Et vos, fratres cariſſimi, ut decrevimus, noſtræ communionis alienos tenete, & anathematizatos fautores eorum mecum facientes conſternite.

Reſponſio epiſcoporum qui affuerunt apud Trecas, de excommunicatis, quos domnus papa Joannes apoſtolicus excommunicavit.

DOmine ſanctiſſime & reverendiſſime pater patrum, Joannes catholicæ atque apoſtolicæ eccleſiæ videlicet Romanæ primæ ſedis papa, nos famuli ac diſcipuli veſtræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum epiſcopi, his quæ ſuper vulnera dolorum veſtrorum maligni homines ac miniſtri diaboli addentes, in ſanctam matrem noſtram ac magiſtram omnium eccleſiarum commiſerunt, compatimur, & dolori veſtro conflentes condolemus, atque judicium veſtræ auctoritatis, quod privilegio beati Petri & ſedis apoſtolicæ in eos, & complices eorum, juxta ſacros canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, & ſecundum ejuſdem Romanæ ſedis pontificum deceſſorum veſtrorum decreta protuliſtis, voto, voce, & unanimitate noſtra, atque auctoritate ſancti Spiritus cujus gratia in epiſcopali ordine ſumus conſecrati, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, eos interimentes perſequimur. Scilicet quos excommunicaſtis excommunicatos tenemus, quos ab eccleſia abjeciſtis abjicimus, quos anathematizaſtis anathematizatos eſſe judicamus, & quos regulariter ſatisfacientes veſtra auctoritas & apoſtolica ſedes receperit, recipiemus. Sed ut in ſacra hiſtoria de plaga Ægyptiaca digne a Deo illata *Exod.* legimus, quia non erat domus in qua non jaceret mortuus, & non erat qui alium conſolaretur, quoniam in domo ſua unuſquiſque quod lugeret habebat, nos quoque in noſtris eccleſiis lugenda lugemus. Et ideo veſtra auctoritate nobis ſubveniri cum omni mentis humilitate depoſcimus, petentes ut promulgetis capitulum veſtræ auctoritatis, qualiter nos erga eccleſiarum noſtrarum pervaſores agere debeamus: ut cenſura apoſtolicæ ſedis muniti, robuſtiores & promptiores deinceps, Domino opem ferente, contra perverſos eccleſiaſticarum rerum ac facultatum raptores ac vaſtatores, ſacrique miniſterii epiſcopalis contemptores, nos ſucceſſoreſque noſtri perſiſtere concordi ſententia valeamus: ut juxta egregii prædicatoris vocem, & veſtræ auctoritatis promulgationem, traditi ſatanæ ſpiritu ſalvi fiant in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

III.

III.

Excommunicatio Joannis apostolici, & ceterorum episcoporum qui affuerunt apud Trecas, de pervasoribus rerum ecclesiasticarum.

DE pervasoribus quippe rerum ecclesiasticarum, quos sacri canones, Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, & decreta pontificum sedis apostolicæ, sub anathemate usque ad regularem satisfactionem esse debere constituerunt, sed & de raptoribus, quos apostolus, Christo in se se loquente, regnum Dei non possidere testatur, & cum hujusmodi omni veraciter Christiano nec cibum sumere præcipit, quamdiu in ipso crimine permanent, per virtutem Christi, & judicio Spiritus sancti decernimus, ut si ante proximas Kalendas Novembris easdem res, quas quique usurpatores injuste pervaserunt, ecclesiis suis regulariter satisfacientes non restituerint, a communione corporis & sanguinis Christi, usque ad restitutionem rerum ecclesiasticarum & satisfactionem, alieni habeantur, & sacri episcopalis ministerii excommunicationis ecclesiasticæ contemptores, secundum evangelicam & apostolicam auctoritatem, ab episcopis quorum interest commoniti, si regulariter satisfacientes non resipuerint, anathematis vinculo innodati usque ad satisfactionem permaneant. Et si in ipsa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum hymnis & psalmis sepeliat, nec memoria illorum ad sacrum altare inter fideles mortuos habeatur, docente apostolo & evangelista Joanne: *Est peccatum ad mortem: pro illo non dico ut quis roget*. Peccatum enim ad mortem est perseverantia in peccato usque ad mortem. Et sacri antiquorum patrum canones, de his qui sibi mortem voluntarie inferunt, & qui pro suis sceleribus puniuntur, sancto inspirante Spiritu decreverunt, ut cum hymnis & psalmis eorum corpora non deferantur ad sepulturam. Quorum decreta sequentes, ea quæ præmisimus de pervasoribus & raptoribus rerum & facultatum ecclesiasticarum, si non resipuerint, judicio Spiritus sancti decernimus, sicut beatus decrevit Gregorius, dicens quia tales Christiani non sunt, quosque & ego, & omnes catholici episcopi, immo & universalis ecclesia anathematizat.

IV.

Ejusdem Joannis papæ iterata excommunicatio adversus Formosum episcopum, Gregorium nomenclatorem, & Georgium magistrum militum.

AUctoritate apostolica parem sententiam iterato damus in Formosum nuperrime Portuensem episcopum, & Gregorium magistrum militum, anathematis & perpetuæ obligationis. Et quia non desinunt inquietare aures regum ac principum, & malis prioribus, juncti cum prædonibus & subversoribus ecclesiarum, nova & recentia mala addere quotidie student, insolubiliter vinculo perpetuo & irrecuperandæ spei, sancti Spiritus Dei nostri virtute damnamus, omnemque illis suspicionem obtinendæ indulgentiæ irreserabiliter excludimus, & omnes qui illis communicaverint, adjutoriumve præbuerint, de quocumque ordine, sive episcopali aut laicali, potentes, mediocres, ac pauperes, in eorum prolatis maledictionibus involvantur, quorum consortio uti A non metuant, & nisi resipuerint, sint anathema maranatha.

ANNO CHRISTI 878.

V.

Statutum Joannis papæ adversus laicos, qui viventibus uxoribus alias ducunt, & contra episcopos, qui de minore ad majorem ecclesiam ambitus causa demigrant.

INter nonnulla necessitatum a sancta synodo reclamatum est, quod laicorum quidam, sortitis primo legaliter conjugiis, postposito Dei timore, secundi, vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrahant. De quibus Otilo quidam B intra parochiam Rostagni Arelatensi episcopi, & Eooldus intra Ottramni Viennensis archiepiscopi, talia feciſſe multorum fama refertur. Ad augmentum quoque earum transgressionum, quod flebiliter dicimus, additum est, quod episcoporum quidam intra septem provincias Galliarum, calcato termino patrum, spretoque sancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad majorem ambitus causa demigrant episcopalem cathedram. Quibus canones Spiritus sancti gratia concorditer contradicunt. Nos quoque eorum, quos veneranter imitamur atque complectimur, quorumque statutis consentimus, ecclesiarumque gubernationem tenemus, fulti virtute interdicimus, & inhærendo prohibemus, ne quisquam catholicorum taliter audeat amodo C & deinceps agere, & si, ut non optamus, hactenus quidquam taliter actum est, digna pœnitudine ecclesiastica corrigatur. Denique hac auctoritate apostolica virtute Dei nostri intercedimus, ut episcopi ad pristinam sedem sine mora redeant, quia si tardaverint, continuo omni sacerdotali honore spoliabuntur: & laici redeant ad primum conjugium; sin autem, vinculo anathematis innodentur.

VI.

CANONES A JOANNE PAPA CONDITI, ET A SYNODO TRICASSINA probati & recepti.

TITULI CANONUM.

I. *De honore quem episcopis debent sæculi potestates.*

II. *Ut ecclesiarum possessiones ab episcopis non petant quibus non licet.*

III. *Ut capitula Ravennæ statica observentur.*

IV. *Ut Episcopi mutuo se in vexationibus adjuvent.*

V. *Ut a propriis episcopis excommunicati non suscipiantur ab aliis.*

VI. *Ut liberum alterius hominem contra leges nemo recolligat.*

VII. *Occultæ fratrum accusationes interdictæ.*

I.

Ut episcopi &c. *Extat in Baluz. Tom. II, pag.* 273.

VII.

ANNO CHRISTI 878.

VII.

LEX DE SACRILEGIS A JOANNE PAPA VIII. Gothicis legibus addita in concilio Tricaſſino.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus epiſcopis, comitibus, vicecomitibus, centenariis, judicibus catholicis, in Hiſpania & Gothia provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ivo part. 3. c. 98.

NOveritis dilectiſſimi filii, quia nos pro ſtatu ſanctæ Dei eccleſiæ juſſimus congregari ſynodale concilium apud urbem Trecas. Ubi ſedentibus nobis in corona, venit ante præſentiam noſtram filius noſter Sigebodus primæ ſedis Narbonenſis epiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis epiſcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de ſacrilegiis, & in eiſdem legibus ſcriptum erat, ut cauſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ: atque ita jus ſanctæ eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ & Hiſpaniæ provinciis. Unde noſtra ſerenitas, cum præſcriptis epiſcopis, inſpectis legibus Romanis, ubi habebatur de ſacrilegiis, invenimus ibi a Juſtiniano imperatore legem compoſitionis ſacrilegii conſtitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus eſſe tenendam, quæ a Carolo eſt conſtituta pio principe de compoſitione ſacrilegii, videlicet in xxx. libras examinati argenti, id eſt ſexcentorum ſolidorum ſummam argenti puriſſimi. Ideoque quiſquis inventus fuerit reus ſacrilegii, iſtam leviorem compoſitionem emendet epiſcopis ipſis, vel abbatibus, ſive perſonis, ad quas querimonia ſacrilegii juſte pertinuerit: & ſi ipſe reus ſacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi ſubjaceat, uſquequo prædictam compoſitionem ſexcentorum ſolidorum perſolvat. Et ſi in hac obſtinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum pſalmis & hymnis non deferatur ad ſepulturam. Et præcipimus ut in fine codicis legis mundanæ ſcribatur hæc lex.

17. qu. 4. Quiſquis inventus.

VIII.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ VIII.

Privilegium eccleſiæ Pictavenſis, ne quis ejus bona invadat, & ut ablata reſtituantur.

Omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris.

Epiſt. III. ſupra pag. 84.

DIvino quia Romanum pontificium largitu enitet univerſis, illud luce clarius conſtat, largita defendere cunctis: quoniam indubitati juris eſt, ſemel conceſſa perenni cultu fore tenenda. Ceterum omnium religioſitas, orthodoxorumque pernoſcat fidelitas, quod ut relatu quorumdam didicimus, Pictavenſis quidem eccleſia, quam diutinus Paganorum hoſtis perſequitur, multa Chriſtianorum iniquorum incommoda patitur, quibus preſſuris nos convenit perdolere, eamdemque nihilo minus tanto faſce levare. Quapropter præcipimus, apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus, quod nemo veſtrum, tam ſacerdotali ordine perfruens, quamque militare officium tenens, ipſius eccleſiæ Pictavenſis aliquam eccleſiam, aliquodve monaſterium, vel prædia ipſi quoquomodo pertinentia invadere præſumat, ulloſve colonos, ſervos, ancillaſve, contra ſui epiſcopi velle tollere audeat: ſed liceat ipſius eccleſiæ Hecfrido videlicet epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, illa, quæ ſui anteceſſores legitimo tramite canonicæ auctoritatis habuerunt, ſub noſtra tuitione habere, & ut poſſederunt poſſidere, & ut ordinaverunt ſuo arbitrio ordinare, cum conſulto conſenſuque ſuæ eccleſiæ canonicorum, ut priſca conſuetudo dignoſcitur, ſine veſtro veſtrorumque obſtaculo, & omnium hactenus talia præſumentium. Inter hæc volumus quaſque cauſas prædicto Hecfrido epiſcopo inde motas in noſtra præſentia adducendas. Si quis vero ſacerdotum, judicum, atque ſæcularium perſonarum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, poteſtate honoris ſui ac dignitate percuſſus apoſtolico anathemate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi vel ea quæ ab illo ſunt male ablata reſtituerit, vel præſumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore Dei Domini ac redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat. Cunctis autem eidem præfatæ eccleſiæ jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatenus & hic fructum bonæ operationis recipiant, & apud ſummum arbitrum præmia æternæ pacis inveniant. Data III. Kalendas Septembris, indictione XI. Trecis.

IX.

Reclamatio & proclamatio Hincmari, qui quondam præerat eccleſiæ Laudunenſi.

DOmine & ſumme pater patrum, & rector pontificum, Joannes nomine & meritis vocate, audi vocem proclamationis meæ, & exaudi vocem deprecationis meæ, compaſſus cauſæ calamitatis meæ. A Rhemorum archiepiſcopo ad ſynodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe ibidem ut reſponderem. Ad quam cum feſtinaſſem, violentia hoſtili in medio itinere ſegregatus ſum ab ovibus meis, privatus ſum & ſpoliatus omnibus rebus meis, perductus ſum ab eiſdem hoſtibus uſque ad præfatam villam. In qua cum conſiſterem, jam ſtabat rex Carolus ante ipſum archiepiſcopum meum, tenens in manu ſcripturam, reputans me eſſe perjurum, quia Romam ſine ſua voluntate miſerim, & imputans quod eum accuſaverim. Ad quæ idem archiepiſcopus me reſpondere juſſit. Cui ego reſpondi, quia pro his, de quibus me admonuerat in eadem ſynodo eſſe paratum ut reſponderem, paratus eram ſcriptis reſpondere: quæ ſcripta præ manibus tenui, ſed ipſe non permiſit ut ſynodus ſcripta mea ſuſciperet, quia ſibi dari jubebat, ſed ego ſuſpecto dare nolebam. De clerico autem meo, nomine Bertario, quem ſubito requiſivit, ſed requiſitus non adfuit, reſpondi quia ipſi homines mecum veniebant, qui eum comprobaturi eſſent, ſi eis venire licuiſſet: ſed idem archiepiſcopus de his nihil me poſtea appellavit, ſed ad accuſationem regis me reſpondere iterum atque iterum præcipiebat. Et ego reclamavi, quia non docebat canonica auctoritas, nudatum & ſuis rebus ſpoliatum, inſuper & ab hoſtibus detentum, reſpondere ullatenus debere. Sed & addidi, quia non ſolum ſuſpectum, ſed manifeſtiſſime illum infeſtum habebam. Unde & apoſtolicam ſedem appellavi pro amore Dei & honore ſancti Petri, tam de ipſa accuſatione regis, quam de præjudicio quod ab

ipſo

ipso patiebar archiepiscopo. Legi manibus tenens A auctoritates Julii papæ, & Felicis papæ, videlicet ea quæ ipsi in eis præfigunt de appeliationibus episcoporum: quæ mihi servari appellando sedem apostolicam prostrato corpore expetii, sed nihil horum mea petitio obtinuit. Sed neque literæ apostolicæ, quas mihi præsentialiter dederat, quoniam me vocabant, ut procrastinando venire non differrem, si status mei jacturam sustinere non vellem, quidquam prævaluerunt. Judicium præfatus archiepiscopus super me imposuit, ut ab episcopali removendus essem officio. Sed alii gemebant flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta quidem ab eodem archiepiscopo ipsis imposita manibus tenentes, sed ore proferre nolentes, inviti vix verba singultiebant, aditum B tamen ad sedem apostolicam minime sperantes mihi posse denegari. Unde, salvo per omnia sedis apostolicæ judicio, ipsi finem lectionis terminavere. Post hæc transmissus sum in exilium, in quo per duos annos sanus, sed aliquanto tempore ferro vinctus custoditus sum. Duobus annis ferme peractis, insuper cæcatus sum, & usque modo retentus, ad vos, & ad vestræ piissimæ serenitatis præsentiam, mox ut venire dimissus potui protinus accessi. Nunc autem vestram clementiam suppliciter exoro a vestra summa paternitate parari de me æquitatis judicium, cui secundum canonicam institutionem, & decreta Romanorum pontificum reservatus & reservandus sum, & fueram. Quod ob amorem Dei, & venerationem beati Pe- C tri, apud vestræ paternitatis pietatem obtinere efflagito, tum pro multitudine miseriæ meæ, tum pro magnitudine pietatis vestræ: quæ accendatur clementissimi redemptoris amore, qui me proprio acquisivit sanguine, & qualemcumque sancto suo sacravit munere.

X.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ VIII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM Burdigalensem.

Ut ad synodum veniat, & privilegium de sedium mutatione afferat.

Frotario venerabili archiepiscopo Burdigalensi.

AD synodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, cum reliquis septem Galliarum provinciarum confratribus & coepiscopis, fraternitatem tuam cum tuis suffraganeis episcopis, tam viva voce, quam literali, admonere ut venires omni postposita occasione cujuscumque occasionis studuimus, fatemur, jam tertio, ut simul positi emergentium quæstiones causarum statutis Canonicis demerentur, & sacerdotum Domini una concordia omnium fieret dilectionis. Sed cur venire distuleris, moleste cuncti ferimus, & valde miramur. Quapropter repulsa mora præsentiam tuam cum prædictis suffraganeis nobis & sanctæ E synodo citissime exhibe. Sic tamen instructus, ut cum de mutatione contra canones sedium, & de aliis excessibus, quibus, quod non optamus, patrum regulis feriri possis, impetitus fueris, causa justitiæ intercedente, illæsus & innocens recedere valeas. Hoc reverentiæ tuæ consulentes damus consilium, ne absentiam tuam tibi aliquid putes prodesse, sed immo secundum patrum statuta magis obesse. Privilegium atque scripturas de sedium mutatione, si qua a nobis vel prædecessoribus nostris habere sic fatemini, vobiscum sine mora deferre studeas.

XI.

ANNO CHRISTI 878.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ VIII. AD ADALARDUM ARCHIEPISCOPUM Turonensem.

Confirmat privilegia ecclesiæ Turonensi concessa.

Reverendissimo & sanctissimo Adalardo venerabili archiepiscopo Turonensi, successoribusque tuis, nec non & omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

DEcet Romanam ecclesiam, quæ mater est Epist. cxxxx. omnium Dei ecclesiarum, ut quanta viget supra p. 85. dignitate præclara, eo magis consistat in misericordia pia: quatenus quæ digna postulantur a fidelibus, sine mora cum pietate largiri mereantur a nobis. Omnium vestrum religiositatem volumus scire fideliter, quoniam presbyteri diœcesis Turonici pagi ad nostrum accesserunt pontificium, suggerentes ut firmaremus apostolica auctoritate illis & capitulare regum, & coepiscoporum scriptum, ut debeat unaquæque ecclesia proprium mansum habere cum mancipiis quatuor, vineas, aripennos tres, prata similiter, & cœmeterium cum mansionibus, sine personali & civili munere exigendo, nisi divino solummodo in ecclesiasticis rebus C obsequio, sicuti canonum prisca auctoritas & moderna concedit: ubi vero res nominatæ antiquitus condonatæ & moderno tempore abstractæ esse videntur, pontificali auctoritate & regali potestate sine mora aliqua aut tarditate restituantur. Nos illorum precibus inclinati volumus, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, ut præfata scripta, a nostro pontificio delata, a coepiscopis firmata, a regibus jussa, sint rata & modis omnibus observanda. Si quis hujus apostolicæ censuræ temerario ausu violator extiterit, si sacerdos fuerit, proprio honore privetur, & Christiana communione cassus anathematis vinculo innodetur; si laicus, similiter perpetua damnatione cum Juda traditore torqueatur: conservator vero perenni D benedictione apostolorum principum Petri & Pauli modis omnibus perfruatur.

XII.

Allocutio pontificis ad episcopos sub finem synodi.

VOs confratres & coepiscopos meos volo unanimiter mecum in defensione sanctæ Romanæ ecclesiæ, quam constat esse caput omnium ecclesiarum, convenire, donec Deo auxiliante in sedem beati Petri apostolorum principis revertamur, cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu: & de hoc, non differendo, sed sub omni celeritate & certitudine sponsionis, hic mihi quæso absque ulla dilatione continuo date responsum.

Item allocutio pontificis ad regem.

Vos, carissime fili Hludovice gloriose rex, precor, in defensionem, liberationem, atque exaltationem sanctæ Romanæ ecclesiæ, sicut prædecessores vestri fecerunt, & vobis sub attestatione facere mandaverunt, sine procrastinatione & ulla dilatione succurrite: quia ministri Dei estis, vindices in ira in his qui male agunt, & non sine

causa gladium portatis: ne forte, quod absit, illa vos aut regnum vestrum culpa contegat, quæ quosdam veteres reges inimicis & infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter strinxit. Vel si aliud placet, præsentaliter in isto loco date, per Deum & per beatum Petrum vos conjuro, sine mora responsum.

ANNO CHRISTI 878.

XIII.

Privilegium monasterio Floriacensi concessum in synodo Tricassina.

Joannes episcopus servus servorum Dei, omnibus episcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam constitutis.

QUoniam apostolica * successione solicitudinem omnibus ecclesiis debemus impendere, sic cupimus generali consulere necessitati, ut etiam quorumcumque singulares causas sine fastidio cognoscamus. Igitur cum propter multiplices ecclesiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas civitatem devenissemus, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVIII. & ad resecanda quælibet inutilia, vel statuenda ecclesiastica jura, synodum generalem plurimorum celebraremus episcoporum, inter alia suggessit auctoritati nostræ venerabilis partium vestrarum abbas, nomine Theotbertus, ex cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianensi, quod idem monasterium quidam religiosus abbas, Leodebodus nomine, monachus exstruxerit in honore Dei & sanctæ genitricis Mariæ, nec non beati principis apostolorum Petri: quod revelatione divina per monachos ejusdem loci a Beneventana provincia corpus illuc S. Benedicti pervenerit olim allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat veritate: & quod propter stabilimentum monasticæ religionis, piæ memoriæ glorioſus imperator Carolus præceptum suæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegaverit, partim a religiosis heminibus, pro amore Dei illic contributas, ut victum atque vestitum monachi ibidem Domino militantes deberent habere: nec non & hoc, quod beatæ recordationis pater ejus sereniſſimus Augustus in ipso loco hospitale nobilium, quod Porta appellatur, juxta regularem institutionem, itemque hospitale pauperum, in sui parentumque suorum eleemosyna statuerit, & res ad hoc opportune agendum, nec non alias ad lumen ecclesiæ administrandum jusserit deputari. Quæ omnia per jam dictos monachos hactenus ibidem comperimus observari. Nunc tam seipsum, quam unanimem congregationem sibi commissam, humiliter postulare, quamvis privilegia multorum meruerint episcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, ut super abbate regulari ex eis eligendo etiam nostræ auctoritatis privilegia consequantur. Quocirca nos potestatem, quam gratis a Christo accepimus, secundum evangelicam auctoritatem gratis prodesse omnibus cupientes, vice beati Petri apostoli decernimus, ut in sæpe memorato loco servi Dei absque inquietudine debitum suæ religionis persolvere possint servitium secundum regulam patris Benedicti, a propriis abbatibus, monachis videlicet ex eodem cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernetur. Nec illarum rerum, quæ vel in prælibato præcepto nominatim continentur vel a prædicto abbate venerabili nunc ejusdem loci Theotberto præfati monasterii officiis deputatæ habentur, ullam ab aliquo unquam patiantur immunitionem, & etiam

* *f.* suggestione

A rebus, quæ deinceps a quibuslibet religiosis hominibus eodem loco pervenerint condonatæ. Quod si quis hoc nostrum beneficium irrumpere præsumpserit, & stipendia servorum Dei in alios usus converterit, ab apostolica communione anathematis animadversione illum separamus, ut nisi admonitus e vestigio se correxerit, cum rapacibus a regno Dei exclusus quæ meretur tormenta persolvat. Ut autem hoc privilegium certam obtineat fidem, & Dei famulis in jam dicto Floriacensi cœnobio securitatem conferat, quamdiu Deus & Dominus noster ecclesiam suam durare voluerit, nostra id subscriptione roboravimus. Scriptum per manus Georgii scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Augusto, indictione XI. Bene valete.

B Data Nonis Septembris per manum Vvalberti humillimi episcopi sanctæ Portuensis ecclesiæ, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis, & universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione XI. *

XIV.

*Gestorum synodalium concilii Tricassini brevis altera narratio, quam habet * Aimoinus lib.* V. *cap.* XXXVII.

INterea Joannes papa generalem synodum cum episcopis Galliarum & Belgicarum provinciarum agens, qualiter Lautbertum & Adalbertum, C Formosum quoque, & Gregorium nomenclatorem, ac complices illorum Romæ excommunicaverit, relegi fecit in synodo, & consensum episcoporum in eadem excommunicatione quæsivit. Unde qui adfuerunt episcopi petierunt, ut sicut ipse excommunicationem, quam fecerat, per scripturæ rationem recitari fecit in synodo, ita & eis concederet, ut per scripturam illi suam consensionem proferrent. Et concedente ita fieri papa Joanne, in crastinum episcopi hoc quod sequitur diploma papæ in synodo porrexerunt: *Domine sanctissime ac reverendissime pater patrum Joannes*, &c. Quod diploma Joannes papa suæ excommunicationi ascribi fecit: & sua manu confirmans ab omD nibus episcopis in synodo subscribi fecit. Deinde ipso jubente lecti sunt in synodo canones Sardicensis concilii, & decretum papæ Leonis, de episcopis sedes suas mutantibus. Sed & Africani canones, ut non fiant episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frotario Burdigalensi episcopo, qui a Burdigala Pictavos, indeque ad Bituricensem civitatem exiliisse dicebatur. Et post hæc coronatus Ludovicus a papa Joanne, VII. Idus Septembris, invitavit eumdem papam in domum suam: & opipare pascens honoravit eum multis donis ipse & uxor sua, & remisit ad Trecas civitatem. Et postea per oratores suos oravit eumdem papam, ut uxorem illius in reginam coronaret, sed obtinere non E potuit. Frotarius autem & Adalgarius episcopi attulerunt in conventum episcoporum papæ Joanni præceptum, per quod pater suus Ludovico regnum tradiderat, petentes ex ipsius parte, ut privilegio suo ipsum privilegium confirmaret. Tunc papa Joannes protulit exemplar quasi facti præcepti a Carolo imperatore de donanda abbatia S. Dionysii Romanæ ecclesiæ. Quod compilatum consilio præfatorum episcoporum, & aliorum consiliariorum Ludovici regis, a plurimis credebatur, ut a Gozlino ipsam abbatiam, velut ex ratione, tollere & sibi habere posset. Et dicebat papa Joannes, ut si vellet Ludovicus rex, ut super illius

præ-

præceptum privilegium faceret, ſuo præcepto illud patris ſui præceptum firmaret. Quod argumentum, ſicut factio, & non ratio, imperfectum remanſit. Quarto Idus denique præfati menſis, Ludovicus rex quorumdam primorum compulſus petitionibus, venit ad apoſtolici manſionem, & cum eo familiariter locutus, una cum illo reverſus eſt ad conventum epiſcoporum in exedram juxta manſionem apoſtolici. Et poſt excommunicationem Hugonis Lotharii filii, & Immonis, ac complicum eorum, vim facientibus quibuſdam epiſcopis, & conſentiente rege, dixit papa Joannes, ut Hedenulfus, ſua auctoritate ordinatus epiſcopus, ſedem ſuam teneret, & epiſcopale miniſterium ageret, & Hincmarus cæcus, ſi vellet, miſſam cantaret, & partem de rebus epiſcopii Laudunenſis haberet. Et cum Hedenulfus apud eumdem papam peteret, ut eum ab illa ſede abſolveret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare monaſterium, obtinere non potuit: ſed præceptum eſt illi ab eo, conſentiente rege atque epiſcopis Hincmari fautoribus, ut ſedem ſuam teneret, & epiſcopale miniſterium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quod papa Joannes dixerit, ut ſi vellet Hincmarus cæcus miſſam cantaret, & rex conſenſerit ut partem de epiſcopio Laudunenſi haberet, inſperate aliarum provinciarum epiſcopi, ſed & aliarum regionum metropolitani, ſine præceptione papæ, Hincmarum veſtimentis ſacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius papæ adduxerunt, indeque ſublatum cantantes in eccleſiam illum duxerunt, & ſignum benedictionis ſuper populum dari fecerunt. Sicque ſynodus illa ſoluta eſt.

XV.

Eodem quoque jure quo privilegium Floriacenſe Sirmondus, ad acta concilii hujus revocare poteris quod poſt conventum Cabilonenſem an. 875. excuſum a nobis fuit diploma in gratiam concilii Tornutienſis ſupra pag. 301. ANNO CHRISTI 878.

NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Tricaſſinum II.*) In digerendis actis decretiſque hujus Concilii difficile fuit ſtatum ordinem tenere, tum quia ex diverſis locis congeſta ſunt, tum quia non eumdem ordinem tradunt qui res in eo geſtas commemorant. Conſentiunt tamen de Lantberti & Adalberti, qui eccleſiam Romanam & pontificem vexabant, excommunicatione actum fuiſſe primo loco. Quare hinc etiam orſi ſumus.

2 *Paſcaſius epiſcopus.*) Nomen loci cui præfuit, in ceteris exemplaribus omiſſum, in uno tandem offendimus, & Amerinum epiſcopum fuiſſe didicimus.

3 *Coronatus Ludovicus.*) Ludovicum Balbum jam ſuperiore anno regem coronarat Hincmarus archiepiſcopus, ut videre eſt in actis illius coronationis poſt capitula Caroli Calvi. Nunc iterum a papa coronam expetiit, exemplo Pippini abavi ſui, quem a Bonifacio primum archiepiſcopo, iterum a Stephano papa regem coronatum meminerat. Sunt autem, qui Ludovicum ab Joanne coronam hoc loco non regni, ſed imperii, ſuſcepiſſe putent. Inde enim Ludovicum Balbum inter imperatores plerique numerant tum exteri, tum noſtri etiam ſcriptores. Quod mirum certe mihi, falſumque ſemper viſum eſt, cum Joannes ipſe papa in epiſt. XLVII. & in aliis quas ad Ludovicum poſtea ſcripſit, ipſum regem non imperatorem vocet: in epiſtola LXXI. ad Ludovicum & Carlomannum Ludovici Balbi filios, Caroli Calvi nepotes, Carolo eorum avo imperatoris nomen tribuat, Ludovico Patri nomen regis, imperatorem haud dubie appellaturus, ſi imperator fuiſſet; eodemque modo Hincmarus in epiſtolis, quarum meminit Flodoardus lib. III. cap. XIX. fratres iſtos reges Ludovici regis, non imperatoris, filios nominet. Quid quod Ludovici ipſius Balbi, ut alia omittam, diploma extat pro eccleſia Nivernenſi, IV. Idus Septembres, hoc eſt triduo poſt coronationem iſtam Trecis datum, in quo non alium ſe quam regem vocat his verbis, *Ludovicus miſericordia Dei rex*. Rex ergo fuit, non imperator: imperatoris vero titulum, antiquis ignotum, alii poſtea temere affinxerunt.

CONCILIUM PAPIENSE

A JOANNE PAPA VIII.

exeunte Anno DCCCLXXVIII. celebratum.

HUjus Concilii meminit Joannes VIII. in pluribus Epiſtolis, præſertim vero in epiſt. 127. data Anſperto Archiepiſcopo Mediolanenſi, præcipiens ei ut ſibi ex Galliis revertenti Papiæ occurrat cum ſuffraganeis & coepiſcopis ſuis poſt feſtum S. Andreæ die ſecunda, hoc eſt 2. Decembris; & in epiſt. 142. ſcribit Epiſcopis Regienſi, Parmenſi, & Placentino ſe 8. Kalend. Decemb. Taurinum perveniſſe, inde Papiam profecturum, eoſque vocat ad Synodum ibi pro ſtatu Dei Eccleſiarum celebrandam. In epiſtola vero 141. præcipit Joanni Ticinenſi Epiſcopo, ut epiſtolam a ſe ſcriptam ſuffraganeis Epiſcopis Ravennatis Eccleſiæ cum celeritate mittere procuret, *ut ſtatuto die ad Papiam veniant, quatenus de ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatu, & communi atque univerſali ſalute tractare valeamus.* Huic Concilio ſubſcripſiſſe Joannem Ticinenſem Epiſcopum tradit Ughellus in Ital. ſacr. tom. I. in Papienſibus, eique Joannem Pontificem plura contuliſſe, ſeu potius confirmaſſe privilegia; & præcipue, ut populo, cleroque jus eſſet ſuum Epiſcopum eligendi; ut Epiſcopo Ticinenſi ad Synodum vocante Archiepiſcopos Ravennatem & Mediolanenſem cum ſuis ſuffraganeis, iſti accedere tenerentur. Quid præterea in hac Synodo actum fuerit, incompertum.

ANNO CHRISTI 879
Ex Supplementis Concil. Galliæ.

CONCILIUM IN CONFINIO PROVINCIARUM

Arelatensis et Narbonensis

A Roſtagno Arelatenſi & Sigebodo Narbonenſi Archiepiſcopis cum illorum ſuffraganeis celebratum, ut cauſam inter Vvalefridum Uceticenſem, & Rotfredum Avenionenſem Epiſcopos propter quandam Eccleſiæ Vvalefridi villam a Ractefredo ablatam, canonice definirent. Cujus rei mentio eſt tum in actione 3. Concilii Tricaſſini II. tum in Epiſtola 45. Joannis VIII. iisdem Archiepiſcopis ſimul hæc ſupradicta mandantis, cum in eodem Concilio idem Papa, cui libellus reclamationis adverſus eumdem Rotfredum porrectus eſt, diſſidium illud ob ejuſdem abſentiam terminare noluerit. Quis autem Archiepiſcoporum judicii fuerit exitus, neſcitur. Similis controverſia inter alios præſentes duos eidem Tricaſſinæ Synodo Epiſcopos ſedata eſt. (Sanctitati veſtræ, inquit Joannes VIII. Papa, notum eſt, qualiter Vvalfredus Uceticenſis Eccleſiæ Epiſcopus ad Synodum, quam Deo auctore apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit ſuper Ractefredo Avenionenſe Epiſcopo, quod ei quandam villam ad ſuam ſedem, ſive Parochiam pertinentem abſtuliſſet. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, Synodo defuit, ideo fraternitati veſtræ Apoſtolica auctoritate mandamus, ut coadunato numero Epiſcoporum, eorum cauſam canonico judicio finiatis, ita diſcutiendo & determinando tantæ præſumptionis invaſionem, ut nemo Epiſcoporum veſtrorum contra canonica præcepta ulterius inſurgere ſub periculo tentet. Vos quoque præſentialiter cum veſtris iſtud determinare judicium, Capitula quædam vobis Patrum auctoritate collecta mittimus, ſecundum quæ judicare abſque dilatione debeatis, ne quærendo aſſumatis laborem pro tali negotio.) Porro veriſimile videtur hanc Epiſcoporum controverſiam fuiſſe compoſitam anno Tricaſſinum Concilium ſequente, qui erit alterius Epocha, cum illos videamus Epiſcopos, de quibus eſt ſermo, alteri Concilio, ſcilicet Mantalenſi hoc eodem tempore celebrato, ſimul interfuiſſe.

[a]CONCILIUM ROMANUM II.

ob electionem novi imperatoris,

Poſt obitum Ludovici III. cognomento Balbi congregatum, anno Domini DCCCLXXIX. tempore Joannis papæ VIII.

Obitus Ludovici III.

[a] (*Concilium.*) Cum Ludovicus tertius 4. Idus Aprilis die paraſceves circa veſperum, anno redemptoris noſtri 879. obiiſſet, eaque de re Joannes papa VIII. certior factus eſſet, ſynodum Romæ indixit, teſte Aimoino, menſe majo celebrandam. Ad Anſpertum Mediolanenſem archiepiſcopum, quem ad hanc ſynodum vocabat, ſcribens epiſtolam 155. hæc ait: *Quia Carolomannus corporis, ſicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, de novi regis electione, ut omnes pariter conſideremus, vos prædicto tempore adeſſe, nempe ad Kalendas Majas valide oportet. Et ideo antea nullum abſque noſtro conſenſu regem debetis recipere. Nam ipſe qui a nobis eſt ordinandus in imperium, a nobis primum atque potiſſimum debet eſſe vocatus atque electus*, &c. Carolum Craſſum filium Ludovici fratris Caroli Calvi erga quem propenſior erat, Romam vocat. Cumque Anſpertus ad ſynodum vocatus venire noluiſſet, atque interea de eligenda Caroli perſona, propoſitum immutaſſet, poſt dictam in Aſpertum excommunicationis ſententiam, ſuſpenſa eſt novi imperatoris electio uſque ad biennium, quo elapſo Carolus, poſt Italiam ſæpe armis ſubactam, anno redemptoris noſtri 881. die nativitatis Romæ a Joanne VIII. creatus & coronatus eſt, poſtquam biennio interregnum fuiſſet. Ita Regino in chronico, & Aimoinus lib. 5. cap. 39. Baronius anno 879. num. 2.

Caroli Craſſi Imperatum anno

CONCILIUM ROMANUM III.

quo Petrus in causa Photii restituendi

Miſſus eſt Conſtantinopolim anno Domini DCCCLXXIX. tempore Joannis VIII.

[a] (*Concilium.*) Hæc ſynodus auctoritate Joannis papæ congregata Petrum alioſque adjunctos ei legatos ea facultate dumtaxat inſtruxit atque communivit, ut Photium a cenſuris eccleſiaſticis abſolverent, & ſedi Conſtantinopolitanæ reſtituerent: non ad veram & germanam ſynodum octavam ſub Hadriano pontifice habitam, reprobandam: & particulam illam, *Filioque*, e ſymbolo penitus tollendam, multa auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cum pateant ex ep. Joannis 199. ad Baſilium imperatorem ſcripta, qua ſe in Photio ſedi ſuæ reſtituendo, non concilii diſſipatione vel abrogatione, ſed tantum diſpenſatione uti ſignificat: ſecundo ex epiſtola 250. & 251. quibus indicat, ſe reprobare omnia, quæ præter reſtitutionem Photii acta ſunt. Tertio ex

ipſo

ipso commonitorio per Photium corrupto & falsato, in quo episcopi subscribentes profitentur omnes, se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Nos vero & germano commonitorio cujus 203. 250. aliisque pluribus Joannis papæ epistolis mentio fit, destituti, commonitorium illud quod a Photio corruptum, & in Photianæ pseudooctavæ synodi actione 3. lectum fuit, inserendum esse putavimus: tum ut inde acta hujus concilii confirmentur: tum ut quæ auctoritate legatorum in pseudooctava Photiana synodo Constantinopoli gesta dicuntur, falsitatis & impostura manifestæ redarguantur. Commonitorium autem Græce scriptum & a Metio Latine redditum sic se habet:

Joannes episcopus servus servorum Dei; commonitorium fratribus Paulo & Eugenio Episcopis, similiter & Petro presbytero cardinali, nostris Constantinopoli legatis.

CUm primum divina favente gratia & intercessionibus sanctorum apostolorum Constantinopolim ingressi fueritis, illuc divertite quo præcipiet imperator: & antequam imperatorem visitaveritis, nulli alii apostolicas literas tradere velitis. Cum coram imperatore fueritis, literas illi tradetis hujusmodi verbis illum alloquentes: Salutat vestrum ex Deo regnum spiritalis vester pater dominus Joannes apostolicus papa, tuam ex Deo potentiam suis orationibus singulis diebus sancto Deo commendans, ut ille qui vobis hoc dedit desiderium propter ecclesiasticam pacem, tribuat vobis gratiam suam, & consoletur vos sua felici protectione, & perficiat in bonis desideria vestra. Si rogaverit imperator, antequam literas legat sive capitula responsionis nostræ, hujusmodi verbis illis respondete: Si jubet imperium vestrum, videat epistolas. Et si dixerit: Quid continent epistolæ? illi respondete: Salutationes continent, & omnino recte perficiunt. Postridie salutaturi Photium sanctissimum accedite, & epistolam illi tradite, salutantes illum decenter talibus verbis: Salutat te dominus noster Joannes apostolicus papa, & vult habere te fratrem & comministrum, sicut scripsit imperator, ut propter pacem ecclesiæ reciperemus sanctissimum patriarcham Photium fratrem & comministrum nostrum, exaudiremus preces vestras, & præciperemus, ut coram nobis veniat ad synodum: & ut recipiat ipsum universa ecclesia: juxta tenorem literarum nostrarum, illum recipite ut comministrum nostrum, atque ut ecclesiæ Romanæ gratiam habeat, surgentes, illi dicite: Mandat dominus noster sanctissimus papa, ut omnes qui in diversis locis extra terminos extiterunt, sive episcopi, sive presbyteri, sive quivis alii fuerint, & noluerint hucusque vobis communicare, vestro opere & labore uniantur ecclesiæ Dei, & fiant unum vobiscum. Qui si venerint, recipite illos, ut pater recipit filios, eosque monebit sæpius, ut propter pacem Dei ecclesiæ idem sentiant cum apostolico, ut unius sint cum ipso voluntatis: recipientes videlicet Photium sanctissimum patriarcham & cum illo una communicantes. Si autem venerint quicumque antea fuerant ordinati, recipiant sedes suas; qui vero deinde fuerant ordinati, accipiant ab episcopis ipsis victum & vestitum necessarium.

Præsidentibus vobis in synodo una cum prædicto sanctissimo patriarcha & legatis orientalibus, una cum reliquis archiepiscopis & metropolitis, & omnibus sacerdotibus Constantinopolitanæ ecclesiæ, primum legantur literæ ad imperatorem missæ: & interrogetur synodus, si illas recipit, & si observat testimonia, quæ continent literæ ipsæ. Quibus annuentibus, hæc dicite: Dominus noster sanctissimus papa omnium ecclesiarum curam gerens, salutem etiam vestram & unionem & pacem procurans, misit nos servos suos, ut dispersos congregemus, & dissidentes conciliemus, & ecclesiæ misericordiæ manum porrigamus, lapsos erigamus, ut omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio & Spiritu sancto. ANNO CHRISTI 879. ram synodo Photio imposita, addita vero alia; ex recitatis literis intelligere potes.

Sequentes canones nostrorum patrum dicimus, ut post obitum Photii sanctissimi patriarchæ nullus a civili dignitate Constantipolitanam sedem ascendat, quemadmodum etiam literæ nostræ testantur.

Volumus etiam, ut coram synodo prædictum Photium sanctissimum patriarcham oretis, ut neque pallium in Bulgariam mittat, neque ordinet quemquam in ipsa provincia. Si enim hæc fecerit, juxta sacros canones illum arguemus.

Volumus præterea ut coram universa synodo promulgetur, quod synodus habita adversus prædictum patriarcham Photium tempore Hadriani sanctissimi papæ tum Romæ tum Constantinopoli, exnunc habeatur nulla & irrita, & non annumeretur cum alia sancta synodo. Non preces tantum sed excommunicationem continent Joannis literæ de Bulgarorum causa.

Advertite, ut juxta mandatum nostrum ita ambuletis, neque muneribus vos corrumpi sinatis, neque adulationibus, neque minis & terroribus declinetis sive ad dexteram sive ad sinistram, sed regiam viam incedite, tanquam habentes locum & potestatem nostram, quam vobis propter ecclesiæ pacem sumus impertiti, ut vestro labore & diligentia digne gratiam nostram, & apostolicæ sedis obtineatis, & nostræ communionis sitis hæredes. Videsidem additamentum hic a falsario quod supra de abolenda octava synodo fuit appositum.

Subscriptiones episcoporum, qui interfuerunt Romanæ synodo, ex qua prodiit commonitorium & literæ Petro legato datæ.

Zacharias episcopus ecclesiæ Anagninæ & bibliothecarius apostolicæ sedis in hoc commonitorio pro receptione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi.

Martinus episcopus ecclesiæ Narnienſis in hoc commonitorio apostolicæ sedis pro restitutione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi: sic & aliqui sequentes:

Dominicus episcopus Triventi.
Florius episcopus Maturensis.
Gaudericus episcopus Velitrensis.
Stephanus episcopus Ferentinas.
Leo episcopus * Gabiensis. * Sabinienſi
Petrus episcopus Forosempronienſis.
Leo episcopus Tarracinensis.
VValpertus episcopus Portuensis.
Simeon episcopus Fundensis.
Joannes episcopus Siminorum.
Benedictus episcopus.....
Gregorius episcopus Silvæ Candidæ.
Bonifacius episcopus Bleranorum.
Theodorus episcopus Gallesienſis.
Stephanus episcopus Nepesinus.

Presbyteri cardinales.

Germanus presbyter tituli sanctorum Joannis & Pauli.
Petrus presbyter tituli sancti Chrysogoni.
Benedictus presbyter tituli sanctæ Balbinæ.
Hadrianus presbyter tituli sancti Laurentii.
Joannes presbyter tituli sanctæ Cæciliæ.

Dia-

ANNO CHRISTI 879.

Diaconi cardinales.

Paulus diaconus subscripsi.
Leo diaconus subscripsi.

NOTA SEVERINI BINII.

Audisti, lector, additamentum Photii de abrogatione concilii œcumenici VIII. sub Hadriano pontifice celebrati, jam superius apertissime redargutum falsitatis ex recitatis Joannis papæ VIII. epistolis. Sed detegitur in eodem commonitorio eadem etiam impostura ex ipsa subscriptione episcoporum, qua (ut ex supra positis vidimus) profitentur omnes, se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Quod si ex synodi sententia definita fuisset damnatio œcumenicæ synodi VIII. eademque commissa legatis in dato illis commonitorio, credibile utique est magis eam suis subscriptionibus expressurus fuisse, quam Photii restitutionem.

CONCILIUM ROMANUM IV.

A JOANNE PAPA VIII. ANNO DCCCLXXIX.

Mense Novembri celebratum.

TRia hoc anno Joannem Pontificem Romæ celebrasse Concilia, ex ejus Epistolis eruitur. Primum habuit Kalendis Maji in ecclesia S. Petri, ut colligitur ex ejus epistola 182. ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum data 13. Kal. Junii ind. XII. ubi ait: *postremo generali synodo Romæ præteritis Kalendis Maji celebratæ, a nobis rursum vocati, interesse penitus distuliſtis.* In hac de nova Italiæ regis electione agitatum; sed nihil actum; & præterea Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus communione privatus. Extat excommunicationis sententia inter Joannis epist. n. 177.

Alterum Concilium celebravit pro restitutione Photii, & ex eo datum Commonitorium Paulo & Eugenio Episcopis ac Petro presbytero Cardinali S. Sedis Apostolicæ Legatis, qui Photium a censuris Ecclesiasticis absolutum sedi Constantinopolitanæ restituerent. Notis temporariis caret commonitorium, ut ex eo certum hujus concilii tempus deduci nequeat. Verum cum superiori Kalendis Majis celebrato non esse confundendum ex eo convincitur, quod eo jam absoluto, die sexto Maji Legati Constantinopolitani a Basilio Imperatorem ad Pontificem missi, ut Photii restitutionem impetrarent, nondum perveneraut, ut habetur ex Joannis Epistola 187. eodem die ad Gregorium primicerium data, qua ei mandat, ut Legatos CP. per Beneventum, ac per Capuam ad se dirigat. Ex Joannis tamen Epistolis 199. ad Basilium, Leonem, & Alexandrum Imp. 200. ad Clericos CP. 201. ad Photium, 202. ad Constantinopolitanos, & 203. ad Paulum & Eugenium Episcopos in causa Photii die 16. Mensis Augusti datis conjicio eodem mense Augusto, & fortasse eadem die 16. hoc secundum Romanum Concilium, e quo forte prædictæ epistolæ editæ, fuisse celebratum. Et de his Labbeus supra.

Tertium denique idibus Octobris habuisse in Ecclesia B. Petri testatur ipsemet Joannes in epistola 221. ad Clerum Mediolanensem data, quam ita exorditur: *Deo dilectæ unanimitati vestræ fraternitatis, carissimi, notum esse volumus, quia nos una cum sancta Synodo idibus Octobris in ecclesia B. Petri Apostoli peracta &c.* In hac Synodo Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus, cum licet antea in prima excommunicatus, sacrum præsumpsisset ministerium celebrare, & in Vercellensi ecclesia episcopum consecrare, omni episcopali honore privatus est; & Vercellensis invasor in ordinem redactus; Amalphitani eo quod cum Saracenis fœdus iniviſſent, ab ecclesiæ Dei societate sejuncti, ut ex Joannis Ep. 225. liquet, decretum insuper, ac definitum, mulierem, quæ vi miniſque coacta religiosum habitum suscepisset, ad vota secunda non teneri, uti ex ejusdem Joannis epist. 226. ad Theodoricum Theatinum, Heodicium Firmanum, aliosque Episcopos data colligitur. In hac præterea Synodo accusatus est Helmoinus Pennensis Episcopus a quodam Oteramo, quem ille injuste excommunicaverat; ut videre est ex Joannis epist. 228. ad Helmoinum, ubi legitur: *Nam & Oteramus filius qui* (legendum *quondam*) *Corvini cum aliis suis concivibus nostris apostolicis, coram venerabili Episcoporum cœtu super te questus est &c.*

HIEROSOLYMITANA, ANTIOCHENA, ET ALEXANDRINA SYNODUS

Pro Photii restitutione in cathedra CPtana,

Anno 879. celebratæ.

Anno 879. Ex Suppl. Mansi tom. I. pag. 1019.

SAncto Ignatio patriarcha Constantinopolitano ad superos jam translato, Photius, qui jam antea Basilii imperatoris favorem aucupatus fuerat, facile se in vacuam sedem intruserat. Intelligens vero frustra se omnia moliturum, quandiu Oecumenici concilii VIII. depositio valeret, omnem contulit operam ut canonice abrogaretur. Quoniam vero difficile noscebat sanctionem, omnium patriarchalium sedium consensu sancitam, evertere, nisi ab iisdem patriarchalibus sedibus, a quibus lata fuerat, antiquaretur; ideo totam operam suam in eam rem convertit. Et a Romano quidem pontifice id ægrius impetratum; nullo vero negotio a patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, qui, cum sub Saracenorum jugo agerent oppressi, ope Græci imperatoris ad suas ærumnas sublevandas indigebant. Quare vix ab imperatore & Photio requisiti, statim singuli seorsum coacta synodo in restitutionem Photii plenis votis convenerunt. Singulæ illorum synodicæ ad Photium, & imperatorem transmissæ in conciliabulo Constantipolitano Photii anno 879. adsistentibus Joannis VIII. papæ legatis, recitatæ sunt.

CON-

ANNO CHRISTI 879.

[a] CONCILIABULUM CONSTANTIPOLITANUM

[b] OECUMENICUM PSEUDOOCTAVUM

[c] Reprobatum [d] CCCLXXXIII. episcoporum, quo post obitum Ignatii [e] restitutio Photii est confirmata, sancta & œcumenica synodus octava plane abrogata, & ex symbolo illa particula, *Filioque*, sublata fuit, [f] anno Domini DCCCLXXIX. tempore Joannis papæ VIII.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Conciliabulum*.) Hæc synodus Basilio imperatore & Photio procurantibus a Joanne papa ejus nominis octavo, ob Photii restitutionem dumtaxat, non vero (ut calumnioſe refert commonitorium quod actione II. hujus conciliabuli a Photio falsatum & corruptum invenitur) ad octavæ synodi abrogationem & reprobationem indicta fuit. Etiamsi enim germanum illud verum & incorruptum commonitorium, quod Petro legato sedis apostolicæ datum est, inter epistolas Joannis papæ non reperiatur: tamen illud, quod apud Baronium ex actis conciliabuli hujus Latine translatis descriptum invenitur, in fine ubi episcopi subscripserunt, manifestis verbis indicat, quod tantum pro receptione Photii, quo cum Joannes papa ob causas supra commemoratas dispensandum putarat, legatio Constantinopolim mittenda fuit. Idem patet ex epistola Joannis 203. ad Paulum Anconitanum, & Eugenium Ostiensem Constantinopoli degentes, qua dicit: *Vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri, familiarique nostro sociamus, quatenus ea quæ pro pace & unitate ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundum commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum sagaci valde intuitu simul agatis*, &c. Itaque commonitorium rerum agendarum legatos sedis apostolicæ quidem accepisse certum est, sed non illud quod actione secunda hujus conciliabuli recitatum, corruptum, & a Photio falsatum reperitur. Quod vero de abolenda vera synodo octava sub Hadriano papa habita, hoc commonitorio continetur, Photii commentum est non minus quam illa additamenta, quæ pro veræ octavæ synodi abrogatione, suique expurgatione epistolæ Joannis 199. ad Basilium imperatorem: necnon 201. ad Photium scriptis, architectus falsitatis calumnioſe addidit. Magno Dei beneficio prædictæ epistolæ Joannis papæ integræ hucusque asservatæ fuerant, ut ex earum collatione (quod præstitit reverendissimus & illustrissimus Cardinalis Baronius anno 879.) dolus, fraus & malitia Photii admirabilis falsitatum architecti toti mundo innotesceret. Ex ejusdem penetralibus prodiit epistola, de qua supra post finem epistolarum, sub nomine Joannis conficta, qua calumniatus est insuper eumdem pontificem, quod de processione Spiritus sancti eadem cum Græcis senserit, atque particulam, *Filioque*, e professione fidei Constantinopolitanæ tollendam esse voluerit. Hæc sunt quæ pro beneficiis a pontifice acceptis malitioſus homo & mendaciorum architectus reddidit, quibusve eum, a quo restitutus fuerat, perdere curabat. Quamquam igitur succedentibus pontificibus Joannes culpabilis esse visus fuerit, quod per dispensationem quamdam, ut ajebat, salvis manentibus octavæ aliarumque synodorum constitutionibus Photium restitui voluerit: tamen hoc jam summo Dei beneficio ex præcedentis epistolæ collatione manifestum est, quod non sit reus illorum criminum, quibus illum atque universam ecclesiam catholicam de processione Spiritus sancti, deque octavæ legitimæ synodi abrogatione, Photius in actis hujus conciliabuli aspergere & diffamare conatur.

Hujus pseudosynodi acta Græce conscripta continentur in bibliotheca Vaticana & Columnensi, atque etiam teste Radero, in codice Bavarico Augustano. Per Fed. Metium Latine translata possedit reverendissimus & illustrissimus Cardinalis Baronius, ex quibus summatim decerpta sunt, quæ infra suo loco subjungentur. De hac pseudosynodo illud dignum est admiratione, quod nemo Græcorum scriptorum eorum, qui res Basilii imperatoris prosequuntur, hujus Photianæ synodi vel verbo unico meminerit: cum e contra ferme omnes de octava synodo legitima œcumenica, in qua Photius e throno depositus fuit, sermonem faciant. Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Constantinus Manasses de hujusmodi Photiana synodo ne quidem verbum unum habent, quam sane nequaquam prætermisissent, si talis tamque numerosa habita sacrosanctam & legitimam octavam synodum damnasset. Hac de causa reverendissimus & illustrissimus Cardinalis Bellarminus de Conciliis libro 1. cap. 5. ubi agit de octava synodo, de hoc pseudooctavo & Photiano conciliabulo post alia hæc subjungit: *Idcirco facile mihi persuadeo, aut esse omnia conficta, quæ dicuntur de Joanne VIII. ut sanctus Antoninus docet in summa historiali parte 3. titulo 22. capite 13. §. 10. aut certe verum quidem esse, Photium a Joanne VIII. per legatos restitutum in sedem Constantinopolitanam post mortem Ignatii: at cetera supposita & adulterina esse, & a Græcis conficta, ut ex Manuele Calleca Turrianus ostendit in libro de actis VI. VII. & VIII. synodi. Confirmor autem in hac*, inquit, *sententia, tum quia Zonaras meminit quidem restitutionis Photii; non autem abrogationis concilii VIII. nec ablationis illius particulæ*, Filioque, *ex symbolo, tum etiam quia Græci in Concilio Florentino sessione 3. non agnoscunt pro synodo œcumenica concilium illud sub Joanne VIII. etsi illis multum prodesse potuisset, si legitimum & germanum Concilium fuisset*. Hæc Bellarminus de hac pseudosynodo prædicto loco. Eamdem ob causam hæc prædicto loco scriptor annalium: *Unde de ea* (pseudosynodo octava) *suspicio augetur, ut ea tota ita fuerit Photii stylo conficta, ut ejusdem penicillo mendacii colorata, sicut ab eo alias factum esse superius est demonstratum*.

Quibus hæc acta synodalia plane fabulosa videantur.

b *Oecumenicum*.) Sic nuncupatum quod legati sedis apostolicæ, Petrus nimirum, Eugenius Ostiensis, & Paulus Anconitanus eidem interfuerint; sed quia ex actis constat, Photium præsedisse Concilio, cui, si œcumenicum erat, legati pontificii, juxta tenorem commonitorii, aliarumque synodorum more præsedisse debebant, pseudooctavam placuit appellare: quamquam nulla injuria etiam pseudosynodum nominaveris eamdem, qua per mille fraudes & impostura non tantum sacrosancta & legitima synodus octava est reprobata, processio Spiritus sancti a Patre & Filio procedentis impugnata, verumetiam Joanni pontifici & consequenter universæ ecclesiæ turpissimorum criminum maculæ inustæ, vel saltem aspersæ leguntur. Photium a Joanne papa non citra culpam per quamdam dispensationem, ut verba commonitorii præ se ferre videntur, post obitum Ignatii, dignitati patriarchali restitutum fuisse nulla ratione negamus: a ceteris vero criminibus de abrogata synodo octava, & abnegata processione Spiritus sancti ex Filio, quæ hoc loco Photius illi per calumniam suo more impingere studebat, ipse Deus optimus maximus asservando in bibliotheca Vaticana integras illius epistolas, & proferendo easdem a Photio corruptas, cælitus illum defendisse videtur.

An fuerit œcumenicum?

Cur pseudooctavum appelletur.

In iuibus Joannes papa sit culpabilis.

c *Reprobatum*.) Hanc synodum una cum suo auctore a Marino, Hadriano tertio, aliisque summis pontificibus plane condemnatam esse, infra suo loco constabit. Quod vero neque ipse Joannes papa hanc Photianam synodum cum additamento condemnationis octavæ synodi œcumenicæ receperit, manifeste colligitur ex epistola ejusdem papæ 251. ad Basilium reddita: qua dum orientali ecclesiæ de pace & unione per restitutionem Photii contracta (reliqua enim de abrogatione synodi & processione Spiritus sancti, si quid tale ibidem gestum fuit, in suis, quas legatos Constantinopoli Romam revertentes ad pontificem destinarant, epistolis, illi dolose suppresserant) congratulatus fuisset, ad finem suæ epistolæ responsoriæ caute admodum adjungit, sic se probare quæ in synodo de restitutione Photii dumtaxat egissent, ut si quid illi vel hac, vel alia in re præter voluntatem sedis apostolicæ & mandata accepti commonitorii operati fuissent, id nullius plane auctoritatis esset. Verba epistolæ hæc sunt: *Ea quæ pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchæ synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recepimus. Et si fortasse legati nostri in eadem synodo contra apostolicam præceptionem receperint, non autem recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis*. Iisdem prope verbis eadem omnino scripsit in epistola 250. ad Photium reddita. Quare cum ex commonitorio legatis dato, & ex epistola Joannis 203. ad Paulum & Eugenium

An, & a quibus fuerit reprobatum.

An Joannes papa hanc pseudosynodum approbaverit?

nium scripta liquido appareat, ipsos legatos tantummodo in causa restituendi Photii Constantinopolim missos fuisse, haud dubie his literis pontifex Joannes plane improbavit si quid aliud in hac Photiana synodo gestum fuit. Has literas Joannes dedit Marino episcopo, qui sibi in sede succesisset: quemque ad hoc misit, ut vir animo constantissimus cuncta, quæ perperam per tres prædestinatos legatos Constantinopoli gesta erant, plane infirmaret. Nam in literis Stephani papæ ad Basilium scriptis, quas infra suo loco ponemus, inter multas Marini laudes hæc verba leguntur: *Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam, te enim in universo orbe Deo dilectum prædicamus; sed tantum ad nostri defensionem, & Marini majorem gloriam, qui eadem sensit & sapuit cum prædecessore & doctore nostro sanctissimo papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere, quæ illi de ea visa fuerant, gemina scilicet legatione, Constantinopoli in maximum devenit ad vos contemptum & ludibrium divinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum iis, qui aliena sentiebant, & quæ ipse coram tua majestate synodice gesserat dissolvere & annullare ac irrita reddere: propterea triginta diebus carcere fuit detentus, id sibi gloriæ potius tribuens, quam contumeliæ, pro veritate pati.* Hæc de Marino Stephanus papa. Ex quibus satis liquido constat, quod quæ tres legati in causa Photii perperam gesserunt, per Marinum episcopum auctoritate pontificia ejusdem Joannis VIII. damnata & improbata fuerunt. Quod vero paulo post fraudem impostoris Photii hac ratione cognitam idem Joannes Papa VIII. ipsum etiam Photium damnaverit, suaque quæ prius vel male informatus, vel comminationibus imperatoris Basilii inductus in causa Photii restituendi egerat, deinceps improbaverit, rescideritque, irritaque reddiderit, testatur epistola Formosi papæ ad Stylianum, in cujus fine post recitationem aliarum synodicarum & pontificiarum sententiarum in Photium pronunciatarum etiam hæc Joannis papæ VIII. sententia in eumdem prolata habetur his verbis: *Hanc sententiam promulgavit papa Hadrianus, & archidiaconus ejus Joannes, qui illi successor fuit: atque alta voce coram ipso ita proclamavit; In Photio completum videmus, domine sanctissime & œcumenice papa, illud psalmi:* Dixit peccator ut delinquat in semetipso: Non est timor Dei ante oculos ejus. Posuit in cælum os suum, *& graveolens ejus guttur aperuit Photius adversus clavigerum apostolicæ sedis. Accendatur itaque ut ignis zelus tuus, accingere ut vir super femur tuum, & contumeliam apostolicæ sedis ut justus judex vindica, & falce sententiæ tuæ abscide memoriam ejus, & illos qui eum sequuntur, vel tuentur, anathematis vinculo constringe, & nisi propria voce vel scriptione ipsum damnaverint, ut neque laicali communione recipiantur. Qui hæc dixit Joannes, Hadriano in sede successit, & anathemate Photium damnavit, quando ille seduxit Eugenium & ejus socios, qui pro rebus Bulgariæ venerant. Cum enim accepissent evangelium, & ambonem conscendissent, omnibus audientibus ita dixit: Quicumque non habet damnatum Photium divina sententia, sicut ipsum reliquit Nicolaus & Hadrianus sanctissimi papæ prædecessoris mei, sit anathema.* Hæc ibi. Descripta autem ex superius citato codice Columnensi numero quadragesimoprimo, ubi cuncta quæ ad causam Photii spectant, collecta habentur, & post legitur ibidem Joannis papæ noni epistola ad Stylianum, qua profitetur eadem sentire se, & eodem loco habere Photium & omnes patriarchas Constantinopolis ab Ignatio usque ad Antonium, quo habuerunt omnes sui prædecessores Romani pontifices, inter quos numerat & Joannem his verbis: *Volumus igitur, ut etiam nunc secundum eamdem regulam, decreta sanctissimorum pontificum prædecessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter & Ignatium & Photium, & Stephanum, & Antonium sicut sanctissimus papa Nicolaus, Hadrianus & Joannes, & sextus Stephanus, & universa Romanorum ecclesia hucusque tenuit, etiam nos eodem ordine recipimus & tenemus;* &c. Superius etiam in eodem codice, post recitatum decretum continens probationem octavæ synodi sub Hadriano habitæ, quod in dextero aditu magnæ ecclesiæ Constantinopoli contineri dicitur, hæc ibi scripta leguntur: *Damnatur Photius anathemate a novem Romanis pontificibus, a Leone, Benedicto, antequam Photius esset assumptus in patriarcham, ob communionem scilicet cum Gregorio Syracusano, postea vero a Nicolao, Hadriano, Joanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoso.* Et de Joanne papa octavo hæc subjiciuntur: *Joannes vero occasione Bulgariæ provinciæ misit Eugenium & ejus socios adhuc superstite Ignatio patriarcha, quos cum detinuisset Photius, & variis modis coegisset, adduxit eos ut secum communicarent: & alios etiam errare fecerunt, qui Romam reversi a Joanne in ambone illos anathemate damnante fuerant depositi.* Hæc ibi. Quæ cum ita revera se habuerint, *inquit Baronius anno* 880. accedet ad hæc probanda illud evidens argumentum, quod nusquam amplius in literis ejusdem Joannis papæ ab anno præsenti, usque ad finem sui pontificatus conscriptis mentio de Photio habetur, ut interrupta penitus mutua communicatio visa sit. Cum enim Joannes minus assequi se posse cognovit promissam restitutionem Bulgaricæ diœceseos, cujus causa inductus Græca astutia fuerat, ut Photium restitueret, & illusum se fuisse planius intellexit, atque etiam quæ contra œcumenicam synodum octavam facta essent certius adinvenit, & falsatas ab eo suas literas cognovit, & alia innumera ab impostore illo perpetrata esse resciviti: tunc, quod dictum est, Marinum ad ea infirmanda legatum misit, & legatos a se antea missos prævaricatores inventos damnavit, atque Photium omnium malorum authorem perpetuo anathemate perculit. Hæc Baronius.

Quid de auctoritate hujus pseudosynodi senserint Græci in concilio Florentino, dixi supra verbo, *Conciliabulum*.

d CCCLXXXIII. *Episc.*) Omnium nomina teste Baronio in conciliabuli recitantur actione prima: in quibus recensendis & suo more componendis, magna impostoris adulatio, & Græca vanitas cum levitate eorumdem elucescit. Baronius anno 879. n. 64.

e *Restitutio Photii est confirmata*, &c.) Hæc qua ratione gesta fuerint ex actis synodalibus in prædictis bibliothecis extantibus, septem actiones continentibus, summatim describit Baronius his verbis.

In prima enim actione recitatur numerus episcoporum trecentorum octogintatrium. In omnibus magna adulatio & Græca vanitas & levitas. Inter alia autem præfatus in synodo Photius jactat se, quod Joannes Romanus pontifex semel & iterum per suos legatos eum inviserit, nimirum primum per Paulum & Eugenium, deinde per Petrum, sed falso. Siquidem, ut vidimus in literis Joannis, nequaquam cum eo communicaverunt primi legati Paulus & Eugenius, de quo idem ipse Photius conquestus legitur in literis ad Joannem ipsum datis.

Post hæc eadem actione Joannes quidem Heracleæ Thraciæ episcopus multa effutiit contra Romanam ecclesiam, quam omnium illorum quæ acciderant malorum originem appellavit: ad quæ evertenda & curanda, illa esset synodus congregata; multa etiam contra Nicolaum papam & ejus successorem Hadrianum oblatrans ingessit: contra vero, ipsum Joannem Romanum pontificem valde laudavit. Deplorat vero post hæc multa quæ, ut dicebat, injuste passus sit Photius. Inducit insuper actio illa legatos apostolicæ sedis munera Photio offerentes, nempe sacerdotales vestes, & ornamenta episcopalia, de quibus nihil in Joannis pontificis literis, in quibus ejusmodi erant solita scribi. Et sic post alia quædam frivola finem accipit actio prima.

Secunda actio habita legitur decimasexta die Novembris, indictione decimatertia, in qua primum lectæ sunt literæ Joannis papæ ad imperatorem, deinde aliæ ejusdem pontificis ad Photium, quæ superius epistola 199. & 201. sunt recitatæ duplicis editionis. Quibus lectis, Photius interlocutus suas laudes extollit, præcipue suam humanitatem falso ostentat erga Ignatium exhibitam, qua etiam jam defunctum eum prosecuturum vane pollicitus est. Lecta post hæc fuit epistola Michaelis patriarchæ Alexandrini ad imperatorem, ad finem illum tendens ut octava synodus œcumenica destruatur. His lectis introductus est Thomas metropolita, qui fuit unus ex tribus legatis orientalium sedium in octava œcumenica synodo. Aliis duobus, ut illuc dicitur, mortuis, procuratum est a Photio, ut hic pœnitens recantet palinodiam de ministerio exhibito in dicta œcumenica synodo. Lecta est post hæc epistola Theodosii patriarchæ Hierosolymorum ad Photium scripta, tota, ut Photius voluit, encomiastica. Postquam autem lecta est epistola patriarchæ Antiocheni pariter Theodosii nominati ejus itidem argumenti, & alia ejusdem generis Abrahamii metropolitæ Amydorum, continens acrem invectivam contra octavam legitimam synodum: terminata est actio secunda synodi Photianæ.

Tertia vera quæ secuta est actio incidit in decimumoctavum diem ejusdem mensis Novembris ejusdem decimætertiæ indictionis: in qua lecta primum est epistola Joannis papæ ad Constantinopolitanam ecclesiam, & episcopos ipsi subjectos, & ad patriarchas orientis, ejusdem argumenti quo priores superius recitatæ. Quod autem iisdem literis pontifex profitetur pacem se procurare orientalis ecclesiæ, hinc magna secuta est concertatio asserentium, quod jam ante Joannis literas pace fruerentur sequentes Photium patriarcham, arguentes pontificis literas uti superfluas. Et quod de diœcesi Bulgariæ scripserat, ad imperatorem rejiciendum esse negotium clamitarunt, cum agatur, ut ajebant, de imperii terminis, qui sub ejus sunt ditione. Lecta est post hæc epistola Theodosii episcopi Hierosolymorum ad imperatorem, qua deplorat miserias suas, quas pateretur a Saracenis, provocans imperatorem ad eleemo-

ANNO CHRISTI 879.

An Joannes papa Photium condemnaverit.

Joannes papa excommunicat Photium. *Psalm.* 53. *Psalm.* 71. Hæc verbo tenus ex Baronio anno 880. nu. 11. & seqq.

Legati apostolicæ sedis a Joanne damnati.

Actio

Actio

Actio

moſynas largiendas. Lectum poſt hæc fuit commonitorium a Joanne pontifice legatis datum, ſuo loco ſuperius recitatum. Et ſic clauſa eſt ejus diei actio tertia.

Contigit quartam actionem celebrari eodem menſe Decembri, feria quinta in vigilia nativitatis Domini, eadem decimatertia indictione, quæ tamen in alia ejuſdem pſeudoſynodi editione ponitur ordine prima, utpote quod omiſſis tribus aliis ſuperius poſitis actionibus hæc prima incipit numerari, & ſic deinceps uſque ad quartam. In hac igitur actione, primo habetur de legato recens miſſo a patriarcha Antiocheno, afferente literas etiam a patriarcha Hieroſolymitano, qui ingredi juſſus literas dedit. Lectæ ſunt ipſæ, multa in laudem Photii de communicatione mutua conſervata cum ipſo continentes, nec non aſſertionem illam, legatos nimirum patriarchalium ſedium miſſos antea ad octavam ſynodum, fuiſſe non patriarcharum, ſed legatos Saracenorum, iſtiuſmodi inculcantes in deſtructionem œcumenicæ ſynodi: quæ vere creditæ ſunt e Photii officina depromptæ. Poſt hæc introducti ſunt duo patricii pœnitentes de his quæ in octava ſynodo contra Photium egiſſent, affirmantes ſe a falſis legatis fuiſſe deceptos. Lecta ſunt capitula quinque tanquam a legatis Romanis propoſita, primum de diœceſi Bulgariæ: ſecundum de non eligendo amplius laico in epiſcopum Conſtantinopolitanum: tertium ne ab alia ſumatur eccleſia: quartum de ſynodo habita contra Photium, ut abrogetur: quintum ut qui cum Photio non communicarent, excommunicati eſſent. Quæ omnia recepta a ſynodo fuerunt præter illud de Bulgarorum diœceſi, quod imperatoris voluntati commiſſum eſt. Et ſic exitum illum eſt conſecuta actio quarta quem Photius voluit.

Quæ autem quinta eſt actio celebrata, ponitur anno ſequenti, * die vigeſimaſexta menſis Januarii eadem indictione decimatertia, in qua Photius de ſeptima ſynodo ſermonem inſtituit, calumniamque ex eo ſtruxit adverſus Romanam eccleſiam, quod de ſeptima ſynodo ſucipienda, eſſetne œcumenica, dubitaſſet, cui legati ſatisfecerunt. Et firmatum eſt omnium ſententia, ut œcumenica ſeptima ſynodus diceretur. His ſucceſſit citatio Metrophanis metropolitani Smyrnenſis eccleſiæ, cujus ſumma cum laude eſt crebra mentio in legitima octava ſynodo: accedere juſſus ut ſchiſmaticus, qui ſecutus Ignatii partes, cum Photio noluerit ullo pacto communicare. Inter hæc facta eſt ſuggeſtio, ſeu potius a Photio ficta, legatorum apoſtolicæ ſedis, ut ex ſententia Joannis pontificis canon conſtitueretur, quo juberetur, ut excommunicati vel depoſiti a Romano pontifice, a Photio non ſuſciperentur, ſicut e contra qui depoſiti eſſent a Photio vel excommunicati, non reſtituerentur, nec abſolverentur a Romano pontifice.

Sicque confectus de his eſt primus canon, quo quis non videat ſumma Photii calliditate interceptas eſſe aopellationes ad apoſtolicam ſedem, & recurſum ad eam? ſiquidem ablata fuit per canonem iſtum auctoritas Romani pontificis, ut judicare non poſſet, quos Photius condemnaſſet. Quis animo concipere poteſt, legatos apoſtolicæ ſedis adeo oſcitantes & prodigentes jura apoſtolicæ ſedis, ut & adverſus contra ea obnitentes non tantum non reſtiterint, ſed ut iſthæc ſancirentur, ipſi ſuggeſſerint? an non manu palpantur commenta Photii?

Statutus eſt autem poſt hæc, eodem ſuggerente Photio canon ſecundus, ne quis relinquens epiſcopatum tranſiens ad ſtatum monaſticum, epiſcopatum retinendi haberet amplius facultatem, nec ad illum revertendi aditus patefieret. Hic non prætereundum, quod Gratianus male conſultus canonem hunc tanquam ex legitima octava ſynodo deſcripſit totidem verbis in libro decretorum, qui plane odio Photii impoſtoris fuerat exſufflandus. Additus eſt in hac etiam actione tertius canon adverſus ſæculares magiſtratus carceri mancipantes vel verberantes epiſcopos. Secutæ ſunt hæc ſubſcriptiones omnium, in primis vero legatorum apoſtolicæ ſedis, cum deteſtatione omnium ſynodorum ſub Hadriano pontifice contra Photium collectarum.

Convenerunt poſtea iidem die decima menſis Martii, fuit feria tertia, indictione decimatertia, non in eccleſia, ut antea, ſed in palatio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, ubi actionem ſextam habuerunt, cui imperator interfuit, qui ex ſuggeſtione Photii fidei definitionem a ſynodo poſtulavit. Sicque conſenſu omnium exhibita eſt definitio fidei comprobata in ſeptem ſynodis œcumenicis, conteſtationibus appoſitis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino: recitatumque eſt Nicænum ſymbolum ſive Conſtantinopolitanum dictum. Ita ſuggillantes Latinos, quod appoſuiſſent verba illa, *Filioque*. His approbatis ab omnibus, ſubſcripſit Baſilius imperator, improbans ſua ſubſcriptione cuncta quæ contra Photium acta eſſent in octava legitima ſynodo, cui ipſe ſubſcripſerat una cum filiis, quos & huic pſeudoſynodo pariter ſubſcribere voluit. Sicque ſexta actio eſt conſummata, acclamationibus præcedentibus.

ANNO CHRISTI 879.

Poſt triduum vero, nempe decimatertia Menſis Martii, die dominico ejuſdem decimæ tertiæ indictionis, habita eſt ſeptima atque noviſſima actio in magna eccleſia, ubi juſſa eſt legi fidei definitio in præcedenti actione probata, additis & multiplicatis anathematiſmis, ſi quis quid ei adderet vel minueret. Sicque abſoluta eſt Photiana ſynodus, octava dicta & generalis. Actio VII.

f *Anno Domini*.) His temporibus hanc pſeudoſynodum Conſtantinopoli celebratam fuiſſe, teſtantur Joannis papæ VIII. epiſtolæ 199. 201. & 203. aliæve plures, quæ de rebus ad hanc ſynodum pertinentibus ſcriptæ ſunt indictione duodecima anno Redemptoris noſtri 879. Joannis papæ ſeptimo, & Baſilii imperatoris orientalis ſupra decimum tertio. Tempus habiti concilibuli.

Vide quæ hac de re notavimus ad Joannis papæ epiſtolas 199. 200. 203. 251. Et poſt finem omnium ejuſdem epiſtolarum ſupra. Item quæ poſt octavam ſynodum Græce & Latine narrantur de hac pſeudoſynodo Photii.

SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA,

QUAM IPSAM * ALIQUI OCTAVAM. œcumenicam nominant.

* Schiſmatici nimirum Græci.

Ex appendice libelli ſynodici.

IGnatio circa annum Domini DCCCLXXVII. mortuo, Photius conſentiente Joanne IX. papa Romano, qui VIII. alias ſolet nominari, in ſolium patriarchale reductus eſt a Baſilio imperatore. Habita inde ſynodus eſt epiſcoporum Conſtantinopoli: in qua de unione cum Joanne his verbis, quæ apud Balſamonem reperiuntur, eſt actum. Statuit ſancta & univerſalis ſynodus, ut ſi qui ex Italiæ clericis, vel epiſcopis, in Aſia vel Europa vel Libya verſantes, ſub vinculo, vel depoſitione, vel anathematizatione, apud ſanctiſſimum papam Joannem fuerunt, ut ii quoque ſint ejuſmodi etiam apud Photium ſanctiſſimum patriarcham Conſtantinopolitanum in eadem pœnæ definitione: id eſt, vel depoſiti, vel anathematizati vel ſegregati: & quos Photius quidem ſanctiſſimus noſter patriarcha, clericos vel laicos, vel epiſcopalis vel ſacerdotalis ordinis in quacumque parochia, ſegregationi, vel depoſitioni, vel anathematizationi ſubjecerit, ſanctiſſimus quoque papa Joannes, & ſancta Dei Romanorum eccleſia, eodem pœnæ judicio habeat: privilegiis, quæ adſunt ſanctiſſimæ Romanorum eccleſiæ ſedi, & ejus antiſtiti, nihil penitus innovatis, nec nunc, nec in poſterum.

ANNO CHRISTI 879.

EADEM OCTAVA PSEUDO-SYNODUS PHOTII

Ex Nilo Rhodi metropol. ſchiſmatico.

SAncta & œcumenica octava ſynodus trecentorum octoginta ſanctorum patrum habita eſti, imperante Baſilio Macedone, * in qua ſynodo coaluit pax cum occidentali eccleſia ac reliquis patriarchis, manifeſte proſitentibus occidentalibus in hæc verba: Nos ita legimus ac credimus ut & vos ablque ulla additione ſymbolum ſanctum, ut ita ſe habens ſit vere ſymbolum veræ fidei. Sed & eos qui addunt aut detrahunt quid anathematizamus. Aderant illic Joannes * papa Romæ, Photius Conſtantinopolis, & legati Romanorum eccleſiæ, Paulus & Eugemus epiſcopi, & Petrus presbyter ac Cardinalis, aliique patriarchæ per legatos: quibus congregatis pro communi eccleſiarum concordia, presbyteri quidem ſenioris Romæ conclamarunt: decorum eſt nihil aliud innovari, ſed veterem definitionem & toto orbe obtinentem ac celebratam legi & confirmari. Cumque ſanctum ſymbolum abſque adjectione, ſicuti ſe habet, lectum fuiſſet, ſancta ſynodus acclamavit, nos ſecundum ſervatoris doctrinam & apoſtolorum traditionem, ac præterea ſecundum canonicos ſanctarum & œcumenicarum ſeptem ſynodorum typos, definitionem ſinceriſſimæ Chriſtianorum fidei antiquitus a patribus ad nos uſque propagatam mente & lingua comprobamus, & omnibus conſtanter annunciamus, nihil detrahentes nec adjicientes menti nec verbis, nihil immutantes, nihil adulterantes. Poſtea legatis Romæ & tota ſynodus acclamavit, ſi quis edat aliud ſymbolum, aut hanc definitionem commoveat, vel adjiciat detrahatve quidpiam huic ſacro ſanctoque ſymbolo, quomodo lectum eſt, anathema eſto. Hæc etiam in Romanis canonibus actorum hujus ſynodi comperiuntur ex epiſtola Joannis papæ Romani ad Photium patriarcham Conſtantinopolis: Et tua fraternitas novit quod cum ad nos venit, qui nuper ab ea miſſus eſt, ut probaret nos ſuper ſancto ſymbolo, invenit nos illud conſervantes intemeratum prout antiquitus nobis traditum fuerat, neque quidquam adjicientes detrahenteſve, cum probe noverimus iis qui talia audent gravem imminere condemnationem. Rurſus igitur ſignificamus reverentiæ veſtræ, ut de hoc articulo ob quem inter eccleſias Dei ſcandalum exortum eſt, ita de nobis perſuaſum habeas quod non modo dicimus hoc, ſed & eos qui primum auſi ſunt ſua temeritate hoc facere, eos tranſgreſſores divinorum ſermonum cenſemus & interverſores theologiæ Domini Chriſti, ſanctorumque patrum, qui ſynodice ſymbolum hoc ſanctum acceperunt, eoſque cum Juda collocamus, quod idem ac ille ſint auſi, non dominicum quidem corpus morti tradentes, ſed fideles, qui ſunt corporis ejus membra, lacerantes, & alios ab aliis diſcerpentes.

* Anno Chr. DCCCLXIX. errat hic annotator: ſcribendum enim fuerat 879. non 869.

* & hoc falſiſſimum.

Ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη συνόδος τριακοσίων ὀγδοήκοντα ἁγίων πατέρων γέγονεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Βασιλείου τοῦ Μακεδόνος, καθ' ὃν συνόδου γέγονεν εἰρήνη μεταξὺ τῆς δυτικῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχείων, φανερῶς ὁμολογησάντων τῶν δυτικῶν, ὅτι οὕτως ἀναγινώσκομεν καὶ πιστεύομεν, ὡς καὶ ὑμεῖς χωρὶς προσθήκης τινὸς τὸ σύμβολον τὸ ἅγιον, ὡς ὅτως ἔχον ὄντως σύμβολον εἶναι τῆς ἀληθοῦς πίστεως. ἀλλὰ καὶ τοὺς προστιθέντας, ἢ ἐλλείποντας ἀναθεματίζομεν· ὄντος τηνικαῦτα Ἰωάννου πάπα Ῥώμης, Φωτίου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τοποτηρητῶν τῆς Ρωμαίων ἐκκλησίας, Παύλου καὶ Εὐγενίου ἐπισκόπων, καὶ Πέτρου πρεσβυτέρου καὶ καρδιναλίου, καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν διὰ τοποτηρητῶν· ὧν συνελθόντων ὑπὲρ τῆς κοινῆς ὁμονοίας τῶν ἐκκλησιῶν, οἱ μὲν τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐβόησαν, πρέπον ἐστὶ μὴ ἕτερον καινοτομηθῆναι, ἀλλὰ αὐτὸν τὸν ἀρχαῖον ὅρον, καὶ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην κρατοῦντά τε καὶ δοξαζόμενον ἀναγνωσθῆναί τε καὶ ἐπιβεβαιωθῆναι· καὶ τοῦ ἱεροῦ συμβόλου ἀναγνωσθέντος ἄνευ προσθήκης ὡς ἔχει, καὶ ἁγία σύνοδος ἐβόησεν, ἡμεῖς κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος διδασκαλίαν, καὶ τῶν ἀποστόλων παράδοσιν, ἔτι δὲ καὶ τοὺς κανονικοὺς τύπους τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν ἑπτὰ συνόδων τὸν ἄνωθεν ἐκ πατέρων καὶ μέχρι ἡμῶν κατεληλυθότα τῆς ἀκραιφνεστάτης τῶν Χριστιανῶν πίστεως ὅρον καὶ ἐπινοίαν καὶ γλῶτταν σέργομέν τε καὶ πᾶσι περιαγγέλλομεν διαπρυσίως, οὔτε ἀφαιροῦντες, οὔτε προστιθέντες κατὰ διάνοιαν ἢ λέξιν, οὔτε ἀμείβοντες, οὔτε κιβδηλεύοντες. καὶ μετὰ τοῦτο οἵτε τοποτηρηταὶ Ῥώμης καὶ ἡ σύνοδος ἅπασα ἐβόησεν, ἕτερον ἐκτίθεσθαι σύμβολον, καὶ ὅρον ἀνακινῆσαι, ἢ προθήκην ἢ ὑφαίρεσιν ποιῆσαι ἐν τῷ ἀναγνωσθέντι ἱερῷ καὶ ἁγίῳ συμβόλῳ, ἀνάθεμα ἔσω. ταῦτα καὶ ἐν τοῖς Ρωμαϊκοῖς κανόσι τοῖς ἐκ τῆς πράξεως τῆς συνόδου ταύτης διέσκεται ἀπὸ τῆς ἐπιστολῆς Ἰωάννου πάπα Ῥώμης πρὸς Φώτιον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως. καὶ ἡ σὴ ἀδελφότης ἐπίσταται, ὡς ὅτε πρὸς ἡμᾶς παρεγένετο ὁ μικρὸν ἔμπροσθεν ἀποσταλεὶς παρ' αὐτῆς, περὶ τοῦ ἁγίου συμβόλου ἡμᾶς ἐδοκίμασεν, εὗρεν ἀπαράτρωτον, καθὼς ἀρχῆθεν παρεδόθη ἡμῖν, διατηροῦντας, καὶ μήτε προστιθέντας τι, ἢ ἀφαιροῦντας, ἀκριβῶς εἰδότας, ὡς τὰ τοιαῦτα τολμῶσι βαρέα κατάδικα ἀναμένουσα ἀπόκειται. καὶ πάλιν ἣν παραδηλοῦμεν τῇ αἰδεσιμότητί σου, ἵνα περὶ τοῦ ἄρθρου τούτου, δι' ὃ συμέβη τὰ σκάνδαλα μέσον τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, ἔχῃ πληροφορίαν εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐ μόνον λέγομεν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρῶτον θαῤῥήσαντας τῇ ἑαυτῶν ἀπονοίᾳ τοῦτο ποιῆσαι, παραβάτας τῶν θείων λόγων κρίνομεν καὶ μεταποιητὰς τῆς θεολογίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων, οἱ συνοδικῶς παρέλαβον τὸ ἅγιον σύμβολον, καὶ μετὰ τοῦ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν, ὅτι καὶ ταὐτὸν ἐκείνῳ τετολμήκασι, παραδόντες εἰς θάνατον τὸ ζωοποιὸν σῶμα, ἀλλὰ τοὺς πιστούς, οἵτινές εἰσι μέλη τοῦ σώματος αὐτοῦ, διαχίσαντές τε, καὶ διατέμνοντες ἀλλήλων.

PSEU-

Hæc ſchiſmaticus a ſchiſmaticis conficta mendacia poſteris tradit Nilus Rhodi metropolitanus, quæ cum ejuſdem generis Græcorum quorumdam recentiorum næniis pluribus refellit vir ſopiendo ſchiſmati & reſarciendæ orientis atque occidentis unitati natus Leo Allatius peculiari in eam rem opere Romæ typis ſacræ congregationis propagandæ fidei edito anno 1662. cujus eſt hic titulus: De octava ſynodo Photiana, cui annexa Joannis Henrici Hottingeri refutatio, &c.

PSEUDO-SYNODUS PHOTIANA.

Hæc nunc primum prodit ex mſ. Græco codice bibliothecæ Vaticanæ, quem S. D. N. Papa CLEMENS XI. ad preces R. P. PHILIPPI AMYOT D'INVILLE Societatis JESU, tranſcribi juſſit, & ad P. JOANNEM HARDUINUM ex eadem ſocietate tranſmitti. Fragmenta quædam edidit in Anglia, ſed mutila, & mendis plurimis inquinata, Beveregius.

ΠΡΑΚΤΙΚΑ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΣΥΝΟΔΟΥ

συγκροτηθείσης ἐν Κωνσταντινουπόλει ὑπὸ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, ἐπὶ ἑνώσει τῆς τοῦ Θεοῦ ἁγίας καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας.

ΠΡοκαθεδέντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, ἐν τῷ καλῷ μεγάλῳ σεκρέτῳ· καὶ συγκαθεδέντος Ηλία τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ τοποτηρητοῦ Ιεροσολύμων, τῆς τε θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, φημὶ δὴ Προκοπίου ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας, Γρηγορίου ἀρχιεπισκόπου Εφέσου, Ιωάννου Ηρακλείας, ἑτέρου Ιωάννου Ηρακλείας, Γρηγορίου Κυζίκου, Γρηγορίου Νικαίας, Δανιὴλ Αγκύρας, Θεοφυλάκτου Σαρδέων, Γεωργίου Νικομηδείας, Μάρκου Σίδης, Ζαχαρίου Χαλκηδόνος, Κυπριανοῦ Κλαυδιουπόλεως, Ζαχαρίου Αντιοχείας, Γεωργίου Αντιοχείας, Ιγνατίου Ιεραπόλεως, Εὐστράτου Πεσινουντος, Σάβα Πατρῶν, Θεοδοσίου Μύρας, Φιλίππου Αδριανουπόλεως, Παύλου Λαοδικείας, Νικόλεω Γαγγρῶν, Πέτρου Συνάδων, Συμεὼν Λαοδικείας, Θεοφίλου Ικονίου, Νικήτα Σμύρνης, Ανθίμου Κοτυαίου, Νικόλεω Φιλίππων, Βισαρίωνος Αμμορίου, Νικηφόρου Γραϊανουπόλεως, Βασιλείου Λαρίσσης, Γρηγορίου Σέλγης, Αχειλᾶ Νακωλείας, Νικήτα Βρύσεως, Φιλίππου Μεσήνης, Θεοδώρου Νίκης, Λεόντος Ρηγίου, Λουκᾶ * Βοσπέρης, Παύλου Χερσῶνος, Βασιλείου Μυσθᾶ, Αθανασίου Λεοντοπόλεως, Σαμουὴλ Χώνης, Βασιλείου Αρκαδιουπόλεως, Εὐδοκίμου Αμάστριδος, Νεοφύτου Δέρκης, Φωτίου πατριάρχου, Βασιλείου Γαρέλλης, Ιωάννου Αἴνου, Ιωάννου Κορίνθου, Θεοδοσίου Πομπηϊουπόλεως, ... Μιτυλήνης, Λεοντίου Ρόδου, Στεφάνου Κυψελλων, Σάβα Αθηνῶν, Αντωνίου Ναυπάκτου, Αγαθωνος Μωράβων, Λουκιανοῦ Δυρραχίου, Μάρκου Τδρούντος, Αρσενίου Λήμνου, Σάβα Απρω, Τιμοθέου Μεσημβρίας, Φιλίππου Καρπάθου, Νικήτα Γερμίων, Συμεὼν Σηλυβρίας, Κωνσταντίνου Κολωνείας, Λέοντος Νεαπόλεως, Νικήτα Μαρωνείας, Επιφανίου Κίου. Σωφρονίου Απαμείας, Ιγνατίου Προικονήσου, Τρυφῶνος Ρουσίου, Στεφάνου Γέρμης, Ιωάννου Ριζαίου, Γεωργίου Κελτζηνῆς, Εὐφημιανοῦ Εὐχαίτων, Λεοντίου Θυάνων, Πέτρου Ιλιάδος, Ιγνατίου Μιλήτου, Μακαρίου Δέρκων, Πέτρου Βιζύης, Θεοδώρου Θεσσαλονίκης, Νικηφόρου Λιμύρας, Κωνσταντίνου Καδοῦς, Γρηγορίου Μετρῶν, Μιχαὴλ Πισίης, Νικηφόρου Ασπόνης, Θεοφυλάκτου Εὐρίπου, Γρηγορίου Ζητουνίου, Στεφάνου Φαρσάλων, Κλήμεντος Βαῆς, Βασιλείου Απείας, Αντωνίου Δαφνουσίας, Ιγνατίου Σωζοπόλεως, Πέτρου Επαίνου, Μεθοδίου Ερύμνων, Ιγνατίου * Κᾶς, Θωμᾶ Κηδίσου, Βασιλείου Βαῆς, Γα-

ACTA SANCTÆ SYNODI

Conſtantinopoli congregatæ ſub Photio ſanctiſſimo & œcumenico Patriarcha, pro unione ſanctæ Dei & Apoſtolicæ eccleſiæ.

PRæſidente Photio ſanctiſſimo & œcumenico Patriarcha, in venerabili magno ſecretario; & conſidente Elia religioſiſſimo presbytero & legato Hieroſolymorum, cum Dei amantiſſimis metropolitis: Procopio, inquam, archiepiſcopo Cappadociæ, Gregorio archiepiſcopo Epheſi, Joanne Heracleæ, alio Joanne Heracleæ, Gregorio Cyzici, Gregorio Nicææ, Daniele Ancyræ, Theophylacto Sardium, Georgio Nicomediæ, Marco Sidæ, Zacharia Chalcedonis, Cypriano Claudiopoleos, Zacharia Antiochiæ, Georgio Antiochiæ, Ignatio Hierapoleos, Euſtratio Peſinuntis, Saba Patrarum, Theodoſio Myræ, Philippo Hadrianopoleos, Paulo Laodiceæ, Nicolao Gangrenſi, Petro Synnadenſi, Symeone Laodiceæ, Theophilo Iconii, Niceta Smyrnæ, Anthimo Cotyæi, Nicolao Philipporum, Beſſarione Amorii, Nicephoro Trajanopoleos, Baſilio Lariſſæ, Gregorio Selgæ, Aquila Nacoliæ, Niceta Bryſeos, Philippo Meſſenæ, Theodoro Nicæ, Leone Rhegii, Luca Boſpori, Paulo Cherſonis, Baſilio Miſthi, Athanaſio Leontopoleos, Samuele Chonæ, Baſilio Arcadiopoleos, Eudomo Amaſtridos, Neophyto Dercæ, Photio Patriarcha, Baſilio Garellæ, Joanne Æni, Joanne Corinthi, Theodoſio Pompeiopoleos, ... Mitylenes, Leontio Rhodi, Stephano Cypſellorum, Saba Athenarum, Antonio Naupacti, Agathone Moravorum, Luciano Dyrrachii, Marco Hydruntis, Arſenio Lemni, Sabà Apri, Timotheo Meſembriæ, Philippo Carpathi, Niceta Germiorum, Simeone Selybriæ, Conſtantino Coloniæ, Leone Neapoleos, Niceta Maroniæ, Epiphanio Cii, Sophronio Apameæ, Ignatio Præconeſi, Tryphone Rhuſii, Stephano Germæ, Joanne Rhizæi, Georgio Celtzenæ, Euphemiano Euchaitarum, Leontio Tyanorum, Petro Iliados, Ignatio Mileti, Macario Dercenſi, Petro Bizyæ, Theodoro Theſſalonicæ, Nicephoro Limyræ, Conſtantino Cadi, Gregorio Metrorum, Michaele Piſiæ, Nicephoro Aſponæ, Theophylacto Euripi, Gregorio Zetunii, Stephano Pharſalorum, Clemente Baæ, Baſilio Apiæ, Antonio Daphnuſiæ, Ignatio Sozopoleos, Petro Etæni, Methodio Erymnorum, Ignatio Caſſandrenſi, Thoma Cediſi, Baſilio Baæ, Gabriele

ANNO CHRISTI 879.

Achridenſi, Philippo Luli, Conſtantino Bulgarophygæ, Methodio Midæi, Nicephoro Didymotichi, Clemente Daoniæ, Nicephoro Pœmanini, Stephano Bagonitiæ, Eugenio Præneti, Antonio Andraporum, Conſtantino Tracylorum, Joanne Podaliæ, Georgio Xanthiæ, Gregorio Heracleæ Latmi, Euſtratio Corydalorum, Nicephoro Candanenſi, Theodoro Orycandenſi, Euſebio Lurnæorum, Xenophonte Demetriadis, Damiano Ezeri, Leone Neo Patrenſi, Petro Drugubitiæ, Athanaſio Selenæorum, Symeone Arcadiopoleos, Baſilio Hadriani, Baſilio Heracleæ, Gregorio Camulianorum, Juliano Paliæ, Damiano Daphnutii, Antonio Cephaleniæ, Cerycо Neapoleos, Philippo Chryſopoleos, Conſtantino Coenſi, Antonio Naupacti, Theognoſto Apamiæ, Methodio Hexamilii, Joanne Metropoleos, Leone Helenopoleos, Conſtantino Madytenſi, Methodio Cæſaropoleos, Nicephoro Porenſi, Euſtratio Eluſorum, Jacobo Peritheorii, Theodoro Bucuba, Joanne Theodoropoleos, Conſtantino Trocmadorum, Theoctiſto Tiberiopoleos, Gregorio Codadiæ, Iſaac Stabaroti, Nicolao Nicopoleos, Stephano Gangrenſi, Petro Pamphyli, Niceta Autudenſi, Eliſæo Lagenenſi, Demetrio Scylacii, Agathone Ceraſenorum, Theodoro Apamiæ, Nicephoro Baſadenſi, Nicolao Rhædeſti, Theodoro Sporæ, Saba Cinepoleos, Siſinnio Synnai, Theodoro Caburcii, Theoctiſto Acroni, Saba Tergaſi, Conſtantino Acraſſi, Joanne Ambladorum, Baſilio Thyatiræ, Nicephoro Thraconis, Euſebio Synnai, Demetrio Polyſtyli, Baſilio Synnai, Theodoro Orycandi, Nicolao Sozopoleos, Ignatio Iſindi, Theodulo Patarenſi, Siſinnio Tripoleos, Athanaſio Mothonæ, Philippo Satalorum, Nicolao Adraniæ, Gregorio Hypæporum, Georgio Alei, Theophane Antiochiæ parvæ, Euſtachio Tychenſi, Theodoſio Eleutheropoleos, Nicephoro Hermocapelitarum, Baſilio Linoæ, Ignatio Nyſſæ, Joanne Zalichi, Baſilio Tzuruloes, Chriſtophoro Dadybrenſi, Petro Meloes, Conſtantino Phelli, Macario Cotenæ, Paulo Zelorum, Baſilio Amiſi, Leone Sagalaſſi, Baſilio Germanicopoleos, Theodoro Iteæ, Mariano Anaſtaſiopoleos, Siſinio Verinopoleos, Thoma Hypſi, Michaele Troadis, Euſtolio Aldili, Paulo Domitiopoleos, Euſchemone Irenopoleos, Symeone Ceraſuntis, Antonio Lacedæmoniæ, Conſtantino Traculorum, Theoctiſto Trallium, Joanne Polemoni, Leone Probandenſi, Strategio .... Leone Baſiliopoleos, Baſilio Candybenſi, Joanne Alabandenſi, Conſtantino Lyſiados, Conſtantino Neapoleos, Philotheo Athanaſſi, Michaele Otri, Stephano Pyrgii, Theophilo Alindi Mæoniæ, Philippo Mylaſi, Joanne Bargylii, Joſeph Larymorum, Photio Clerorum, Symeone Cerami, Paulo Melæ, Bardanio Scopelorum, Conſtantino Trapobizyæ, Joanne Buceli, Symeone Leucæ, Iſrael Tzoci, Manuel Probatenſi, Paulo Moſynopoleos, Niceta Pruſæ, Symeone Attaliæ, Joſeph Tyrai, Theoctiſto Cæſareæ Bithyniæ, Philippo Andri, Nicolao Macræ, Nicolao Anchiali, Saba Betunii, Georgio Armeniæ, Saba Larandi, Antonio Cinnæ, Arſenio Attudenſi, Daniele Cenei, Anthimo Baſinopoleos, Baſilio Cratiæ, Euſtratio Phobi, Sophronio Hadrianopoleos, Conſtantino Tyræi, Paulo Eume-

Βελιὴλ Αχρίδης, Φιλίππου Λέλου, Κωνσαντίνου Βουλγαροφύγης, Μεθοδίου τῦ Μηδαίου, Νικηφόρου Διδυμοτύχου, Κλήμεντος Δαωνίας, Νικηφόρου Ποιμανινῦ, Στεφάνου Βαγονειτείας, Εὐγχίου Πραινέτου, Αντωνίου Ανδράπων, Κωνσαντίνου Τρακύλων, Ιωάννου Ποδαλείας, Γεωργίου Ξανθείας, Γρηγορίου Ηρακλείας * Λάτρου, Εὐσράτου * Οεδάλων, Νικηφόρου * Καδάρων, Θεοδώρου * Ρυκάνδων, Εὐσεβίου Δουρναίων, Ξενοφῶντος Δημητριάδος, Δαμιανῦ τῦ Εζήρου, Λέοντος Νέων Πατρῶν, Πέτρου Δρουγουβιτείας, Αθανασίου Σελιναίων, Συμεὼν Αρκαδιουπόλεως, Βασιλείου Αδριανῦς, Βασιλείου Ηρακλείας, Γρηγορίου Καμουλιανῶν, Ιουλιανῦ Παλίας, Δαμιανῦ Δαφνουτίου, Αντωνίου Κεφαλληνίας, Κηρήκου Νεαπόλεως, Φιλίππου Χρυσοπόλεως, Κωνσαντίνου Κῶ, Αντωνίου Ναυπάκτου, Θεογνώσου Απαμείας, Μεθοδίε Εξαμιλίε, Γ'ωάννε Μηξοπόλεως, Λέοντος Ελευθεροπόλεως, Κωνσαντίνε Μαδύτων, Μεθοδίε Καισαροπόλεως, Νικηφόρε Πορῶν, Εὐσρατίε Ελεζῶν, Γ'ακώβε Περιθεωρίε, Θεοδώρε Βυκυβᾶ, Γ'ωάννε Θεοδωροπόλεως, Κωνσαντίνε Τροκνάδων, Θεοκτίσε Τιβεριουπόλεως, Γρηγορίε Κοδαδείας, Γ'σαὰκ Σταβαρωτῦ, Νικόλεω Νικοπόλεως, Στεφάνε Γαγγρῶν, Πέξε Παμφίλε, Νικήτα Αὐτυδῶν, Ελισαίε Λαγκιῶν, Δημηξίε Σκυλακίε, Αγάθωνος Κερασιῶν, Θεοδώρε Απαμείας, Νικηφόρε Βασάδων, Νικόλεω * Ραιλέσε, Θεοδώρε Σπόρης, Σάβα Κυνηπόλεως, Σισινίε Σωκάε, Θεοδώρε Καβυρκίε, Θεοκτίσε Ακρόνε, Σάβα Τεργασῦ, Κωνσαντίνε * Ακαρασίε, Γ'ωάννου * Αμπλάδων, Βασιλείου Θυατείρων, Νικηφόρου Ορακῶνος, Εὐσεβίου Σωκάου, Δημητρίου Πολυσύλου, Βασιλείου Σωκάου, Θεοδώρου Ορυκάνδου, Νικόλεω Σωζοπόλεως, Γ'ναπίου Γ'σινδῦ, Θεοδόλου Πατάρων, Σισινίου Τειπόλεως, Αθανασίου Μοθόνης, Φιλίππου Σατάλων, Νικόλεω Αδρανείας, Γρηγορίου Τ'παίπων, Γεωργίου Αλεῦς, Θεοφανῦς Αγλιοχείας μικρᾶς, Εὐκαδίε Τύχους, Θεοδοσίε Ελευθεροπόλεως, Νικηφόρε Ερμοκάπου, Βασιλείου Λινόης, Γ'ναπίου Νύσης, Γ'ωάννου Ζαλιχῦ, Βασιλείου Τζουρουλόης, Χερσοφόρου Δαδύρων, Πέξου Μελόης, Κωνσαντίνου Φέλλου, Μακαρίου Κοτένης, Παύλου Ζηλῶν, Βασιλείου * Αμινσῦ, Λέοντος * Αγαλασῦ, Βασιλείου Γερμανικοπόλεως, Θεοδώρου Γ'τέας, Μαριανῦ Αναστασιουπόλεως, Σισινίου * Βερμοπόλεως, Θωμᾶ Τ'ψῦ, Μιχαὴλ Τρωάδος, Εὐσολίου Αλδίλου, Παύλε Δομετιουπόλεως, Εὐχήμονος Εἰρηνουπόλεως, Συμεὼν Κερασῦντος, Αντωνίου Λακεδαιμονίας, Κωνσαντίνου Τρακύλων, Θεοπίσου * Τράλεων, Γ'ωάννου * Παλεμονίου, Λέοντος Προβάλδων, Σξατηγίου.... Λέοντος Βασιλειουπόλεως, Βασιλείου * Καδιςῦ, Γ'ωάννου Αλαβαρδῦ, Κωνσαντίνου Λυσιάδος, Κωνσαντίνου Νεαπόλεως, Φιλοθέου Αθανάσου, Μιχαὴλ Οξοΐς, Στεφάνου Πυργίου, Θεοφίλου Αλινδῦ Μεωνίας, Φιλίππου Μυλάσου, Γ'ωάννου * Βαργύρων, Γ'ωσὴφ Λαρίμων, Φωλίου Κλήρων, Συμεὼν Κεράμου, Παύλου Μέλης, Βαρδανίου Σκοπέλων, Κωνσαντίνου Τραποβιζύης, Γ'ωάννου Βουκέλου, Συμεὼν Λάκης, Γ'σραὴλ Τζόκου, Μανουὴλ Προβάτου, Παύλου Μοσωνοπόλεως, Νικήτα Πρύσης, Συμεὼν Αττιλείας, Γ'ωσὴφ Τυράου, Θεοκτίσου Καισαρείας τῆς Βιθυνίας, Φιλίππου Ανδρῦ, Νικόλεω Μάκρης, Νικόλεω Αγχιά-

-χιάλε, Σάβα Βετουίου, Γεωργίου Α'ρμενίας, Σά-
βα Λαρανδε, Α'ντωνίου Κιννα, Α'ρσενίου Α'τέδων,
Δανιὴλ Κονέου, Α'νθίμου Βασινουπόλεως, Βασι-
λείου Κρατείας, Εὐστρατίου Φόβου, Σωφρονίου Α'-
δριανουπόλεως, Κωνσταντίνου Τυραίου, Παύλου Εὐ-
μενίας, Βασιλείου Α'δάδων, Βαανὲς * Μασράζων,
Νικόλεω Χωμάτου, Ταρασίου Ε'ρισῆς, Ε'πιφα-
νίου Δαλδῆς, Βασιλείου Σινιάνδου, Γ'ωάννου Σερ-
γουτζίου, Μιχαὴλ Μετελλουπόλεως, Μεθοδίε Δα-
δαλείας, Γερμανὲ Κίζου, Λέοντος Γορδίας, Θεο-
δηγήτου Φυτίας, Μιχαὴλ Α'νάζου, Νικόλεω Η'-
λιοδωρίδου, Νικολάου Οἰνιάνδου, Γερμανὲ Φιλι-
ππῆ, Εὐσαθίου Λάνδης, Κωνσταντίνου Κωμβᾶς, Μι-
χαὴλ Α'γκύρας, Κωνσταντίνου Μοσυνῶν, Νικηφόρου
Κλήρου, Α'ναστασίου Τυραίου, Ζαχαρίου Γ'ωαννίνης,
Α'νδρέα Τλὲ, Νικηφόρου Συμεωνίου, Μεθοδίου
Περγάμου, Κωνσταντίνε Εὐχαρπίας, Εὐσαθίου Αχ-
μονίας, Συμεὼν Δεζελτῆ, Γερμανὲ Μουσβάδων,
Παύλε Δορυλαίε, Λέοντος Α'ρπασῆ, Νικόλεω Γ'-
βόρων, Βασιλείε Ο'ρεανίτων, Γ'υλιανὲ Μείζου,
Θεοδώρε Μυλωμνῶν, Γ'νατίε Συκῶν, Νικόλεω
Καλόμνης, Κωνσταντίνε Σώρας, Νικηφόρε Συβλαί-
ας, Εὐστρατίε Τραϊανουπόλεως, Μιχαὴλ Φιλαδελ-
φείας, Ε'πιφανίε Εὐμενείας, Κωνσταντίνε Α'τάνδρων,
Θεοφάνους Α'ζανὲς, Κοσμᾶ Στεφανιακὲ, Κωνσαν-
τίνε Λαοδικείας, Στεφάνε Βινδαίε, Κωνσταντίνε Σε-
βαστῆς, Γερμανὲ Λιζίκε, Νικόλεω Τεπάτζης, Θεο-
δώρε Γερομνημοναρείας, Μιχαὴλ Νίσσης, Νικόλεω
Πάππων, Θεοδοσίε Τυμβριάδος, Γ'ωβανεσίε Γ'ωαν-
νίτζας, Μεθοδίε Κλεπῶν, Γερμανὲ Δασκυλίων,
Μιλωᾶ τῆς * ἁγ. Βασιλείε Λαγκιῶν, Γρηγορίου
Γ'ενοπόλεως, Γ'ωάννε Βαρβάλων, Θεοφάνες Μακρο-
κώμης, Εὐθυμίε Φιλομήλε, Σαμουὴλ τὲ ἁγίου
Κορνηλίε, Α'νθίμε Παρλαὲ, Ε'φραὶμ Γαργάρων,
Μιχαὴλ Μορκᾶς, Θεοφάνες Μελιτοπόλεως, Στε-
φάνε Γορδοσέρβης, Παύλε Βινδαίων, Παύλε Ζικ-
χίας, Κυρίλλε Λινόης, Α'ντωνίε Δαφνουσίας, Σα-
μουὴλ Παρσακήτης, Α'θανασίε Πινάρων, Νικήτα
Ζιωόπε, Ιγνατίε Βασιλειουπόλεως, Γρηγορίε Γ'άσ-
σων, Γεωργίου Βαρατῆ, Θεοτίμου Α'ργους, Μι-
χαὴλ Α'πολλωνιάδος, Εὐχήμου Τιτυὲ, Νικη-
φόρου Πείρας, Παύλου Σβόμου, Α'ντιόχου Μά-
κρης, Μακαρίου Κοτένης, Νικολάου Νικοπόλεως,
Συμεὼν Κρεδαμὲ, Κωνσταντίνου Κάββων, Βασιλείου
Ε'βαῆς, Συμεὼν * Χαιρετοπῶν, Δημητρίου Πολυ-
εύλου, Γερμανὲ Λδλκάδος, Α'νδρέου Ναυπλίου,
Συμεὼν Τειβριάδος, Κοσμᾶ Χαειουπόλεως, Θεο-
δοσίου Σωόπης, Μελετίου Πόντο-Η'ρακλείας,
Κωνσταντίνου Τίου, Μιχαὴλ τῆς ἁγιαυπόλεως, Μι-
χαὴλ Α'γκυροσωάου, Α'θανασίου Α'νέας, Εὐσα-
θίου Α'λανδὲ, Σαμουὴλ Λιπάρων, Λουκᾶ Α'ζά-
ρων, Θωμᾶ Αἰγίνας, Γ'ωάννου Δαρδάνου, Λέοντος
Πλουσιάδος, Βασιλείου Λύσρων, Εὐσαθίου Φλο-
γῶν, Μιχαὴλ τὲ ἁγίου Α'γαπητῆ, Μεθοδίου Γ'κ-
ξῶν, Εὐστρατίου τὲ Μουκὲ, Θεοφίλου Μαγνησίας,
Σβατηλίου Ω'κης, Συμεὼν τὲ ἁγίου Δουλᾶ, Γερ-
μανὲ τὲ * Ε'κτορίου, Συμεὼν Κεράμου, Λουκᾶ
Α'νηλίου Μαγνησίας, Δαβὶδ Ρ'οιῶν, Γ'ωάννου *
Ναζιναζῆ, Γρηγορίου Α'δριανουθηρῶν, Εὐσαθίου
Δερμοχόλχων, Πλάτωνος Ε'σβῶν, Α'ετίου Δόμνων,
Στεφάνου Βρέως, Παύλου Φώκης, Ιωάννου Δοκιμίου.

Σιγῆς γενομένης Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος στὰς ἐνώπιον τῆς συνόδου,

Aniæ, Basilio Adadorum, Vaani Mastrabo-
rum, Nicolao Chomatis, Tarasio Erisiæ, Epiphaniæ Daldæ, Basilio Siniandi, Joanne Sergentzii, Michaele Metellopoleos, Methodio Dadaliæ, Germano Cytri, Leone Gordiæ, Theodegete Phytiæ, Michaele Anatri, Nicolao Heliodoridos, Nicolao Oeniandi, Germano Philitensi, Eustathio Lundæ, Constantino Combæ, Michaele Ancyræ, Joanne Mosynorum, Nicephoro Clerorum, Anastasio Tyrai, Zachariæ Joanninæ, Andrea Tloensi, Nicephoro Symeonii, Methodio Pergami, Constantino Eucarpiæ, Eustathio Lemoniæ, Symeone Develti, Germano Musbadorum, Paulo Dorylæi, Leone Harpasi, Nicolao Ibororum, Basilio Oreanitarum, Juliano Mixi, Theodoro Mylomnorum, Ignatio Sycorum, Nicolao Calumnæ, Constantino Soræ, Nicephoro Syblææ, Eustratio Trajanopoleos, Michaele Philadelphiæ, Epiphanio Eumeniæ, Constantino Antandri, Theophane Azani, Cosma Stephaniaci, Constantino Laodiceæ, Stephano Bindæi, Constantino Sebastæ, Germano Lizici, Nicolao Teputzæ, Theodoro Hierocæsareæ, Michael Nyssæ, Nicolao Papporum, Theodosio Tymbrados, Jovanesio Joannitzæ, Methodio Cleporum, Germano Dascylii, Mena Hagiopoleos, Basilio Lagenorum, Gregorio Jonopoleos, Joanne Barbulorum, Theophane Macrocomes, Euthymio Philomelii, Samuel sancti Cornelii, Anthimo Parlai, Ephraim Gargarorum, Michael Morcæ, Theophane Melitopoleos, Stephano Gordofervæ, Paulo Bindæorum, Paulo Zecchiæ, Cyrillo Linoæ, Antonio Daphnusiæ, Samuel Parsacutæ, Athanasio Pinarorum, Niceta Zenopi, Ignatio Basiliopoleos, Gregorio Jassi, Georgio Baratæ, Theotimo Argi, Michaele Apolloniadis, Euschemone Tityi, Nicephoro Piræ, Paulo Strymonis, Antiocho Macræ, Macario Cotenæ, Nicolao Nicopoleos, Symeone Credami, Constantino Caborum, Basilio Ebaæ, Symeone Cæretaporum, Demetrio Polystyli, Germano Leucadis, Andrea Nauplii, Simeone Tribenadis, Cosma Chariupoleos Theodosio Sinopes, Meletio Ponti Heracleæ, Constantino Tii, Michaele Hagiupoleos, Michaele Ancyrosynai, Athanasio Aneæ, Eustathio Alandi, Samuel Liparorum, Luca Azarorum, Thoma Æginæ, Joanne Dardani, Leone Plusiadis, Basilio Lystrorum, Eustathio Phlogensi, Michaeli sancti Agapeti, Methodio Ictrorum, Eustratio Muci, Theophilo Magnesiæ, Strategio Ocæ, Symeone sancti Dulæ, Germano Stectorii, Symeone Cerami, Luca Anelii Magnesiæ, David Rhœorum, Joanne Nazianzi, Gregorio Hadrianotherarum, Eustathio Dermocholchorum, Platone Esbuntis, Aetio Domnorum, Stephano Bareos, Paulo Phocæ, Joanne Docimii.

ANNO CHRISTI 879.

Facto silentio, Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius stans coram synodo

ANNO CHRISTI 879.

do dixit: Petrus religiosissimus presbyter Cardinalis & legatus Joannis sanctissimi Papæ veteris Romæ, & qui cum eo sunt, Paulus & Eugenius, advenerunt. Ex quibus reverentissimus Petrus etiamnunc adstat, & venerabiles literas sanctissimi Joannis Papæ defert.

Photius sanctissimus Patriarcha dixit: Gratias Deo nostro optimo, qui servavit eum incolumem, restituitque ipsum nobis in pace & commoda valetudine. Ingrediantur. Cumque ingressi essent, Photius sanctissimus & œcumenicus Patriarcha dixit: Gloria sit Deo nostro, semper consubstantiali & vivificæ Trinitati, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Sancta synodus respondit: Amen. Et oratione facta de more, Photius sanctissimus dominus noster & œcumenicus Patriarcha amplexus osculatusque est Petrum religiosissimum presbyterum, & eos qui cum ipso erant, dicens: Deus huc opportune vos adduxit: suscipiet Dominus laborem vestrum: benedicat & sanctificet animas & corpora vestra. Suscipiat curam & solicitudinem sanctissimi fratris & comministri ac spiritalis patris nostri beatissimi Papæ Joannis.

Petrus religiosissimus presbyter Cardinalis & legatus sanctissimi Papæ Joannis, dixit: Benedictus Deus, quod vestram sanctitatem invenimus bene valentem. Visitat vos sanctus Petrus. Photius sanctissimus Patriarcha dixit: Christus Deus noster per principem Apostolorum Petrum, cujus mentionem fecit vestra pietas, misereatur omnium nostrum, & suo dignos regno efficiat.

Petrus religiosissimus presbyter & Cardinalis dixit: Salutat sanctitatem vestram sanctissimus & œcumenicus Papa Joannes. Photius sanctissimus Patriarcha dixit: Vicissim salutatur a nobis sincero cordis affectu: & Deum rogamus, ut simus participes sanctarum precum & excellentis caritatis ipsius: & a communi Domino Christo Deo nostro pro sincero erga nos amore & genuino affectu, merces eidem rependatur.

Petrus religiosissimus presbyter & Cardinalis sedis Apostolicæ dixit: Vult ille tuam reverentiam habere fratrem & comministrum & consacerdotem. Photius sanctissimus dominus noster & œcumenicus Patriarcha dixit: Qui omnium bonorum perfector est Christus Deus noster, compleat voluntatem ejus cælesti consilio. Et nos enimvero adscribimus illum in fratrem & comministrum, ac spiritalem patrem nostrum.

Petrus religiosissimus presbyter & Cardinalis dixit: Misit sanctitati vestræ epistolam, ut per ipsam agnoscant omnes, quantam curam & solicitudinem gerat de sancta Dei ecclesia, cui præes; & qua sit caritate, qua fide, erga sanctitatem tuam. Photius sanctissimus Patriarcha dixit: Etiam ante scripta ex rebus ipsis compertum plenissime atque exploratum habuimus: nec jam epistola pro rei documento, sed ad cognitionem dudum acceptam accessit hæc confirmatio. Propterea necesse est, ut Pontificalem ejus integritatem loco patris & curatoris habeamus; cum talem ac tantam præ se ferat solicitudinem ac providentiam; ut non modo

A εἶπε. Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καρδηνάλις καὶ τοποτηρητὴς τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Παῦλος, καὶ Εὐγένιος, παραγεγόνασιν. ὧν ὁ μὲν θεοσεβέστατος Πέτρος ἄτε δὴ καὶ νῦν παραγεγονὼς, καὶ τιμίας ἐπιστολὰς τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ἐπικομίζεται.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· εὐχαριστία τῷ ἀγαθῷ Θεῷ ἡμῶν ὑγιασώσαντι αὐτὸν, καὶ ἀποκατιστήσαντι ἡμῖν αὐτὸν ἐν εἰρήνῃ καὶ ὑγείᾳ. εἰσίτωσαν. εἰσελθόντων δὲ αὐτῶν, Φώτιος ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης εἶπε· δόξα τῷ Θεῷ ἡμῶν, τῇ ὁμοουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι, πάντοτε νυνὶ καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἡ ἁγία σύνοδος ἐπεφώνησεν, ἀμήν. καὶ τῆς εὐχῆς γενομένης κατὰ τὸ ἔθος, Φώτιος ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης ἀσπασάμενος τε καὶ ἠσπάσατο Πέτρον τὸν θεοσεβέστατον πρεσβύτερον καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ, εἰπών. ὁ Θεὸς καλῶς ὑμᾶς ὠδήγησεν. ἀποδέξαιτο Κύριος τὸν κόπον ὑμῶν. εὐλογήσαι καὶ ἁγιάσαι ψυχὰς καὶ τὰ σώματα ὑμῶν. ἀποδέξαιτο δὲ τὴν φροντίδα καὶ μέριμναν τοῦ ἁγιωτάτου ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ καὶ πνευματικοῦ παιδὸς ἡμῶν τοῦ μακαριωτάτου πάπα Ἰωάννου.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καρδιναάλις καὶ τοποτηρητὴς τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου εἶπεν· εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὅτι εὕρομεν τὴν ἁγιωσύνην ὑμῶν ὑγιαίνουσαν. ἐπισκέπτεται ὑμᾶς ὁ ἅγιος Πέτρος. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν διὰ τοῦ κορυφαίου τῆς μαθητείας Πέτρου, οὗ τὴν μνήμην ἡ σὴ ἐποιήσατο εὐλάβεια, ἐλεήσαι πάντας ἡμᾶς, καὶ τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἀξίους ἀναδείξαι.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναάλις εἶπε· προσκυνεῖ τὴν ἁγιωσύνην ὑμῶν ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πάπας Ἰωάννης. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἔφη· ἀντιπροσκυνεῖται παρ' ἡμῶν ἐγκαρδίῳ πόθῳ· καὶ αἰτόμεθα Θεὸν χαρισθῆναι ἡμῖν τὰς ἁγίας εὐχὰς καὶ τὴν τιμίαν ἀγάπην αὐτοῦ· καὶ γένοιτο αὐτῷ τῆς πρὸς ἡμᾶς γνησίας ἀγάπης καὶ εἰλικρινοῦς διαθέσεως παρὰ τοῦ κοινοῦ δεσπότου Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἀντίμειψις.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναάλις τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου εἶπε· θέλει τὴν σὴν τιμιότητα ἔχειν ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν καὶ συνιερέα. Φώτιος ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης εἶπεν· ὁ πληρωτὴς πάντων τῶν ἀγαθῶν Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν τελειώσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ ἐρανίῳ βουλῇ. καὶ ἡμεῖς δὲ ἐπιγραφόμεθα αὐτὸν ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν καὶ πνευματικὸν ἡμῶν πατέρα.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναάλις ἔφη· ἀπέστειλε τῇ ἁγιωσύνῃ ὑμῶν ἐπιστολὴν, ἵνα δὲ αὐτῆς γνῶσι πάντες, οἵαν φροντίδα καὶ ἐπιμέλειαν κέκτηται εἰς πᾶσαν κατὰ σὲ ἁγίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, καὶ οἵαν ἀγάπην καὶ πίστιν ἔχει εἰς τὴν σὴν ἁγιωσύνην. Φώτιος ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· καὶ πρὸ τῶν γραμμάτων δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἀκριβῶς τὴν πληροφορίαν ἐλάβομεν. καὶ νῦν ἡ διδασκαλίας τὰ γράμματα γίνεται, ἀλλὰ τῶν προεγνωσμένων προσθήκη καὶ ἐπιβεβαίωσις. διὰ τοῦτο χρὴ ἡμῖν καθίσαται ἐν μοίρᾳ πατρὸς καὶ φροντιστοῦ τὴν αὐτοῦ ἀρχιεραϊκὴν τελειότητα ποιεῖσθαι. ὃς τοσαύτην καὶ τηλικαύτην ἐπιμέλειαν καὶ φροντίδα

κα-

κατεβάλετο. ὥς τε μὴ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ δὶς τῇ γνησίων καὶ πιστῶν αὐτῷ ἀρχιερέων καὶ ἱερέων πρὸς τὴν ἡμετέραν μεξιότητα ἀποστεῖλαι. καὶ ὃς τοσοῦτον καὶ τηλικοῦτον ἀγῶνα ἀνεδέξατο ὑπὲρ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, πῶς οὐκοῦν ἄξιος τῆς ἴσων ἀγώνων καὶ φροντίδων τὴν εὔνοιάν τε καὶ καθαρὰν διάθεσιν καὶ χαρισίαν ἀναλαμβάνειν; ἐμιμήσατο γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐν τούτῳ Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν πρῶτον καὶ μέγαν ἀρχιερέα. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος οὐκ οἷς αὐτὸν τὰ οὐράνια ἐθεράπευε τάγματα, καὶ τὴν ἀγάπην καθαρὰν καὶ ἀνεπιθόλωτον διεφύλαττε, τούτοις ἠρκέθη. ἀλλὰ ἑαυτὸν κενώσας καὶ μέχρι δούλου μορφῆς τὴν κένωσιν ὑποσάς, πρὸς ἑαυτὸν εἵλκυσε τὸ πεπλανημένον ἡμῶν καὶ ἠλλοτριωμένον τῇ ἀνθρώπων γῇ· οὕτω καὶ ὁ μιμητὴς ἐκείνου ὁ πνευματικὸς ἡμῶν πατὴρ, οὐκ οἷς καθ' ἑαυτὸν ἐκκλησίας τὸ εἰρηναῖον εἶχεν ἡσμένισεν, ἀλλὰ διὰ τῆς αὐτοῦ τιμίων ποτοπρητῆς, πρώτου μὲν διὰ τῆς ὁσιωτάτου Παύλου καὶ Εὐγενίου· ἔπειτα δὲ καὶ διὰ τῆς ὑμῶν ἱερατικῆς τελειότητος ἐπισκέψασθαι διανέστη τοὺς, εἴ τινες εἶεν, ἀπειθοῦντας τῇ ἀληθείᾳ, καὶ νουθεσίαν τὴν πρέπουσαν εἰσαγαγεῖν· ὡς ἂν ἀποσάντες τῆς προκατεχούσης αὐτοὺς σχισματικῆς πλάνης, ὅλοι Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν τῇ κοινῇ κεφαλῇ κολληθῶσι, καὶ εἰς εὐ ἄρτιον αὐτοῦ ἀποτελεσθῶσι σῶμα. διχαρισάμην οὖν πρῶτα μὲν τῷ Θεῷ τῷ ἀνακινήσαντι τὴν * ἐκείνου ἀρχιερατικὴν τελειότητα ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ σπουδῇ. δεύτερον δὲ καὶ τῷ αὐτῷ τῷ διανασάντι, καὶ πρὸς τοὺς ἄνωθεν ψήφους ἑαυτὸν ἀπροφάσιστον παρασκευασαμένῳ ὑπηρέτην. διὰ κατασπαζόμεθα, καὶ κατευγεραίρομεν τὴν αὐτοῦ τιμιότητα. ἀλλὰ γὰρ τὰ μὲν τῆς ψυχῆς οἴδαμεν τοῦ θείου ἀνδρὸς ἐκείνου, ὡς εὖ τε ἔχει καὶ καλῶς διάκειται· τὰ δὲ περὶ τοῦ τιμίου αὐτοῦ σώματος ἀναπιμπλάμεθα ἐν ποίᾳ διατελεῖ κατασάσει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις ἀπεκρίθη· καλῶς διὰ τῆς ἁγίων δεήσεων ὑμῶν. Φώτιος ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης εἶπεν· ἡ κατ' αὐτὸν ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία, καὶ πάντες ἀρχιερεῖς καὶ ἱερεῖς, πῶς ἔχουσι; Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις ἔφη· ὑγιαίνουσι πάντες διὰ τῆς ἁγίων δεήσεων ὑμῶν. ἀλλὰ τῇ ἀγάπῃ καὶ τῇ πίστει ᾗ ἔχει ὁ ἁγιώτατος πάπας πρὸς τὴν σὴν ἁγιωσύνην τίς διηγήσεται; ὅμως ἐκ τῆς ἐπιστολῆς αὐτοῦ γνώσονται πάντες τὸν πρὸς σὲ πόθον αὐτοῦ. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης εἶπεν· ἡ τῶν λόγων ἰσχὺς ἐν τοῖς τῶν πραγμάτων ἀναφαίνεται περιφανείᾳ. ὁ δὲ ἁγιώτατος πάπας, ὁ πνευματικὸς ἡμῶν πατὴρ, τὰ ἔργα προκατεβάλετο τῶν λόγων. ὅσοις οὖν ἐστι σύνεσις, περιφανὴς ἤδη κατέστη ὁ ἔνθεος αὐτοῦ ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ζῆλος, καὶ ἡ πρὸς ἡμᾶς τοὺς ταπεινοὺς εἰλικρινὴς αὐτοῦ διάθεσις καὶ ἀγάπη τελεία.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπεν· * ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοί· πολλὰ προσκυνεῖ καὶ ἐπισκέπτεται ἡμᾶς ὁ ἁγιώτατος πάπας. ἡ ἁγία συνοδος εἶπε· καὶ ἡμεῖς προσκυνοῦμεν αὐτὸν καὶ κατασπαζόμεθα. Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ ποτοπρητὴς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπεν· ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοί· ὃν τρόπον φιλόστοργος πατὴρ τὰ ἑαυτοῦ τέκνα ἐπιζητεῖ, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ὁ ἀγαθὸς ποιμὴν τὰ ἑαυτοῦ πρόβατα, οὕτω καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης ἀγαπῶν ὑμᾶς ὁ παύε-

A semel, sed etiam iterum ingenuos ac fideles suos episcopos ac sacerdotes ad nostram mediocritatem miserit; quique tale ac tantum certamen sustinuerit pro sancta Dei ecclesia: quomodo igitur non ipse dignus censeatur, qui æqualium certaminum ac solicitudinum vicem recipiat ex benevolentia & affectu puro, atque ex grati animi significatione? Vere in hoc imitatus est Christum verum Deum nostrum, primum magnumque Pontificem. Nam quemadmodum ille non satis habuit a cælestibus ordinibus coli, qui puram & expertem maculæ caritatem erga eum servabant; sed semetipsum exinaniens, & usque ad formam servi su- B biens exinanitionem, attraxit ad se errabundum & ab eo alienatum nostrum humanum genus; sic & imitator illius noster spiritualis pater, non satis habuit ecclesiam suam pace perfrui; sed per reverendos suos legatos, primum quidem per sanctissimos Paulum & Eugenium, deinde vero & per vestram sacerdotalem eximietatem, inspicere voluit, num essent aliqui, qui non crederent veritati, & convenientem adhibere adhortationem: ut recedentes a schismatico errore, quo fuerant antea detenti, Christo vero Deo nostro, qui est commune omnium caput, omnes adhærescerent, & in unum ipsius integrum corpus coalescerent. C Igitur gratias agimus primum quidem Deo, qui talem sollicitudinem injecit ipsius Pontificali eximietati; deinde vero & ipse qui exsurrexit, & ad superna decreta exsequenda sine excusatione seipsum ministrum exhibuit. Quamobrem ejus reverentiam amplector & veneror. Etenim animum novimus divini illius viri, quam bene affectus animatusque sit: quomodo autem corpore valeat venerandus vir, scisci- tamur.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis respondit: Recte, per sanctas orationes vestras. Photius sanctissimus dominus noster dixit: Sancta Dei ecclesia, D cui præest, & omnes episcopi ac sacerdotes, quomodo valent? Petrus religiosissimus presbyter & Cardinalis dixit: Sani sunt omnes per sanctas orationes vestras. Qua autem caritate, qua fide sit sanctissimus Papa erga tuam sanctitatem, quis enarrare possit? Tamen ex epistolis ejus agnoscent omnes, quanto te prosequatur affectu. Photius sanctissimus & œcumenicus patriarcha dixit: Quæ sit vis verborum, ex rebus ipsis manifeste conspicitur. Sanctissimus Papa, spiritualis noster pater, facta verbis præmisit. Quicumque igitur sunt mente præditi, perspicue norunt zelum ipsius divinum pro sancta ecclesia, sincerum- E que ejus animum, & caritatem perfectam erga nos humiles.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Fratres & comministri: Sanctissimus Papa plurimam vobis salutem dicit. Sancta synodus dixit: Et nos ipsum salutamus & amplectimur. Petrus religiosissimus presbyter & legatus veteris Romæ dixit: Fratres & comministri: Quemadmodum amantissimus pater liberos suos desiderat, & bonus pastor oves suas; sic & sanctissimus Papa, qui vos diligit, non cessat per suas literas & per suos legatos, adhortari vos, &

vi-

ANNO CHRISTI 879.

ANNO CHRISTI 879.

visitare, ac ducem se viæ præbere. Vult enim omnem sanctam Dei ecclesiam uniri, ut fiat unum ovile, & unus pastor. Joannes Dei amantissimus metropolita Heracleæ dixit: Per sanctas ipsius orationes jam antea factum est unum ovile; & habemus unum verum pastorem, sanctum ac probum, Photium sanctissimum dominum nostrum & œcumenicum patriarcham.

Zacharias Dei amantissimus metropolita Chalcedonis dixit: Rex est adeo veneranda Pax, ut Deus ipse Pax vocetur, & esse credatur; ut sunt alia, quæ similiter Deum appellare & Deum esse opinari homines consueverunt. Sed quamvis res ea tantopere veneranda sit, non ita pridem in ecclesia nostra damnum passa est; nec prius ecclesia pacata fuit, simplicitate illius qui præerat. Tunc enim maxime malo excitato & in tanta altitudinem flamma elata, quænam hujus rei causa exstitit? Omnes enim vultis edisscere: Dicam igitur, quamvis sit istud incredibile, tamen verum. Viri divini scientia tum in sacris ac divinis scripturis, tum in omni genere doctrinarum, mentis simplicitas humanam ferme supergrediens naturam, summam ingenii perspicacia, congenita prudentia, manstuetudo, vivendi genus in omnibus æquum ac moderatum, ut superior omni prorsus voluptate appareat, misericordia in pauperes supra omnes qui fuere aliquando hoc nomine celebrati, humilitas quæ Christum ipsum repræsentat, quam decet quidem habere omnem Christianum, maxime vero episcopos; quam & vos cernimus habere, ut sane convenit, ne non consentanea appellationi opera ostendamus: erga peccatores facilitas, ex effusa liberalitate inopia, industria in adducendis multis hæreticis, multis etiam infidelibus; quid hæc autem commemoro? immo & gentibus integris ad nostram immaculatam, hoc est, ad Christianorum fidem: omnis denique, ut uno verbo eloquar, virtus, quam in hominibus consuevimus intueri. Sed quis talem ac tantam virtutem coluit? Et quomodo rursum virtus, cum ipsa quiddam bonum sit, mali causa exstiterit, hoc est, ecclesiasticæ simultatis, hoc vero etiam discere omnes percupitis. Virtutem coluit quidem sanctissimus ille patriarcha noster, quem coram intuemini: ipsa vero, tametsi quiddam per se bonum est, causa mali fuit, invidiam in se convertens, quæ causa omnium fuit quæ nobis acciderunt. Habetis dicti exemplum in primo & summo Pontifice Christo; qui sui invidia Judaicam in se rabiem concitavit; quæ usque ad crucem & necem non destitit. Tale quiddam contigit, & adversus hanc Sedem malum incurrit. Passa est ea, quæ premi silentio juvat. Et vobis etiam omnino de his silere convenit. Cladem acceptam reparat virtus piissimi Imperatoris nostri; qui cum in omnibus quidem ostendat gerere se mentem a Deo gubernatam, maxime vero in hoc negotio id planum fecit. Ostendit enim ille omnibus, manifeste falsa esse quæ finguntur ab Oriente venire commenta; neque quidquam inde sani aut veri esse. Considerat autem etiam egregie mentem sanctissimi Papæ Joannis, qui nullo modo acquiescit his quæ ad perniciem & eversionem ec-

A ται δι' τῆς αὐτῦ ἐπιστολῶν καὶ τοποτηρητῶν νυθετῶν καὶ ὁδηγῶν καὶ ἐπισκεπτόμενος ὑμᾶς· βελόμενος πᾶσαν τὴν ἁγίαν τῦ Θεῦ ἐκκλησίαν σωθῆναι καὶ γενέσθαι μίαν ποίμνιον καὶ εἷς ποιμήν. Ἰωάννης ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἡρακλείας εἶπεν· διὰ ταῖς ἁγίαις αὐτῦ προσευχῇσι μία ποίμνη. καὶ ἔχομεν εἷς ἀληθῆ ποιμένα ὅσιον καὶ ἄκακον, Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην.

Ζαχαρίας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Χαλκηδόνος εἶπε· τὸ τῆς εἰρήνης πρᾶγμα ἐπὶ τοσῦτον ἐστὶ σεμνόν, ὡς καὶ τὸν θεὸν αὐτὸν εἰρηνίλιον καλεῖσθαί τε καὶ νομίζεσθαι, τοῖς ἄλλοις ὁμοίως ἃ καλεῖν ὁμῦ καὶ ὑπολαμβάνειν θεὸν εἰώθασιν ἄνθρωποι. ἀλλὰ τῦτο B τὸ πρᾶγμα καίπερ ὂν ἐπὶ τοσῦτον σεμνόν, χρόνος ἐστὶν ὃ πάνυ πολὺς ἀφ' ἧπερ ἦν τῇ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίᾳ λώβην ὑπέση. ὐδὲ πρότερον ἀσασίας ταύτης ὔσης τῇ τῦ κρατοῦντος ἁπλότητι. τότε δὴ μάλιστα τῦ κακῦ ῥιζωθέντος καὶ πρὸς τοσῦτον ὕψος τῆς φλυᾶς ἀρθείσης. τίς ἡ αἰτία τύτυ; πάντες γὰρ ἀπαιτεῖτε μαθεῖν. ἐρῶμεν, εἰ καὶ παράδοξον, ἀληθὲς δὲ ὅμως. θείᾳ ἀνδρὸς ἐπιστήμη ὅσην τε περὶ τὰς ἱερὰς καὶ θείας γραφὰς, καὶ ὅσην περὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα. νῷ καθαρότης, μικρᾷ καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ παραξέχυσα φύσιν· σωφροσύνης κατάκρας· συγκράτος ἀγχίνοια· πραότης, ἦθος ἐν πᾶσιν ἐπιεικές τε καὶ μέτριον· τὸ κρεῖττον πασῶν ὁμῦ τῶν ἡδονῶν ὁρᾶσθαι, C ἐλεημοσύνη πάντας τὰς πώποτε βεβοημένους ἐπὶ τύτῳ παραδραμοῦσα· ἡ τὸν Χριστὸν ὑποδεικνῦσα ταπείνωσις, ᾗ πάντι μὲν Χριστιανὸν ἔχειν προσήκει, μάλιστα δὲ τοὺς ἀρχιερεῖς· ᾗ καὶ ἡμᾶς ὁρῶμεν ἔχοντας, καὶ πρέπει, ὡς ἂν μὴ καὶ τῇ κλῆσιν ἐπὶ τοῖς ἔργων ψευδώμεθα· τὸ πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας ἀγνωμονικόν, ὑπ' ἀπλέτου φιλανθρωπίας· ἀκτημοσύνη. τὸ πολλοὺς μὲν τῆς αἱρετικῶν, πολλοὺς δὲ τῆς ἀπίστων· καὶ τί λέγω ταῦτα; ἔθνη δὲ μᾶλλον ὁλόκληρα εἰς τὴν ἀμώμητον ἡμῶν πίστιν τῆς χριστιανῶν ἐπισρέψαι παρασκεύασαν· πᾶσά τε, εἰπεῖν ἁπλῶς, ἀρετὴ, ὅση πέφυκεν ἐν ἀνθρώποις ὁρᾶσθαι. ἀλλὰ τίς μὲν ὁ τὴν τοσαύτην καὶ τηλικαύτην ἀρετὴν ἀσ- D κήσας; πῶς δὲ πάλιν ἡ ἀρετὴ καλὸν ὖσα, κακοῦ, τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἔχθρας, γέγονε παραιτία, πάντες καὶ τῦτο ποθεῖτε μαθεῖν. ἤσκησε μὲν τὴν ἀρετὴν ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν πατριάρχης ὅτος, ὃν ὁρᾶτε. αὐτὴ δὲ καλὸν ὖσα κακῦ γέγονε παραιτία, ἐπισρέψασα πρὸς ἑαυτὴν τὸν φθόνον, ὃς τῶν γεγονότων εἰς ἡμᾶς ἁπάντων ἐχρημάτισεν αἴτιος. ἔχετε τῦ λεγομένου παράδειγμα τὸν πρῶτον καὶ μέγαν ἀρχιερέα Χριστόν. ὃς τῷ κατ' αὐτῦ φθόνῳ τὴν Ἰουδαϊκὴν ἀνεκίνησε λύτταν, ὡς καὶ μέχρι σαρκὸς καὶ θανάτυ ταύτην μὴ σβῆναι. τοιῦτόν τι σωέβη, καὶ ἐπὶ τύτυ κατηνέχθη τῦ θρόνυ. ἔπαθεν ἃ καὶ σιγᾶσθαι καλόν. πάντως δὲ καὶ ὑμῖν ἡ τύτων συμφέρει σιγή. E ἀναμάχεται τὴν ἥτταν ἡ ἀρετὴ τῦ ἀσεβεστάτυ βασιλέως ἡμῶν· ἐν πᾶσι μὲν δηλοῦντος ὡς ὑπὸ Θεῦ τὴν διάνοιαν ἔχει κυβερνωμένην· μάλιστα δὲ σαφὲς ἐν τύτῳ πεποιηκότος. ποιεῖ μὲν γὰρ ἅπασιν ὅτος φανερὰ τὰ παρὰ τῆς ἀνατολῆς ἥκειν ψευδῶς λεγόμενα πλάσματα, ἡμῖν ὡς ὐδὲν ὑγιὲς ἐκεῖθεν. σοφάζεται δὲ καὶ καλῶς καὶ τῆς τῦ ἁγιωτάτυ πάπα Ἰωάννυ γνώμης, ὡς ὐδαμῶς ἐμμένει τοῖς ἐπ' ὀλέθρῳ καὶ καταλύσει γινομένοις τῆς ἐκκλησίας. ἀφορᾷ δὲ πρὸ τύτυ καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν κανόνα, καὶ τὴν τῦ δοκίμυ φύσιν· πρὸς ὃν τὸ μὲν γινόμενον ἅπαν ἐ-

χὺν ἔχει καὶ στέργεται πᾶσι. τούτων δὲ χωρὶς σαθρὸν εἴτι γένοιτο καὶ ἕωλον ἀναφαίνεται. καὶ ἀποκαθιστάμεν τῇ ἐκκλησίᾳ τὸ ἴδιον, καὶ τὸν νυμφίον αὐτὴ τὸν οἰκεῖον ἀπολαμβάνει. πάντα δὲ τὰ κατ' αὐτοῦ γεγονότα λῆρος μακρὸς, καὶ φλυαρία νομίζεται. τούτου γεγονότος, πολλοὶ μὲν αὐτίκα τοῖς γινομένοις προσέθεντο, πολλοὶ δὲ καὶ μετ' ὀλίγον. ὀλίγοι δέ τινες καὶ λίαν εὐαρίθμητοι, φθονοῦντες τῇ τῆς ἐκκλησίας εἰρήνῃ, κρατούμενοι δὲ καὶ τῷ τῆς φιλαυτίας πάθει, κατάκρας ἐλήφθησαν· κἄν τις αὐτοὺς ἔρηται τὴν αἰτίαν, καὶ ὅτου χάριν σφᾶς αὐτοὺς τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας ἀποτέμνουσι σώματος, πρόχειρος ἡ ἀπολογία· ὅτι ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία οὕτως βούλεται. ὅμοιόν τι ποιοῦντες, ὡσανεὶ καὶ ἱερόσυλός τις ὤν, ἢ καὶ φονεὺς, ἐγκαλούμενος ἐπὶ τούτοις ἔλεγεν· ὅτι ἐπιτροπῇ τῶν Ῥωμαίων πράττω τὸ κακόν· καὶ ἡ τέως αὕτη τε πρὸς ἑαυτὴν εἰρηνεύουσα, καὶ τοῖς ἄλλοις, εἴπερ δύναιτο, τοῦ αὐτοῦ τούτου αἰτία γινομένη, νῦν ταραχῆς καὶ τῆς ἔχθρας, καὶ τῶν σκανδάλων καὶ ἁπλῶς πάντων τῶν κακῶν, ὅσα τὴν ἡμετέραν κατείληφεν ἐκκλησίαν, αἰτία, εἰ καὶ μὴ τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλὰ τοῖς ἐκείνων λόγοις καὶ καλεῖται καὶ ὀνομάζεται. τούτου χάριν ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς ἡμῶν προσεκαλέσατο ὑμᾶς. καὶ ὑμεῖς παρεγένεσθε, ὡς ὑμᾶς αὐτοὺς αἰτιῶν καὶ μέμψεων ὧν ἔχετε μικροῦ παρὰ πᾶσιν, ἐπὶ τοῖς, ὡς ἐκεῖνοι φασὶν, εἰς ἡμᾶς ἁμαρτηθεῖσιν ἀπαλλάξαντες. ὥστε εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστιν ἡ παροῦσα σύνοδος. ὑπὲρ ὑμῶν, ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, καὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγιωτάτης ἐκκλησίας· ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας τιμῆς· ἵνα μὴ παρὰ τῶν σχισματικῶν λειψάνων διασύρησθε ὡς ἀρχηγοὶ τῶν στάσεων καὶ τῶν ταραχῶν. ἔπειτά γε ἡμετέρου χάριτι Θεοῦ, καὶ ὑπηρεσίᾳ τῇ πρὸς τοῦτο τοῦ φιλοχρίστου βασιλέως ἡμῶν, καὶ προσέτι εὐχαῖς τοῦ δεσπότου ἡμῶν τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ τῶν τριῶν τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερατικῶν θρόνων συμπνοίᾳ καὶ ὁμοφροσύνῃ, καὶ πρό γε τούτων ταῖς εὐηκόοις πρὸς Θεὸν ἱκεσίαις καὶ δεήσεσι τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου, καλῶς ἔχει τὰ πάντα, μηδενὸς δεόμενα πρὸς διόρθωσιν. καὶ ὅτι οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος, ἀλλὰ κοινὴ φωνή ἐστι πάσης τῆς πολυανθρώπου ταύτης συνόδου, ἀκούειν ὑμᾶς ἔξεστιν.

Ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· ἡμεῖς τῷ ἁγιωτάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ οἱ μὲν ἀπ' ἀρχῆς ὄντες ἡνωμένοι, οὐδέποτε διέστημεν· ἀλλὰ καὶ τὰ αἵματα ἡμῶν προθύμως ὑπὲρ αὐτοῦ ἐκχέαι τοῖς βουλομένοις ταῦτα ζητεῖν ἐν ἑτοίμῳ γεγόναμεν. ὅσοι δὲ καὶ στάσιν τινὰ πρὸς αὐτὸν ἀνεδεξάμεθα, πολλὰ καταγνόντες τῆς προτέρας ἡμῶν γνώμης καὶ διαθέσεως, νῦν ὁλοψύχῳ καρδίᾳ καὶ ἀκλινεῖ τῷ φρονήματι καὶ ἀρχιερέα καὶ δεσπότην καὶ ποιμένα ἐπιγραφόμεθα. καὶ τοὺς ἐπὶ τούτοις διστάζοντας ἐχθροὺς τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀποβλήτους ἡγούμεθα.

Ζαχαρίας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Χαλκηδόνος εἶπεν· ἀξίως ἄρα εἰσὶν ἀπόβλητοι οἵτινες λοιποὶ ὑπελείφθησαν τῆς σχισματικῆς πλάνης. μετὰ γὰρ τῶν ἄλλων αἰτιαμάτων, ὧν ἐκεῖνοι δημιουργοὶ καθίστανται, καὶ τοῦτο ποιοῦσι παράδοξον, ὃ καὶ ἐννοούμενος σχετλιάζω. τί οὖν ἐστι τοῦτο; αὐτὴν τὴν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν τὴν ἐκ πολλῶν χρόνων ἐλευθερίᾳ τετιμημένην, ἀξιώματι δὲ κράτους σεβομέ-

A clesiæ facta sunt. Et ad ipsum prius canonem respicit, & ad rationem recti; ad quam quodcumque exigitur, robur habet & placet omnibus. Absque his autem si quid fiat, perspicue infirmum irritumque est. Restituimus ecclesiæ quod suum est; & sponsum sibi proprium recepit. Quæcumque autem adversus ipsum gesta sunt, nugatorium censetur & futile. Hoc vero ubi gestum, multi statim ad ea quæ gesta sunt accesserunt, multi autem paulo postea. Pauci vero nonnulli, & numeratu faciles, paci ecclesiæ invidentes, cæco sui amore occupati prorsus captique erant. Ac si quis hos causam rogaret, cujus gratia seipsos a B communi ecclesiæ corpore abscinderent, erat in promptu defensio: Romana ecclesia sic jubet. Eodem modo se gerentes, ac si prædo aliquis vel homicida de talibus criminibus accusatus dicat, Romanorum permissu nefarium scelus perpetro. Et illa quidem hactenus apud se pace fruens, & aliis, si quidem possit, ejusdem boni causa effecta, nunc tumultus, & inimicitiarum, & scandalorum, & ut verbo complectar omnia, omnium malorum, quæ nostram ecclesiam oppresserunt, sin minus vere, certe illorum sermonibus, causa dicitur & nuncupatur. Eam ob causam piissimus Imperator noster vos accersivit. Et vos eo consilio adestis, C ut a vobis amoveatis criminationes & accusationes, quas in vos propemodum universi inferunt, de his quæ adversus nos, ut illi loquuntur, commissa nefarie sunt. Ac si vere loqui vobis oportet, pro vobis coacta est præsens synodus; pro vobis, fratres patresque, & pro sanctissima Ecclesia Romana, pro vestro honore: ne schismaticorum reliquiæ vos insectentur, velut dissidiorum & tumultuum auctores. Postea vero Dei nostri gratia, & opera præterea Christum amantis Imperatoris nostri, & orationibus adhuc domini nostri sanctissimi patriarchæ, & trium Orientis Pontificalium sedium conspiratione atque consensu, & Deo acceptis sup- D plicationibus ac precibus sanctissimi Papæ Joannis, recte se habent omnia, nec ullius opera ad emendationem egent. Quod autem non mea hæc oratio, sed communis vox est totius hujus frequentissimæ synodi, audire vobis licet.

Sancta synodus exclamavit: Nos a sanctissimo domino nostro & œcumenico patriarcha, ut ab initio sumus cum eo conjuncti, nullo modo disjungimur: sed & sanguinem nostrum alacriter pro eo effundere volentibus illum quærere, parati sumus. Quotquot autem dissidium aliquod adversus ipsum admisimus, vehementer improbantes superius nostrum consilium atque propositum, nunc to- E to corde & stabili sententia Pontificem & pastorem & dominum ipsum profitemur. Qui de his autem dubitant, hos hostes ecclesiæ & projiciendos censemus.

Zacharias Dei amantissimus metropolita Chalcedonis dixit: Merito sane projiciendi sunt, qui sunt ex schismatico errore residui. Nam præter alia crimina, quorum illi auctores sunt, etiam illud incredibile perpetrant, quod ipse cogitans vehementer plango. Quid istud rei est? Ipsam Romanam ecclesiam, quæ a multis annis libertate potitur, conantur in servitutem redige-

re. Quo pacto tandem? Acta, inquiunt, ANNO CHRISTI 879. Nicolai Papæ ſuſcepimus: & acta Hadriani ſimiliter placent: Acta vero ſanctiſſimi ac beatiſſimi Papæ Joannis non ſuſcipimus, Quid ita? Quoniam illi quidem noſtro obſequuntur arbitrio; iſte autem non ea ſectatur quæ volumus: ſed quæ vult ille, his & nos ut acquieſcamus lege decernit, Hoc vero quid eſt aliud, niſi quod iſti quidem non Pontificum Romanorum decretis obtemperant, ſed magnos illos admirandoſque Pontifices propriis obſequi judiciis cogunt? Nam ſi illa ſuſcipiunt e veſtris decretis, quæ ipſi prius ſtatuerunt; quæ vero ipſi nolunt, etiamſi millies vos volueritis, & canones habeatis ſuffragatores, & ſuperne prælucentem afflatum; tunc contra hæc omnia proprium ſuum judicium plus valere ſuperbe gloriantur, Quem deinde furori locum relinquunt, qui major eſſe poſſit? Feſtinate igitur, dilectiſſimi, & contendite ipſam etiam ſanctam Romanam Dei eccleſiam a monſtruoſa & barbara ſervitute eximere; & inhærentem vobis ignominiam accuſationemque depellite: gloriam vero inclytamque famam conſpiratione communis eccleſiarum pacis commutate.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Omnipotenti Deo noſtro debemus pro omnibus gratias agere; & ipſe faciet quæ omnibus proſint. Joannes Dei amantiſſimus metropolita Heracleæ Thraciæ dixit: Maximas & egimus ei gratias: iterumque agemus: quod quæ prius in eccleſia Dei ſcandala & zizania pullularant, e medio ſublata ſunt; & pax alta pro præmio deſtinatur huic conſenſioni ſanctitatis veſtræ, & Pontificalium ſedium Orientis, & interceſſui optimi ſanctiſſimi Domini noſtri & Pontificis.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dicit: Lætetur hodie orbis terrarum, & exſultet eccleſia: quoniam locutus eſt Dominus bona in cordibus ſanctorum Imperatorum noſtrorum: & excitavit ipſorum a Deo ſtabilitum imperium, ut reverendos legatos advocarent ex quatuor ſedibus Patriarchalibus. Et nunc videmus veſtram reverentiam adveniſſe, & ſanctiſſimi Papæ Joannis ſpiritalis patris noſtri legatos, & eos qui ab Oriente ſimiliter venerunt, in noſtram concordiam conſpirare, & ſchiſmaticum errorem concordi nobiſcum ſententia abigere. Et nunc igitur vere opportune prophetica vox illa uſurpatur: *Dominus regnavit, decorem induit*: induit enim eccleſia per ipſum *fortitudinem*, & *præcinxit ſe*.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hieroſolymorum dixit: Et nunc Deo gratias agere convenit, quod nos adunatos cernimus. Ego vero humilis gratias ago præterea, quod hunc ſchiſmaticum errorem in ſancta noſtra Dei Hieroſolymitana eccleſia nequaquam ſuſcepimus: ſed ſemper & interrupte, ex quo ſanctiſſimus Dominus noſter Photius Pontificalem hanc ſedem obtinuit, & fidei ſuæ libellum tranſmiſit ad Theodoſium ſanctiſſimum patriarcham Hie-

A γλω, ἀποθρασύνονται πρὸς δουλείαν ἕλκειν, καὶ πρὸς τὰ τῶν ἀργυρωνήτων ταπεινότητα καταγαγεῖν. πῶς καὶ τίνα τρόπον; τὰ τοῦ πάπα Νικολάου, φασὶ, δεχόμεθα. καὶ τὰ τοῦ Ἀδριανοῦ ὁμοίως ἀρέσκει. τὰ δὲ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου πάπα Ἰωάννου οὐ δεχόμεθα. τίνος χάριν; ὅτι ἐκεῖνοι μὲν τῇ ἡμετέρῳ κατηκολούθουν θελήματι· οὗτος δὲ οὐκ ἃ βουλόμεθα σέργει· ἀλλ' ἅπερ ἐκεῖνος βούλεται, τούτοις καὶ ἡμᾶς κατακολουθεῖν ἐπιψηφίζεται. τοῦτο δὲ τί ἐστιν ἄλλο, ἢ ὡς αὐτοὶ μὲν οὐχὶ τοῖς ἀρχιερατικοῖς τῶν Ῥωμαίων θελήμασιν ἕπονται, ἀλλὰ τοὺς μεγάλους ἐκείνους καὶ θαυμασίους ἀρχιερεῖς τοῖς ἰδίοις θελήμασιν ἐξακολουθεῖν ἀναγκάζουσιν; εἰ B γὰρ ἐκεῖνα δέχονται τῶν ὑμετέρων θελημάτων ἅπερ αὐτοὶ προηθέλησαν· ἃ δ' αὐτοὶ μὴ βούλονται, κἂν μυριάκις ὑμεῖς θελήσητε, κἂν τοὺς κανόνας συμψήφους ἔχητε, κἂν τῷ ἄνωθεν προλάμπουσαν ἐπίνοιαν· τότε κατὰ πάντων τούτων τὸ οἰκεῖον θέλημα κρατεῖν ἀλαζονεύονται· τίς αὐτοῖς ὑπερβολὴ μανίας ὑπολείπεται; σπεύσατε τοίνυν, ἀγαπητοὶ, καὶ ἀγωνίσασθε· καὶ τῷ τῆς Ῥωμαίων ἁγίαν τῷ Θεῷ ἐκκλησίαν ἀλλοκότου καὶ βαρβαροφώνου ἀπαλλάξαι δουλείας· καὶ τῷ μέχρι τοῦ νῦν ἐπιτεμόμβῳ ὑμῖν ἀτιμίαντε καὶ μέμψιν ἀποσκεδάσασθε· δόξαντε καὶ εὐκλειαν τῇ συμπνοίᾳ τῆς κοινῆς τῆς ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἀνταλλάξασθε.

C Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπε· τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ ἡμῶν ὑπὲρ πάντων εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν. καὶ αὐτὸς ποιήσει τὰ συμφέροντα πᾶσιν. Ἰωάννης ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἡρακλείας Θράκης εἶπε· πολλὰ καὶ ηὐχαριστήσαμεν καὶ ἔτι εὐχαριστοῦμεν αὖθις, ὅτι τὰ ἐπιφυόμενα πρότερον τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ σκάνδαλα καὶ ζιζάνια ἐκ μέσου ἦρθη. καὶ εἰρήνη βαθεῖα ταύτῃ ἐβραβεύθη συμφωνίᾳ τῆς ὑμῶν ἁγιωσύνης, καὶ τῆς τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερατικῶν θρόνων, καὶ τῇ ἀγαθῇ μεσιτείᾳ τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου καὶ ἀρχιερέως.

D Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας ἔφη· ἀγαλλιάσθω σήμερον ἡ οἰκουμένη, καὶ σκιρτάτω ἡ ἐκκλησία. ὅτι ἐλάλησε κύριος ἀγαθὰ εἰς τὰς καρδίας τῆς βασιλέων ἡμῶν τῆς ἁγίων· καὶ διήγειρε τὸ θεοκύρωτον αὐτῆς κράτος τοῦ μεταπαλαίσαι τιμίως τοποτηρητὰς ἐκ τῆς τεσσάρων πατριαρχικῶν θρόνων. καὶ νῦν ὁρῶμεν τὴν ὑμετέραν τιμιότητα παραγενομένην, καὶ τὸν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου τοῦ πνευματικοῦ πατρὸς ἡμῶν τύπον ἀναπληροῦντας, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ὁμοίως ἐλθόντας τῇ ἡμετέρᾳ ὁμονοίᾳ συμφωνοῦντας, καὶ τὴν χισματικὴν πλάνην ὁμοφρόνως ἡμῖν ἀπελαύνοντας. καὶ νῦν ὃν ἐπ' ἀληθείας προσφόρως εἰπεῖν τὸν προφητικὸν λόγον· ὁ κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο. ἐνεδύσατο γὰρ ἡ ἐκκλησία δι' αὐτοῦ δόναμιν E καὶ περιεζώσατο.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· καὶ νῦν εὐχαριστεῖν ἄξιον τῷ Θεῷ, ὅτι ὁρῶμεν πάντας ἡνωμένους. εὐχαριστῶ δὲ πλέον ἐγὼ ὁ ταπεινὸς, ὅτι τῇ χισματικῇ ταύτην πλάνην ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίᾳ οὐδέποτε παρεδεξάμεθα, ἀλλ' ἀεὶ καὶ διαπαντὸς, ἀφ' οὗ ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης Φώτιος τοῦ ἀρχιερατικοῦ τούτου θρόνου ἐκράτησε· καὶ τὸν τῆς πίστεως αὐτοῦ λιβέλλον ἀπέστειλε πρὸς Θεοδόσιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Ἱεροσολύμων, ἡ-

νω-

νωμβόι αὐτῦ ϗ ἀδιάσπασοι μέχει τῦ νῦ μεμενήκα- μβυ. ϗ τὺς ἐναντίον τι ἐπὶ τῇ ἀρχιερωσύνῃ αὐτῦ φρονήσαντας ὐδέποτε παρεδεξάμεθα.

Δανιὴλ ὁ Θεοφιλέσατος μητροπολίτης Ἀγκύρας εἶπεν· ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης ϗ οἰκουμενικὸς πατριάρχης Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν μιμεῖται, ϗ τὺς περὶ ἑνδεκάτην ἐληλυθότας συναριθμεῖ τοῖς πρώτοις· ϗ τὺς πρώτους τῆς ἀξίας τιμῆς ἀπολαύειν παρέχει, ϗ ἐκποιεῖ τὰ πάντα, ϗ πρὸς πάντας κοινὰ ϗ πατρικὰ διανοίγνυσι σπλάγχνα.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος ϗ καρδηνάλις εἶπεν· ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς διαφυλάττει πάντας. ἀλλὰ ϗ ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς ϗ οἰκουμενικὸς πάπας Ἰωάννης ἀπέστειλεν ἡμᾶς πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην κύριον Φώτιον ἵνα τὰ ἐπιφυόμενα σκάνδαλα τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ ἐκριζώσωμεν. ϗ ὥσπερ ἷς ἐστιν εἷς Θεὸς εἰς πάντας, ϗ ἓν βάπτισμα, ϗ μία πίστις, ὕτως ϗ μία ποίμνη ϗ εἷς ποιμήν. ὅτι δὲ ἔχει αὐτὸν τὸν κύριον Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ὡς τὸν ἑαυτοῦ ψυχὴν ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς, ϗ ἔστι μετ' αὐτοῦ ἓν πνεῦμα ϗ ἓν σῶμα, ϗ ἔχει αὐτὸν ἀδελφὸν ϗ συλλειτουργὸν, ϗ αὐτὴ ἡ ἀποσταλεῖσα παρ' αὐτοῦ ἱερατικὴ στολὴ προσμαρτυρεῖ. διὰ τοῦτο γὰρ αὐτῷ ταύτην ἀπέστειλεν, ἵνα πᾶς ἄνθρωπος πληροφορηθῇ, ὅτι ἀδελφὸν ϗ συλλειτουργὸν αὐτὸν ἔχει. ϗ ταῦτα εἰπὼν, ἀνασὰς ἀπέδωκε τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τὴν πεμφθεῖσαν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ἀρχιερατικὴν στολὴν, ὠμόφορον, στιχάριν, φελώνιον, ϗ σανδάλια.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἴδωμεν αὐτὰ καθ' ἕν. ϗ δὴ λαβὼν Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος ϗ καρδινάλις ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ Θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις, ϗ τοῖς λοιποῖς Ῥωμαίοις ἤπλωσε κατενώπιον τῆς ἁγίας συνόδου. Φώτιος ἁγιώτατος ϗ οἰκουμενικὸς πατριάρχης εἶπε· Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ νεφέλαις τὸν οὐρανὸν περιβάλλων, ϗ τὴν ἡμετέραν φύσιν * ἀνεχωνεῦσαι ϗ καθᾶραι σολισάμενος, αὐτὸς τὸν ἀδελφὸν ϗ συλλειτουργὸν ϗ πνευματικὸν ἡμῶν πατέρα, ϗ ἐν τῷ παρόντι βίῳ φρουρὰν ἄσυλον ϗ σωτηρίαν ἀσφαλῆ σολίσαι· κἂν τῷ μέλλοντι αἰῶνι τὸν νυμφικὸν περιβαλὼν χιτῶνα, ἄξιον τῦ μακαρίου ἐκείνου νυμφῶνος ἀναδείξαι.

Εὐγένιος ὁ Θεοφιλέσατος ἐπίσκοπος ϗ τοποτηρητὴς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπεν· ἀδελφὲ ϗ συλλειτουργέ· ἃ πρὸ πολλῦ ἐλέγομεν ὑμῖν ἃ νῦν θεωρεῖτε· ὅτι ἡ ψυχὴ τῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου μετὰ τῆς ψυχῆς Φωτίου τῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἰώμεθά ἐστί; ϗ ὃν εἰσιν ἀμφότεροι. ϗ ὥσπερ ἐπιθυμεῖ τις εἶναι μετὰ τοῦ Θεοῦ, ὕτως ἐπιθυμεῖ ϗ ὁ ἀποστολικὸς πάπας Ἰωάννης εἶναι μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου. τί οὖν; ἔστι καθὼς εἴπομεν; ναὶ, ἢ οὔ; ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· διὰ αὐτῶν ἦν πραγμάτων σαφῶς ἐπληροφορήθημεν.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος ϗ καρδινάλις εἶπεν· γινώσκετε πάντες οἱ ἀρχιερεῖς ϗ ἱερεῖς, ὅτι διὰ τὴν εἰρήνην ϗ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας ἀπέστειλεν ἡμᾶς ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς ϗ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας πρόεδρος ἐπικομιζομένους ϗ ἐπιστολάς. ϗ ἄλλην μὲν ἐπιστολὴν ἀπέστειλε πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην κύριον Φώτιον, ἄλλην δὲ πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, ϗ ἑτέραν πρὸς τὺς ἀποχι-

A rosolymorum, conjuncti cum eo indivulse hactenus permansimus; neque eos suscepimus, qui Pontificatui ejus vel minimum repugnarent.

Daniel Dei amantissimus metropolita Ancyræ dixit: Sanctissimus Dominus noster & œcumenicus patriarcha, Christum verum Deum nostrum imitatus, etiam eos qui circa undecimam venerunt cum primis adnumerat; & primos perfrui facit honore quo digni sunt, & facit unum omnia, & erga omnes communiter paterna aperit viscera.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Dominus noster Jesus Chri- B stus omnes custodiat. Sed & dominus noster Apostolicus & œcumenicus Papa Joannes misit nos ad sanctissimum patriarcham dominum Photium, ut evellamus scandala, quæ enata sunt in ipsius ecclesia: & quemadmodum unus est Deus ad omnes, & unum baptisma, & una fides, sic fiat & unum ovile, & unus pastor. Quod autem habet ipsum dominum Photium sanctissimum patriarcham tanquam animam suam dominus noster Apostolicus, & est cum ipso unus spiritus & unum corpus, & censet eum fratrem & comministrum, etiam transmissa ab eo stola sacerdotalis testatur. Hanc enim eo consilio ad eum misit, ut C omni homini persuasum compertumque sit, quod fratrem ipsum & comministrum agnoscit. Et cum hæc dixisset, assurgens, dedit domino nostro missam a sanctissimo Papa Joanne stolam Pontificalem, pallium, tunicam, penulam, & sandalia.

Sancta synodus dixit: Si sanctitas vestra jusserit, videamus ista singulatim. Tunc accipiens Petrus reverentissimus presbyter & cardinalis, cum sociis ejus Dei amantissimis episcopis & reliquis Romanis, explicuit ea coram præsente synodo. Photius sanctissimus & œcumenicus patriarcha dixit: Christus Deus noster, qui cælum nubibus circumcingit, naturamque nostram ut eam D reformaret ac purgaret induit, ipse fratrem & comministrum & spiritalem patrem nostrum in hac præsenti vita tuto præsidio & salute certe induit; atque in futuro sæculo circumdans eum veste nuptiali dignum illo cælesti sponso exhibeat.

Eugenius Dei amantissimus episcopus & legatus veteris Romæ dixit: Frater & comminister: Non ita pridem vobis ea dicebamus, quæ nunc videtis: animam nempe sanctissimi Papæ Joannis cum anima Photii sanctissimi patriarchæ esse conjunctissimam, & esse ambos unum. Et quemadmodum desiderat quispiam esse cum Deo, sic desiderat Apostolicus Papa Joannes esse cum sanctissimo patriarcha. Quid igitur? Itane est ut dicimus, annon? Sancta synodus E respondit: Ex rebus ipsis habemus id plenissime exploratum.

Petrus reverentissimus presbyter & cardinalis dixit: Agnoscitis omnes, episcopi & sacerdotes, quod ob pacem & concordiam ecclesiæ misit nos dominus noster Apostolicus & Romanæ ecclesiæ præsul, epistolas etiam asserentes. Et aliam quidem epistolam misit ad sanctissimum patriarcham dominum Photium, aliam ad vestram sanctitatem, & alteram ad eos qui ecclesiam

ANNO CHRISTI 879.

ſchiſmate dividunt. Scriptam quidem ad veſtram ſanctitatem epiſtolam in præſenti non attulimus, quoniam non eſtis omnes congregati. Qua vero die Deo favente in unum omnes conveneritis, veniemus & nos, & vobis trademus ſanctiſſimi Papæ epiſtolam.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Si juſſeritis, etiam deſignetur dies. Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Si juſſerit ſanctitas ſanctiſſimi patriarchæ, die ſecunda, ut conveniamus omnes in unum. Sancta ſynodus dixit: Placet. Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Venerabiles legati, fratres & comminiſtri noſtri, cum laborem haud exiguum ſuſtinuerint, opus habent quiete. Etenim quando laborem itineris levatum arbitrantur, laborem alterum non parvum ſuſtinent, in loquendo moram. Ceterum nunc ſolvi ſynodum præſtat, poſteaque pro reliquis negotiis congregari.

ζοντας τὴν ἐκκλησίαν. τὴν δὲ πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην πεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν οὐ πάντες ἐκ ἠγάγομεν, διὰ τὸ μὴ εἶναι πάντας ὑμᾶς συνηθροισμένους. ἐν ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ συναχθείητε, θεοῦ δόξαντος, ἅπαντες, ἐλευσόμεθα καὶ ἡμεῖς, ἐπιδιδόντες ὑμῖν τὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐπιστολήν.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἀφορισθήτω, εἰ κελεύετε, καὶ ἡ ἡμέρα. Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, τῇ δευτέρᾳ, ἵνα συνέλθωμεν πάντες ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ ἁγία συνοδος ἔφη· ἀρέσκει. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· οἱ τιμιώτατοι τοποτηρηταὶ οἱ ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοὶ ἡμῶν κόπον ὐ τὸν τυχόντα ὑπομείναντες ἀνέσεως δέονται. καὶ γὰρ ὅτε καὶ νῦν τὸν ἀπὸ τῆς ὁδοιπορίας πόνον λελῦσθαι νομίζουσι, κόπον ἄλλον ὐ μικρὸν τὴν ἐν τοῖς λόγοις τριβὴν ὑπομένουσι. λοιπὸν ἄμεινον ἐστὶ νῦν διαλυθῆναι τὴν συνοδον. καὶ ὕστερον ἐπὶ τοῖς ὑπολοίποις συναθροισθῆναι.

Petrus reverendiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Audiat iterum ſancta hæc ſynodus. Nos locum hodie ſanctiſſimi & œcumenici Papæ tenemus, & dicimus vobis: ſi quis eſt in medio veſtrum vir belli cupidus & ſcandali concitator, dividens eccleſiam Dei, ſegregetur ex cœtu veſtro, & cauſam diſſidii dicat. Sancta ſynodus dixit: Ex hac numeroſiſſima multitudine quam videtis, nemo eſt qui in corde dolum aut deſiderium contentionis habeat. Omnes Photium ſanctiſſimum patriarcham ſuſcipimus: & eos qui non ipſum ſuſcipiunt, quemadmodum ſuſceperunt tres patriarchales Orientis ſedes, & ante has quemadmodum ſuſcepit illum ſanctiſſimus Papa Joannes, tanquam hoſtes eccleſiæ & a fide alienos abjicimus.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ἀκουσάτω πάλιν ἡ ἁγία αὕτη σύνοδος. ἡμεῖς τὸν τόπον σήμερον τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα ἔχομεν, καὶ λέγομεν ὑμῖν· εἴτις ἔστιν ἐν μέσῳ ὑμῶν ἀνὴρ μάχιμος καὶ σκανδαλοποιὸς, χίζων τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἀφορισθήτω ἐξ ὑμῶν, καὶ τὴν αἰτίαν τῆς διχασίας εἰπάτω. ἡ ἁγία σύνοδος ἔφη· ἐκ τῆς πολυανθρώπου ταύτης πληθύος, ἧς ὁρᾶτε, οὐδείς ἐστιν ἐν καρδίᾳ δόλον ἢ φιλονεικίαν ἔχων. πάντες Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἀποδεχόμεθα. καὶ οὓς μὴ ἀποδεχομένους αὐτὸν, καθὼς ἀπεδέξαντο οἱ ἕξ τῆς πατριάρχαι τῆς ἀνατολῆς θρόνοι, καὶ πρὸ τούτων καθὼς ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης, ὡς ἐχθροὺς τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀλλοτρίους τῆς πίστεως ἀποβαλλόμεθα.

Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Tametſi non hic adſunt, attamen ſi ſunt adhuc aliqui qui adverſus eccleſiam ſeditionem moveant, hos admonete, ut ad pietatem confugiant ſanctiſſimi patriarchæ: & ſuſcipiet eos ambabus ulnis ut pater erga liberos indulgentiſſimus. Sancta ſynodus dixit: Pauci ſunt omnino hactenus, quos quidem novimus: & admonebimus eos, ut juſſiſtis. Sed & vos, ſi ſe vobis coram offerant, eoſdem admonete.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· εἰ καὶ μὴ σὺ ταῦθα πάρεισιν, ἀλλ' ἔν ἐάν ὡσί τινες ἔτι πρὸς τὴν ἐκκλησίαν σασιάζοντες, νουθετήσατε αὐτοὺς, ὅπως καταφύγωσιν εἰς τὰ σπλάγχνα τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου· καὶ ἀγκαλίσηται αὐτοὺς, ὡς πατὴρ φιλόστοργος. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὀλιγίστοι μὲν εἰσὶ παντελῶς τοῦς, ὅσους ἡμεῖς γινώσκομεν, καὶ νουθετοῦμεν, ὡς ἐπηγγείλασθε. ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς, ἐὰν κατὰ πρόσωπον ὑμῶν παρασῶσι, νουθετήσατε αὐτούς.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Audite omnes, quid dicat Felix, qui fuit ſanctiſſimus Papa Romanæ eccleſiæ: Si quis inveniatur repugnans ſanctæ Dei eccleſiæ; talis ubi oſtenſus & manifeſtus fuerit, primum quidem admoneatur a ſuo antiſtite, & ipſius epiſcopis. Quod ſi non paruerit, tunc contra ipſum ſancta ſynodus ſententiam ferat. Ita igitur & nos habentes id faciendi ab Apoſtolico poteſtatem, primum debemus hos admonere & adhortari: ac ſi quidem nos audire noluerint, debemus eos reſecare tanquam putrida membra; ne corpus quod ſanum eſt, per ipſos pereat.

Πέτρος ὁ εὐσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπεν· ἀκούσατε πάντες τί λέγει Φήλιξ ὁ ἁγιώτατος πάπας γενόμενος τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας· εἴτις εὑρίσκεται ἀναντιόμενος τῇ ἁγίᾳ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ· ὁ τοιοῦτος ἀποδεικνύμενος καὶ φανερούμενος, πρῶτον μὲν νουθετείσθω παρὰ τοῦ προέδρου αὐτοῦ, καὶ τῶν ἐπισκόπων αὐτοῦ. καὶ εἰ μὴ πείθεται, τότε διδόσθω κατ' αὐτοῦ ἡ ἁγία σύνοδος τὴν ἀπόφασιν. ὅπως οὖν καὶ ἡμεῖς ἔχοντες ποιῆσαι ταύτην τὴν ἐξουσίαν παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ, πρῶτον νουθετῆσαι αὐτοὺς ἔχομεν καὶ παρακαλέσαι. καὶ εἰ μὴ βουληθῶσιν ὑπακοῦσαι ἡμῖν, τότε ἐκκόψαι αὐτοὺς ἔχομεν ὡς σεσηπότα μέλη, ἵνα μὴ καὶ τὸ ὑγιὲς σῶμα δι' αὐτῶν ἀπόληται.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hieroſolymorum, dixit: *Omne datum bonum & omne donum perfectum de ſurſum eſt,* Jac. 1. 17.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, τοῦ μεγάλου Ἀχώ-

βου

βε ἀκόομεν λέγοντος· ὅτι ᾧ ὃν ὁ Θεὸς δοξάσει, οὐδεὶς δύναται ἀτιμίαις ἐνοχλαβάλλων βλάψαι. ὃν δὲ ὁ Θεὸς ἄτιμον ἔχει, ἡ δόξα τῆς ἀνθρώπων οὐδὲν ὠφελεῖ. ὁ ἂν Θεὸς ἐτίμησε Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην καὶ ἐνέπνευσεν εἰς τὴν καρδίαν κατὰ τὸ τοῦ αὐτοῦ θέλημα τοῦ τε ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου καὶ τῆς λοιπῶν τῆς ἀναπλήρου ζώντων μεγάλων ἀρχιερέων, καὶ ἠγάπησαν αὐτὸν καὶ ἀνεκήρυξαν τελεῖ αὐτοῦ θεοψήφισον ἀρχιερωσύνην. καὶ οἴδαμεν ἀκριβῶς, ὅτι ὕπως ἀρέσκει τῷ Θεῷ. διὸ καὶ μεγαλυνθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς. οἱ δὲ ἀντικείμενοι αὐτῷ, εἴπερ τινες εἶεν, τῷ Θεῷ ἀντιτασόμενοι, τῇ αὐτοῦ εἰρήνῃ, εἰ μὴ μεταμεληθέντες σωθῶσι τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι ἀφανισθήσονται, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι μετὰ τῆς ἠλιοτριωμένων ἀπὸ Θεοῦ καταταγήσονται.

Ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· ὕπως πάντες δεχόμεθα, ὕπως πάντες φρονοῦμεν. ἐπισφραγίσαι κύριος τὰς δεήσεις ἡμῶν τῷ ἑαυτοῦ θελήματι αὐτοῦ. πολλὰ τὰ ἔτη τῷ βασιλέων. Βασιλείῳ, Λέοντι, καὶ Ἀλεξάνδρου, μεγάλων βασιλέων καὶ αὐτοκρατόρων πολλὰ τὰ ἔτη. Εὐδοκίας τῆς εὐσεβεστάτης Αὐγούστης πολλὰ τὰ ἔτη. Στεφάνῳ τῷ Πορφυρογεννήτῃ καὶ Θεοπροβλήπτῳ συγκέλλῳ πολλὰ τὰ ἔτη. Ἰωάννῃ καὶ Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτων πατριαρχῶν πολλὰ τὰ ἔτη.

ΠΡΑΞΙΣ Β'.

Τῇ ιζ'. τοῦ Νοεμβρίου μηνὸς ἰνδικτιῶνος ιγ'. ἡμέρᾳ γ'. προκαθεζομένου Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τῆς κατηχουμενείων τῆς μεγάλης ἐκκλησίας· προτεθέντος δὲ καὶ τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου ἐν τῷ μέσῳ· καὶ συγκαθεζομένων αὐτῷ Εὐγενίου καὶ Παύλου, τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ἅμα Πέτρῳ τῷ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδιναλίῳ· καὶ Ἠλιοῦ τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ τοποτηρητοῦ Ἱεροσολύμων. Κοσμᾶτε καὶ αὐτοῦ πρεσβυτέρου καὶ ἀποκρισιαρίου Ἀλεξανδρείας· συγκαθεζομένων δὲ καὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, Προκοπίου Καισαρείας, Γρηγορίου Ἐφέσου, Ἰωάννου Ἡρακλείας, καὶ καθεξῆς τῶν λοιπῶν ἁπάντων· Φώτιος ἁγιώτατος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως εἶπε· δόξα καὶ εὐχαριστία καὶ μεγαλωσύνη τῇ τεισυποστάτῳ καὶ ζωαρχικῇ, καὶ θεαίᾳ θεότητι, νυῦ καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ τῆς ἁγίας συνόδου ἐπιφωνησάσης τὸ ἀμήν, ἔψαλλον τινὰ οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ.

Εἴ τι μετὰ τὴν συμπλήρωσιν τῆς ψαλμῳδίας, Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλὶς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὀμοῦ Λέοντι βασιλικῷ πρωτοσπαθαρίῳ καὶ ἑρμηνεῖ διελάλησεν ὕπως. ἡ ἐκ Θεοῦ ἐρριζωμένη ἐκκλησία καὶ τῇ χάριτι τοῦ ἁγίου πνεύματος, μεσιτείᾳ τῶν θεοσεβῶν καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων τὴν εἰρήνην δεξαμένη, ἀκουσάτω τὰ παρ' ἡμῶν λεγόμενα. Βασίλειος, Λέων καὶ Ἀλέξανδρος, θεοσεβέστατοι βασιλεῖς, ὀμοῦ τὴν νῦν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ἀπέστειλαν εἰς τὴν μητέρα τῶν ἐκκλησιῶν τὴν μεγαλόπολιν Ῥώμην καὶ ἅπαξ καὶ δὶς ἐπιστολάς. ἡ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ Ἀλεξανδρεῖς καὶ Ἱεροσολυμῖται, καὶ Ἀντιοχεῖς, παρακαλέσαντες τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην βεβαιῶσαι καὶ ἀποδέξασθαι τὴν παρ' ἡμῶν συμφωνηθεῖσαν εἰρήνην. ὃς ἐπικαμφθεὶς ἡμετέραις καὶ αὐτῶν δεήσεσιν, ἐξέπεμψε μὴν ἡ-

ut magnum Jacobum dicentem audivimus. Et quem Deus glorificabit, nemo potest hunc ignominia afficiens ei nocere: quem vero Deus ignominiosum censet, hunc gloria nihil juvat, quæ est ab hominibus. Deus igitur honore affecit Photium sanctissimum patriarcham: & inspiravit in cor, secundum suam voluntatem, tum sanctissimi Papæ Joannis, tum reliquorum Orientis trium magnorum Pontificum: & hi dilexerunt eum, & proclamaverunt Pontificatum divino suffragio comprobatum. Ac probe novimus sic Deo placere. Quamobrem magnificabitur nomen ejus in cælo & in terra, a generatione in generationem. Qui autem adversantur ei, si qui sunt, quandoquidem Deo contradicunt, hoc est, paci ejus, nisi resipiscentes ecclesiæ uniantur, tum in hoc sæculo erunt ignobiles; tum in futuro cum alienatis a Deo collocabuntur.

Sancta synodus exclamavit: Sic omnes precamur: sic omnes censemus. Consignet Dominus preces nostras sua voluntate. Multos annos Imperatoribus. Basilio, Leoni, & Alexandro, magis regibus & Imperatoribus, multos annos. Eudociæ piissimæ Augustæ, multos annos. Stephano Porphyrogenneto & a Deo donato syncello, multos annos. Joanni & Photio sanctissimis patriarchis, multos annos.

ACTIO SECUNDA.

Die decima septima mensis Novembris, Indictione XIII. feria tertia, præsidente Photio sanctissimo nostro patriarcha, in dextra parte catechumeniorum magnæ ecclesiæ: proposito in medium sancto evangelio: cum eo considentibus Eugenio & Paulo sanctissimis legatis antiquæ Romæ, cum Petro religiosissimo presbytero & cardinali: & Elia religiosissimo presbytero & legato Hierosolymorum: & Cosma, ipso etiam presbytero & apocrisiario Alexandriæ: considentibus etiam Deo amantissimis metropolitis, Procopio Cæsareæ, Gregorio Ephesi, Joanni Heracleæ, & deinceps reliquis omnibus: Photius sanctissimus patriarcha Constantinopoleos dixit: Gloria & gratiarum actio & magnificentia ter hypostaticæ & vivificæ atque unicæ divinitati, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Et sancta synodo respondente, Amen: quædam cantaverunt sanctissimi legati lingua Romana.

Finito cantu, Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis Apostolicæ sedis, per Leonem Imperatoris protospatharium & interpretem sic est locutus: Quæ ex Deo radices habuit ecclesia, quæ gratia sancti Spiritus & opera piorum & Christi amantium nostrorum Imperatorum pacem adepta est, audiat quæ dicuntur a nobis. Basilius, Leo, & Alexander, piissimi Imperatores, ob pacem quæ nunc est, concordiamque Constantinopolitanæ ecclesiæ, miserunt ad matrem ecclesiarum magnam urbem Romam semel iterumque literas. Quin etiam Alexandrini, & Hierosolymitæ, & Antiocheni, adhortantes sanctissimum Papam Joannem, ut confirmaret & admitteret pactam a nobis pacem. Qui nostris ipsorumque precibus exoratus,

nos

ANNO CHRISTI 879.

nos misit, ut videtis, qui sumus sincere ipsius ministri, ut quæ postulatis, vobiscum compleamus. Misit & litteras de hac pace & concordia, ad pios Imperatores, & ad Photium sanctissimum patriarcham, & ad vestram denique sanctitatem. Volumus igitur ante aliud quodcumque missam ad piissimos Imperatores epistolam coram vestra sanctitate perlegi. Sancta synodus dixit: Legatur. Et accipiens epistolam Leo laudatissimus Imperatoris protospatharius & devotus secretarius legit, ita ut omnes exaudirent:

μᾶς, ὡς ὁρᾶτε, ἅτε δὴ γνησίου αὐτῆ ὑπηρέτης, τὰ παρ' ὑμῶν αἰτηθέντα πληρώσοντας ἅμα ὑμῖν. ἀπέστειλε δὲ καὶ ἐπιστολὰς περὶ τῆς εἰρήνης ταύτης καὶ ὁμονοίας, πρός τε τὸν θεοσεβεστάτους βασιλεῖς, καὶ πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, ἔτι δὲ καὶ πρὸς τὴν ὑμῶν ὁσιότητα. θέλομεν οὖν πρὸ παντὸς ἄλλου τὴν πρὸς τοὺς θεοσεβεστάτους βασιλεῖς ἀναπεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν κατ' ἐνώπιον τῆς ὑμῶν ἁγιωσύνης ἀναγνωσθῆναι. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω. καὶ δὴ λαβὼν τὴν ἐπιστολὴν Λέων ὁ παναφημότατος βασιλικὸς πρωτοσπαθάριος καὶ καθωσιωμένος ἀσηκρῆτις εἰς ἐπήκοον πάντων ἀνέγνω.

Joannes servus servorum Dei, sereniſſimis, cariſſimis noſtris ſpiritalibus filiis, & Deo dilectis, Baſilio, Leoni, & Alexandro, victoribus, triumphatoribus, Imperatoribus, ac ſemper Auguſtis.

Ἰωάννης δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τοῖς γαλλιοτάτοις, ἀγαπητοῖς ἡμετέροις πνευματικοῖς υἱοῖς καὶ Θεῷ ἠγαπημένοις, Βασιλείῳ, Λέοντι καὶ Ἀλεξάνδρῳ, νικηταῖς, τροπαιούχοις, βασιλεῦσι, καὶ αἰωνίοις Αὐγούστοις.

Conſer. Baron. ad an 879. num. xx.

PUritas celebritaſque veſtræ rectæ fidei ac ſapientiæ, & quæ in veſtris moribus perſpicitur clementia ac lenitas, Chriſtianiſſimi maximique Imperatores Romanorum, lucis inſtar in medio terræ fulgens, fines univerſos ad quos terra porrigitur, circumquaque illuſtrat. Neque enim ſola fide præſtantes, circa alia negligenter ac ſine cura vos geritis: ſed ſuper immaculatam religionem veſtram ædificatis non lignum, neque fœnum, neque ſtipulam, ſed lapides pretioſos, aurum, argentum, atque ut ſummatim dicam, omnia ſtudioſiſſime perficitis, quibus coli divinum Numen agnoſcitur. Coli autem divinum Numen potiſſimum agnoſcitur, cum eccleſiæ ipſius univerſæ, quas ſol aſpicit, in orthodoxa fide, mutuaque concordia & pace degentes, gratiarum actiones quotidie offerunt. Quamobrem hanc ipſam concordiam in veſtra etiam eccleſia conſpici ac vigere deſiderantes, ſanctam Romanam eccleſiam per veſtros apocriſiarios, & per divinas veſtras litteras adiiſtis: certo perſuaſi adjutricem vobis ad id quod optatis conſortemque operis impigram fore. Neque ipſi primum cœpiſtis hoc conſilium capere: ſed conſuetudini majorum, qui pie imperium adminiſtrarunt, cedentes & obſequentes. A quo autem docti magiſtro ſic inſtitueritis agere, dignum eſt quærere. Perſpicue certe a principe Apoſtolorum Petro, quem caput omnium eccleſiarum Dominus conſtituit, dicens: *Paſce oves meas*: neque hoc tantum, ſed ex ſanctis ſynodis & conſtitutionibus: rurſumque ex ſacris atque orthodoxis ſanctiſque Patrum decretis & conſtitutionibus, ut divinæ piæque veſtræ teſtantur litteræ. Hoc vero facitis, ut adhuc amplius firmitas fidei veſtræ, quæ eſt celebratiſſima, ſplendeat, & qua flagratis erga Deum caritas, integra incorruptaque appareat. Nihil enim aliud magis convenit, magiſve proprium eſt eorum qui ſunt in poteſtate maximiſque imperiis conſtituti, quam ut pulcritudine ac decore rectæ fidei, & caritate erga Deum ſtudeant ſpectabiles fieri; & omnes videre, qui in eadem fide Deo

Τὸ καθαρὸν καὶ ὑπέρλαμπρον τῆς ἐν τῇ πίστει ὀρθοδοξίας ὑμῶν, καὶ τῆς σοφίας, καὶ τὸ ἐν ἤθεσι ὑμῶν κατανοούμενον χρηστὸν καὶ ἐπιεικὲς, ᾧ χριστιανικώτατοι καὶ μέγιστοι βασιλεῖς Ῥωμαίων, φωτὸς δίκην ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐκλάμπον πάντα τὰ πέρατα εἰς ἃ ἡ οἰκουμένη παρατείνεται περιαυγάζει· ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐν μόνῃ τῇ πίστει σεμνυνόμενοι, περὶ ἄλλα εἰς ῥᾳθυμίαν αὐτὴ τῆς σπουδῆς διάκεισθε. ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἀμωμήτῳ θρησκεύματι ὑμῶν ἐποικοδομεῖτε οὐ ξύλον, οὐδὲ χόρτον, οὐδὲ καλάμην, ἀλλὰ λίθους τιμίους, χρυσόν, ἄργυρον, ἁπλῶς εἰπεῖν, πάντα ὑμεῖς μᾶλλον τῆς ἐν σπουδῇ καλλονῆς ἐξανύετε, ἐν οἷς γινώσκεται τὸ θεῖον θεραπεύόμενον. θεραπεύεσθαι δὲ μάλιστα τὸ θεῖον διαγινώσκεται ἐπὶ τῷ τὰς ἐκκλησίας αὐτοῦ πάσας ὅσας ὁ ἥλιος ἐφορᾷ ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλας ὁμονοίᾳ καὶ εἰρήνῃ διατελούσας, εὐχαριστηρίους αὐτῷ φωνὰς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀναφέρειν. διὸ ταύτην τὴν ὁμόνοιαν καὶ ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ ὁρᾶσθαι καὶ θρυπτανίζεσθαι ἐπιποθοῦντες, τὴν τῆς Ῥωμαίων ἁγίαν ἐκκλησίαν διὰ τῆς ἀποκρισιαρίων ὑμῶν καὶ θειοτάτων γραμμάτων ὑμῶν κατελάβετε, συνεργὸν εἰς τὸ σπουδαζόμενον ὑμῖν ἐσομένην, καὶ ὃ μαθοῦσαν πεπισευκότες. οὐκ αὐτοὶ πρώτως ἀρξάμενοι εἰς τοῦτο τὸ ἐπανόημα ἐλθεῖν· ἀλλ' ἔθει τῆς πρὸ ὑμῶν εὐσεβῶς βεβασιλευκότων ἔχοντες, καὶ κατακολουθοῦντες. ἀλλὰ γὰρ ἐκ ποίου διδασκάλου ταῦτα παρελάβετε ποιεῖν, ἄξιον διερωτῆσαι. ἢ δῆλον ἐκ τοῦ κορυφαίου τῆς ἀποστόλων Πέτρου, ὃν κεφαλὴν πασῶν τῆς ἐκκλησιῶν τέθεικεν ὁ κύριος, εἰπών, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ ἐκ τῆς ἁγίων συνόδων καὶ διατάξεων. ἔτι δὲ καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν καὶ ὀρθοδόξων καὶ πατρικῶν ὁσίων θεσπισμάτων τε καὶ διαταγμάτων. καθὼς καὶ αἱ θεῖαι καὶ εὐσεβεῖς ὑμῶν συλλαβαὶ μαρτυροῦσι. τοῦτο δὲ ποιεῖτε, ἵνα πλέον τὸ σεβάσιον τῆς πίστεως ὑμῶν διαβοώμενον ἐκλάμψῃ, καὶ ἡ πρὸς Θεὸν ἀγάπη ἀκέραιος καὶ ἀμάραντος ἀναδείχθῇ. οὐδὲν γὰρ πέφυκεν ἄλλο προφυέστερον, ἢ οἰκειότερον εἶναι τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ καὶ μεγίσταις ἀρχαῖς καθεστηκόσιν, ἢ τῇ καλλονῇ καὶ ὡραιότητι τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ τῇ πρὸς Θεὸν ἀγάπῃ σπουδάζειν τὸ σεμνύεσθαι· καὶ τὸ πάντας ὁρᾶν τοὺς ἐν τῇ αὐτῇ πίστει τῷ Θεῷ λατρεύοντας τῷ τῆς ἀγάπης συνδέσμῳ περιπλεκομένους τε καὶ συσφιγγομένους. ἐγκύψαντες δὲ τοῖς ὑμῶν

γράμ-

γράμμασι καὶ τοῖς ἐν αὐτοῖς μελιρρύτοις φθέγμασι κατηδυνθέντες καὶ ἐξαφθέντες πυρσοῦ δίκην, καὶ μετὰ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ὁμονοήσαντες καὶ συμφωνήσαντες διανέστημεν, εἰς τὸ τὰ παρ' ὑμῶν ἅπαντα γραφέντα προθύμως καὶ περιχαρῶς πεπληρωμένα δεῖξαι· μάλιστα τοῦ παρόντος καιροῦ ἐπιτηδειοτάτου ἡμῖν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων φορᾶς εἰς τοῦτο γεγονότων.

Ἔγραψας ἡμῖν, υἱὲ ἡμῶν ἠγαπημένε, ἵνα ἀποστολικὰ καὶ συμπαθῆ σπλάγχνα ὑπανοίξαντες, πάντας τοὺς τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας, ὅσοι γεγόνασιν ἢ δι' ἰδιοχείρων ἐν παραβάσει, ἢ ἄλλως πως, κανονικαῖς ὑπέπεσον * ἐπιθυμίαις, δεξώμεθα. καὶ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας φροντίδα ποιησώμεθα. οὐ μὴν ἀλλά γε καὶ πρὸ τούτων Φώτιον τὸν θεοσεβέστατον ἀρχιερέα τῆς πρὸς ἡμᾶς κοινωνίας μέτοχον καὶ κληρονόμον καὶ συλλειτουργὸν ποιήσαντες, ἐς τὸ μέγα τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξίωμα, καὶ τὴν τιμὴν τῆς πατριαρχείας πάλιν ἀποκαταστήσωμεν. ὡς ἂν μὴ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἐπὶ πολὺν χρόνον ταῖς τῶν θεοστυγῶν σχισμάτων καὶ πονηρῶν σκανδάλων τρικυμίαις ταραττομένη διαμένῃ. ἡμεῖς δὲ τῆς ὑμετέρας γαληνότητος τὴν ἱκεσίαν προσδεξάμενοι, ὡς εὔλογον οὖσαν καὶ δικαίαν, καὶ θεάρεστον, τόν τε καιρὸν ἐπιτήδειον ὄντα, οἷον καὶ πρὶν ἐπεζητοῦμεν καὶ ηὐχόμεθα εὑρόντες, καὶ νομίσαντες ἁρμόδιον εἶναι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ εἰρηνοποιεῖν, ἀπεστείλαμεν ἀποκρισιαρίους ἡμῶν ἐκπληροῦντας τὸ θέλημα ὑμῶν. εἰ καὶ ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια τὸν ἄνδρα ἐκβιασαμένη ἔφθασεν ἀποκαταστήσασα καὶ πρὸ ὑμῶν, ἤτοι πρὸ τοῦ παραγενέσθαι τοὺς ἡμετέρους τοποτηρητὰς ἐν τοῖς αὐτόθι. ὅμως ἡμεῖς τοῦτο θεραπεύομεν οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας αὐθεντίας, καίπερ ἔχοντες ἐξουσίαν τοῦτο ποιεῖν· ἀλλ' ἐκ τῶν ἀποστολικῶν διατάξεων καὶ πατρικῶν θεσπισμάτων τὰς ἀποδείξεις φέροντες. οὐ τοὺς θεσμοὺς τῆς ἐκκλησίας τοὺς ἀνέκαθεν παραδεδομένους λύοντες· ἀλλ' ἐν οἷς ἡ τούτων ἀκρίβεια ἀπαράτρεπτος διατηρουμένη, διασπᾷ καὶ λυμαίνεται τὴν ὁλοκληρίαν τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, πρὸς τὸ συμφέρον ἄγειν πάντα παρ' αὐτῆς ἐκείνης διδαχθέντες. καὶ γὰρ ὁ τῆς ἐν Νικαίᾳ β'. κανὼν οὕτω λέγει· ἐπειδὴ πολλάκις εἴτε ἀπὸ ἀνάγκης, εἴτε ἄλλως πως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων, παραβαίνεσθαι τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας συμβαίνει. ἔτι καὶ ὁ πάπας Γελάσιος περὶ τοῦ αὐτοῦ λέγει. ὅτι ὅπου βία οὐ πρόκειται ἀμετάτρεπτοι διαμενέτωσαν οἱ τῶν ἁγίων πατέρων θεσμοί. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Λέων ἐν τῷ αὐτῷ διακελεύεται πνεύματι λέγων· ὅπου οὐ προηγεῖται βία, ἀσάλευτοι διαμενέτωσαν οἱ θεσμοὶ τῶν ἁγίων πατέρων. ὅπου δὲ ἀνάγκη καὶ βία εὑρίσκεται, ἐκεῖ πρὸς τὸ συμφέρον ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ ὁ τὴν ἐξουσίαν ἔχων οἰκονομείτω· ἐξ ἀνάγκης γὰρ κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. καὶ Φήλιξ δὲ ὁ πάπας τούτοις συνηγορεῖ λέγων· καὶ περὶ τούτου χρὴ σκέψασθαι ἵνα ὅπου ἀπαντήσῃ ἀνάγκη, πολλάκις αἱ συστάσεις τῶν πατέρων παραβαίνωνται. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Καρθαγένῃ, λέ. κεφαλαίῳ λέγει· κελεύομεν ἵνα οἱ κληρικοὶ τῶν Δονατιστῶν πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀνακάμψωσι, καίπερ πρώην ὑπὸ συνόδου καθαιρεθέντες. καὶ σύνοδος ὁρᾶται σύνοδον λύουσα διὰ τὴν ἕνωσιν καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας. καὶ Ἰννοκέντιος δὲ ὁ πάπας λέγει ἐν τῷ νέ. κεφαλαίῳ·

serviunt, caritatis vinculo colligatos atque constrictos. Attendentes igitur ad vestras litteras, & ad mellifluos sermones quos continent, gavisi accensique instar ignis, cum omni nostra sanctissima Romana ecclesia, concordi consensione excitati sumus, ut omnia quæ scripsistis alacriter hilariterque compleremus; cum sit potissimum hoc præsens tempus nobis maxime opportunum, & rerum cursus eo fine gestarum.

ANNO CHRISTI 879.

Scripsisti enim, fili nobis dilecte, ut Apostolica plenaque humanitatis viscera aperientes, omnes e vestra ecclesia, quotquot aut propria manu subscribentes legem violarunt, aut quacumque alia ratione canonicis obnoxii pœnis fuerunt, susciperemus, curamque gereremus pacis & concordiæ: Quin etiam ut ante alia Photium religiosissimum Pontificem nostræ communionis participem & consortem & comministrum statuentes, in magnum Pontificatus culmen, & in patriarchatus dignitatem iterum restitueremus: ne Dei ecclesia longo tempore impiorum schisma, tum pravorumque scandalorum fluctibus conturbata permaneat. Nos autem vestræ serenitatis supplicationem admittentes, ut rationi consentaneam, & justam & Deo acceptam, tempus opportunum, quale pridem quærebamus, nacti, gratias agebamus: Arbitratique conveniens esse ut ecclesiam Dei pacatam redderemus, misimus apocrisiarios nostros, qui quæ vultis implerent: tametsi vestra pietas viro vim prius attulit, restituendo eum ante nos, hoc est, antequam nostri legati illuc advenirent; nos autem hoc indulgemus, non ex nostra auctoritate, tametsi hoc faciendi potestatem habemus, sed ex Apostolicis constitutionibus, & patrum decretis documenta sumentes: Nec leges ecclesiæ jampridem traditas solventes: sed ubi harum exacta & exquisita observatio dirimit ac labefactat totam compagem corporis ecclesiæ, prout utile est omnia agere ab ipsa illa edocti. Sic enim canon habet synodi Nicænæ secundæ: Quandoquidem sæpenumero sive ex necessitate, sive aliter cogentibus hominibus, violari contingit ecclesiasticos canones. Sed & Papa Gelasius de eodem argumento dicit: Ubi vis manifesta non est, inviolata permaneant sanctorum Patrum constituta. Similiter autem sanctissimus Papa Leo in eodem spiritu admonet dicens: Ubi vis non antecedit, inconcussa permaneant constituta sanctorum Patrum. Ubi vero necessitas & vis reperitur, ibi prout utile est ecclesiis Dei, is qui potestatem habet, administret. Ex necessitate enim, juxta divinum Apostolum, etiam legis translatio fit. Et Felix autem Papa his patrocinatur, dicens: Et circa hoc considerandum est, ut ubi necessitas intervenit, sæpe Patrum constituta violantur. Quin etiam sancta synodus Carthaginensis, capitulo xxxv. dicit: Præcipimus ut clerici Donatistarum rursus in ecclesiam revertantur, quamvis non ita pridem a syuodo depositi fuerint. Et synodus videtur synodum abrogare, propter unionem & concordiam ecclesiæ. Et Innocentius Papa

Hebr. 7. 10.

ANNO CHRISTI 879.

„ pa dicit in LV. capitulo : Qui ordi-
„ nati ſunt a Bonoſo hæretico , ſuſci-
„ piantur : ne iterum ſcandala in eccleſia oboriantur . Neque in iſtis ſolum , quamvis tales eſſent , & ex ipſis eſſent ex hæreſi , tamen Apoſtolica hæc ſedes , eccleſiaſticæ pacis curam gerens , manum adjutricem porrexit : verum etiam orthodoxis epiſcopis & patriarchis ad ipſam confugientibus , (quemadmodum etiam nunc facit reverentiſſimus Photius) & auxilium ejus implorantibus opem tulit . Noſtis omnes magnum Athanaſium epiſcopum Alexandriæ , Cyrillum & Polychronium Hieroſolymorum ; Joannem , quem veſtra caritas Chryſoſtomum appellat , & Flavianum Conſtantinopolitanum . Hos enim a ſynodo depoſitos & excommunicatos , & ad ſanctam Romanam eccleſiam confugientes , hæc Apoſtolica ſedes confirmavit , & in priſtino honore reſtituit . Si igitur qui a Donatiſtis , quique a Bonoſo ordinationem receperant , etiam ex eccleſiæ catholicæ caſtris excluſi a frequenti ſynodo , ab altera ſynodo admittuntur , & in catalogo ſacerdotum deſcribuntur ; ut eccleſia Dei indivulſa & a ſchiſmatibus pura liberaque permaneat : (nihil enim adeo abominandum exoſumque Dei oculis conſpicitur , quam ſchiſmatum multitudo in eccleſia Dei fere ſubſiſtens : neque quidquam eſt jucundius aut acceptius ejus bonitati , quam eccleſia ſuam integritatem in amore Dei & concordia cum proximo retinens :) multo magis viros orthodoxa fide conſpicuos , morum ſeveritate & accurato vitæ inſtituto celebratiſſimos , ac tantum non uſque adeo ut & pœnitentiæ opera peragant , non oportet contemnere tanquam reos pœnitentiæ jugo gravatos , ſed in priorem eos reſtituere dignitatem ?

Quandoquidem enim hæc Apoſtolica ſedes , accipiens claves regni cælorum a primo & magno Pontifice JESU CHRISTO , per principem Apoſtolorum Petrum : dicente eo : *Tibi dabo claves regni cælorum : & quemcumque ligaveris ſuper terram , erit ligatus in cælis : & quemcumque ſolveris ſuper terram , erit ſolutus in cælis* : poteſtatem habet univerſe ligandi atque ſolvendi ; & ſecundum Jeremiam prophetam , evellendi atque plantandi : Idcirco & nos auctoritate principis Apoſtolorum Petri utentes , cum univerſa noſtra ſancta eccleſia , denunciamus vobis , & per vos ſanctiſſimis fratribus & comminiſtris noſtris patriarchis Alexandriæ , Antiochiæ , Hieroſolymorum , ceteriſque epiſcopis ac ſacerdotibus , & toti univerſitati eccleſiæ Conſtantinopolitanæ , concordes nos eſſe & conſentientes , immo vero Deum , in omnibus quæ petiſtis . Ac primum quidem a nobis ſuſcipi Photium præſtantiſſimum ac reverentiſſimum Dei Pontificem & Patriarcham , in fratrem noſtrum & comminiſtrum , eumdemque communionis cum ſancta Romana eccleſia participem , conſortem , & hæredem : tum propter alias virtutes, quibus pollet : tum ob ſcandala e medio tollenda, & pacem Dei ac

Matth 16.

Jerem. 1. 10.

ἔτοι οἱ χειροτονηθέντες ὑπὸ Βονόσου τοῦ αἱρετικοῦ, δεχέσθωσαν, ἵνα μὴ πάλιν σκάνδαλα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀναφύῃ. καὶ ἐ μόνον ἐν τούτοις, καίπερ ὄντι τοιούτοις, καὶ ἐξ αὐτῆς ὄντων ἐξ αἱρέσεως, ἡ ἀποστολικὴ αὕτη καθέδρα καθαιρεθέντας, τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης φροντίδα ποιουμένη, χεῖρα βοηθείας ὤρεξεν. ἀλλὰ καὶ ὀρθοδόξοις ἱεράρχαις καὶ πατριάρχαις εἰς αὐτὴν καταφυγοῦσιν, ὥσπερ καὶ νῦν ὁ θεοφιλέστατος Φώτιος, καὶ τὴν βοήθειαν αὐτῆς ἐπικαλεσαμένοις ἐπήμυνεν. οἴδατε πάντες τὸν μέγαν Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας. Κύριλλόν τε καὶ Πολυχρόνιον Ἱεροσολύμων. Ἰωάννην, ὃν ἡ ἀγάπη ὑμῶν Χρυσόστομον ὀνομάζει· καὶ Φλαβιανὸν τὸν Κωνσταντινουπόλεως. τούτους γὰρ ὑπὸ συνόδου καθαιρεθέντας καὶ ἀποκηρυχθέντας, καὶ τὴν ἁγίαν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίαν ὑποδραμόντας, ὁ ἀποστολικὸς θρόνος σωέσησε, καὶ πρὸς τὴν προτέραν τιμὴν ἐπανήγαγεν. εἰ οὖν οἱ ἐκ τῆς Δονατισῶν, καὶ οἱ ἐκ Βονόσου τὴν χειροτονίαν δεξάμενοι, καὶ τῆς τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας περιβόλων ἀπελαθέντες ὑπὸ συνόδου πολυανθρώπου, ὑπὸ ἑτέρας συνόδου δέχονται, καὶ ἐν τῷ καταλόγῳ τῆς ἱερέων τάττονται, διὰ τὸ τὴν ἐκκλησίαν Θεοῦ ἀδιάσπαστον καὶ σχισμάτων καθαρὰν καὶ ἐλευθέραν παραμένειν. οὐδὲν γὰρ ὅπως βδελυκτὸν καὶ μεμισημένον τοῖς ὀφθαλμοῖς καθορᾶται τοῦ Θεοῦ, ὡς σχισμάτων ἐσμὸς πανηγυρίζων ἐν ἐκκλησίᾳ Θεοῦ· καὶ οὐδὲν πρεπότερον, ἢ προσφιλέστερον τῇ αὐτοῦ ἀγαθότητι, ὡς ἐκκλησία τὴν αὐτῆς ὁλοκληρίαν ἔν τε τῇ πρὸς θεὸν ἀγάπῃ καὶ τῇ πρὸς τὸν πλησίον ὁμοφροσύνῃ διασώζουσα. πολλῷ μᾶλλον ἄνδρας τοὺς ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει διαπρέποντας, βίου τε σεμνότητι καὶ ἀκριβεῖ πολιτείᾳ πεφημισμένους, καὶ σχεδὸν μὴ δεύτερον, ὥστε καὶ ἐπιτιμίας ἔργα διαπράξασθαι, ἃ χρὴ παροράσθαι ὡς ὑπαθυμίᾳ τῆς ἐπιτιμίας βαρυνομένους ζυγῷ. ἀλλ' ἐπὶ τὴν προτέραν αὐτοὺς ἐπανάγειν τιμήν.

Καθάπερ γὰρ ὁ ἀποστολικὸς θρόνος λαβὼν τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῆς οὐρανῶν παρὰ τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, εἰπόντος πρὸς αὐτόν· σοὶ δώσω τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃν ἂν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι λελυμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἔχει ἐξουσίαν καθὼς δεσμεῖν τε καὶ λύειν, καὶ κατὰ τὸν προφήτην Ἱερεμίαν ἐκριζοῦν καὶ κατιφυτεύειν. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς τῇ αὐθεντίᾳ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου χρώμενοι, μετὰ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας παρεγγυώμεθα ὑμῖν, καὶ δι' ὑμῶν τοῖς τε ἁγιωτάτοις ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς ἡμῶν πατριάρχαις Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων, καὶ τοῖς λοιποῖς ἀρχιερεῦσί τε καὶ ἱερεῦσι, καὶ παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπολίτῃ, ὁμονοῆσαι καὶ ὁμοφρονῆσαι ἡμῖν, μᾶλλον δὲ τῷ Θεῷ ἐν πᾶσιν, οἷς ὑμεῖς ἐζητήσασθε· καὶ πρῶτον μὲν ἀποδέξασθαι Φώτιον τὸν θαυμασιώτατον καὶ θεοφιλέστατον ἀρχιερέα Θεοῦ καὶ πατριάρχην ἀδελφὸν ὑμῶν καὶ συλλειτουργόν, καὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τὴν ἁγίαν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίαν σύμμοιρόν τε καὶ συμμέτοχον καὶ κληρονόμον· διάτε τὴν ἄλλην ἀρετὴν τὴν προσοῦσαν αὐτῷ, καὶ τὸ τὰ σκάνδαλα ἐκποδῶν γενέσθαι, καὶ τὸ τὴν εἰρήνην τοῦ Θεοῦ καὶ ἀγάπην τὴν εἰς

ἀλλή-

ἀλλήλους ἐν ὑμῖν φυτεῦσαι. δέξασθε δὲ αὐτὸν ἀδιστάκτῳ γνώμῃ καὶ ἀναμφιβόλῳ ἀγάπῃ καὶ πίστει· πάντα κακίας καὶ δολιότητος ἰὸν καὶ διψυχίας καὶ ἀμφιβολίας ἐκ τῆς καρδίας ὑμῶν ἀπελαύνοντες, καθὼς αὐτὸν ἀπεδέξατο καὶ ἡ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησία. ἀναμανθάνομεν γὰρ σχεδὸν παρὰ πάντων τῆς πρὸς ἡμᾶς ἐκ τῆς αὐτόθι φοιτώντων τὸν ἄνδρα πᾶσι προτερήμασι τοῖς κατὰ θεὸν κομῶν. τοῦτο μὲν σοφίᾳ καὶ σωφροσύνῃ τῇ περὶ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα πάντων διαφέρειν· τοῦτο δὲ περὶ τὴν ἄλλην πρακτικὴν ἀρετὴν καὶ ἐπιμέλειαν τῆς θείων ἐντολμάτων ἀνεπαίσχυντον ἐργάτην διαβοώμενον. καὶ ὃ δικαίως ἐκείνου εἶναι, τοιοῦτον καὶ τηλικοῦτον ἄνδρα ἀργὸν καὶ ἄπρακτον διαμένειν· ἀλλ' ἐφ' ὑψηλῆς τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας πάλιν ἀνατεθέντα καὶ ἀναλάμψαντα, τὰ τε αὐτῷ συνηθη καὶ θεῷ φίλα ἱερεῦσι καὶ ἀρχιερεῦσιν ἔργα διαπράττεσθαι.

Διὸ πάλιν τὸν αὐτὸν ἐπαναλαμβάνοντες λόγον, πρὸς ὑμᾶς ἅπαντας λέγομεν· δέξασθε τὸν ἄνδρα ἀπροφασίστως. μηδεὶς προφασιζέσθω τὰς κατ' αὐτοῦ γενομένας ἀδίκους συνόδους. μηδεὶς, ὡς τοῖς πολλοῖς τῆς ἀγελαιοτέρας δοκεῖ, τὰς τῆς πρὸ ἡμῶν μακαρίων ἀρχιερέων, Νικολάου τέ φημι καὶ Ἀδριανοῦ, καταψηφίσεις αἰτιάσθω. ὁ γὰρ * ἀποδεδείχθησαν παρ' αὐτῆς τὰ κατὰ τὸν ἁγιώτατον Φώτιον τυφθήτω. μηδεὶς τὰς κατ' αὐτοῦ χειρογραφίας ὑμῶν, ἀφορμὴν τῆς πρὸς αὐτόν τε καὶ πρὸς ἀλλήλους σχισμάτων ποιείτω. πάντα γὰρ πέπαυται καὶ ἐξωράκισται· πάντα τὰ κατ' αὐτοῦ ἠκύρωται καὶ ἠχρείωται. πάντα δι' ἡμῶν τῆς ἐλαχίστων ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ κορυφαίου τέθειται, ὃ δι' αὐτοῦ ἐν τοῖς ὤμοις Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀμνοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. δέξασθε ἓν αὐτὸν ὑπτίαις χερσὶν ἀδελφὸν * ὑμέτερον καὶ συλλειτουργόν. δέξασθε ἀρχιερέα Θεοῦ ἄμεμπτον. δέξασθε πατριάρχην τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας. κυρώσατε πρὸς αὐτὸν ἀγάπην, πίστιν, καὶ τὴν μετ' εὐλαβείας ὑπακοὴν, καὶ δι' αὐτοῦ πρὸς τὴν ἁγίαν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίαν. ὁ γὰρ ἐκείνου μὴ ἀποδεχόμενος, δῆλον ὅτι οὐδὲ τὰ παρ' ἡμῶν καὶ τῆς ἁγίας τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας περὶ αὐτοῦ ψηφισθέντα δέχεται. καὶ ὁ πρὸς ἡμᾶς ὁ τοιοῦτος πόλεμον ἀναλαμβάνει, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἁγιώτατον Πέτρον τὸν ἀπόστολον, μᾶλλον δὲ πρὸς Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν οὕτω τιμήσαντα καὶ δοξάσαντα τὸν αὐτοῦ ἀπόστολον, ὡς ἔχειν αὐτὸν ἐξουσίαν δεσμεῖν τε καὶ λύειν.

Καὶ τοῦτο δὲ ἀναμιμνήσκεσθαι παρακαλοῦμεν τὴν ὑμῶν εὐσεβῆ βασιλείαν, ἐκ πόσου χρόνου τὰ σκάνδαλα καὶ τὰ σχίσματα ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ παρεισελθόντα τὴν τούτης ὁλοκληρίαν λυμαίνεται. τούτων δὲ τῆς κακῶν αἴτιον οὐδὲν ἄλλο καθέστηκεν, ἀλλ' ἢ τὸ παραδέχεσθαι ὑμᾶς τὰς βασιλεῖς βλασφημίας καὶ συκοφαντίας κατὰ τῆς ἀρχιερέων καὶ πατριαρχῶν ὑμῶν καὶ τῆς λοιπῶν ἱερέων τοῦ Θεοῦ· καὶ τὸ ὀλιγώρως ἔχειν ὑμᾶς περὶ τὴν εἰς αὐτοὺς ἀγάπην καὶ πίστιν καὶ τιμὴν καὶ εὐλάβειαν. διὸ ἱκετεύομεν τὸ θεῖον ὑμῶν κράτος ἀπὸ τοῦ νῦν κλεῖσαι τὰ ὦτα τῆς θεοψηφίστου βασιλείας ὑμῶν ταῖς τῆς πονηρῶν ἐκείνων καὶ χαιρεκάκων ἀνθρώπων κατὰ τῆς ἀρχιερέων τοῦ Θεοῦ διαβολαῖς καὶ συκοφαντίαις· καὶ ὡς ἄθεον καὶ μυσαρὸν καὶ ἀποβόσκαιον αὐτούς τε καὶ τὰς πονηρὰς βολίδας τῆς λόγων αὐτῶν ἀποπέμπεσθαι· τιμᾶν τε τοὺς

A mutuam in vobis caritatem inſerendam. Suſcipite autem vos illum certa indubitataque ſententia, caritate ac fide: omne malitiæ ac doli venenum, & animi duplicis aut hæſitabundi, ex cordibus veſtris ejicientes, quemadmodum ipſum ſuſcepit etiam eccleſia Romana. Didicimus enim fere ex omnibus qui illic degunt, virum omnibus quæ ad Deum ſpectant potiſſimis dotibus eminere: tum ſapientia ac prudentia in rebus divinis & humanis omnes anteire: tum in alia omni virtute quæ in rerum actione cernitur, & in exercitatione divinorum mandatorum operarium inconfuſibilem prædicari. Nec fas eſſe duximus, talem ac tantum virum inertem & otioſum permanere: ſed in ſublimi veſtra eccleſia rurſum impoſitum ac refulgentem, conſueta ſibi & Deo accepta erga ſacerdotes & epiſcopos opera perficere

ANNO CHRISTI 879.

2. Tim. 2. 15.

Itaque rurſum eumdem iterantes ſermonem, vobis omnibus dicimus: Suſcipite virum ſine aliqua excuſatione. Nemo prætexat eas quæ contra ipſum factæ ſunt injuſtas ſynodos. Nemo, ut pleriſque videtur imperitis ac rudibus, deceſſorum noſtrorum beatorum Pontificum, Nicolai, inquam, & Hadriani, decreta culpet: neque enim ab ipſis ſuſcepta ſunt quæcumque fuerunt adverſus ſanctiſſimum Photium agitata. Nemo ex ſubſcriptionibus veſtris adverſus ipſum, occaſionem ſchiſmatis accipiat, ſive contra eum, ſive inter vos invicem. Finita ſunt enim omnia, repudiata omnia, quæ adverſus eum geſta ſunt, infirma irritaque reddita. Omnia per nos tametſi minimos in manibus * Coryphæi poſita ſunt, & per ipſum in humeris Jesu Chriſti Agni Dei, qui tollit peccatum mundi. Suſcipite ergo ipſum manibus apertis, fratrem noſtrum & comminiſtrum. Suſcipite Dei Pontificem irreprehenſibilem. Suſcipite patriarcham eccleſiæ veſtræ. Confirmate in illum caritatem, fidem, & cum reverentia obedientiam; & per ipſum in ſanctam Romanam eccleſiam. Qui enim ipſum non ſuſcipit, is manifeſte neque noſtra neque ſanctæ Romanæ eccleſiæ de ipſo decreta ſuſcipit: neque is nobis bellum indicit, ſed ſanctiſſimo Petro Apoſtolo, immo verius Chriſto Dei Filio, qui ſic honorificavit & glorificavit Apoſtolum ſuum, ut dederit illi poteſtatem ligandi atque ſolvendi.

* Petri.

Et illud ut meminerit veſtrum pium imperium cohortamur, quamdudum ſcandala & ſchiſmata, quæ in veſtram eccleſiam irrepſerunt, integritatem ejus labefactarint. Atqui horum malorum cauſa non alia exſtitit, niſi quod vos, Imperatores, excepiſtis obtrectationes & calumnias adverſus Pontifices & Patriarchas veſtros, & ceteros Dei ſacerdotes: & quod negligentes fuiſtis in caritate, ac fide & honore ac reverentia erga ipſos. Quapropter divinum veſtrum principatum obteſtamur, ut deinceps veſtri a Deo decreti imperii occludat aures hominum iſtorum improborum, & qui malis alienis gaudent, falſis adverſus Dei Pontifices delationibus & calumniis: & ut tanquam deteſtandam rem & abominandam hos homines & maligna ſermonum

2. Cor. 2. 8.

ANNO CHRISTI 879.

ipsorum jacula procul summoveatis : honoretis autem patriarchas vestros, & religiose colatis, ac velut patres vestros reputetis, & tanquam mediatores Dei & hominum revereamini. Ipsi enim pervigilant pro animabus vestris, semper a Deo poscentes quæ ad vestram salutem conferunt; sed & si quid, ut fit, delicti admiseritis, quo Deus offendatur, hostias eidem offerunt pro vestra reconciliatione, placatum vobis divinum Numen exhibentes. Verum etiam & pro stabilitate ac perennitate imperii vestri, pro victoria triumphisque de hostibus, pro salute omnium Christianorum, legatione ipsi funguntur apud clementissimum Deum nostrum. Ipsi etiam ductores doctoresque vestri nuncupantur, quando adhortantur vos ut ea faciatis, quæ regnum cælorum vobis acquirant. Præterea diligere vos plusquam ceteri agnoscuntur; neque enim ea, quæ propria adulantium est, amicitia vos diligunt; sed ea quam docuit ipsos Jesus Christus, per suos sanctos Apostolos.

Non sunt igitur contemnendi patriarchæ vestri, tum ob ea quæ antea diximus, tum eo quod ita vos diligunt, ut præcepit Dominus. Sic autem habetote, quod dum ita facitis & reverenter eos tractatis, non ipsos honoratis & colitis, sed eum qui ipsorum manibus sacrificatur, & pro peccato totius mundi offertur Deo & Patri. Nam qui hos honorat, Deum honorat; & qui hos aversatur, Deum aversatur. Falsas igitur adversus eos sermocinationes ac susurrationes, per quas zizania & schismata & scandala in ecclesias Dei subeunt, dividuntque contextam desuper Christi tunicam, ut venenum aspidum, defugiat pium vestrum imperium : sed potius opituletur sanctissimo Photio fratri & comministro nostro, in omni re quæ ad integritatem ecclesiæ confert. Sed & eos qui ipsum honori non habent, castigate, ut resipiscant. Quos enim sæpe Dei timor & erga res divinas reverentia non adducit ad sanam mentem, hos Imperatorum & præsidum & magistratuum ira superveniens modestos & frugi reddidit. Hoc si feceris, tibi, ut probe nosti, comparabis regnum cælorum, & perpetuitatem principatus vestri, & pacificum imperii vestri statum. Verum enimvero si hæc non feceritis, sic habetote fore, ut nunquam cessent schismata in ecclesia Constantinopolitana.

Etiam ut hoc statuatis, adhortamur vestrum a Deo custoditum imperium, ut post obitum sanctissimi Photii, comministri & fratris nostri, nemo e sæculari magistratu ad pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur; sed aut ex presbyteris cardinalibus, vel in ecclesia Catholica conscriptis, aut ex ejus diaconis, aut ex aliis sacerdotibus qui subjecti sunt sedi Constantinopolitanæ, juxta divinos & sacros canones : ne quid agatis contra ecclesiasticam disciplinam, & canones Patrum. Procedere autem hunc volumus, probatum per singulos ecclesiæ gradus : primo lectorem, deinde acolythum, postea diaconum, deinde presbyterum : posthæc episcopum. Ita nimirum ut bonum habeat testimonium de innocentia morum & discendi studio : quoniam dum in inferiori-

πατριάρχας ὑμῶν, καὶ εὖ σέβεσθαι, καὶ ὡς πατέρας οἰκείους λογίζεσθαι, καὶ ὡς μεσίτας Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων διλαβεῖσθαι. αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, τὰ πρὸς σωτηρίαν ὑμῶν ἀεὶ ἐξαιτούμενοι παρὰ Θεοῦ· ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν, ὡς εἰκὸς, σφαλλομένων ὑμῖν, ἂν προσκρούσματι Θεοῦ, θυσίας αὐτῷ προσφέρουσιν ὑπὲρ τῆς πρὸς ὑμᾶς καταλλαγῆς, ἵλατον ὑμῖν τὸ θεῖον καθιστῶντες. ἀ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ εὐσταθείας καὶ ὁμονοίας τοῦ κράτους ὑμῶν, καὶ τῆς κατ' ἐχθρῶν νίκης καὶ ἐκπαιφορίας, καὶ σωτηρίας πάντων τῶν χειστιανῶν, αὐτοὶ πρὸς τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν ἡμῶν πρεσβεύουσιν. ἀλλὰ καὶ εἰσηγηταὶ καὶ διδάσκαλοι ὑμῶν χρηματίζουσιν ἐν οἷς παραινοῦσι πράττειν ὑμᾶς ταῦτα, ἃ καὶ τοῦ ἐν ἐρανοῖς βασιλείαν ὑμῖν προξενοῦσι. πρὸς τούτοις καὶ φιλοῦντες ὑμᾶς ὑπὲρ τοὺς ἄλλους γινώσκονται. ἀ γὰρ τοῦ τῶν κολάκων φιλίαν ἐπίστανται φιλεῖν ὑμᾶς. ἀλλ' ἣν ἐδίδαξεν αὐτοὺς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς διὰ τῶν ἁγίων αὐτοῦ ἀποστόλων.

Οὐ χρὴ οὖν παροράσθαι τοὺς πατριάρχας ὑμῶν διά τε τἄλλα, ἃ προείπομεν, καὶ διὰ τὸ ὅτως ὑμᾶς φιλεῖν ὡς ὁ κύριος ἐνετείλατο. καὶ γινώσκετε ὅτι τοῦτο ποιοῦντες καὶ διλαχῶς εἰς αὐτοὺς διακείμενοι, ἐκ αὐτοὺς τιμᾶτε καὶ σέβεσθε, ἀλλὰ τὸν τοῖς ἐκείνων χερσὶν ἱερουργούμενον, καὶ ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς ἁμαρτίας προσφερόμενον τῷ Θεῷ καὶ πατρί. ὁ γὰρ ἐκείνους τιμῶν, τὸν Θεὸν τιμᾷ· καὶ ὁ ἐκείνους ἀποστρεφόμενος, τὸν Θεὸν ἀποστρέφεται. τὰς ψευδεῖς οὖν κατ' αὐτῶν ὁμιλίας καὶ ψιθυρισμοὺς, δι' ὧν τὰ ζιζάνια καὶ σχίσματα καὶ σκάνδαλα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ παρεισφέρονται, καὶ μεμέζωσι τὸν ἄνωθεν ὑφαντὸν χιτῶνα τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἰὸν ἀσπίδων, ἡ ὑμετέρα εὐσεβὴς ἐκτρεπέσθω βασιλεία· καὶ μᾶλλον σωαγωνιζέσθω τῷ ἁγιωτάτῳ Φωτίῳ τῷ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν, εἰς ὃν ὁ σωτὴρ εἰς ἀπαρτισμὸν τῆς ἐκκλησίας. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀτιμάζοντας αὐτὸν ἐπιπλήττειν, ἵνα σωφρονῶσιν. ὃς γὰρ πολλάκις ὁ Θεοῦ φόβος καὶ ἡ πρὸς τὰ θεῖα διλάβεια ἐκ ἐσωφρόνησε, βασιλέων καὶ ἡγεμόνων καὶ ἀρχόντων ἀγανάκτησις ἐπελθοῦσα ἐπιεικεστέρους εἰργάσατο. καὶ τοῦτο ποιῶν εὖ ἴσθι προμηνυόμενος σεαυτῷ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, καὶ τοῦ εἰς ἀεὶ τὸ κράτος ὑμῶν διαμονὴν, καὶ τὴν εἰρηναίαν τῆς βασιλείας ὑμῶν κατάστασιν. ἐπεὶ ἐὰν τοῦτο μὴ ποιῆτε, γινώσκετε ὅτι οὐδέποτε σχίσματα λήξουσιν ἐν τῇ τοῦ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίᾳ.

Καὶ τοῦτο θεσπίσαι παραινοῦμεν τοῦ ὑμῶν θεοφρούρητον βασιλείαν· ἵνα μὴ τοῦ ἀποβίωσιν τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν καὶ ἀδελφοῦ μηδεὶς ἀπὸ κοσμικῶν ἀξιωμάτων εἰς τοῦ ἀρχιερατικοῦ τάξιν ψηφίζηται καὶ χειροτονῆται. ἀλλ' ἐκ τοῦ πρεσβυτέρων τοῦ καρδιναλέων, ἢ ἐκ τοῦ ἐγκαταταγμένων ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἢ ἐκ τοῦ ἰδίου διακόνων, ἢ ἐξ ἄλλων ἱερέων τῶν τελούντων ὑπὸ τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τοὺς θείους καὶ ἱεροὺς κανόνας· ὡς ἂν μὴ ἐναντίως τῇ ἐκκλησιαστικῇ διατάξει καὶ τοῖς πατρικοῖς κανόσι τὰ καθ' ὑμᾶς διαπράττηται. προέρχεσθαι δὲ τὸν τοιοῦτον βουλόμεθα, καθέκαστον βαθμὸν τῆς ἐκκλησίας δοκιμαζόμενον. πρῶτον ἀναγνώστην, ἔπειτα ἀκόλουθον, εἶτα διάκονον, αὖθις πρεσβύτερον, μετὰ ταῦτα ἐπίσκοπον. δηλονότι μεμαρτυρημένον ἐπ' ἀγαθείᾳ, καὶ λόγων μελέτῃ. ὅτι ἐν τοῖς ὑποδεεστέροις τάγμασι τὸ τοιοῦτο

χρο-

χρονίζοντ@ δοκιμάζεται ἤτε ἀρετὴ αὐτῆ καὶ ἡ λοιπὴ καλοκἀγαθία. καὶ τούτῳ τῷ ξόπῳ δεῖ τοὺς καθ' ὑμᾶς πατριάρχας προέρχεσθαι, καὶ μὴ αἰφνίδιον προαρπάζειν ἕκαστον βαθμόν. ἵνα ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου μηδὲ σκρεθῇ ἀσιώθετον, μήτε ἄτακτον. ὁ γὰρ ἐπάνω πάντων τῶν βαθμῶν ἀνερχόμεν@ ἀκατάγνωστος ἐν πᾶσιν ὀφείλει διείσκεσθαι, μήπως ἐκ τούτου κατάλυσις ἀναφυῇ πασῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν διδαχῶν.

Καὶ μὴ διότι ἡμεῖς προνοίαν ποιούμενοι καὶ φροντίδα τῆς ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ εἰρηνικῆς κατασάσεως, Φώτιον τὸν θεοσεβέστατον ἀδελφὸν ἡμῶν ἀπεδεξάμεθα, ὥσπερ καὶ ὁ πάλαι Ἀδριανὸς Ταράσιον τὸν αὐτῆ θεῖον, ἤδη τοῦτο ὑμῖν εἰς συνήθειαν καὶ κανόνα λογιζέσθω. τὰ γὰρ σπάνια ἀγαθὰ οὐ δύναται νόμ@ εἶναι τοῖς πολλοῖς. ἀπὸ γὰρ τῆ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σπλάγχνα καὶ αὐτοὶ συμπαθείας δεξάμενοι, σωεπαθήσαμεν ὑμῖν ἐν τούτῳ τῷ μέρει. καὶ τὸ αἴτημα ὑμῶν καὶ περὶ τούτου, ὥσπερ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἱερέων τῶν ἐξ ἑτέρας χειροτονίας ὄντων, ἐπληρώσαμεν. ὅσις δὲ ἀπὸ τοῦ νῦν τολμήσει τοῦτο διαπράξασθαι, ἀσυγχώρητ@ αὐτῷ ἔσαι ἡ ἐκ τοῦ κανόν@ καὶ παρ' ἡμῶν ἐπιτιμία καὶ κατάκρισις.

Ἀξιοῦμεν δὲ καὶ τοῦτο τὸ ὑμῶν διαίρεσιν, μήτε ὁ ἀδελφὸς καὶ συλλειτουργὸς ἡμῶν Φώτιος ὁ ἁγιώτατος, μήτε τις τῶν αὐτοῦ διαδόχων ἀπὸ τοῦ νῦν χειροτονήσῃ εἰς Βουλγαρίαν, μήτε αὐτοχειρίᾳ, μήτε δι' ὠμοφόρου ἀποστελλομένου· μήτε διεκδικῇ τὸ εἰρημένον ἐπαρχίαν τῶν Βουλγάρων, ὡς ἰδίαν αὐτοῦ. ἐπ' ἀλλοτρίῳ γὰρ θεμελίῳ οὐ δεῖ ἐποικοδομεῖν ἄλλους. ὁ γὰρ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ ὁ προηγησάμενος ἡμῶν Νικόλαος ταῖς δεήσεσι τοῦ ἄρχοντος Βουλγάρων Μιχαὴλ ἀποστολικαῖς διδαχαῖς τὸ πιστὸν ἐξέθρεψεν ἔθνος, καὶ διὰ τῶν διαβεβαιοτάτων αὐτοῦ ἐπισκόπων ἐβάπτισε· καὶ πάντας τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς τύπους τε, καὶ κανόνας, καὶ ὅσα εἰς τὴν τῶν Χριστιανῶν θρησκείαν συμπλεῖ παραδεδωκὼς ἐτελείωσεν. εἰ καί τινες τολμηρῶς ἀφήρπασαν ἀφ' ἡμῶν τοῦ μὴ προσήκουσαν αὐτοῖς ἐπαρχίαν, καὶ χειροτονίας καὶ καθιερώσεις ἐκκλησιῶν, καὶ ἁπλῶς πάντα ὅσα οὐκ ἐχρῆν ἐποίησαν. διὸ πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ τοῦτο ὑμῖν παρεγγυώμεθα, ἵνα ὅταν ἡμεῖς τοὺς νῦν ἐπισκοποῦντας εἰς αὐτοὺς ἐγκλήματι ἁλωκότας φωράσωμεν, καὶ κανονικοῖς ἐπιτιμίοις ὑποβάλωμεν, μὴ διείσκωσιν ὑμᾶς καταφύγιον· ἀλλ' ἵνα εὕρωμεν καὶ ὑμᾶς εἰς τοῦτο συμπνέοντας, καὶ κατακολουθοῦντας ἡμῖν, καὶ μὴ διαφωνοῦντας.

Ἔτι δὲ παρακαλοῦμεν τοῦ φιλόχριστον ὑμῶν βασιλείαν, ἵνα συνάξητε τοὺς ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους, καὶ τοὺς οἱουδήποτε τάγματος, εἴτε ἐκκλησιαστικοῦ, εἴτε πολιτικοῦ, τοὺς δοκοῦντας ἀφ' ὑμῶν ἀποδιίσασθαι, ὅπου δ' ἂν ὦσιν ὄντες τῶν ὑμετέρων ὁρίων, καὶ ἀγάγητε αὐτοὺς πρὸς ὑμᾶς, καὶ παραινέσητε σωθῆναι αὐτοὺς τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν, καὶ συμβίων αὐτῶν, τὰς οἰκείας ἀρχιερατικὰς καὶ ἱερατικὰς τιμὰς καὶ τοὺς βαθμοὺς ἀποδώσετε, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν εἰς αὐτοὺς ἀνοίγοντες. ἀλλ' ὥσπερ ἐστὶν εἷς Θεὸς, καὶ εἷς βάπτισμα, καὶ μία πίστις, καὶ αὐτοὶ ἡμεῖς ἐσμὲν ἓν Χριστῷ, ὅπω καὶ αὐτοὶ διὰ τῆς ὑμετέρας θείας διδασκαλίας καὶ παραινέσεως ἓν σὺν ἡμῖν ἔσονται, καὶ ἐν τῷ πληρώματι τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ σωαρ-

A bus ordinibus aliquo tempore immoratur, virtus ejus, & in omni alio genere probitas, exploratur. Hoc pacto progredi patriarchas vestros oportet, nec statim unumquemque dignitatem arripere: ut in domo Domini nihil inveniatur incompositum aut inordinatum. Nam qui supra omnes gradus ascendit, irreprehensibilis in omnibus debet inveniri, ne quando ex hoc ruina nascatur omnis doctrinæ ecclesiasticæ. ANNO CHRISTI 879.

Neque vero quoniam nos ecclesiæ vestræ paci constituendæ providentes ac prospicientes, Photium religiosissimum fratrem nostrum suscepimus, quemadmodum olim B Hadrianus Tarasium avunculum ejus, istud a vobis pro consuetudine & regula reputetur. Nam quæ sunt rata bona, non possunt esse multis pro lege. Verum a Domino nostro Jesu Christo viscera & ipsi misericordiæ accipientes, vobis in hac parte compassi sumus; & petitioni vestræ tam de ipso, quam de aliis sacerdotibus, qui sunt ex altera ordinatione, omnino concessimus. Quisquis autem posthac ausus fuerit id committere, sine venia erit quæ a canone & a nobis pœna condemnatioque irrogabitur.

Et illud autem rogamus vestram pietatem, ne frater & comministe noster Pho- C tius sanctissimus, neque quisquam successorum ejus, posthac ordinationes faciat in Bulgaria, sive manu propria, sive per Pallium illuc transmissum: neque sibi vindicet, ut propriam, provinciam quæ dicitur Bulgarorum. In alieno enim fundamento non decet alios ædificare. Nam decessor noster felicis recordationis Nicolaus, precibus principis Bulgariæ Michaelis gentem illam Apostolicis doctrinis enutrivit; & per reverentissimos suos episcopos baptizavit, & omnes ecclesiasticas regulas & canones, & quæcumque ad Christianam religionem conducunt, tradens eisdem, ipsos perfecit. Tametsi quidam audacter abstulerunt per vim a nobis indebitam D sibi provinciam: & ordinationes, & ecclesiarum consecrationes, & uno verbo quæcumque fieri non oportebat, fecerunt. Itaque præter antedicta etiam illud vobis denunciamus; ut quando nos episcopos ibi degentes deprehendemus in nos aliquid admisisse criminis, & pœnis canonicis eos subjecerimus, non inveniant apud vos perfugii locum; sed inveniamus vos potius in hanc rem conspirantes, nobis assentientes, nec dissidentes.

Hortamur præterea vestrum Christi amans Imperium, ut congregetis episcopos & presbyteros, & ex quocumque ordine sive ecclesiastico, sive civili, eos qui videntur a no- E bis dissidere, ubicumque fuerint intra fines imperii vestri, & adducatis eos ad vos, & adhortemini ut uniantur ecclesiæ Dei, & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & comministro nostro. Et cum fuerint illi uniti, suos illis episcopales ac sacerdotales honores & gradus restituite, viscera misericordiæ illis aperientes. Sed quemadmodum unus est Deus, & unum baptisma, & una fides, & ipsi nos unum sumus in Christo; sic & ipsi per vestram divinam institutionem & adhortationem unum nobiscum erunt, & in plenitudine Christi ecclesiæ compacti & con-

ANNO CHRISTI 879.

nexi nobiscum in unum Christi corpus sanctissimum: ut in eadem mente & in eadem voluntate vitam agentes, Deum qui est super omnia glorificemus. Nemo postmodum dicat, *Ego quidem sum Cephæ, ego vero Pauli, ego autem Apollo*: sed omnes hoc dicamus, quod omnes Christi sumus, qui crucifixus & mortuus est pro nobis: qui per passionem suam pacificavit & reconciliavit quæ in terra sunt & quæ in cælis, & connexit nos conjunxitque per seipsum Deo & Patri, mutua caritate & communione. Quod si autem vobis eos congregantibus & convocantibus, suadentibus & adhortantibus, ut ad unionem ecclesiæ vobiscum conveniant, non semel iterumque sed sæpius, noluerint vobis obedire, neque litteris nostris obtemperare, & suæ salutis lucrum facere; sed in priore sua pertinacia insolentiaque permanserint; hos præcipimus alienari a participatione immaculati corporis & sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, donec uniantur sanctæ Dei ecclesiæ & Photio sanctissimo patriarchæ, fratri & comministro nostro.

Atque ita quidem quod supererat justæ eorum damnationis in litteris ad vos datis non scripsimus, ne supra modum excresceret: sed in commonitorio scripsimus, & per religiosissimum Petrum presbyterum & cardinalem & apocrisiarium misimus Eugenio & Paulo religiosissimis episcopis: ut cum ipsis considens simul cum præsente tunc synodo & sanctissimo patriarcha Photio fratre & comministro nostro, præ oculis habentes oculum qui cuncta intuetur nec unquam dormitat, & inevitabilem Dei justitiam; suamque conscientiam immaculatam intemeratamque conservantes; quæcumque spectant ad ecclesiam Constantinopolitanam, tum quæ in præsenti indigent emendatione, tum quæ ut par est denuo excitanda sunt, pro eo ac melius erit & conducibilius Dei ecclesiæ, peragant. Vestrum pium Imperium Rex cælestis custodiat, & omnium gentium colla pedibus vestris subiiciat.

Lecta epistola, Procopius religiosissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Nos, ut sæpe diximus, etiam ante vestrum venerabilem adventum, & ante eam quæ in venerandis litteris inserta est admonitionem, Photium sanctissimum patriarcham nostrum ac pastorem, & suscepimus, & suscipimus: ac veluti proprio pastori & domino adhæsimus & circumfusi sumus. Ipse vero paternis nos visceribus amplexatus est libentissime. Id vero perbene, & ut suam decuit pietatem, fecit sanctissimus Papa Joannes: quod piam voluntatem sublimium & magnorum Imperatorum nostrorum, nostræque humilitatis complevit: misitque vestram sanctitatem consentientem nobis per omnia. Gratias agimus Deo, & fausta omnia apprecamur piis Imperatoribus nostris, & sanctissimo Papæ Joanni. Veneramur autem & vos, legatos ac ministros ejus, & sedem obtinentes principis Apostolorum Petri.

Elias religiosissimus presbyter & legatus

A μολογέμβοι καὶ συμβιβαζόμβοι σωὶ ἡμῖν εἰς τὸ τῦ Χεισῦ παναγιον σῶμα· ἵνα ἐν τῷ αὐτῷ νοὶ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ θελήματι δζατελῶντες δοξάζωμβυ τὸν ἐπὶ πάντων Θεόν. καὶ μηδεὶς τῦ λοιπῦ λέγῃ· ἐγὼ μβύ εἰμι Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Παύλυ, ἐγὼ δὲ Α'πολλῶ· ἀλλ' ἵνα πάντες τῦτο λέγωμβυ, ὅτι Χεισῦ ἐσμβυ πάντες τῦ σαωθζόντος καὶ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, τῦ διὰ τῦ πάθυς αὐτῦ εἰρηνοποιήσαντος, καὶ καταλλάξαντος τά τε ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τὰ ἐν τοῖς ὐρανοῖς, καὶ σωάψαντος ἡμᾶς ⁊ σωδήσαντος δί ἑαυτῦ τῷ Θεῷ ⁊ πατεὶ, ⁊ τῇ πρὸς ἀλλήλυς ἀγάπῃ ⁊ κοινωνίᾳ. ἐὰν δὲ ὑμῶν σωαγόντων αὐτὺς ⁊ προσκαλεμβύων, προ-

B κλησίας συμβιβαοθῆναι ὑμῖν, ὐχ ἅπαξ καὶ δίς, ἀλλὰ ⁊ πολλάκις, μὴ βεληθῶσιν ὑμῖν ὑπακοῦσαι, μήτε τοῖς ἡμετέροις γράμμασι πειθαρχῆσαι, ⁊ τὴν οἰκείαν καρπώσαοθαι σωτηείαν· ἀλλ' ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτῶν αὐθαδείᾳ καὶ ἀλαζονείᾳ διαμείνωσιν· τύτυς κελεύομβυ τῆς ἀχράντυ μεταλήψεως τῦ σώματος ⁊ αἵματος τῦ κυείυ ἡμῶν Ἰησῦ Χεισῦ ἀλλοτρίυς εἶναι, ἕως ἂν σωθῶσι τῇ ἁγίᾳ τῦ Θεῦ ἐκ-

C κλησίᾳ, καὶ Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατειάρχῃ τῷ ἀδελφῷ καὶ συλλειτυργῷ ἡμῶν.

Καὶ εἴθ' ὕτως τὰ λοιπὰ τῆς δικαίας αὐτῇ κατα-

C δίκης ἐν μβῦ τοῖς πρὸς ὑμᾶς γράμμασιν ὐκ ἐγράψαμβυ, ἵνα μὴ πλέον τῦ μέτρυ μηκυνθῇ· ἀλλ' ἐν κομμονιτορίῳ γράψαντες δζὰ τῦ θεοσεβεσάτυ Πέτρυ πρεσβυτέρυ ⁊ καρδηνάλεως καὶ ἀποκρισιαείυ ἡμῶν ἀπεστείλαμβυ τοῖς περὶ Εὐγένιον καὶ Παῦλον θεοσεβεσάτοις ἐπισκόποις· ἵνα σὺν αὐτοῖς καθίσας ἅμα

D τῇ ἐνδημύσῃ συνόδῳ καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Φωτίῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτυργῷ ἡμῶν, τὸν τὰ πάντα ἐφορῶντα ἀνύσακτον ὀφθαλμὸν πρὸ τῶν οἰκείων ὀφθαλμῶν ἔχοντες, καὶ ἴνα ἀναπόδρασον παρὰ Θεῦ * δζανδίκως, καὶ τὴν συνείδησιν αὐτῶν ἀνεπιθόλωτον καὶ ἀπροσκωτηείασον σωτηρῦντες, πάντα τὰ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν Κωνσταντινοπολιτῶν πράγματα, τά

D τε νῦν ἐπιδεόμβυα διορθώσεως, καὶ τὰ ὡς εἰκὸς ἀνακόπτειν μέλλοντα, ἐπὶ τῷ καλῷ καὶ συμφέροντι τῆ τῦ Θεῦ ἐκκλησίᾳ δζαπράξωνται. τὸ δίσεβὲς κράτ⊙ ὑμῶν ὁ ὐράνι⊙ φυλάξαι βασιλεύς, καὶ πάντων τῶν ἐθνῶν τὰς αὐχένας ὑμετέροις ποσὶν ὑποτάξαι.

Μετὰ δὲ τὸ ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν Προκόπι⊙ ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἡμεῖς, ὡς πολλάκις εἴπομβυ, καὶ πρὸ τῆς ὑμετέρας τιμίας ἐλεύσεως, καὶ πρὸ τῆς ἐγκειμβύης τῷ τιμίῳ γράμματι παραινέσεως, Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατειάρχην ἀρχιερέα ἡμῶν καὶ ποιμβέα καὶ ἀπεδεξάμεθα, καὶ ἀποδεχόμεθα· καὶ ὡς

E οἰκείῳ ποιμβέι καὶ δεσπότῃ ἐκολλήθημβέν τε καὶ περιεπτυξάμεθα· καὶ αὐτὸς παλαικοῖς ἡμᾶς σπλάγχνοις ἐνηγκαλίσατο ἀσμβυέσατα. τῦτο δὲ ἀγαθὸν καὶ ἄξιον τῆς αὐτῦ εὐλαβείας ὁ ἁγιώτατ⊙ πάπας Ἰωάννης ἐποίησεν· ὅτι τὸ δίσεβὲς θέλημα τῶν ὑψηλῶν καὶ μεγάλων βασιλέων ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας ταπεινώσεως ἐξεπλήρωσε· καὶ ἀπέστειλε τὴν ὑμῶν ἁγιωσύνην συμφωνοῦσαν ἡμῖν κατὰ πάντα. καὶ δίχα εἰσῦμβυ τῷ Θεῷ, καὶ ἐπευχόμεθα τὰς δίσεβεῖς Βασιλεῖς ἡμῶν, καὶ τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην. προσκυνῦμβυ δὲ καὶ ὑμᾶς ὡς τοποτηρητὰς καὶ ὑπηρέτας αὐτῦ, καὶ τὸν θρόνον ἐπέχοντας τῦ κορυφαίυ τῶν ἀποστόλων Πέτρυ.

Η'λίας ὁ θεοσεβέστατ⊙ πρεσβύτερ⊙ καὶ τοποτηρη-

τηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· χάρις τῷ Θεῷ, ὅτι τὸ τῇ Ἱεροσολυμιτῇ ἀρχαῖον καὶ ἀδιάσπαστον φρόνημα περὶ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, νῦν πᾶσα ἡ οἰκουμένη τὸ αὐτὸ σέβεται καὶ ἀποδέχεται. Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλίς εἶπεν· ἐπὶ τούτῳ γὰρ καὶ ἀπέστειλεν ἡμᾶς ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης, εἰς τὸ τῆς ὁμονοίας τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς εἰρήνης ἐπιβεβαιῶσαι· ὅπως ἓν σὺν σώματι καὶ μιᾷ πίστει τὸν Θεὸν δοξάζοντες, τῆς πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Φώτιον ἀγάπης ἀδίακτον ὀφασώζητε. ἐπειδὴ δὲ εὕρομεν ὑμᾶς ἡνωμένους αὐτῷ, ὡς καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ μαρτυρεῖτε, εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ τῷ καὶ πρὸ ἡμῶν τῆς εἰρήνης βραβεύσαντι.

Προκόπιος θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἡμεῖς πολλάκις εἴπομεν περὶ τῆς * ὑμετέρας διαθέσεως· ὡς ἀδίακτον τῆς γνώμης πρὸς τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην τὸν οἰκουμενικὸν πατριάρχην τὸν κύριον Φώτιον κεκτήμεθα. καὶ γὰρ ὀφείλομεν προλαβεῖν. οἱ γὰρ ἐγγίζοντες τοῖς πράγμασι τῆς πορρώτερον μᾶλλον αὐτῆς τῆς ἀκριβείας ἐπίστανται. καὶ ὧν αἱ χεῖρες ἐψηλάφησαν, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ἑώρακασι, τῆς ἐξ ἀκοῆς τῆς γνῶσιν παραλαμβανόντων· ὅτι τῆς ἀληθείας, καθάπερ εἴπομεν, ὡς ἐγγίζοντες, ἀκριβέστεροι μᾶλλον καὶ κριταὶ, καὶ ἐξεταστὰι, καὶ ἐρασταί. διὸ ἡμεῖς πάντα ἀνερευνήσαντες, καὶ ἀναμαθόντες, κεκρίκαμεν ἓν οὐδενὶ ἄλλῳ τῆς σωτηρίαν ἡμῶν εἶναι καὶ τὸ ἀρεστὸν τῷ Θεῷ, ἀλλ' ἐν τῷ σὺν Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ. πλὴν ἐπειδή τινες, καὶ ὅτι, ὡς προέφημεν, ἀκροαθμενοι, ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἔτι εἰσὶ, χρὴ τῆς ὑμετέραν ἀρετὴν ἐκείνους νουθετῆσαι καὶ παραινέσαι, οἳ καὶ χρήζουσιν * ἀνθρωπείας, ὡς ἀνθρώπους περὶ τοῦ τῆς ἀληθείας λόγου. καὶ γὰρ εἰ μὴ τῆς χειρογραφίαν εἶχον καὶ αὐτοὶ οἱ ὑπολειπόμενοι ἀφορμὴν τῆς διαστάσεως αὐτῆς, ἐκ ἂν ἐδεὶς οὐ μικρὸς ὁ μέγας τῆς πρὸς τὸν ἁγιώτατον Φώτιον συναφίας ἀπελείπετο. ἀλλ' ὅπως παρεσκεύασεν ὁ πονηρός, ἵνα τὸ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας σύμβολον ὁ σωτὴρ νῦν τοῖς ἀφρονεστέροις σκανδάλου πρόφασις γένηται.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλίς εἶπε· τοῦτο καὶ ἡμεῖς ὅσον ἐσὶν * εἰς ..... ἐπιμελώμεθα, σπουδαγωνιζόμενοι ἡμῖν καὶ τῆς ὑμετέρας ὁσιότητος. καὶ γὰρ χρὴ μᾶλλον τοῖς πλανωμένοις χεῖρα ὀρέγειν, ἢ τοῖς τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν περιπατοῦσιν, οἳ οὐδὲ χρήζουσι τοῦ ὁδηγήσοντος. διόπερ ποιήσωμεν ὡς τὸ εὐαγγέλιον λέγει· ἐὰν ἁμάρτῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου. ἐάν σου ἀκούσῃ, ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου. ἐὰν δὲ μὴ, παράλαβε μεθ' σοῦ ἄλλους δύο ἢ τρεῖς· ἐὰν δὲ καὶ τούτων παρακούσῃ, εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ. ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔσωσοι ὡς ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης. τοῦτο καὶ ἡμεῖς ποιήσωμεν. πρῶτα μὲν παρακαλέσωμεν καὶ νουθετήσωμεν αὐτὸς ἅμα τῇ ὑμετέρᾳ εὐλαβείᾳ. ἔπειτα εἰ ἐκ ἀνέχονται, ἐλευσόμεθα πρὸς αὐτὸς δι' ἄλλης ὁδοῦ ἀποτομωτέρας. ἴσως ὅπερ εὔνοια ἐκ ἐποίησεν αὐτὸς, φόβος ποιήσει. καὶ τούτων γενομένων, εἰ τοῖς αὐτοῖς ἔτι ἐμμένουσι, κατὰ τὴν πρόσταξιν καὶ ἐπιτροπὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου καὶ τὴν πρὸς αὐτὸς ἐπεξέλευσιν ποιησώμεθα.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπε· μετὰ μακροθυμίας καὶ πραό-

A Hierosolymorum dixit: Gratias Deo, quod vetus, & a qua divelli non potuerunt, Hierosolymitarum sententia de Photio sanctissimo patriarcha, ea ipsa est quam nunc universus orbis terrarum amplectitur ac recipit. Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Eo utique consilio misit nos sanctissimus Papa Joannes, ad confirmandam ecclesiæ concordiam & pacem: ut uno ore & una fide Deum glorificantes, caritatem servetis minime ambiguam erga sanctissimum patriarcham Photium. Verum quandoquidem vos nacti sumus ei conjunctos, ut etiam vos ipsi contestamini, gratias Deo agimus, qui etiam ante nos pacem constituit. ANNO CHRISTI 879.

B Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Nos sæpenumero diximus quomodo affecti sumus, ut firmam habeamus animi sententiam erga sanctissimum dominum nostrum œcumenicum patriarcham dominum Photium. Etenim debuimus esse priores. Nam qui propius res vident quam qui sunt longe positi, has illi accuratius norunt: Et quorum manus contrectaverunt, & oculi viderunt, his qui ex auditu tantum rerum notitiam acceperunt. Illi veritatis, ut diximus, veluti propiores, idcirco certiores & judices & indagatores, & amatores sunt. Quapropter nos, omnia C perscrutati & de omnibus edocti, censuimus in nullo alio repositam esse salutem nostram, nihil aliud esse acceptum Deo, quam ut uniamur Photio sanctissimo patriarchæ. Veruntamen quoniam nonnulli, sed illi, ut antea diximus, numero pauci, adhuc sunt extra ecclesiam, oportet vestram reverentiam ipsos commonere & cohortari, siquidem robore indigent, ut imbecilles, ut susciplant veritatis sermonem. Etenim nisi ex subscriptione sua & ipsi qui reliqui sunt occasionem haberent diffidii sui, neque parvus quisquam neque magnus, a conjunctione cum sanctissimo Photio descisceret. Verum ita disposuit Malignus, ut pacis commuD nisque salutis symbolum crux, nunc insipientibus scandali occasio fieret.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Hoc etiam nos, quantum fieri necesse est, omni studio providemus, opitulante nobis etiam vestra sanctitate. Magis enim oportet errantibus manum porrigere, quam his qui rectam insistunt viam; cum hi nec viæ ductore opus habeant. Faciamus igitur, ut evangelium præcipit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Sin minus, adhibe tecum alios duos aut tres.* Matth. 18. 15. E *Quod si nec audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Hoc & nos faciamus. Primum quidem cohortemur & commoneamus eos cum reverentia vestra. Postea si non obedierint, veniemus ad eos per aliam viam compendiosiorem. Forte quod ipsos benignitas non effecit, efficit timor. Et cum hæc facta fuerint, si in priore statu adhuc persistant, juxta præscriptum & arbitrium sanctissimi Papæ Joannis, adversus ipsos pœnam statuemus.

Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Cum longa-

ganimitate & manſuetudine reverentia veſtra erga illos ſe gerat. Et ſpes nobis eſt fore ut veſtra benignitate etiam illos adducatis. Illi enim, ut diximus, nihil irrationabile, neque aliam occaſionem habent, quam quod non rite fecere chirographa. Sancta ſynodus dixit: Vere ſic ſe res habet. Nam quidam ex nobis ipſis ſi qui aliquando in diſſidio fuimus a Photio ſanctiſſimo noſtro patriarcha, non alia de cauſa diſſidebamus, niſi ob prave factas a nobis manu propria ſubſcriptiones. Nunc vero Dei benignitate omnes uniti ſumus.

ANNO CHRISTI 879.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis Apoſtolicæ ſedis dixit: Gaudemus & nos, & gratias agimus Deo, de unitate & concordia veſtra cum domino Photio ſanctiſſimo patriarcha. Sancta ſynodus dixit: Et nos gratias agimus Deo, quod conſentitis nobis in omnibus, nec ullo pacto diſſidetis a nobis. Sanctiſſimi legati veteris Romæ dixerunt: Audiviſtis ſcriptam ad piiſſimum Imperatorem a ſanctiſſimo Papa epiſtolam? Sancta ſynodus dixit: Audivimus: Petrus Dei amantiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Suſcipitis illam, & omnia quæ in ea continentur capitula? Sancta ſynodus dixit: Quæcumque pertinent ad commendationem & præconium eccleſiæ & Photii ſanctiſſimi noſtri patriarchæ, ſuſcipimus: Quæ vero ſpectant ad Imperatorem & ad Imperatoriam diſpoſitionem, ei auctoritatem adminiſtrationis circa hæc, poteſtatemque tribuimus. Ceterum ſi juſſerit ſanctitas veſtra, audiemus quoque ſcriptam ad dominum noſtrum & Pontificem epiſtolam. Et accipiens Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius, ita ut omnes exaudirent, legit:

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Photio ſanctiſſimo fratri & comminiſtro, patriarchæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ.

Conſer. Baron ad ann. 879. num. XXXVIII.

SApientiam & prudentiam fraternitatis veſtræ in veſtris inveſtigantes literis, quas miſiſtis, inſtar tonitrui e cælo reſonantis, miſſi a Deo, & omnia loca ſonitu replentis, pias gratiarum actiones, laudumque contextum Deo retulimus, qui dat ſapientiam omnibus petentibus juxta petitionem ſuam: qui habitat in domo concordiæ, qui tegit ſervatque projicientes in veritate ſpem ſuam in ipſum, qui neque malos in finem repellit, neque bonos incidere in tyrannidem * pluſquam utile eſt ſinit: ſed juſtitiæ ſanctitate & judiciorum ſtatera res omnes humanas dirigit & proſperare facit. Et beatus quiſquis diligenter hoc tempore per pœnitentiam lapſos erigens, theſaurum ſibi in cælis parat. Is enim in beatitudine permanens perfruetur ſplendore, qui revelabitur in ſempiternis bonis futuris. Prædictas igitur literas veſtras humaniſſimas poſtquam ſuſcepimus, perſpeximuſque in eis contextum laudum, quibus nos exornas, quo ſis erga nos affectu cognovimus, & quam pie erga nos, ut dictat ratio, ſis animatus. Quamquam noſtræ converſationis opera non ſunt conſentanea laudibus, qui-

* *Baron. ſupra eorum vires.*

τητος ἡ ἀλάβεια ὑμῶν πρὸς αὐτὸς διαγινέσθω. καὶ ἐλπίζομεν ὅτι τῇ χρηστότητι ὑμῶν κἀκεῖνος ἕξετε ἀγαγεῖν. ἐκεῖνοι γὰρ, ὡς ἔφημεν, οὐδένα λόγον, οὐδὲ ἀφορμὴν ἄλλην ἔχουσιν, ἢ ἅπερ οὐκ ἀκαίρως ἐποίησαν ἰδιόχειρα. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἡ ἀλήθεια οὕτως ἔχει. καὶ γὰρ καὶ ἐξ ἡμῶν αὐτῶν, εἴτινες ποτὲ ἐν διαστάσει ἦσαν Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου, διὰ οὐδὲν ἄλλο διεστάμεθα, ἀλλ' ἢ διὰ τὰ κακῶς γενόμενα παρ' ἡμῶν ἰδιόχειρα. νῦν δὲ χάριτι Θεοῦ πάντες ἡνωμένοι ἐσμέν.

ANNO CHRISTI 879.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου εἶπε· χαίρομεν καὶ ἡμεῖς, καὶ B χαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ἐπὶ τῇ σύνοσει καὶ ὁμονοίᾳ ὑμῶν, ἧς ἔχετε πρὸς τὸν κύριον Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· καὶ ἡμεῖς δὲ χαριστοῦμεν τῷ Θεῷ, ὅτι συμφωνεῖτε ἡμῖν κατὰ πάντα, καὶ ὐδεμίαν διάστασιν ἔχετε πρὸς ἡμᾶς. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἠκούσατε τὴν πρὸς τὸν θεοσεβέστατον βασιλέα παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα πεμφθεῖσαν ἐπιστολήν; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἠκούσαμεν. Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· * ἀποδέχεσθαι αὐτὴν, καὶ πάντα τὰ περιεχόμενα ἐν αὐτῇ κεφάλαια; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὅσα εἰς ἀποδοχὴν καὶ ἀνακήρυξιν τῆς ἐκκλησίας καὶ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου, ἀποδεχόμεθα. ὅσα δὲ ἀνήκουσι τῷ βασιλεῖ καὶ ταῖς βασιλικαῖς διοικήσεσιν, ἐκείνῳ καὶ τὸ κῦρος τῆς ἐπὶ αὐτὰ διοικήσεως καὶ τὴν ἐξουσίαν ἀναλίθεμεν. πλὴν εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἀκουσόμεθα καὶ τινὸς πρὸς τὸν δεσπότην ἡμῶν καὶ ἀρχιερέα ἐπιστολῆς. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος εἰς ἐπήκοον πάντων ἀνέγνω.

Pro ἀποδέχεσθαι

Ἰωάννης ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ πατριάρχῃ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας....

D

Τὴν σοφίαν καὶ φρόνησιν τῆς ἐν ὑμῖν ἀδελφότητος ἐν τοῖς ὑμετέροις ἀνιχνεύσαντες οἷς ἀπεστείλατε γράμμασιν, ὥσπερ βροντῆς ἀπηχοῦσαν ἐξ οὐρανοῦ, πεμπομένης ἐκ Θεοῦ, καὶ πάντα τὰ πέρατα τῆς ἠχοῦς πληροῦσαν, θείας εὐχαριστίας καὶ ἐπαίνων * ὕφος ἀνεπέμψαμεν τῷ Θεῷ, τῷ πᾶσι τοῖς αἰτοῦσι κατὰ τινὰ αἴτησιν διδόντι σοφίαν, καὶ κατοικίζοντι ἐν ὁμονοίᾳ οἶκον, σκέποντί τε καὶ σώζοντι τοὺς ἐν ἀληθείᾳ τινὶ ἑαυτῷ ἐλπίδα ἀνατιθέντας εἰς αὐτόν· τῷ μήτε τοὺς πονηροὺς εἰς τέλος ἀπωθουμένῳ, μήτε τοὺς ἀγαθοὺς ἐμπίπτειν εἰς τυραννίδα ὑπὲρ.... συγχωροῦντι· ἀλλὰ δικαιοσύνῃ * ὁσιότητι καὶ ζυγῷ E κειμάτων τὰ ἀνθρώπινα πάντα διοικοῦντι καὶ κατευθύνοντι, καὶ μακάριος ὅστις ἂν προθύμως ἐν τῷ νυμφῶνι * ὁλομυρίας διανιφῶν τοὺς πεσόντας, ἐν οὐρανοῖς θησαυρίσῃ. ὕπνος γὰρ ἐν μακαριότητι διαμενῶν ἀπολαύσει τῆς εἰς τὰ μέλλοντα αἰώνια ἀναφαινομένης λαμπρότητος. τοίνυν τοῖς προῤῥηθεῖσι γράμμασιν ἐπιστείλαντες ὑμῶν ἐπιβάλλοντες, καὶ τὸ ἐν αὐτοῖς * ὕφος τῆς ἐπαίνων ὑμῶν καταμαθόντες, τινί τε διάθεσιν, ἵν' πρὸς ἡμᾶς φέρεις, ἐπέγνωμεν. καὶ ὅπως πρὸς ἡμᾶς θεσεβῶς καὶ ὑγιῶς διάκεισαι, εἰ καὶ τὰ ἔργα τῆς πολιτείας ἡμῶν πρὸς τὰς ἐπαί-

Baron. legit, ὕ

* *Baron. legis ἰσο*

* *Pro μετανοοῦ*

* *Baron. legit ὕ*

παίνες ὃς ἔγραψας, εἰς ἡμᾶς διαφέρονται. Ἐν θνητότητι γὰρ καὶ ξεπομβύῃ φύσει τὸν βίον ἔχοντες, οὐ πάνυ τὸ βέβαιον ἐν τοῖς ἐπαίνοις τοῖς καλοῖς ἔχομεν· καὶ δειλιῶμεν, καὶ τῷ φόβῳ σωνεχόμεθα τῶ πάντα βλέποντι τὰ ὄντα ὀφθαλμῶ, καὶ ἐφορῶντος καὶ τὰ κρυπτὰ καὶ τὰ φανερά· μήπως τοῖς ἀνθρώποις ἄλλως νομιζόμενοι, ἐνώπιον αὐτῶ ἕτερως ὀφθῶμεν· καὶ ἀντὶ τῶ τυχεῖν ἐπαίνων ἀληθινῶν καὶ δόξης ἐπιθυμητῆς, αἰχμάλωτοι αἰωνίαν καρπωσώμεθα. ἀλλὰ ταῦτα παραχωρήσωμεν τῷ τὰ πάντα εἰδότι Θεῷ, καὶ μηδὲ τῷ ἡμετέρων ἄγνοιαν ἔχοντι. γινώσκομεν γὰρ αὐτὸν λέγοντα· ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται.

Ἔγραψας ἡμῖν, ὅτι ἡ ἁγιωτάτη τῶ Θεῶ Κωνσταντινουπολίτιδι ἐκκλησία σοὶ σωεφώνησε καὶ συνῆλθέ σοι· καὶ ὅτι τὸν θρόνον, ὃν ἐξερήθης, ἀπέλαβες, ὃς ἰδίως σε. ὑπὲρ τούτων, λέγω δὴ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ἀποκατασάσεώς σε, ἵνα εἰς τὸν ἴδιον θρόνον κατέσης, Θεῷ τιμὴ ἐξαιρέτως ἐξ ὅλης ψυχῆς καὶ δυνάμεως ἀνεπέμψαμεν. ἔτι δὲ περιεῖχε τὸ γράμμα τῆς ὑμῶν ἐλαβείας, ὅτι οἱ ἀποχειροτονηθέντες ἡμῶν ἐνθέως οὐκ ἠθέλησαν συλλειτουργῆσαί σοι. καὶ λέγομεν τοῦτο συμβῆναι, διὰ τὸ μὴ παραχωρῆσαι ἡμᾶς ἃ προσετάξαμεν ποιῆσαι αὐτούς. ἐπεὶ ἡ ἐντολὴ ἡμῶν προῆλθεν, ἐδεὶς ἂν δισταγμὸς ἐν αὐτοῖς εὑρέθη, οὐδὲ λύπην τινὰ εἶχον ἂν προξενῆσαι τῇ ἐλαβείᾳ σε. πλὴν οὐδὲ ἡμεῖς πληροφορηθέντες περὶ τῆς σῆς ἀδελφότητος, ὅτι τέλεον ὁ Θεὸς ὑπέστρεψέ σε εἰς τὸν θρόνον σε, καὶ ὅτι ἀπέλαβες αὐτόν· ἐπεὶ τὸ καθῆκον ποιοῦντες, ἀπεστείλαμεν ἂν καὶ παραμυθησόμενοί σε καὶ συγχαίροντες εἰς τὴν ἀποκατάστασιν τῶ θρόνου σε. καὶ ἐν τούτῳ μηδὲν ἀγαναχτήσῃς. τὸ γὰρ ὑστέρημα καὶ ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ἀνεπληρώθη.

Ἐμάθομεν δὲ καὶ τοῦτο, ὡς εἰσί τινες σχισματικοὶ ἐν ὑμῖν, καὶ οὐ καθεύδουσιν, ἀλλὰ μοχθοῦσι μόχθον μάταιον, καὶ ἀγῶνα διαβολικὸν καταβάλλονται κατὰ τὸν λέγοντα προφήτην· διεσχίσθησαν, καὶ οὐ κατενύγησαν· ὥσε ἀποσπᾶν καὶ σωδιαστρέφειν ἑαυτοῖς τινὰς τῶν ἁπλουστέρων. καὶ ὅσον ἐφρανθημεν ἐπὶ τῇ ἀποκατασάσει σε, ἵνα ὁ Θεὸς ἀποκατέσησέ σε, καὶ τῇ ἑνώσει τῇ γεγενημένῃ τῆς ἐκκλησίας, τοσοῦτον ἠλγήσαμεν ἐπὶ τῇ ἐκείνων τῶν σχισματικῶν ἀπωλείᾳ.

Ἀλλ' αὐτὸς τῇ ἐνούσῃ σοφίᾳ καὶ σωέσει, καὶ τῷ δοθείῃ σοι παρὰ Θεοῦ χαρίσματι, [τί γὰρ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες;] οἴδαμεν ὡς οὐ καυχᾶσαι, ὡς μὴ λαβών· πάντως μετέρχου οἰκειοῦσθαι πρὸς σὲ, καὶ τοὺς ἀπὸ σοῦ μακρυνθέντας καὶ διασκορπισθέντας, φιλανθρωπίας αὐτοῖς ὑπανοίγων σπλάγχνα, καὶ οἰκτιρμῶν χρησότητι περιλαμβάνων, συναγαγεῖν μὴ ἀπαξιώσῃς· ἵνα ὡς ὁ ἁγιώτατος πάπας Λέων ὁ μέγας γράφει· ἵνα μὴ ζητοῦντας ταπεινωθῆναι ἐνώπιον τῶ Θεῶ καὶ ὁμόνοιαν ζητοῦντας πρὸς ἡμᾶς δεχώμεθα· πρὸς δὲ τοὺς σκληρυνομένους τῇ καρδίᾳ σκληρυνώμεθα. ὡσαύτως καὶ τοῖς μετάνοιαν ζητοῦσιν, ἥτις ἀνίσῃ τοὺς πεσόντας, χεῖρα βοηθείας ὀρέγωμεν. οὐ γάρ ἐσι κατάγνωσις τοῖς μετανοοῦσι, οὐ τοῖς αἰτοῦσιν ἔλεον οὐκ ἔσιν αἰσχύνη.

Διὸ καὶ τὴν σὴν ἀδελφότητα ἀξιοῦμεν, χρεσομίμητον ἀναλαμβάνουσαν τρόπον, καὶ τὴν αὐτῶ ταπείνωσιν, ἵνα ὑπέσῃ διὰ τὴν σωτηρίαν τῶ γένους ἡμῶν, μὴ ἀπαξιῶσαι ἐπὶ τῇ σωόδῳ κηρύξαι τὸ εἰς σὲ τῶ

Abus nos cumulasti. Mortalem enim mutabilemque naturam habentes, nihil certi ac solidi præbent eximiæ laudes. Veremur enim, & timore percellimur oculi illius, qui omnia videt & considerat, tum occulta, tum manifesta: ne forte dum homines aliter existimant, coram ipso aliter videamur: & pro veris laudibus ac desiderabili gloria ignominiam sempiternam lucremur. Sed hæc interim Deo permittamus, qui cuncta novit, cui nihil prorsus latet rerum nostrarum. Novimus enim ipsum dicere: *Qui se exaltat humiliabitur.*

ANNO CHRISTI 879.

B Scripsisti nobis, sanctissimam Dei Ecclesiam Constantinopolitanam in te recipiendo fuisse unius sententiæ, & ab ea te susceptum fuisse, sedemque quæ tua erat, unde exturbatus fueras, recepisse. De his, de ecclesia, inquam, & restitutione tua, qua in sedem propriam es restitutus, gratias Deo ex tota anima & ex totis viribus retulimus. Continebant autem adhuc literæ pietatis vestræ, noluisse statim legatos nostros tecum communistrare. Id vero idcirco contigisse dicimus, quod non permiseramus, ut quæ mandaveramus efficerent. Nam si jussio nostra præcessisset, nulla in ipsis inventa hæsitatio foret: neque quidquam causæ habebant, C cur molestiam crearent pietati tuæ. Præterquam quod nondum certi facti eramus de tua fraternitate, quod in sedem tuam te Deus omnino restituisset, ipsamque recepisses: alioquin, ut par erat, misissemus qui consolarentur te, & gratularentur de sedis tuæ restitutione. Ne ob id ergo succenseas: nam quod tunc defuit, cumulatissime impletum est.

Didicimus præterea, esse nonnullos schismaticos inter vos, qui non dormiunt, sed frustra laborant, & diabolicum certamen moliuntur, juxta prophetam dicentem: *Dissipati sunt, nec compuncti*: ita ut abri- *Ps.* 34 15.
D piant & abducant in suas partes quosdam e simplicioribus. Et quantum gavisi sumus de tua restitutione, qua te restituit Deus, & de unione facta ecclesiæ, tantum de schismaticorum illorum perditione doluimus.

At, ut te novimus, insita tibi sapientia & prudentia, data tibi a Deo gratia (quid enim habes quod non accepisti?) nec gloriaris, quasi non acceperis: stude omnes tibi conciliare: & eos qui sunt elongati a te ac dispersi, viscera eis plenæ humanitatis aperiens & commiserationis benignitate circumplectens, colligere ne dedigneris: ut quemadmodum sanctus Papa Leo E Magnus scribit, eos qui quærunt humiliari coram Deo, & concordes nobiscum esse desiderant, suscipiamus: adversus eos autem qui sunt duro corde, obdurescamus. Similiter & his qui pœnitentiam quærunt, quæ lapsos erigit, manum adjutricem porrigamus. Neque enim pœnitentibus desperatio est; neque petentibus misericordiam confusio est.

Quapropter fraternitatem tuam rogamus, ut Christi mores imitando, & humilitatem ejus, quam sustinuit propter generis nostri salutem, ne turpe ducas in synodo præ-

prædicare Dei erga te misericordiam & opem, & sanctissimæ Romanæ ecclesiæ patrocinium; & laborem, quem pro tenero suo affectu erga te & amore sustinuit, persuadens omnibus, ut in concordia tecum essent, & approbatione nostra: quandoquidem quidquid ab ipsa petisti, accepisti. Et sicut ipsa consuevit opem ferre omnibus injuste patientibus, neque tu tali ipsius auxilio caruisti: sed adjuvante Deo & hujus ecclesiæ labore & cura in sedem tuam es restitutus. Patrocinii autem quod præbere soles, & commiserationis, quam rebus ipsis quotidie ostendens in omnes, famam ipsius extendis, cave obliviscaris, sed hanc semper retine. Cave quemquam amittas, aut a visceribus misericordiæ repellas eos, qui usque in hunc diem unionem cum tua reverentia & concordiam respuerunt: sed laborem potius ac certamen suscipe: tum doctrinis & sermonibus, ac longanimi adhortatione; tum hilari benignoque vultu: ut secundum Apostolum aut omnes aut certe plures lucrari studeas, & tibi adjungere, ac per te Deo. Accedentibus autem illis ad te & per te ad Deum, acceptum tibi sit recipere eos sacerdotales honores, & suas ecclesias. Et quemadmodum spiritalis filius noster & Christianissimus Romanorum Imperator Basilius pro te nos rogavit; & nos obsequentes rationabili & justæ ac Deo gratæ petitioni ejus eodem modo cum tua reverentia egimus, teque adhortati sumus, ut ignosceres his, qui a te fuerant abalienati: sed ex animo redeuntes tua pietas honote aucta apertis manibus dignetur excipere: ut omnes decenter concordes & consentientes in tuam reversionem & restitutionem sedis, convenientes in unum communem lætitiam, & diem festum, & exsultationis solemnitatem peragamus.

Hoc autem rogamus, etiam, ut fraternitas tua nobiscum decernat, ne posthac e laicis quisquam repente ad summam Pontificatus sedem evehatur, quæ tremenda est, & jus apud Deum intercedendi obtinet: sed per gradus & ordine ad ministerium progrediens, & convenientem in uniuscujusque gradus ascensu virtutem ostendens, sic demum Pontificalis sedis consecrationem obtineat. Nam qui aliter agit, contra ecclesiasticos nostros canones facit. Et volumus hanc consuetudinem sane improbandam, quæ ab initio in ecclesia vestra inventa est, deinceps abolitam permanere. Hoc autem dicimus juxta canonem editum a synodo, temporibus Hadriani sanctissimi Papæ, & Tarasii felicis recordationis patriarchæ Constantinopolitani.

Synodum vero, quæ contra tuam reverentiam ibidem est habita, rescidimus, damnavimus omnino, & abjecimus: tum ob alias causas, tum quod decessor noster beatus Papa Hadrianus in ea non subscripsit. Cetera autem ecclesiastica negotia, quæ vestra tractavit epistola, in commonitorio scripsimus, in quo etiam omnes subscripsimus pro te suscipiendo, dedimusque Petro reverentissimo presbytero & legato nostro, misimusque Eugenio & Paulo reli-

A Θεοῦ ἔλεος, καὶ τὴν βοήθειαν, καὶ τῆς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας τὸν ὑπερασπισμὸν, καὶ τὸν κόπον ὃν ὑπὲρ τῆς ἀγαπητικῆς διαθέσεως καὶ φίλτρου κατεβάλλετο, πληροφορῶν ἅπαντας ἐν τῇ ὁμονοίᾳ τῇ πρὸς ὑμᾶς καὶ τῇ ἡμετέρᾳ συγκαταθέσει. ὅτι καθὼς ᾐτήσω παρ' αὐτῆς, καὶ ἔλαβες. καὶ ὡς ἔστιν ἔθος αὐτῇ βοηθεῖν πᾶσι τοῖς ἀδίκως τι πάσχουσιν, οὐδὲ αὐτὸς τῆς παρ' αὐτῆς βοηθείας ἠμοιρήσας· ἀλλὰ τῇ συνεργίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῷ ταύτης μόχθῳ καὶ ἀγῶνι εἰς τὸν θρόνον σου ἀποκατέστης. τῆς δὲ ἐξ ἔθους σοι βοηθείας καὶ συμπαθείας, ἣν δι' αὐτῶν τῶν ἔργων καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιδεικνύμενος εἰς πάντας, τὸν ἦχον αὐτῆς ἐκπέμπεις, μὴ ἐπιλανθάνου, ἀλλ' ἔχου αὐτῆς,

B καὶ * μηδένα ἀζημιωθῇς, μηδὲ ἐκ τῶν σπλάγχνων τοῦ ἐλέους ἐξωθήσῃς, οἵτινες ἕως τοῦ παρόντος οὐκ ἠθέλησαν τὴν ἕνωσιν τὴν πρὸς τὴν σὴν εὐλάβειαν, οὐδὲ ὁμοφρονῆσαι· μᾶλλον δὲ μόχθον καὶ ἀγῶνα καταβαλοῦ, τοῦτο μὲν διδασκαλίαις, καὶ λόγοις, καὶ μακροθύμῳ παραινέσει, τοῦτο δὲ ἱλαρῷ καὶ προσηνεῖ τῷ ὄμματι· ἵνα κατὰ τὸν ἀπόστολον ἢ τοὺς πάντας, εἰ τούς γε πλείονας σπεύσῃς κερδῆσαι, καὶ σεαυτῷ προσαγαγεῖν, καὶ διὰ σεαυτοῦ τῷ Θεῷ. ἐρχομένων δὲ αὐτῶν πρός σε, καὶ διὰ σοῦ πρὸς τὸν Θεὸν, ἀπολαμβάνειν αὐτοὺς * εὐδόκησας τάς τε ἱερατικὰς τιμὰς καὶ τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν. καὶ καθ' ὃν τρόπον ὁ πνευματικὸς ἡμῶν υἱὸς καὶ χριστιανικώτατος βασιλεὺς Βα-

C σίλειος περὶ σοῦ ἠξίωσεν ἡμᾶς· καὶ εἴκοντες τῇ εὐλόγῳ καὶ δικαίᾳ καὶ Θεῷ ἀρεσκούσῃ ἀξιώσει αὐτοῦ πεποιήκαμεν μετὰ τῆς εὐλαβείας σου· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ σὲ παρεκαλέσαμεν μὴ μνησικακῆσαι εἰς τοὺς μακρυνθέντας ἀπὸ σοῦ· ἀλλ' ὑποστρέφοντας ὁλοψύχως καὶ ἡ σὴ ἐν τιμῇ γνωριζομένη εὐλάβεια ὑπτίαις χερσὶν ὑποδέξασθαι * κατανεύσατο· ἵνα πάντες αἰσίως ὁμονοήσαντες καὶ ὁμοψυχήσαντες εἰς τὴν σὴν * ἐπάναστρον καὶ ἀποκατάστασιν τοῦ θρόνου, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνελθόντες, κοινὴν εὐφροσύνην καὶ ἑορτῆς ἡμέραν, καὶ ἀγαλλιάσεως πανήγυριν ἐκτελέσωμεν.

Καὶ τοῦτο δὲ ἀξιοῦμεν τὴν σὴν ἀδελφότητα σὺν ἡμῖν θεσπίσαι, ἵνα ἀπὸ τοῦ παρόντος ἐκ λαϊκῶν

D μηδεὶς ἀθρόον ἐπὶ τὸν μέγαν τῆς ἀρχιερωσύνης θρόνον, ὅς ἐστι φοβερὸς, καὶ Θεοῦ μεσιτείαν ἐπέχων, ἀναβιβάζηται· ἀλλὰ κατὰ βαθμὸν καὶ τάξιν εἰς τὴν ὑπηρεσίαν προβαίνων, καὶ τὴν οἰκείαν καθ' ἕκαστον βαθμὸν * . . . . . . ἐπιδεικνύμενος ἀρετὴν, οὕτως τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου τὴν καθίδρυσιν λαμβάνῃ. ὁ γὰρ ἑτέρως ἀγόμενος, ἐναντίον τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡμῶν κανόνων ποιεῖ. καὶ βουλόμεθα τοῦτο τὸ ἔθος, ὅπερ οὐκ ἔστιν αἴσιον ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ καθ' * ἡμᾶς ἐκκλησίᾳ εὑρημένον ἀπὸ τοῦ νῦν ἄπρακτον διαμένειν· τοῦτο δὲ λέγομεν κατὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκτεθέντα τῇ συνόδῳ ἐν τοῖς καιροῖς Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα, καὶ Ταρασίου τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ

E μνήμῃ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως.

Τὴν δὲ γενομένην κατὰ τῆς σῆς εὐλαβείας σύνοδον ἐν τοῖς αὐτόθι ἠκυρώσαμεν, καὶ ἐξωστρακίσαμεν παντελῶς, καὶ ἀπεβαλόμεθα, διά τε τὰ ἄλλα, καὶ ὅτι ὁ πρὸ ἡμῶν μακάριος πάπας Ἀδριανὸς οὐχ ὑπέγραψεν ἐν αὐτῇ. τὰ δὲ λοιπὰ πάντα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, ὅσα διηγόρευσεν ἡ ἐπιστολὴ * ἡμῶν, ἐν κομμονιτορίῳ γράψαντες, ἐν ᾧ καὶ πάντες ὑπεγράψαμεν εἰς τὴν σὴν ἀποδοχὴν, καὶ ἐπιδεδωκότες Πέτρῳ τῷ εὐλαβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδηνάλι καὶ τοποτηρητῇ ἡμῶν, ἀπεστείλαμεν τοῖς

περὶ

περὶ Εὐγενίου καὶ Παύλου θεοσεβεστάτοις ἐπισκόποις καὶ τοποτηρηταῖς ἡμῶν· ἵνα τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον ἔχοντες πρὸ ὀφθαλμῶν, καὶ τὴν συνείδησιν αὐτῶν ἀνεπιθόλωτον σωτηροῦντες, πάντα πρὸς τὸ συμφέρον τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ σὺν ὑμῖν διοικήσωσι. Θεός σε διαφυλάξαι εἰς τέλος, ἀδελφὲ ἀγαπητὲ, ὁσιώτατε, καὶ συλλειτουργέ.

Καὶ μετὰ τὸ ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν, Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην εἶπεν· ἐρωτῶμεν τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, στέργεις πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῇ ἐπιστολῇ καὶ ἀποδέχῃ; Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ὅσα τῷ αἰσίῳ καὶ ἐνθέσμῳ λόγῳ περιέχεται, καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν * ἀρέσκει μετριότητα τὸ ἔργον αὐτῆς καὶ τὸ τέλος, καὶ στοργῆς καὶ ἀποδοχῆς ἄξια νομίζομεν.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπε· θεωρεῖς, ἁγιώτατε πατριαρχῶν, ὅτι ἡ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ἐπιστολὴ παραινεῖ, ἵνα πάντες οἱ διεσπαρέντες ἐπίσκοποι ἐπισυναχθῶσι, καὶ τύχωσιν ἐλέους καὶ συμπαθείας παρὰ τῆς σῆς ἁγιωσύνης. καὶ οἱ μὲν προχειροτονηθέντες ἀπολάβωσι τοὺς οἰκείους θρόνους· χολαζόντων δηλονότι τῶν ἑκάστου χειροτονηθέντων, καὶ λαμβανόντων ἐκ τῶν αὐτῶν ἐκκλησιῶν διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, ἕως ἂν καὶ εἰς τοὺς αὐτοὺς θρόνους, εἴτε εἰς ἑτέρους, διοικηθῶσι. Ὅσοι εἰσὶν ἐν ἐξορίᾳ παντὶ τρόπῳ, ἵνα εἰσέλθωσι, καὶ νουθετηθῶσιν σωθῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· καὶ ἄλλοτε εἴπον ὑμῖν, ὅτι δύο μόνους ὁ βασιλεὺς ὑπερορίους ἐποιήσατο· καὶ τούτους οὐ διὰ ἐκκλησιαστικάς τινας αἰτίας· ἀλλὰ τὸν μὲν, ὡς πολιτικῶν θορύβων καὶ πραγμάτων φωραθέντα αἴτιον· τὸν δὲ, ὡς καὶ αὐτὸν μεταχόντα μὲν τῆς τοιαύτης αἰτίας, τὸ δὲ μέγιστον ἀπυλώτῳ στόματι καὶ ἀχαλινώτῳ γλώσσῃ ἐνυβρίσαντα δημοσίως, καὶ πολλῶν ἐν ὄψει εἰς τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην. πλὴν ἐπεὶ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἐκλιπαροῦμεν τὸ ὑψηλὸν κράτος τῆς μεγάλων βασιλέων ἡμῶν, καὶ ἐλπίζομεν ὡς ἐπικλιθῆναι ἔχει ταῖς αἰτήσεσιν ἡμῶν, εἰς τὸ κἀκείνους ἐνταῦθα παραγενέσθαι, καὶ τῆς παρ' ὑμῶν νουθεσίας ἀξιωθῆναι.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπε· καὶ τοῦτο δὲ γέγραπται ἐν τῷ κομμονιτορίῳ ἡμῶν, ὅπως ἐν τῇ τῆς Βουλγάρων χώρᾳ μήτε ὠμόφορον ἀποστείλητε, μήτε χειροτονίαν ποιήσητε. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἡμεῖς ἀεὶ τῆς ἀγάπης ὄντες καὶ τῆς εἰρήνης ἐρασταὶ, καὶ ταυτὶ πάντα χαρίζεσθαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τὰ οἰκεῖα μέλη προθυμίᾳ καὶ ἐπιμελείᾳ ἔχοντες· καὶ μηδὲν ἐπιῤῥέπως, μηδὲ ἀπερισκέπτως πράττειν εἰωθότες, ἐπὶ τῆς ἐπιστολῆς τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ καὶ πνευματικοῦ πατρὸς ἡμῶν, ὅτε πάλαι, ὅτε νῦν, καί τοι διηνεκολογίας ἴσως καὶ τῆς πρὸς ἑτέρους μιμήσεως πάντα ἡμῖν εἰς κράτος ἐγχειρίζουσης, ἤδη τοσοῦτον χρόνον ἐν τῷ ἀρχιερατικῷ θρόνῳ διανύοντες, οὔτε ὠμόφορον χειροτονίας ἀπεστείλαμεν· οὐ μὴν ἀλλ' οὐδὲ χειροτονίας τινὰς ἐποιησάμεθα, ἀεὶ τῆς ἀγάπης καὶ τῆς εἰρήνης, ὥσπερ ἔφημεν εἰπόντες, τὸν θεῖον σωδιασώζοντες ἔρωτα, καὶ τὰ οἰκεῖα ἕτοιμοι ὄντες, ὅσον εἰς ἡμᾶς ἀνῆκε γνώμην, δεσμῶν παλαιῶν οὐ λυομένων, τοῖς φίλοις χαρίζεσθαι. τί γὰρ ἂν εἴη πλατυσμὸς ὁρίων, τῆς θεσ-

A gioſſimis epiſcopis & legatis noſtris: ut Dei timorem præ oculis habentes, & ſuam conſcientiam immaculatam conſervantes, omnia pro uulitate eccleſiæ veſtræ vobiſcum digerant. Deus te cuſtodiat uſque in finem, frater cariſſime, & ſanctiſſime comminiſter.

ANNO CHRISTI 879.

Poſt lectam epiſtolam, Petrus religioſiſſimus presbyter cardinalis, Photio ſanctiſſimo patriarchæ dixit: Quærimus a veſtra ſanctitate: Acquieſcis omnibus quæ ſcripta ſunt in hac epiſtola, & ea ſuſcipis? Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Cuncta fauſto ac legitimo ſermone concluduntur: & noſtræ placet mediocritati ad effectum ea & finem perduci: & dignam cenſemus epiſtolam, quæ diligatur & ſuſcipiatur.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Vides, ſanctiſſime patriarcharum, ſanctiſſimi Papæ Joannis epiſtolam adhortari, ut omnes diſperſi epiſcopi congregentur, obtineantque miſericordiam & commiſerationem a tua ſanctitate. Et qui prius quidem fuerunt ordinati, recipiant ſuas ſedes; vacantibus ſcilicet iis qui ſunt poſterius ordinati, & accipientibus ab iiſdem eccleſiis alimenta & quibus tegantur, donec aut in iiſdem ſedibus aut in aliis inſtituantur. Et quicumque in exſilio degunt omnino, ut ingrediantur ad nos, & admoneantur uniri cum eccleſia.

Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Et alias dixi vobis, duos dumtaxat ab Imperatore miſſos fuiſſe in exſilium; neque hos quidem ob cauſas eccleſiaſticas; ſed alterum ex his, quoniam deprehenſus eſt civilium tumultuum ac turbarum auctor: alterum, ut conſortem ejuſdem criminis: quod vero potiſſimum eſt, quoniam ore effreni & liberiore lingua contumelioſus palam fuit, & multis ſpectantibus, in ſanctiſſimum Papam Joannem. Sed quandoquidem jubet ſanctitas veſtra, deprecabimur ſublime Imperium magnorum Imperatorum noſtrorum: & ſperamus fore, ut poſtulationibus noſtris flectatur, ut & illi huc adveniant, & noſtram commonitionem excipiant.

Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Etiam iſtud in commonitorio noſtro ſcriptum eſt: ut in Bulgarorum regione neque pallium mittatis, neque ordinationem faciatis. Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Nos ſemper amatores caritatis & pacis, etiam hæc ipſa largiri, ſi fieri poteſt, & propria membra cum omni alacritate & diligentia volentes, nihil ex animi propenſione aut inconſiderate facere ſoliti; etiam ante epiſtolam ſanctiſſimi Papæ Joannis fratris & comminiſtri & ſpiritalis patris noſtri, neque olim, atque etiamnum, (tametſi juſtitia fortaſſis & aliorum exemplum omnia noſtræ poteſtati committat:) exacto in patriarchali ſede tanto jam tempore, neque pallium ordinationis miſimus, neque ordinationes aliquas fecimus: ſemper caritatis & pacis, ut ſupra diximus, divinum amorem cuſtodientes, & propria parati, quantum ad noſtram ſententiam attinet, ſalvis legibus antiquis, amicis elargiri. Ecquid enim eſt aliud prorogatio finium, ubi lex nulla co-

ANNO CHRISTI 879.

—git, nisi majoris solicitudinis & laboriosi accessio?

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Recte cogitas, & recte facis: & propterea caritatem servas sinceram, quoniam caritas omnia vincit. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Nos olim etiam beatissimo Papæ Nicolao sedes quasdam ac diœceseos poscenti, sic respondi per epistolam: Quod sedes quas requirit sanctitas tua, continentur sub principatu Imperatoris Orientis. Si vero meæ in Domino caritatis latitudo, nec Imperatoriis obnoxia esset oraculis, neque alia me canonica causa impediret, haberem autem & subjectum sacerdotium in hoc consentiens; non quas dicis Romanæ sedi subditas fuisse aliquando, sed & quæ nusquam subjectæ fuerunt, etiam paratus essem, quantum amicitiæ tuendæ expedit, poscenti tibi præbere. Nam vera amicitia non quærit quæ sua sunt, sed proximi voluntati obsequi.

Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Speramus per misericordiam Dei & per sanctam orationem domini ac Pontificis nostri, fore ut omnes gentes subdantur pio imperio a Deo electorum magnorumque Imperatorum nostrorum. Quo facto, tunc ut jusserit fortissimum eorum Imperium, conscribet ordines, & dabit unicuique proprias diœceses immutabiles, decretum confirmante synodo quæ tunc fiet, qua ratione illas divina voluntas digesserit.

Gregorius Dei amantissimus archiepiscopus Ephesi, dixit: Sermo de diœcesibus non habet nunc locum, cum in unius moris imperium non redactæ sint omnes pontificales. Cum autem ea res divino nutu perfecta fuerit, ut speramus sub magno & celsissimo Imperatore nostro fore, tunc de diœcesibus disceptationi locus erit: & donari & compensari unicuique pontificali sedi licet, si proximus velit. Sancta synodus dixit: Omnes sic diximus: non ad distinguendas diœceses congregata hæc synodus est: hæc alio tempore exquirenda.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis Apostolicæ sedis dixit: Sanctissimus & œcumenicus Papa Joannes interrogat vos per nos servos ejus, quomodo ascendit nunc dominus Photius sanctissimus patriarcha in sedem suam. Dicimus enim non jure factum esse, ut ante adventum nostrum ascenderet. Elias religiosissimus presbyter & legatus Hierosolymorum dixit: Tres Orientis patriarchales sedes semper patriarcham ipsum habuerunt. Qui sunt Constantinopoli episcopi & sacerdotes, paucis exceptis, patriarcham ipsum habent. Quid ergo prohibebat, quominus ipse rediret?

Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt: Fratres, dicite vos, quomodo ascendit? Sancta synodus dixit: Consensu trium sedium pontificalium, quemadmodum sanctissimus Elias dixit: deinde adhibita adhortatione plurima & supplicatione: in primis autem, ut vere dicam, vi magna illata ei a celsissimis & Christianissimis Imperatoribus

ANNO CHRISTI 879.

ριεμοθεσίας ὑ σωναναγκαζύσης, ἀλλ' ἡ αὔξησις φρονTίδος, ᾗ προθήκη μείζονος μερίμνης ᾗ ἐπιπονωτέρας;

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος ᾗ καρδηνάλις εἶπε· καλῶς ἔγνως, ᾗ καλῶς ποιεῖς· ᾗ διὰ τοῦτο τὴν ἀγάπην σωτηρεῖς ἀνόθευτον, ὅτι ἡ ἀγάπη πάντα νικᾷ. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἡμεῖς ᾗ πάλαι τῷ μακαριωτάτῳ πάπα Νικολάῳ θρόνους τινὰς ᾗ οἰκείας αἰτησαμένῳ ἔπως ἀντεῖπον τῷ γράμματι· ὅτι τοὺς θρόνους, οὓς ἐπιζητεῖ σου ἡ ἁγιωσύνη, τῇ τῆς βασιλικῆς ἀνατολῇ συμπεριέχονται ἀρχῇ. εἰ δὲ τὸ τῆς ἐμῆς ἐν κυρίῳ ἀγάπης πλάτος, μὴ ταῖς βασιλικαῖς ἐσχοχωρεῖτο ἀνάγκαις, μηδέ τις ἄλλη με κανονικὴ ἀνεχαίτιζε δίκη, εἶχον δὲ ᾗ τὸ ὡσαυτελῶν ἱερατικὸν συμπλήρωμα ἐπὶ τούτῳ· ἔχ ὅστινας λέγεις ὡσὰν τὸν Ῥώμης θρόνον τελέσαι ποτὲ, ἀλλὰ ᾗ οἳ μηδέποτε ὑπ' ἐκεῖνον γεγόνασι, ᾗ τούτους ἕτοιμος ἂν κατέσην, ὅσον εἰς φιλίας ἀνήκει διάθεσιν, αἰτουμένῳ σοι παρασχεῖν. ᾗ γὰρ ἡ ἀληθὴς φιλία ὑ ζητεῖ τὸ ἑαυτῆς, ὡς τὸ τοῦ πλησίον ἐκτελεῖν θέλημα.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἐλπίζομεν εἰς τὴν εὐσπλαγχνίαν τοῦ Θεοῦ ᾗ εἰς τὴν ἁγίαν δέησιν τοῦ δεσπότου ᾗ ἀρχιερέως ἡμῶν, ὅτι πάντα τὰ ἔθνη ὑποταγῆναι ἔχουσι τῷ εὐσεβεῖ κράτει τῆς θεοπροβλήτων ᾗ μεγάλων βασιλέων ἡμῶν· ᾗ τότε χρυσοβούλλῳ τόμῳ, ὡς κελεύει ἡ κρατιστότη αὐτῆς βασιλεία, ποιεῖ ταχτικὰ, ᾗ ἀποδίδωσιν ἑκάστῳ τὰς οἰκείας οἰκήσεις ἀμεταθέτους, τῆς κατὰ καιροὺς ἐπιψηφιζομένης συνόδου, καθὼς ἂν αὐτὸς ἡ θεία καθοδηγήσειε βουλή.

Γρηγόριος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Ἐφέσου εἶπεν· ὁ περὶ οἰκοιῶν λόγος οὐκ ἔχει νῦν χώραν, μὴ συγκεφαλαιουμένων εἰς μίαν βασιλείαν ὁμοιόσχημον πάντων τῆς ἀρχιερατικῶν θρόνων· τῆς δὲ θείας νεύσεως τοῦτο τελεύσης, ὅπερ ἐλπίζομεν ἐπὶ τοῦ μεγάλου ᾗ ὑψηλοῦ βασιλέως ἡμῶν χρυσοῦσθαι, τότε ᾗ ἡ περὶ τῆς οἰκοιῶν διαμολογία χώραν ἕξει, ᾗ δωρεῖσθαι ᾗ ἀντιδωρεῖσθαι ἑκάστῳ ἀρχιερατικῷ θρόνῳ ἔξεστι, βουλομένῳ τῷ πλησίον. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· πάντες ὅπερ λέγομεν. οὐκ ἐπὶ τῷ διαστέλλειν οἰκοιῶν ἡ ἁγία σύνοδος αὕτη συνηθροίσθη. ταῦτα καιροὺς ἕτερος δοκιμάσει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος ᾗ καρδηνάλις τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἔφη· ὁ ἁγιώτατος ᾗ οἰκουμενικὸς πάπας Ἰωάννης ἐρωτᾷ ὑμᾶς διὰ ἡμῶν τῶν δούλων αὐτοῦ, πῶς ἀνῆλθεν ὁ κύριος Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης νῦν εἰς τὸν θρόνον αὐτοῦ. λέγομεν γὰρ ὅτι οὐκ ἦν καλὸν πρὸ τῆς ἐλεύσεως ἡμῶν ἀνελθεῖν αὐτόν. Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος ᾗ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· τὰ τρία τῆς ἀνατολῆς πατριαρχεῖα ἀεὶ πατριάρχην αὐτὸν εἶχον· οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀρχιερεῖς ᾗ ἱερεῖς μικροῦ πάντες πατριάρχην αὐτὸν ἔχουσι· ᾗ τί ἐκώλυε τοῦ ἀνελθεῖν αὐτόν;

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀδελφοὶ, εἴπατε ὑμεῖς, πῶς ἀνῆλθεν; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· συμφωνίᾳ τῶν τριῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων, καθάπερ ὁ ἁγιώτατος Ἠλίας ἔφη· ἔπειτα δὲ παραινέσει πολλῇ ᾗ παρακλήσει, μᾶλλον δὲ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, βίᾳ μεγάλῃ τῶν ὑψηλῶν ᾗ χριστιανικωτάτων βασιλέων ἡμῶν, ᾗ πρὸ τῆς

βίας,

βίας, συμφωνίᾳ καὶ ἱκεσίᾳ πάσης τῆς τοῦ Θεοῦ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπε· μὴ τυραννικῶς ἀνῆλθον; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· τυραννίδος καὶ παρακλήσεως πολὺ τὸ διάφορόν ἐστιν. εἴπομεν ὑμῖν καὶ πρότερον, ὅτι παραινέσει καὶ παρακλήσει πάντων ἡμῶν, καὶ συμφωνίᾳ τῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων. καὶ τίνα χώραν ἔχει ἡ περὶ τῆς τυραννίδος ἐρώτησις; τυραννὶς πόθον οὐ ποιεῖ· τυραννὶς ἀγάπλω ὁ κρατυνοῖ· σύνωσις εἰλικρινὴς τῆς ἐκκλησίας τυραννίδα οὐ γνωρίζει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηναλις εἶπεν· εὐλογητὸς ὁ Θεός, ὅτι καθὼς καὶ διὰ τῶν γραμμάτων ὑμῶν ἐδηλώθη τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ Ἰωάννῃ, περὶ τῆς ὁμονοίας καὶ συμφωνίας, ἧς ἔχετε πρὸς τὸν κύριον Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, οὕτω καὶ θεωροῦμεν σήμερον τοὺς λόγους διὰ τῶν ἔργων βεβαιουμένους. καὶ τῷ Θεῷ εὐχαριστοῦμεν, ὅτι τῇ ἐκκλησίᾳ σιωθεῖτε ἐν ἑνὶ πνεύματι καὶ μιᾷ πίστει δοξάζεται τὸ πανάγιον αὐτοῦ ὄνομα. ἡ ἁγία συνοδος εἶπε· χάριτι Χριστοῦ καὶ συνεργίᾳ τῶν ὑψηλῶν καὶ μεγάλων βασιλέων ἡμῶν, καὶ διὰ εὐχῶν τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου Φωτίου, πάντα ῥᾴδια τὰ καθ' ἡμᾶς ἐγένοντο. μία ποίμνη ἐσμὲν, εἷς ποιμὴν, ὁμόνοια ἐν Χριστῷ μία, ἓν σῶμα πάντες, ἐν Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν συναρμολογούμενοι καὶ συμβιβαζόμενοι· καὶ ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου Φωτίου ποιμαινόμενοί τε, καὶ εἰς τὰς τοῦ κυρίου ἐντολὰς καθοδηγούμενοι.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἐπεὶ δὴ ἠρώτησεν ὑμῶν ἡ ἁγιωσύνη, πῶς ἀνήλθομεν· προλαβόντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοὶ ἡμῶν πρὸς τὴν ἐρώτησιν ἀπέδοντο τὴν ἀπόκρισιν, πλὴν καὶ ἡμεῖς ἐν κυρίῳ λέγομεν, καί μοι μηδεὶς ἀπιστείτω· κρίτην τῆς ἀληθείας οὐ τὴν ἐμὴν γνώμην, ἀλλὰ τὸ ἑτέρων ποιούμενος βούλημα. ὡς οὐδέποτε τοῦ θρόνου τούτου ἐν ἐπιθυμίᾳ γέγονα, τοῦτο τῶν μὲν παρόντων ἀδελφῶν καὶ συλλειτουργῶν ἡμῶν, ἢ οἱ πάντες, ἢ οἵ γε πλεῖστοι, συνεπίστανται· καὶ ὑμῖν δὲ τοῖς ἁγιωτάτοις τοποτηρηταῖς μὴ κατασῇ τὸ ῥῆμα ἀμφιδοξούμενον. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ πρώην μετὰ δακρύων μὲν πολλῶν, ἀναβολῆς δὲ παντοίας καὶ βίας ἀπαραιτήτου εἰς τὸν ἀρχιερατικὸν τοῦτον ἀνῆλθον θρόνον. τοῦ μὲν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν βασιλεύοντος τὸ τῆς ἀνάγκης ἀδυσώπητον ἐπάγοντος, ἔτι δὲ καὶ τῶν παραδωσαδιόντων· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ἀρχιερέων καὶ ἱερέων, ἐμοῦ * μηδενὸς ἂν αἰσθήσει τῶν δρωμένων γινομένου, ταῖς ὁμοφώνοις ψήφοις, καὶ ταῖς κοιναῖς χειρογραφίαις τὴν βασιλικὴν συνεπιχυόντων τε καὶ κραταιούντων βίαν. διὸ καὶ φύλαξι παραδοθεὶς ἐτηρούμην, καὶ ὅπως ἐκεῖθεν ἄκων καὶ ἀποδυρόμενος εἰς τοῦτον τὸν θρόνον ἀνεβιβάσθην.

Ἔτι δὲ λέγοντος ταῦτα Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησε· τοῦτο οἰκείοις ὀφθαλμοῖς ἐθεασάμεθα οἱ πλείονες ἡμῶν· καὶ ὅσοι μὴ ἑωράκασι, ἀπὸ τῶν ἑωρακότων τότε μέχρι νῦν τῆς φήμης ἀκμηνομήτου διακρατούσης ἀνεμαθομέν τε καὶ ἀκριβῶς ἐπισάμεθα, ὅτι ὅπως ἐγένετο.

Πάλιν δὲ Φωτίου ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης τῶν αὐτῶν ἐχόμενος λόγων ἐπέφερεν· ἀλλὰ τότε μὲν, ὡς ἔφην, ὅπως ἐπράχθη, καὶ ἡ πάντων βία τὴν καθ' ἡμῶν ἐπισθὴν κρίσιν. μετὰ ταῦτα δὲ οἷς ὁ Θεὸς

A nostris: & ante hanc vim, consensu & precibus totius Dei ecclesiæ Constantinopolitanæ. ANNO CHRISTI 879.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: An tyrannice ascendit? Sancta synodus dixit: inter tyrannidem & supplicationem plurimum interest. Diximus vobis jam antea: adhortatione & supplicatione omnium nostrum, & consensu Pontificalium sedium. Et quorsum de tyrannide interrogamur? Tyrannis desiderium non creat: tyrannis caritatem non corroborat: Unio sincera ecclesiæ tyrannidem non agnoscit.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Benedictus Deus, quod quemadB modum per litteras vestras certior factus est sanctissimus Papa Joannes de concordia & consensione vestra erga dominum Photium sanctissimum patriarcham, sic & hodie intuemur sermones rebus ipsis confirmatos. Et gratias agimus Deo, quod ecclesiæ vobis unitis in uno spiritu & una fide glorificatur sanctum nomen ejus. Sancta synodus dixit: Per gratiam Christi & auxilium celsissimorum & magnorum Imperatorum nostrorum, & per preces sanctissimi nostri patriarchæ Photii, omnia facilia nostris temporibus facta sunt: unum ovile sumus, unus pastor, concordia *Ephes. 4. 6.* in Christo una: unum corpus omnes in Christo vero Deo nostro compacti & connexi, C sanctissimo atque œcumenico patriarcha Photio pascente nos & ad Domini mandata deducente.

Photius sanctissimus patriarcha dixit: Quandoquidem interrogavit sanctitas vestra, quomodo ascendimus; prævenientes autem fratres & comministri nostri ad interrogationem dedere responsum; nihilominus & nos in Domino dicimus, neque mihi quisquam non credat, arbitrium veritatis non sensum meum, sed aliorum consilium statuens: Ut nunquam hanc sedem desideravi. Hoc quidem coram fratribus & comministris nostris, qui vel omnes vel plurimi conscii sunt: vobis autem sanctissimis D legatis ne exhibeatur verbum ambiguum. Propterea enim etiam nuper cum profusis lacrymis, omnimoda cunctatione, & vi indeprecabili in hanc Pontificalem sedem ascendi; eo qui tunc temporis imperabat, mihi necessitatem inexorabilem imponente: ac præterea illis qui secundam habebant potestatem, deinde etiam episcopis ac sacerdotibus (me nequaquam conscio) eorum quæ gerebantur,) concordi suffragio, & communi subscriptione vim ab Imperatore illatam corroborantibus & confirmantibus. Itaque & custodibus traditus observabar: & sic inde invitus ac lugens in hanc sedem conE scendi.

Adhuc hæc dicente Photio sanctissimo patriarcha, sancta synodus exclamavit: Hoc ipsis oculis vidimus plerique nostrum; & qui non viderunt, ab his qui viderunt, fama hactenus immutabili prævalente, didicimus ac diligenter novimus, rem ita gestam esse.

Rursum vero Photius sanctissimus patriarcha, eumdem prosequens sermonem, intulit: Sed tunc quidem, inquit, ita gesta res est: & publicæ violentiæ commissum est de me judicium. Postea vero

ANNO CHRISTI 875.

his quæ Deus novit judiciis cum e sede me eppulerunt, numquid adversus quamquam excitavi tumultum, aut mihi ipse eam iterum vindicare proposui? Non meis curis commisi illius restitutionem: sed gratias Deo agere perseverans, acquievi, & patienter tuli quæ ille definivit & dispensavit: neque tumultus ciens, neque Imperatorias aures fatigans: neque mihi desiderium sedis ullum inhæsit: verum etiam neque, si vellem, spei quidquam reliquum erat. Sed qui Dominus eorum est qui deserti sunt a fratribus, & rex misericordiæ, qui supra omnem cogitationem replet bonis eos qui sunt omni spe destituti, ipse disposuit celsissimum magnumque Imperatorem nostrum, non erga nos fortassis, sed erga numerosam & innumerabilem Christi plebem, ut viscera misericordiæ & commiserationis assumeret; & jam omni nostra spe desperata, ut ita dicam, neque interveniente amici consolatione, neque alia cura diligentiave adhibita, placuit ei ex illo nos exsilio revocare, & præter omnem humanam æstimationem, & omnem spem terrenam, ex multa misericordia & magna benevolentia inducere in civitatem. Quamdiu quidem vixit beatus Ignatius: (nam beatum illum prædicamus, quandoquidem amicitiam cum illo adhuc superstite coluimus: nec sane hanc aliquando denegavimus, absit:) sed quamdiu, ut dixi, superstes in vita fuit, noluimus omnino sedem recipere; quamvis multi essent, qui non modo nos cohortarentur, sed etiam adhibita vi cogerent; & quod majus est omnibus, captivitas, & persecutio, & exsilium, quæ mala perferebant fratres & comministri nostri: tamen id noluimus admittere, ut norunt omnes, qui una hic præsentes adsunt.

Sancta synodus dixit: Vere sic se res habet. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Contra vero pacem cum ipso fovere & stabilire omni via ac ratione conati sumus: quæ pax in palatio patuit ipso ad nos accedente; procidentibus nobis ad pedes invicem; & si quid alter peccasset in alterum, horum venia ab utroque impetrata. Posthæc ex morbo cum ille decumberet, nostramque præsentiam desideraret, non semel iterumque, sed sæpius illum invisens adfui: & quantum in me fuit, ipso hoc rogante, ad morbum levandum adjumento fuimus. Si quid autem sermo consolationis afferre auxilii potuit, & hanc ei certe curationem adhibui: adeo ut tandem certam de nobis persuasionem concipiens, homines sibi maxime familiares nostræ fidei commendaret, ut post excessum illius e vita eorum consuleremus incolumitati & saluti: id quod etiam cum Dei ope præstitimus: neque quisquam amicorum ejus objicere possit hanc illius supremam circa ipsos curam ac dispositionem. Postquam autem ille ex humanis recessit, statim Christi amans & magnus noster Imperator, primum quidem per quosdam magis fideles meam perscrutatus est voluntatem: deinde vero aperte per suos patricios consilium suum manifestavit: hæc dicta adjiciens: Jam nulla occasio, nullus prætextus scandali alicujus, neque mutuæ pacis contemptus. Episcoporum cœtus tuum reditum postulat: exsulum libertas, Pontificalium sedium consensus. Revertere in sedem tuam, & pasce gre-

ANNO CHRISTI 89.

ἐπίσαται κρίμασιν, ἐξελόντες τῆς θρόνυ ἐχὶ θορυβῶν τινάς, κ᾽ ἐμαυτῷ τῦτον ἀνακαλέσασθαι προειλόμην. ὐδὲ ταῖς ἐμαῖς φροντίσι κατεπίσθυσα τὴν ἀποκατάστασιν τύτυ. ἀλλ᾽ ἐν ἀχαρισία τῦ θείυ διατελῶν, ἔσεργόν τε κ᾽ ἐνεκαρτέρυν οἷς ἐκεῖνος ἐκρίνετε κ᾽ διῳκονομήσατο, ὔτε θορύβυς ἀνακινῶν, ὔτε βασιλικὰς ἀκοὰς ἐνοχλῶν· κ᾽ ὔτε ἔρως τις ἐπεφύετό μοι τῦ θρόνυ, πλὴν ἀλλ᾽ ὐδὲ ἐλομβύω τῆς ἐλπίδος ὑπελείπετό τι. ὁ δὲ τῆς παραδελφῶν κύριος, κ᾽ βασιλεὺς τῦ ἐλέυς, κ᾽ τῆς ἀνελπίσων πληρωτὴς ἀπερινόητος, αὐτὸς τὸν ὑψηλὸν κ᾽ μέγαν βασιλέα ἡμῶν, ὐκ ἐφ᾽ ἡμᾶς ἴσως, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸν πολὺν κ᾽ ἀναρίθμητον τῦ Χριστῦ λαὸν σπλάγχνα ἐλέυς κ᾽ οἰκτιρμῶν ἀναλαβεῖν παρασκεάσας· ἤδη πασῶν τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἐλπίδων ἀπειρηκυιῶν, ὡς εἶπον, κ᾽ μήτε φίλυ παρακλήσεως μεσιτευσάσης, μήτε τινὸς ἄλλης μελέτης ἢ σπυδῆς εἰσενηνεγμένης· ἔδοκησε τῆς ὑπεροχῆς ἐκείνης ἡμᾶς κατενεγκεῖν, κ᾽ παρὰ πάντα λογισμὸν ἀνθρώπινον, πᾶσάν τε γνησίαν ἐλπίδα, ἐλέῳ πολλῷ, κ᾽ μεγάλῃ δεξιώσει εἰσενεγκεῖν εἰς τὴν πόλιν. ἕως μὲν ὖν περιῆν τῷ βίῳ ὁ μακαρίτης Ἰγνάτιος· κ᾽ γὰρ μακαρίζομεν αὐτὸν, ὅτι φιλίαν πρὸς αὐτὸν ἔτι περόντα τῷ βίῳ ἐσπεισάμεθα· κ᾽ ὐκ ἂν ἐξαρνηθείημεν ταύτην ποτέ, μὴ δὲ γένοιτο. ἀλλ᾽ ἕως μὲν, ὡς ἔφην, περιῆν τῷ βίῳ, ὐκ ἠνεχόμεθα τὸν * ἄκοον θρόνον ἀπολαβεῖν, καίτοι πολλῶν ὄντων τῆς εἰς τῦτο ὐ μόνον προτρεπομένων, ἀλλὰ κ᾽ ἀνάγκην ἐπαγόντων· κ᾽ τὸ μεῖζον πάντων, ἡ αἰχμαλωσία, κ᾽ ὁ διωγμὸς, κ᾽ ἡ ὑπεροχὴ τῆς ἀδελφῶν κ᾽ συλλειτυργῶν ἡμῶν. πλὴν τῦτο ὐχ εἱλόμεθα καταδέξασθαι, ὡς πάντες οἱ συμπαρόντες σωπίσαντες.

* Κοσμ.

Ἡ ἁγία συνόδ εἶπεν· ἡ ἀλήθεια ὕτως ἔχει. Φώτι ὁ ἁγιώτατ πατριάρχης ἔφη· τἐναντίον δὲ τὴν πρὸς αὐτὸν εἰρήνλιν πᾶσι τρόποις συσφίγγειν κ᾽ κρατυύειν διεμηχανώμεθα, ἥτις γέγονεν ἐν τῷ παλατίῳ πρὸς ἡμᾶς παραγενομένοις· ἀλλήλων μὲν τοῖς σοῖν ἀμφοῖν προσπεσόντων· κ᾽ εἴτι ἑκατέρῳ πρὸς τὸν ἕτερον διημάρτηται, τῆς συγγνώμης τῦτων ἀφ᾽ ἑκατέρυ ἀφελομένης. μετὰ τῦτο νόσῳ καταχλιθέντ, κ᾽ τὴν ἡμετέραν ἐπιζητήσαντος παρυσίαν, ὐχ ἅπαξ, κ᾽ δὶς, ἀλλὰ πολλάκις ἐπισκεψόμενον αὐτὸν παρεγενόμην· κ᾽ ὅσα μὲν ἦν ἐμοὶ δυνατὸν, ἐκεῖνο τῦτο ἀξιῦντ, κατισορίζειν τὴν νόσον συνεβαλόμην. εἴτε δὲ κ᾽ λόγ παραμυθίας ἐπάγειν ἐχρὴ ἔχει, κ᾽ τὴν ἀπὸ τύτυ πρόσηγον αὐτῷ θεραπείαν· ὥστε κ᾽ πολλὴν αὐτὸν τὰ τελευταῖα τὴν πρὸς ἡμᾶς πληροφορίαν δεξάμενον, τοὺς οἰκειοτέρυς αὐτῷ τῆς ἀνθρώπων εἰς τὰς ἡμετέρας χεῖρας παραθέσθαι· ὡς δὴ μετὰ τὴν ἐκδημίαν ἐκείνυ προνοητὰς τε κ᾽ σωτῆρας γενέσθαι, ὃ κατ᾽ θεία γέγονε χάριτι. κ᾽ ὐδεὶς ἂν μέμψαιτο τῆς αὐτῆς ἐκείνυ τελευταίαν περὶ αὐτὸς φροντίδατε κ᾽ διοίκησιν. ἐπεὶ δὲ ἐκεῖν τῆς ἀνθρωπίνων μετέσης, αὐτίκα ὁ φιλόχριστος κ᾽ μέγας ἡμῶν βασιλεὺς πρῶτα μὲν διά τινων μυστικωτέρων τῆς ἐμῆς ἀπεπειράτο γνώμης, εἶτα δὲ ἐν τῷ φανερῷ διὰ τῆς αὐτῦ πατρικίων τὰ τῆς αὐτῦ βυλῆς διεδήλυ. ἐπιτιθεὶς, ὡς νῦν μὲν ὐδεμία ἐστὶν ἀφορμὴ, ὐδὲ σκανδάλων τινῶν ὑπολογισμὸς, ὐ δ᾽ ἀθέτησις τῆς μεταξὺ ἀλλήλων εἰρήνης· ὁ τῶν ἐπισκόπων χορὸς ζητεῖ τὴν σὴν ἄνοδον, ἡ πῶν ὑπεροχῶν ἐλευθερία, οἱ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι

σύμ-

ANNO CHRISTI 879.

σύμψηφοι· ἄνελθε εἰς τὸν θρόνον σου, καὶ ποίμαινε τὸ ποίμνιόν σου, ὃ ὁ Χριστὸς ἄνωθεν ἐν σοὶ κατεπίστευσε. τὸ μὲν οὖν βασιλικὸν δήλωμα ἐν τούτοις περιεγράφετο· ἐγὼ δὲ πρὸς τοὺς παραγεγονότας εἶπον· ὅτι μὲν οὐκ ἀναλγήτως ἤνεγκα τὰ συμβεβηκότα πάλαι, οὐκ ἂν τὴν ἐμὴν διαψευσαίμην ἀλήθειαν· πλὴν τὸ μέγα τῶν ἀλγημάτων ἦν, ἡ τῶν ἀρχιερέων Θεοῦ καὶ ἱερέων ταλαιπωρία καὶ φυγὴ ὑπερόριος. γενέσθω οὖν ἐν αὐτοῖς ἅπασιν ἡ πρέπουσα παραμυθία, * καὶ ἀνάκλησιν, καὶ τῶν οἰκείων θρόνων ἀποκατάστασιν· ἐῤῥέτωσαν δὲ καὶ αἱ καθ' ἡμῶν συκοφαντίαι, οὐχ ἡμῶν χάριν, ἀλλ' ἵνα μὴ τῇ ἐκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ δι' ἐμὲ μῶμος ἐπιτρίβοιτο. ἐγὼ μὲν χρείαν τινὸς οὐκ ἔχω· ἀλλ' ἀντὶ πάντων ἔχω τὸ ἥμερον καὶ τὸ γαληνὸν τῆς τοῦ βασιλέως ἡμῶν τοῦ ἁγίου περὶ ἐμὲ διαθέσεως. ἐπεὶ οὖν ἡ ἀποστολὴ τῶν πατρικίων οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς γενομένη, ἀπεπέμπετο ἄπρακτος, αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ φιλάνθρωπος καὶ ἀγαθὸς ἡμῶν βασιλεὺς πρὸς ἡμᾶς παραγεγονὼς πολλοῖς λόγοις τὴν ἀνάγκην ἐπήγαγεν. ἃ μὲν οὖν ἐλαλήθη τότε, καὶ οἷς ἔπεισεν ἡμᾶς κατανεῦσαι, οὐ τοῦ παρόντος λέγειν καιροῦ. πλὴν πάντων συμφωνησάντων καὶ τῶν τριῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων ταῖς συνοδικαῖς αὐτῶν ἡμᾶς παρακαλεσάντων ψήφοις· ἔτι δὲ καὶ τῶν ἐμπροτέρων γραμμάτων, ὧν ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης παραπεμψάμενος πρὸς τὸν φιλόχριστον καὶ ὑψηλὸν βασιλέα ἡμῶν, ἐπὶ πᾶσιν αἰτήσεσιν αὐτοῦ κατανεύειν ὑπισχνουμένων, ἀνήλθομεν εἰς τὸν θρόνον τοῦτον. πρῶτον μὲν ἀφορῶντες εἰς τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν εὐσπλαγχνίαν αὐτοῦ· ἔπειτα δὲ, τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, καὶ τῷ παραδόξῳ τῆς μεταβολῆς τῶν γεγονότων ὥσπερ καταπλαγέντες τὸν νοῦν, καὶ θεομαχεῖν τὸ ἀντιλέγειν ἡγούμενοι· δεύτερον δὲ, καὶ εἰς τὴν διάθεσιν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου, καὶ τὸ φιλάνθρωπον καὶ φιλοδίκαιον· εἰδότες ὅτι χαίρει καὶ στέργει τῇ ἑνώσει τῶν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν καὶ τῇ ὁμονοίᾳ τοῦ χριστιανικοῦ λαοῦ. οὕτω δὴ οὕτω τὰ καθ' ἡμᾶς, ὡς οἱ παρόντες πάντες συνεπίστανται, λέγομεν.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· οὕτω γέγονεν, ὡς διηγήσατο ὁ τοῦ Θεοῦ ἀρχιερεὺς καὶ ποιμὴν ἡμῶν. καὶ πολλὰς θλίψεις ὑπέμεινεν· ἀλλ' ὁ Θεὸς πάσας διεσκέδασε, καὶ παραδόξως ἀποκατέστησεν ἡμῖν τὸν ἀρχιερέα ἡμῶν.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπε· Φλαβιανὸν τὸν Κωνσταντινουπόλεως, Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον, Κύριλλον τῶν Ἱεροσολύμων, καὶ Πολυχρόνιον ὁμοίως, ὡς καὶ ἡ ὑμετέρα ἐπίσταται ἁγιωσύνη, ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία τῶν οἰκείων θρόνων ἀποδιωχθέντας, * ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ πάλιν ἀποκατέστησε. καὶ ὁ ἅγιος Γρηγόριος ὁ διάλογος τὸν Δαλματίας ἀποδιώξας ἐπίσκοπον διὰ συκοφαντίαν τινὰ, πάλιν εἰς τὸν ἴδιον θρόνον ἀποκατέστησε. καὶ τοῦ πάπα Νικολάου τὸν εὐλαβέστατον Ζαχαρίαν καθελόντος, πάλιν ὁ πάπας Ἀδριανὸς τὸν οἰκεῖον θρόνον ἀπέδωκεν, ὃν καὶ νῦν ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης βιβλιοθηκάριον ἐποίησεν. οὐκ ἔστιν οὖν οὗτος κατώτερος ἢ τοῦ πάπα Ἀδριανοῦ, ἢ τοῦ πάπα Νικολάου, εἰς τὸ τὰ συμφέροντα τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ οἰκονομεῖν.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἐν τούτῳ γὰρ πλέον δοξάζεται μιμούμενος Χριστὸν τὸν πρῶτον ἀρχιερέα, ὃς ἐλθὼν ἐπὶ γῆς ἔλυσε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, καὶ κατήλλαξε τὸ ἀνθρώπινον γένος, ἐκπεπολεμημέ-

gem tuum, quem Christus jampridem tibi commisit. Et Imperatoris quidem voluntas his aperte continebatur: ego vero his qui advenerant dixi: Non sine dolore pertuli præteritos casus, ut ne quid falsum dicam: sed dolorum maximus fuit, episcoporum Dei & sacerdotum calamitas & in exsilium fuga. Concedatur ergo his omnibus conveniens solatium, per revocationem, & propriarum sedium restitutionem. Facessant calumniæ, quibus appetiti sumus, non propter nos, sed ne ecclesiæ Dei propter me vituperium adhærescat. Ego quidem nullius rei egeo: sed instar omnium mihi est benignus ac serenus Imperatoris nostri sanctissimi erga me affectus. Postquam igitur legatio Patriciorum non semel dumtaxat, sed etiam iterum infecta re dimissa est, ille ipse humanissimus & optimus noster Imperator ad nos accedens multo sermone nos compulit. Quæ vero dicta tunc fuerint, & quibus verbis ut annuerem persuaserit, non est præsentis temporis exponere. Sed cum omnes consentientes essent, & nos sedes Pontificales tres synodicis suis suffragiis nos advocarent; adhuc autem & priores literæ a sanctissimo Papa Joanne ad Christi amantissimum celsissimumque Imperatorem missæ, pollicerentur ipsum hujus petitionibus omnibus esse obsecuturum, in hanc sedem reversi sumus: Primum quidem respicientes in misericordiam Dei & miserationes ejus: deinde, ut vere dicam, inopinata rerum mutatione quasi mente perculsi: arbitratique perinde esse contradicere, atque cum Deo pugnare. Deinde vero aspicientes etiam affectum sanctissimi Papæ Joannis, humanitatem, æquitatem: scientes gaudere ipsum unione ecclesiarum Dei, & concordia populi Christiani. Sic certe, sic res nostræ se habuerunt, ut norunt omnes qui hic præsentes adsunt.

Sancta synodus dixit: Ita factum est, quemadmodum narravit Dei pontifex & pastor noster. Multas tribulationes sustinuit; sed Deus omnes dissipavit, & præter exspectationem restituit nobis Pontificem nostrum.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Flavianum Constantinopolitanum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum Hierosolymorum, & Polychronium similiter, ut vestra novit sanctitas, sancta Romana ecclesia suis sedibus pulsos propria potestate iterum restituit. Et sanctus Gregorius Dialogus e Dalmatia cum expulisset episcopum ob quamdam calumniam, rursus eumdem in propriam restituit sedem. Et cum Papa Nicolaus reverentissimus Zachariam deposuisset, rursum Papa Hadrianus propriam ei sedem reddidit: quem & nunc sanctissimus Papa Joannes bibliothecarium fecit. Non est ille certe inferior aut Papa Hadriano, aut Papa Nicolao, in rebus illis administrandis, quæ ad utilitatem ecclesiæ spectant.

Sancta synodus dixit: In hoc enim majorem adipiscitur laudem, quod Christum imitatur primum Pontificem: qui veniens in terram dissolvit omne vinculum iniquitatis, & reconciliavit humanum genus a multis jam sæ-

ANNO CHRISTI 879.

ſæculis inimicum Patri ſuo, conſocians terrena cæleſtibus. Sic & ipſe factus mediator bonus & Chriſti imitator, ſtudium ſingulare adhibuit, ut in gratiam revocaret cum ſuo Pontifice eos qui ab ipſo aliquando diſſidebant, & ab ipſo aberrabant.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Hujuſmodi exempla habens ſanctiſſimus Papa Joannes reddidit ſanctitati veſtræ ſuam ſedem; teque ut fratrem & comminiſtrum amplectitur, excipitque ultro communionem tuam. Noverit igitur omnis eccleſia, eſſe te fratrem germanum œcumenici Papæ, quemadmodum fuere ante vos epiſcopi orthodoxi omnes & ſacerdotes. Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Gratias Chriſto referimus, vero Deo noſtro, primoque & magno Pontifici, deinde & ſanctiſſimo Papæ Joanni, qui adverſus omnem ſchiſmaticum errorem ſtetit, qui omnium concordiam eccleſiarum ſuſcepit, qui abſtulit virgam peccatorum a ſorte juſtorum.

Univerſa ſacra ſynodo libenter excipiente ea quæ dicebantur, & fauſtis acclamationibus Photium ſanctiſſimum patriarcham proſequente, ſanctiſſimi legati veteris Romæ dixerunt: Si placet veſtræ ſanctitati, legantur & Orientalium ſedium epiſtolæ. Sancta ſynodus dixit: Legantur. Et ingreſſus Coſmas religioſiſſimus presbyter & legatus Michaelis ſanctiſſimi Papæ Alexandriæ, proferens quas ſecum attulerat epiſtolas, tradidit Photio ſanctiſſimo patriarchæ. Ex quibus unam accipiens Photinus Dei amantiſſimus diaconus & Cartophylax, legit ad piiſſimum Imperatorem ſcriptam:

A Deo deſignatis Imperatoribus, Baſilio, Leoni, & Alexandro, Michael archiepiſcopus Alexandriæ.

OMnis mens hominum ſapientia prudentiaque in judicando inſtructa, & omnis lingua facunda vere ac volubilis, & ad velocitatem ſermonis toto vitæ tempore ſe exercens; Mens, inquam, hominum impatibilis ac libera, & ſecularium ſolicitudinum expers ac pura, Imperatorum mitiſſime & ſapientiſſime, non erunt pares, ut perſpicue novimus, cuilibet volenti tuorum recte factorum magnitudinem celebrare, vel rebus geſtis æquiparare laudes conanti. Non ſolum, quoniam pervigili animæ oculo, impigroque & indefeſſo pede huc & illuc omnes terræ pelagique partes perluſtrans, barbaras exteraſque gentes, partim per teipſum, partim per tuos invictos & inſuperabiles exercitus ſuccidens, plurimam inde procuras ſubditis ſalutem: quæ ratio conciliandæ eorumdem voluntariæ dilectionis, ſtabilior ſecuriorque eſt. Non *quaſi malus in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem*, juxta prophetæ vocem, negligentia deſidiaque priorum Imperatorum, errat ſubditus, & quærit requiem: Animadverſo quod tua egeret providentia, ipſe in humeros tuæ commiſerationis aſſumens, *in loco paſcuæ & ſuper aquam refectionis* potentiſſimi auxilii collocaſti: & pinguiſſimum ex ſteri-

Iſai. 30. 17.

Pſalm. 22.

A νον χρόνοις πολλοῖς, πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἑνώσας τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις. οὕτω καὶ αὐτὸς μεσίτης γεγονὼς ἀγαθὸς καὶ χριστομίμητος, προθυμίαν μεγάλην κατεβάλετο καταλλάξαι τῷ οἰκείῳ ἀρχιερεῖ τούς ποτε διάσταντας καὶ πλανηθέντας ἐξ αὐτοῦ.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπε· τοιαῦτα παραδείγματα ἔχων ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης ἀπέδωκε τῇ ἁγιωσύνῃ ὑμῶν τὸν οἰκεῖον θρόνον, καὶ ἐναγκαλίζεταί σε ὡς ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν, ἀσπαζόμενος καὶ τὴν πρός σε κοινωνίαν. καὶ γνώτω πᾶσα ἐκκλησία, ὅτι ἀδελφὸς εἶ γνήσιος τοῦ οἰκουμενικοῦ πάπα, ὡς οἱ πρὸ ὑμῶν πάντες ὀρθόδοξοι ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· χάριν ἀναπέμπομεν B τῷ Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν, τῷ πρώτῳ καὶ μεγάλῳ ἀρχιερεῖ, καὶ δὴ καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ Ἰωάννῃ, κατὰ πάσης μὲν χισματικῆς ἱσταμένῳ πλάνης, πᾶσαν δὲ ὁμόνοιαν τῶν ἐκκλησιῶν ἀσπαζομένῳ, καὶ ἀφελόντι τὴν ῥάβδον τῶν ἁμαρτωλῶν ἀπὸ τοῦ κλήρου τῶν δικαίων.

Καὶ δὴ πάσης τῆς ἱερᾶς συνόδου ἐπὶ τοῖς λαληθεῖσιν ἀσμενισάσης, καὶ εὐφημίας εἰς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἀνακηρυξάσης, οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· εἰ δοκεῖ τῇ ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ, ἀναγνωσθήτωσαν καὶ αἱ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων ἐπιστολαί. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀ- C ναγνωσθήτωσαν. καὶ δὴ εἰσελθὼν Κοσμᾶς ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος Μιχαὴλ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἀλεξανδρείας, ἐποιφερόμενος καὶ τὰς δι' αὐτοῦ κομισθείσας ἐπιστολὰς, ἐπέδωκε Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ. ἐξ ὧν μίαν λαβὼν Φωτεινὸς ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ χαρτοφύλαξ, τὴν πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, ἀνέγνω.

Τοῖς θεοπροβλήτοις βασιλεῦσι, Βασιλείῳ, Λέοντι, καὶ Ἀλεξάνδρῳ, Μιχαὴλ ἀρχιεπίσκοπος Ἀλεξανδρείας.

D ΠΑῦσα μὲν ἀνθρώπων διάνοια σοφίᾳ καὶ συνέσει πυκαζομένη, πᾶσά τε γλῶσσα εὔλαλος ὄντως καὶ εὔστροφος, καὶ πρὸς ταχύτητα λόγων πάντα τὸν βίον μελέτην πεποιημένη· νοῦς τε ἀνθρώπων ἀπαθὴς καὶ ἐλεύθερος, καὶ βιωτικῶν φροντίδων ἀμιγὴς καὶ ἀθόλωτος, βασιλέων πρᾳότατε καὶ σοφώτατε, οὐκ ἐξαρκέσουσιν, ἴσμεν σαφῶς, τῷ βουλομένῳ παντὶ τῶν σῶν κατορθωμάτων ἐγκωμιάζειν τὸ μέγεθος, καὶ τοῖς πράγμασιν ἐξισοῦν τὰς εὐφημίας ἐπειγομένῳ. οὐ μόνον ὅτι ἀγρύπνῳ τῷ τῆς ψυχῆς ὄμματι, ἀόκνῳ τε, καὶ ἀκαμάτῳ ποδὶ ἄνω καὶ κάτω πανταχόσε γῆς καὶ θαλάσσης περινοστῶν, τὰ βάρβαρα καὶ ἔκφυλα ἔθνη, ἃ μὲν δι' ἑαυτοῦ, ἃ δὲ διὰ τῶν σῶν ἀμάχων καὶ ἀνανταγωνίστων ἐκστρατευμάτων ἀνακαθαίρων, πολλὴν ἐντεῦ- E θεν πρυτανεύῃ τῷ ὑπηκόῳ τὴν σωτηρίαν· ὡς καὶ πρὸς ἀγάπην τοῦτο αὐθαίρετον μονιμώτερον ἔχειν αὐτόθεν καὶ ἀσφαλέστερον. οὐ δ' ὅτι ὡς ἰστὸν ἐπ' ὄρους, καὶ ὡς σημαίαν ἐπὶ βουνοῦ, κατὰ τὴν τοῦ προφήτου φωνὴν, ῥαθυμίᾳ καὶ ὀλιγωρίᾳ τῶν ὑποβεβασιλευκότων πλανώμενον, καὶ ζητοῦν ἀνάπαυσιν· τοῦτο εὑρὼν καὶ τῆς σῆς ἐπιμελείας δεόμενον, αὐτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων τῆς σῆς εὐσπλαγχνίας ἀναλαβὼν, εἰς τόπον χλόης, καὶ ἐφ' ὕδωρ ἀναπαύσεως τῆς σῆς κραταιᾶς ἐπικουρίας κατεσκήνωσας. καὶ πιότατον ἐκ παρειμένου καὶ ἐκλελοιπότος αὖθις ἀπέδειξας. ὡς καὶ ἔχειν πρὸς Θεὸν παρ-

ρη-

ρησίαν καὶ λίγειν· ἰδὲ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία, ἅμοι ἔδωκεν ὁ Θεός. καὶ, ὃς ἔδωκάς μοι, ἐφύλαξα. ἀλλ' ὅτι τὸ μέγα καὶ ἀσασίασον Χριστῦ σῶμα, τλιὺ ἐκκλησίαν λέγω, τὸ ἔθνος τὸ ἅγιον, τὸ βασίλειον ἱεράτευμα, ὑπὲρ ὃ κλίνας οὐρανὸς κατέβη ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς Χριστὸς ὁ Θεός, καὶ τὸ ἴδιον αἷμα ἐθελουσίως ἐξέχεε· καὶ τῆς παγίδων ἐκσπάσας τὸ πονηρὸ, τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ δῶρον φέρων προσήγαγε· τέτο ὑπὸ φιλαρχίας, εἰπεῖν δὲ μᾶλλον ἐκ βασκανίας καὶ πάλης τῦ δαίμονος, καὶ ἀνδρῶν τὸν τῦ Θεῦ φόβον ἠθετηκότων δυσπαθοῦσά καὶ λελυμασμένον, ὡς ἄλλον ἄλλης δόξης ἀντέχεσθαι, μὴ φέρων ὁρᾶν· οὕτις εἰς μίαν σύμπνοιαν καὶ θέλημα σὺ κατήλλαξάς τε καὶ συνεβίβασας, καὶ εἰς Χριστὸν τὸν ἀρχιποιμένα σωτῆρα μοσας καὶ σωτεθεικας. καὶ ἔδειξας σεαυτὸν ὁ μόνον τῆς φθειρομένων, ἀλλὰ καὶ τῆς ὑγιεσώτων καὶ μενόντων πλέον ὡς δίσεβὴς καὶ φιλόθεος ἔχειν τλιὺ σπεδλιά τε καὶ ἐπιμέλειαν. καὶ πληθλῶναι τῆς σῶν καλῶν, ὁ τλιὺ ὑπὸ Ῥωμαίυς μόνον ἀρχλὺ, ἀλλὰ χεδὸν ὅσλυ ὁ ἥλιος φθάνων ὁρᾷ, καὶ τῦ οἰκείυ φωτὸς φαιδρὰν ἐνίησι τλιὺ λαμπηδόνα. ἰδὲ γὰρ καὶ ἡμῖν τοῖς πόρρωπε ἀπφκισμένοις τῆς σῆς ἐνθέυ γαλιώτητος, μετὰ πλείσλυ ὅσλυ καὶ χρονίαν διὰ Χριστὸν ἀποδημίαν, ἐπέση Κοσμᾶς ὁ δλαβίστατος μοναχος, καὶ πρεσβύτερος, ὁ Μάρκυ τῦ διαγγελιστῦ ζηλωτὴς, καὶ μαθητὴς ἀληθέστατος, διαγγελίοις δλκείοις καὶ θυμήρεσιν ἀγωγίμοις καὶ ἐφετοῖς ἡμᾶς δεξιύμενος· ὡς ὅτι ἡ παναγία καὶ ὁμύσιος Τριὰς, ἡ παντα τὰ ἐν ὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγῦσα, καὶ σωτηρῦσα ἐν ἡλίοις ξισὶν ὁμοφυέσι καὶ ὁμογνώμοσι, σοὶ τῷ παναγάθῳ βασιλεῖ, καὶ Λέοντι, καὶ Ἀλεξάνδρῳ, τοῖς υἱέσι καὶ ὁμόφροσι τῇ δισεβείᾳ, τὸ Ῥωμαϊκὸν φῦλον ἰθύνειν ἐκέλδυσε, νίκης ἀεὶ μεγαλύνυσα, καὶ τὺς ἀρνητὰς τῦ παναγίυ ὀνόματος αὐτῆς ὑπὸ τὺς πόδας αὐτῆς τιθεῖσα, τὺς αὐχένας συμπατεῖσθαι ὑπὸ τῆς τιμίων καὶ ἁγίων ποδῶν αὐτῆς ἐδικαίωσε· πιπειγώσασα εἰς γλῶ τὰ φρυάσματα αὐτῆς, καὶ ἀφανίσασα· ἐφ' οἷς ἠθλίπες ἡμεῖς, καὶ τῆς κακῶν περικύκλω ἀνιαρῶν ἀναπνδσαντες, πανάγαθοι καὶ θεόσεπτοι ἡμῶν βασιλεῖς, χεῖρας εἰς ὐρανὺς ἅραντες ὁμοθυμαδὸν, τῇ ὑπερυσίῳ καὶ παναγίᾳ ξιάδι τλιὺ πρέπουσαν δίχαριστίαν καὶ κατὰ τέτο ἀπονείμαντες, αἰτύμθυ τὴν αὐτῆς ἀγαθότητα φυλάττειν τλιὺ βασιλείαν ὑμῶν εἰς αἰῶνα καὶ ἐπ' αἰῶνα, καὶ ἔτι· καὶ ποιῆσαι τὰς ἡμέρας ὑμῶν ὡς τὰς ἡμέρας τῦ ὐρανῦ, καὶ ἐνισχύσαι ὑμᾶς, ὥστε δραμορπίζειν ἔμπροσθεν ὑμῶν καὶ τῆς ἐκστρατδμάτων ὑμῶν ἔθνη τὰ τὺς πολέμυς θέλοντα, χαριζόμθυ ὑμῖν μὲ τῆς ἐπιγείων καὶ τὶ οὐράνια ἀγαθὰ, ἅμα Εὐδοκίᾳ τῇ πανδσεβεστάτῃ Αὐγύστῃ, καὶ τῆς θεοσδότων κλάδων αὐτῆς, τῆς Πορφυρογεννήτων, πρεσβευύσης τῆς ὑπεραγίας * Θεομήτορος, τῆς θεοειδῶν ἀγγέλων, καὶ πάντων ἁγίων. ἀμήν.

Ἀγαθὸν δὲ γέγονε μέγιστον, δέσποτα, ὅτι τὸ τέκνον ἡμῶν, ὁ πρεσβύτερος Κοσμᾶς, ἐπισθη τλιὺ δραχονίαν ταύτλυ, ἄνθρωπος ὢν παντοῖος καὶ δραφόρως γλώσσας πεπαιδδμθυς, καὶ εἰδὼς πραγμάτων ἀντέχεσθαι, καὶ ἱκανὸς φυλάττειν βασιλέων μυστήρια. καὶ εἰ ἔδοξε τῇ ἐκ Θεῦ βασιλείᾳ σε, δέσποτα, δέκα μητροπολίτας ἀποστεῖλαι * πρὸ τλιὺ ἀναξιότητα ἡμῶν, ἐκ ἂν ἔπως προετέθημθυ εἰς τλιὺ ἀ-

Ali ac defecto rursum exhibuisti. Adeo ut possis libere Deo dicere: *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus*: Et, *Quos dedisti mihi custodivi*: Sed quod magnum pacatumque Christi corpus, ecclesiam dico, gentem sanctam, regale sacerdotium, super quo *inclinans cælos descendit* pastor bonus Christus Deus, & sanguinem suum sponte fudit; & a laqueis maligni extrahens, Deo & Patri dono obtulit. Illud ex dominandi libidine, seu potius ex invidia luctaque dæmonis ac virorum, qui Dei timorem abjecerunt, distractum vastatumque, adeo ut alius aliud sentiret, non ferens intueri; statim in unum consensum, unamque voluntatem conciliasti & compegisti, & cum Christo qui est princeps pastorum consociatli & concinnasti. Et ostendisti teipsum non solum eorum qui deteriores facti sunt, verum etiam eorum qui steterunt & permanent, ut qui pius es & Dei amans, habere curam & providentiam; & bonis tuis repleri non solum Romanum Imperium, sed quantumcumque fere terrarum sol intuetur, & quocumque suæ lucis clarum splendorem immittit. Nam etiam ecce nobis qui procul degimus a divina serenitate tua, post plurimam & diuturnam propter Christum peregrinationem, adstitit Cosmas reverentissimus monachus & presbyter, idemque Marci evangelistæ æmulator & discipulus verissimus, optatis nunciis & pergratis mercibus ac desiderabilibus nos jucunde replevit: Ut quoniam sanctissima & consubstantialis Trinitas omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra ex non existentibus ut essent protulit, conservatque in ternis solibus ejusdem naturæ ejusdemque voluntatis, in te optimo Imperatore, & Leone, & Alexandro filiis, ejusdem in pietate sententiæ, Romanam gentem gubernare jussit, victoriis te semper magnificans, & negatores sanctissimi nominis sui sub pedibus eorum, & cervices eorum conculcari a venerandis sanctisque pedibus eorum constituit: humilians usque ad terram fremitus eorum & prorsus exterminans. Quibus nos gavisi, & a molestissimis malis quæ nos circumdant respirantes, optimi & a Deo coronati Imperatores nostri, manus in cælum tollentes unanimi consensu, supersubstantiali & sanctissimæ Trinitati dignam gratiarum actionem ea gratia referentes, precamur ejusdem bonitatem ut custodiat regnum vestrum in sæculum & in sæculum, & ultra; efficiatque dies vestros *sicut dies cæli*, & corroboret vos *ut dissipet* in conspectu vestro exercituumque vestrorum *gentes quæ bella volunt*: largiens vobis cum bonis terenis etiam cælestia, cum Eudocia piissima Augusta, & divinitus concessa sobole ejus, filiis Porphyrogenitis; intercedente sanctissima Dei Matre, diviniisque Angelis, & omnibus sanctis, Amen.

Percommode autem accidit, domine, ut filio nostro presbytero Cosmæ creditum hoc ministerium fuerit, qui homo est omnigena, & diversarum linguarum peritiam habens, sciens negotia tractare, & qui possit arcana servare Imperatorum. Quod si placeret divino tuo imperio, domine, decem metropolitas mittere ad nos

qui

ANNO CHRISTI 879

Isa. 8. 18. *Joan.* 17. 12.

Psal. 88. 10 *Psal.* 67. 31.

ANNO CHRISTI 879.

qui tali honore indigni sumus, non sic consentiremus in dilectione sanctissimi Photii & comministri nostri & œcumenici patriarrhæ. Nam plurimum conati presbyterum Cosmam retinere apud nos, propter pactum cum imperio tuo & œcumenico patriarcha sanctissimo Photio, non potuimus ei persuadere: quoniam omnem dat operam ut immutabilem custodiat veritatem. Noluit similis esse maledicto Josepho, qui mentitus est coram sancto imperio tuo, se archidiaconum esse domini Michael patriarchæ Alexandriæ. Cujus improbitatem ubi patriarcha rescivit, ipsum anathematizavit. Similiter egit etiam impius Elias, ausus & ipse turbas decipere, ac dicere se syncellum esse Sergii patriarchæ Hierosolymorum, & veniens hac lepra infectus improbam vitam finivit. Horum similis esse nolens presbyter Cosmas, manere apud nos non sustinuit. Sed de his hactenus. Quod sit præcipuum caput nostræ gratiarum actionis, debitumque tantæ lætitiæ, deinceps dicemus. Nobis fidem fecit idem reverentissimus Cosmas presbyter, domine, fortissimum imperium tuum reddidisse suum ecclesiæ splendorem: Photium dico sanctissimum patriarcham, hominem lucidum & lucis effectorem, sacerdotii perfectionem, normam veritatis inconcussam, sapientiæ hospitium, venerandum rerum optimarum thesaurum, abundantem eleemosynæ dexteram, exterorum perfugium; hunc rursus super candelabrum pontificatus jussit ascendere, ut illustraret sermonibus sapientiæ & scientiæ corpus ecclesiæ. Hunc enim nos talem exsistentem ut a Michaele felicis recordationis accepimus, habuimus & habemus pro compastore & comministro: & habere optamus usque in supremum diem, extremumque spiritum. Et quisquis non communicat ei, nec suscipit eum tanquam legitimum patriarcham, sit pars ejus cum deicidis. Nos enim omni viro & omni animæ adhortantes consulimus, per exile scriptum hoc nostrum, & præcipimus, ut cum eo viro communicet absque omni malo consilio, vel sordida conscientia. Nam qui ei communicat, etiam nobiscum certe communicat. Si vero conati aliqui fuerint seipsos abscindere ab ecclesiæ corpore, sint isti a Christianorum spe alieni.

Etiam illud, domine, juvat adjicere: Quod si inflectat Dominus Deus sanctam mentem tuam, ut velis aliquam eleemosynam mittere in hæc loca sancta, quemadmodum decessores tui Imperatores; non per alium, sed per presbyterum Cosmam velis hanc eleemosynam mittere: neque enim de alio certam persuasionem habemus. Nam etsi cum ipso mittere & alterum quempiam statueramus, metu gentilium impediti sumus. Qui vero universa condidit Deus, qui constituit Imperatores ad salutem subditorum, qui etiam te fidelissimum Imperatorem segregavit ex utero, & diademate lapidibusque pretiosis circumcinxit sacrum tuum caput; ipse *teneat manum dexteram* tuam, & filiorum tuorum, qui tecum imperant. *& in voluntate sua deducat* vos, cum Augusta a Deo coronata & Porphyrogenitis, largiens vobis cum terrestribus bonis etiam cælestia. Piat. Amen.

A Γάπην τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. καὶ πολλὰ βιασάμενοι τὸν πρεσβύτερον, Κοσμᾶν σταθῆναι πρὸς ἡμᾶς, διὰ τὰς συνθήκας τὰς πρὸς τὴν βασιλείαν σου καὶ τὸν οἰκουμενικὸν πατριάρχην τὸν ἁγιώτατον Φώτιον, οὐκ ἠδυνήθημεν πεῖσαι, φυλάττειν τὴν ἀλήθειαν ἀκαινοτόμητον σπουδὴν ποιούμενον. ὅτι μηδὲ ὁμοιοῦσθαι Ἰωσὴφ τῷ ἐπαράτῳ ἠβουλήθη, ψευσαμένῳ ἐνώπιον τῆς ἁγίας βασιλείας σου, ὅτι ἀρχιδιάκονός ἐστι τοῦ κυρίου Μιχαὴλ τοῦ πατριάρχου Ἀλεξανδρείας. καὶ μαθὼν ὁ πατριάρχης τὴν κακίαν αὐτοῦ, ἀνεθεμάτισεν αὐτόν. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ δυσσεβὴς Ἠλίας, καὶ αὐτὸς τολμήσας ἐξαπατῆσαι τοὺς ὄχλους, καὶ εἰπεῖν ὅτι σύγκελλός ἐστι Σερ-
B γίου τοῦ πατριάρχου Ἱεροσολύμων· καὶ ἐλθὼν ὧδε λεπρωθεὶς, τὴν πονηρὰν αὐτοῦ κατέστρεψε ζωήν. καὶ τούτοις ὁμοιωθῆναι ὁ πρεσβύτερος Κοσμᾶς μὴ θέλων, μεῖναι πρὸς ἡμᾶς οὐκ ἠνέσχετο. καὶ ταῦτα μὲν ἐν τούτοις. τὸ δὲ κεφάλαιον τῆς ἡμετέρας εὐχαριστίας, καὶ τὸ ὄφλημα τῆς τοσαύτης περιχαρείας, ἐνθεν ἐροῦμεν. ἐπιστώσατο ἡμᾶς ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος Κοσμᾶς ὁ πρεσβύτερος, δέσποτα, ὅτι ἡ κραταιά σου βασιλεία ἀπέδωκε τῇ ἐκκλησίᾳ τὴν δόξαν αὐτῆς· φαμὲν δὴ Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, τὸν φωτοειδῆ καὶ φωτοποιὸν ἄνθρωπον, τῆς ἱερωσύνης τὴν τελειότητα, τὸν γνώμονα τῆς ἀληθείας τὸν ἀδιάστροφον, τῆς ἀρετῆς τὸν κανόνα τὸν εὐθύτατον,
C τῆς σοφίας τὸ ἐνδιαίτημα, τὸ κειμήλιον τῶν καλῶν τὸ σεβάσμιον, τῆς ἐλεημοσύνης τὴν χεῖρα τὴν διαρκῆ, τῶν ξένων τὸ καταφύγιον· τοῦτον καὶ αὖθις ἐπὶ τὴν λυχνίαν τῆς ἀρχιερωσύνης ἀναβιβάσασα τέθεικε, τοῦ καταυγάζειν λόγοις σοφίας καὶ γνώσεως τῆς ἐκκλησίας τὸ πλήρωμα. τοῦτον γὰρ ἡμεῖς τοιοῦτον ὄντα πρὸς Μιχαὴλ τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει παρειληφότες, ἔχομέν τε καὶ ἔχομεν συμποιμένα τε καὶ συλλειτουργὸν, καὶ ἔχειν εὐχόμεθα μέχρι τῆς ἐσχάτης ἡμέρας καὶ ἀναπνοῆς ἡμῶν. καὶ ὅστις οὐ κοινωνεῖ αὐτῷ, καὶ οὐκ ἀποδέχεται αὐτὸν πατριάρχην ἐννομώτατον, ἔστω ἡ μερὶς αὐτοῦ μετὰ τῶν θεοκτόνων. ἡμεῖς γὰρ παντὶ ἀνδρὶ καὶ πάσῃ ψυχῇ παραινοῦντες συμβουλεύο-
D μεν, διὰ τοῦ εὐτελοῦς ἡμῶν γράμματος, καὶ ἐντελλόμεθα κοινωνεῖν τῷ ἀνδρὶ δίχα πάσης κακοβουλίας, καὶ ῥυπαρᾶς συνειδήσεως. ὁ γὰρ αὐτῷ κοινωνῶν, δῆλον ὅτι καὶ ἡμῖν κοινωνεῖ. εἰ δὲ πειραθεῖεν τινὲς ἀπορρῆξαι ἑαυτοὺς τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, ἔστωσαν οἱ τοιοῦτοι τῆς Χριστιανῶν ἐλπίδος ἀλλότριοι.

Ἔτι δὲ τοῦτο προσθεῖναι καλὸν, δέσποτα· ὅτι εἰ κλίνοι κύριος ὁ Θεὸς τὴν ἁγίαν σου ψυχὴν, καὶ θελήσειας τινὰ εὐλογίαν ποιῆσαι εἰς τοὺς ἁγίους τόπους τούτους, ὡς καὶ οἱ πρὸ σοῦ βασιλεῖς, μὴ δι' ἄλλου, ἀλλὰ διὰ τοῦ πρεσβυτέρου Κοσμᾶ τὴν τοιαύτην εὐλογίαν ἐξαποστεῖλαι προθυμήθητι, εἰς γὰρ ἄλλον οὐ πληροφορούμεθα. εἰ γὰρ μετ' αὐτοῦ πέμψαι καὶ
E ἄλλον τινὰ προῃρήμεθα, ὑπὸ τοῦ φόβου τῶν ἐθνῶν ἀνεκόπημεν. ὁ δὲ τὰ πάντα δημιουργήσας Θεὸς, καὶ καθιστῶν βασιλεῖς εἰς σωτηρίαν τῶν ὑπὸ χεῖρα, ὁ καί σε τὸν πιστότατον βασιλέα ἀφορίσας ἐκ κοιλίας μητρὸς, καὶ διαδήματι καὶ λίθοις τιμίοις καταστέψας τὴν ἁγίαν σου κεφαλὴν, αὐτὸς κρατῆσαι τῆς χειρὸς τῆς δεξιᾶς σου, καὶ τῶν σῶν υἱῶν καὶ συναυτοκρατόρων· καὶ τῇ ἰδίᾳ βουλῇ ὁδηγήσαι ὑμᾶς, σὺν τῇ θεοστέπτῳ Αὐγούστῃ, καὶ τοῖς πορφυρογεννήτοις, * χαριζομένοις ὑμῖν σὺν τοῖς ἐπιγείοις καὶ τὰ οὐράνια. γένοιτο. ἀμήν.

* Ρι χαριζόμε.

Καὶ

Καὶ μ᾽ τῇ ἀνάγνωσιν τ῍ῆς πρὸς τὸν φιλόχρισον ἡμῶν βασιλέα γραμμάτων, ἡ ἁγία συνόδ῍ος ἐξεβόησεν· ἴσμεμβν ἡμεῖς, ὡς οἱ τῆς ἀνατολῆς θρόνοι οὐδέποτε διέσησαν τῆς τ῍ε ἁγιωτάτ῍ου πατριάρχ῍ου Φωτίου κοινωνίας. διὸ κ᾽ τῷ παρ᾽ αὐτ῍ῆ πρ῍οενεχθεῖσαν ψῆφον, κ᾽ νῦν δὲ ἐπικυρωθεῖσαν ἀσμένως ἀποδεχόμεν῍οι, τὲς μὴ ὄπω φρονοῦντας ὡς ἀλλοτρίους Θε῍ου ἡγούμεθα. πλὴν ἀκουσόμεθα κ᾽ τῆς πρὸς τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν πατριάρχ῍ην ἐπιστολή. κ᾽ λαβὼν Πέτρ῍ος ὁ θεοφιλέστατ῍ος διάκον῍ος κ᾽ πρωτονοτάρι῍ος, ἀνέγνω.

A Et post lectionem literarum ad Christianissimum Imperatorem nostrum, sancta synodus exclamavit: Scimus nos, Orientales sedes nullo modo dissidere a communione sanctissimi patriarchæ Photii: Quamobrem & suffragium ab illis antea missum, nunc vero confirmatum, alacriter susscipientes, eos qui secus sentiunt, tanquam alienos a Deo ducimus. Sed audiamus etiam scriptam ad sanctissimum nostrum patriarcham epistolam. Et accipiens Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius legit:

ANNO CHRISTI 879.

Τῷ τ῍ειμακαρίστῳ συλλειτουργῷ ἡμῶν Φωτίῳ πατριάρχῃ Κων῍σταντινουπόλεως, Μιχαὴλ ὁ Ἀλεξανδρείας.

B Beatissimo comministro nostro Photio patriarchæ Constantinopoleos, Michael Alexandriæ.

Καὶ λόγοις ἀνέμβατον, κ᾽ λογισμοῖς ἀνέφικτον, τὸ μεγαλεῖον τῆς τ῍ε μεγάλ῍ου ποιμέν῍ος Χριστ῍ου ἀγαθότητ῍ος, ἀξέκως οἶδε πᾶσα φιλόθεος ψυχή· ὅτι τε καθ᾽ ἡμαρ κ᾽ κατὰ μῆν῍ας κ᾽ κατὰ πᾶσαν λυκαβάντων κυκλικὴν περίοδον ἐπικυρεῖ κ᾽ οἰκονομεῖ τὸ πλάσμα τ῍ῆς ἰδίων αὐτ῍ου χειρῶν, κ᾽ τὰς ἐκκλησιαζομέν῍ας αὐτ῍ῆ χριστιανῶν σωματ῍ικὰς θεραπεύει κ᾽ ἀγαθοποιεῖ, κ᾽ τὲς ὀδυνωμέν῍ους παραμυθεῖται, κ᾽ τὲς ἱδρυμέν῍ους ἐ θέλει καταπεσεῖν. ἀντὶ τ῍ούτων πάντων ὐκ ἀρκέσμεν ἐξαγορεύειν τῆς χρηστότητ῍ος αὐτ῍ου τὸ ὑπερκείμεν῍ον μέγεθ῍ος. κ᾽ γὰρ ἀπὸ τῶν φίλων ἡμῖν λογίων τῆς σῆς πλειτυρχικωτάτ῍ης ἱερωσύν῍ης ταῦτα ἐνηκουτισμέν῍οι ὥσπερ πολύτιμον κλῆρον τ῍ε πρὸ ἡμῶν τὸν πλειτυρχικωτάτ῍ον ἱερωσύν῍ον ποθήσαντες, κ᾽ ἡμεῖς τὰ αὐτὰ σεσωσμέν῍οι τὸ θεῖον, κ᾽ ἐχαριστοῦμεν διὰ σ῍ὲ τὸν εἰς σὲ φθάσαντα τῆς αὐτ῍ου ἀγαθότητ῍ος τεχνουργήματα. πάντα γὰρ ἀναδιδαχθέντες παρὰ τ῍ου ἡμετέρ῍ου Κοσμᾶ τ῍ὸ πρεσβυτέρ῍ου τὰ περὶ σὲ, τῆς μὲν ἐπικρατέσης ἡμῶν τὴν ζωὴν πολυπειρίας ἀπὸ τῶν κύκλῳ μικρὸν ἀνεπνεύσαμεν, ἀντὶ χαρᾶς ἄλλης τὴν σὴν ἡγησάμεν῍οι χαράν· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν ἡμῖν γέγονεν, ὅπ῍ως κ᾽ ἐν ὑμῖν γένοιτο παρακαλοῦμεν· ἵνα τῆς χαρᾶς ἐπιγενομέν῍ης ἀμνημονήσ῍ῃς τῶν συμβεβηκότων σοι λυπηρῶν.

C Quæ nec oratione exprimi, nec cogitatione potest comprehendi, immensam bonitatem magni pastoris Christi, certo compertam habet omnis anima Dei amans: Quoniam diebus singulis ac mensibus, & omni annorum circuitu defendit ac regit opus manuum suarum, & congregatos suorum Christianorum cœtus curat & bonis auget, & mœstos solatur, & eos qui stant non sinit cadere. Pro his omnibus non sufficientes sumus enarrare excellentem bonitatis ipsius magnitudinem. Nam ex oraculis jucundissimis tui perfectissimi sacerdotii hæc audientes, veluti paternam hæreditatem perfectissimum sacerdotium antecessoris nostri desiderantes, & nos pariter tecum divinum numen celebramus, & gratias agimus ob ea quibus te prævenit suæ bonitatis argumenta. Nam de omnibus rebus edocti quæ te spectant, a presbytero nostro Cosma, ex ærumnis quibus vita nostra conflictatur ab his qui in circuitu sunt, paululum respiravimus, vice alterius gaudii tuum reputantes gaudium. Sed quemadmodum in nobis factum est, sic etiam in vobis fieri precamur; ut superveniente gaudio memoria excidat molestiarum quas pertulisti.

D Nam fidem nobis Cosmas fecit, qui literas tuas detulit, quod inter alia bona sua fortissimus Imperator, illum imitatus qui imperium ei impertiit, suum veluti ornatum reddidit sponsæ Christi ecclesiæ, pacemque constituit, omnem hæreticam rabiem schismaticamque abigens, consolansque eos qui in ærumna dudum fuere: pulsaque pusillanimitate omnes in unum congregavit. Quis vero tale opus non prædicet esse imperatorium, o qui ex * luce nomen habes, & lucem affers, & ecclesiæ Dei summus pastor? Nam tu vere homo lucis effector, sacerdotii consummator, norma veritatis, E inconcussa virtutis regula, scientiæ & sapientiæ hospitium, venerandus bonorum thesaurus, eleemosynæ manus abundans, externorum perfugium, in calamitate solatium, omnium bonorum diversorium. Nam talis cum sis, iterum super candelabrum sacerdotii statuens Deus per famulum suum Imperatorem, ecclesiæ suæ *contritiones sanavit*. *Psal.* 59. 4. Illustras enim ecclesiæ corpus sapientiæ & scientiæ sermonibus. Nam & nos talem esse te cum a Michaele felicis recordationis acceperimus, qui ante nos beatissimi Marci evangelistæ sedem rexit, te in pastorem

* Φωτεινὸς ὁ φῶς ἔχων τὸ ὄνομα habes.

ANNO CHRISTI 879.

& comminiſtrum habemus, & habere optamus uſque ad ſupremum diem extremumque noſtrum halitum: & omnibus qui tuo temere ſacerdotio offenduntur, id pro certo affirmamus: clara voce prædicantes, quæ coram noſtra ſynodo expoſuimus; congregatis nimirum metropolitis & epiſcopis vicinis, quotquot noſtra miſeria potuit nuper congregare; Zachariam dico Tamiathæ, & Jacobum Babylonis, Stephanum Thebarum, & Theophilum Bare, egregios Metropolitas, cum aliis epiſcopis non paucis. Quæ igitur in noſtra ſynodo pronunciata fuerunt, ut initio dixi, hæc ſunt. Auctores ſumus omni viro & omni animæ, ſuademuſque, & ſcripto ac ſine ſcripto præcipimus vobis, communicare abſque omni malo conſilio & malignitate & ſordida conſcientia. Nam qui vobis communicat, etiam nobiſcum certe communicat. Si vero conati aliqui fuerint ſeipſos abſcindere a tua ſanctiſſima eccleſia, quæ eſt corpus Domini noſtri Jesu Chriſti, ſint iſti a Chriſtianorum ſpe alieni. Et ſi quis non tecum communicat, nec ſuſcipit te Dei benignitate patriarcham ordinatum, ſit pars ejus cum deicidis. Adhuc autem & in montem aſcendens exaltabo vocem coram omnibus audientibus. Qui non communicat ſanctiſſimo Photio patriarchæ regiæ Conſtantinopoleos & comminiſtro noſtro, anathema & exſecratio ſit a ſancta & vivifica Trinitate. Qui rejicit ordinationem Photii comminiſtri noſtri, ne partem habeat nec communionem in regno Dei. Qui hæſitat ſuper electionem Photii patriarchæ, alienus eſto & rejectus a Deo & Patre. Qui accuſat Photium Dei Pontificem propter electionem & ordinationem ejus, *occupet* eum *caligo* & tenebræ, & lepra inficiatur, ut Naaman Syrus, & maledictionem conſequatur Cain fratricidæ: & ſit *vagus & tremens ſuper terram*.

Job 3. 5. ex Symmacho.

Geneſ. 4. 12. Græce.

Michael obiit anno 842. cui ſucceſſerunt Coſmas & Sanathius, deinde Michael, qui cœpit ſedere anno 872. ut quidem tradit Eutychius

Nos autem, o ſacrum caput, & ſumme paſtor rationalium ovium Chriſti, ſecuti exemplum deceſſoris noſtri Alexandriæ antiſtitis beatiſſimi Michaelis, & conſentimus & aſſentimur tibi in omnibus, & ſuſcipimus tam Pontificalem dignitatem, & inſcriptum gerimus nomen tuum in ſacris diptychis in æternum. Largiatur ergo tibi Deus ſedem tuam diu, & uniat eccleſias tuas in diebus tuis: & diſſipet conſilia inimicorum tuorum, qui volunt tibi mala. Et tribuat tibi Dominus Deus longitudinem dierum, ſubmiſſionem, obedientiam, doctrinam, puritatem, caſtitatem, & gratiam. Ipſe enim paſtores conſtituit ad ſalutem ſubditorum. Qui etiam te ſummum paſtorem & Pontificem ſegregavit ex utero matris tuæ. Ipſe igitur teneat manum dexteram tuam, & in voluntate ſua deducat te, & glorificet te. Qui vero adverſum te rabie efferebantur, frater & comminiſter noſter, Elias, inquam, & vanus Joſeph, mortui ſunt, ob nefarium conſilium ſuum, morte ſempiterna; divina, opinor, vindicta inſequente eos, (ut ſi interrogaveris, diſcere poteris,) quandoquidem ſui erroris non petiere veniam. Alter autem eorum Thomas Berytenſis agnovit delictum ſuum; & veniam quia flagitavit, dedimus

A παμμακαρίστου Μάρκου τοῦ εὐαγγελιστοῦ ἰθύνοντος θρόνον, παρειληφότες, ἔχομεν καὶ ποιμένα καὶ συλλειτουργὸν, καὶ ἔχειν εὐχόμεθα μέχρι τῆς ἐσχάτης ἡμέρας καὶ ἀναπνοῆς ἡμῶν· καὶ πᾶσι δὲ τοῖς εἰκαίως σκανδαλιζομένοις * ἐπὶ τῇ ἀρχιερωσύνῃ ἐξασφαλιζόμεθα, καὶ λαμπρᾷ τῇ φωνῇ κηρύττομεν, ἅπερ ἐνώπιον τῆς καθ' ἡμᾶς συνόδου ἐξεθέμεθα, συναθροισθέντων δηλονότι τῶν ἄγχιστα ἡμῶν μητροπολιτῶν καὶ ἐπισκόπων, ὅσους ἡ ταλαιπωρία ἡμῶν τέως ἠδυνήθη συναγαγεῖν· λέγω δὴ τοὺς περὶ Ζαχαρίαν Ταμιανθίου, καὶ Ἰάκωβον Βαβυλῶνος, Στέφανον Θηβῶν, καὶ Θεόφιλον Βάρη, ἐκκρίτους μητροπολίτας, σὺν καὶ ἑτέροις ἐπισκόποις οὐκ ὀλίγοις. ἅπερ οὖν ἐπὶ τῆς καθ' ἡμᾶς συνόδου ταύτης ἐξεφωνήθη, ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ταῦτα εἰσί.

B παραινοῦμεν παντὶ ἀνδρὶ, καὶ πάσῃ ψυχῇ, καὶ συμβουλεύομεν, καὶ ἐγγράφως, καὶ ἀγράφως ἐντελλόμενοι, κοινωνεῖν ὑμῖν, δίχα πάσης κακοβουλίας καὶ δυστροπίας καὶ ῥυπαρᾶς συνειδήσεως. καὶ γὰρ ὁ ὑμῖν κοινωνῶν, δῆλον ὅτι καὶ ἡμῖν κοινωνεῖ. εἰ δὲ πειραθεῖεν τινὲς ἀποσχίσαι ἑαυτοὺς τῆς ἁγιωτάτης σου ἐκκλησίας, ἥτις ἐστὶ σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔστωσαν οὗτοι τῆς χριστιανῶν ἐλπίδος ἀλλότριοι. καὶ εἴτις οὐ κοινωνεῖ σοι, καὶ οὐκ ἀποδέχεταί σε, πατριάρχην εὐδοκίᾳ Θεοῦ προκεχειρισμένον, ἔστω ἡ μερὶς αὐτοῦ μετὰ τῶν θεοκτόνων. ἔτι δὲ καὶ ἐπ' ὄρους ἀναβὰς, ὑψώσω τὴν φωνὴν ἐνώπιον ἁπάντων τῶν ἀκουόντων. ὁ μὴ κοινωνῶν τῷ ἁ-

C γιωτάτῳ Φωτίῳ πατριάρχῃ τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν, ἀνάθεμα καὶ κατάθεμα ἔστω ἀπὸ τῆς ἁγίας καὶ ζωαρχικῆς Τριάδος· ὁ ἀποβαλλόμενος τὴν χειροτονίαν Φωτίου τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν, μὴ σχῇ μέρος μηδὲ κοινωνίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. ὁ διστάζων τῇ προχειρίσει Φωτίου τοῦ πατριάρχου, ἀλλότριος ἔστω καὶ ἀπόβλητος τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. ὁ κατηγορῶν Φωτίου τοῦ ἀρχιερέως Θεοῦ, ἕνεκεν προχειρίσεως καὶ χειροτονίας αὐτοῦ, ἐπιπέσει ἐπ' αὐτὸν ἀχλὺς καὶ σκότος· καὶ λεπρωθείη ὡς Νεεμὰν ὁ Σύρος· καὶ κληρονομήσει τὴν κατάραν τοῦ ἀδελφοκτόνου Κάϊν· καὶ ἔστω κλονούμενος καὶ τρέμων ἐπὶ τῆς γῆς.

Ἡμεῖς δὲ, ὦ ἱεροκεφαλὴ, καὶ ἀρχιποίμην τῶν λο-

D γικῶν προβάτων τοῦ Χριστοῦ, ἀκολούθως τῷ πρὸ ἡμῶν τῆς Ἀλεξανδρείας ἱεραρχήσαντι μακαρίτῃ Μιχαὴλ, καὶ συναινοῦμεν καὶ συνευδοκοῦμέν σοι ἐν πᾶσι, καὶ ἀποδεχόμεθά σου τὴν ἀρχιερατικὴν τελειότητα, καὶ τετυπωμένον ἔχομεν τὸ ὄνομά σου ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις μέχρι αἰῶνος. χαρίσαιτο οὖν Θεός σοι τὸν θῶκόν σου χρόνοις μακροῖς, καὶ ἑνώσαι τὰς ἐκκλησίας σου ἐν ταῖς ἡμέραις σου, καὶ διασκεδάσαι τὰς βουλὰς τῶν κατ' αὐτῶν πονηρὰ βουλομένων. καὶ χαρίσαιτό σοι κύριος ὁ Θεὸς μακρότητα ἡμερῶν, ὑποταγὴν, ὑπακοὴν, διδαχὴν, καθαριότητα, ἁγνείαν, καὶ χάριν. αὐτὸς γὰρ καθιστᾷ ποιμένας εἰς σωτηρίαν τῶν ὑπὸ χεῖρα. ὁ καὶ σὲ τὸν ἀρχιποιμένα καὶ ἱεράρχην ἀφορίσας ἐκ κοιλίας μητρός

E σου. αὐτὸς οὖν κρατήσαι τῆς χειρὸς τῆς δεξιᾶς σου, καὶ ἐν τῇ βουλῇ αὐτοῦ ὁδηγήσαι σε, καὶ δοξάσαι σε. οἱ δὲ κατὰ σοῦ λυσσήσαντες, ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργὲ ἡμῶν, Ἠλίας, φημὶ, καὶ Ἰωσὴφ ὁ μάταιος, ἐναπέθανον τῇ ἀνοσιουργῷ γνώμῃ αὐτῶν θάνατον αἰώνιον· τῆς θείας, οἶμαι, δίκης * αὐτὸν ἐπεξελθούσης, [ὡς ἐρωτῶν ἀναμαθεῖν δυνήσῃ.] ἐπειδὴ τοῦ οἰκείου σφάλματος οὐκ ᾔτησαν συγγνώμην. ὁ δὲ ἕτερος αὐτῶν Θωμᾶς ὁ Βηρυταῖος ἐπέγνω τὸ πταῖσμα ἑαυτοῦ, καὶ αἰτήσαντα συγγνώμην κατηξιώσαμεν αὐτὸν συγχωρήσεως. ὑπὲρ οὗ καὶ νῦν πρεσβεῦσαι παρεκλήθημεν

πρὸς

πρὸς τὴν σὴν ἀδελφότητα, μεσίτας ἡμᾶς τοῦ ἀνδρὸς ἑαυτοῦ προβαλλομένου, ἀμνημονῆσαι σοῦ τὴν ἔνθεον γνώμην τῶν παρ' αὐτοῦ εἰς σὲ ποτὲ πεπαρῳνημένων, ὡς αὐτὴ ἡ τοῦ ἀνδρὸς πρεσβευτικὴ μετάνοια δηλοῖ. ἣν ταῖς παρούσαις ἡμῶν συλλαβαῖς ὑπετάξαμεν.

Τὰ δὲ ἀποσταλέντα ἡμῖν παρὰ τῆς σῆς περιβοήτου ἁγιότητος διὰ τοῦ πολλάκις ῥηθέντος μαθητοῦ ἡμῶν ἱερατικὰ, κατὰ τὴν ποιότητα ἥπερ ἐσήμανας, ἀπεδεξάμεθα. γένοιτό σοι κύριος ὁ Θεὸς * ὁ φιλέτης ὑπὲρ τῆς τοιαύτης διακονίας. γίνωσκε γὰρ, ἀδελφὲ, ὅτι τῷ πλείστῳ μέρει τὸν ᾅδην οἰκοῦμεν, ζῶντες ὡς οἱ νεκροὶ, διὰ τὴν τῆς τυραννίδος ἐπικράτειαν. εἰ γὰρ καὶ λόγῳ διαγράψαι τὰς καθεκάστην συμφορὰς βουληθείημεν, οὐκ ἰσχύσομεν. πλὴν τέως κἂν μικρὰ τινὰ διηγούμενοι, τῷ καὶ ἑτέρους ἔχειν συνίστορας τῶν καθ' ἡμᾶς συμφορῶν τῆς πλείστης ὀδύνης κουφιζόμεθα. ἐνὶ γὰρ * μόνῳ εἰπεῖν ἀληθῶς καὶ ζῶμεν καὶ ἀναπνέομεν Χριστῷ, τῷ καθεκάστην ἐπιῤῥωνύντι καὶ ἀνδρειοῦντι, ἀνθίστασθαι γενναίως κατὰ πάντων ἐπιπιπτόντων ἡμῖν κακῶν· τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασι μικροῦ λείποντος ἀποτεθνήκαμεν. καὶ εἴποτε εὐάρεστον τῇ σῇ ἁγιωσύνῃ γένηται εὐλογίαν ἀποστεῖλαι ἐν τοῖς ἁγίοις τόποις τούτοις, ὡς καὶ οἱ πρὸ σοῦ ἱεράρχαι· μὴ διὰ τῶν τυχόντων, ἀλλ' ἢ διὰ τοῦ πρεσβυτέρου Κοσμᾶ, ἢ διὰ τοιούτου πιστοῦ τινὸς τὴν εὐλογίαν ἐξαποστεῖλαι προθυμήθητι. ἠβουλήθημεν δὲ πέμψαι σὺν αὐτῷ καὶ ἕτερον ἀποκρισιάριον ἡμῶν, ἀλλὰ διὰ τὸν φόβον τῶν ἐθνῶν ἐκωλύθημεν. θέλοντος δὲ καὶ αὐτοῦ πάλιν ὑποστρέψαι πρὸς ἡμᾶς, εὐδοκησάτω ἡ ἁγιωσύνη σου ἀκώλυτον αὐτὸν γενέσθαι.

Ἐμάθομεν δὲ διὰ στόματος αὐτοῦ τὰς ἀρετὰς τῶν ἀνάκτων. ὡς εἰσὶ συμπαθεῖς, ἐλεήμονες, σεμνοὶ, φιλόξενοι, φιλομόναχοι, πραεῖς, εἰρηνικοὶ, πάσας τὰς ἡμέρας αὐτῶν ἐν νηστείᾳ καὶ ἀγρυπνίᾳ καὶ καθαρότητι ἀναλίσκουσι· καὶ ὑπὲρ τούτων ἁπάντων τεθαυμάκαμεν καὶ ὑπερυψώσαμεν αὐτοὺς, καὶ τρεῖς ὑπὲρ αὐτῶν συνάξεις πεποιήκαμεν, καὶ τῷ Θεῷ δεήσεις καὶ ἱκετηρίας προσηνέγκαμεν, ὑπὲρ τῶν ἀνδραγαθημάτων αὐτῶν. περισσοτέρως δὲ Θεὸς παράσχοι αὐτοῖς τὰ ἀγαθὰ, καὶ φυλάξαι τὴν βασιλείαν αὐτῶν αἰωνίζουσαν, καὶ σὺν τοῖς ἐπιγείοις ἀγαθοῖς χαρίσαιτο αὐτοῖς καὶ τὴν βασιλείαν τὴν οὐράνιον, καὶ ποιήσαι τὰς ἡμέρας αὐτῶν, ὡς τὰς ἡμέρας τοῦ οὐρανοῦ, διασκορπίζων ἔμπροσθεν αὐτῶν ἔθνη τὰ τοὺς πολέμους θέλοντα, ἀποδιδοὺς αὐτοῖς τοὺς ὅρους τῆς βασιλείας αὐτῶν, καὶ * καταβάλει τὰ ἔθνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῶν· καὶ χαρίσαιτο αὐτοῖς κύριος ὁ Θεὸς μακροημέρευσιν, ὑγείαν, κατάπτωσιν πάντων τῶν ἐθνῶν, λιταῖς τοῖς θεόμητρος καὶ πάντων τῶν ἁγίων, καὶ δι' εὐχῶν τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ.

Καὶ μετὰ τὴν συμπλήρωσιν τῆς ἐπιστολῆς ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· τὸ μὲν ἡμέτερον φρόνημα ὅπερ εἰς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν πατριάρχην ἔχομεν, πολλάκις φανερὸν πεποιήκαμεν· μᾶλλον δὲ αὐτοῖς ἔργοις ἐβεβαιώσαμεν. καὶ τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας, ἀποβλήτους καὶ κατακεκριμένους ἔχομεν. ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐπιστολὴ Μιχαὴλ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἀλεξανδρείας μετάνοιαν τοῦ Τυρίων προέδρου Θωμᾶ ἐμνημόνευσεν, ἀκουσώμεθα καὶ αὐτῆς. Φωτεινὸς ὁ χαρτοφύλαξ ἀνέγνω.

Πρᾳότατε τοῦ Θεοῦ ἀρχιερεῦ καὶ γαληνότατε. τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν Θεοῦ ἐστι μόνου, καὶ τῆς πρώτης καὶ ἀνάρχου φύσεως· τὸ δὲ ἁμαρτάνοντας ἐπιστρέφεσθαι,

ei veniam: pro quo etiamnunc legationem obire rogati sumus apud fraternitatem tuam, ipso nos mediatores suos viro eo designante, ut oblivione deleat divina mens tua, quæ in te aliquando temulentorum more commisit, quemadmodum ipse viri libellus pœnitentiæ declarat, quem literis nostris subjungimus.

ANNO CHRISTI 879.

Quæ vero misit sanctitas tua percelebris per sæpe dictum discipulum nostrum sacerdotalia munera, qualia renunciasti, accepimus. Sit tibi Dominus Deus debitor pro tali officio. Sic enim habeto, frater, nos magna ex parte in inferno degere, viventes ut mortuos, ob tyrannidis potestatem. Nam si oratione persequi velimus ærumnas quæ nos quotidie affligunt, minime poterimus. Tamen interim si vel exigua quædam narremus, quando alios habemus testes miseriarum nostrarum, ita tunc magnum dolorem levamus. Nam ut uno verbo dicam, vere & vivimus & respiramus pro Christo quotidie, qui corroborat & confirmat, ut stemus fortiter contra mala nobis occurrentia: aliis vero omnibus tantum non mortui sumus. Ac si quando placeat sanctitati tuæ eleemosynam mittere ad hæc sancta loca, ut antecessores tui præsules; ne per quemlibet obvium, sed aut per presbyterum Cosmam, aut per similem alium aliquem fidelem mittere eleemosynam velis. Volueramus quidem alterum cum ipso legatum nostrum mittere; sed metu gentilium impediti sumus. Cum volet autem ipsum iterum ad nos reverti, placeat sanctitati tuæ sine ullo eum impedimento esse.

Didicimus autem ex ore ejus virtutes coronatorum a Deo Imperatorum: ut sunt misericordes, erga egenos munifici, cum auctoritate & modestia graves, peregrinorum amantes & monachorum, mansueti, pacifici; ut in jejunio & vigiliis & puritate dies suos transigunt: & super his omnibus admirati sumus eos & superexaltavimus: & tres pro ipsis Missas fecimus: & Deo preces ac supplicationes obtulimus pro eorum virtutibus. Abundanter autem Deus præbeat ipsis bona, & custodiat ipsorum imperium sempiternum: & cum bonis terrestribus largiatur ipsis & regnum cæleste: & faciat dies ipsorum *sicut dies cæli*, dissipans coram ipsis *gentes quæ bella volunt*, reddens ipsis fines imperii sui: & subjiciat gentes sub pedibus eorum: & donet illis Dominus Deus diuturnam incolumitatem, & ruinam omnium gentium, precibus Deiparæ & omnium sanctorum, & per orationes sancti patris nostri Marci Apostoli & Evangelistæ.

Psal. 88. 30.

Expleta epistola, sancta synodus dixit: Noster de Photio sanctissimo nostro patriarcha sensus quis sit, sæpe patefecimus: magis autem rebus ipsis confirmavimus. Et qui secus sentiunt, pro ejectis habemus & condemnatis. Quandoquidem vero epistola Michaelis sanctissimi Papæ Alexandriæ mentionem fecit libelli pœnitentiæ oblati a Thoma præsule Tyrionis, audiamus etiam illum. Photinus Chartophylax legit:

„ Mitissime Dei ac serenissime Pontifex. „ Dei solius est in nulla re peccare, & primæ ac principio carentis naturæ. Peccan-

ANNO CHRISTI 879.

„ tes autem converti ac confessione lapsus sui „ ad emendationem adduci, hominum quidem, sed mitium & timentium Deum, „ maxime proprium est. Ego igitur ineptus „ & stolidus, ut vestra sanctitas melius novit, inductus in fraudem ab Elia & Joseph, viris profanis & impostoribus, utroque claudicavi poplite, longe a recto tramite cum ipsis resiliens: & valde contra „ veritatem oblatrantes, & contra te Dei „ Pontificem, maxime spiritus donis Photi, „ peccantes. Quamobrem ambo justas pœnas „ ipsorum dementiæ repetente judice, alius „ alio tristi exitu vitam invisam finivit. Nam „ ille insanabili lepra vitam abrupit. Joseph „ autem factus exactori tributorum obnoxius, „ plagis crudelissimis oneratus, paucis quibusdam & ærumnosis diebus superstes ac „ respirans alicubi perstat, adulterans pietatem, & *loquens adversus justum iniquitatem*: quod idem est ac dicere, adversus „ Deum qui fecit ipsum. Ego vero solus „ patientia Dei circumprehensus, qui non „ vult mortem peccatoris, expandi conscientiam meam, & quæro lapsus medicinam. „ Et hæc quidem est pœnitentia Thomæ antistitis Tyri, quam apud nos fecit cum „ contritione cordis. Suscipiatur ergo etiam „ a vestra fraterna caritate, quemadmodum „ & a nobis. Debemus enim pœnitentes „ & excipere & amplecti. Gratia Domini custodiat Pontificalem fraternitatem tuam, & „ dirigat opera manuum tuarum, & reddat „ tibi bona, quæ respondeant tuis erga nos „ beneficiis, intercessione Apostoli & Evangelistæ Marci. Amen.

Psal. 30. 19.

Verba Michaelis Alex. Patr.

Et post lectionem sancta synodus exclamavit: Fiat: Amen. Et dirigat Dominus Pontificatum Photii sanctissimi nostri patriarchæ, ut sit omni reprehensione major: & pro maximo hoc bono communis pacis, participem suæ gloriæ, veluti dignum, Deus noster, qui est ipsa pax, efficiat. Oportebat enim hoc percelebre bonum sub potenti imperio piissimi & pacifici Imperatoris nostri fieri, per commiserationem sanctissimi & maximi nostri Pontificis, qui infirmitatem nostram Christi exemplo reparavit, & nostros adversus ipsum lapsus morum suavitate & paterno amore benigne condonavit. Quandoquidem igitur nec uni ex omnibus januam pœnitentiæ clausit, sed in visceribus Jesu Christi velut filios suos complexus est, oramus & pro Thoma Tyriorum antistite, qui ut venia lapsus sibi detur postulat, & ut indulgentia cum omnibus frui sibi liceat.

Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt: Obstrui quidem aditum pœnitentiæ his qui serio convertuntur, neque nos certe velimus: absit. Quandoquidem vero peccatum grave intelligimus, & contumeliam in Deum illatam, rem totam permittimus arbitrio sanctissimi & œconomici Papæ Joannis: ut quod in oculis suis placuerit, id faciat. Sancta synodus dixit: In Deum quidem peccatum redundare novimus; sed tamen, ut prius dictum est, in Pontificem nostrum admissum est. Et ipse ante omnes, siquidem in ipsum commissum est peccatum, magis potestatem habet solvendi reum. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Quantum in

A κ̀ ὁμολογίᾳ τοῦ πατίσματος εἰς διόρθωσιν ἐπαναγεσθαι, ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐπιεικῶν κ̀ φοβουμένων τὸν κύριον ἰδιώτατον. ἐγὼ γοῦν ὁ μάταιος κ̀ ἠλίθιος, ὡς ἡ ὑμετέρα ἁγιότης μᾶλλον ἐπίσταται, Ἠλίᾳ κ̀ Ἰωσὴφ ἀνδράσι βεβήλοις κ̀ ἀπατεῶσι καταπεισθεὶς, ἀμφοτέραις ἐχώλανα ταῖς ἰγνύαις, μακρὰν τῆς εὐθείας σὺν αὐτοῖς ἀποσκιρτήσας. κ̀ πολλὰ τῇ ἀληθείᾳ ἐξυλακτήσαντες, καὶ κατὰ σοῦ τοῦ ἀρχιερέως Θεοῦ, μέγιστε πνευματιάρχα Φώτιε, ἐξαμαρτήσαντες. διὸ κ̀ ἀμφότεροι δίκας ἀξίας τῆς οἰκείας * φρενολαβείας εἰσπραχθέντες παρὰ τῆς δίκης, ἄλλος ἄλλῳ πονηρῷ τέλει τὴν ἑαυτῶν κατέστρεψεν ἐχθίστην ζωήν. ὁ μὲν γὰρ λέπρᾳ ἀθεραπεύτῳ B ἀπέρρηξε τὴν ζωήν. Ἰωσὴφ δὲ ὑπόδικος τῷ πράκτορι γεγενημένος, κ̀ πληγαῖς ἀνηκέστοις βεβιασμένος, κ̀ μικράς τινας κ̀ πονηρὰς ἡμέρας ἐπιβιοὺς κ̀ αὐτὸς διαπνεύσας ἔστη, * τοῦ παραχάραττον τὴν εὐσέβειαν, κ̀ καταλαλῶν κατὰ τοῦ δικαίου ἀδικίαν· ἴσον δὲ εἰπεῖν κ̀ κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ποιήσαντος. ἐγὼ δὲ μόνος ἀνοχῇ Θεοῦ τοῦ μὴ βουλομένου τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ περιλειφθεὶς, ἀνέπτυξα τὴν οἰκείαν συνείδησιν, κ̀ ζητῶ τοῦ σφάλματος τὴν ἰατρείαν. κ̀ αὕτη μὲν ἡ τοῦ τῆς Τύρου Θωμᾶ μετάνοια, ἣν κ̀ πρὸς ἡμᾶς μετὰ συντριμμοῦ καρδίας ἐποιήσατο. δεχθήτω οὖν κ̀ παρὰ τῆς σῆς ἀδελφικῆς ἀγάπης, ὡς κ̀ παρὰ ἡμῶν. ὀφείλομεν γὰρ τοὺς μετανοοῦντας C κ̀ δέχεσθαι, καὶ ἀποδέχεσθαι. ἡ χάρις τοῦ κυρίου διαφυλάξαι τὴν σὴν ἀρχιερατικὴν ἀδελφότητα, κ̀ κατευοδώσαι τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, κ̀ ἀποδῴησοι τὰ ἀγαθὰ, ἀντιμισθίαν τῶν εἰς ἡμᾶς εὐεργεσιῶν, πρεσβείαις τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου. ἀμήν.

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν, ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησε· γένοιτο· ἀμήν. κ̀ κατευθύναι κύριος τὴν ἀμώμητον ἀρχιερωσύνην Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου. κ̀ ἀντὶ τοῦ μεγίστου κατορθώματος τούτου τῆς κοινῆς εἰρήνης, συμμέτοχον τῆς αὐτοῦ δόξης, ὡς ἄξιον, ἡ αὐτοειρήνη ὁ Θεὸς ἡμῶν ἀναδείξαι. ἔδει γὰρ τὸ περιβόητον ἀγαθὸν τοῦτο ἐπὶ τῆς κραταιᾶς D βασιλείας τοῦ εὐσεβεστάτου κ̀ εἰρηνοποιοῦ βασιλέως ἡμῶν γενέσθαι, διὰ τῆς συμπαθείας τοῦ ἁγιωτάτου κ̀ μεγίστου ἡμῶν ἀρχιερέως τοῦ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν χριστομιμήτως ἀναλαβομένου, κ̀ τὰ εἰς αὐτὸν ὀλισθήματα ἡμῶν χρηστότητι τρόπων κ̀ πατρικῇ στοργῇ εὐμενῶς συγχωρήσαντος. ἐπειδὴ τοίνυν οὐδενὶ τῶν πάντων θύραν μετανοίας ἀπέκλεισεν, ἀλλ' ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ ὡς οἰκεῖα τέκνα προσεδέξατο, παρακαλοῦμεν κ̀ περὶ Θωμᾶ τοῦ Τυρίων προέδρου, συγγνώμην αἰτουμένου τοῦ παραπτώματος, ἀφεῖναι, κ̀ τῆς μετὰ πάντων συγχωρήσεως ἀξιῶσαι.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης εἶπον· τὸ μὲν ἀποκλείειν τὴν μετάνοιαν τοῖς εἰ E λικρινῶς ἐπιστρέφουσιν οὐδὲ ἡμεῖς ἀποτρέπομεν, μὴ γένοιτο. ἐπειδὴ δὲ τὸ ἁμάρτημα χαλεπὸν κατανοοῦμεν, κ̀ πρὸς Θεὸν τὴν ὕβριν ἀναφερομένην, ἀνατίθεμεν τοῦτο τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ Ἰωάννῃ, κ̀ τὸ ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ποιησάτω. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἰς Θεὸν μὲν οἴδαμεν ὅτι ἀναστρέχει τὸ ἁμάρτημα· πλὴν, κατὰ πρῶτον λόγον, εἰς τὸν ἀρχιερέα ἡμῶν ἐγένετο· ὁ αὐτὸς πρὸ πάντων μᾶλλον, διὰ τὸ εἰς αὐτὸν γενέσθαι τὸ ἁμάρτημα, τὴν ἐξουσίαν ἔχει τοῦ λῦσαι αὐτόν. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ὅσον τὸ ἐφ' ἡμῖν, ἀδελ-

ἀδελφοί, μάλισα δὲ ὅτι ϗ οἱ τῆς ἀναπλῆς ἀρχιερατικοὶ θρόνοι τῷ δέησιν ὑπὲρ αὐτῶ ἐποιήσαντο, λελυμβόν αὐτὸν ἀπὸ τῦ εἰς ἡμᾶς παραπτώματος ϗ πλημμελήματ@ ἔχομεν. εἰ δὲ ϗ ὁ ἁγιώτατ@ πάπας Ῥώμης Ἰωάννης ὁ πνϐματικὸς ἀδελφὸς ϗμῶ συλλειτουργὸς ϗ πατὴρ ἡμῶν συνεπιψηφεῖται τῇ λύσει τύτῳ, ἄμεινον. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσϐυτέρας Ῥώμης εἶπον· ϐδὲ ἐν τύτῳ ὁ ἁγιώτατ@ ϗ οἰκυμενικὸς πάπας Ἰωάννης ἔχει πρὸς τῷ ὑμετέραν ἁγιωσύνῃ διαφρονῆσαι, ἀλλὰ ϗ ἐν τύτῳ τῷ ἡμετέραν ψῆφον ἐπικυρῶσαι ἔχει.

Φώτι@ ὁ ἁγιώτατ@ πατριάρχης εἶπε· τὰ ἀπὸ τῦ ἁγιωτάτυ πατριάρχυ Ἱεροσολύμων Θεοδοσίυ σαλεύτα γράμματι διʼ Ἀνδρέα τὸ ϐλαβεστάτυ μοναχὸ, ϗ γνησίυ ἀδελφὸ Ἠλία τῦ ὁσιωτάτυ πρεσϐυτέρυ ϗ τοποτηρητῦ, εἰ ϗ ἐν ταῖς ἐμπροτέροις συνελεύσεσιν ἀνεγνώσθησαν· ϗ οἱ πλείως τῶν νυὶ παρόντων ἀκροαταὶ τῆς τύτων διδασκαλίας ϗ παραινέσεως γεγόνασιν· ἀλλʼ ὅν, εἰ δοκεῖ τῇ ὑμῶν ἁγιότητι, ἐνταττέσθωσαν κἀκεῖνα τοῖς νυὶ πραττομένοις. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· δίκαιόν ἐστιν ἐνταῦθα εἶναι τῇ πράξει ταύτῃ τὰ τῦ ἁγιωτάτυ πατριάρχυ Ἱεροσολύμων γράμματα· ἵνα πανταχόθεν ἡ τῆς ἀληθείας ϐεϐαίωσις ἀκριϐεστέρα τε ϗμῶ τελειοτέρα πᾶσι φαίνηται. ϗ λαϐὼν τὸ προκομιζόμενον ἐπιστολὴν Φωτεινὸς ὁ ῥηθεὶς χαρτοφύλαξ ἀνέγνω, περιέχυσαν ὕτως.

Θεολέκτῳ, ὁσίῳ, ϗ ἀοιδίμῳ συλλειτουργῷ ἡμῶν κυρίῳ Φωτίῳ παϱιάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, Θεοδόσιος ἐλάχισος παϱιάρχης Ἱεροσολύμων, χαίρειν.

Κατὰ τὴν καρδίαν τῦ πάντων προνοητῦ χρηματίσας ὁ θεῖ@ Δαϐὶδ, τὸ συνοῖκες ἐν ὁμονοίᾳ ϗ οἴκῳ Θεῦ ϗ ἀδελφικῇ διαθέσει δεικνύμενος· κύρι@, ἔφησε, κατοικίζει μονοτρόπυς ἐν οἴκῳ. ὁ ἐκεῖνον ὃν ἐκ ποιμνίυ προϐάτων ἐκλεξάμενος προνοίᾳ εἰς ϐασιλέα τε ϗ προφήτην, ὁ αὐτὸς ἐν τῇ χρεᾷ ἡμῶν εἰς πέρας * ἤγαγε τὸ προφητευθέν. χάριτι γὰρ θείᾳ ἡ ἐν ἀσυγκρίτῳ ἁγιότητί συ, ὦ θεσπέσιε ἱεράρχα, ϗ τῆς ἐκκλησιῶν ϐάσις, ἀρετῆς ὁμόνοια, εὐσέϐειά τε ϗ ἀδελφικὴ συμφωνία, παντιχῦ ἐξακύεται * ϐεϐαιύμενοι ἐν τῇ ἁγίᾳ τῦ Θεῦ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ τῆς σῆς θεοκυϐερνήτυ ἐπιμελείας ϗ ποιμαντικῆς ἐγρηγορύσεως, φαιδρυνύσης τε ϗ τερπύσης ἡμῶν τὰς ἀκοάς, ϗ τῆς καπὶ τόπων ἱερῶν συσημάτων, ϗ παρεχύσης ἀγαλλιάματι τοῖς αὐτῆς προέδροις, ϗ πνϐματικῷ κοινῷ εὐφροσύνῃ ἑορτισικῶς ἐκτελεῖσθαι. ἐπεὶ γὰρ ἓν σῶμά ἐσμεν οἱ πάντες, ϗ ἀλλήλων μέλη, ὅταν ἓν μέλος πάσχῃ, συμπάσχει ἡ ῥῶσις αὐτῦ ϗ ἐν τοῖς λοιποῖς. ϗ αὖθις ὅταν ἓν μέλ@ πάσχῃ, ὅλον τὸ σῶμα πάσχει. τῦτο δὴ συμϐαίνει ϗ ἐν τοῖς ψυχικοῖς μέλεσι τοῖς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας σωτηρμοσμένοις. ϗ ἡμεῖς ὄν μέρ@ ὄντες τῆς ἐκκλησίας, εἰ τὸ ἕτερον μέρ@ ἑτέρως ἔχει, ἀλλʼ ὅν συμμετέχομεν τῆς τῦ πάθους ταυτότητ@. τοιγαροῦν, ὦ θεσπέσιε, ϗ τῆς τῦ Χρισῦ ἐκκλησίας μέγα πρόϐολε, ϗ ἡμῶν τῆς ἐν ϐρόχοις ὄντων ἀνόμων, ϗ πασχόντων τὰ ἄσεκτα ὑπʼ αὐτῆς, ὅτε ζημιώσεσι προσόδων ἐκκλησιῶν, ϗ ἁρπαγαῖς τῶν προσόντων ἡμῖν ἀπελῶν, προνοῦ τῶν εἰς Θεὸν ἀναϐαινόντων ϗ δεήσεσιν, ὦ ἱερὰ κεφαλὴ τῦ τῆς ἐκκλησίας σώματ@, ϗ ὡς πόλις ὢν Θεῦ ἔμψυχ@ ὑπὲρ ἑτέρας πόλεως, πρὸς τὰς ἀσεϐείας ϗ * νεολέκτυς

A nobis est, fratres, maxime vero quoniam Pontificales Orientis sedes pro eo usi sunt prece, absolutum eum a lapsu & peccato contra nos commisso habemus. Si vero & sanctissimus Papa Romæ Joannes, spiritalis frater & comministter & pater noster, assentiatur hujus absolutioni, hoc melius. Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt; Neque in hoc sanctissimus & œcumenicus Papa Joannes vult a vestra sanctitate dissentire; sed in hoc etiam vestrum judicium confirmare. ANNO CHRISTI 879.

Photius sanctissimus patriarcha dixit: Missæ litteræ a sanctissimo patriarcha Hierosolymorum Theodosio, per Andream reverentissimum monachum, & germanum fratrem Eliam sanctissimum presbyterum & legatum, tametsi in prioribus conventibus lectæ sunt, & plures quam nunc adsunt, auditores doctrinæ his contentæ & adhortationis fuerunt; tamen si placet vestræ sanctitati, inserantur & illæ actis præsentibus. Sanctissimi legati dixerunt: Justum est his actis inseri sanctissimi Hierosolymorum patriarchæ litteras: ut undique veritatis confirmatio accuratior & perfectior omnibus appareat. Et accipiens quam detulerat epistolam Photinus prædictus Cartophylax legit, quæ sic habebat:

A Deo electo, sancto & percelebri comministro nostro domino Photio, patriarchæ Constantinopoleos, Theodosius minimus patriarcha Hierosolymorum, salutem.

Qui secundum cor omnia prænoscentis dictus est esse divinus David, cohabitationem in concordia & domo Dei fraternoque affectu declarans: *Dominus*, inquit, *inhabitare facit unius moris in domo*. Qui ipsum igitur de grege ovium elegit providentia sua in regem & prophetam, ipse in generatione nostra ad effectum perduxit illud propheticum. Nam Dei beneficio, incomparabilis sanctitas tua, o divine antistes & ecclesiarum fundamentum, virtutum consensus, pietas & fraterna concordia, ubique auditur corroborata in sancta Dei ecclesia, sub tua a Deo gubernata providentia & vigilantia pastorali, quæ exhilarat oblectatque nostras aures, & omnium singulis locis sacrorum collegiorum, præbetque gaudium ipsorum præsulibus: ut spiritalem in commune lætitiam festivam concelebrent. Quandoquidem enim *unum corpus sumus omnes, & invicem membra*, quando unum membrum robustum est, distribuitur robur ejus in membra reliqua: ac vice versa, quando unum membrum patitur, totum corpus patitur. Hoc vero contingit & in spiritalibus membris ecclesiæ coagmentatis. Et nos igitur, qui pars sumus ecclesiæ, si aliud membrum secus habet, participamus certe ejus passionem. Igitur, divine & Christi ecclesiæ magne propugnator; cum nos quoque simus in laqueis impiorum, & patiamur intolerabilia ab ipsis, in detrimentis proventuum ecclesiarum, & rapinis bonorum quæ sunt nobis tenuia; prospice orationibus ad Deum & precibus, o sacrum caput corporis

Psal. 67. 7.

Ephes. 4. 25.

ris ecclesiæ ; & qui velut civitas es Dei animata super alteram civitatem, apud pios & a Deo electos Imperatores, ut misereatur sanctæ ecclesiæ Dei nostræ, hoc est, Resurrectionis, & sanctæ Sion ; neque laborem recuses in hoc negotio : quoniam tempus malum instat, in quo egent commiseratione. Narrare vero singulatim species malorum, quæ nos infelices depascuntur, e dignitate non putamus esse integerrimæ sanctitatis tuæ : tamen ex intolerabili & multifaria imminentium nobis discriminum variorum solicitudine, flebiliter rogavimus reverentissimum monachum dominum Andream, fidem servantem ut nemo alius, consanguineum sancti legati nostri Eliæ Stylitæ, qui tibi socius certaminis est, ut usque ad vestram sanctitatem fatigaretur accedere ; ad ædificationem quidem canonicorum decretorum, ad compescenda autem scandala quæ suboriuntur: Qui & aperte magis enarrabit exitiales nobis incursiones gentium. Quapropter a Deo afflatus vester affectus nostri commiseratione tangatur, adhibeatque convenientem diligentiam. Ego vero ab intolerabili hac, ut antedixi, necessitate permotus, exile quoddam scriptum supplex cum antea indicato legato Andrea, ad plenum commiserationis imperium sanctorum Imperatorum transmisi, in quo declarantur succincte gravissima mala quæ patimur. Obtestor igitur sanctitatem tuam, ut nostri te misereat, eique adjumento sis, ut quæ oramus a divino ipsorum imperio, ad finem perducantur. Frequenter tandem auxiliare nobis per te ipse, tui a Deo electi Pontificatus precibus. Si quis autem non recipit te, sanctissime, ut Dei Pontificem & Patriarcham regiæ urbis, sit anathema a Patre & Filio & sancto Spiritu, & depositus ab omni sacerdotio. Sic enim & quæ nobiscum est synodus definivit.

ANNO CHRISTI 879.

μεσιτεύων βασιλεῖς, ἐλεῆσαι καὶ κατοικτειρῆσαι τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν Θεοῦ τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἀνασάσεως, καὶ τὴν ἁγίαν Σιών· καὶ μὴ ἀποκάμῃς τότε σπέρνον· ὅτι καιρὸς χαλεπὸς ἐφέστηκεν, ἐφ' ᾧ δέονται ἐλέους. ἐξορῆσαι δὲ καθ' ὃν τὰ εἴδη καὶ τὰ νεμόμενα τὰς ἐλεεινὰς ἡμᾶς κακὰ, ἄσεμνον ἡγοῦμαι τῇ ἀκραιφνεστάτῃ ἁγιότητί σου. ὅμως ἓν ἐκ τῆς ἀφορήτου καὶ πολυχεδοῦς τῶν ἐπικειμένων ἡμῖν ποικίλων κινδύνων σωοχῆς, γοερῶς ἠξιώσαμεν τὸν εὐλαβέστατον μοναζοντα κύριον Ἀνδρέαν, πιστὰ φυλάττοντα ὡς ἄλλος οὐδεὶς, ὁμαίμονα ὄντα τοῦ ὁσίου τοποτηρητοῦ ἡμῶν κυροῦ Ἠλία, τοῦ καὶ συλίτου, τῷ τῇ ἁγιότητί σου συναθλοῦντος, μέχρι τῆς ὑμῶν ἁγιότητος σκυλεῦσαι. πρὸς ἐποικοδομὴν μὲν τῶν κανονικῶν κηρυγμάτων, ἀπόπαυσιν δὲ τῶν ἀναφυομένων σκανδάλων. ὃς καὶ σαφῶς διηγήσεται μᾶλλον τὰ καθ' ἡμῶν φθοροποιὰ ἐμπτώματα τῶν ἐθνῶν. διόπερ ἡ θεοκίνητός σου διάθεσις κινηθήτω εἰς οἶκτον ἡμῶν, καὶ παραχέτω τοῦτο προσήκουσαν κηδεμονίαν. ἐγὼ δ' ἐκ τῆς ἀνηκέστου ταύτης, ὡς προεῖπον, παρακινηθεὶς βίας, ἀτελές τε γράμμα ἱκετικὸν μετὰ τὸ προκριθέντος ἐν ἀποστολῇ κυροῦ Ἀνδρέου τῷ φιλοικτίρμονι κράτει τῷ ἁγίων βασιλέων ἀνέπεμψα, ἐν ᾧ δηλοῦται συλληπτικῶς τὰ καθ' ἡμῶν φάνδεινα κακά. ἐκλιπαρῶ οὖν ἐν τούτοις φιλανθρωπισθῆναι ἡμῖν συμπαθῶς, καὶ συνεργῆσαι τὰ ὑφ' ἡμῶν παρακληθέντα παρὰ τῆς θείας αὐτῶν βασιλείας πέρας λαβεῖν. θαμινῶς ἐν ἐπικύρει ἡμῖν τοῖς ἀμέσοις πρὸς Θεὸν δίκαις τῆς θεολέκτου ἱεραρχίας σου. εἴ τις δὲ σε δέχεται, ὁσιώτατε, ἀρχιερέα Θεοῦ, καὶ παλαιάρχην τῆς βασιλίδος πόλεως, εἴη ἀνάθεμα ἀπὸ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, καὶ καθῃρημένος ἀπὸ πάσης ἱερωσύνης. ἔτι γὰρ καὶ ἡ σὺν ἡμῖν ἁγία σύνοδος ὥρισεν.

Sancta synodus dixit : His quæ definivit synodus facta sub sanctissimo patriarcha Orientis, etiam nos assentimur. Et si quis non suscipit Photium sanctissimum nostrum patriarcham, legitimum Pontificem, sit anathema. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Si jubet sancta synodus nostra, legantur nunc & quæ a sanctissimo patriarcha Antiochiæ per Cosmam presbyterum scripta sunt. Sanctissimi legati dixerunt: Legantur. Invitatus ergo Photinus sæpe dictus Chartophylax legit, quæ sic habebant:

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· τοῖς ὁριθεῖσι παρὰ τῆς ἡμομβύης συνόδου ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου τῆς ἀναπλῆς καὶ ἡμεῖς συμφωνοῦμεν· καὶ εἴτις οὐκ ἀποδέχεται Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν πατριάρχην ἐνομώτατον ἀρχιερέα, ἔστω ἀνάθεμα. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἱερὰ σύνοδος ἡμῶν, ἀναγνωσθήτωσαν καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας διὰ Κοσμᾶ τοῦ πρεσβυτέρου νυνὶ γράμματα. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· ἀναγνωσθήτωσαν. προβαλὼν οὖν Φωτεινὸς ὁ πολλάκις ῥηθεὶς χαρτοφύλαξ ἀνέγνω, περιέχοντα οὕτως.

Sanctissimo patriarchæ Constantinopoleos, Theodosius peccator, patriarcha Antiochiæ.

Τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, Θεοδόσιος ἁμαρτωλὸς πατριάρχης Ἀντιοχείας.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Deus misericors tecum sit, pater noster, in sæcula sæculorum. Novi te, pater noster benedicte, quoniam præcessit fama de te optima, per abbatem Cosmam discipulum abbatis Michaelis patriarchæ Alexandriæ, cujus largiatur nobis Dominus Deus orationes. Gavisus sum igitur super ea re gaudio magno, eo quod Deus in tua te sedem posuit, hoc est, prævenit te in bonis : & recepimus sanctitatem tuam : & ecce factus es quasi unus ex no-

Ægyptii Patriarchæ.

Genes. 3. 22.

Ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὁ ἐλεήμων Θεὸς ἔστω μετὰ σοῦ, πάτερ ἡμῶν, εἰς αἰῶνα τῶν αἰώνων. γνωρίζωσοι, πάτερ ἡμῶν εὐλογημένε, ὅτι ἔφθασεν ἡ ἀγγελία σου ἡ ἀγαθὴ διὰ τοῦ ἀββᾶ Κοσμᾶ, τοῦ μαθητοῦ τοῦ ἀββᾶ Μιχαὴλ, τοῦ πατριάρχου Ἀλεξανδρείας. ὃ χαρίσαιτο ἡμῖν κύριος ὁ Θεὸς τὰς εὐχάς. ἐφράνθην ἐν ἐπὶ τούτῳ μεγάλῃ εὐφροσύνῃ, ὅτι ὁ Θεὸς ἐκέχυκέ σε εἰς τὸν θρόνον σου, ἤγαν προηγήσατό σου ἐν καλοῖς. καὶ ἀπεδεξάμεθα τὴν ἁγιό-

τη-

-τητάσε, καὶ ἰδὲ γέγονας ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν καὶ ἐν ἡ-
μῖν. σωέβη δὲ ἡμῖν συμφορὰ παρὰ τῶ Ἐβιντα-
κλέμ. παρακαλέμεν δὲ τὸν Θεόν, τῶ ἀποκρέσασθαι
τὰς κακώσεις αὐτῶ. ὅτι ἐζημίωσε τὴν ἐκκλησίαν
Ἀντιοχείας χρήματα πολλά. ἀλλὰ διὰ τὰς ἁμαρ-
τίας ἡμῶν πεπόνθαμεν ταῦτα πάντα. ὅτε δὲ διέσω-
σεν ὁ Θεὸς τὸν ἀββᾶν Κοσμᾶν τὸν ἱερέα μέχρις
ἡμῶν, ἐχάρημεν. ὅτι ὁ Θεὸς ἐσκέπασεν αὐτὸν ἐν
τῇ ὁδῷ αὐτῶ. καὶ ἐκάλυψε τὰς ἀγγελίας σε καὶ τὰ
μανδάτα τῶ βασιλέως, μέχρις ἂ ἐξεκαλύφθησαν
ἡμῖν. ᾗ δὲ πρός με ὁ ἀββᾶς Θωμᾶς ὁ μητροπο-
λίτης παραγεμόμεν ἐκ Τύρε, ἕνεκεν τῶ παρα-
μυθήσασθαι ἡμᾶς ἐπὶ τῇ συμφορᾷ τῇ λαχούσῃ
ἡμῖν· καὶ ἦλθεν εἰς μετάνοιαν, καὶ ᾐτήσατο συγ-
γνώμην· καὶ πρὸς ἡμᾶς καὶ πρὸς τὸν Μιχαὴλ τὸν
Ἀλεξανδρείας πρόεδρον ἐξαγορεύων τὸ πταῖσμα αὐ-
τῶ· καὶ ἵνα γράψωμεν ᾖ ἀρχιερωσύνῃ σε ὑπὲρ αὐ-
τῶ. καὶ αὐτὸς ὡμολογήσατο ἐγγράφως. καὶ μὴ κλεί-
σῃς, πάτερ ἅγιε, τὰ σπλάγχνα σε, καὶ τὸ ἔλεός σε
ἐξ αὐτῶ. δόξα τῷ Θεῷ τῷ ἀναγαγόντι σε εἰς τὸν
θρόνον σε· οἱ δὲ ξεῖς θρόνοι τὰ ἰδιόχειρα γεγρά-
φασί σοι, ὅτι ἐδέξαντό σε. καὶ ἐ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ
πάλαι, Θεῦ δόξα. καὶ ἰδὲ λέγομεν καὶ γράφομεν,
ὅσις ἐκ ἀποδέχεταί σε πατριάρχην, ἐπικατάρατός ἐστιν
ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱῦ καὶ ἁγίε πνεύματος. φυλάξαι σε
ὁ Χριστὸς, πάτερ ἡμῶν ἅγιε, καὶ τὸν ποίμνιόν σε. καὶ
προθείησι δόξαν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλ-
λοντι, λιταῖς τῶ ἁγίε Πέτρε τῶ κορυφαίε, καὶ πάν-
των τῶν μαθητῶν.

Μετὰ δὲ τὴν τοιάτε γράμματος ἀνάγνωσιν ἡ
ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἐλθέτω δὴ καὶ τὸ τῶ ἀδελφῶ
καὶ συλλειτεργῶ ἡμῶν Ἀβραμίε Ἀμιδῶντε καὶ Σα-
μοσάτων μητροπολίτου γράμμα, καὶ ἀναγνωσθήτω.
λαβὼν οὖν καὶ τοῦτο ἐπὶ χεῖρας ὁ ἀνωτέρω μνημο-
νευθεὶς Φώτιος χαρτοφύλαξ, ἀνέγνω περιέχον
οὕτως.

Τῷ ὑπὸ τῶ ἁγίε πνεύματος ἐλλαμπομένῳ πατρὶ
πατέρων κυρίῳ Φωτίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινου-
πόλεως, Ἀβράμιος ἁμαρτωλὸς, μαθητὴς σε, μη-
τροπολίτης Ἀμιδῶντε καὶ Σαμοσάτων Ἀρμενίας.

Μακροημερεύσαισε, πνευματικὲ πάτερ ἅγιε, ὁ
Θεὸς, καὶ μονίμως τὴν τιμιότητά σε ἀναδεί-
ξαι· καὶ ἐκπληρώσειέ σοι τὴν αὐτῦ θέλησιν, καὶ προ-
θείησι δώροιῶν τὴν σὴν ἁγιωσύνην· καὶ δωρήσαι-
τό σοι βίον ἐπιμήκισον, χαριζόμενός σε τῇ αὐτῦ ἁ-
γίᾳ ἐκκλησίᾳ, διὰ τῆς δυνατοσδέκτων εὐχῶν σε, τῇ
τῶ ἁγίε πνεύματος ἐνεργείᾳ. γέγραφα πρὸς τὸν ὑ-
πὸ τῶ ἁγίε πνεύματος κεκαθαρμένον πατέρα ἅγιον
κἀγὼ σὺν πάσῃ μου τῇ ποίμνῃ, καὶ βελτίσῃ ᾖ ὑπὸ
Θεῦ χορηγουμένῃ μοι διαγωγῇ ὑπάρχων· καὶ ὑπὲρ τού-
της αὐτῷ τῷ Θεῷ δόξα. ἐκ ἐπαυσάμεθα δὲ διερω-
τῶντες ἀκριβῶς, ἕως ἀνεμάθομεν περὶ τῆς ἀγγελιῶν
σε, ὡς ἐκ Θεῦ ἐποφείλεται ἡμῖν. χαίρομεν οὖν ἐν
τῇ χαρᾷ σε, ὡς καὶ ἐν ταῖς λύπαις ἐλυώμεθα. καὶ
γὰρ πληροφορύμεθα περὶ τῆς ἁγιότητός σε καὶ πνευ-
ματικῆς διαθέσεως, καὶ φιλοπτωχίας, καὶ τῆς τῶν
ἀπόρων συμπαθείας. ἐν οἷς τερπόμεθα καὶ ἀγαλ-
λιώμεθα· καὶ παρακαλέμεν τὸν φιλόδωρον καὶ ἐλεή-
μονα Θεὸν, ἐν πολλοῖς σε διαμένειν ἔτεσιν ἐν γλυκεῖ
ἀγαθῇ, καὶ μεγαλύνειν ἐν περισσείᾳ τὰς αὐτῦ ἁγίας
ἐκκλησίας τε καὶ μονὰς διὰ τῆς χειρῶν σε· καὶ ἐν ταῖς

bis & in nobis. Accidit vero nobis calamitas ab Ebintaclumo. Obsecramus autem Deum, ut vexationes ejus depellat a nobis. Multavit enim ecclesiam Antiochiæ multis pecuniis. Sed propter peccata nostra perpessi sumus hæc omnia. Sed quoniam servavit Deus patrem Cosmam sacerdotem, ut ad nos usque perveniret, gavisi sumus. Quoniam Deus texit eum in via sua, & operuit nuncios suos & mandata Imperatoris, donec aperientur nobis. Erat autem apud me abbas Thomas metropolita, qui ex Tyro advenerat ut consolaretur nos super calamitate quæ nobis obtigit; & venit ad pœnitentiam, & petiit veniam, tum nobis, tum Michaeli Alexandriæ præsidi, confitens lapsum suum: & ut scriberemus pontificatui tuo pro eo: & ipse confessus est scripto. Et ne claudas, pater sancte, viscera tua & misericordiam tuam ab ipso. Gloria sit Deo, qui reduxit te in sedem tuam. Tres utique sedes propria manu ad te scripserunt, te a se suscipi, neque nunc solum, sed olim etiam Deo volente. Et ecce dicimus & scribimus: Quisquis non agnoscit te patriarcham, maledictus est a Patre & Filio & Spiritu sancto. Custodiat te Christus, pater noster sancte, & gregem tuum: & adjciat tibi gloriam in hoc sæculo & in futuro, precibus sancti Petri coryphæi & omnium Apostolorum.

ANNO CHRISTI 879.

Post lectionem autem hujus epistolæ sancta synodus dixit: Prodeat sane etiam fratris ac comministri nostri Abramii Amidorum & Samosatorum metropolita scriptum, & legatur. Accipiens igitur etiam illud in manus supra memoratus Photinus Chartophylax legit, quod sic habebat:

A Spiritu sancto illustrato patri patrum, domino Photio Patriarchæ Constantinopoleos, Abramius peccator, discipulus tuus, metropolita Amidarum & Samosatorum Armeniæ.

Longitudinem dierum tribuat tibi, spiritalis pater sancte, Deus, & stabilem constituat reverentiam tuam, & compleat tibi suam voluntatem, & adjiciat tibi cumulans bonis tuam sanctitatem, & impertiat tibi vitam longissimam; donans te suæ sanctæ ecclesiæ, per tuas acceptabiles orationes, virtute & actu Spiritus sancti. Scripsi ad mundatum a Spiritu sancto patrem sanctum etiam ego, cum universo meo grege, quem Deus in optimo vitæ instituto mihi tuetur: pro qua re sit Deo ipsi gloria. Non destitimus autem interrogare diligenter, donec didicimus aliquid de te novi, quod a Deo debebatur nobis. Gaudemus igitur de tuo gaudio, quemadmodum in doloribus tristabamur. Etiam certam persuasionem habemus de tua sanctitate & affectu spiritali & amore ergo paupere, & erga inopes commiseratione: propter quæ delectamur & exsultamus; & obsecramus munificum ac misericordem Deum, ut multos annos perseveres in generatione bona, & magnificet opum abundantia sanctas

suas

ANNO CHRISTI 879.

——ſuas eccleſias & monaſteria per manus tuas; & in diebus tuis depellat ab ipſis omne damnum & ſcandalum : revocet autem omnes qui aberraruut, ad ſuam obedientiam; interceſſione Dominæ noſtræ, quæ Mater Lucis eſt & S. Joannis Baptiſtæ, & omnium ſanctorum. Amen.

Miſſa eſt ad me, pater ſancte, Theodoſii patriarchæ Antiochiæ epiſtola, cum literis abba Michaelis Papæ Alexandriæ, per abbatem Coſmam. Continebant autem eæ literæ, ut & ipſi & ipſorum greges tranquille degerent : quam pacem Dominus illis nobiſcum conſervet. Narrabant autem eæ literæ etiam de Thoma Tyri, & de Elia & de Joſeph, qui ſe ipſe promulgavit in quo non erat gradu. Sed Deus retribuit ipſi ut erat dignus, & ſocius ipſius Eliæ. Tyri autem præſul confeſſus eſt lapſum ſuum coram patriarchis, de iſtorum prævaricatione & molitione. Deus autem judex illorum eſt. Ipſe impenſe rogat, & veniam petit. Judex eſto Deus eorum, qui diviſerunt eccleſiam ſuam ſanctam; & viſitet nos in miſericordia per ſanctas orationes tuas.

Scripſerunt autem ad me, divine pater, patriarchæ, ſignificantes mihi ſic : Quiſquis non pronunciat dominum Photium patriarcham Conſtantinopoleos, ſit anathema a Patre & Filio & ſancto Spiritu. Et nos humiles ipſorum diſcipuli anathematizamus eodem anathemate, & ſuſcipimus quod ipſi ſuſcipiunt : dicentes. Si quis non ſuſcipit ſanctiſſimum patrem noſtrum Photium patriarcham Conſtantinopoleos, & prædicat ipſum aperte & publice; ſiquidem metropolita aut epiſcopus aut præpoſitus, aut alius quiſpiam reliqui ſive principalis ſive tenuis populi eſt, talis intelligat, ſe anathema eſſe & ejectum ex eccleſia Dei, & partem ejus cum Juda Iſcariota fore. Et quiſquis hæc audit, dicat, Fiat, fiat. Obſecramus eum qui beneficus eſt in ſervos ſuos, donet nobis ut diu vivas. Et augeat Deus optimi Imperatoris annos & filiorum ejus; & nos dignetur glorioſo conſpectu veſtro: & magnificet Chriſtianiſmum in diebus veſtris. Deum autem obteſtor, pater ſancte, ut cuſtodiat te & protegat per ſuam miſericordiam, ut avertat a te omnem nequitiam & omne ſcandalum, & ab optimo Imperatore & liberis ejus. Magnificet ipſos Dominus Deus. Amplectatur teipſum, pater ſancte, ſuaviſſimæ pacis amplexu. Denunciamus autem Dei amantiſſimo gregi tuo & toti clero: Miſericordia & pax Dei erit vobis.

Noveris autem, ſanctiſſime pater, ſpiritui noſtro calamitatem Antiochiæ obtigiſſe ab Ebintaclumo. Non poſſunt autem hæc per epiſtolam enarrari. Sed abbas Coſmas cuncta narrabit. Patriarcha Hieroſolymorum obdormivit in Domino. Det Dominus preces ejus. Suſcepit autem ſedem illius abbas Elias Damaſcenus.

Sancta ſynodus dixit : De venia quidem jam ſupra diximus, penes ſanctiſſimum dominum noſtrum eſſe indulgendi poteſtatem : quandoquidem & adverſus ipſum in primis admiſſum peccatum eſt : ſchiſmata vero eccleſiæ præterierunt, videlicet, *ut qui pro-*

1. Cor. 11. 19.

A ἡμέραις σε ἀποδιώξαι ἐξ αὐτῆς πᾶσαν βλάβην καὶ σκάνδαλον· ἐπιστρέψαι τε καὶ πάντα τὰ πεπλανημένα πρὸς τὴν αὐτὸν ὑπακοήν, * πρεσβ. εἰ τῆς μητροφώτης δεσποίνης ἡμῶν, καὶ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ, καὶ πάντων τῶν ἁγίων. ἀμήν.

Ἀπεστάλη δέμοι, πάτερ ἅγιε, γράμματα παρὰ τοῦ ἁγίου παπᾶ ἡμῶν Θεοδοσίου τοῦ πατριάρχου Ἀντιοχείας, μετὰ καὶ γράμματος τοῦ ἀββᾶ Μιχαὴλ τοῦ πάπα Ἀλεξανδρείας διὰ τοῦ ἀββᾶ Κοσμᾶ. περιεῖχον δὲ τὰ γράμματα περὶ τῆς αὐτῶν καὶ τῆς ποίμνης αὐτῶν εἰρηνικῆς διαγωγῆς, ἣν κύριος διατηρήσαι αὐτοῖς τε καὶ ἡμῖν. περιεῖχον δὲ τὰ γράμματα καὶ περὶ Θωμᾶ τοῦ τῆς Τύρου, καὶ Ἠλία, καὶ Ἰωσὴφ, B τοῦ προσαγορεύσαντος ἑαυτὸν ἐν ᾧ οὐκ ἦν βαθμῷ. πλὴν ὁ Θεὸς ἀνταπέδωκεν αὐτῷ, καθὼς ἦν ἄξιος, καὶ τῷ συμμετόχῳ αὐτοῦ Ἠλίᾳ. ὁ δὲ τῆς Τύρου πρόεδρος ἐξηγόρευσεν αὐτοῦ τὸ πταῖσμα ἐνώπιον τῶν πατριαρχῶν, περὶ τῆς αὐτῶν παραβάσεώς τε καὶ πράξεως· ὁ δὲ Θεὸς αὐτῶν ἐστι κριτής. αὐτὸς ἐκλιπαρεῖ, καὶ αἰτεῖται συγχώρησιν. γνώμων κριτὴς ὁ Θεὸς τῶν χισάντων τὴν ἁγίαν αὐτοῦ ἐκκλησίαν. καὶ ἐπισκέψεται ἡμᾶς ἐν ἐλέει, διὰ τῶν ἁγίων δεήσεων σου.

Ἔγραψαν δὲ πρός με, πάτερ θεσπέσιε, οἱ πατριάρχαι, δηλοῦντές μοι ὅτι πᾶς ὁ μὴ κηρύσσων τὸν κύριον Φώτιον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως, ἔστω ἀνάθεμα ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. C καὶ ἡμεῖς οἱ ταπεινοὶ αὐτῶν μαθηταὶ ἀναθεματίζομεν τῷ αὐτῷ ἀναθέματι, καὶ ἀποδεχόμεθα ὃ αὐτοὶ ἀποδέχονται· εἴ τις οὐκ ἀποδέχεται, λέγοντες, τὸν ἁγιώτατον πατέρα ἡμῶν τὸν κύριον Φώτιον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως, καὶ κηρύσσει αὐτὸν ἐμφανῶς καὶ πανδημεί, εἰ μήτε ἐστὶ μητροπολίτης, ἢ ἐπίσκοπος, ἢ ἄρχων, ἢ ἄλλος τις τοῦ ἐπιλοίπου ἡγεμονικοῦ καὶ ψιλοῦ λαοῦ, ὁ τοιοῦτος γνώτω, ὅτι ἐστὶν ἀνάθεμα ἐστὶ καὶ ἀφορισμὸν ἐκ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ μερὶς αὐτοῦ μετὰ Ἰούδα τοῦ Ἰσκαριώτου. καὶ πᾶς ὁ ἀκούων εἴποι· γένοιτο, γένοιτο. παρακαλοῦμεν τὸν D εὐεργετοῦντα τοὺς δούλους αὐτοῦ, εὐεργετῆσαι ἡμῖν τὸν μακροβίωσίν σου. καὶ πληθύναι ὁ Θεὸς τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως τοὺς χρόνους, καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ· καὶ ἀξιώσαι ἡμᾶς τῆς ἐνδόξου θέας τοῦ προσώπου ὑμῶν· καὶ μεγαλύναι τὸν χριστιανισμὸν ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν. ἐκλιπαρῶ δὲ τὸν Θεόν, πάτερ ἅγιε, σὲ φυλαχθῆναί σε καὶ σπεπαθεῖαι τῇ αὐτοῦ συμπαθείᾳ· ἀποδιωχθεῖαί τε ἀπὸσοῦ πᾶσαν πονηρίαν καὶ σκάνδαλον, καὶ ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως, καὶ τῶν τέκνων αὐτοῦ. μεγαλύναι αὐτοὺς κύριος ὁ Θεός. ἄσπασαι σεαυτὸν, πάτερ ἅγιε, τῇ ἡδυτάτῃ εἰρήνῃ καὶ ἀσπασμῷ. ὑπαγορεύομεν δὲ καὶ τῇ θεοφιλεστάτῃ σου ποίμνῃ, ὅλῳ τῷ κλήρῳ· ἔλεος καὶ εἰρήνη Θεοῦ ἔστω ὑμῖν.

Γνῶθι δὲ, ὦ πανάγιε πάτερ, ὅτι τῷ πνεύματι ἡμῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ σωρεύθη συμφορὰ ἐκ τοῦ Ἐβιντικλοῦμ. ἐκ δὲ ταῦτα διηγήσασθαι τῷ γράμματι. ὁ δὲ ἀββᾶς Κοσμᾶς πάντα διηγήσεται. ὁ πατριάρχης Ἱεροσολύμων ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ· χαείσαιτο ἡμῖν κύριος τὰς εὐχὰς αὐτοῦ. διεδέξατο δὲ τὸν θρόνον ὁ ἀββᾶς Ἠλίας ὁ Δαμασκηνός.

Ἡ ἁγία συνοδος εἶπε· περὶ μὲν τῆς συγχωρήσεως προείπομεν, ὅτι εἰς τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην κεῖται ἡ ἐξουσία τοῦ συγχωρεῖν· ἐπειδὴ καὶ πρὸς αὐτὸν προηγεμένως ἐπεξήετο πλημμέλημα. τὸ δὲ χίσματος τῆς ἐκκλησίας παρεχωρήθη, ὡς ἔοικεν, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται. ὁ Θεὸς φυλάξαι

τὸν

τὸν δεσπότην ἡμῶν τὸν ἅγιον. ὁ Θεὸς μακρονημέρευσαι αὐτόν· ὅτι πᾶν σκάνδαλον ἐκ τοῦ μέσου ποιησάμενος, καὶ τὰς αἰτίας πάσας καταργήσας τῆς σχισμάτων, τὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν ἡμῖν καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐβράβευσεν.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς τῶν ἀνατολῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων εἶπον· εἰ μὴ τὰ τραύματα μεγάλα ἐγίνοντο, οὐκ ἂν ἡ τοῦ ἰατροῦ ἐθαυμάζετο σοφία καὶ τέχνη. νῦν δὲ ὅσον ὁ πονηρὸς ἠβουλήθη διαρρῆξαι καὶ τραυματίσαι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, τοσοῦτον ἡ σοφία καὶ τέχνη τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν ἀρχιερέως διεφάνη· ὃς διὰ τῆς θεραπευτικῆς καὶ θείας μεθόδου πάντας τοὺς μώλωπας ἐξιασάμενος, ὁλόκληρον καὶ ὁλοτελὲς τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ πολλαῖς καὶ παντοδαπαῖς ἐπιμελείαις εἰργάσατο.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· εὐχαριστία τῷ Θεῷ, καὶ τῷ μεγάλῳ καὶ ὑψηλῷ βασιλεῖ, τῷ τε κυρίῳ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ Ἰωάννῃ· ὅτι δι' αὐτῶν ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ τὴν εἰρήνην καὶ τὴν ὁμόνοιαν ἔλαβεν. ἡ ἁγία συνοδος εἶπε· πάντες ὀφείλομεν ὑπὲρ τῆς τοιαύτης μεγίστης καὶ παντελοῦς ὁμονοίας καὶ εἰρήνης εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ, πάντες δοξάζειν. τοῦτο ὁ Θεὸς ἀσάλευτον διατηρήσαι, αἰωνίως διαφυλάξαι. πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων.

ANNO CHRISTI 879.

bati sunt, manifesti fiant. Custodiat Deus sanctum dominum nostrum. Det ei Deus longitudinem dierum: ut omni scandalo e medio sublato, causisque schismatum abolitis, pacem & concordiam nobis & ecclesiæ Dei largiatur.

Sanctissimi legati Pontificalium sedium Orientis dixerunt: Nisi vulnera magna essent, non esset admirationi sapientia & ars medici. Nunc vero quantum malignus voluit disrumpi ac vulnerari ecclesiam Dei, tantum sapientia & ars sanctissimi Pontificis nostri conspicua fuit: Qui per medicam ac divinam artem sanans vulnera, integrum & omnibus suis partibus constans ecclesiæ Christi corpus multa & multiplici cura effecit.

Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt: Gratias Deo, & magno celsissimoque Imperatori, & domino nostro sanctissimo atque œcumenico Papæ Joanni; quod per ipsos ecclesia Dei pacem & concordiam accepit. Sancta synodus dixit: Omnes debemus pro tali maxima integraque concordia gratias Deo referre, omnes decet sic glorificare: Hanc Deus inconcussam serva, hanc in æternum custodi. Multos annos imperatoribus.

ΠΡΑΞΙΣ Γ.

Τῇ ἐννέα καὶ δεκάτῃ τοῦ Νοεμβρίου μηνὸς, ἡμέρᾳ ε. ἰνδικτιῶνος ιγ'.

ACTIO TERTIA.

Die XIX. Novembris mensis, feria quinta, Indictione XIII.

Προκαθεδρεύοντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τῆς κατηχουμενείων τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας. καὶ συγκαθεδρευόντων αὐτῷ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερατικῶν θρόνων· ἐν μνήμῃ δὲ ἄλλα καὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν· φημὶ δὴ Προκοπίου Καισαρείας, Γρηγορίου Ἐφέσου, Ἰωάννου Ἡρακλείας, καὶ πάντων τῶν ἐν τῇ προγεγραμμένῃ πράξει μνημονευθέντων· Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις πρὸς τὴν ἁγίαν συνοδον εἶπεν· ἁγιώτατοι ἀρχιερεῖς καὶ συλλειτουργοί, πάντως μνημονεύετε, ὡς ἐλαλήσαμεν τῇ παρελθούσῃ συνόδῳ, ὅπως τὴν πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου παπα πεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν ἐνώπιον ὑμῶν ἀναγνώμεν. ἰδοὺ ἐν τοῖς ὑποχείροις πεπληρώκαμεν. καὶ εἰσωνδοκεῖ ἡ ὑμετέρα ὁσιότης, κατ' ἐνώπιον ὑμῶν ἀναγνωσθῆναι. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

PRæsidente Photio sanctissimo nostro patriarcha dextra parte cathecumeniorum sanctissimæ Dei magnæ ecclesiæ, & cum eo sedentibus sanctissimis legatis veteris Romæ, & sedium Pontificalium Orientis: verum etiam Dei amantissimis metropolitis: scilicet, Procopii Cæsareæ, Gregorio Ephesi, Joanne Heracleæ, & omnibus in priore actione commemoratis: Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis ad sanctam synodum dixit: Sanctissimi Pontifices & comministri: Meministis omnino, dixisse nos in præterita synodo, allatam a nobis fuisse coram vobis missam a sanctissimo Papa ad sanctitatem vestram epistolam. En igitur promissum implevimus; ac si vestræ sanctitati placet, coram vobis legatur. Et accipiens Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius legit.

Ἰωάννης δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τοῖς εὐλαβεστάτοις καὶ ἁγιωτάτοις πᾶσιν ἐπισκόποις, ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς ἡμῶν, τῆς ἐκκλησίας τῶν Κωνσταντινοπολιτῶν, καὶ πᾶσι τοῖς αὐτῷ ἀποδεχομένοις, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἄλλαις πρώταις ἐκκλησίαις Ἱεροσολύμων, Ἀντιοχείας, Ἀλεξανδρείας, καὶ τοῖς αὐτῶν τῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων προεδροις.

Joannes servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis omnibus episcopis, fratribus & comministris nostris ecclesiæ Constantinopolitanorum, & omnibus qui illam suscipiunt, & reliquis aliis primis ecclesiis, Hierosolymorum, Antiochiæ, Alexandriæ, & earumdem Pontificalium sedium præsulibus.

In Actis hujus synodi Card. Baronius multa dicit esse corrupta & falsata: nos hanc saltem epistolam confictam esse eo consilio arbitramur, ut credantur summi Pontifices agnovisse patriarcham Constantinopolitanum œcumenicum, & pastorem patriarchæ Orientis, & summo Pontifici parem.

Τὰ ὑγιαίνοντα ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, δεξάμενοι τῆς σώσεως καὶ ὁμονοίας ἐν τῷ μέρει Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου γράμματα, πάνυ ἐν αὐτοῖς ἐχάρημεν. ἵνα ὁμοίως πάντες ἐν κοινωνίᾳ

VEstras sinceras, fratres carissimi, postquam accepimus unitatis & concordiæ pro Photio sanctissimo patriarcha literas, his plurimum gavisi sumus, ut pariter in com-

munione Patris & totius orbis concordia quæ sunt Domini nostri Jesu Christi, sapiamus & diligamus, & quæ vestræ conveniunt piæ caritati, & quæ sunt sanctissimæ animæ vestræ accommodatæ; ut non sint in vobis schismata: sed ut noveritis quærere, & pulsare, & invenire. Nos vero sedis Apostolicæ commiseratione permoti, quemadmodum compatimur & condolemus super his qui dissident, separatique sunt a Christi corpore, æmulanturque ea quæ sunt dissidii & erroris propria magis, quam quæ Jesu Christi, tenere; ita gaudemus conjunctione pacis ac dilectionis quæ est in fraternitate vestra; & precamur semper assidue, *ut sine querela & simplices* permaneatis, juxta Apostolum: & ut semper *Deus pacis vobiscum sit*. Itaque vere solicita vestra valde in bono æmulatio imploravit caritatem per declarationem beati principis Apostolorum Petri, ut Photium sanctissimum patriarcham in gradibus præfecturæ Constantinopolitanorum ecclesiæ restitutum amplecteremur & simul vobiscum susciperemus: Hoc vere alacri ac perlubenti animo implevimus: custodientes quod in evangelio dictum est primo pastori, cui Dominus ait: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. His enim excitati divinis eloquiis, & potestatem habentes pleniissimam, quatenus irreprehensibiles & indemnati possitis permanere, auxilium & opem ferre omnibus Christianis, quæ celebrata est usque in extremum terræ. Potissimum vero secuti decessorum nostrorum Dei Pontificum exempla; Hadriani, inquam, Papæ felicis recordationis; quemadmodum ille fecit opem ferens Tarasio, qui inter sanctos est, patriarchæ, quando quidam adversus ipsum turbas & dissidia concitarunt. Nam ille qui est inter sanctos patriarcha Constantinopoleos Tarasius misit tunc temporis literas synodicas, servans consuetudinem. Quas nos literas excipientes, & ex his discentes rectam ipsius fidem quam haberet tum circa alia dogmata, tum circa sanctas ac venerandas imagines, & invenientes eum consentientem sanctis sex œcumenicis synodis, excepimus eum libenter, & assensi ei sumus; tametsi non sine dolore tulimus, nec sine molestia, quod a sæculari ordine & imperiali ministerio a caligis, in magnam sedem ascendit, nec secundum canones nostros constitutus est patriarcha. Et quidem loqui difficile tunc fuit: silere autem, rursum periculosum. Neque enim oportet pastores doceri: neque priusquam didicerint, magistros vocari: sed ut animadvertant ne peccata metant animarum, quæ sunt ipsis commissæ; neque in gradum sapientiæ, cujus ignorantiam habent, prosilire studeant. Nosse enim oportet quam superbum, quamque sit formidandum, ignarum rerum divinarum & imperitum, ex mundana occupatione & indocta conversatione in gradum ascendere magisterii. Nam quis exercitui præesse dux potest, nisi quem omnium testimonio constet, posse labore & solicitudine commissum sibi populum conservare? Quod si ita est, quanto magis animæ ei * committentur? Et in fastigium episcopatus ascendet, qui ecclesiasticam disciplinam ignorat: & bellis civilibasque negotiis implicitus statim in culmen

Philipp. 2. 15. & 4. 9.

* Forte, non comm.

παξὸς καὶ οἰκυμμικῆ συμφωνίᾳ τὰ τῆ κυείᾳ ἡμῶν Ἰησῆ Χριστῆ φρονῶμεν καὶ σέργωμεν, καὶ ἃ πρέπει τῆ ὑμετέρᾳ ἁγιοσεβεῖ ψυχῆ ἁρμόζει, καὶ ὁσιωτάτη ψυχὴ καθέστηκεν ἁρμόδια· ἵνα μὴ ὦσιν ἐν ὑμῖν σχίσματα· ἀλλ' ἵνα γινώσκητε ζητεῖν, καὶ κρούειν, καὶ ἀνοίγειν. ἡμεῖς δὲ τῇ συμπαθείᾳ τῆ ἀποστολικῆ θρόνῳ κινούμενοι, ὥσπερ συμπάσχομεν καὶ συναλγοῦμεν ἐπὶ τοῖς διεστῶσι καὶ ἀπεχοινισμένοις τῆ σώματι τῆ Χριστῆ, καὶ φιλονεικοῦσι τὰ τῆς σάσεως καὶ πλάνης μᾶλλον ἢ τὰ τῆ Χριστῆ κρατεῖν, ὅτω χαίρομεν ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης καὶ ἀγάπης τῆς ἀδελφότητος ὑμῶν· καὶ ἀνεχόμεθα πάντοτε ἀδιαλείπτως, ἵνα ἀμέμπτοι καὶ ἀκέραιοι διαμένητε, κατὰ τὸν ἀπόστολον· καὶ ἵνα διαπαντὸς ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ᾖ μεθ' ὑμῶν. τοιγαροῦν ἀληθῶς ἡ πολυφρόντις ὑμῶν ἐπ' ἀγαθῷ φιλονεικία ᾐτήσατο ἀγάπην διὰ ἀποδείξεως τῆ μακαρίᾳ καὶ κορυφαίᾳ πάντων ἀποστόλων Πέτρᾳ, ὥστε Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἐν τοῖς κλίμασι τῆς ἐπαρχίας τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ἀποκατεστάντα ἀσμενίσωμέν τε καὶ σωαποδεξώμεθα. τοῦτο δὲ προθύμῳ καὶ λαμπροτάτῃ ψυχῇ, κατέχοντες τὸ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἰρημένον τῷ πρωτοποιμένι, ᾧ ὁ κύριος λέγει· ἐγὼ παρεκάλεσα περὶ σοῦ, Πέτρε, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στερέωσον τοὺς ἀδελφούς σου· ἀπεπληρώσαμεν. τούτοις γὰρ διανασάντες τοῖς θείοις λογίοις, καὶ ἐξουσίαν ἔχοντες ἀνεπιλήμπτως διαμένειν, ἐφόσον ἀμέμπτοι καὶ ἀκατάγνωστοι δυνάμεθα διαμεῖναι, βοήθειαν καὶ συνέργειαν φέρειν πᾶσι χριστιανοῖς, τοῖ ἐξηχηθεῖσαν εἰς πάντα τὰ πέρατα· μάλιστα δὲ ἑπόμενοι τοῖς τῶν πρὸ ἡμῶν ἀρχιερέων Θεῆ παραδείγμασι, λέγω δὴ Ἀδριανῆ τῆ σὺν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ πάπα, καθὼς ἐκεῖνος ἐποίησε συνεργήσας Ταρασίῳ τῷ σὺν ἁγίοις πατριάρχῃ, ὁπλοίκα τινὲς * πρὸ αὐτὸν ταραχὰς καὶ σάσεις ἐποίεν. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ὁ σὺν ἁγίοις παπιάρχης Κωνσταντινουπόλεως Ταράσιος ἀπέστειλε τότε συνοδικὰ γράμματα, πληροῦν τὸ κατ' ἔθος· ἃ ἡμεῖς δεξάμενοι, καὶ τὸ ὀρθὸν τῆς αὐτῆ πίστεως ὅπερ ἔχει περί τε τὰ ἄλλα δόγματι, καὶ περὶ τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας μαθόντες, καὶ εὑρόντες σύμφωνα τοῖς ἁγίων ἓξ οἰκυμμενικῶν συνόδων, ἠσμενίσαμέν τε καὶ συνεφρονήσαμεν· εἰ καὶ ἐκ ἀλύπως ἠνέγκαμεν, οὐδὲ ἀταράχως, ὅτι ἀπὸ κοσμικῆ τάγματος καὶ βασιλικῆς ὑπηρεσίας, ἀπὸ καλίγων, καὶ ὁ κατὰ τὰς παρ ἡμῖν, εἰς τὸν μέγαν θρόνον * ἀνῆλθες, κανόνας κατέση πατριάρχης. καὶ τὸ μὲν λαλῆσαι ἦν χαλεπὸν, τὸ δὲ σιωπῆσαι πάλιν ἐπικίνδυνον. δεῖ γὰρ τοὺς ποιμένας μὴ διδασκομένους εἶναι, μηδὲ πρὸ τοῦ μαθεῖν καλεῖσθαι διδασκάλους· ἀλλ' ἵνα θεωρῶσιν, ὥστε μὴ θεῖσαι αὐτὰς ἁμαρτίαν ἐκ τῶν ψυχῶν ὧν ἐπισκόθησαν, μηδὲ εἰς τὸν βαθμὸν τῆς σοφίας, ὃ ἕτοιμον ἄγνοιαν ἔχουσιν, ἀναπηδᾶν σπουδάζωσι. δεῖ γὰρ εἰδέναι ὅσον αὐθάδες καὶ φοβερόν ἐστι ἁμαθῆ τῶν θείων ὄντα, καὶ ἀνεπιστήμονα, ἐκ κοσμικῆς πραγματείας καὶ ἀγελαίας συναναστροφῆς εἰς διδασκαλίας ἀναβαίνειν βαθμόν. ποῖος γὰρ στρατηγὸς στρατῆ καθηγεῖσθαι δυνατὸν, ἐὰν μὴ μαρτυρηθῇ παρὰ πάντων, ὅτι δύναται μόχθῳ καὶ φροντίδι τὸν καταπιστευθέντα αὐτῷ λαὸν σώζειν; εἰ δὲ τοῦτο, πόσῳ μᾶλλον ψυχὰς ἐμπιστευθήσεται; καὶ εἰς τὸ ὕψος τῆς ἐπισκοπίας ἀνέλθοι, ὁ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ μάθησιν ἀγνοῶν· καὶ στρατείαις καὶ πολιτικοῖς συμφυρόμενος πράγμασιν, ἀθέως εἰς τὸ ὕψος τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως τῆς

κο-

-κορυφαίας ἀναδραμεῖται· εἶτα ἐκεῖ ἀναβὰς, καὶ μηδὲν ἐπιστάμενος τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν, πῶς ἄλλους δύναται διδάξαι; διὰ τοῦτο ἡ κανονικὴ πρᾶξις συνεστήσατο, καὶ παρήνεσεν, ἵνα μὴ οὕτως ὁ ἀμαθὴς, καὶ μὴ εἰδὼς ποιμαίνεσθαι, εἰς ποιμένας εὐθὺς καὶ διδασκάλους ἀναβαίνῃ. διὰ τοῦτο δὲ καὶ ὁ προῤῥηθεὶς ἁγιώτατος Ταράσιος ἀπὸ λαϊκοῦ εἰς ἀρχιερωσύνην ἐλθὼν, ἐθορύβησε τινάς. ἀλλὰ διὰ τοῦ πιστοτάτου αὐτοῦ δρόμου, τουτ' ἔστι διὰ τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν ἁγίων εἰκόνων, τούτου χάριν ἅπαντες, οἱ τηνικάδε, εἰς τὴν αὐτοῦ ἀρχιερωσύνην ὁμονοήσαντες συνευδοκήσαμεν καὶ ἡμεῖς μετ' αὐτῶν· ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς παρούσης ὑποθέσεως, λέγομεν δὴ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀδελφοῦ ἡμῶν καὶ συλλειτουργοῦ. ἀλλ' οὐ χρὴ τὸ σπάνιον, νόμον γίνεσθαι· οὐδὲ, διότι παραδόξως οὗτοι ἐξέλαμψαν, κανόνα τοῦτο ποιεῖσθαι καὶ εἰς τοὺς ἄλλους. ἀλλὰ πρέπον ἐστὶν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, τὸν παλαιὸν νόμον συσφίγγειν· ἵνα ἀπὸ τοῦ παρόντος εἰς τὴν καθ' ὑμᾶς ἁγίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν τοῖς ὁμοίοις τρόποις μὴ παραβαίνωνται τῶν πατέρων οἱ κανόνες ἐν τούτῳ, μηδὲ αἰφνίδιον εἰς τὴν μεγάλην ἀξίαν τινὲς ἀνατρέχωσι.

Παρακαλοῦμεν δὲ καὶ τοῦτο τὴν ὑμετέραν ἀδελφότητα, ἵνα τὴν ἐπαρχίαν τῆς Βουλγαρίας, ἣν ὁ Θεὸς διὰ πρεσβείας τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου, καὶ τοῦ κόπου καὶ μόχθου τοῦ προηγησαμένου ἡμῶν, εἰς Χριστὸν ἐπέστρεψεν, ἀποδώσητε ἡμῖν. θέλομεν δὲ καὶ τοῦτο· ἵνα ἐὰν ᾖ τις δεδιωγμένος, ἢ ἀποσχίστης, διὰ τοῦ ὑμετέρου κόπου μοχθήσαντες ὑμεῖς μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Φωτίου, ὑπὲρ οὗ καὶ τὸν πόθον ὑμῶν διεχαράξατε, μετὰ πάντων ὑμῶν τῶν εὐσεβῶν ἔργων καὶ αὐτοὺς κερδήσητε· ὡς ἂν καὶ ἐν τούτῳ ἄμεμπτοι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ εὑρεθείητε. ὁ δὲ ἁγιώτατος καὶ θεοσεβέστατος ἀδελφὸς ἡμῶν Φώτιος ὁ πατριάρχης μὴ ἀπαξιώσῃ ἐνώπιον τῆς συνόδου τὴν χάριν καὶ τὴν σπουδὴν ἡμῶν, μᾶλλον δὲ τὰ σπλάγχνα τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἀνακηρύξαι· ὡς καὶ ἡμεῖς χάριτας αὐτῷ ἀδελφικὰς κατεθέμεθα, πατριάρχην αὐτὸν ἀποδεξάμενοι ἐννομώτατον καὶ κεκανονισμένον. * συγκοινωνοῦντες τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου· καὶ πᾶσα ἡ ἐκκλησία τῶν Ῥωμαίων σπλάγχνα πατρικὰ ἐπεδείξατο εἰς αὐτὸν, παραδείγμασιν ἐπακολουθήσασα τῶν τε ἄλλων προηγησαμένων ἡμῶν, μάλιστα δὲ τοῦ μακαριωτάτου Ἰννοκεντίου, καὶ Γελασίου, καὶ πολλῶν ἁγίων ἀρχιερέων Ῥώμης. χρὴ γὰρ ὅσα εἰς κοινὴν σωτηρίαν συντελεῖ, πάντα προθύμως ποιεῖν. καὶ γὰρ πολλοὶ τῶν ἀρχιερέων τοὺς οἰκείους θρόνους ἀδίκως ἀποβαλόντες καὶ διωχθέντες ἐξ αὐτῶν, τῇ ἀποστολικῇ διαθέσει τοὺς ἰδίους θρόνους ἀπέλαβον. ὑμῶν δὲ ἀγαθῶν ὄντων, καὶ ἐπ' ἀγαθοῖς τὴν αἴτησιν ποιουμένων, καὶ ἐπὶ συμφέροντι κοινῶς τῆς οἰκουμένης, τίς οὕτω σκληρὸς καὶ ὠμὸς εὑρεθείη, ἵνα πρὸς τὴν ὑμετέραν αἴτησιν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, ἀπανθαδειάσῃ, καὶ ἀποδοκιμάσῃ τὴν κοινὴν τῶν ἐκκλησιῶν σωτηρίαν;

Ἰδοὺ τοίνυν ὑπηκούσαμεν καὶ ὑπακούομεν τῇ ὑμετέρᾳ ἀξιώσει· ἐπικυροῦντες καὶ ἐπιβεβαιοῦντες τὸν ποιμένα ὑμῶν Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην· καὶ δυσωποῦμεν τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν ἐν καλῇ ἀναστροφῇ διαμεῖναι, καὶ ἵνα μὴ ὦσιν ἐν ὑμῖν σχίσματα. ἀλλ' ἀποδεξάμενοι αὐτὸν αἰσίως ἅπαντες σὺν εἰλικρινεῖ προθέσει, ἀδιστάκτῳ γνώμῃ, καὶ ἀδόλῳ καρδίᾳ, καθὼς καὶ διεσημάνατε, τὸν αὐτὸν σύνδεσμον καὶ τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἐν Χριστῷ τῇ πάντων κορυφῇ συνάψητε, καὶ

A ecclesiasticæ dignitatis supremæ prosiliet: deinde illuc cum ascenderit, neque ullam partem attigerit legum ecclesiasticarum, quomodo poterit alios docere? Propterea canonica instituta admonent, ne sic imperitus, qui non noverit gregem pascere, inter pastores statim & magistros ascendat. Propterea & ante dictus Tarasius ex laico in Pontificatum ascendens, nonnullis causam tumultuandi dedit. Sed propter ipsius plenum fidei curriculum, hoc est, propter restitutas ab eo sacras imagines, hujus rei gratia omnes ea tempestate in ejus Pontificatum concorditer assensi sumus, & nos cum illis: quemadmodum in præsenti causa, Photii nimirum sanctissimi fratris nostri & comministri. B Sed nos oportet quod raro fit, vim legis habere: neque quoniam hi mirum in modum fulserunt, regulam istud & pro aliis fieri: sed decet, fratres carissimi, veterem disciplinam constringere, ne in posterum adversus nostram sanctam Dei ecclesiam simili modo infringantur patrum regulæ in ea re; neve repente in supremam dignitatem nonnulli prosiliant.

Adhortamur autem & super hac re vestram fraternitatem, ut Præfecturam Bulgariæ, quam Deus per intercessionem beati Petri Apostoli, & magnum laborem decessorum nostrorum ad Christum adduxit, nobis C restituatis. Volumus autem & hoc: ut si quis fuerit ejectus aut separatus, vestro vos labore, satagentes cum sanctissimo patriarcha Photio, pro quo etiam vestrum ardorem declarastis, inter omnia vestra pia opera etiam hos lucremini: ut hac etiam parte sine reprehensione coram Deo inveniamini. Sanctissimus autem ac religiosissimus frater noster Photius patriarcha ne turpe ducat coram synodo gratiam & favorem nostrum, seu potius viscera Romanæ ecclesiæ prædicare, quemadmodum etiam nos gratiam in illum fraternam contulimus, patriarcham ipsum agnoscentes legitimum & secundum canones constitutum, consortem beati Petri Apostoli: D & omnis ecclesia Romana exhibuit erga eum paterna viscera, exemplum secuta aliorum prædecessorum nostrorum, in primis vero beatissimi Innocentii & Gelasii, & multorum sanctorum Pontificum Romæ. Oportet enim quæcumque ad communem salutem conferunt, ea propenso animo fieri. Multi enim Pontifices suas sedes injuste amittentes & ex iisdem ejecti, Apostolica dispositione proprias sedes receperunt. Vos autem, cum sitis boni, & bona sint quæ petitis, & ad communem orbis terrarum utilitatem; quis adeo rigidus sævusque sit, ut petitioni vestræ, fratres carissimi, adversetur superbe, & communem ecclesiarum salutem improbet? E

Ecce igitur obsecuti sumus & obsequimur postulationi vestræ, ratum habentes & confirmantes pastorem vestrum Photium sanctissimum patriarcham; & rogamus vestram reverentiam in bona conversatione permanere, & ut non sint in vobis schismata: sed suscipientes ipsum decenter cum sincero proposito, certa sententia, & simplici corde, quemadmodum & significastis, eamdem conjunctionem & eamdem caritatem in Christo om-

ANNO CHRISTI 879.

nium capite coalescere faciatis ; & nemo posthac in vobis res novas moliatur . Nam qui illum non suscipit , non habet partem nobiscum : Quemadmodum qui suscipit ipsum, & nos suscipit. Oportet enim vos , cui nos manum porrigimus , nobiscum porrigere , ut & nos cui manum porrigitis , vobiscum porrigamus. Sic enim impletur & illud: In uno spiritu & uno corde gloriscare omni dignum honore nomen Patris & Filii & Spiritus sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 879.

Abruptus epistolæ exitus : Nulla anni nota apposita, præter morem.

Post lectam epistolam sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt ; Recipit epistolam sanctitas vestra, & amplectimini cum sanctissimo patriarcha unionem & communionem? Sancta synodus dixit : Nos non semel iterumque , sed & sæpius diximus, ut & ante hanc venerandam epistolam. Et uniti sumus cum Photio sanctissimo nostro patriarcha , & indivulsi ab eo permanebimus omnibus diebus vitæ nostræ . Et qui non suscipiunt Pontificatum ejus sanctum & canonicum ac legitimum , tanquam alienos a pietate & canonicis constitutionibus ducimus ac reputamus . Et nunc autem gratias Deo referimus , & sanctissimo Papæ Joanni , tanquam concordi & consentienti nobis , & suscipienti unionem ecclesiæ Dei , & operam nobis conferenti ad omnem ecclesiæ nostræ constitutionem , & tanquam amplectenti ac suscipienti & toto cordis affectu conjuncto cum Photio sanctissimo domino nostro & Pontifici.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit : Et facitis quæcumque ea epistola continentur ? Sancta synodus dixit : Quæcumque sunt ad gloriam ecclesiæ Dei , hæc & fecimus , & suscepimus , & suscipimus , & immutabiles in eo proposito in æternum permanebimus . Quæcumque vero sunt alia , quæ non pendent ex nostro suffragio , sed ex magni celsissimique Imperatoris nostri administratione & judicio , hæc ipsius curæ ac providentiæ remittimus. Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt : Nihil epistola continet nisi conveniens & ex ratione . Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit : Continetur in ea epistola , ne quis ex laicis promoveatur ad dignitatem Pontificalem : & quod dedecus est ita facientibus . Nos quidem certe non nescimus , Sardicensem synodum prohibuisse ne hoc fieret . At neque ipsa omnem laicum arcet : sed certas quasdam designat personas : hoc est , e foro divitem , & e foro scholasticum . Tales vero hæc ecclesia per gratiam Christi nunquam suscepit . Præterquam quod etsi canon esset omnem omnino laicum arcens , nec localis etiam tum synodi , sed œcumenicæ , si quidem non haberet adversantem sibi consuetudinem , servari eum oporteret . Postquam vero multa consueto alicui regioni more videmus sæpe obliterare canonicas institutiones , nullum nobis dedecus adhæresit . Nam quæ utillitas est , si quis cum sit clericus aut monachus , aliter conversetur , quam fert ejus professio ? Quid vero impedimenti affert quod est a natura capillamentum , si in ordine laicali censitus , secundum evangelica præcepta vitam instituat , & dignum seipsum præbeat per opera sua , sacerdotali & pontificali dignitate?

μηδεὶς μηκέτι ἐν ἡμῖν τασιάζῃ. ὁ γὰρ αὐτὸν μὴ ἀποδεχόμενος, οὐκ ἔχει μέρος μεθ' ἡμῶν· ὥσπερ ὁ δεχόμενος αὐτὸν, καὶ ἡμᾶς δέχεται. δεῖ γὰρ ὑμᾶς ᾧτινι χεῖρα ἡμεῖς ὀρέγομεν, μεθ' ἡμῶν ὀρέγειν· ἵνα καὶ ἡμεῖς ᾧτινι χεῖρα ὀρέγετε, μεθ' ὑμῶν ὀρέγωμεν. οὕτω γὰρ πληρῶται καὶ τὸ ἐν σὶ πνεύματι καὶ μιᾷ καρδίᾳ δοξάζειν τὸ πάντιμον ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νυνὶ καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

Μετὰ τὸ ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολήν, οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀποδέχεται τὴν ἐπιστολὴν ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, καὶ ἀσπάζεσθε τὴν πρὸς τὸν ἁγιώτατον παπιάρχην σύνοσιν καὶ κοινωνίαν; ἡ ἁγία συνοδος εἶπεν· ἡμεῖς οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ἔφαμεν, ὡς καὶ πρὸ τῆς τιμιωτάτης ἐπιστολῆς ταύτης, καὶ ἡνώθημεν * Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν πατριάρχην· καὶ ἀχώριστοι αὐτοῦ διατελοῦμεν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. καὶ τοὺς μὴ ἀποδεχομένους τὴν ἀρχιερωσύνην αὐτοῦ ἁγίαν καὶ κανονικὴν καὶ σύνθεσμον, ὡς ἀλλοτρίους τῆς εὐσεβείας καὶ τῶν κανονικῶν διατάξεων καὶ ἡγούμεθα καὶ λογιζόμεθα. καὶ νυνὶ δὲ ἀχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ Ἰωάννῃ, ὡς ὁμονοοῦντι καὶ ὁμοφρονοῦντι ἡμῖν, καὶ ἀσπαζομένῳ τὴν σύνοσιν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ συνεργοῦντι ἡμῖν εἰς πᾶσαν τὴν τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας κατάστασιν, καὶ περιπτυσσομένῳ καὶ ἀσπαζομένῳ, καὶ ὁλοψύχῳ διαθέσει συνημένῳ πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην καὶ ἀρχιερέα.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπε· καὶ ποιεῖτε ὅσα τῇ ἐπιστολῇ ἐμπεριέχεται; ἡ ἁγία συνοδος εἶπεν· ὅσα εἰσὶν εἰς δόξαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ ἐποιήσαμεν καὶ ἀπεδεξάμεθα, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ ἀμετάθετοι ἐν ταύτῃ τῇ διαθέσει εἰς τὸν αἰῶνα διαμένομεν. ὅσα δέ εἰσιν ἕτερα, ἃ οὐκ ἀνήκουσιν εἰς τὴν ἡμετέραν γνώμην, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ μεγάλου βασιλέως ἡμῶν καὶ ὑψηλοῦ διοίκησιν καὶ κρίσιν, ταῦτα ἐκείνῃ τῇ φροντίδι καὶ προνοίᾳ ἀνατίθεμεν. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ὃ δὲ περιέχει τὸ γράμμα ἔξω τοῦ προσήκοντος λόγου. Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπε· περιέχεται τῇ ἐπιστολῇ, ὥς τε ἀπὸ λαϊκῶν μὴ προάγεσθαι εἰς ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, καὶ ὅτι αἰσχύνη ἐστὶ τοῖς τοῦτο ποιοῦσιν. ἡμεῖς μὲν οὖν οὐκ ἀγνοοῦμεν, ὡς ἡ ἐν Σαρδικῇ συνοδος κωλύει τοῦτο γίνεσθαι. πλὴν οὐδὲ αὐτὴ πάντα λαϊκὸν κωλύει, ἀλλ' ὡρισμένα ἔχει πρόσωπα. τετέσε τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς πλούσιον, καὶ τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς σχολαστικόν. τοιούτους δὲ ἡ ἐκκλησία αὕτη χάριτι Χριστοῦ οὐδέποτε ἐδέξατο. πλὴν εἰ καὶ κανὼν ἦν καθάπαξ ἅπαντα λαϊκὸν κωλύων, καὶ τότε οὐχὶ τοπικῆς συνόδου, ἀλλὰ οἰκουμενικῆς, εἰ μὴ ἐκ εἶχεν ἀντιμαχόμενον τὸ ἔθος, ἀνάγκη φυλάττεσθαι αὐτόν. ἐπεὶ δὲ πολλὰ τῷ ἐπιχωρίῳ ἔθει ὁρισθέντα καταχρατήσαντα πολλάκις κανονικῶν διατάξεων, εὐδεμίαν ἔχομεν αἰσχύνην προσευχομένην ἡμῖν. τί γὰρ ὄφελος, ἐάν τις ὢν κληρικὸς ἢ μοναχὸς, ἀλλοτρίως τοῦ ἐπαγγέλματος πολιτεύηται; τί δέ ἐστιν ἐμπόδιον, ἡ τῆς τριχῶν φυσικὴ περιβολὴ, ἐὰν ἐν τῷ τάγματι τῶν λαϊκῶν ἐξετυζόμενος κατὰ τὰς εὐαγγελικὰς διατάξεις πολιτεύηται, καὶ ἄξιον ἑαυτὸν παρασκευάζῃ, διὰ ὧν πράττει, καὶ τοῦ ἱερατικοῦ καὶ τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀξιώματος;

Ζαχαρίας ὁ θεοφιλέσατος μητροπολίτης Χαλκηδόνος εἶπε· τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην, καὶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, τὴν πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐκκλησίαν σπουδὴν σχόντας παραγνωμοῦντες, καὶ ὁ Θεὸς καὶ ἡ ἡμετέρα μετριότης ἀποδέχεται· καὶ γένοιτο καὶ ὑμῖν τυχεῖν τῆς ἴσων, τῆς χρείας ἀπαιτούσης. περὶ δὲ τῶν ἀπὸ λαϊκῶν, βούλομαι εἰπεῖν ὀλίγα. ὁ κανὼν φανερῶς τὴν αἰτίαν, δι' ἣν τινα κωλύει ἀπὸ λαϊκῶν δύσιν ἐπὶ τὸν μέγαν τοῦτον ἀναβιβάζεσθαι θρόνον. λέγει γὰρ ὅπως· ὡς ἐάν τις τῆς οἰκείας ἀρετῆς πεῖραν παράσχοι, καὶ ὁ τρόπος αὐτοῦ δοκιμασθείη. ὥστε ἐὰν μὴ ἱκανὰ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἔργα παρεσχηκὼς, καὶ τὸν τρόπον ἔχων δοκιμασθέντα, ὁ κανὼν τὸν τοιοῦτον οὐ κωλύει. μάρτυς τοῦ λεγομένου ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ δευτέρα συνόδος, οὐ λόγοις, πράγμασι δὲ μᾶλλον μαρτυροῦσα τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις. τὸν γὰρ Νεκτάριον ἄρτι τῷ θείῳ λουτρῷ προσελθόντα πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως ἀπέδειξεν. ἔχετε τοῦτου παράδειγμα Ἀμβρόσιον τὸν μέγαν, Ἐφραίμιον τὸν Ἀντιοχείας, Εὐσέβιον τὸν Καισαρείας, καὶ πολλοὺς, οὓς οὐδὲ ἐξαριθμήσασθαι ὀλίγα τὸ πλῆθος δυνάμεθα. εἰ βούλεσθε δέ καὶ γνώμιμον ἀνδρὸς διηγήσομαι, ὃν πατέρα καὶ καθηγητὴν ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία ἐπιγράφεται, καὶ τοὺς ἐκείνου λόγους κανόνας ὀνομάζει, καὶ ἀποδέχεται. ὧν ἓν τῶν ἐκείνου διηγήσομαι. περὶ γὰρ κατασάσεως ἐπισκόπων ἐπιστέλλων Ἀμφιλοχίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ Ἰκονίου, ἵνα πως φησίν. εἰ δέ ἐστί τις τῶν νεοφωτίστων, κἂν δοκῇ τῷ Μακεδονίῳ, κἂν μὴ, ἐκεῖνος προβληθήτω ἐπίσκοπος. τυπώσεις δὲ αὐτὸν πρὸς τὸ δέον * καὶ ὢν πᾶσι συνεργοῦντος, καὶ τιμὴν εἰς τοῦτο χάριν παρεχόμενος. ὥστε οὐ μόνον ἀπὸ λαϊκῶν δεῖ προβιβάζειν εἰς ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ νεοφωτίστων, ὡς αὐτὴ ἡ λέξις σαφῶς ἐδήλωσεν· ἂν ἄρα δηλονότι τὸν βίον δοκιμίοις ἔδωκεν, ὢν τῶν μυσταγωγουμένων ἔτι καθισάμενος χώρας. πλὴν εἰ μὴ δὲ τοῦτο ἦν, ἀλλ' ὧν οἱ ῥηθέντες ἅγιοι ἀρχιερεῖς, ἱκανοί εἰσι πᾶσαν αἰσχύνην καὶ πᾶσαν μέμψιν ἀφ' ἡμῶν ἀφελεῖν. τούτους γὰρ ἅπαντας τοὺς εἰρημένους ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἀποδεχομένη ἐκκλησία σαφῶς βοᾷ σήμερον, ὅτι οὐ δεῖ πείθεσθαι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις, ἀλλὰ μᾶλλον τοῖς πραττομένοις. ἐγὼ δὲ νυνὶ λέγω· καὶ ὢν αὐτῇ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐκ λαϊκῶν τινὲς εἰς ἀρχιερατικὸν θρόνον κατέστησαν, ὧν τὰ ὀνόματα ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη ἡμῶν μᾶλλον ἐπίσταται. ἀλλὰ καὶ τὸ ἔθος αὐτὸ ἱκανὸν ἐστι νικᾶν τὸν κανόνα. τοιαῦτα πολλὰ ὁρῶμεν σήμερον. ὑμεῖς οἱ φωστῆρες τῆς ἐκκλησίας, οἱ τὰς οἰκείας αὐγὰς * πᾶσαν τὴν οἰκουμένην πέμποντες, * ἐρεῖν ἔχετε, αὐτὸς ψηλαφῶντες καὶ ἐρευνῶντες, πολλὰ ποιοῦντας παρὰ τὸν κανόνα τοῖς ἔθεσιν ἑπομένους. ἀλλὰ καὶ τὸ ἔθος πολλάκις νικᾷ τὸ ἔθος. εἰς τὴν ἀνατολὴν εἰ μὴ ἐστί τις κεχαρισμένος ὢν Χριστῷ, ἐπίσκοπος ἢ πατριάρχης οὐ γίνεται. ἡ δὲ δύσις καὶ τοὺς ὄντας μοναχοὺς κληρικοὺς ποιεῖ. τοῦτο δὲ ἡμεῖς οὐ γνωρίζομεν. ἔπειτα δὲ καὶ ὁ κανὼν τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς σχολαστικὸν λέγει, ὥσπερ προλαβὼν καὶ ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας εἶπε· τοιοῦτον δὲ οὐδέποτε ἡ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησία ἀποδέξατο. τί γὰρ χρὴ λέγειν ἐπὶ τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν ἀρχιερέως· ὃς τοσοῦτον ἀπέχει σχολῆς ἀγοραίου, ὡς οὐδ' ἀτενίσειν ὀφθαλμοῖς ἐμβλέπειν αὐτῇ, ἢ τοιούτῳ τινὶ ἠδυνάτο; καὶ γὰρ ὅτος ὅλως τὴν προσοῦσαν

A Zacharias Dei amantissimus metropolita Chalcedonis dixit: Sanctissimum Papam Joannem, etiam vos, fratres patresque, qui huc accessistis ex propensione erga nostram ecclesiam, & Deus & nostra mediocritas suscipit: atque utinam & vos paria recipiatis, cum necessitas postularit. De laicis autem volo pauca dicere. Canon perspicue & conceptis verbis causam profert, cur quempiam ex laicis prohibeat in magnum hoc tribunal evehi. Di- „ cit enim sic: Si quis propriæ virtutis ex- „ perimentum præbuerit, & mores ejus pro- „ bati fuerint. Itaque si idonea virtutis propria specimina ediderit, & mores habeat probatos, canon eum qui hujusmodi est, non B prohibet. Testis est hujus dicti sancta & œcumenica secunda synodus, non verbis, sed rebus ipsis magis testimonio suo comprobans quæ dico. Nectarium enim, qui paulo ante divinum lavacrum accesserat, patriarcham Constantinopoleos designavit. Habetis hujus rei exemplum, Ambrosium magnum, Ephræmium Antiochiæ, Eusebium Cæsareæ, & multos, quos neque enumerare ob multitudinem possumus. Si vultis autem & sententiam viri commemorabo, quem patrem & magistrum ecclesia Dei inscribit: cujus sermones canones vocat & suscipit. Unum igitur ex illis commemorabo. Nam de episcoporum institutione scribens ad Amphilochium C sanctissimum episcopum Iconii, sic loquitur: „ Si vero est aliquis nuper baptizatorum, sive „ ita Macedonio videatur, sive non, promo- „ veatur ille. Institues autem illum ad vir- „ tutis officia, Domino in omnibus coope- „ rante, & ad id gratiam præbente. Itaque non solum ex laicis oportet promovere ad dignitatem pontificalem, sed etiam ex recens baptizatis, ut ipsa oratio manifeste declaravit: si quidem nimirum vitæ specimen dederit, cum esset adhuc in ordine discentium. Præterquam quod si neque hoc esset, tamen prædicti sancti Pontifices satis idonei sunt ut omne dedecus & omnem reprehensionem a nobis auferant. Nam hos omnes antedi- D ctos sancta Romana recipiens ecclesia, aperte clamat hodie, non esse fidem verbis a me prolatis habendam, sed multo majorem rebus ipsis. Ego vero nunc aio: Etiam in ipsa Romana ecclesia ex laicis nonnulli in Pontificali sede constituti sunt, quorum nomina melius sanctitas vestra novit, quam nos. Sed & consuetudo ipsa potest canonem obliterare. Talia multa hodie cernimus. Vos qui ecclesiæ estis luminaria, qui radios vestros in omnem terrarum orbem mittitis, invenire potestis, si quidem vos ipsos perscrutemini & exploretis, facere vos præter canonem, consuetudini obsequentes. Sed & consuetudo sæpe consue- E tudinem vincit. In Oriente nisi quis fuerit tonsus in Christo, episcopus aut patriarcha non fit. Occidens vero etiam eos qui sunt monachi, clericos facit. Hoc vero nos non agnoscimus. Deinde vero & canon e foro scholasticum dicit; quemadmodum antevertens etiam Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ dixit: At nihil tale ecclesia nostra admittit. Quid enim dicendum est de sanctissimo nostro Pontifice, qui tantum abfuit a schola forensi, qui neque fixis oculis hanc intueri, aut aliquid simile potuit? Etenim is ob insitam sibi virtutem inter

ANNO CHRISTI 879.

pri-

ANNO CHRISTI 879.

primos cooptatus est curiæ Senatus, tametsi humanum aversaretur magistratum. Adeo autem forensis tumultus refugit, desiderio rerum meliorum, ut qui in montibus sunt, hos urbanos & municipes censeat, neque quidquam huic rei par. Tamen & illud adjicio. Multi cum illo habuere suffragia, clerici & monachi, & omnibus præstare judicatus est opporrune. Deinde non est absurdum aut præter rationem, ut qui a tergo erant & secundum tenebant ordinem, eosdem rursum primos censeri; ipsosque qui postremo loco erant, ob virtutes in Pontificalem sedem ascendere: hunc vero omnibus suffragiis potitum illorum, ut extremum locum implentem, gradus & tempora remetiri frustra, qui jam virtutibus eadem prius dimensus sit. De sancto Tarasio autem dictum est a vobis, quod hæreticos multos convertit. Atque ita profecto est. Hujus vero pater & mater pro pietate certantes supremum diem obierunt. Quorum vestigiis a puero iste dominus noster sanctissimus patriarcha constanti progressu institit, & in hanc sacram sedem ubi pervenit, idem præstare non neglexit. Neque vero in seipso solummodo, aut in subjecto sibi populo pietatem circumscripsit: sed totam pœne suis sermonibus terram illustravit, ab errore hominibus revocatis. Testis Armeniorum regio, & Mesopotamia, & gentes integræ, barbarum & crudele prius vivendi genus secutæ, ipsius adhortationibus a priore liberatæ errore, & ad lucem per ipsum adductæ post prædicationem pietatis: & quoscumque quis cum eo conferre dicta dicendo voluerit, multitudo operum inferiores esse eos ostendet.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dicit: Apostoli elegerunt Joseph, qui & Barsabas, ut adnumeraretur cum ipsis. Sed gratia Spiritus sancti sacratissimum Mathiam Apostolici cœtus choro adlegens, ejusdem sententiæ ipsos fieri cadente super illum sorte disposuit. Nihil igitur absurdum, si & vestra sanctitas cum divina gratia Photium sanctissimum patriarcham pronunciavit: Apostolicus autem Papa in præsentia veniens & confirmavit vobiscum & simul suscepit. Tamen si jubet vestra sanctitas, prodeat & missa prius Hierosolymorum antistitis ad Imperatorem epistola. Æquum enim est & ipsam, lectam quidem antea vobis præsentibus, etiam nunc coram reliquis fratribus & coepiscopis vestris, qui tunc non adfuerunt, legi, & actis inseri. Igitur invitatus Petrus, Dei amantissimus diaconus & protonotarius, legit.

A divina cælitus providentia coronato, directo & gubernato domino, benefico, pacifico, victorioso, simul cum Deo pugnanti, augusto, Christi amanti, Christianissimo, mansueto, & mitissimo, Basilio Imperatori Romanorum, Theodosius minimus Dei miseratione patriarcha Hierosolymorum, ausus est scribere:

MAgnus Dominus, & magna virtus ejus. Secundum magnam misericordiam suam,

A αὐτῷ ἀρετὴν ἐν τοῖς πρώτοις μὲν κατελέγετο τῆς συγκλήτου βουλῆς· εἰ καὶ τὴν ἀνθρωπίνην παρῃτεῖτο τιμήν. τοσοῦτον δὲ ἔφευγε τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ θορύβους, ἐφέσει τῶν κρειττόνων, ὡς καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσιν ὄντας ἀστικοὺς καὶ πολίτας * ἢ οὐδὲν πρὸς * τοῦτον νομίζεσθαι. ὅμως λέγω καὶ τοῦτο. πολλοὶ μετὰ τούτου ἐψηφίσθησαν, καὶ κληρικοὶ καὶ μοναχοὶ, καὶ πάντων προεκρίθη κατὰ τὸν καιρόν. εἶτα οὐκ ἔστιν ἄτοπον καὶ παράλογον, ἵνα τοὺς τότε ὀπίσω γενομένους καὶ δευτέραν τάξιν λαβόντας, τοὺς αὐτοὺς πάλιν πρώτους νομισθῆναι· κἀκείνους μὲν τὴν ἐσχάτην ἔχοντας χώραν ταῖς ἀρεταῖς, εἰς τὸν ἀρχιερατικὸν ἀνέρχεσθαι θρόνον· τοῦτον δὲ ἁπάσαις ψήφοις κρατήσαντα ἐκείνων, ὡς τὴν ἐσχάτην χώραν ἀναπληροῦντα, βαθμοὺς καὶ καιροὺς ἀναμετρεῖν εἰς μάτην, τὸν ἤδη ταῖς ἀρεταῖς προδιαμετρήσαντα; περὶ δὲ τοῦ ἁγίου Ταρασίου ἐλέχθη παρ' ὑμῶν, ὅτι πολλοὺς αἱρετικοὺς ἐπέστρεψε. καὶ ἀληθὴς ὁ λόγος. τούτου δὲ καὶ ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ ὑπὲρ εὐσεβείας ἀθλοῦντες ἐναπέθανον. ὧν τὴν ὁδὸν ἐκ παίδων οὗτος ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἀκλινεστάτῃ πορείᾳ διήνυε, κἂν τῷ ἱερῷ τούτῳ ἀνεληλυθὼς θρόνῳ, τὸ αὐτὸ μὲν ποιεῖν οὐκ ἠμέλησεν. οὐκ ἐν ἑαυτῷ δὲ μόνῳ, οὐδὲ ἐν τῷ ὑπὸ χεῖρα λαῷ τὴν εὐσέβειαν περιέγραψεν· ἀλλὰ μικροῦ πᾶσαν ἐπῆλθε τοῖς λόγοις τὴν γῆν, τῆς πλάνης τοὺς ἀνθρώπους ἐπιστρεφόμενος. καὶ μάρτυς ἡ Ἀρμενίων χώρα, ἥτε Μεσοποταμία, καὶ ἔθνη ὁλόκληρα βαρβαρικὸν καὶ ὠμὸν τὸ πρὶν διαζῶντα βίον ταῖς αὐτοῦ διδασκαλίαις τῆς παλαιᾶς ἀπαλλαγέντα πλάνης, καὶ πρὸς τὸ φῶς χειραγωγηθέντα δι' αὐτοῦ τοῦ τῆς εὐσεβείας κηρύγματος. καὶ ὅσους ἄν τις τῷ λόγῳ παραστῆσαι βουληθείη, πολὺ τῶν ἔργων καταδεεστέρους ἀποδείξει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· οἱ ἀπόστολοι ἐξελέξαντο Ἰωσὴφ, τὸν καὶ Βαρσαβᾶν, ἰσάριθμον αὐτῶν γενέσθαι· ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος τὸν ἱερώτατον Ματθίαν τῆς ἀποστολικῆς ὁμηγύρεως τῷ χορῷ συγκαταλέξασα, συμψήφους αὐτοὺς γενέσθαι τῷ * ἐτιπεσόντι αὐτῷ κλήρῳ παρεσκεύασεν. οὐδὲν οὖν ἀπεικὸς * καὶ ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη χάριτι θείᾳ Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἐψηφίσατο. ὁ δὲ ἀποστολικὸς πάπας τὰ νῦν ἐλθὼν, καὶ ἐπεκύρωσε μεθ' ὑμῶν, καὶ συναπεδέξατο. πλὴν εἰ κελεύει ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ἐλθέτω καὶ ἡ πεμφθεῖσα πρότερον τοῦ Ἱεροσολύμων πρὸς τὸν βασιλέα ἐπιστολή. δίκαιον γάρ ἐστι κἀκείνην ἀναγνωσθεῖσαν μὲν πάλαι κατενώπιον ὑμῶν, καὶ νῦν κατενώπιον τῶν λοιπῶν ἀδελφῶν καὶ συνεπισκόπων ὑμῶν, τῶν μὴ τότε παραγενομένων, ἀναγνωσθῆναι, καὶ ἐνταγῆναι τοῖς πεπραγμένοις. καὶ δὴ προτραπεὶς Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

E Τῷ ὑπὸ τῆς ἄνωθεν θείας προμηθείας ἐστεμμένῳ, ὁδηγουμένῳ, καὶ διακυβερνωμένῳ δεσπότῃ, ἀγαθοποιῷ, εἰρηνικῷ, νικοποιῷ, θεοσυμμάχῳ, σεβαστῷ, φιλοχρίστῳ, χριστιανικωτάτῳ, ἐπιεικεῖ, καὶ πραοτάτῳ Βασιλείῳ, βασιλεῖ Ῥωμαίων, Θεοδόσιος ἐλάχιστος Θεοῦ ἐλέει πατριάρχης Ἱεροσολύμων, τετολμηκὼς γράφω.

ΜΕγας ὁ κύριος καὶ μεγάλη ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ. κατὰ τὸ μέγα αὐτοῦ ἔλεος καὶ ἀνέκφραστον, με-

μεγάλην σωτηρίαν εἰργάσατο τοῖς ἐν οἰκουμένῃ χρι-
στιανοῖς προσδοκῶσι τὴν ἀνεκδιήγητον παράκλησιν,
ἀναστήσας τὸ μέγα κράτος καὶ ἀσύγκριτον τῆς βα-
σιλείας ὑμῶν· ἐν ᾗ κέρατα ἁμαρτωλῶν πολεμίων
πάντων συνθλῶνται, καὶ τὸ μετολίγον καὶ τὸ κατά-
λοιπον εἰς τὸ παντελὲς θλασθήσεσθαι μέλλει· καὶ
κέρας δικαίων καὶ εὐσεβῶν σὺν εὐδαιμονίᾳ ὑπερυψω-
θήσεται, τροπαιοφόροις νίκαις καὶ μεγαλοπρεπέσι
σκηπτουχίαις ὑμῶν· ἐν ᾗ τὸ παμποίκιλον τῆς ὀρ-
θοδόξου πίστεως σεμνολόγημα, ὡς κρίνον ἐξανθεῖ·
καὶ πᾶς κατηφὴς ἐν χρονίῳ ἀθυμίᾳ, θάλλει τῇ
ψυχῇ αὐτοῦ, ἐπ' ἐλπίδι τῶν χαρμονικῶν προοιμίων,
ὡς ἤδη ἐν αὐτοῖς εὐωχούμενος· καὶ λύπη πᾶσα ἀ-
φανισμῷ παραδίδοται. εἰς τέλειον δὲ ἔργον ἐλθεῖν
τοῦτο, ἡμεῖς οἱ ἀνόμων χερσὶ κατασχεθέντες διὰ τὰς
ἡμῶν ἁμαρτίας, ἐνδελεχῶς λιτανεύομεν. ὅτι πάνυ,
προφητικῶς εἰπεῖν, ἐπτωχεύσαμεν· καὶ ἡ ὀδυνηρὰ ἡ-
μῶν ζωὴ τῷ ᾅδῃ προσήγγισε· βοηθήσαι ἡμῖν κύ-
ριος ὁ Θεὸς, ὁ τὴν ἁγίαν βασιλείαν ὑμῶν ἀνα-
στήσας, δι' ἧς τὸ μνημόσυνον τῶν ἐπαχθεστάτων ἐχ-
θρῶν καὶ πικρῶν τυράννων ἐκ γῆς ἐξολοθρεύσειε, καὶ
τὰς ψυχὰς ἡμῶν τῶν ἐσχάτῃ ταπεινώσει πενητευόν-
των διασώσειε, καὶ ἐξ ἀδικίας αὐτῶν λυτρώσαιτο.
ἐπεὶ ὡς ἡ ἀκαταίσχυντος ἐλπὶς, θεόστεπτοι βασι-
λεῖς, τοῖς ἁπανταχοῦ χριστιανοῖς εὐαγγελίζεται ἐξ ἀ-
στραπῆς τῶν ἀριστευμάτων τῆς ὑμῶν δεσποτείας, τὰ
τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν εἰς πέρας ἥξει· καὶ ἡμεῖς οἱ
ἐλεεινοὶ οὔπω τυχόντες αὐτῆς, τῆς θείας προνοίας
ἀγούσης τὰ καθ' ἡμᾶς, δι' ὑμῶν εὐπλοήσομεν. τὸ
δὲ νῦν * ἔχον ἱκετικῶς ἐν συνοχῇ οἰμωγῶν, μετὰ
συντριμμοῦ ἀλγινῆς καρδίας, προσκύνησιν δουλικὴν
προσάγω τῇ θεοψηφίστῳ ὑμῶν βασιλείᾳ, ἐλεῆσαι
τὴν ἐκκλησίαν τῆς ἁγίας ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν
Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ κατοικτειρῆσαι Σιὼν τὴν μητέρα
τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν· καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς τῆς
ἀσυγκρίτου βασιλείας ὑμῶν μὴ * ἀποπέσωσι κινδύ-
νῳ ἀφανισμοῦ. οὐ γὰρ ῥητῶς ἐξικνούμεθα σαφηνίσαι
τὰς προσγινομένας αὐταῖς θαμινῶς ἀφορήτους ζη-
μίας. οἱ γὰρ κίνδυνοι ἄπειροι, καὶ οἱ πειρασμοὶ ἄ-
στεκτοι ὄντες οὐχ ὑποπίπτουσι διηγήματι. διὸ ἀξιω-
θείημεν θεομιμήτου ἐλέους ἐκ τῆς βασιλείας ὑμῶν.
ὅταν γὰρ ἤλθομεν εἰς ἐσχάτην ταπείνωσιν, ἀπώ-
λειαν ἀπειλοῦσαν ἡμῖν, τότε ὑπὸ τῆς κατεχούσης
βίας ἠξιώσαμεν τὸν εὐλαβέστατον κύριον Ἀνδρέαν τὸν
κασίγνητον τοῦ ὁσίου ἡμῶν τοποτηρητοῦ τοῦ κυρίου Ἠ-
λία τοῦ στυλίτου, ἀπάραι πρὸς τὸ ὑμέτερον θεόδμη-
τον κράτος, ἐπιφερόμενον καὶ τὸ ψιλὸν ἡμῶν ἱκε-
τικὸν τοῦτο γράμμα. ὃς βεβαιώσει ἐνώπιον τῆς ὑ-
μετέρας ἁγίας βασιλείας τὰ καθ' ἡμῶν δεινὰ καὶ
τυραννικὰ, ἐν ὅσῳ ὁ προῤῥηθεὶς βέλτιστος ὁμαίμων
αὐτοῦ αὐτόθι πρὸς τὴν ὑμετέραν βασιλείαν προσκαρ-
τερεῖ, χάριν καταστάσεως τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν
τε καὶ βαθμῶν, καθαίρεσιν δὲ καὶ * ἀφανισμῶν τῶν
τοῦ ἐχθροῦ πονηρευμάτων. ἐν ἄλλῳ γὰρ τὸ πιστὸν οὐκ
εἴχομεν, ὥστε τούτῳ ὑπηρετῆσαι, πλὴν Ἀνδρέου τοῦ
προῤῥηθέντος αὐταδέλφου τοῦ ἡμῶν τοποτηρητοῦ Ἠ-
λία· ὅτι ἡ ἀνάγκη ἡμᾶς τοσοῦτον κεκίνηκεν, ὥστε
αὐτὸν ἐκλέξασθαι διακονῆσαι τὴν τοιαύτην ἐλπιδη-
φόρον διακονίαν. ἐν τούτοις οὖν πᾶσι τοῖς ταῖς ἁγίαις
ἐκκλησίαις συμβεβηκόσι, δεκτικῶς τολμῶντες ἀνηγ-
γείλαμεν τῇ φιλοσυμπαθεστάτῃ ἡμῶν βασιλείᾳ, ἀ-
ξιῶσαι αὐτὰς ἐλέους, καὶ τὸν δυνατὸν τρόπον βοηθῆ-
σαι αὐταῖς. τοῦτο δὲ θεσπίζομεν, μᾶλλον δὲ συνο-

A & ineffabilem, salutem magnam operatus est in medio terræ exspectantibus ineffabilem consolationem Christianis, suscitans magnum & incomparabile robur imperii vestri, in quo cornua peccatorum, hoc est, omnium adversariorum confringuntur, & haud multo post etiam quod reliquum est omnino conteretur: & cornu justorum ac piorum cum felicitate exaltabitur, insignibus per trophæa victoriis, & magnifica gubernatione vestra, in quo multiplex de orthodoxa fide gravis & reverenda oratio tanquam lilium floret; & quicumque vultum demittit ex diuturna tristitia, floret intus in anima, spe lætorum principiorum, velut jam in ipsis epu-
B lans: & omnis mœstitia evanuit. Ad opus autem perfectum ut istud veniat, nos qui impiorum manibus detenti sumus propter peccata nostra, sine intermissione oramus. Quoniam valde, ut cum propheta loquar, *pauperes facti sumus*; & plena doloris *vita nostra inferno appropinquavit*. Adjuvet nos Dominus Deus, qui sanctum regnum tuum suscitavit, per quod memoria molestissimorum hostium & sævorum tyrannorum de terra perdat, & salvet animas nostras, qui in extrema humilitate inopes sumus, & ex impietate eorum redimat eas. Deinde quoniam ut spes quæ non confundit, a Deo coronati Imperatores, Christianis qui ubi-
C que sunt annunciatur ex fulgore recte factorum vestræ dominationis, redemptio nobis tandem veniet: & nos miseri nondum ea potiti, divina providentia res nostras gubernante, prospere agemus. In præsentia autem supplicans in angustia fletuum, in contritione cordis gemebundi, venerationem ut famulus exhibeo a Deo electo imperio vestro, ut misereatur Ecclesiæ sanctæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi; ut misereatur Sion, quæ est mater sanctarum ecclesiarum: & in tempore visitationis incomparabilis imperii vestri ne subjaceant periculo excidii. Non enim certis verbis aggredimur explicare, quæ ipsis frequenter accide-
D runt damna intolerabilia. Sunt enim pericula infinita, & tentationes cum sint intolerandæ, exprimi oratione non possunt. Quamobrem digni habeamur ab imperio vestro commiseratione, quæ vos Deo similes efficiat. Quando enim devenimus ad extremam humilitatem, quæ nobis exitium minitabatur, tunc sub cohibente nos tyrannide deprecati sumus reverentissimum dominum Andream, fratrem sancti nostri legati domini Eliæ Stylitæ, ut proficisceretur ad vestrum divinum imperium, & ut deferret tenuem hunc libellum supplicem. Ille confirmabit coram vestro sancto imperio quæ patimur acerba & tyrannica: interea dum prædictus optimus fra-
E ter ipsius illic apud vestrum imperium assiduus est, pro constitutione legum ecclesiasticarum & dignitatum, eversione autem & abolitione malignitatum inimici. In alio enim fidem non habebamus, ita ut ejus ministerio uteremur, præter Andream prædictum fratrem legati nostri Eliæ: quoniam necessitate tali adacti sumus, ut eum eligeremus ad fungendum illo spei plenissimo ministerio. In his igitur omnibus quæ sanctis Dei ecclesiis contigerunt, suppliciter ausi sumus renunciare humanissimo vestro imperio, ut earum misereri dignetur, & pro virili iisdem opern

ANNO CHRISTI 879.

fer-

ANNO CHRISTI 879.

ferre. Hoc vero observari præcipimus, seu potius in synodo præcepimus per nostras Apostolicas sedes, & omnibus denunciamus & prædicamus ut legem immutabilem: Si quis non suscipit sanctum ac percelebrem comministrum nostrum fratrem dominum Photium, urbis regiæ patriarcham & cum ipso non facit rem sacram, sit anathema: & sit depositus auctoritate sanctarum sedium Apostolicarum. Precibus autem ipsarum possideat sanctum imperium vestrum fines orbis terrarum, *congregans* in unum *dispersos filios* ecclesiæ catholicæ. Tu enim *exsurrexisti ut miserearis Sion, quia venit tempus miserendi ejus.*

Psal. 146. 2. Joan. 11. 52. Psal. 101. 14.

Sancta synodus respondit: Quæ sunt synodice a sanctissimo patriarcha Hierosolymorum sancita, nostra etiam mediocritas suscipiens, eos qui secus sentiunt anathemati subjicit. Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt ad Eliam religiosissimum presbyterum & legatum Orientis: Ecquando venit hæc epistola: & a quo delata est? Elias religiosissimus presbyter & legatus Orientis dixit: Misit hanc Theodosius sanctissimus patriarcha Hierosolymorum, qui synodice quidem prius suscepit Photium sanctissimum patriarcham, præsente ibidem tenuitate mea: seu verius quam habuit de ipso vetustam, amplam & magnam existimationem confirmavit. Postea vero cum tempus posceret, hanc misit per Andream reverentissimum monachum & fratrem meum germanum; non modo Hierosolymorum, sed & Antiochiæ antistite consentiente huic synodico judicio.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Ecce nunc quemadmodum sanctissimi Orientis patriarchæ præmiserunt synodicas litteras, confirmantes ac suscipientes Photium sanctissimum patriarcham; similiter & Dominus noster œcumenicus Papa misit epistolam, quam & audistis; consentientem per omnia dictis sanctissimis patriarchis, in susceptione ac restitutione dicti sanctissimi patriarchæ; & habet ipsum ut fratrem & comministrum. Sed quandoquidem qui pridem accesserunt ab Oriente Thomas & Elias, ut una voce ab omnibus accipimus, Saracenos quidem captivos requirebant, & a Saracenis pro cognatorum suorum liberatione missi sunt, & Saracenorum legati dicebantur; a nullo autem patriarcharum missi erant, nullo ecclesiastico ministerio eis commisso: sed etiam ex ipsis Elias pridem condemnatus est, & ejectus ex numero Christianorum: idcirco quærimus de fratribus qui nuper advenerunt, & Pontificum epistolas attulerunt, & personam repræsentant sedium Pontificalium Orientis. Scriptum est enim: Veritas examinata splendidior fit. Audistis igitur legationes fratrum istorum, & quomodo consentiant Orientalium ecclesiæ?

Paulus & Eugenius sanctissimi legati dixerunt: Non solum epistolas, sed & ipsum epistolas deferentem dominum Andream reverentissimum monachum vidimus, qui fecit nobiscum dies multos: cujus etiam fidem diligenter discutientes, invenimus pure ecclesiæ dogmata asserentem: a quo & fidei libellum suscepimus. Sancta synodus dixit:

A δικῶς ἐθεσπίσαμεν διὰ τῶν καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῶν θρόνων, καὶ πᾶσι διαγγέλλομεν, καὶ κηρύττομεν, ὡς κανόνα * ἀπαράτρωτον. εἴτις οὐκ ἀποδέχεται τὸν ὅσιον καὶ περιβόητον συλλειτουργὸν ἡμῶν ἀδελφὸν κύριον Φώτιον, τὸν τῆς βασιλίδος πατριάρχην, καὶ αὐτῷ οὐ συνιερατεύει, ἤτω ἀνάθεμα, καὶ ἔστω καθῃρημένος ἐξ αὐθεντίας τῶν ἁγίων ἀποστολικῶν θρόνων. εὐχαῖς δὲ αὐτῶν κατάσχοι τὸ ἅγιον κράτος ὑμῶν ἄκρα γῆς πάσης, εἰς ἓν συνάγον τὰ διεσκορπισμένα τέκνα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. σὺ γὰρ ἀνέστης οἰκτειρῆσαι τὴν Σιὼν, ὅτι καιρὸς τοῦ οἰκτειρῆσαι αὐτήν.

* Fort. παράτρωτον.

Ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· τὰ συνοδικῶς παρὰ B τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων θεσπισθέντα, καὶ ἡ ἡμετέρα μετριότης ἀποδεχομένη, τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας τῷ ἀναθέματι παραπέμπει. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον πρὸς Ἠλίαν τὸν θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ τοποτηρητὴν τῆς ἀνατολῆς· πότε ἦλθεν ἡ ἐπιστολὴ αὕτη, καὶ παρὰ τίνος ἀπεκομίσθη; Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς τῆς ἀνατολῆς εἶπε· ταύτην ἀπέστειλε Θεοδόσιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Ἱεροσολύμων, συνοδικῶς μὲν προαποδεξάμενος Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, παρούσης καὶ τῆς εὐτελείας μου ἐκεῖσε, μᾶλλον δὲ ἣν εἶχε περὶ αὐτοῦ ἀρχαίαν ὑψηλὴν καὶ μεγάλην ὑπόληψιν ἐβεβαίωσε. μετέπειτα δὲ ἡνίκα ὁ καιC ρὸς ἐκάλει, ἀπέστειλε ταύτην δι' Ἀνδρέου τοῦ εὐλαβεστάτου μοναχοῦ καὶ ἐμοῦ γνησίου ἀδελφοῦ, οὐ μόνον τοῦ Ἱεροσολύμων, ἀλλὰ καὶ τοῦ τῆς Ἀντιοχείας προέδρου συμψήφου γενομένου τῇ συνοδικῇ ταύτῃ ἐπικρίσει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ἰδοὺ νῦν καθὼς οἱ τῆς ἀνατολῆς ἁγιώτατοι πατριάρχαι προαπέστειλαν συνοδικὰς ἐπιστολὰς ἐπικυροῦντες, καὶ ἀποδεχόμενοι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, ὡσαύτως καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ οἰκουμενικὸς πάπας ἀπέστειλεν ἐπιστολὴν, ἣν καὶ προηκούσατε ὁμοφωνοῦσαν μὲν κατὰ πάντα τοῖς εἰρημένοις ἁγιωτάτοις πατριάρχαις, ἐπὶ τῇ ἀποδοχῇ καὶ ἀποκαταστάσει τοῦ εἰρημένου ἁγιωτάτου πατριάρχου· καὶ ἔχει D αὐτὸν ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργόν. ἀλλ' ἐπειδὴ οἱ πάλαι παραγενόμενοι ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, οἱ περὶ Θωμᾶν καὶ Ἠλίαν, ὡς ὁμοφώνως παρὰ πάντων ἀκούομεν, Σαρακηνοὺς μὲν αἰχμαλώτους ἐπεζήτουν, καὶ παρὰ Σαρακηνῶν ἐπὶ τῇ τῶν συγγενῶν αὐτῶν * ἀναρρήσει ἀπεστάλησαν, καὶ Σαρακηνῶν ἀποκρισιάριοι ἐχρημάτιζον· παρ' οὐδενὸς δὲ τῶν πατριαρχῶν ἀπεσταλμένοι ἦσαν, οὐδεμίαν ἐκκλησιαστικὴν ἐμπεπιστευμένοι δουλείαν· ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῶν ὁ Ἠλίας πάλαι κατακεκριμένος ἦν, καὶ ἀπόβλητος τοῦ χοροῦ τῶν χριστιανῶν· διὰ τοῦτο ἐξετάζομεν περὶ τῶν ἀρτίως παραγεγονότων ἀδελφῶν, καὶ τὰς ἀρχιερατικὰς ἐπιστολὰς ἐπικομιζομένων, καὶ τὸ πρόσωπον ἐπέχοντας τῶν τῆς ἀνατολῆς E ἀρχιερατικῶν θρόνων. γέγραπται γὰρ, ὅτι ἀλήθεια ἐξεταζομένη καθαρωτέρα γίνεται. ἠκούσατε τοίνυν τὰς ἀποκρίσεις τῶν ἀδελφῶν τούτων, καὶ πῶς ὁμονοοῦσι τῶν ἀνατολικῶν αἱ ἐκκλησίαι;

* Pro ἀναρρήσει.

Παῦλος καὶ Εὐγένιος οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· οὐ μόνον τὰς ἐπιστολὰς, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν ἐπιστοληφόρον κύριον Ἀνδρέαν τὸν εὐλαβέστατον μοναχὸν εἴδομεν, ποιήσαντα μεθ' ἡμῶν ἡμέρας ἱκανὰς, οὗ καὶ τὴν πίστιν ἀκριβῶς ἀνακρίναντες εὕρομεν αὐτὸν καθαρῶς τὰ τῆς ἐκκλησίας πρεσβεύοντα δόγματα, ἐξ οὗ καὶ τῆς πίστεως ἐδεξάμεθα λίβελλον. ἡ ἁγία σύ-

σύνοδος εἶπεν· ἔδει μὲν ἐκείνους ἀθεμίτου κατάρξαντας ἔργου, καὶ Σαρακηνῶν φρονήματα ἔχειν, καὶ Σαρακηνῶν ὑπηρέτας εἶναι, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀπωσμένους. οὓς δὲ ἀπέλυσαν οἱ ἁγιώτατοι πατριάρχαι, ἀληθῶς οὗτοι τοποτηρηταὶ αὐτῆς εἰσί, καὶ τῆς ἀποστόλων μαθηταί, καὶ τῆς ἐκκλησίας θρέμματα, καὶ ἐκκλησιαστικὴν καταπεπιστευμένοι διακονίαν.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· τὰ μὲν τότε γεγονότα, Θεὸς λήθῃ βαθείᾳ παραδοίη, καὶ ἡμᾶς αὐτῆς ἀμνηστίαν τε καὶ ἀμνησικακίαν διατηρεῖν ἐνισχύσαι. πολλῷ γὰρ ἀμείνονα ταῦτα ποιεῖ ἡ σιγὴ, ἢ καὶ βραχεῖά τις καὶ συντετμημένη περὶ τούτων διάλεξις. πλὴν κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἡνίκα ἡμεῖς μὲν ἠλαυνόμεθα τοῦ θρόνου, ἅπας δὲ τῆς ἀρχιερέων Θεοῦ καὶ ἱερέων ὁ κατάλογος μετὰ τὴν στέρησιν τῆς οἰκείων θρόνων πικραῖς ἐνεταλαιπωρεῖτο κακουχείαις, εἶπον πρὸς τοὺς τότε παρόντας· ὡς εἰ μὲν κατ' ἐμοῦ τὴν πᾶσαν ὀργὴν ἔχετε, ἄφετε μὲν τούτους ὑπάγειν· κατ' ἐμοῦ δὲ οἷον ἂν καὶ τὸ θέλημα ὑμῖν ἐπιτάσσοι ἔγκλημα ἀναπλάσαντες προενέγκατε. καὶ ἀντὶ τῆς τούτων ἁπάντων ἐλευθερίας τε καὶ ἀφέσεως, ἕτοιμός εἰμι καὶ κατ' ἐμοῦ τὸ ἔγλημα ἀνομολογεῖν· πλὴν εἰ μὴ ἀσέβειαν περιέχει· καὶ ὑμᾶς εἰς κόρον ἐμπλῆσαι τοῦ ὑμετέρου θελήματος. παραδίδωμι γὰρ ἐμαυτὸν συνομολογῶν ὑμῖν τὴν κατ' ἐμοῦ κατηγορίαν, ποιεῖν εἰς ἐμὲ ἅπερ ἂν ἡ ὁρμὴ βούλοιτο. μόνον τοῦτο τὸ ἐλεεινὸν καὶ τραγικὸν διήγημα εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν μὴ παρεισαγάγητε, μὴ δὲ τοσοῦτον καὶ τηλικοῦτον λαὸν ὀρθοδοξίᾳ τε ἀνέκαθεν ἀνακείμενον, καὶ Θεῷ καθιερωμένον ὅσον ἧκεν εἰς τὴν ἡμετέραν γνώμην, μὴ θανάτῳ, καὶ λιμῷ, καὶ ὑπερορίᾳ, καὶ πᾶσι κακοῖς παραδώσετε· μὴ δὲ τὰ χριστιανῶν ὄργια γέλωτα πᾶσιν ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, μήτε χριστιανοῖς προθήσετε· μὴ δὲ τηλικαύτῃ αἰσχύνῃ τὰ χριστιανῶν περιβάλητε νόμιμα. ἀλλ' ἐγὼ μὲν ἐβόων ταῦτα, καὶ διεμαρτυρόμην, καὶ πράττειν ἕτοιμος ἦν τὴν ὑπόσχεσιν· τὴν τῆς πολλῶν καὶ ἀθώων καὶ ἀνευθύνων σωτηρίαν τῆς ἐμῆς, ὡς ἂν ἐκεῖνοι φαῖεν, ἀπωλείας ἀνταλλασσόμενος. ἀλλ' ὁ μὲν τῆς ὁρμῆς αὐτῆς πρόλογος ἦν καθ' ἡμῶν· ἡ δὲ τῆς ὀργῆς ῥύμη συνελαύνει καὶ πάντας, οὐ μόνον *ὅσος ὁ ἱερὸς θεσμὸς εἰς τὸν προκεκριμένον ἔφερε κατάλογον, ἀλλὰ καὶ ἁπλῶς πάντας, ὅσοι δήποτε ἱερωσύνης καὶ θεοσεβείας γνωρίσματα ἔφερον. ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν, ὥσπερ ἔφημεν, ἔχει σιγὴ καὶ ἐχέτω. ὁ δὲ τῆς ἀνεξιχνιάστων κριμάτων κύριος, καὶ τῆς ἀνελπίστων ἀγαθὸς χορηγὸς, πρὸς μόνην ἡμῶν τὴν τότε προαίρεσιν ἐπιδὼν, παραδόξως καὶ παρ' ἐλπίδα πᾶσαν ἀνθρωπίνην, ἅπαντα μὲν ἐκεῖνα τὰ τολμήθια καταστροφῇ δικαίου παρέδωκε· τὴν δὲ τοῦ ὑψηλοῦ καὶ μεγάλου βασιλέως ἡμῶν καρδίαν, ἅτε δὴ τῇ χειρὶ αὐτοῦ περικρατουμένην τε καὶ περιφρουρουμένην, ἀνεκίνησεν ἀναλαβεῖν τὰ ἐλέη αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς· καὶ ἃ προώρισεν, ὡς ἔδειξε, ταῦτα καὶ εἰς τέλος ὑπὲρ λόγον, ὡς ὁρᾶτε, παρεστήσατο.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς τῆς ἀνατολῆς εἶπε· Γινώσκει ἡ ἀγαθότης τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὔτε τὸν πατριάρχην κύριον Φώτιον προεῖδον, οὔτε γράμμα παρ' αὐτοῦ ἐδεξάμην, οὔτε συνέτυχον αὐτῷ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις· ἀλλὰ διὰ τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀθέμιτον εἰς αὐτὸν γεγενημένην ἀπόνοιαν, καὶ τοὺς ψευδοτοποτηρητὰς τοὺς ἀθέους ἐκείνους, διὰ ταῦτα παραγέγονα. Παῦλος καὶ Εὐγένιος οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώ-

A Oportebat utique illicitum opus aggressos, & Saracenorum sensus habere, & ministros fieri Saracenorum, & ab ecclesia ejici. Quos autem miserunt sanctissimi patriarchæ, hi vere sunt eorumdem legati, & discipuli Apostolorum, & alumni ecclesiæ, quibus ecclesiasticum creditum ministerium est.

ANNO CHRISTI 879.

Photius sanctissimus patriarcha dixit: Quæ tunc quidem facta sunt, hæc Deus perpetuæ oblivioni tradat: & nos ipsorum esse semper immemores præstet. Multo enim meliora hæc facit silentium, quam vel brevis aliqua & compendiosa de his disceptatio. Tamen quo tempore nos quidem ejecti e se-
B de sumus, omnis autem Pontificum Dei & sacerdotum numerus acerbis conflictabatur malis, dixi his qui tunc præsentes aderant: Si quidem adversum me unum irascimini, sinite hos abire: adversum me autem quantam volueritis criminationem proferte. Et pro horum omnium libertate ac dimissione paratus sum & adversum me crimen confiteri, modo impietatis reus non peragar, & quidquid volueritis, adimplere. Trado enim meipsum, vobiscum consentiens accusationi adversum me contextæ, ut faciatis in me quidquid ira suggesserit: tantum ne hæc miserabilis & tragica historia in ecclesiam Dei inducatur; nec talem ac tantum po-
C pulum orthodoxa fide ab origine dedicatum & Deo consecratum, quamdiu accessit ad nostram sententiam, ne morte, & fame, & exsilio, & omnibus malis dedatis, neque Christianorum cæremonias irrisioni omnium Græcorum & barbarorum, ac non Christianorum, exponatis; neque in tantum dedecus instituta Christianorum trahatis. Ego vero sic quidem clamabam & contestabar, & paratus eram promissum præstare, multorum innocentium & culpa carentium salutem meo (ut illi appellabant) exitio redempturus. Et illa quidem iracundiæ ipsorum adversum nos præfatio fuit, progressus autem iracundiæ simul vexavit & omnes non solum quotquot
D sacri ritus in egregium numerum retulerunt: sed & omnes omnino quicumque sacerdotii & cultus divini gestarent insignia. Verum ista quidem, ut diximus, premuntur premanturque silentio. Sed imperveſtigabilium judiciorum Dominus, & desperantium bonus auxiliator, ad nostrum solum respiciens propositum, præter opinionem ac præter spem omnem humanam omnia quidem ausa illa juste subvertit; celsissimi autem magnique Imperatoris nostri animum, quippe quem manus ejus possideret & gubernaret, permovit ut erga nos reciperet commiserationis affectum: Et quæ prædestinavit, ut palam fecit, hæc ad effectum supra quam dici pot-
E est, ut videtis, perduxit.

Elias religiosissimus presbyter & legatus Orientis dixit: Novit bonitas Dei, quod neque patriarcham dominum Photium prius videram, neque litteras ab ipso acceperam, neque diebus illis cum eo sum collocutus: sed propter ecclesiam & virtutem ejus, & injustam adversus eum commissam amentiam, & pseudolegatos impios illos, idcirco accessi. Paulus & Eugenius sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt: Ut ipsa Veritas te-

ANNO CHRISTI 879.

ſtatur, neque ob affectionem, neque ob munerum acceptionem loquimur; ſed ut Deus ſcit: & ipſe ſanctos Imperator teſtatus eſt commiſerationem & largitionem in pauperes & ſupereminentem viri virtutem, quod hominem hujuſmodi multis abhinc annis non ſuſcepit eccleſia Conſtantinopolitana.

Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Nos peccatores & humiles ſumus: Hanc vero dignam mercedem veſtri erga nos affectus recipietis. Si utique de altero quopiam ſermo propoſitus eſſet, multa haberem dicere: quandoquidem vero de me ipſo eſt, ſatagens invidia carere talium ſermonum, ſilere ſatius eſſe, niſi neceſſitas quædam magna compellat, quam loqui, arbitror.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Evangelicum impleſ oraculum, quod ait: *Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet.* Sed quæ ad iſta pertinent, tempus probavit. Si placet autem ſanctæ huic & pacificæ ſynodo, legatur etiam quod datum eſt nobis Commonitorium, ſive Mandatum, a ſanctiſſimo & œcumenico Papa Joanne: in quo & omnes noſtri epiſcopi & presbyteri ſubſcripſerunt. Sancta ſynodus dixit: Legatur: Et ſurgens igitur Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis, per Leonem Protoſpatharium & interpretem legit:

Joan. 8. 50.

Commonitorium fratribus Paulo & Eugenio epiſcopis: ſimiliter & Petro presbytero & cardinali noſtro, miſſis Conſtantinopolim.

μης εἶπον· ὡς αὐτὴ ἡ ἀλήθεια μαρτυρεῖ, ὅτε κατὰ προσπάθειαν, ὅτε κατὰ δωροδοκίαν λέγομεν· ἀλλ' ὡς ὁ Θεὸς ἐπίσταται, καὶ αὐτὸς ὁ ἅγιος Βασιλεὺς ἐμαρτύρησε τήν τε συμπάθειαν, καὶ τὴν ἐλεημοσύνην, καὶ τὸ ὑπεραναβεβηκὸς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς, ὅτι τοιοῦτον ἄνθρωπον πολλὰ ἔτη ἔχει ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία μὴ δεξαμένη.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἡμεῖς ἁμαρτωλοὶ καὶ ταπεινοί ἐσμεν· αὐτοὶ δὲ τὸν ἄξιον μισθὸν τῆς πρὸς ἡμᾶς διαθέσεως ἀπολήψεσθε. εἰ μὲν οὖν περὶ ἄλλου τινὸς ὁ λόγος καὶ ἡ προκειμένη ὑποθέσις, πολλὰ ἂν εἴχον λέγειν. ἐπειδὴ δὲ περὶ ἐμαυτοῦ ἐστὶ, τὸ ἀνεπαχθὲς τῆς τοιούτων διαλαλούμενος λόγων, ἄμεινον τὸ σιγᾶν, εἰ μήτις κατεπάγει μεγάλη ἀνάγκη πρὸς τὸ λέγειν, ἡγοῦμαι.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλίς εἶπε· τὸ εὐαγγελικὸν ἀποπληροῖς λόγιον τὸ φάσκον· ὅτι ἐγὼ τὴν δόξαν μου οὐ ζητῶ. ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων. ἀλλὰ τὰ μὲν περὶ τούτων ὁ καιρὸς ἐδοκίμασεν. εἰ δοκεῖ δὲ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, ἀναγνωσθήτω καὶ τὸ ἐπιδοθὲν ἡμῖν κομμονιτόριον, ἤτοι σύνταγμα, παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα Ἰωάννου. ἐν ᾧ καὶ πάντες οἱ καθ' ἡμᾶς ἀρχιερεῖς καὶ ἐπίσκοποι ὑπέγραψαν. ἡ ἁγία συνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω. καὶ δὴ ἀναστὰς Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλίς, διὰ Λέοντος πρωτοσπαθαρίου καὶ ἑρμηνέως ἀνέγνω.

Κομμονιτόριον τοῖς ἀδελφοῖς Παύλῳ καὶ Εὐγενίῳ τοῖς ἐπισκόποις· ὡσαύτως καὶ Πέτρῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδιναλίῳ ἡμῶν τοῖς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀπεσταλμένοις.

Vide Baron. an 879 n. 47.

Caput 1. POſtquam Dei ope & interceſſionibus ſanctorum Apoſtolorum Conſtantinopolim ingreſſi fueritis, ubi præcipiet Imperator, ibi manſionem habete: & priuſquam Imperatorem videritis, alteri cuipiam Apoſtolicas litteras nolite tradere. Vobis autem adſtantibus coram Imperatore, epiſtolas præbete, his verbis ipſum compellantes: Salutat veſtrum ex Deo Imperium ſpiritalis noſter pater, Joannes Apoſtolicus Papa: veſtram ex Deo potentiam ſuis quotidie ſupplicationibus commendans ſancto Deo: ut qui tale vobis deſiderium injecit, ob negotium eccleſiaſticæ pacis, pro mercede retribuat vobis gratiam ſuam, & conſoletur vos ſua felici gubernatione, & perficiat in bonis deſiderium veſtrum.

Κεφάλαιον α'. ΜΕτὰ τῆς Θεοῦ βοηθείας καὶ τῆς πρεσβειῶν τῆς ἁγίων ἀποστόλων ἐν Κωνσταντινουπόλει εἰσερχομένων ὑμῶν, ὅπου προσάξει ὁ βασιλεὺς ἐκεῖσε μεταβαίνητε· καὶ πρὸ τοῦ τὸν βασιλέα θεάσασθαι, ἄλλῳ τινὶ τὰς ἀποστολικὰς ἐπιστολὰς μὴ θελήσητε δοῦναι. παρασάντων δὲ ὑμῶν ἐνώπιον τοῦ βασιλέως, τὰς ἐπιστολὰς παράχετε, τοιούτοις ῥήμασιν αὐτῷ προσφθεγγόμενοι· προσκυνεῖ σὲ ὑμέτεραν ἐκ Θεοῦ βασιλείαν ὁ πνευματικὸς ἡμῶν πατὴρ ὁ κύριος Ἰωάννης ὁ ἀποστολικὸς πάπας. τὸ ὑμέτερον ἐκ Θεοῦ κράτος ταῖς αὐτοῦ καθ' ἑκάστην ἱκεσίαις παρατιθέμενος τῷ ἁγίῳ Θεῷ· ἵνα ὁ τοιαύτην ὑμῖν ἐπιθυμίαν δοὺς, δῴη τὸ συμφέρον τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, ἀντικαταπέμψῃ ὑμῖν τὴν χάριν αὐτοῦ, καὶ παραμυθήσηται ὑμᾶς τῇ αὐτοῦ κατευδοκήσει, καὶ τελειώσαι ἐν ἀγαθοῖς τὸ θέλημα ὑμῶν.

Caput 2. Si voluerit Imperator, antequam litteras legat, legationis noſtræ capita diſcere, his eum verbis alloquimini: Si jubet imperium veſtrum, videat epiſtolas. Et ſi dixerit: Quid continent epiſtolæ? Reſpondete ei: Salutationes veſtræ pietatis, & ſermones eccleſiaſticæ pacis vinculum adornantes, & omnino recte perficientes.

Κεφάλ. β'. Ἐὰν θελήσει ὁ βασιλεὺς, πρὸ τοῦ τὰς ἐπιστολὰς ἀναγνῶναι, τὰ τῆς ἀποκρίσεως ἡμῶν κεφάλαια, τοιούτοις ῥήμασιν αὐτῷ προσείπατε· εἰ κελεύει ἡ βασιλεία ὑμῶν, ἰδέτω τὰς ἐπιστολάς· καὶ ἐὰν εἴπῃ· τί περιέχουσιν αἱ ἐπιστολαί; ἀποκρίθητε αὐτῷ· προσκυνήσεις πρὸς τὴν ὑμετέραν εὐσέβειαν, καὶ λόγους τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης συγκροτοῦντας τὸν σύνδεσμον, καὶ παντὶ τρόπῳ καλῶς ἀποπληροῦντας.

Caput 3. Altera autem die ſalutantes Photium ſanctiſſimum, date ei epiſtolam, compellantes eum decenter his verbis: Salutat te dominus noſter Joannes Apoſtolicus Papa, & vult habere te fratrem & comminiſtrum

Κεφάλ. γ'. Τῇ δὲ ἑτέρᾳ ἡμέρᾳ προσαγορεύοντες Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ, ἐπίδοτε καὶ τὴν ἐπιστολήν, ἀσπαζόμενοι αὐτὸν πρεπόντως τοιούτοις ῥήμασι· προσκυνεῖ σε ὁ κύριος ἡμῶν Ἰωάννης ὁ ἀποστολικὸς πάπας, καὶ θέλει ἔχειν σε ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργόν.

Κε-

Κεφάλ. δ'. Καθὼς ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς, ἵνα διὰ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας ἀποδεξώμεθα τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Φώτιον ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν ἡμῶν, εἰσηκούσαμεν τῆς δεήσεως ὑμῶν. καὶ κελεύομεν ἵνα ἐνώπιον ὑμῶν ἔλθῃ εἰς τὴν σύνοδον, καὶ ἀποδέξηται αὐτὸν πᾶσα ἡ ἐκκλησία κατὰ τὴν διάταξιν τῶν γραμμάτων ἡμῶν· ἀποδέχεσθε αὐτὸν καὶ ὑμεῖς συγκοινωνὸν καὶ συλλειτουργόν. καὶ ἵνα εὐχαριστίαν καὶ ἔλεος τῆς ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων προσφέρῃ.

Caput 4. Sicut ſcripſit Imperator, ut per pacem eccleſiæ ſuſciperemus ſanctiſſimum patriarcham Photium fratrem & comminiſtrum noſtrum, exaudivimus preces veſtras. Et jubemus ut coram vobis veniat ad ſynodum, & ſuſcipiat eum omnis eccleſia juxta diſpoſitionem litterarum noſtrarum; ſuſcipictis eum & vos conſortem & comminiſtrum: & ut gratiarum actionem referat, & miſericordiam commendet eccleſiæ Romanæ.

ANNO CHRISTI 879.

Κεφάλ. ε'. Ἀναστάντες εἴπατε αὐτῷ· κελεύει ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πάπας, ἵνα πάντες οἱ ἐν διαφόροις ὄντες τόποις ὑπερόριοι, εἴτε ἐπίσκοποι, εἴτε πρεσβύτεροι, εἴτε ἄλλοι τινές, καὶ ἐὰν ἠθέλησαν ἕως τοῦ παρόντος κοινωνῆσαι μεθ' ὑμῶν, διὰ τοῦτο μόχθου ὑμῶν σώθωσι τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ γένωνται σὺν μεθ' ὑμῶν. ἐρχομένων δὲ αὐτῶν ἀποδέξεται αὐτοὺς, ὡς πατὴρ τέκνα· καὶ νουθετήσει αὐτοὺς πολλάκις, ἵνα διὰ τὴν εἰρήνην τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ὁμονοήσωσι μετὰ τοῦ ἀποστολικοῦ, καὶ κρατήσωσι μετ' αὐτοῦ τὸ θέλημα, ἀποδεχόμενοι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, καὶ γινόμενοι αὐτοῦ συγκοινωνοί. οἱ δὲ * ἀρχόμενοι, ὅσοι μὴ προεχειροτονήθησαν, ἵνα ἀπολάβωσι τοὺς θρόνους αὐτῶν. οἱ δὲ ἐξαπίνης χειροτονηθέντες, ἵνα ἔχωσιν ἐκ τῶν αὐτῶν ἐπισκόπων διαῤῥοφὰς καὶ σκεπάσματα ἀρκοῦντα.

Caput 5. Surgentes dicite ei: Jubet dominus noſter ſanctiſſimus Papa, ut omnes qui in diverſis locis ſunt exſules, ſive epiſcopi, ſive presbyteri, ſive alii quilibet, qui noluerunt hactenus communicare vobiſcum, veſtro labore uniantur eccleſiæ Dei, & fiant unum vobiſcum. Venientibus autem illis ſuſcipiet illos, ut pater filios, & ſæpe monebit illos, ut propter pacem eccleſiæ Dei ſint unius ſententiæ cum Apoſtolico, & cum ipſo retineant unam voluntatem, ſuſcipientes Photium ſanctiſſimum patriarcham, & communicantes cum eo. Ex his autem qui venient, qui quidem prius ordinati fuerint, recipiant ſedes ſuas: qui vero poſterius ſunt ordinati, ſic habeant ab ipſis epiſcopis victum ac veſtitum ſufficientem.

Κεφάλ. ς'. Καθεζομένων ὑμῶν ἐπὶ τῆς συνόδου μετὰ τοῦ προρρηθέντος ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς τοποτηρητῶν, ἅμα τοῖς λοιποῖς ἀρχιεπισκόποις καὶ μητροπολίταις, καὶ πᾶσι τοῖς ἱερεῦσι τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, πρῶτον ἀναγνωσθήτωσαν αἱ ἐπιστολαὶ, αἱ πρὸς τὸν βασιλέα ἀποσταλεῖσαι· καὶ ἐρωτηθήτω ἡ σύνοδος, εἰ ἀποδέχεται αὐτὰς, καὶ ἐὰν φυλάττωσι τὰς μαρτυρίας ἃς περιέχει ἡ ἐπιστολή. ἀποκριναμένων αὐτῶν εἰπατε· ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πάπας πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν φροντίδα ποιούμενος, καὶ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας, καὶ σώσεως, καὶ εἰρήνης προμηθούμενος, ἀπέστειλεν ἡμᾶς τοὺς δούλους αὐτοῦ, ἵνα τοὺς διεσκορπισμένους συναγάγωμεν, καὶ τοὺς διεστῶτας εἰρηνεύσωμεν, καὶ τῷ ἐλέει τῆς ἐκκλησίας χεῖρα ὀρέξωμεν, τοὺς κατερράγμενους ἀνορθώσωμεν· ἵνα πάντες ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζωμεν τὸν πατέρα σὺν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. ἔστι τοῦτο καλὸν, εἰ οὐχί; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὅσα πρὸς εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας εἰσὶ, καὶ καλὰ καὶ ἀποδεκτὰ ἡγούμεθα.

Caput 6. Conſidentibus vobis in ſynodo cum prædicto ſanctiſſimo patriarcha, & legatis Orientis, cum reliquis archiepiſcopis & metropolitis, & omnibus ſacerdotibus eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, primum legantur litteræ ad Imperatorem miſſæ: & interrogetur ſynodus, an illas ſuſcipiat, an & cuſtodiant præceptiones quas epiſtola continet. Reſpondentibus illis dicite: Dominus noſter ſanctiſſimus Papa omnium eccleſiarum ſolicitudinem gerens, & veſtræ ſaluti, & unitati, pacique conſulens, miſit nos ſervos, ut diſperſos congregemus, & diſſidentes conciliemus, & eccleſiæ commiſeratione manum porrigamus, eliſos erigamus; ut omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio & Spiritu ſancto. Eſt hoc bonum, annon? Sancta ſynodus dixit: Quæcumque ad pacem & concordiam eccleſiæ ſunt, & bona ſunt & ſuſcipienda.

Κεφάλ. ζ'. Τοὺς δὲ διαμένοντας ἐν τῇ αὐτῶν αὐθαδείᾳ καὶ τυραχῇ, καὶ εἰς τὴν ὀρθότητα τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἀδελφῶν μὴ θέλοντας συνελθεῖν, μηδὲ τὸν συνδεσμὸν τῆς ἀγάπης διαφυλάξαι, μετὰ β'. καὶ γ'. νουθεσίαν ὑμῶν τε καὶ τῆς ἁγίας συνόδου, ποιήσατε αὐτοὺς ἀκοινωνήτους, καὶ παντὸς τάγματος ἐκκλησιαστικοῦ ἀφορίσατε, ἕως ἂν σώθωσι τῷ οἰκείῳ πατριάρχῃ, καὶ τῇ κατ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ.

Caput 7. Qui vero permanent in ſua contumacia & diſcordia, nec volunt in unionem eccleſiæ fratrumque convenire, neque vinculum caritatis cuſtodire, poſt ſecundam & tertiam admonitionem veſtram & ſanctæ ſynodi, hos excommunicate, & ab omni eccleſiaſtica dignitate excludite, donec uniantur ſuo patriarchæ & ipſius eccleſiæ.

Κεφάλ. η'. Ἐξακολουθοῦντες τοῖς κανόσι τῶν ἁγίων πατέρων λέγομεν, ἵνα μετὰ τὴν ἀποβίωσιν Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου μηδεὶς ἀπὸ κοσμικοῦ ἀξιώματος εἰς τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως ἀνέλθῃ, καθὼς καὶ αἱ ἐπιστολαὶ ἡμῶν μαρτυροῦσι.

Caput 8. Sequentes canones ſanctorum patrum dicimus, ut poſt obitum Photii ſanctiſſimi patriarchæ, nemo e ſæculari dignitate in Conſtantinopolitanam ſedem aſcendat, quemadmodum litteræ etiam noſtræ conteſtantur.

Κεφάλ. θ'. Θέλομεν ἐνώπιον τῆς σύνοδου ἵνα τὸν προρρηθέντα Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην παρακαλέσητε, μήτε ὠμόφορον εἰς Βουλγαρίαν ἀποστεῖ-

Caput 9. Volumus ut coram ſynodo prædictum Photium ſanctiſſimum patriarcham adhortemini, ut neque pallium in Bulgariam mit-

tat, neque ordinationes faciat in illa provincia. Nam si hoc fecerit, ipsum secundum canones arguemus.

ANNO CHRISTI 879.

Caput 10. Volumus coram præsente synodo promulgari, ut synodus quæ facta est contra prædictum patriarcham Photium sub Hadriano sanctissimo Papa in urbe Roma & Constantinopoli ex nunc sit rejecta, irrita, & sine robore; neque connumeretur cum altera sancta synodo. Sancta synodus respondit: Nos rebus ipsis condemnavimus & abjecimus & anathematizavimus dictam a vobis synodum, uniti Photio sanctissimo nostro patriarchæ: & eos qui non rejiciunt scripta dictave contra eum in hac dicta a vobis synodo, anathematizamus. Elias metropolita Martyropoleos, & Elias Hierosolymorum legatus, dixerunt: Quomodo enim synodus appellaretur, quæ infinitis schismatibus ecclesiam replevit? Quis synodum appellet, quæ federe fecit tanquam judices ad leges ferendas legatum Saracenorum? Quibus synodis adnumerabitur, quæ ausa est statuere contraria omnibus sanctis synodis: quæ innocentes & sine qualicumque examine condemnavit; quæ omnes leges ecclesiasticas & civiles confudit & evertit? Nam propter hæc sanctissimæ Orientis sedes acta illa damnarunt, rejecerunt, & anathematizarunt.

Caput 11. Videte ut juxta mandatum nostrum ita ambuletis. Neque muneribus abducamini, neque per adulationem aut metum declinetis ad dexteram aut ad sinistram: sed regia via incedite: ut qui locum nostrum & potestatem habeatis, quam vobis ob pacem ecclesiæ dedimus, ut per vestrum laborem & dignam vestram solicitudinem gratiam nostram & sedis Apostolicæ habeatis, & nostræ communionis sitis cohæredes.

Sancta synodus dixit: Ecce videmus vos per omnia mandata sanctissimi Papæ esse obsecutos; vere enim talis Pontificis magni tales esse oportuit & legatos. Nicetas Dei amantissimus metropolita Smyrnæ dixit: Deo volente res eo loco positas inveniistis, ut si quis velit extra præceptum Dei & mandata sanctissimi Papæ ambulare, non inveniat excusationem: & ubi res illæ ipsæ cogunt viam Dei ambulare, neque qui habent pravas opiniones, possunt contra res ipsas venire: quanto igitur magis qui mentem habent omni genere virtutum instructam; non possunt omnino declinare neque ad dexteram neque ad sinistram extra voluntatem Dei, sive extra mandata Pontificis Romæ?

Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt: Propheta dicit: *Ad omnia quæ mittam vos, ibitis*. Non venimus ut impleremus nisi voluntatem Dei & domini nostri sanctissimi Papæ. Sancta synodus dixit: Perspicue cernimus, vos voluntatem Dei & Pontificis qui misit vos, adimplere. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Divina voluntas est illius qui descendit de cælis, & nostram naturam accepit, ut reconciliaret genus humanum Patri suo, quod fuerat multis antea sæcu-

Jerem. 1. 7.

λαι, μήτε χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτῇ ἐπαρχίᾳ. ἐὰν γὰρ τοῦτο ποιήσῃ, ἐλέγξαι αὐτὸν ἔχομεν κανονικῶς.

Κεφάλ. ί. Θέλομεν ἐνώπιον τῆς ἁγιωτάτης συνόδου ἀνακηρυχθῆναι, ἵνα ἡ σύνοδος ἡ γενομένη κατὰ τὸν προρρηθέντα πατριάρχην Φώτιον ἐν τοῖς καιροῖς τοῦ Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἀπὸ τοῦ παρόντος ᾖ ἐξουθενισμένη καὶ ἄκυρος καὶ ἀβέβαιος, καὶ μὴ συναριθμῆται αὕτη μετ' ἑτέρας ἁγίας συνόδου. ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· ἡμεῖς δι' ἔργων ἀπεκηρύξαμεν καὶ ἀπεβαλόμεθα καὶ ἀνεθεματίσαμεν τὴν παρ' ὑμῶν λεγομένην σύνοδον, σὺν τοῖς Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἡμῶν πατριάρχῃ· καὶ τοὺς μὴ ἀποβαλλομένους τὰ κατ' αὐτὴν γραφέντα ἢ λαληθέντα ἐν αὐτῇ τῇ ῥηθείσῃ παρ' ὑμῶν συνόδῳ, τῷ ἀναθέματι παραπέμπομεν. Ἠλίας μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως, καὶ Ἠλίας Γεροσολύμων τοποτηρητής, εἶπον· καὶ πῶς γὰρ ἂν σύνοδος ῥηθείη ἡ μυρίων χισμάτων ἐκκλησίαν πληρώσασα; τίς ὀνομάσειε σύνοδον τὴν Σαρακηνῶν ἀποκρισιαρίους κρίτας καὶ νομοθέτας καθίσασαν; ποίαις συνόδοις ἀριθμηθείη ἡ πάντων τῶν ἁγίων συνόδων ἐναντία τολμήσασα; ἢ τοὺς ἀναθήνας καὶ χωρὶς τῆς οἵας δήποτε ἐξετάσεως κατεδικάσασα; ἢ πάντας θεσμοὺς ἐκκλησιαστικοὺς καὶ πολιτικοὺς συγχέασα, καὶ καταστρέψασα; ἅμα γὰρ οἱ τῆς ἀνατολῆς ἁγιώτατοι θρόνοι ἀποκηρύχτους τοὺς ὅρους αὐτῆς καὶ ἀποβλήτους ἐποιήσαντο, καὶ τῷ ἀναθέματι παρεπέμψαντο.

Κεφάλ. ιά. Βλέπετε ἵνα κατὰ τὸ ἐντάλμα ἡμῶν ὕπως περιπατήσητε, καὶ μήτε δώροις συναπαχθῆτε, μήτε ἅμα κολακείαν ἢ φόβον ἐκκλίνητε δεξιὰ ἢ ἀριστερά· ἀλλὰ βασιλικῇ ὁδῷ πορεύθητε, ὡς τὸν τόπον καὶ τὴν ἐξουσίαν ἡμῶν, ἣν ὑμῖν ἅμα τῇ εἰρήνῃ τῆς ἐκκλησίας δεδώκαμεν, ἔχοντες· ἵνα διὰ τὸ ὑμέτερον κόπον καὶ ἀξίαν ὑμῶν μόχθον τὴν χάριν ἡμῶν καὶ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ἔχητε, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας γένησθε συγκληρονόμοι.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἰδοὺ ὁρῶμεν ὑμᾶς κατὰ πάντα τῷ ἐντάλματι τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐξακολουθοῦντας. ἐπ' ἀληθείας γὰρ τοιοῦτον ἀρχιερέως μεγάλου, τοιούτους ἔδει εἶναι καὶ τοὺς τοποτηρητάς. Νικήτας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Σμύρνης εἶπεν· ὁ Θεὸς ὕπως ἐποίησεν εὑρεῖν ὑμᾶς τὰ πράγματα, ἵνα κἂν θέλητις ἔξωθεν τῆς ἐντολῆς τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν παραγγελμάτων τοῦ ἁγιωτάτου πάπα περιπατῆσαι, μὴ εὑρίσκῃ πρόφασιν· ὅπου τὰ πράγματα καὶ αὐτὰ ἐκεῖνα ἀναγκάζουσι κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ πορεύεσθαι, ὅτε οἱ ἔχοντες φαύλας γνώμας δύνανται ἐναντία τῶν πραγμάτων ἐλθεῖν· πόσῳ οὖν μᾶλλον οἱ ἔχοντες τὴν διάνοιαν αὐτῶν πάσῃ ἀρετῇ * κατηρτισμένους, ὅτε δύναιντο ὕπως παντελῶς ἐκκλῖναι δεξιὰ ἢ ἀριστερὰ τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ, εἴτε τῶν ἐντολμάτων τοῦ ἀρχιερέως τῆς Ῥώμης;

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ὁ προφήτης λέγει· εἰς πάντα ὅσα ἀποστέλλω ὑμᾶς, πορεύεσθε. οὐκ ἤλθομεν πληρῶσαι εἰ μὴ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἐναργῶς βλέπομεν, ὅτι τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀποστείλαντος ὑμᾶς ἀρχιερέως πληροῦτε. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος παλαιάρχης εἶπε· θεῖον θέλημά ἐστι τοῦ καταβάντος ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀναλαβόντος, ἵνα καταλλάξῃ τὸ ἀνθρώπινον γένος

πρὸς

πρὸς τὸν πατέρα αὐτῆ, ἐκπεπολεμημβίον χρόνοις πολλοῖς ἐμφρόδεν. καὶ νῦν ὁρᾷ σὺν ἡμῖν ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ὅτι κατὰ τὸ θέλημα καὶ τιὼ ἐντολιὼ τῆ ἁγιωτάτυ πάπα πάντα σωνῆλθον, καὶ τὸ ἀντιπίπτον ἀδοὺ ἐστι· καὶ σωέδραμε ἡ ἐκείνυ γνώμη καὶ ἡ τῆ πραγμάτων φύσις. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· τὸ ἔργον ἡμῶν τετέλεσται, ἵνα δὲ ἀγῶν καὶ μόχθυ σώσωμβυ τιὼ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίαν. διὰ τῦτο καὶ πολλὰς κόπυς ἐν τῆ ὁδῷ ὑπεμείναμβυ. ὅμως οἱ ἅγιοι ἄνδρες διὰ κόπυ ἤρεσαν τῆ Χριςῷ. φώτι ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἔστι μισθαποδότης ὁ Θεὸς ὁ τὰς μεγάλας μισθὰς καὶ ἀκενώτυς τοῖς φιλοῦσιν ὑμῖν ἐν τῆ βασιλείᾳ αὐτῆ.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιωάλις εἶπεν· ἰδὰ καὶ αἱ ὑπογραφαὶ τῆ ἐπισκόπων, ὅπως ὡμονόησαν καὶ ἀπεδέξαντο Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχιω σὺν πάσῃ τῇ ἁγίᾳ τῆ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ.

Ζαχαρίας ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Ἀναγνήνων, καὶ βιβλιοθηκάριος τῆ ἀποστολικῆ θρόνυ, ἐν τύτῳ κομμονιτορίῳ ὑπὲρ τῆς ἀποδοχῆς Φωτίυ τῆ ἁγιωτάτυ πατριάρχυ ἰδιοχείρως ὑπέγρ.

Μαρτῖνος ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Ναρνικόνσυ, ὁμοίως ὑπέγραψε.

Δομίνικος ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Τριβεντίνου, ὁμοίως.

Φλῶρος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Μανδουρενσίυ, ὁμοίως ἰδιοχείρως ὑπέγραψε.

Γαυδερίχος ἐπίσκοπος Βελιτέρνυ, ὁμοίως.

Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Φερεντίνης, ὁμοίως.

Λέων ἐπίσκοπος Γαβινίης, μίσος καὶ ἀποκρισιάριος ἀποστολικῆ θρόνυ, ὁμοίως ἰδιοχείρως ὑπέγρ.

Πέτρος ἐπίσκοπος Φοροσιφρονινίυ, ὁμοίως.

Οὐαλπέρτος τῆς ἁγίας *Πέτρυ ἐκκλησίας, ὁμοίως.

Συμεὼν ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Φυνδάρων, ὁμοίως.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Σινίνων, ὁμοίως.

Βενέδικτος ἐπίσκοπος, ὁμοίως.

Γρηγόριος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Σολβακανδίδυ, ὁμοίως.

Βονιφάτιος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας τῆ Βλεράνων ἐκκλησίας, ὁμοίως.

Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας τῆ Νεπεσινῶν ἐκκλησίας, ὁμοίως.

Γερμανὸς πρεσβύτερος τῆ ἁγίυ Παύλυ καὶ Ἰωάννυ, ὁμοίως.

Πέτρος πρεσβύτερος τῆ ἁγίυ Χρυσογόνυ, ὁμοίως.

Βενέδικτος πρεσβύτερος τῆς ἁγίας Βαλβίνης, ὁμ.

Ἀδριανὸς πρεσβύτερος τῆ ἁγίυ Λαυρεντίυ, ὁμοίως.

Λέων πρεσβύτερος, ὁμοίως.

Ἰωάννης πρεσβύτερος τῆς ἁγίας Κικιλίας, ὁμοίως.

Παῦλος διάκονος, ὁμοίως ὑπέγραψε.

Λέων διάκονος, ὁμοίως.

Μετὰ τιὼ συμπλήρωσιν τῆ κομμονιτορίυ, Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιωάλις εἶπεν· ἀρέσκει τῇ ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ; καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἀνεκρίθη· ἀρέσκει. καὶ μάλιστα αἱ γεγόμβυαι ὑπογραφαὶ ὑπὲρ τῆς κοινῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας τῆς ἁγίας τῆ Θεῆ ἐκκλησίας, καὶ ὑπὲρ τῆς ἀποδοχῆς Φωτίυ τῦ ἁγιωτάτυ καὶ οἰκυμβυικῆ πατριάρχυ. καὶ ταῦτα εἰπόντες ἐπεφήμησαν· πολλὰ τὰ ἔτη τῆ βασιλέων.

lis inimicum. Et nunc videt nobiscum vestra sanctitas, quod secundum voluntatem & mandatum sanctissimi Papæ omnia convenerunt, neque quidquam adversatur: & concurrit cum illius judicio ipse rerum status. Sanctissimi legati dixerunt: Opus nostrum hoc est, ut labore ac solicitudine nostra uniamus ecclesiam vestram. Propterea & multas molestias in itinere sustinuimus. Ac certe viri sancti per molestias Christo placuerunt. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Est remunerator Deus, qui magnam mercedem & inexhaustam vobis asservat in regno suo.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit; Ecce subscriptiones episcoporum, qui consenserunt, ac receperunt Photium sanctissimum patriarcham, cum omni sancta Romana ecclesia.

Zacharias episcopus ecclesiæ Anagninæ & Bibliothecarius sedis Apostolicæ, in hoc Commonitorio pro susceptione Photii sanctissimi patriarchæ, propria manu subscripsit.

Martinus episcopus ecclesiæ Narniensis, similiter subscripsit. *Vide Baron. ann. 879 n. 52.*

Dominicus episcopus sanctæ ecclesiæ Triventi, similiter.

Florus episcopus sanctæ ecclesiæ Marturensis, similiter propria manu subscripsit.

Gaudericus episcopus Velitrensis, similiter.

Stephanus episcopus sanctæ ecclesiæ Ferentinæ, similiter.

Leo episcopus Gabiensis, missus & legatus Apostolicæ sedis, similiter subscripsit propria manu.

Petrus episcopus Foro-Sempronensis, similiter.

Vvalpertus sanctæ Porti ecclesiæ, similiter.

Symeon episcopus sanctæ ecclesiæ Fundanæ, similiter.

Joannes episcopus sanctæ ecclesiæ Signinæ, similiter.

Benedictus episcopus, similiter.

Gregorius episcopus sanctæ ecclesiæ Silvæ candidæ, similiter.

Bonifacius episcopus sanctæ Bletanæ ecclesiæ, similiter.

Stephanus episcopus sanctæ Nepesinæ ecclesiæ, similiter.

Germanus presbyter sancti Pauli & Joannis, similiter.

Petrus presbyter sancti Chrysogoni, simil.

Benedictus presbyter sanctæ Balbinæ, similit.

Hadrianus presbyter sancti Laurentii, similit.

Leo presbyter, similiter.

Joannes presbyter sanctæ Cæciliæ, similiter.

Paulus diaconus, similiter subscripsit.

Leo diaconus, similiter.

Post absolutum Commonitorium, Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Placetne sanctitati vestræ? Et sancta synodus respondit: Placet: & factæ præsertim subscriptiones pro communi pace & concordia sanctæ Dei ecclesiæ, & pro susceptione Photii sanctissimi & œcumenici patriarchæ. Et hæc dicentes acclamatione fausta precati sunt: Multos annos Imperatoribus.

ANNO CHRISTI 879.

ACTIO

ANNO CHRISTI 879.

ACTIO QUARTA.

MEnse Decembri, die quinta, in vigilia Nativitatis Christi Dei nostri: præsidente Photio sanctissimo nostro patriarcha, in sancto magno secretario: & considentibus simul cum eo sanctissimis legatis antiquæ Romæ, & sedium Orientalium, adhuc autem & omnibus Dei amantissimis metropolitis & episcopis; Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius dixit: Metropolita Martyropoleos nuper adveniens ex parte patriarchæ Theopoleos sive Antiochiæ, & locum ipsius tenens, & simul afferens sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum litteras, pro foribus adstat: & si jubet sancta synodus vestra ut ingrediatur. Sancta synodus dixit: Ingrediatur. Ingressus autem, salutationem pro more & reverentiam exhibens Photio sanctissimo patriarchæ, & solita ei facta precatione a sanctissimo patriarcha Photio, amplexus est eum, & interrogavit eum, quomodo valeret patriarcha Antiochiæ, & Hierosolymorum similiter. Illo autem dicente ipsos recte valere, tametsi multis circumdarentur periculis; Photius sanctissimus patriarca subjecit iterum: Sancta quam administrat Dei ecclesia quomodo se habet, qua pace fruitur? Et ipso respondente, Per sanctas orationes vestras in pace & concordia perseverat, ei salutatio fit a sanctissimis legatis antiquæ Romæ, & in sua sede est collocatus.

Postea interrogatus est a sanctissimis legatis, cujus rei causa advenisset, & a quo missus esset. Basilius Dei amantissimus metropolita Martyropoleos & legatus Antiochiæ dixit: Missus sum a sanctissimo meo patriarcha Theopoleos, sive Antiochiæ, Theodosio; sed & ab Elia, qui in præsentia Hierosolymitanæ sedis regit gubernacula; & personam sanctissimi mei; patriarchæ repræsentaturus venio. Affero autem & litteras ipsius, & sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum. Causam vero propter quam adveni, ipsa epistola plenius quam oratio mea, manifestabit. Quamquam & viva voce pauca dicere nihil vetat. Sanctissimus meus patriarcha Theodosius nullo modo (absit) neque per seipsum, neque per alterum alicui injustæ actioni contra sanctissimum & œcumenicum patriarcham Photium ullo modo communicavit: sed ab ipsis semper exorsus initiis non ad Pontificatus apicem prosiluit; & in cleri conscriptus ordine, demum divina Antiochiæ gubernacula suscipiens, Pontificem Dei & comministrum censet & appellat: & aversatur secus sentientes. Postquam vero litteras suscepit, ut quosdam mitteret qui in communi cœtu & lætitia socii celebritatis essent cum fratribus, ad hoc ipsum missus sum. Sanctissimus vero Elias nuper Hierosolymorum Pontifex constitutus, in omnibus sequens Theodosium, qui prius eamdem sedem administravit, nunquam ulla ratione venit in partem injuriarum quæ sunt sanctissimo patriarchæ illatæ: sed & qui fuerunt legati Saracenorum, & finxerunt se personam illius suscipere, anathemati subjecit. Missus sum igitur etiam ab ipso, ut

ΠΡΑΞΙΣ Δ.

ΜΗνὶ Δεκεμβρίῳ, ἡμέρᾳ ε. ἐν τῇ παραμονῇ τῆς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν γεννήσεως, προκαθεσθέντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου ἐν τῷ εὐαγεῖ μεγάλῳ σεκρέτῳ· καὶ συγκαθεσθέντων αὐτῷ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς τε πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων· ἔτι δὲ καὶ πάντων τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, καὶ ἐπισκόπων· Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος εἶπεν· ὁ μητροπολίτης τῆς Μαρτυροπόλεως ἄρτι παραγεγονὼς ἀπὸ τοῦ Θεουπόλεως ἤτοι Ἀντιοχείας πατριάρχου, τόν τε τόπον ἐπέχων αὐτοῦ, συνεπιφερόμενος δὲ καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων γράμματα, πρὸ τῶν πυλῶν ἵσταται· καὶ εἰ κελεύει ἡ ἁγία σύνοδος ὑμῶν εἰσελθεῖν αὐτόν. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἰσίτω. εἰσελθὼν οὖν, καὶ τὴν πρὸς εθος προσκύνησιν καὶ τὸ σέβας ποιησάμενος πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, καὶ τῆς εἰθισμένης αὐτῷ εὐχῆς παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Φωτίου γεγενημένης, ἠσπάσατό τε αὐτὸν, καὶ ἐπηρώτησε τὰς τοῦ πατριάρχου Ἀντιοχείας ὑγείας· ὡσαύτως δὲ καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων. ἐκείνου δὲ ἐν ὑγείᾳ διαμένειν αὐτοὺς εἰπόντος, εἰ καὶ πολλοῖς περιστοιχίζονται πειρασμοῖς· Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἐπηύεγκε πάλιν· ἡ κατ' αὐτὸν ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία πῶς διάκειται; πῶς εἰρηνεύει; καὶ τούτου ἀποκριναμένου, ὡς διὰ τῶν ἁγίων εὐχῶν ὑμῶν ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ τελεῖ, ὁ ἀσπασμὸς αὐτῷ γίνεται παρὰ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς * πρεσβυτέρης Ῥώμης· καὶ ἐν τῷ οἰκείῳ βαθμῷ ἐκαθέσθη.

Μετὰ ταῦτα ἐπηρωτήθη παρὰ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν, τίνος ἕνεκα παραγέγονε, καὶ παρὰ τίνος ἀπεσταλμένος εἴη. * Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως, καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· ἡ ἐμὴ ἀποστολὴ ἐγένετο παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου μου πατριάρχου Θεουπόλεως, ἤτοι Ἀντιοχείας, Θεοδοσίου· οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ παρὰ Ἠλία τοῦ νῦν τοῦ τῶν Ἱεροσολύμων θρόνου ἰθύνοντος τοὺς οἴακας, καὶ * τοὺς μὲν πρόσωπον τοῦ ἁγιωτάτου μου πατριάρχου ἀναπληρώσων ἥκω. ἐπιφέρομαι δὲ καὶ ἐπιστολὰς αὐτοῦ τε καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων. ἡ δὲ αἰτία δι' ἣν παρεγενόμην, αὐτὰ τὰ γράμματα μᾶλλον ἀκριβεστέρως τῆς ἐμῆς φωνῆς δηλώσει. πλὴν καὶ ἀπὸ στόματος οὐδὲν κωλύει βραχέα εἰπεῖν. ὁ ἁγιώτατός μου πατριάρχης Θεοδόσιος οὐδέποτε [μὴ γένοιτο] οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε δι' ἑτέρου, εἰς τὴν ἄθεσμον πρᾶξιν τὴν κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου Φωτίου κατ' οὐδένα τρόπον ἐκοινώνησεν. ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς καὶ ἄνωθεν ἀεὶ οὐ πρὸς τοὺς τῆς ἀρχιερωσύνης ὅρους ἀνέδραμε· καὶ ἐν τῇ τοῦ κλήρου κατειλεγμένος τάξει, ὕστερον τῶν τῆς Ἀντιοχείας θείων οἰάκων ἐπειλημμένος, ἀρχιερέα Θεοῦ καὶ συλλειτουργὸν καὶ ἔχει καὶ ὀνομάζει, καὶ τοὺς μὴ οὕτως ἔχοντας ἀποστρέφεται. ἐπεὶ δὲ γράμματα ἐδέξατο, ἀποστεῖλαι τινὰς ἐπὶ τῇ κοινῇ συνελεύσει καὶ εὐφροσύνῃ συνεορτάσοντας τῶν ἀδελφῶν, ἐπὶ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἡ ἐμὴ ἀποστολὴ γέγονε. καὶ ὁ ἁγιώτατος δὲ Ἠλίας, ὁ ἄρτι τῶν Ἱεροσολύμων ἀρχιερεὺς καταστὰς, κατὰ πάντα ἑπόμενος Θεοδοσίῳ τῷ προηγησαμένῳ τοῦ αὐτοῦ θρόνου, οὐδέποτε μὲν ταῖς κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου παροινίαις οὐδαμῶς ἐκοινώνησεν. ἀλλὰ καὶ τοὺς γεγονότας ἀποκρισιαρίους τῶν Σαρακηνῶν, καὶ πλασαμένους αὐτοῦ

* Pro πρεσβυτέρ[illegible] sic ut πρεσβ[illegible]ρης in [illegible] scribi[illegible]

* Sup[illegible] 472. [illegible] Ἠλία

* Pro

αὐτῆ τὸ πρόσωπον ὑποδιῶαι, τῷ ἀναθέματι παρεπέμψατο. ἀπεκάλιω γὰρ κὴ παρ' ἐκείνε, ὥς τε τὰ τῆς αὐτῆ γνώμης, ὡς εἶχε τὰ ἀπ' ἀρχῆς, κὴ ἔχει, κὴ ἕξει, ἐμφανῆ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ κατισήσω συνόδῳ. κὴ μετὰ ταῦτα ἀνασὰς, πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχιω εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν τὰς ἐπισολὰς ἀποδέξασθαι, ἰδὺ παρ' ἐμοί εἰσι.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· συνεπινεύοντων τῶν ἀδελφῶν κὴ συλλειτργῶν ἡμῶν τῶν τιμιωτάτων τοποτηρητῶν, ἐπιδότω ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν τὰς τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν ἐπισολάς. ἐπιδοθεισῶν δὲ αὐτῶν, λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος * κὴ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

Οὐκ ἔστιν εὐχαριστία, ἣν προσάγειν ὀφείλομεν Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν, ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. κὴ γὰρ δι' αὐτῦ ἐσμὲν ἐν αὐτῷ κὴ ζῶμεν κὴ κινέμεθα ἐσμέν· ἐ μόνον τῦτο, ἀλλὰ κὴ τιμῇ τῆς ὁμοιώσεως αὐτῦ τετιμήμεθα, κὴ γινόμεθα κατὰ χάριν, ὅπερ αὐτὸς ὑπάρχει κατὰ φύσιν. ὑπὲρ τύτων ἁπάντων ἄλλων ἄλλης εὐεργεσίας τετυχηκότων, κὴ ἡμεῖς τῆς εἰς τὸ ὑμετέραν ἀξιότητα φθασάσης εὐεργεσίας, τὸ εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν, κὴ τὸν ἀσπασμὸν ἀλλήλοις χρεωστικῶς, ὡς ἀδελφοὶ ἀδελφοῖς, ἀπονέμομεν. Τῇ μὲν ἐλπίδι τῆς ἐπαγγελμένων ἀγαθῶν τοῖς διὰ Χριστὸν πειραζομένοις χαίροντες ἀδιαλείπτως· τὰ δὲ ἄλλα πάντα τῷ κυβερνήτῃ τῶν ὅλων ἀνατιθέντες Θεῷ. διὸ προσαγορεύοντές σε τὸν πανίερον ἀδελφότητα, θεοτίμητε πάτερ, κὴ εἰς ἀδελφὸν ἡμέτερον κὴ συλλειτργὸν ἐγκαταλεγῆναι ποθνιώμενοι, διαγγέλομεν τὰ μὲν ἄλλα ὅσα περὶ τὴν διημερίαν τῦ βίε νεκροῖς ἐοίκαμεν, ἀφορήτοις περιαντλύμενοι περισάσεων κύμασι· μόνῳ δὲ Θεῷ κὴ τῇ ἐλπίδι πνέομεν, κὴ σαλευόμεν· τὰ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ὀρθοδοξεῖ. κὴ τὸν ἡμέτεραν ἀτέλειαν εἰς ποιμῆνα κὴ πατριάρχην τῆς Θεσπόλεως προεχειρίσαντο. ὅπερ δὲ εἶχεν ἄλγος ἐκ πολλῦ ἡ καθ' ἡμᾶς ἁγία τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησία, περὶ τῆς χισμάτων τῆς ἁγίας τῆς Κωνσταντινοπολίτης ἐκκλησίας, κὴ μάλισα διὰ τὴν ἔλευσιν τῦ κυρὶε Θωμᾶ τῦ ἐκ Βηρυτῦ τὸν Τύρου ἐπισκοπῦντος· ὃν ἡ θεία χάρις δι' ἁγίων ὑμῶν εὐχῶν ἔασε σωαπολέσθαι τοῖς ἀνοσίοις πράξεσιν ἐκείναις, ἃς κατὰ τῆς ὑμῶν ἀρχιερατικῆς κεφαλῆς συμπαρασυρεὶς τῷ ξισαθλίῳ Ἠλίᾳ παρωκέχθησαν κατεργάσασθαι. κὴ γὰρ διὰ τῆς αὐτῦ θερμῆς ὑποπτώσεως τὴν κατ' αὐτῦ ἀπειλημμένην κατέσβεσε φλόγα. τίς γὰρ πλέον ἡμῶν ἐπίσατιι, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, ὅτι ἡ Ἀντιοχέων ἐκκλησία ὐδέποτε κατὰ τῆς σῆς ἁγιωσύνης ἀνδέστι ἢ ἐδέξατο ἢ ἐφρόνησεν; ἀπὸ γὰρ τῆς ἡμερῶν ἐκείνων, ἀφ' ὧν ἄχρι κὴ δεῦρο ὑπὲρ τὰς εἴκοσι χρόνοι διέδραμον, τὰ τῆς σῆς ἀρετῆς τε κὴ γνώσεως κὴ ἀρχιερατικῆς τελειώσεως ἐπυνθάνοντες, κὴ κοινωνὸν κὴ συλλειτργὸν κὴ ἀπεδεξάμεθα, κὴ ἀποδεχόμεθα, ἀρχιερεῖς τε κὴ ἱερεῖς, κὴ ἅπαν τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας τὸ σύνταγμα· κὴ τὰς ὅπω μὴ φρονῦντας ἐχθρὰς ἡγύμεθα κὴ πολεμίας τῆς ἐκκλησιαστικῆς κατασάσεως. ὐ γὰρ μικρῶς ἐλυπήθημεν κὴ ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι τῇ σῇ ἀγάπῃ θλιβεροῖς, ὅτε ἂν κὴ ἔκασα ἀνεμάθομεν, ἅπερ ἡ τῦ πονηρῦ σοι σωεσκέδασατο μηχανὴ, κἂν ἐλυ τὸ ἐπαμῦναι ὐκ εὐκαιρον. νῦν δὲ ἀξιωθέντες παράτε τῦ θεοφρυρήτε κὴ εἰρηνοποιῦ βασιλέως, παράτε τῆς σῆς ἀδελφικῆς ἀγάπης σκυ-

A sensus ipsius, quos ab initio habuit, habetque, & habebit, sanctæ huic synodo manifestem. Et postea assurgens Photio sanctissimo patriarchæ dixit: Si jubet sanctitas vestra literas suscipere, ecce apud me sunt. ANNO CHRISTI 879.

Photius sanctissimus patriarcha dixit: Assentientibus fratribus & comministris nostris, reverendissimis legatis, reddat sanctitas vestra litteras. Accipiens igitur ab eo reddente Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius, legit:

B Non est gratiarum actio quam referre non debeamus Christo vero Deo nostro, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Etenim per ipsum & *in ipso vivimus & movemur & sumus*: neque hoc tantum: sed & honore similitudinis ejus donati sumus; & hoc sumus per gratiam, quod est ipse per naturam. Super hæc omnia cum alii aliis beneficiis cumulati fuerimus, nos etiam pro beneficio quo vos pro vestro merito aucti estis, gratiarum actionem referimus, & mutuam salutationem, ut par est, veluti fratres fratribus impertimus: spe bonorum quæ promittuntur his qui propter Christum vexantur, indesinenter gaudentes: cetera vero C omnia universorum rectori Deo permittentes. Quapropter salutantes tuam sacratissimam fraternitatem, venerande admodum pater, & in fratrem nostrum ac comministrum desiderantes cooptari, significamus, quod quidem pertinet ad hujus vitæ felicitatem, nos similes mortuis factos esse, intolerandis obrutos calamitatis fluctibus, sola in Deum spe respirantes, & fluctuantes: quod spectat autem ad nostram sanctissimam ecclesiam, orthodoxe sapit, & nostram tenuitatem in pastorem & patriarcham Theopoleos ordinavit. Quod autem in mœrore jamdiu est sancta nostra Antiochensium ecclesia ob schismata sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, & maxiD me propter adventum domini Thomæ ex urbe Beryto, qui Tyriorum episcopus est, quem divina gratia per sanctas orationes vestras non est passa simul perire illis impiis actibus, quos contra tuum pontificale caput cum infeliciissimo Elia avulsus & abstractus inducebatur operari. Nam per istius subitam ruinam imminens sibi extinxit incendium. Quis enim melius novit quam nos, frater carissime, quod Antiochensium ecclesia nunquam contra tuam sanctitatem injucundum aliquid aut suscepit aut cogitavit? Nam a diebus illis, ex quibus usque nunc supra annos viginti decucurrerunt, de tua virtute & scientia & Pontificali perfectione edocti, E consortem te & comministrum suscepimus suscipimusque, episcopi & sacerdotes, & omnis nostræ ecclesiæ ordo. Et secus sentientes pro hostibus ducimus, & inimicis ecclesiæ tranquillitatis. Neque enim mediocriter tristati sumus super angustiis quæ obtigerunt caritati tuæ, quando ea singulatim didicimus, quæ inimici malitia adversum te adornavit, tametsi non erat succurrere tempestivum. Nunc vero rogati tum a pacifico & a Deo custodito Imperatore, tum a tua fraterna caritate, ut illuc ad vos proficiscerer, dolui, ob petitionis difficultatem: ne forte nos reos peragant ii qui nobis

in-

ANNO CHRISTI 879.

insidiantur. Et hactenus quidem sic affecti & animati sumus. Si vero qui omnia constituit pro eo atque utilius est, Dominus facile reddiderit, quod difficile videtur, fiet quod vobis placuerit. Interim igitur quando præsens nobis aderat unus e reverentissimis episcopis nostris, qui civitatem Martyrum Christi regit, tunc præsentes nostras ei in manus litteras dedimus, & ad vestrum patriarchicum caput misimus, nostram ei vicem committentes. Quæ ad nos & nostram ecclesiam pertinent, vobiscum; quæ ad pacem Dei, & ecclesiasticam unitatem ac tranquillitatem, & quæcumque pia sanctæ vestræ synodo videbuntur, omnia vobiscum definiet. Quæcumque enim perficiet, & si quid eorum egerit quæ ad ecclesiasticam tranquillitatem spectant, omnia lubentissime admittemus. Gratiam autem nobis pro orationibus quas pro tua Pontificia incolumitate facimus, reddideris, si Christi amantissimum Imperatorem adhorteris, ut captivis Saracenis bene faciat. Multis enim nos ea ratione calamitatibus liberabis: & orationes quidem sine intermissione a nobis, mercedem vero irrevocabilem a Deo consequeris. Vale in Christo, sacratissime & admodum venerande frater ac comminister.

Et post lectionem epistolæ, Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Omnes agnoscitis, reverendi fratres & comministri, quod propter pacem & unitatem hujus sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, & ob susceptionem Photii sanctissimi patriarchæ huc venimus: Et ecce animadvertimus, sedes Orientales, velut ex compacto idem sentientes, misisse litteras commendatitias. Et gaudemus ea de re, quoniam in talem concordiam Pontificales omnes assentiuntur sedes, domno & domino nostro œcumenico Papa. Ipse enim est caput omnium ecclesiarum: & quod debuerunt facere, sequi nimirum sanctissimam Romanam ecclesiam, hoc fecerunt, comprobante Spiritu sancto.

Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Quando divina sententia cælitus delata est, quicumque sunt Spiritus sancti participes, concurrunt & comprobant & congaudent ob cælestem sententiam. Quamobrem & nos de omnium concordia & consensione gaudemus. Sancta synodus exclamavit: Si quis de hac re non gaudet, & gratias agit Deo, indignus est & gaudio & salute. Si quis non amplectitur & suscipit talem consensionem, inimicus est pacis, & ipsiusmet Christi, qui est pacis auctor. Si quis non suscipit Photium legitimum & canonice electum Pontificem Dei, ut legitime & canonice promotum, quemadmodum clamant omnes Pontificiæ sedes, sit iste anathema a Christo. Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Si jusserit sanctitas vestra, legatur & antistitis Hierosolymorum epistola. Sancta synodus dixit: Legatur. Et accipiens Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius, legit:

Fecit, ut decuit supremum atque a Deo gubernatum vestrum Pontificale caput, cum mi-

A λῆναι πρὸς τὰ αὐτόθι, ἠλγήσαμεν διὰ τὸ φορτικὸν τῆς αἰτήσεως, μήποτε ὑπόδικοι τοῖς ἐπηρεάζουσι γενώμεθα. καὶ τέως μὲν οὕτω διακείμεθα. εἰ δ' ὁ πάντα κατασκευάζων πρὸς τὸ λυσιτελέστερον κύριος, εὐχερὲς ποιήσει τὸ δοκοῦν δυσχερὲς, τὸ ἀρεστὸν ἐνώπιον αὐτοῦ γένοιτο. τέως οὖν ἐφ' ᾧ παριστάμεθα νῦν ἐνὶ τῶν εὐλαβεστάτων ἡμῶν ἐπισκόπων τὴν τῶν Μαρτύρων Χριστοῦ πόλιν ἰθύνοντι, τότε παρὸν ἡμῶν ἐνεχειρίσαμεν γράμμα· καὶ πρὸς τὴν ὑμῶν πατριαρχικὴν κεφαλὴν, τὸ ἡμέτερον ἐμπιστεύσαντες πρόσωπον, ἀπεστείλαμεν, ὅς τις ἀνθ' ἡμῶν καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας, ἅμα ὑμῖν, τὰ ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἑνώσεώς τε καὶ καταστάσεως, καὶ
B ὅσα ἂν εὐσεβῆ τῇ καθ' ὑμᾶς ἁγιωτάτῃ δόξει συνόδῳ, ἅπαντα σὺν ὑμῖν ἐκπερατώσει. ὅσα γὰρ τελέσει, καὶ εἴ τι τῶν εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν συντεινόντων διαπράξεται, ἅπαντα ἄσμενοι ἀποδεξόμεθα. χάριτας δὲ ἡμῖν τῶν ὑπὲρ τῆς σῆς ἀρχιερατικῆς κεφαλῆς εὐχῶν ἀποδοίης, εἰ τὸν φιλόχριστον βασιλέα παρακαλέσεις, τοὺς αἰχμαλώτους Σαρακηνοὺς ἀγαθοποιῆσαι. πολλῶν γὰρ ἡμᾶς διὰ τούτου συμφορῶν ἀποσπάσεις· καὶ εὐχὰς μὲν ἀλήκτους ἀφ' ἡμῶν, μισθὸν δὲ ἀναφαίρετον παρὰ Θεοῦ κληρονομήσεις. ὑγίαινε ἐν Χριστῷ, ἱερώτατε καὶ σεβασμιώτατε ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ.

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς ἐπιστολῆς, Πέτρος
C ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπε· πάντες γινώσκετε, τιμιώτατοι ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοὶ, ὅτι ἕνεκεν εἰρήνης καὶ ἑνώσεως τῆς ἁγίας ταύτης τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ ἀποδοχῆς Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, ἤλθομεν ἐνταῦθα. καὶ ἰδοὺ θεωροῦμεν ὅτι καὶ οἱ ἀνατολικοὶ θρόνοι, τὸ αὐτὸ ὡς ἐκ συνθήματος φρονοῦντες, ἀπέστειλαν συστατικὰς ἐπιστολάς. καὶ χαίρομεν ἐπὶ τούτῳ, ὅτι εἰς τὴν τοιαύτην ὁμόνοιαν οἱ ἀρχιερατικοὶ ἅπαντες συνηυδόκησαν θρόνοι, μετὰ τοῦ κυρίου καὶ δεσπότου ἡμῶν τοῦ οἰκουμενικοῦ πάπα. καὶ γὰρ ἐκείνη ἐστὶ κεφαλὴ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. καὶ ὅπερ ὤφειλον ποιῆσαι, καὶ ἐξακολουθεῖν τῇ ἁγιωτάτῃ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ, πε-
D ποιήκασι, τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου εἰς τοῦτο συνευδοκήσαντος.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ὅταν θεία ψῆφος ἄνωθεν ἐνεχθῇ, πάντες οἱ τοῦ παναγίου πνεύματος μεταχόντες συντρέχουσι καὶ συνευδοκοῦσι, καὶ συγχαίρουσι τῇ ἄνωθεν ψήφῳ. διὸ καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τῇ πάντων ὁμονοίᾳ καὶ ὁμοφροσύνῃ χαίρομεν. ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· εἴ τις ἐπὶ τούτῳ οὐ χαίρει, καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ, ἀνάξιος ἐστὶ καὶ χαρᾶς καὶ σωτηρίας. εἴ τις οὐκ ἀσπάζεται καὶ ἀποδέχεται τὴν ὁμοφωνίαν ταύτην, ἐχθρός ἐστι τῆς εἰρήνης, καὶ αὐτοῦ τοῦ εἰρηνάρχου Χριστοῦ. εἴ τις οὐκ ἀποδέχεται Φώ-
E τιον ἐννομώτατον καὶ κεκανονισμένον ἀρχιερέα Θεοῦ, ὡς ἐννόμως τε καὶ κανονικῶς προαχθέντα, καθὼς οἱ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι ἅπαντες βοῶσιν, ἔστω ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἀπὸ Χριστοῦ. Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἀναγνωσθήτω καὶ ἡ τοῦ Ἱεροσολύμων ἐπιστολή. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

Καλῶς ποιοῦσα ἡ ἐξοχωτάτη καὶ θεόθεν πρυτανευθεῖσα ὑμῶν ἀρχιερατικὴ κεφαλὴ τὸ ἐπὶ τὴν ἁ- Adde e Becco epist.

γίαν

γίαν τῆ Χριστῆ ἀνάστασιν πάθῳ τῷ πτώματι ἀπέστειλεν ἰάσεῖσαι. τὸ δὲ πάθος οὐκ ἀρνούμεθα κοινὸν εἶναι τῆς ὅλης ἐκκλησίας τῆ Θεῆ ἡμῶν. κἂν πολέου ἡ μήτηρ ἀλγῇ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, ἡ ἁγία αὕτη Σιών. καὶ ἐν νῶ τὸ ἄλγος ἐν ἡμῖν ἐξεκαλύφθη. ἀλλ' ἐξ ὅτου ὁ ἅγιος ἀνὴρ Θεοδόσιος ὁ πρὸ ἡμῶν τῆς ἁγίας τῆ Θεῆ ἐπισκοπῶν ἀνάστασεως. ὅστις γὰρ ἐν πολλῇ ἀγωνίᾳ καὶ θλίψει γεγόμενος ἐπὶ τοῖς ζέφουσιν ὡς φλόγα, διὰ τῆς οἰκείας κακίας, τῆς ἐκκλησίας τὸ σχίσματα, καὶ κατὰ τῆς σῆς πατριαρχείας, ἁγιώτατε καὶ συλλειτουργὲ ἡμῶν, ἐξυλακτῆσαι. πολέου δὲ τὸ ταπεινὸν καὶ ἀθλίως Ἠλίᾳ προβαλλόμενος τὰς μαγγανείας, ἐξαπέστειλε τὸν κύριον Ἠλίαν τὸν καλὸν καὶ πιστὸν δοῦλον Χριστῆ τῆ Θεοῦ, δυνατὸν ὄντα πολλὰς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀνατλῆναι κινδύνους· ὃν καὶ πάλιν διαφόρως δι' ἐπιστολῶν αὐτῆ αἰδεσίμων προσήκε τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, καὶ προσέτι τῷ σῷ ἀδελφικῷ ἀγάπῃ παρέθετο, ἄξιον ὄντα τοιούτου ἀνδρὸς πληρῶσαι διατάξεις. ὃν δὴ νῦν καὶ ἡμεῖς ἐπικυροῦμεν πιστὸν ἀνθ' ἡμῶν καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγίας ἐκκλησίας ἐπικυρωτὴν τῆς φωνῆς τῆ κυρίου ἡμῶν Ἰησῆ Χριστῆ, τῆς δοθείσης τοῖς ἁγίοις αὐτῆ μαθηταῖς ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει ἡμῶν, τῆς λεγούσης· εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν· εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἁγίαν αὐτῆ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν· εἰρήνη ὑμῖν. τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς οἱ ἀνάξιοι, τὸν αὐτὸν θρόνον τῆ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῆ Χριστοῦ παραλαβόντες, ἀποφαινόμεθα. εἰρήνη ὑμῖν πᾶσι, τοῖς τὰ ὀρθὰ δόγματα τῆς ἐκκλησίας προσβάλουσι. καὶ εἴτις τῷ κανόνι τούτῳ στοιχεῖ, εἰρήνη ἐπ' αὐτὸν καὶ ἔλεος. εἴτις δὲ πρὸς ἔριδας ἀποβλέπει καὶ στάσεις, καὶ ἑαυτὸν ἀπομερίζειν πειρᾶται τῆς ἀρχιερατικῆς τελειότητος, καὶ κοινωνίας καὶ σώσεως, ἔστω ἀλλότριος καὶ ἀνάθεμα ἀπὸ τῆ Θεῆ τῆ εἰρήνης· ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὃν ἂν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένος καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ. τοιγαροῦν τὴν πληγὴν ἐνεσκήψασαν ἐκ μακρῆ τῆ χρόνου εἰς τὴν ἁγίαν ὑμῶν ἐκκλησίαν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, ἐλπίζω νῦν ἐγὼ ὁ ταπεινὸς διὰ σῆς, καὶ διὰ τῆς ἁγίας Σιών, τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, ἰάσθαι. ἐφ' ᾧ καὶ τὸν θεοσεβέστατον Ἠλίαν ἀνθ' ἡμῶν σωτηρίως, καθὼς ὁ πρὸ ἡμῶν Θεοδόσιος ὁ ἐν ἁγίοις πατριάρχης Ἱεροσολύμων, ὡς ἂν παρρησιάζοντος αὐτῆ, εἴλετο βέλεσθε καὶ αὐτοὶ, σωφρονικῶς τὰ τῆς εἰρηνικῆς κατηστάσεως τῆς ἐκκλησίας τῆ Θεῆ βεβαιῶσαι. ἔτι δὲ καὶ πάντα ὅσα δοκεῖ ὑμῖν εὐσεβῶς καὶ θεαρέστως ἐκθεῖναι, ἀνθ' ἡμῶν βεβαιώσῃ καὶ ἐπισφραγίσῃ, ὥστε Θεῆ εὐδοκοῦντος πάντα περιαρθῆναι τὰ σκάνδαλα. καὶ γὰρ οἱ τῆς ὀρθοδόξου μερίδος ὑπάρχοντες ὀφείλουσιν ὀρθοδόξοις πατράσι πείθεσθαι, μᾶλλον δὲ τῷ θείῳ Παύλῳ τῆς ἐκκλησίας τῷ κήρυκι· ὥστε εἶναι πάντας εἰς σῶμα ἐν Χριστῷ Ἰησῆ, τῇ πάντων κεφαλῇ.

Οὐκ ἐπαισχυνθησόμεθα δὲ τὰς ἡμετέρας ἐκβαγῆναι συμφορὰς πρὸς τὴν ὑμῶν ἀδελφότητα. ἔχεις σύνηθες τὸ φιλανθρώπινον. ἔχεις ἀρχαῖον τὸ εὔσυμπάθητον. μνήσθητι καὶ νεκρῶν ὁ ζῶν· καὶ προβάτων ἀπεχθεστάτων μακρὰν, ὁ μέγας ποιμήν. οἰκτείρησον τὴν Σιών, ὡς Θεῆ μιμητής· καὶ αὐτὸς ἐξαποστείλαι σοι βοήθειαν ἐξ ἁγίου, καὶ ἐκ Σιὼν ἀντιλάβοιτό σου. καὶ μνησθεὶς πάσης θυσίας σου, δῴη σοι πάντα κατὰ τὴν καρδίαν σου, καὶ πᾶσαν τὴν βουλήν σου πληρώσαι.

A Sit qui mederetur ruinæ quam passa est sancta Christi Resurrectio. Hunc vero casum non inficiamur communem esse toti ecclesiæ Dei nostri: tametsi plus dolet quæ mater est omnium ecclesiarum, sancta ipsa Sion. Neque nunc dolor in nobis detectus est: sed ex quo vir sanctus Theodosius ante nos sanctam Dei Resurrectionem rexit episcopus. Hic enim in magna anxietate & angustia fuit, ob eos qui nutrirent velut incendium, per suam malitiam, ecclesiæ schismata, & contra tuum patriarchatum, sanctissime comministe noster, oblatrarent. Amplius autem abjecti & miserabilis Eliæ metuens impostura, misit dominum Eliam, bonum ac fidelem servum Christi Dei, B qui posset multa pro pietate subire discrimina. Quem etiam iterum multifarie per epistolas suas venerabiles, tum ad piissimum Imperatorem, tum ad tuam fraternam caritatem, commendavit; veluti qui dignus esset talis viri præceptiones implere. Quem sane nunc & nos confirmamus fidelem pro nobis & nostra sancta ecclesia: qui confirmabit vocem Domini nostri Jesu Christi, quem dedit discipulis suis sanctis in sancta civitate nostra, his verbis: *Pacem relinquo vobis, pacem mea do vobis*. Ac rursum post sanctam ejus ex mortuis resurrectionem, *Pax vobis*. Hanc & nos indigni proferimus, quibus commissa ipsa sedes est Salvatoris nostri Jesu Christi, Pax C vobis omnibus, qui recta ecclesiæ dogmata prædicatis. Et *si quis hanc regulam secutus fuerit, pax super ipsum, & misericordia*. Si quis autem ad lites & dissidia respicit, & seipsum separare nititur a patriarchali perfectione, communione, & unione, sit alienus & anathema a Deo, qui dixit: *Quemcumque ligaveris super terram, erit ligatus & in cælo, & quemcumque solveris super terram, erit solutus & in terra*. Hanc plagam, quæ jamdudum invasit vestram sanctam ecclesiam, frater carissime, spero ego minimus nunc per vos, & per sanctam Sion matrem omnium ecclesiarum, esse persanandam. Cujus rei gratia etiam religiosissimum Eliam vice nostra con- D stituimus; quemadmodum decessor noster Theodosius, qui nunc inter sanctos degit, patriarcha Hierosolymorum; ut præsente ipso, siquidem & ipsi volueritis, synodaliter quæ ad pacem & tranquillitatem ecclesiæ Dei pertinent, robur accipiant: Adhuc autem & quæcumque vobis placuerit pie atque ex divino præscripto statuere, pro nobis confirmet & rata habeat. ut Deo favente omnia tollantur e medio scandala. Debent enim qui sunt partis orthodoxæ orthodoxis patribus obedire, vel potius divino Paulo ecclesiæ præconi: ut sint omnes unum corpus in Christo Jesu, qui est omnium caput.

ANNO CHRISTI 879.

E Non erubescemus autem nostras enarrare calamitates fraternitati vestræ. Est innata tibi humanitas: est antiquus commiserationis affectus. Etiam mortuorum memento, tu qui vivis: & ovium longe dispersarum, tu qui es magnus pastor. Miserere Sion, Deum imitatus; & *mittat* ipse *tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Et memor omnis sacrificii tui, tribuat tibi* omnia *secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet*. *Psal. 19. 3.*

ANNO CHRISTI 879.

Et poſt lectionem epiſtolæ, Gregorius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Epheſi dixit: Etiam hanc epiſtolam epiſcopi & comminiſtri audivimus. Sancta ſynodus dixit: Nos etiam ante hanc epiſtolam, nec ſolum autem ante hanc, ſed & ante eam quæ venit per Andream, quæ prius lecta eſt, omnimodam habemus perſuaſionem, quod nullo modo diſſident ſedes Orientales a ſanctiſſimo noſtro patriarcha; ſed ſemper & pariter Pontificem illum & comminiſtrum habuerunt & prædicarunt. Et de his omnibus gratiæ Deo agendæ, qui talem ac tantam uſque ad fines orbis terrarum concordiam & conſenſionem procuravit. Deus, domine noſter ſancte, cuſtodiat Pontificatum tuum ad multos annos, Deus augeat annos tuos ad gloriam eccleſiæ ſuæ. Nam per divinam ſolicitudinem magnorum & excelſorum Imperatorum noſtrorum, & per tuam incredibilem humanitatem, oblivionemque injuriarum, uniti ſumus omnes, & omnem veritatem exploratam habemus. Expulſa ſunt ſcandala: debilitatus eſt inimicus: pax exultat: concordia vincit. Deus ad multos annos ſanctam tuam vitam extendat, ad gloriam & exultationem eccleſiæ ſuæ. Nos non opus habuimus epiſtolis, ut tuum ſuſciperemus Pontificatum. Nos etiam ante ipſas uniti eramus & conjuncti ſimul ſpiritaliter. Tamen gaudemus & ſimul lætamur, quod noſtram conſenſionem etiam omnes Pontificales ſedes confirmant & ratam habent.

Καὶ μᾶ λιὼ ἀναγνωσὶν τῆς ἐπισολῆς, Γρηγόριος ὁ θεοφιλέσατος ἀρχιεπίσκοπος Ἐφέσυ εἶπε· καὶ ταύτλω τλὼ ἐπισολλὼ ἀρχιερεῖς καὶ συλλειτυργοὶ ἠκόσαμβυ. ἡ ἁγία συνόδος εἶπεν· ἡμεῖς καὶ πρὸ τῆς ἐπισολῆς ταύτης, ὐ μόνον δὲ πρὸ ταύτης, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς ἐλθύσης δι' Ἀνδρέυ, ἥτις ἐμφροδὸν ἐπανεγνώδη, πᾶσαν ἔχομβυ πληροφορίαν, ὅτι ὐδέποτε διέσησαν οἱ ἀνατολικοὶ θρόνοι ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτυ ἡμῶν πατριάρχυ. ἀλλ' ἀεὶ καὶ συναρχιερία καὶ συλλειτυργὸν εἶχον καὶ ἀνεκήρυττον. καὶ ἐπὶ πᾶσι τύτοις εὐχαριστία τῷ Θεῷ τῷ τοσαύτλω καὶ τηλικαύτλω εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκυμβύης ὁμόνοιαν καὶ ὁμοφροσύλω συναθροίσαντι. ὁ Θεὸς, δέσποτα ἡμῶν ἅγιε, διαφυλάξαι τλὼ ἀρχιερωσύλην συ εἰς ἔτη πολλά. ὁ Θεὸς κρατύναι τὰς χρόνυς συ εἰς δόξαν τῆς ἐκκλησίας αὐτῦ. καὶ γὰρ διὰ τῆς σῆς ἐνθέυ ἐπιμελείας τῶν μεγάλων καὶ ὑψηλῶν βασιλέων ἡμῶν, καὶ διὰ τῆς σῆς ὑπερβλήτυ φιλανθρωπίας, καὶ ἀμνησικακίας λιὼθημβυ πάντες, καὶ ἐπέγνωμβυ πάντα τὰ τῆς ἀληθείας. ἐξεδιώχθη τὰ σκάνδαλα, κατηργήθη ὁ πονηρὸς, ἡ εἰρήνη ἐβράβδυσεν, ἡ ὁμόνοια κρατεῖ. ὁ Θεὸς εἰς πολλὰς χρόνυς τὴν σὴν ἁγίαν παρατείναι ζωὴν, εἰς δόξαν καὶ καύχημα τῆς ἐκκλησίας αὐτῦ. ἡμεῖς ὐκ ἐδεήθημβυ τῶν ἐπισολῶν εἰς τὸ τὴν σὴν ἀρχιερωσύλην ἀποδέξασθαι. ἡμεῖς καὶ πρὸ αὐτῶν ἡνώθημβυ καὶ συνεδέθημβυ πνευματικῶς· πλὴν χαίρομβυ καὶ συναφραινόμεθα, ὅτι τὴν ἡμετέραν ὁμοφροσύνην καὶ πάντες οἱ ἀρχιερατικοὶ ἐπικυροῦσί τε καὶ ἐπικρατύνυσι θρόνοι.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hieroſolymorum dixit: *Omne datum bonum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.* Quis enim poteſt negare, aut audebit excuſare excuſationes in peccatis, quod hoc opus non ſit a Deo, aut quod ipſe Deus non immiſerit in corda ſanctiſſimorum patriarcharum; nec illorum dumtaxat, ſed & totius Chriſtum amantis populi, qui in omni Orientali tractu degit. Sed quid dico, in corda ſanctiſſimorum patriarcharum immiſit? Adeo virtus ſanctiſſimi noſtri & œcumenici patriarchæ ſplenduit in partibus Orientis, ut ipſi etiam Saraceni, qui infidelitate detinentur, miſerint ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum litteras; alii quidem doceri cupientes, & ſalutari baptiſmate digni cenſeri, & in ſervitutem ac ſubjectionem ſanctorum Imperatorum noſtrorum ſeipſos tradere: alii vero hactenus nondum quidem fidem ſe mutare profeſſi, ſed orantes ut ſervi ac tributarii fierent a Deo electi noſtri Imperatoris, interventu ſanctiſſimi noſtri patriarchæ. Sed, ut videtis, ecce ipſæmet litteræ Amirarum ſunt Orientis. Annon hæc in melius immutatio eſt? non talis innovatio ex Deo eſt? Sancta ſynodus dixit: Omnibus manifeſtum iſtud factum eſt: & quod Deus in ipſo habitat, nemo neſcit.

Jac. 1. 17.

Ἡλίας ὁ θεοσεβέσατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. τίς γὰρ δύναται ἀρνήσασθαι ἢ τολμήσει προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, ὅτι τὸ πρᾶγμα τοῦτο ὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἢ ὅτι αὐτὸς ὁ Θεὸς ὐκ ἐνέπνευσεν εἰς τὰς καρδίας τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν· καὶ ὐ μόνον εἰς ἐκείνων, ἀλλὰ καὶ παντὸς τοῦ φιλοχρίστυ λαοῦ, τοῦ ἀνὰ πᾶσαν τὴν ἀνατολικὴν διατρίβοντος χώραν; τί δὲ λέγω, ὅτι ἐνέπνευσεν εἰς τὰς καρδίας τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν; τοσοῦτον ἡ ἀρετὴ τοῦ ἁγιωτάτυ ἡμῶν καὶ οἰκυμβυικοῦ πατριάρχυ διεμήκυνεν εἰς τὰ μέρη τῆς ἀνατολῆς, ὥστε καὶ αὐτοὶ οἱ Σαρακηνοὶ οἱ τῇ ἀπιστίᾳ κατεχόμβυοι, ἀπέστειλαν πρὸς τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην γράμματα. οἱ μὲ διδασκαλίαν αἰτύμβυοι καὶ τοῦ σωτηρίυ βαπτίσματος ἀξιωθῆναι· καὶ εἰς τὴν δουλείαν καὶ ὑποταγὴν τῶν ἁγίων βασιλέων ἡμῶν ἑαυτοὺς παραδοῦναι· οἱ δὲ καὶ τέως ἕπω μὲ τὴν πίστιν μεταβαλεῖν ὁμολογοῦντες, δοῦλοι δὲ καὶ ὑποτελεσαὶ παρακαλοῦντες γενέσθαι τοῦ θεοστεφλήτου ἡμῶν βασιλέως, διὰ μεσιτείας τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχυ. καὶ, ὡς ὁρᾶτε, ἰδοὺ αὗται αἱ ἐπισολαὶ τῶν Ἀμηράδων εἰσὶ τῆς ἀνατολῆς. ἢ ὐκ ἔστιν αὕτη ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσις; καὶ ἡ τοιαύτη μεταβολὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· πᾶσι τοῦτο φανερὸν γέγονε, καὶ ὅτι ὁ Θεὸς οἰκεῖ ἐν αὐτῷ, ὐδεὶς ἀγνοεῖ.

Sanctiſſimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Miſericordia Dei & inſpiratio ejus talem immiſere lucem in puriſſimam animam ſanctiſſimi patriarchæ, ut colluſtraret & illuminaret omnem creaturam. Nam quemadmodum ſol, quamvis in cælo tantummodo oberret, tamen totum illuminat terrenum orbem: ſic etiam

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ ἔμπνευσις αὐτοῦ τοιοῦτον φῶς δέδωκεν εἰς τὴν καθαρὰν ψυχὴν τοῦ ἁγιωτάτυ πατριάρχυ, ὅλι λαμπρύνει καὶ φωτίζει πᾶσαν τὴν κτίσιν. ὥσπερ γὰρ ὁ ἥλιος, κἂν εἰς μόνον τὸν οὐρανὸν περιέχηται, ὅμως ὅλον τὸν περίγειον

χόσ-

χόσμον φωτίζει· ὅπω καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ κύριος Φώτιος, κἂν καθέζηται εἰς Κωνσταντινούπολιν, ἀλλὰ καὶ τὴν σύμπασαν κτίσιν δαδουχεῖ, καὶ καταλάμπει. καὶ χαίρομεν ἐπὶ τῇ σώσει πασῶν τῆς ἁγίων ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν τῇ ἀνατολῇ· τυπέσι, τῆς Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, καὶ τῆς Ἱεροσολύμων. καθότι γὰρ ἠκούσαμεν πρῶτον δι' ἀποκρισιαρίων καὶ διὰ γραμμάτων, ἀρτίως θεωροῦμεν τοῖς οἰκείοις ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῦτον τὸν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον Μαρτυροπόλεως ἐληλύθοτα εἰς τὴν ἁγίαν σύνοδον.

A dominus noster domnus Photius, quamvis Constantinopoli sedeat, tamen omnem etiam creaturam illuminat & illustrat. Et gaudemus de unione omnium sanctarum ecclesiarum Dei, quæ sunt in Oriente, hoc est, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum. Quemadmodum enim audivimus primum per legatos & per litteras, modo videmus ipsis oculis & hunc sanctissimum episcopum Martyropoleos ad hanc venisse synodum.

ANNO CHRISTI 879.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ διὰ τῆς καλοκἀγαθίας καὶ ἁπλότητος συμπαθείας τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου ἐπισωρεύσας ἔκ τε τῆς ἑσπερίων καὶ τῆς ἀνατολῆς τιμιωτάτους ἄνδρας, εἰς τὸ ἐπισυναγαγεῖν πάντα τὰ διεσκορπισμένα μέλη τῆς ἐκκλησίας. καὶ γὰρ αὐτὸς ὅτι ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν μιμούμενος, τὸν τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενον, οὐδένα ἀπωθεῖται, οὐδένα βδελύσσεται· ἀλλὰ πάντας προσκαλεῖται εἰς τὴν κοινὴν ὁμόνοιαν καὶ ἀποκατάστασιν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. διὰ τί δὲ προσκαλεῖται πάντας; ὅτι ὁ τῆς εἰρήνης κύριος ἐπαναπέπαυται αὐτῷ.

Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Benedictus Deus, qui per probitatem & ingentem commiserationem sanctissimi domini nostri congregavit ex occidente & ex oriente reverendos viros, ut colligerent dispersa omnia ecclesiæ membra. Nam ille ipse sanctissimus Dominus noster Christum verum Deum nostrum imitatus, qui perditam ovem in humeros suos imposuit, neminem repellit, neminem fastidit: sed omnes invitat ad communem concordiam, & restitutionem ecclesiæ Dei. Cur autem invitat omnes? Quoniam Deus pacis requievit in ipso.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπεν· ἡμεῖς ὁμοίως ὡς ἐπ' αὐτῷ τούτῳ παραγεγόμενοι, θέλομεν πάντας εἰς μίαν σύνοδον καὶ ὁμόνοιαν ἐλθεῖν. ὃ καὶ χάριτι Θεοῦ ἑκάστης ἡμέρας γίνεται. σήμερον γὰρ διὰ τῆς πρεσβειῶν τῶν ἁγίων ἀποστόλων, οἱ τῆς ἐκκλησίας ἑαυτοὺς χωρίσαντες δύο πατρίκιοι, μετανοοῦντες προσῆλθον αἰτούμενοι συγγνώμης ἀξιωθῆναι. τὴν γὰρ ἡμετέραν ἄνοδον, ὡς ἔφασαν, περιέμενον. καὶ διὰ τοῦτο τῇ ἐκκλησίᾳ οὐ προσήρχοντο. ἐπειδὴ δὲ παρ' ἡμῶν πεπληροφόρηνται, ὅτι ἡ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησία σὺνομώτατον ἀρχιερέα ἔχει τὸν κύριον Φώτιον, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας σύνωσιν ἀποδέχεται, προσῆλθον ὁλοψύχως μετὰ πάσης προθυμίας. εἴδετε αὐτούς, καὶ ἀπεδέξασθε.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Nos similiter, ut qui ob illud ipsum huc accessimus, volumus omnes in unam unionem & concordiam venire: id quod etiam per Dei gratiam singulis diebus fit. Hodie enim per intercessiones sanctorum Apostolorum, qui ab ecclesia seipsos sejunxerant patricii duo, pœnitentes accesserunt, rogantes sibi veniam donari. Nostrum enim adventum, ut ajebant, exspectabant; & propterea ad ecclesiam non accesserunt. Postquam autem a nobis certo sunt persuasi, quod Romana ecclesia legitimum Pontificem agnoscit dominum Photium, & ecclesiæ unionem amplectitur, accesserunt toto animo cum omni alacritate. Agnoscite ipsos, & suscipite.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἴδομεν αὐτούς, καὶ ἀπεδεξάμεθα. καὶ ἄλλην αἰτίαν ἐδεμίαν προεφασίζοντο, ὡς παρ' αὐτῆς ἐκείνων ἠκούσαμεν, εἰ μὴ ὅτι σωηρπάγημεν καὶ ἠπατήθημεν, ποιήσαντες ἰδιόχειρα, ἐκ τῆς ψευδοαποκρισιαρίων καὶ ἄλλων τινῶν προσώπων. καὶ εἰ μὴ κατ' αὐτοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἡμῶν ποιήσαντες ἰδιόχειρα, ἐξ αὐτοῦ μόνου τὴν λύσιν εἴχομεν δέξασθαι. ἐπειδὴ δὲ ἡ γενομένη παρανομία κατ' αὐτοῦ ἦν, ἐξεδεχόμεθα ἕτερον θρόνον, ἵνα ἐκεῖνοι λύσωσι τὸ κατάκριμα, καὶ ἡμεῖς ὦμεν ἀκατάκριτοι. ἐπεὶ ἄλλο τί ποτε οὐκ εἴχομεν. ἐπεὶ ἓν αὐτοὶ τὴν λύσιν ἐδώκατε, ὡς φασι, μετὰ πάσης χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ συγγνώμην αἰτούμεθα καὶ τοὺς μὴ ἀποδεχομένους ἀποβαλλόμεθα. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἀπεδεξάμεθα αὐτοὺς ὡς οἰκεῖα τέκνα καὶ μέλη.

Sancta synodus dixit: Agnoscimus ipsos & suscipimus: neque aliam causam hi prætendebant, ut ab illis ipsis audivimus; nisi, Quod simul abrepti sumus & decepti, quando propria manu subscripsimus, a falsis legatis & aliis quibusdam personis: ac nisi contra ipsum sanctissimum patriarcham nostrum propria manu subscripsissemus, ab ipso solo debebamus solutionem accipere. Quoniam vero commissa adversus ipsum iniquitas fuit, exspectabamus alteram sedem, ut illi damnationis vinculum solverent, & nos essemus indemnati. Enimvero aliud quid nunquam habuimus. Postquam igitur ipsi solutionem datis, ut ajunt, cum omni gaudio & lætitia etiam hos ipsi suscipimus, & veniam pro eo rogamus, & eos qui non suscipiunt, rejicimus. Idcirco & nos suscipimus eos ut proprios filios & membra.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· ἐὰν ὑμεῖς τούτους ἀπεδέξασθε, καὶ πρὸ πάντων ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης, καὶ ἡμεῖς τούτους ἀποδεχόμεθα. καὶ γὰρ ὃς αὐτὸς ὅτι ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἀποδέχεται, καὶ ἡμεῖς σωαποδεχόμεθα, καὶ ὃς ἀποβάλλεται, σωαποβαλλόμεθα, κατὰ τὴν φωνὴν Ἰννοκεντίου τοῦ πάπα. λέγει γὰρ ὅπως· ᾧ τινι χεῖρα ὀρέγετε, καὶ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν ὀρέγω. ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία ὥσπερ λυπεῖται ἐπὶ τῇ διχονοίᾳ τῆς τούτων τέκνων,

Sanctissimi legati dixerunt: Si vos hos susceptistis, & ante omnes sanctissimus patriarcha, etiam nos hos suscipimus. Nam quos ipse ille sanctissimus patriarcha suscipit, etiam nos suscipimus; & quos abjicit, simul abjicimus, juxta dictum Innocentii Papæ. Sic enim loquitur: Cuicumque manum præbueritis, ego vobiscum præbeo. Sancta Dei ecclesia quemadmodum tristatur de dissensione filiorum suorum, sic de eorumdem concordia & consen-

ANNO CHRISTI 879.

sione gaudet. Meminerit autem sancta hæc & œcumenica synodus, quod in epistola, quam misit sanctissimus Papa ad sanctum Imperatorem nostrum, continebantur quædam capitula, quæ volumus iterum coram vestra sanctitate legi, & in dicta capitula consentire vestrum sanctum cœtum. Sancta synodus dixit: Legantur. Et accipiens Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius, legit:

„ *Cap.* 1. Ne posthac in Bulgaria ordinet „ antistes Constantinopolitanus, neque pallium „ eo mittat: neque si ligemus ipsos, & ad ve„ stram sanctitatem confugiant, obtineant ve„ niam.

Sancta synodus dixit: Nos jam antea diximus vestræ sanctitati, iterumque dicimus, quod sermo de diœcesibus a præsenti causa differt, & peculiare tempus desiderat. Ceterum tamen vobiscum orabimus piissimum nostrum Imperatorem super ea re: & quemadmodum gubernaverit ipsum Deus, & fecerit, divinis sacrisque canonibus conspirantibus, & dummodo ii salvi sint nobis, etiam nos acquiescimus & assentimur.

Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Diximus etiam antea, si meminit vestra sanctitas, quod hoc capitulum aliud tempus requirit. Speramus enim in miserationes Dei, & in pietatem sanctorum Imperatorum nostrorum, & orationem sanctissimi Domini nostri, quemadmodum & res ipsas progressum accipere cernimus, fore ut Deus restituat imperio ejus antiquos suos fines, & totius orbis qui sub sole est gubernationem. Et quando hoc factum fuerit, tunc prout imperium ejus voluerit, dividet fines sedium Pontificalium: ut lites deinceps nullæ inter eas suboriantur: sed in ea re, quemadmodum in aliis, alta pax in republica sit.

Theophilus Dei amantissimus metropolita Iconii dixit: Ita speramus se rem habituram esse; & tunc plusquam desiderat sanctissimus Papa Romæ, consecuturus est: præsertim cum sanctissimus noster patriarcha dominus Photius, tantam erga ipsum reverentiam ac venerationem exhibeat, paratusque sit, si fieri possit, & propria membra ei præbere.

Nicetas Dei amantissimus metropolita Smyrnæ dixit: Cum tanta sit caritas & amicitia spiritalis inter sanctissimum Papam Romæ, & sanctissimum patriarcham nostrum Photium, quis non aperte videt, quod quemadmodum habent animam unam, sic & subjectum sibi populum, subjectasque provincias communes existimant, & uterque eorum proprium lucrum in proximi & amici lucro positum reputat? Sancta synodus dixit: Eadem etiam nos scimus pariter ac dicimus.

„ *Caput* 2. Ut deinceps nemo ex laicis pro„ moveatur in sedem Constantinopolitanam. „ Nam quæ raro fiunt, quamvis valde bona „ sint, pro lege constitui posteris non pos„ sunt.

Basilius Dei amantissimus metropolita Martyropoleos & legatus, & Elias religiosissimus presbyter & legatus, adhuc autem & Cosmas legatus Alexandriæ, dixerunt: Id nullo modo adversatur ecclesiasticæ consuetudini. Nam & Alexandria, & patriarchica Antiochiæ sedes,

Αὔτως ἐπὶ τῇ τούτων ὁμονοίᾳ καὶ * συμφωνίᾳ χαίρει. ἀναμνησθήτω δὲ ἡ ἁγία αὕτη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὅτι ἐν τῇ ἐπιστολῇ ἣν ἀπέστειλεν ὁ ἁγιώτατος πάπας πρὸς τὸν βασιλέα ἡμῶν τὸν ἅγιον, ἐνεφέρετό τινα κεφάλαια, ἅτινα βουλόμεθα καὶ πάλιν κατενώπιον τῆς ἁγιωσύνης ὑμῶν ἀναγνωσθῆναι, καὶ ὁμονοῆσαι εἰς τὰ εἰρημένα κεφάλαια τὴν ὑμῶν ἁγίαν συνέλευσιν. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτωσαν. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος, ἀνέγνω.

Κεφάλ. α΄. Ὥστε μηκέτι εἰς Βουλγαρίαν χειροτονεῖν τὸν Κωνσταντινουπόλεως, μήτε ὠμόφορον ἀποστέλλειν· μήτε εἰ δεσμήσομεν αὐτοὺς, καὶ καταφύγωσι πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, συμπαθείας ἀξιοῦσθαι.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἡμεῖς καὶ προείπομεν τῇ ὑμῶν ἁγιότητι, καὶ πάλιν λέγομεν, ὅτι ὁ περὶ ἐνορίας λόγος τῆς παρούσης διέστηκεν ὑποθέσεως, καὶ καιρὸν ἴδιον ἐπιζητεῖ. ὅμως οὖν μεθ' ὑμῶν συμπαρακαλοῦμεν τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν βασιλέα περὶ τούτου, καὶ ὡς ἂν ὁδηγήσῃ αὐτὸν ὁ Θεὸς καὶ ποιήσῃ, τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων συμπνεόντων καὶ διασωζομένων ἡμῖν, στέργομεν καὶ συνευδοκοῦμεν καὶ ἡμεῖς.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· εἴπομεν καὶ πάλαι, εἴτι μέμνηται ἡ ὑμῶν ἁγιωσύνη, ὅτι τὸ κεφάλαιον τοῦτο καιρὸν ἴδιον ἐπιζητεῖ. ἐλπίζομεν γὰρ εἰς τοὺς οἰκτιρμοὺς τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν εὐσέβειαν τῶν βασιλέων ἡμῶν τῶν ἁγίων, καὶ τὴν εὐχὴν τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου, καθὼς καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα προκόπτοντα ὁρῶμεν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀποκαταστῆσαι ἔχει τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ τὰ ἀρχαῖα ὅρια, καὶ πάσης τῆς ὑφ' ἡλίῳ τὴν ἡνιοχείαν. καὶ ἐπειδὰν τοῦτο γένηται, τότε καθὼς ἂν τὸ κράτος αὐτοῦ βουληθῇ, διαστελεῖ τὰς ἐνορίας τῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων, ὥστε μηκέτι ἔριδας ἐν αὐτοῖς ἀναφύεσθαι. ἀλλὰ καὶ ἐν τούτῳ, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις, βαθεῖαν ἐμπολιτεύεσθαι τὴν εἰρήνην.

Θεόφιλος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἰκονίου εἶπεν· οὕτως ἐλπίζομεν ὅτι ἔχει γενέσθαι· καὶ τότε πλέον ὧν ἐπιθυμεῖ ὁ ἁγιώτατος πάπας Ῥώμης ἔχει προσλαβέσθαι, μάλιστα τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου κυρίου Φωτίου, τοσαύτην πρὸς αὐτὸν τὴν αἰδῶ καὶ τὸ σέβας κεκτημένου, καὶ ἑτοίμου ὄντος, εἰ δυνατὸν, καὶ τὰ οἰκεῖα μέλη παραχεῖν αὐτῷ.

Νικήτας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Σμύρνης εἶπε· τοσαύτης οὔσης ἀγάπης καὶ φιλίας πνευματικῆς ἀναμεταξὺ τοῦτε ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης, καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἡμῶν Φωτίου, τίς οὐκ οἶδεν ἀκριβῶς, ὅτι ὥσπερ τὴν ψυχὴν ἔχουσι μίαν, οὕτω καὶ τὸν ὑπὸ χεῖρα λαὸν, καὶ τὰς ὑποχειρίους χώρας κοινὰς ἡγοῦνται, καὶ ἑκάτερος αὐτῶν οἰκεῖον κέρδος ἐν τῷ τοῦ πλησίου καὶ φίλου τίθεται κέρδει; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· τὰ αὐτὰ πάντες καὶ ἡμεῖς συνεπιστάμεθα, καὶ λέγομεν.

Κεφάλ. β΄. Ὥστε μηκέτι ἀπὸ λαϊκῶν προάγεσθαι εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον. τὰ γὰρ γινόμενα σπάνια, εἰ καὶ λίαν ἀγαθὰ εἴη, νόμος τοῖς μετέπειτα καθίστασθαι οὐ δύναται.

Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς, καὶ Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς, ἔτι δὲ καὶ Κοσμᾶς ἀποκρισιάριος Ἀλεξανδρείας εἶπον· τοῦτο κατ' οὐδὲν ἐναντιοῦται τῷ ἐκκλησιαστικῷ θεσμῷ. καὶ γὰρ ἡ Ἀλε-

Ἀλεξάνδρεια, καὶ ὁ πατριαρχικὸς τῆς Ἀντιοχείας θρόνος, ἀλλὰ μὴν καὶ ὁ τῆς ἁγίας πόλεως, ἐν οἵῳ δ' ἂν τάγματι, εἴτε λαϊκῶν, εἴτε μοναχῶν, εἴτε κληρικῶν εὕρωσιν ἀρετῇ τοὺς λοιποὺς πλεονεκτοῦντα, ἐπὶ τὸν ἀρχιερατικὸν θρόνον ἀναβιβάζειν οὐ παραιτοῦνται. οὐ γὰρ διὰ μόνους κληρικοὺς κατῆλθεν ἐπὶ γῆς ὁ Χριστὸς, οὐδὲ τούτοις μόνοις ἀπέκλεισε τὰ τῆς ἀρετῆς ἆθλα, ἀλλὰ παντὶ τῷ χριστιανικῷ πληρώματι. τοῦτο οὖν εἰ δοκιμασθείη παραδεχθῆναι, πάντες οἱ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι εἰς ἐρήμωσιν καὶ ἀπώλειαν ἔχουσι καταστῆναι. * οἱ γὰρ πλείους τῶν διαλαμψάντων ἐν ἡμῖν, ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος τοὺς ἀρχιερατικοὺς κατεπιστεύθησαν θρόνους. ἡμεῖς ἐπὶ τούτῳ συναινέσαι οὐ δυνάμεθα, ἵνα μὴ κατὰ τῶν ἀρχιερέων ἡμῶν φωραθῶμεν ψῆφον ἐξάγοντες.

A sed & sanctæ Civitatis, in quocumque ordine sive laicorum, sive monachorum, sive clericorum inveniant qui ceteros virtute superet, in Pontificalem sedem promovere non recusant. Neque enim propter clericos solummodo descendit in terram Christus, neque his solis reclusit virtutis præmia, sed toti Christiano populo. Hoc igitur si comprobetur admittendumque videatur, omnes Pontificales sedes in solitudinem & exitium abire necesse est. Nam si plurimi eorum qui illustres fuerant inter nos ex ordine laicali assumpti sunt, ut Pontificales eis sedes committerentur; nos in hoc assentiri non possumus, ne contra Pontifices nostros deprehendamur tulisse sententiam.

ANNO CHRISTI 879.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἕκαστος θρόνος ἔχεν ἀρχαῖά τινα παραδεδομένα ἔθη. καὶ οὐ χρὴ περὶ τούτων πρὸς ἀλλήλους διαφιλονεικεῖν, καὶ ἐρίζειν. φυλάττει μὲν γὰρ ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία τὰ ἔθη αὐτῆς, καὶ προσῆκόν ἐστι. φυλάττει δὲ καὶ ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία ἰδιά τινα ἔθη ἄνωθεν παραλαβοῦσα· ὡσαύτως καὶ οἱ τῆς ἀνατολῆς θρόνοι. εἰ μὲν οὖν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία οὐδέποτε ἀπὸ τῶν λαϊκῶν παρεδέξατο εἰς ἀρχιερέα, φυλαττέτω ταῦτα. προσῆκον γάρ ἐστιν ὅρια πατρῶα μὴ παραλυμαίνειν. ἐπεὶ δὲ οὔτε οἱ ἀνατολικοὶ τοῦτο παρεφυλάξαντο, οὔτε ἡ καθ' ἡμᾶς ἁγία Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία, εὐχόμεθα μὲν ἀεὶ ἀπὸ τῶν κληρικῶν καὶ * λαϊκῶν τοιούτους ἀναδείκνυσθαι, ὥστε τὴν ψῆφον τῆς ἀρχιερωσύνης ἐπ' αὐτοὺς ἔρχεσθαι. ἂν δὲ ἐν αὐτοῖς μὴ ὦσι τοιούτοι, ἐν δὲ τῷ λαϊκῷ τάγματι ἐπιτηδειότεροι φανῶσιν, οὐδεὶς τοὺς ἐπιτηδειοτέρους καταλιμπάνων, οὐδὲ τοὺς ἀξιωτέρους, εἰς τοὺς ἀνεπιτηδείους καὶ ἐλάττους κατὰ τὴν ἀξίαν τὴν αὐτοῦ παρελκύσει ψῆφον.

Sancta synodus dixit: Unaquæque sedes habuit quasdam antiquas consuetudines sibi traditas, nec oportet invicem de his contendere & litigare. Observat enim Romana ecclesia consuetudines suas; & consentaneum istud est. Observat autem & Constantinopolitana ecclesia suas quasdam consuetudines quas ab antiquo accepit: similiter & sedes Orientales. Si quidem igitur Romana ecclesia nunquam ex laicis accepit Pontificem, hunc morem custodiat: decet enim terminos patrum non labefactare. Quandoquidem autem neque Orientales id observarunt, neque nostra Constantinopolitana ecclesia, optamus quidem ex clericis & monachis tales ostendi, ut suffragium Pontificatus in ipsos cadat: si vero in ipsis tales non sint, in laicali autem ordine magis idonei appareant, nemo magis idoneos derelinquens, & digniores, ad minus idoneos & inferiores merito suum transferat suffragium.

Κεφάλ. γ'. Ὥστε μὴ ἐξ ἄλλης ἐκκλησίας προάγεσθαι εἰς ἀρχιερέα τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, ἀλλ' ἐκ τῶν καρδηναλίων πρεσβυτέρων καὶ διακόνων.

„ *Caput* 3. Ne ex alia ecclesia promoveatur „ in Pontificem ecclesiæ Constantinopolitanæ: „ sed ex cardinalibus presbyteris & diaconis.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· τοῦτο τὸ κεφάλαιον συμπεριλαμβάνεται τῷ προτέρῳ. καὶ δῴη μὲν ὁ Θεὸς τὴν Κωνσταντινουπόλεως ἁγίαν ἐκκλησίαν οὕτως ἐξευγενισθῆναι καὶ περιφανῆ γενέσθαι, ὥστε τοὺς ἐν αὐτῇ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους προλάμπειν ἁπάντων τῶν ὑπὸ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν ἱερέων καὶ διακόνων, ἵνα καὶ ἐξ αὐτῶν μόνον ἐπὶ τὸν μέγιστον θρόνον τῆς ἀρχιερωσύνης ἀναβιβάζωνται. ἂν δ' ὁ καιρὸς τοιούτους οὐ δείξῃ, ἐξ ὧν ἔχει ἡ ἐκκλησία, ὁ προλάμπων καὶ προέχων κατ' ἀρετὴν, ἐκεῖνος καὶ τῆς βασιλευούσης πόλεως τὸ ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα κοινῇ πάντων ψήφῳ ἀναδέξεται, τῶν προκρίνειν εἰδότων τὸν ἐν ταῖς μείζοσιν ἀρεταῖς ἐξεταζόμενον τοῦ ἐν ταῖς ἐλάπτοσι.

Sancta synodus dixit: Hoc capitulum continetur in priore. Et det quidem Deus, ut sancta Constantinopolitana ecclesia adeo nobilitetur & illustris fiat, ut qui sunt in ea presbyteri & diaconi præluceant omnibus qui sub Romano imperio & potestate versantur, sacerdotibus ac diaconis; ut etiam ex ipsis solummodo in maximam Pontificatus sedem provehantur: si vero tempus tales non exhibeat ex his quos habet ecclesia, qui prælucebit & virtute potior erit, is etiam regiæ urbis Pontificalem dignitatem suscipiet communibus omnium suffragiis, qui norunt præponere virum probatum in majoribus virtutibus, ei qui in minoribus.

Κεφ. δ'. Τὴν γενομένην σύνοδον κατὰ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Ἁδριανοῦ τοῦ μακαριωτάτου πάπα, καὶ τὴν γενομένην σύνοδον ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου, ὁρίζομεν παντελῶς ἐξωστρακισμένην καὶ ἀποκεκηρυγμένην εἶναι, καὶ μήτε μετὰ ἁγίων συνόδων συναριθμεῖσθαι, ἢ συγκαταλέγεσθαι· μήτε μὴν σύνοδον ὅλως καλεῖσθαι, ἢ ὀνομάζεσθαι. μὴ γένοιτο.

„ *Caput* 4. Synodum Romæ factam contra „ Photium sanctissimum patriarcham, sub Hadriano beatissimo Papa, & factam Constantinopoli synodum contra eumdem sanctissimum Photium, definimus omnino damnatam & abrogatam esse, neque eum sanctis synodis adnumerandam esse aut recensendam, neque synodum omnino appellandam aut vocandam esse. Absit.

Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· ὁ ἁγιώτατος πάπας Μιχαὴλ Ἀλεξανδρείας ἅμα τοῖς σὺν

Basilius Dei amantissimus metropolita Martyropoleos & legatus Antiochiæ, dixit: Sanctissimus Papa Michael Alexandriæ, una cum reli-

liquis qui cum ipso sunt Dei Pontificibus, jam-
ANNO CHRISTI 879. pridem omnia quæ facta sunt contra sanctissimum patriarcham Photium damnavit & anathematizavit, & omnes qui ea susciperent eidem anathemati subjecit. Similiter & patriarcha meus sanctissimus Theodosius & hæc & suscipientes hæc, & appellantes hanc synodum, eodem judicio damnavit & condemnavit.

Cosmas religiosissimus presbyter & legatus Alexandriæ, dixit: Mentem suam sanctissimus Papa Alexandriæ in venerabilibus suis litteris manifeste omnibus declaravit: & ut omni maledicto subjicit & ipsa & susciepientes ipsa.

Elias religiosissimus presbyter & legatus Hierosolymorum dixit: Qui non susciepiunt Photium sanctissimum patriarcham legitimum & canonice electum Dei Pontificem, anathemati subjicio: quemadmodum qui nunc inter sanctos degit Theodosius Pontifex Hierosolymorum: nunc vero & ipsius successor Elias sic pariter anathematizat & abjicit, & omnia quæ contra ipsum antea gesta sunt: in quibus Saracenorum legati, judices & legum latores iniqui sederunt.

Sancta synodus exclamavit: Omnes sic sentimus: omnes sic prædicamus: omnes in his acquiescimus: de hoc capitulo sanctissimi Papæ Joannis, plusquam de ceteris omnibus lætati sumus. Nos enim, ut sæpe diximus, & antequam decrevisset sanctissimus Papa Joannes iniquorum illorum ejectionem, omnia quæ contra sanctissimum nostrum patriarcham scripta & dicta fuerunt, & anathematizavimus, & abjecimus, cum ipso uniti & communicantes, & comministri facti. Nunc vero iterum alacrius ac diligentius omnia quæ sunt contra ipsum, & anathematizamus & abjicimus: & qui ea suscipiunt, anathemati eidem subjicimus.

„ *Caput* 5. Eos qui hactenus seipsos divise-
„ runt ab ecclesia Dei, & a Photio sanctissi-
„ mo patriarcha, & schismatico errori seipsos
„ tradiderunt, decernimus excommunicatos
„ esse a corpore & sanguine Christi veri Dei
„ nostri, & a fidelium cœtu atque conven-
„ tu, quandiu perstiterint in ea defectione.

Sancta synodus dixit: Placet id omnibus, & juste judicastis. Tamen, ut sæpe diximus, hi pauci sunt: & ipsi parati, quemadmodum & vos auditis, advolvi pedibus Photii sanctissimi patriarchæ, & pœnitentiam flagitare retro admissorum.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis, dixit: Quandoquidem gratia Dei omnia scandala e medio sublata sunt, & veritas examinata splendidior facta est, & Dei luce collustrata est ecclesia Dei, pacem & concordiam recipiens; instat autem tempus synaxeos, quo sacra mysteria perfici debent: si quidem ita videtur sanctitati vestræ, totus qui hic collectus est sacratissimus cœtus cum nostra mediocritate sacræ divinæque liturgiæ cum Photio sanctissimo patriarcha mysteria celebremus. Sancta synodus dixit: Bonum istud ac Deo gratum. Fiat quod dicitis. Deus custodiat dominum nostrum sanctum, & annos ejus proroget ad salutem ecclesiæ ipsius. Multos annos Imperatoribus.

A αὐτῷ ἀρχιερεῦσι Θεοῦ πάλαι ἅπαντα τὰ κατὰ τὸ ἁ-
γιώτατον πατριάρχην Φωτίου πεπραγμένα καὶ ἀπεκή-
ρυξε καὶ ἀνεθεμάτισε, καὶ τοὺς ἀποδεχομένους αὐτὰ τῷ
ὁμοίῳ ἀναθέματι καθυπέβαλεν. ὁμοίως καὶ ὁ ἐμὸς
πατριάρχης ὁ ἁγιώτατος Θεοδόσιος καὶ αὐτὰ, καὶ τοὺς
ἀποδεχομένους αὐτὰ, καὶ τοὺς ὀνομάζοντας αὐτὰ σύνο-
δον, τῷ αὐτῷ κρίματι κατέκρινέ τε, καὶ καπεδίκασε.

Κοσμᾶς ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος, καὶ ἀπο-
κρισιάριος Ἀλεξανδρείας εἶπε· τὸ φρόνημα αὐτοῦ ὁ
ἁγιώτατος πάπας Ἀλεξανδρείας ἐν τοῖς τιμίοις αὐ-
τοῦ γράμμασι σαφῶς πᾶσιν ἀνεκήρυξε, καὶ ὡς πάσῃ
ἀρᾷ καθυποβάλλει καὶ αὐτὰ καὶ τοὺς ἀποδεχομένους αὐτά.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτη-
Bρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· Τοὺς μὴ ἀποδεχομένους Φω-
τίου τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ὄντα νόμιμον καὶ κεκανο-
νισμένον ἀρχιερέα Θεοῦ, τῷ ἀναθέματι καθυποβάλλω· ὥσπερ πάλαι μὲν ὁ ἐν ἁγίοις Θεοδόσιος, ὁ
τῆς Ἱεροσολύμων ἀρχιερεύς, νῦν δὲ καὶ ὁ αὐτοῦ διάδοχος Ἠλίας ἕως σωναναθεματίζει, καὶ ἀποβάλλεται, καὶ πάντα τὰ κατ' αὐτὸν ἔμπροσθεν πεπραγμένα· ἐν οἷς μάλιστα οἱ Σαρακηνῶν ἀποκρισιάριοι, κριταὶ καὶ νομοθέται παράνομοι προεκαθέζοντο.

Ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησε· πάντες ὕτως δοξάζομεν, πάντες ὕτω κηρύττομεν, πάντες ἐν τούτοις ἀσμενίζομεν. ἐν τούτῳ τῷ κεφαλαίῳ τὸν ἁγιώτατον πάπα Ἰωάννην, τῆς ἄλλων ἁπάντων μᾶλλον ἐφράνθη-
Cμεν. ἡμεῖς γὰρ, ὡς πολλάκις ἔφημεν, καὶ πρὸ τοῦ ἐπιψηφίσασθαι τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην τὴν τῆς ἀθέσμων ἐκείνων ἀναίρεσιν, πάντα τὰ κατὰ τὸν ἁγιωτάτην ἡμῶν πατριάρχην γραφέντα, καὶ λαληθέντα, καὶ ἀνεθεματίσαμεν, καὶ ἀπεβαλόμεθα, ἑνωθέντες αὐτῷ καὶ κοινωνήσαντες, καὶ συλλειτουργοὶ γενόμενοι. καὶ νῦν δὲ πάλιν θερμότερόν τε καὶ σπουδαιότερον ἅπαντα τὰ κατ' αὐτὸν καὶ ἀναθεματίζομεν, καὶ ἀποβαλλόμεθα· καὶ τοὺς ἀπὸ τοῦ νῦν δεχομένους αὐτὰ τῷ αὐτῷ παραπέμπομεν ἀναθέματι.

Κεφάλ. ε'. Τοὺς μέχρι τοῦ νῦν ἑαυτοὺς ἀποσήσαν-
τας τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ Φωτίου τοῦ ἁγιω-
τάτου πατριάρχου, καὶ τῇ χισματικῇ πλάνῃ ἑαυτοὺς ἐκ-
Dδεδωκότας, ὁρίζομεν ἀκοινωνήτους εἶναι τοῦ σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ τῆς τῆς πιστῶν σωτηρίας τε καὶ σωφροσύνης, ἕως ἂν ἐπιμένωσι τῇ ἀποστασίᾳ.

Ἡ ἁγία συνοδος εἶπεν· ἀρέσκει πᾶσι, καὶ δικαίως κεκρίκατε. πλὴν, ὡς πολλάκις εἴπομεν, αὐτοὶ διακεῖθμητοί εἰσι· καὶ αὐτοὶ ἕτοιμοι, ὡς καὶ ὑμεῖς ἀκούετε, προσελθεῖν τοῖς ποσὶ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ μετάνοιαν τῆς ἔμπροσθεν ἡμαρτημένων ἐξαιτήσασθαι.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ἐπειδήπερ χάριτι Θεοῦ πάντα τὰ σκάνδαλα ἐκ μέσου γεγόνασι, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐξετασθεῖσα λαμπροτέρα γέγονε, καὶ τῇ φωτὶ τοῦ Θεοῦ ἡ ἐκκλησία πε-
Eφώτισαι, τὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν ἀπολαβοῦσα· ἔπεσι δὲ τανῦν καὶ ὁ καιρὸς τῆς συναξεως, καὶ τὰ τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας ὀφείλει πληροῦσθαι, εἰ δοκεῖ τῇ ὑμῶν ἁγιωσύνῃ, ἅπαν τὸ συνειλεγμένον ἱερώτατον ἄθροισμα σὺν τῇ ἡμετέρᾳ μετριότητι τὰ τῆς ἱερᾶς καὶ θείας λειτουργίας μετὰ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἐπιτελέσωμεν μυστήρια. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· τοῦτο ἀγαθὸν καὶ Θεῷ ἀποδεκτόν. χαίρω καὶ τὸ ῥῆμα ὑμῶν. ὁ Θεὸς φυλάξαι τὸν δεσπότην ἡμῶν τὸν ἅγιον, καὶ μακροημερεῦσαι τοὺς χρόνους αὐτοῦ εἰς σωτηρίαν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. πολλὰ τὰ ἔτη τῷ βασιλέων.

ΠΡΑ-

ΠΡΑΞΙΣ Ε'.

ACTIO QUINTA.

ANNO CHRISTI 879.

Μηνὶ Ἰανουαρίῳ κϛ'. ἡμέρᾳ γ'. ἰνδικτιῶνος ιγ'. προκαθεδέντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τοῦ κατηχουμενείου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ συγκαθεζομένων αὐτῷ Παύλου καὶ Εὐγενίου τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων καὶ τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης· ἔτι δὲ Πέτρου τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ καρδιναλέως· ἀμφί τε καὶ Βασιλείου τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητοῦ τῆς Ἀντιοχείας ἐκκλησίας· καὶ Ἡλίου τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ τοποτηρητοῦ Ἱεροσολύμων. καὶ Κοσμᾶ τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ ἐξαρχείου Ἀλεξανδρείας. καὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· τίνα ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον, ἥτις ἐν τῇ κατὰ Βιθυνίαν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον συνέστη, ἐπί τε Ἀδριανοῦ τοῦ μακαριωτάτου πάπα Ῥώμης, καὶ Ταρασίου τοῦ ἐν ἁγίοις πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ἡ μὲν καθ' ἡμᾶς ἐκκλησία ἀεὶ μὲν ἑβδόμην ὀνομάζει τε καὶ ἀνακηρύττει, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς ἓξ συνόδοις ταῖς ἴσοις αὐτοῖς προσβείοις τιμᾷ. ἡ δέ γε τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία, ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ τῆς ἀνατολῆς θρόνοι, τὰ μὲν δόγματα αὐτῆς παραπλησίως ἀποδέχονται καὶ περιέπουσι, περὶ δὲ τοῦ συναριθμεῖν αὐτὴν ταῖς λοιπαῖς ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς ἓξ συνόδοις, καὶ ἑβδόμην αὐτὴν ἀνακηρύττειν, ἴσως παρά τισιν ἐστὶν ἀμφιβολία. ῥᾴμη μὲν γὰρ τοιαύτη περιαγγέλλεται. τὸ δὲ ἀληθὲς ὅπως καὶ μέχρι νῦν ἐπισάμεθα· νυνὶ δέ, ὧν ἱερῶν ἀδελφῶν χορὸς ἁγιόλεκτος, ἐπειδὴ πάντα τὰ καλὰ δηλονότι συνεφάπτομαι τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου τοῦ ἀδελφοῦ καὶ πνευματικοῦ παῖδος ἡμῶν εἰς ἀναμφίβολον πέρας κατέστη, τῶν αὐτῶν τιμιωτάτων τοποτηρητῶν τὸν ἐκείνου πληρούντων θρόνον, καὶ τῶν ἄλλων ἀρχιερατικῶν συνεδρευόντων θρόνων· εἰ δοκεῖ καὶ ὑμῖν ἅπασι, κρατυνθήτω καὶ κυρωθήτω, μὴ μόνον αὐτῆς ὡς παρὰ πᾶσι τὰ δόγματα, καὶ θεσπίσματα· ἀλλὰ καὶ τὸ συναριθμεῖσθαι αὐτὴν ταῖς ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς ἓξ συνόδοις ἑβδόμην μετ' ἐκείνας καὶ γνωμάζειν, καὶ λεγομάζειν, καὶ τὰ ἴσα τούτοις ἀποφέρεσαν πρεσβεῖα.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπε· βουλόμεθα τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ὑπομνῆσαι περὶ τῆς ἁγίας συνόδου τῆς γνωμάζης ἐπὶ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἀδριανοῦ καὶ Ταρασίου τοῦ ἐν ἁγίοις πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων· ὅτι ὥσπερ ἐξ ἀρχαίων τῶν χρόνων ὁμοφώνως ταῖς ἁπανταχοῦ ἁγίαις ἐκκλησίαις, καὶ ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία τά τε δόγματα αὐτῆς καὶ θεσπίσματα ἠσπάζετο καὶ ἀπεδέχετο, ἕως καὶ τανῦν ἑβδόμην αὐτὴν καλεῖν καὶ ταῖς λοιπαῖς ἓξ ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς συνόδοις καταριθμεῖν ἐδικαίωσε. καὶ ὁ μὴ ὅπως ἔχων καὶ ὀνομάζων τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν ἐν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον ἑβδόμην σύνοδον, ἔστω ἀνάθεμα.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· πρέπον ἐστὶ μετὰ πάσης τῆς γνωμάζης ἀποδοχῆς καὶ ἑνώσεως τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας διὰ μεσιτείας τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου Φωτίου, καὶ ἐπὶ τῇ ὑποθέσει ταύτῃ συμφωνῆσαι ἡμῖν, ὡς ἂν μηδὲν ἐν τούτῳ εἴη ἐν

Mense Januario, die xxvi. feria tertia, Indictione xiii. præsidente Photio sanctissimo & œcumenico patriarcha, in dextra parte catechumeniorum magnæ ecclesiæ, & cum eo considentibus Paulo & Eugenio episcopis & legatis antiquæ Romæ; adhuc autem & Petro religiosissimo presbytero & cardinale: sed & Basilio Dei amantissimo episcopo Martyropoleos & legato ecclesiæ Antiochiæ: & Elia religiosissimo presbytero & legato Hierosolymorum: & Cosma religiosissimo presbytero & responsali Alexandriæ; & Dei amantissimis metropolitis; Photius sanctissimus patriarcha dixit: Sanctam & œcumenicam synodum, quæ in Nicæa Bithyniæ iterum congregata est, sub Hadriano sanctissimo Papa Romæ, & Tarasio, qui nunc inter sanctos degit, Patriarcha Constantinopoleos, nostra quidem ecclesia semper septimam appellat & prædicat, & cum reliquis sanctis & œcumenicis sex synodis simili prorsus honore prosequitur. Romana vero ecclesia, & similiter sedes Orientales, dogmata quidem ipsius propemodum suscipiunt & complectuntur; an vero connumeranda sit cum reliquis sanctis & œcumenicis sex synodis, septimaque sit prædicanda, fortassis apud nonnullos dubitatio est. Nam istud quidem fama refert: quid autem verum sit, necdum hactenus scimus. Nunc igitur, sanctorum fratrum electe a Deo cœtus; quandoquidem omnia bona, nimirum adjuvante sanctissimo Papa Joanne fratre & spiritali patre nostro, ad indubitatum finem perducta sunt, iisdem reverendis legatis locum ejus implentibus, & aliis Pontificalibus sedibus simul adsidentibus, si placet etiam vobis omnibus, confirmetur & corroboretur: nec solummodo ipsius in omnibus dogmata & sanctiones; sed etiam ut adnumeretur ipsa sanctis & œcumenicis sex synodis septima quæ post illas habita & appellata est; & æquali cum eis honore fruatur.

Multa ex his quæ hinc sequuntur edidit etiam Beveregius, sed mutila & mendosa.

Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis dixit: Volumus ut vestra sanctitas meminerit de sancta synodo, quæ habita est sub sanctissimo Papa Hadriano, & Tarasio qui nunc inter sanctos degit patriarcha Constantinopoleos, de sanctis ac venerandis imaginibus, quod quemadmodum ex antiquis temporibus concorditer cum sanctis ubique ecclesiis etiam sancta Romana ecclesia tum ejus dogmata tum sanctiones amplexa est & suscepit; sic etiam nunc septimam ipsam appellare, ac reliquis sex sanctis & œcumenicis synodis adnumerare, æquum censet esse. Et qui aliter sentit, & non appellat sanctam & œcumenicam in urbe Nicæa secundo septimam synodum, sit anathema.

Sancta synodus dixit: Decet post omnem factam receptionem & unionem Romanæ ecclesiæ, interventu sanctissimi patriarchæ nostri Photii, etiam in hac causa consentire vobis, ne sit etiam in hoc inter nos dissensio.

Et

ANNO CHRISTI 879.

Et qui non ita sentit & appellat sanctam & œcumenicam in urbe Nicæa secundo septimam synodum, quemadmodum etiam Petrus presbyter & cardinalis antea dixit, sit anathema.

Eugenius Dei amantissimus episcopus & legatus antiquæ Romæ, dixit: Qui non habet œcumenicam synodum quæ facta est Nicææ secundo sub sanctissimo Papa Hadriano, & Tarasio qui nunc inter sanctos degit patriarcha Constantinopoleos, sanctam ac septimam synodum, & honorat ipsam sicut ceteras œcumenicas sex synodos, sit anathema.

Basilius Dei amantissimus episcopus Martyropoleos & legatus Antiochiæ, dixit: Nos etiam antea suscepimus, & nunc consentientes sanctitati vestræ suscipimus sanctam & œcumenicam Nicææ secundo synodum, septimam ipsam & sanctam nuncupantes, sex ante illam & œcumenicis sanctis synodis connumerantes & simul celebrantes. Et qui secus sentiunt, eos anathematizamus.

Elias religiosissimus presbyter & legatus Hierosolymorum, dixit: Quicumque sanctam & œcumenicam synodum, quæ Nicææ synodo collecta est, non suscipit, hic neque alias sex synodos suscipit. Quemadmodum in illis Pontificales omnes sedes concurrerunt, aliæ quidem per seipsas, aliæ per legatos firmam fidem dogmatum constituerunt: sic etiam ista & ex sanctissimo Papa Romæ legatos habuit; similiter autem ex nostris Orientis sedibus; & dogmata illius cognata & similia & ejusdem sententiæ cum œcumenicis sex synodis fuerunt. Qui igitur hanc non suscipit, neque nominat œcumenicam & septimam synodum, ceteras, quamvis non ausit dicere, spernit ac rejicit. Quamobrem si quis hanc non suscipit ut illas sanctas & œcumenicas sex synodos, anathema sit. Sancta synodus dixit: Anathema.

Sanctissimi legati veteris Romæ dixerunt: Rogamus vestram sanctitatem, ut abeat ad Metrophanem, & dicat ei: Vocat te simul cum sanctis legatis quæ nunc præsidet sancta synodus; scire volens, cujus propositi ac sententiæ sis circa unionem sanctæ Dei ecclesiæ. Igitur vocati, Basilius Dei amantissimus archiepiscopus Cretæ, & Nicetas Dei amantissimus metropolita Smyrnæ, & Gregorius amantissimus archiepiscopus Selgæ, missi sunt a sanctis legatis & præsente synodo. Qui accedentes ad reverentissimum Metrophanem, dixerunt ei: Sanctissimi episcopi & legati antiquæ Romæ, simul cum præsidente synodo, hæc per nos significant tibi. Dic nobis liquido quid sentias: & apud sanctam & œcumenicam hanc synodum redde rationem, quamobrem teipsum ab ecclesia separes. Metrophanes reverentissimus dixit: Æger sum: ac propterea non possum multa dicere. Hoc autem dico breviter, causam nimirum cur a vobis divellar: Advolassem alacriter, & pro me responderem quæ oporteret: sed testis est mihi conscientia, quod valde ægroto, nec possum aut ambulare, aut stare coram vobis. Itaque, si fieri potest, obsecro ut sinatis me, donec vires recipiam. Et sic postea pro me respondebo.

ANNO CHRIST. 879.

ἡμῖν ὄξαφωνια. καὶ ὁ μὴ ὕτω φρονῶν καὶ ὀνομαζων τὴν ἁγίαν καὶ οἰκυμενικὴν ἐν Νικαίᾳ τὸ β'. ἑβδόμην σύνοδον, ὡς καὶ ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ χαρτοφύλαξ προεῖπεν, ἔσω ἀνάθεμα.

Εὐγένιος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος καὶ τοποτηρητὴς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπεν· ὁ μὴ ἔχων τὴν γνησιόφρονα οἰκυμενικὴν σύνοδον ἐν Νικαίᾳ τὸ β'. ἐπὶ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἀδριανοῦ καὶ Ταρασίου τοῦ ἐν ἁγίοις πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ἁγίαν καὶ ζ'. σύνοδον, καὶ τιμῶν αὐτὴν ὡς τὰς λοιπὰς οἰκυμενικὰς ἓξ συνόδους, ἔσω ἀνάθεμα.

Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· ἡμεῖς καὶ προαπεδεξάμεθα, καὶ νῦν συμφωνοῦντες τῇ ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ, ἀποδεχόμεθα τὴν ἁγίαν καὶ οἰκυμενικὴν ἐν Νικαίᾳ τὸ β'. σύνοδον, ζ'. αὐτὴν καὶ ἁγίαν ἀποκαλοῦντες, ταῖς πρὸ αὐτῆς ε'. καὶ οἰκυμενικαῖς ἁγίαις συνόδοις συναριθμοῦντες τε καὶ συναναρρύττοντες· καὶ τοὺς μὴ ὕτω φρονοῦντας τῷ ἀναθέματι προπέμπομεν.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπεν· ὅστις τὴν ἁγίαν καὶ οἰκυμενικὴν σύνοδον τὴν ἐν Νικαίᾳ συστᾶσαν τὸ β'. ἐκδέχεται, ὅτος οὐδὲ τὰς ἄλλας ε'. συνόδους ἀποδέχεται. ὥσπερ γὰρ ἐν ἐκείναις οἱ ἀρχιερατικοὶ πάντες συνδραμόντες θρόνοι, οἱ μὲν δι' ἑαυτῶν, οἱ δὲ διὰ τοποτηρητῶν τὸ πιστὸν βέβαιον τῆς δογμάτων παρεσήσαντο, ὕτω καὶ αὐτή, καὶ ἐκ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης τοποτηρητὰς * ἔσχε· ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνατολῆς θρόνων· καὶ τὰ δόγματα αὐτῆς συγγενῆ καὶ οἰκεῖα καὶ ὁμόδοξα τῆς οἰκυμενικῶν ε'. συνόδων ὑπῆρχον. ὁ οὖν ταύτην μὴ δεχόμενος, μηδὲ ὀνομάζων οἰκυμενικὴν καὶ ζ'. σύνοδον, τὰ ἄλλας, κἂν ἐ τολμᾷ λέγειν, * παραγράφεται. διὸ εἴ τις ταύτην ἐκ ἀποδέχεται ὡς ἐκείνας τὰς ἁγίας καὶ οἰκυμενικὰς ε'. συνόδους, ἀνάθεμα ἔσω. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀνάθεμα.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· παρακαλοῦμέν σε ἀπελθεῖν πρὸς τὸν Μητροφάνην, καὶ εἰπεῖν αὐτῷ προσκαλεῖταί σε ἅμα τοῖς ἁγίοις τοποτηρηταῖς ἡ προκαθεζομένη αὐτῇ ἁγία σύνοδος, ἀναμαθεῖν βουλομένη τὸν σκοπὸν καὶ τὴν βούλησιν, ἣν περὶ τῆς ἑνώσεως τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἔχεις. καὶ δὴ προσκληθέντες Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Κρήτης, καὶ Νικήτας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Σμύρνης, καὶ Γρηγόριος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Σέλγης, ἀπεσάλησαν παρά τε τῆς ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν καὶ τῆς ἐνδημούσης συνόδου. οἱ καὶ παραγενόμενοι πρὸς Μητροφάνην τὸν μακαριώτατον, εἶπον αὐτῷ· οἱ ἁγιώτατοι ἐπίσκοποι καὶ τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἅμα τῇ προκαθεζομένῃ συνόδῳ τάδε δι' ἡμῶν δηλοποιοῦσί σοι· καθαροποίησον ἡμῖν τὰ τῆς γνώμης σου, καὶ πρὸς τὴν ἁγίαν καὶ οἰκυμενικὴν ταύτην σύνοδον ἀπολόγησαι, δι' ἣν αἰτίαν σεαυτὸν τῆς ἐκκλησίας ἀποδιΐσας. Μητροφάνης ὁ μακαριώτατος εἶπεν· ἀσθενῶ, καὶ διὰ τοῦτο ὐ δύναμαι πολλὰ λέγειν. τοῦτο δὲ λέγω σωτόμως, τὴν αἰτίαν δι' ἣν διΐσαμαι ἐξ ὑμῶν. * προθυμος ἂν ἦλθον, καὶ ἀπελογησάμην ἅπερ δίκαιον ἦν. ἀλλὰ μαρτυρεῖ μοι τὸ συνειδὸς, ὅτι ἀσθενῶ σφόδρα, καὶ ὅτε δύναμαι περιπατῆσαι, ὅτε στῆναι κατενώπιον ὑμῶν. τοῦτο ἕνεκεν, εἰ δυνατόν ἐστι, παρακαλῶ ἵνα ἐάσητέ με, ἕως ἂν γένηται ῥῶσις ἐν ἐμοὶ τῆς φύσεως· καὶ εἶθ' ὕστερον ἀπολογοῦμαι.

Οἱ

Οἱ μὲν οὖν ἀπεσταλμένοι πρὸς τὸν ἁγιώτατον Μητροφάνην, τοιαύτας αὐτοῦ τὰς φωνὰς πρὸς τὴν σύνοδον ἀπεκόμισαν. οἱ δὲ ἀξιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀπεκρίθησαν· ἡμεῖς κατὰ τὸ ἐντεταλμένον ἡμῖν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου, οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς καὶ πολλάκις καὶ παρηνέσαμεν, καὶ ἐνουθετήσαμεν, καὶ παρεκαλέσαμεν αὐτὸν, ἀποστῆναι τῆς πλάνης αὐτοῦ, καὶ προσελθεῖν τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ. ἐπεὶ δὲ καὶ νῦν ἀποσταλέντων ἡμῶν προφάσεις ἐκεῖνος ἐν ἁμαρτίαις προφασίζεται, καὶ ματαίας μὲν φλυαρίας καὶ ἀποστασίας λόγους δυνάται λέγειν, ἓν δὲ ῥῆμα ὀρθὸν καὶ σωτήριον οὐ δυνάται εἰπεῖν, τὸ, ἰδοὺ ἐγὼ σύνειμαι τῇ ἐκκλησίᾳ κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου· ἀλλὰ τὰς μακρὰς μὲν φλυαρίας λέγειν αὐτὸν ἡ νόσος οὐδὲν ἐμποδίζει, τὴν δὲ σωτήριον ὁμολογίαν μὴ βουλόμενος εἰπεῖν, αἰτιᾶται τὴν νόσον· ἰδοὺ κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα Ἰωάννου, καὶ κατὰ τοὺς παραδεδομένους ἡμῖν ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, χωρίζομεν αὐτὸν ἀπὸ πάσης ἐκκλησιαστικῆς καὶ κοινωνίας καὶ συναυλίας, ἕως ἂν ἐπιστρέψῃ εἰς τὸν ἴδιον ποιμένα. θέλομεν γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι ὡς ὁ ἀποστολικὸς πάπας Ἰωάννης προσέταξεν ἡμῖν τοῦτο, ἃ προανηγγείλαμέν τε καὶ προανεκηρύξαμεν· δηλονότι ἵνα καὶ συγκαθαιρῶμεν καὶ συναθῶμεν ὃς ἂν Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἢ καθαιρέσει ἢ ἀθωώσει καθυποβάλῃ, αὐτοῦ τε καὶ ὑμῶν ὁμογνωμονούντων ἡμῖν· καὶ ἵνα ὃς ἂν ἔχῃ ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πάπας Ἰωάννης κανονικῶς καθῃρημένους ἐν οἱῳδήποτε τάγματι ἢ τόπῳ, ἔχῃ αὐτοὺς καὶ Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης καθῃρημένους· ὁμοίως καὶ ὃς ἂν ἔχῃ Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης καθῃρημένους ἢ ἠθωωμένους, ἔχῃ αὐτοὺς καὶ ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πάπας Ἰωάννης κατακεκριμένους ἢ ἠθωωμένους. πλὴν εἰ δοκεῖ τῇ ἁγιωσύνῃ ὑμῶν, καὶ εἰς κανόνος τάξιν ἡ προκειμένη ὑπόθεσις ἀναληφθήτω. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναληφθήτω. καὶ τοῦ κανόνος ἐκδοθέντος, λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος, ἀνέγνω.

Κεφάλ. α'. Ὥρισεν ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὥστε εἴ τινες τῶν ἐξ Ἰταλίας κληρικῶν ἢ λαϊκῶν ἢ ἐπισκόπων ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἢ Εὐρώπῃ ἢ Λιβύῃ διατρίβοντες, ὑπὸ δεσμὸν ἢ καθαίρεσιν ἢ ἀναθεματισμὸν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ἐγένοντο, ἵνα ὦσιν οἱ τοιοῦτοι καὶ παρὰ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας ὄρῳ· τυτέστιν ἢ καθῃρημένοι, ἢ ἀναθέματι καθυποβεβλημένοι, ἢ ἀφωρισμένοι. ὃς μὲν τοι Φώτιος ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν πατριάρχης κληρικοὺς, ἢ λαϊκοὺς, ἢ τοῦ ἀρχιερατικοῦ καὶ ἱερατικοῦ τάγματος, ἐν οἱᾳδήποτε παροικίᾳ, ὑπὸ ἀφορισμὸν καὶ καθαίρεσιν καὶ ἀναθεματισμὸν ποιήσῃ, ἵνα ἔχῃ αὐτοὺς καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης καὶ ἡ κατ' αὐτὸν ἁγία τοῦ Θεοῦ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας κρίματι, μηδὲν τῶν πρεσβείων τῶν προσόντων τῷ ἁγιωτάτῳ θρόνῳ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, μὴ δὲ τῷ ταύτης πρόεδρῳ τὸ σύνολον ἡμφοτερμένων, μήτε νῦν, μήτε εἰς τὸ μετέπειτα.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀρέσκει; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀρέσκει. Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς ἱεροσολύμων εἶπεν· ὁ Θεὸς οὕτω ἐποίησεν, ἵνα καὶ οἱ τῆς ἀνατολῆς θρόνοι, καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης

A Qui igitur missi fuerant ad reverentissimum Metrophanem, has ipsius voces ad synodum retulerunt. Sanctissimi vero legati antiquæ Romæ responderunt: Nos secundum mandatum quod accepimus a sanctissimo Papa Joanne, non semel, sed iterum ac sæpius, & adhortati sumus eum, & admonuimus, & deprecati sumus, ut discederet ab errore suo, & ad ecclesiam Dei accederet. Postquam vero etiam nunc nobis mittentibus excusationes ille in peccatis excusat, & vanas quidem nugas, ac defectionis sermones potest loqui, unum autem verbum rectum & salutare loqui non potest: scilicet, Ecce ego unior ecclesiæ juxta mandatum sanctissimi Papæ Joannis; B sed prolixas quidem nugas ipsum loqui ægritudo non prohibet, salutarem vero confessionem nolens dicere, morbum prætendit: ecce secundum mandatum sanctissimi & œcumenici Papæ Joannis, & secundum traditas nobis ecclesiasticas leges, segregamus eum ab omni ecclesiastica communione & conversatione: donec revertatur ad proprium pastorem. Volumus enim vos scire, quod Apostolicus Papa Joannes præcepit nobis hæc quæ prænunciavimus & prædiximus: nimirum ut dejiciamus & absolvamus quoscumque Photius sanctissimus patriarcha aut dejiciendos censuerit aut absolvendos, ipso vobisque consentientibus nobis: & ut quoscumque habuerit sanctissimus C & œcumenicus Papa Joannes canonice depositos, in quocumque ordine & loco, habeat ipsos etiam Photius sanctissimus patriarcha depositos. Similiter & quoscumque habuerit Photius sanctissimus patriarcha damnatos aut absolutos, habeat ipsos etiam sanctissimus & œcumenicus Papa Joannes damnatos aut absolutos. Et si placet sanctitati vestræ, ut etiam canonis loco proposita hypothesis admittatur. Sancta synodus dixit: Admittatur. Et edito canone, accipiens illum Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius, legit:

D „ *Cap.* 1. Decrevit sancta & œcumenica synodus, si qui ex Italiæ clericis, aut laicis, aut episcopis, in Asia vel Europa vel Libya commorantes, sub vinculo aut depositione aut anathema sint a sanctissimo Papa Joanne, ut sint isti etiam a Photio sanctissimo patriarcha Constantino poleos eidem papæ obnoxii, hoc est, aut depositi, aut anathematizati, aut communione privati. Et quos item Photius sanctissimus noster patriarcha clericos aut laicos, sive Pontificalis aut sacerdotalis ordinis, in quacumque diœcesi, excommunicaverit, deposuerit, aut anathematizaverit, ut habeat illos etiam sanctissimus Papa Joannes, & quæ ei E „ subjacet Romana ecclesia, eidem pœnæ subjectos: privilegiis quæ sanctissimæ sedi conveniunt ecclesiæ Romanæ, aut ipsius antistiti, nullo modo immutatis, sive modo, „ sive in posterum.

Sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Placet ne? Sancta synodus dixit: Placet. Elias religiosissimus presbyter & legatus Hierosolymorum dixit: Deus ita fecit, ut & Orientis sedes, & sanctissimus Papa Joannes cum sanctissimo nostro patriarcha Photio una ani-

ANNO CHRISTI 879.

anima essent, & unus spiritus: & voluntas eorum communis foret, & inseparabilis.

Basilius Dei amantissimus episcopus Martyropoleos & legatus Antiochiæ dixit: Sedium nostrarum maximi Pontifices, magis adhuc inseparabilem erga sanctissimum patriarcham Photium mentem habentes, ex quo in Pontificalem provectus est sedem, huc etiam nos miserunt, dantes potestatem & auctoritatem Photio sanctissimo patriarchæ, ut si quis, sive sit sacerdotalis ordinis, sive laici, inveniatur seipsum ab ecclesia sancta Dei separare, faciat contra tales quod videbitur suæ sanctitati. Ut qui igitur Orientalium sedium potestatem accepit, & Romanæ auctoritatis jus adeptus, ut proxime audivimus; seu potius ut qui ex Dei jussu præsit tanquam Pontifex maximus, quoscumque ligaverit sancti Spiritus insolubili vinculo, habemus etiam nos ipsi ligatos: & quoscumque solverit, habemus & nos ipsi solutos.

Sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Benedictus Deus, quod ita sententiæ & voluntates omnium sanctissimorum patriarcharum in unum convenerunt; & per communem concordiam ac pacem optimo fine conclusa sunt quæ a sancta & œcumenica synodo cœpta factaque sunt. Sancta synodus dixit: Quod quidem bonum finem quæ fecimus sunt consecuta, quamvis sileamus, lapides clamabunt. Et qui non assentitur his quæ gesta sunt ab hac sancta & œcumenica synodo, separatus erit a sancta & consubstantiali Trinitate. Interrogamus autem vestram sanctitatem de his qui seipsos segregant ab ecclesia; si post peractam synodum revertantur pœnitentes, quid vobis videtur? De hoc sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Et jam diximus, quod hanc potestatem sanctissimus Papa Joannes Photio sanctissimo patriarchæ adjecit; ut posset ipse etiam revertentes suscipere, & non pœnitentes communione privare. Verum abeant qui designati fuerint ad Metrophanem reverendissimum, deferantque responsum nostrum, & vinculum quod contra ipsum definitum est. Sancta synodus dixit: Æquum est. Sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Designentur qui debeant ire. Abierunt Joannes Dei amantissimus metropolita Heracleæ, Daniel Ancyræ, & Georgius Nicomediæ; & renunciaverunt Metrophani ea quæ de ipso superius dicta sunt. Et reversi, hoc responsum dederunt: Quemadmodum *justo lex non est posita*, juxta Apostolum, sic neque ægrotanti & gravissimo morbo laboranti. Quæ igitur profert vestra sanctitas velut ex potestate Papæ, humilitati meæ nunc non conveniunt. Ægrotamus enim, ut antea diximus, nec possumus ire. Si vultis autem perfectum responsum accipere de ecclesiastica unione, satigate vos soli tres adversus nostram humilitatem, & ut loquar vobis: & tunc quod Deo placuerit, fiet.

1. Tim. 1. 9.

Hac igitur voce relata, lectaque, sanctissimi legati dixerunt: Ægritudo non est ei impedi-

A μ^τι τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου Φωτίου μία ψυχὴ ὦσι, καὶ μία σύμπνοια, καὶ τὸ θέλημα * αὐτὸν κοινὸν καὶ ἀδιάσπαστον ᾖ.

Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· οἱ τῶν καθ' ἡμᾶς θρόνων μέγιστοι ἀρχιερεῖς ἐπὶ πλεῖον ἀδιάσπαστον τὴν πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Φώτιον γνώμην ἔχοντες, ἀφ' οὗ καὶ εἰς τὸν ἀρχιερατικὸν ἀνηνέχθη βαθμὸν, ἐπὶ τούτῳ καὶ ἡμᾶς ἀπέστειλαν, δόντες ἐξουσίαν καὶ αὐθεντίαν Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ, ἵνα εἴ τις κἄν τε τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου εἴη, κἄν τε τοῦ λαϊκοῦ τάγματος εὑρεθείη, ἑαυτὸν τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας χωρί-
B ζων, τὸ δοκοῦν τῇ ἁγιωσύνῃ αὐτοῦ εἰς τοὺς τοιούτους διαπράττηται. ὡς οὖν καὶ τὴν τῶν ἀνατολικῶν θρόνων ἐξουσίαν εἰληφὼς, καὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων αὐθεντίας τὸ κῦρος προσλαβόμενος, καθὼς ἀρτίως ἠκούσαμεν, μᾶλλον δὲ προέχων ἐκ Θεοῦ ὡς ἀρχιερεὺς μέγιστος, οὓς ἂν δήσῃ τῷ τοῦ παναγίου πνεύματος ἀλύτῳ δεσμῷ, ἔχομεν καὶ ἡμεῖς δεδεμένους· καὶ οὓς ἂν λύσῃ, ἔχομεν καὶ ἡμεῖς λελυμένους.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, ὅτι οὕτως αἱ γνῶμαι καὶ θελήσεις πάντων τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν εἰς ἓν συνῆλθον, καὶ διὰ τῆς κοινῆς ὁμονοίας καὶ εἰρήνης εἰς ἀγαθὸν τέλος κατέληξε πάντα τὰ παρὰ
C τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου ἐναρχθέντα τε καὶ πραχθέντα. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὅτι μὲν ἀγαθὸν τέλος τὰ παρ' ἡμῶν πραχθέντα ἐδέξατο, κἂν ἡμεῖς σιωπήσωμεν, οἱ λίθοι κεκράξονται. καὶ ὁ μὴ στοιχῶν τοῖς παρὰ τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου πραχθεῖσι, κεχωρισμένος ἔσται τῆς ἁγίας καὶ * οἰκουμενικῆς τριάδος. ἐρωτῶμεν δὲ τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην περὶ τῶν ἑαυτοὺς ἀποδιϊστώντων τῆς ἐκκλησίας, ἐὰν μ^τι τὸ τελειωθῆναι τὴν συνόδον ἐπιστρέψωσι μετανοοῦντες, τί ὑμῖν δοκεῖ; περὶ τούτου οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· καὶ ἤδη εἴπομεν, ὅτι ταύτην τὴν ἐξουσίαν ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης Φωτίῳ τῷ ἁ-
D γιωτάτῳ πατριάρχῃ προσανέθετο, ὥστε ἔχειν αὐτὸν ἐξουσίαν καὶ ἐπιστρέφοντας δέχεσθαι, καὶ μὴ μετανοοῦντας ἀφορισμῷ κατακρίνειν. πλὴν ἀπελθέτωσαν οἱ ὁρισθέντες πρὸς Μητροφάνην τὸν εὐλαβέστατον, ἀποκομίζοντες τὰς ἡμῶν ἀποκρίσεις, καὶ τὸν πρὸς αὐτὸν γενόμενον δεσμόν. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· δικαιόν ἐστιν. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ὁρισθήτωσαν οἱ μέλλοντες ἀπέρχεσθαι. ἀπῆλθον Ἰωάννης ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἡρακλείας, Δανιὴλ Ἀγκύρων, καὶ Γεώργιος Νικομηδείας· καὶ ἀνήγγειλαν Μητροφάνει τὰ ἀνωτέρω περὶ αὐτοῦ εἰρημένα. καὶ ὑποστρέψαντες ἔδωκαν ἀπόκρισιν τοιαύτην· ὥσπερ * δικαίων νόμος
E οὐ κεῖται, κατὰ τὸν ἀπόστολον, οὕτως οὐδὲ νοσοῦντι καὶ χαλεπῶς ἀσθενοῦντι. ἃ τοίνυν προβάλλεται ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ὡς μετ' ἐξουσίας τοῦ πάπα, τῇ ἡμῶν ταπεινώσει νῦν οὐχ ἁρμόττουσι. νοσηλευόμεθα γὰρ, ὥσπερ προείπομεν, καὶ οὐχ οἷοί τε ἐσμὲν ἐλθεῖν. ἐὰν δὲ θέλητε τελείαν ἀπόκρισιν λαβεῖν περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἑνώσεως, κοπιάσατε μόνοι οἱ τρεῖς πρὸς τὴν ἡμετέραν ταπείνωσιν, καὶ ἵνα λαλήσω ὑμῖν· καὶ τηνικαῦτα τὸ ἀρεστὸν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ γενήσεται.

Ταύτης οὖν τῆς φωνῆς ἀποκομισθείσης, καὶ ἀναγνωσθείσης, οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· ἡ ἀσθέ-

ἀσθένεια ὑδενὶ αὐτὸν ἐνεπόδιζεν, ἵνα ἀντὶ τῆς πολλῶν λόγων ἡ ἐλλαμφθῇ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐδήλωσεν ἡμῖν, ὅτι κοινωνός εἰμι τῆς ἐκκλησίας. διὸ ὑδενὶ αὐτὸν ὠφελήσει τὸ ἀναβάλλεσθαι, ὃ δὲ δυνατὸν αὐτὸν ἐξελέσθαι τῆς ἐπενεχθείσης αὐτῷ ἐπιτιμίας. Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἐκεῖνος πολλάκις μὲν προφασίζεται ἀσθένειαν, πολλάκις δὲ ἀδυναμίαν· καὶ πᾶσι τρόποις μεθοδεύεται τὴν ἐπὶ τῆς ὑμῶν ἁγιωσύνης κρίσιν ὑφυγεῖν. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· τὰ μὲν ἐπὶ αὐτῷ, καθὼς καὶ ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν καὶ οἰκουμενικὸς πάπας διετάξατο, ἀπεφηνάμεθα. ἀναμνησθήτω γὰρ ἡ ἡμετέρα ἁγιωσύνη, ὅτι κατενώπιον ὑμῶν ἀνέγνωμεν τὴν ἐπιστολὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου. καὶ περιεῖχετο ἐν αὐτῇ περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης καὶ ἀποδοχῆς τῶν εἰλικρινῶς αὐτῇ προσερχομένων, καὶ μετανοούντων. καὶ ὅτι ὅσα εἰσὶ δεδεμένα, δύανται οἱ ποιμένες λύειν.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἐὰν τὰ δεδεμένα οὐ λύσωσι, τί δύανται ἄλλο ποιεῖν; Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλίς εἶπεν· ὁ οἰκουμενικὸς καὶ ἀποστολικὸς πάπας Ἰωάννης, ταύτην τὴν ἐξουσίαν ἐκ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου εἰληφὼς, δέδωκε καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Φωτίῳ τούτῳ αὐτὴν ἐξουσίαν δεσμεῖν καὶ λύειν. ὁ δὲ Μητροφάνης διὰ τῶν τοιούτων προφάσεων βούλεται ὑφυγεῖν τὴν ἐπιστρεπομένην αὐτῷ καταδίκην, καὶ ὁ μὴ ἰσχύσει τοῦτον διαδρᾶσαι. ἔχων γὰρ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ ἐξουσίαν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Φώτιος, καὶ ἄνευ τῆς ἡμετέρας παρουσίας τὴν ἁρμόζουσαν αὐτῷ καταδίκην ἐπάξει.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· πῶς ὑμῖν δοκεῖ περὶ τῶν ἀρχιερατικῶν τάγματος, ἑαυτοὺς εἰς τὴν τῶν μοναχῶν καταλεγόντων χώραν; ἆρα εἰς ὑποταγὴν ἑαυτοὺς παραδιδόντες, δύανται ἔτι οἱ αὐτοὶ τῆς αὐτῆς ποιμαρχίας ἔχεσθαι; οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· τοῦτο παρ' ἡμῖν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ σώζεται. ὅστις γὰρ ἐὰν ἀπὸ ἀρχιερατικοῦ τάγματος εἰς τὴν τῶν μοναχῶν, τουτέστι τῶν μετανοούντων, κατεριθμηθῇ χώραν, οὐ δύανται ἔτι τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἑαυτῷ διεκδικεῖν ἀξίωμα. Βασίλειος καὶ Ἠλίας οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων εἶπον· οὐδὲ παρ' ἡμῖν ἐφωράθη τοῦτο ποτὲ γενόμενον. τοιαύτην μὲν ἔν μονάζοντες προέρχονται εἰς ἀρχιερέας· ἀπὸ δὲ ἀρχιερέων εἰς μοναχοὺς καταρχόμενοι, ἀρχιερεῖς μένειν οὐ δύανται.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὁρισθήτω καὶ περὶ τούτου κανών. πολλάκις γὰρ ἐν ἡμῖν ἀμφιβολίαι γίνονται περὶ τῆς τοιαύτης θέσεως ταύτης· τῶν μὲν λεγόντων μὴ κωλύεσθαι τοὺς ἀρχιερεῖς μοναχοὺς γενομένους τὰ τῶν ἀρχιερέων τελεῖν, τῶν δὲ οὐ συναδόντων ἐπὶ τούτῳ. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· ἐκτεθήτω κανών. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἔτι δὲ ἀξιοῦμεν ἐκτεθῆναι κανόνα, καὶ ἐπὶ τῶν εἰς τοῦτο μανίας καὶ ἀπονοίας ἐλθόντων λαϊκῶν, ὥστε ἀρχιερεῖς ἢ ἱερεῖς Θεοῦ τύπτειν ἢ φυλακίζειν. εἰ γὰρ καὶ σπανίαις τοῦτο γέγονεν, ἀλλ' ὅμως ἴσμεν αὐτὸ οὐχὶ πρὸ πολλῶν χρόνων γεγονός. μὴ γὰρ ὄντος ὡρισμένης καὶ περιφανοῦς τῆς τιμωρίας τῶν τοῦτο τολμώντων, μᾶλλον ὁ πονηρὸς κατισχύσει εἰς τοῦτο τὸ ἄθεον ὑπο-

ANNO CHRISTI 879.

A mento, quominus pro multis verbis unum effulgeat quod ex Deo sit, & significet nobis; Ego ecclesiæ communico. Quamobrem nihil ei proderit ita cunctari; neque quidquam potest eum eximere ab irrogata ei pœna. Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Ille sæpe quidem morbum prætendit, sæpe & imbecillitatem; & omnibus modis nititur judicium vestræ sanctitatis effugere. Sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: De ipso quidem, prout sanctissimus noster & œcumenicus Papa præcepit, pronunciavimus. Meminerit enim vestra sanctitas, quod præsentibus vobis legimus epistolam sanctissimi Papæ Joannis, & continebatur B in ea de ecclesiastica pace, & de suscipiendis his qui sincere ad eam accedunt, & agunt pœnitentiam: & quod quæcumque sunt ligata, possunt pastores solvere.

Procopius Dei amantissimus archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Nisi ligata solvant, quid possunt aliud facere? Petrus Dei amantissimus presbyter & cardinalis dixit: Oecumenicus & Apostolicus Papa Joannes, qui hanc potestatem a Principe Apostolorum Petro accepit, dedit & sanctissimo patriarchæ Photio eamdem potestatem ligandi atque solC vendi. Metrophanes autem per tales excusationes vult effugere imminentem sibi condemnationem: sed non poterit eam declinare. Cum enim habeat datam sibi potestatem a sanctissimo papa Joanne sanctissimus patriarcha Photius, etiam absque nostra præsentia convenientem ei condemnationem inferet.

Photius sanctissimus patriarcha dixit: Quid vobis videtur de his qui sunt ex ordine Pontificali, & se ipsos in ordinem transferunt monachorum? Numquid in subjectionem semetipsos tradentes, possunt adhuc ipsi eamdem retinere curam pastoralem? Sanctissimi D legati dixerunt: Hoc apud nos non est, neque observatur. Nam quicumque ex Patriarchali ordine in monachorum, hoc est, pœnitentium statione fuerit adnumeratus, non potest adhuc Pontificalem sibi dignitatem asserere. Basilius & Elias sanctissimi legati Orientalium sedium dixerunt: Neque apud nos deprehensum est istud aliquando factum fuisse: e contrario enim monachi in Pontifices promoventur. E Pontificibus autem ad monachos qui descendunt, Pontifices manere non possunt.

Sancta synodus dixit: Statuatur etiam de hac re canon. Sæpe enim etiam inter nos dubitationes oriuntur de hoc argumento: aliis E quidem dicentibus, non prohiberi Pontifices, qui monachi facti fuerint, quominus munia Pontificum obeant: aliis autem in eo non assentientibus. Sanctissimi legati dixerunt: Canon edatur. Sancta synodus dixit: Adhuc autem volumus edi canonem etiam de his, qui eo furoris & amentiæ procedunt, laicis, ut Pontifices & sacerdotes Dei verberent & in carcerem trahant. Tametsi enim istud raro contigit, tamen scimus istud non ita pridem factum fuisse. Nam cum nulla est definita aperte pœna adversus eos qui id ausi fuerint, eo magis malignus contendet ad hoc impium

ANNO CHRISTI 879.

facinus pertrahere. Basilius & Elias sanctissimi legati Orientis dixerunt: Æquum est statui de ea re canonem. Editis ergo statim canonibus, Photius sanctissimus patriarcha dixit: Si jusserit vestra sanctitas, legantur canones. Et accipiens Petrus amantissimus diaconus protonotarius, legit:

„ Tametsi hactenus nonnulli Pontifices, „ qui ad monachorum habitum descenderant, „ in Pontificali culmine permanere conati sunt, „ & hoc facientes neglecti sunt: tamen sancta „ & œcumenica hæc synodus etiam hanc negligentiam corrigens, & ad ecclesiasticæ ordinationis leges inordinatam hanc revocans „ agendi rationem, definivit: ut si quis episcopus, aut si quis alius Pontificali dignitate ad vitam monasticam velit descendere, „ & pœnitentiæ locum implere, hic non sibi „ deinceps Pontificalem vindicet dignitatem. „ Monachorum enim institutа, subjectionis „ rationem habent & disciplinæ; non autem „ magisterii & præsidentiæ: neque pascere „ alios, sed pasci seipsos profitentur. Quamobrem, sicut dictum est, definimus, ut „ nemo in posterum ex his qui Pontificum „ ordine Pastorumque censentur, in locum se „ demittat eorum qui pascuntur & agunt pœnitentiam. Si vero quis id facere ausit post „ promulgationem, & notitiam hujus prolati „ edicti; hic seipsum Pontificali gradu privabit, nec postea ad priorem dignitatem, „ quam contemptui habuit, revertetur.

„ *Caput* 3. Si quis laicorum dominari volens, spernens divina & imperialia mandata, irridens etiam formidabiles ecclesiæ sanctiones ac leges, ausus fuerit episcopum aliquem verberare, aut in carcerem trahere, „ sive sine causa, sive prætendens causam, „ sit ille anathema. Sancta synodus dixit: „ Anathema.

Photius sanctissimus & œcumenicus patriarcha dixit: Quandoquidem quæcumque facienda erant in hac sancta & universali synodo, Deo favente, & auxiliantibus magnis ac celsissimis Imperatoribus nostris, assentiente autem & comprobante sanctissimo Papæ Romæ spiritali nostro fratre ac patre, per suos sanctissimos legatos qui præsentes adstant, & tribus reliquis Orientis sedibus, quandoquidem hæc finem felicem, & qualem optare potuimus, acceperunt, gratias agimus optimo ac benignissimo Deo, qui scandala e medio sustulit, & schismaticum errorem: qui dissidentia conglutinavit, qui concordiam ecclesiis Dei impertiit. Si quid autem deest eorum quæ fieri debent, & illud vester Christi amans cœtus animadvertit, expedit etiam illud per omnium preces & cooperationem suum finem consequi.

Sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Meminerit vestra sanctitas, ut in præcedente sessione vestræ sanctitatis, coram sanctitate vestra, datum nobis Commonitorium a sanctissimo & œcumenico Papa, lectum continebat etiam subscriptiones eorum qui reperti fuerant sanctissimorum episcoporum in sancta synodo, quæ facta est a Joanne sanctissimo Papa in antiqua Roma, pro suscipiendo Photio sanctissimo patriarcha, & pro rejiciendis omnibus quæ contra ipsum scripta vel dicta

A σύρειν ἔργον. Βασίλειος ὁ Ἡλίας οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς ἀνατολῆς εἶπον· ἄξιόν ἐστι τεθῆναι κανόνα περὶ αὐτῆ κανόνα. ἐκδοθέντων δὲ παραυτίκα, φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ἀναγνωσθήτωσαν οἱ κανόνες. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

Εἰ καὶ μέχρι νῦν τῶν ἀρχιερέων εἰς τὸ τῶν μοναχῶν κατιόντες σχῆμα, ἐπὶ τῷ τῆς ἀρχιερωσύνης * ἐβιβάζοντο ὄγκῳ ὕψει, καὶ τοῦτο πράττοντες παρεωρῶντο· ἀλλ' ὅμως ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος καὶ τοῦτο ῥυθμίζουσα τὸ παράπαν, καὶ πρὸς τὰς τῆς ἐκκλησιαστικῆς κατασάσεως δεσμὰς τὴν ἄτακτον ταύτην ἐπανάγουσα πρᾶξιν, ὥρισεν· ἵνα εἴτις ἐπίσκοπος, ἢ εἴτις ἄλλος τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀξιώματος, πρὸς τὸν μοναδικὸν καταλυθεῖν θελήσειε βίον, καὶ τὸν τῆς μετανοίας τόπον ἀναπληρῶσαι, μηκέτι τοῦτον τῆς ἀρχιερατικῆς ἀντιποιεῖσθαι ἀξίας. αἱ γὰρ τῶν μοναχῶν σωθεῖσαι ὑποταγῆς ἔχουσι λόγον καὶ μαθητείας, ἀλλ' οὐχὶ διδασκαλίας ἢ προεδρίας· οὐδὲ ποιμαίνειν ἄλλους, ἀλλὰ ποιμαίνεσθαι ἐπαγγέλλονται. διὸ καθ' ἃ προείρηται θεσπίζομεν, μηκέτι τινὰ τῶν ἐν ἀρχιερατικῷ καταλόγῳ καὶ ποιμένων ἐξεταζομένων εἰς τὴν τῶν ποιμαινομένων καὶ μετανοούντων χώραν ἑαυτὸν καταβιβάζειν· εἰ δέ τις τοῦτο τολμήσειε πρᾶξαι μὴ τὴν ἐκφώνησιν, καὶ διάγνωσιν τῆς νῦν ἐκφωνημένης ψήφου, αὐτὸς ἑαυτὸν τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀποστερήσας βαθμοῦ, ἐκέτι πρὸς τὸ πρότερον, ὅπερ διὰ τῶν ἔργων ἠθέτησεν, ἀξίωμα ἐπανασρέψει.

Κεφάλ. Γ'. Εἴτις τῶν λαϊκῶν αὐθεντήσας, καὶ καταφρονήσας μὲν τῶν θείων καὶ βασιλικῶν προσαγμάτων, καταγελάσας δὲ καὶ τῶν φερόντων τῆς ἐκκλησίας δεσμῶν τε καὶ νόμων, τολμήσειεν ἐπίσκοπόν τινα τύψαι ἢ φυλακίσαι, ἢ χωρὶς αἰτίας, ἢ συμπλασάμενον αἰτίαν, ὁποιονοῦν ἀνάθεμα ἔστω. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν. ἀνάθεμα.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς * εἶπεν· ἐπειδὴ πάντα ὅσα ἔδει πραχθῆναι ἐν ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, δόξαντος μὲν Θεοῦ, συνεργίᾳ δὲ τῶν μεγάλων καὶ ὑψηλῶν βασιλέων ἡμῶν, ἐπινεύσει δὲ καὶ συναινέσει τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης τοῦ πνευματικοῦ ἡμῶν ἀδελφοῦ καὶ πατρὸς, διὰ τῆς παρουσίας τῶν αὐτοῦ ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν, καὶ τῶν λοιπῶν τριῶν ἀνατολικῶν θρόνων· ἐπεὶ τοίνυν πέρας αἴσιον καὶ οἷον δίχης ἔργον γέγοιτ' ἂν εἰληφεν, δίχα εἰσέμου τῷ ὑπεραγάθῳ καὶ φιλανθρώπῳ Θεῷ, τῷ τὰ σκάνδαλα ἐκ μέσου ποιησαμένῳ * τῷ χισματικῷ πλάνῳ, τὰ διεσῶτα συνάψαντι, τῷ ὁμονοίαν ταῖς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις βραβεύσαντι. εἰ δέ τι ἐνδεῖ τῶν ὀφειλόντων συγκατατραχθῆναι, καὶ τοῦτο ἡ ὑμετέρα φιλόχριστος ὁμηγυρις σπουδῇ, χρεών ἐστι καὶ τοῦτο διὰ τῆς πάντων δίχης καὶ συνεργίας τὸ οἰκεῖον τέλος ἀπολαβεῖν.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀναμνησθήτω ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ὡς ἐν τῇ προλαβούσῃ συνελεύσει τῆς ὑμῶν ὁσιότητος, κατ' ἐνώπιον τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης, τὸ ἐπιδοθὲν ἡμῖν κομμονιτόριον παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα ἀναγνωσθὲν, περιεῖχε καὶ ὑπογραφὰς τῶν εὑρεθέντων ὁσιωτάτων ἐπισκόπων ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ παρὰ Ἰωάννου ἁγιωτάτου πάπα ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ, ἐπὶ τῇ ἀποδοχῇ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ ἐπὶ τῇ ἀποβολῇ τῶν κατ' αὐτοῦ

αὐτῦ γραφόντων ἢ λαληθόντων· καὶ ἐπὶ ἀφορισμῷ μᾶλλον τῶν ἑαυτὸς ἀποδιϊσώντων τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν * ἁγίας τῦ Θεῦ ἐκκλησίας. ἀποδοχῇ δὲ τῶν μετανοούντων, καὶ εἰλικρινῶς καταφευγόντων εἰς τὴν αὐτῦ ἄσπλαγχνίαν. παρακαλοῦμεν τοίνυν τὴν ὑμῶν ἁγίαν συνέλευσιν μετὰ * συναιρέσεως καὶ βουλῆς ἁπάντων τὰ αὐτὰ πραχθῆναι κἀνταῦθα. καὶ διὰ τῆς οἰκείας ἐξ ἰδιοχείρου γραφῆς ἕκαστον ὑμῶν ἐπικυρῶσαι καὶ ἐπιβεβαιῶσαι τὰ παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ταύτης συνόδου κοινῇ ψήφῳ πραχθέντα τε καὶ τελεσθέντα. ὅσον μὲν γὰρ ἐπὶ εἰς δύναμιν ἡμῶν, διὰ πολλῆς σπουδῆς ἐθέμεθα, κατὰ τὴν πρέσαξιν τῦ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰωάννου τῦ ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης, πάντα τὰ πρώην ἀναφυέντα ἐν τῇ τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίᾳ σκάνδαλα καὶ ζιζάνια ἐξᾶραι· καὶ εἰρήνην ταύτην, Θεῦ συνεργίᾳ, βραβεῦσαι. εἰ δέ * ἐστι κεκρυμμένον, ὃ ἡμεῖς ἀγνοοῦμεν, καὶ ὑπελείφθη, γινώσκομεν δυνατὸν ὄντα ἐν τε λόγοις καὶ ἔργοις τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην κύριον Φώτιον ταῦτα διορθώσασθαι, καὶ τοὺς ἔτι ἀποκλίνοντας ἐξ ἀφροσύνης παιδαγωγῆσαι, καὶ διδάξαι, καὶ νουθετῆσαι, καὶ τῇ ἁγίᾳ αὐτῦ ἐκκλησίᾳ συμβιβάσαι· τοὺς δὲ ἀνίατα νοσοῦντας μετὰ δικαιοσύνης καὶ τῆς πρεπούσης ἐπιτιμίας ὑπεξελθεῖν. ἰδοὺ γὰρ ἐξουσίαν καὶ πρὸ τῆς ἡμῶν ἐλεύσεως παρὰ Θεῦ λαβὼν εἶχε, ταύτην διὰ τῆς ἐντολῆς τῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐδιπλασίασε. καὶ ὅπως αὐτὸν ἔχομεν καὶ θεωροῦμεν καὶ ἀποδεχόμεθα, ὡς αὐτὸν τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην.

A fuerunt, & pro excommunicandis iis, qui semetipsos segregarent a sancta Dei ecclesia Constantinopolitana; suscipiendis autem pœnitentibus, & iis qui sincere confugient ad ipsius misericordiam. Rogamus igitur vestrum sanctum cœtum, ut assensu & ex sententia omnium eadem fiant etiam hic, & per subscriptionem propria manu factam unusquisque vestrum confirmet ac rata habeat quæ sunt a sancta & œcumenica hac synodo communi suffragio facta & consummata. Quantum enim in nostra potestate fuit, multum operæ posuimus, secundum mandatum magni Pontificis Joannis sanctissimi Papæ Romæ, ut omnia quæ non ita pridem enata sunt in ecclesia B Constantinopolitana scandala & zizania tollerentur, & pax, Deo pariter favente, concederetur. Si vero est aliquid occultum, quod nos nescimus, & suspectum sit, scimus posse sermone & opere sanctissimum patriarcham dominum Photium hæc recte disponere: & eos qui adhuc diffident ex amentia, erudire ac docere, & instituere, & ecclesiæ suæ sanctæ coagmentare: eos autem qui insanabiliter ægrotant, cum justitia subjicere convenienti pœnitentiæ. Quam enim potestatem etiam ante nostrum adventum a Deo acceptam habuit, hanc per mandatum sanctissimi Papæ duplicavit: & sic ipsum habemus & spectamus & C suscipimus, ut ipsum sanctissimum Papam Joannem.

ANNO CHRISTI 879.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· καὶ ἡμεῖς εἰς πατέρων ὑμᾶς ἀποδεχόμεθα μοῖραν, καὶ τοποτηρητὰς χρηματίζοντας τῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου τῦ πνευματικῦ ἀδελφῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν. μάλιστα ὅτι καὶ πάσας τὰς ἐντολὰς αὐτῦ σπουδῇ ἐκτελέσαι * ἐπεδείξασθαι· καὶ ἀγῶνα καὶ μόχθον ὐ τὸν τυχόντα κατεβάλεσθε, ὥστε ἐξᾶραι τὰ ζιζάνια καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τῦ πονηρῦ ἀναφυέντα ἐν ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ τῦ Θεῦ ἐκκλησίᾳ. ἐν τοιαύτῃ οὖν ὑμᾶς τιμῇ καὶ τάξει ἔχοντές τε καὶ λογιζόμενοι, μετὰ βουλῆς καὶ συναινέσεως ὑμῶν, ὥσπερ καὶ μέχρι νῦν πάντα διεπραξάμεθα, οὕτω καὶ ἀπὸ τῦ νῦν περὶ τῶν λοιπῶν τῆς * ἡμετέρας βουλῆς καὶ παραινέσεως συνεφαπτομένης πραγματευσόμεθά τε καὶ τελέσομεν.

Photius sanctissimus patriarcha dixit: Et nos loco patrum vos suscipimus, qui legati vocamini sanctissimi Papæ Joannis, spiritalis fratris & patris nostri: quoniam præsertim maximum studium prætulistis perficiendi omnia mandata ejus: curamque & laborem non minimum suscepistis, ut zizania & scandala tollerentur, quæ malignus oriri fecerat in hac sancta Dei ecclesia. In tali igitur vos honore & ordine habentes ac reputantes, cum consilio & assensu vestro, quemadmodum hactenus omnia egimus, sic etiam in posterum circa reliqua vestro consilio & assensu adjuvante tractabimus ac perficiemus.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων εἶπον· οὐδὲ ἡ ἡμετέρα πρὸς αὐτὸν ἐν πνεύματι ἁγίῳ σχέσις ἐλάττων τῆς ὑμῶν πρὸς αὐτὸν διαθέσεως εὑρεθείη ἄν. καὶ γὰρ ἡ ἁγία τῶν Ἱεροσολύμων ἐκκλησία, ἥτε τῶν Ἀντιοχέων καὶ Ἀλεξανδρέων οὐδέποτε ἀπεβάλετο ἢ ἀπηρνήσατο, μὴ ἔχειν αὐτὸν τοῦτον τὸν ἁγιώτατον Φώτιον ἐνομώτατον καὶ κεκανονισμένον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως, ἐξότε καὶ εἰς τὸν ἱερὸν τοῦτον θρόνον ἀνεβιβάσθη. ἀλλὰ καὶ τοὺς τολμήσαντας ψευδῶς τοποτηρητῶν ὀνόματα ἑαυτοῖς ἐπιθεῖναι, καὶ κατὰ τὸ ἁγίῳ τούτῳ ἀνδρὶ ἄθεσμα ἐνταῦθα πρᾶξαι, τούτους οἱ εἰρημένοι ἁγιώτατοι θρόνοι ἀποβαλόμενοι, τῷ ἀναθέματι παραδεδώκασι. καὶ ἐγὼ δὲ ὁ ταπεινὸς Ἠλίας, εἴτι τολμήσω καὶ περὶ ἐμαυτῦ εἰπεῖν, πολλὰς φυλακὰς, καὶ ἐξορίας, καὶ κόπους, καὶ λιμοὺς, καὶ ἀτιμίας δι' αὐτὸν ὑπομεμένηκα, τὴν ἐντολὴν μὲν τῦ Θεῦ ἀποπληρῶν, ἔπειτα δὲ καὶ τὸν ἁγιώτατον Πατριάρχην Ἱεροσολύμων τὸν καὶ ἀποσείλαντός με ἐνταῦθα.

Sanctissimi legati sedium Orientalium dixerunt: Neque noster erga ipsum in Spiritu sancto affectus inferior invenietur vestro erga ipsum affectu. Nam sancta Hierosolymorum ecclesia, & Antiochensium, & Alexandrinorum, nunquam recusavit aut refugit habere hunc ipsum sanctissimum Photium legitimum maxime & canonice electum patriarcham Constantinopoleos, ex quo in hanc sacram sedem promotus est: sed etiam eos qui ausi sunt E falso legatorum nomina sibi sumere, & contra sanctum hunc virum impia hic agere, hos prædictæ sanctissimæ sedes abjecerunt & anathematizaverunt. Et ego certe humilis Elias, si quid ausim de me ipso dicere, carceres multos & exsilia & labores & famem & ignominias propter ipsum sustinui, Dei mandatum implens, & sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum, qui huc me misit.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ, ὅτι τοιοῦτον ἡμῖν ἀρχιερέα καὶ ἀρχιποίμενα διὰ μεσιτείας τῶν ὑψηλῶν καὶ μεγάλων βασιλέων ἡμῶν, καὶ συ-

Sancta synodus dixit: Deo gratias agimus, quod talem nobis Pontificem & summum pastorem, interventu celsissimorum magnorum-

que

ANNO CHRISTI 879.

que Imperatorum nostrorum, & opera sanctissimi Papæ Joannis, ac vestræ sanctitatis, Deus nobis largitus est.

Postea accipientes Paulus & Eugenius & Petrus sanctissimi legati antiquæ Romæ membranas, subscripsit unusquisque eorum. Et postquam subscripserunt, per interpretem omnibus audientibus legerunt subscriptiones, quæ sic continebant:

Paulus minimus episcopus sanctæ Anconitanæ ecclesiæ, & legatus sanctæ Apostolicæ sedis & domini mei Joannis beatissimi sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ ecclesiæ summi Pontificis & œcumenici Papæ, in hac sancta & universali synodo, juxta mandatum, præceptum, & consensum sanctissimi Apostolici & œcumenici nostri Papæ Joannis, & assensum sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, & consensum legatorum ceterarum trium Pontificalium sedium, & cum suffragio ejusdem sanctæ & œcumenicæ synodi, suscipio hunc venerabilem Photium, legitimum & canonice electum patriarcham, in Pontificalem dignitatem, & communico ei, juxta tenorem literarum, & verba Commonitorii. Abjicio autem & anathematizo synodum quæ coacta fuit contra ipsum in hac sancta Constantinopolitana ecclesia; quemadmodum & quæcumque adversus eumdem facta sunt, temporibus Hadriani piæ memoriæ, olim Papæ Romæ, juxta capitulum Commonitorii, abrogo, anathematizo, & rejicio, nec in numero synodorum ullo pacto hanc repono. Porro si contingat quospiam scindere ecclesiam Dei sanctam, & aversari suum summum pastorem & œcumenicum patriarcham sanctum Photium, sint illi separati a sancta Dei ecclesia, & excommunicati permaneant, donec revertantur ad sanctam Dei ecclesiam, & communicent cum sancto & œcumenico patriarcha, & sint consentientes sedi Apostolicæ. Præterea factam Nicææ secundo sanctam & œcumenicam synodum de sanctis ac reverendis imaginibus, temporibus piæ memoriæ Hadriani, qui fuit olim Papa Romæ, & sub Tarasio Constantinopolitanæ ecclesiæ sanctissimo patriarcha, sanctam & œcumenicam septimam appellans, & sanctis sex synodis connumerans, propria manu subscripsi.

Hæc eadem etiam Eugenius Dei amantissimus episcopus sanctæ ecclesiæ Ostiensis: & Petrus religiosissimus presbyter & cardinalis propria manu subscripsit. Quoniam autem ad confirmationem & agnitionem eorum quæ scripta sunt, ut superius dictum est, subscriptiones sanctissimorum legatorum antiquæ Romæ lectæ fuerunt, post lectionem sancta synodus respondit: Benedictus Deus, qui opera sanctissimi Papæ Joannis per vos univit sanctam suam Catholicam & Apostolicam ecclesiam. Deinde accipientes Orientalium sedium sanctissimi legati, Basilius Dei amantissimus metropolita Martyropoleos, & sedis Antiochenæ ecclesiæ locum obtinens; & Elias religiosissimus presbyter & responsalis Alexandriæ, propria manu quisque eorum subscripsit sic:

A νεργίας τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου, καὶ τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης, ὁ Θεὸς ἐχαρίσατο.

Εἶτα λαβόντες Παῦλος καὶ Εὐγένιος καὶ Πέτρος οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης τὰς μεμβράνας, ὑπέγραψεν ἕκαστος αὐτῶν. ἔπειτα μετὰ τὸ ὑπογράψαι, δι' ἑρμηνέως εἰς ἐπήκοον πάντων τὰς ὑπογραφὰς ἀνέγνων, περιεχούσας οὕτως.

Παῦλος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας τῶν Ἀγκωνιτῶν ἐκκλησίας, καὶ * πρέσβης τοῦ ἁγίου ἀποστολικοῦ θρόνου, καὶ τοῦ δεσπότου μου Ἰωάννου τοῦ τρισμακαρίστου τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας τοῦ ἀκροτάτου ἀρχιερέως, καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα, ἐν ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, B ἅπερ κατὰ τὴν ἐντολὴν, προσταξίν τε, καὶ συναίνεσιν τοῦ ἁγιωτάτου ἀποστολικοῦ καὶ οἰκουμενικοῦ ἡμῶν πάπα Ἰωάννου, καὶ συναινέσει τῆς ἁγίας τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ συμφωνίᾳ τῶν τοποτηρητῶν τῶν ἑτέρων τριῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων, καὶ σὺν ἐπιψηφίσει ταύτης τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, ἀποδέχομαι τοῦτον τὸν σεβασμιώτατον Φώτιον ἔννομον καὶ κεκανονισμένον πατριάρχην εἰς τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξίωμα, καὶ συγκοινωνῶ αὐτῷ κατὰ τὴν τῶν ἐπιστολῶν ὑφὴν, ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ τοῦ κομμονιτορίου ῥητόν. ἀποβάλλομαι δὲ καὶ ἀναθεματίζω τὴν κατ' αὐτοῦ συστᾶσαν συνόδον ἐν τῇ τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ· ὡσαύτως καὶ ἅπαντα τὰ πραχθέντα κατ' αὐτοῦ ἐν τοῖς καιροῖς τοῦ C ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ Ἀδριανοῦ τοῦ πάλαι πάπα Ῥώμης, κατὰ τὸ κεφάλαιον τοῦ κομμονιτορίου καταργῶ, ἀναθεματίζω, καὶ ἀποβάλλομαι, καὶ ἐν ἀριθμῷ συνόδων οὐδαμῶς ταύτην καταψηφίζω. ἔτι δὲ εἰ συμβῇ τινὰς ἀποχίζειν τὴν ἁγίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, καὶ ἀποστρέφεσθαι τὸν ἴδιον ἀρχιποίμενα καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην τὸν ἅγιον Φώτιον, εἶναι κεχωρισμένους ἀπὸ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ ἀκοινωνήτους διαμένειν, μέχρις ἂν ὑποστρέψωσιν ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ, καὶ συγκοινωνήσωσι τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ, καὶ ὁμονοήσωσί τε καὶ ὁμόφρονες γένωνται τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου. ἔτι δὲ τὴν γενομένην ἐν Νικαίᾳ τὸ ϛ'. ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν συνόδον περὶ τῶν ἱερῶν καὶ σεβασμίων εἰκόνων, ἐν τοῖς καιροῖς τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ Ἀδριανοῦ τοῦ προτέρου πάπα Ῥώμης, καὶ ἐπὶ Ταρασίου τοῦ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ἁγιωτάτου πατριάρχου, ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν ζ'. ἀποκαλῶν, καὶ ταῖς ἁγίαις ϛ'. συνόδοις ἀριθμῶν, ἰδιοχείρως ὑπέγραψα.

Τὰ αὐτὰ δὴ ταῦτα καὶ Εὐγένιος ὁ θεοφελέστατος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Ὀστησίων· καὶ Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις ἰδιοχείρως ὑπέγραψεν. ἐπειδὴ δὲ εἰς βεβαίωσιν καὶ E γνῶσιν τῶν γεγραμμένων, ὡς ἀνωτέρω λέλεκται, τὰ τῆς ὑπογραφῆς τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀνεγνώσθη, μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, ὁ συνεργίᾳ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου δι' ὑμῶν ἑνώσας τὴν ἁγίαν αὐτοῦ καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. εἶτα λαβόντες καὶ οἱ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ, Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως, καὶ τὸν * θρόνον τῆς Ἀντιοχείας ἐπέχων ἐκκλησίας· καὶ Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων· ἔτι δὲ καὶ Κοσμᾶς ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος Ἀλεξανδρείας, ἰδιοχείρως ἕκαστος αὐτῶν ὑπέγραψαν οὕτως.

Βα-

Βασίλειος ἐλέῳ Θεοῦ μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συμφωνῶν, μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ ταύτης ὕτω φρονῶν, ἀποδέχομαι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιερέα Θεοῦ πατριάρχλυ ὄντα νόμον καὶ κεκανονισμένον, καθὼς ἀπεδέξατο αὐτὸν Θεοδόσιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Ἀντιοχείας, ὑφ' οὗ καὶ ἀπεστάλλω, καὶ οἱ λοιποὶ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι. τοὺς δὲ μὴ ἀποδεχομένους αὐτὸν παραπλησίως ἡμῖν, ἢ τολμῶντας ἐξ αὐτοῦ ἀποχίζειν, ἀναθεματίζων καὶ ἀποστρεφόμενος· καὶ πάντα τὰ κατ' αὐτοῦ συσάντα ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ καὶ παρ' οἱουδήποτε προσώπου, τῷ αὐτῷ καθυποβάλλων ἀναθέματι. ἔτι δὲ καὶ τλῳ ἐν Νικαίᾳ τῷ ϛ'. κατὰ τῶν εἰκονομάχων συσᾶσαν σύνοδον ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν ζ'. σύνοδον ἀνακηρύττων, ἰδιοχείρως ὑπέγραψα.

Ἠλίας ἐλέῳ Θεοῦ μοναχὸς πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς τῆς τοῦ Ἱεροσολύμων ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συμφωνῶν, μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ ταύτης ὕτω φρονῶν, ἀποδέχομαι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιερέα Θεοῦ πατριάρχλυ ὄντα νόμον καὶ κεκανονισμένον, καθὼς ἀπεδέξατο αὐτὸν ὅ,τε ἐν ἁγίοις Θεοδόσιος πατριάρχης Ἱεροσολύμων, καὶ ὁ διάδοχος αὐτοῦ Ἠλίας ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης τῆς αὐτῆς ἱεραρχίας, καὶ οἱ λοιποὶ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι. τοὺς δὲ μὴ ἀποδεχομένους αὐτὸν παραπλησίως ἡμῖν, ἢ τολμῶντας ἐξ αὐτοῦ ἀποχίζειν, ἀναθεματίζων καὶ ἀποστρεφόμενος· καὶ πάντα τὰ κατ' αὐτοῦ συσάντα ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ καὶ παρ' οἱουδήποτε προσώπου, τῷ αὐτῷ καθυποβάλλων ἀναθέματι. ἔτι δὲ καὶ τλῳ ἐν Νικαίᾳ τῷ ϛ'. κατὰ τῶν εἰκονομάχων συσᾶσαν σύνοδον ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν ζ'. σύνοδον ἀνακηρύττων, ὑπέγραψα ἰδιοχείρως.

Κοσμᾶς ἐλέῳ Θεοῦ μοναχὸς πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος Ἀλεξανδρείας τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συμφωνῶν, μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ ταύτης ὕτω φρονῶν, ἀποδέχομαι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιερέα Θεοῦ πατριάρχλυ ὄντα νόμον καὶ κεκανονισμένον, καθὼς ἀπεδέξατο αὐτὸν ὅ,τε ἐν ἁγίοις Μιχαὴλ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, καὶ ὁ διάδοχος αὐτοῦ καὶ ὁμώνυμος Μιχαὴλ ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης τῆς αὐτῆς ἱεραρχίας, καὶ οἱ λοιποὶ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι. τοὺς δὲ μὴ ἀποδεχομένους αὐτὸν παραπλησίως ἡμῖν, ἢ τολμῶντας ἐξ αὐτοῦ ἀποχίζειν, ἀναθεματίζων καὶ ἀποστρεφόμενος· καὶ πάντα τὰ κατ' αὐτοῦ συσάντα ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ καὶ παρ' οἱουδήποτε προσώπου, τῷ αὐτῷ καθυποβάλλων ἀναθέματι. ἔτι δὲ καὶ τλῳ ἐν Νικαίᾳ τῷ β'. κατὰ τῶν εἰκονομάχων συσᾶσαν σύνοδον ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν ζ'. σύνοδον ἀνακηρύττων, ὑπέγραψα ἰδιοχείρως.

Ἐπὶ τούτοις καὶ οἱ θεοφιλέστατοι μητροπολῖταί τε καὶ ἐπίσκοποι οἰκείᾳ χειρὶ ὑπεσήμηναν ὕτως.

Προκόπιος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας κατὰ πάντα συμφωνῶν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, ἔπί τε τῇ ἀποδοχῇ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου παλεάρχου, καὶ ἀποβολῇ πάντων τῶν κατ' αὐτοῦ γραφέντων ἢ λαληθέντων· ἐπικυρῶν τε καὶ τλῳ ἐν Νικαίᾳ τῷ β'. γνωμοῦν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν συνόδον, ὑπέγραψα ἰδιοχείρως.

Γρηγόριος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Ἐφέσου κατὰ πάντα συμφωνῶν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, ἔπί τε τῇ ἀποδοχῇ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου παλεάρχου, καὶ ἀποβολῇ πάντων τῶν κατ' αὐτοῦ γραφέντων ἢ

A Basilius Dei misericordia metropolita Martyropoleos & legatus Antiochiæ, huic sanctæ & œcumenicæ synodo consentiens, quin potius etiam ante ipsam sic sentiens, suscipio Photium sanctissimum Dei Pontificem, patriarcham legitimum & canonice electum; quemadmodum suscepit eum Theodosius sanctissimus patriarcha Antiochiæ, a quo & missus sum; & ceteræ Pontificales sedes. Qui vero ipsum non suscipiunt ut nos suscepimus, aut qui ausi fuerint ab eo sejungere se, hos anathematizo & averſor: & quæcumque sunt contra eum constituta in quocumque loco & a quocumque homine, eidem anathemati subjicio. Præterea etiam Nicææ adversus Iconomachos congregatam synodum, sanctam & œcumenicam septimam synodum prædicans, propria manu subscripsi.

Elias misericordia Dei monachus presbyter & legatus Hierosolymitanæ sanctæ Dei ecclesiæ, sanctæ huic & œcumenicæ synodo consentiens, quin potius etiam ante ipsam sic sentiens, suscipio Photium sanctissimum Pontificem Dei, patriarcham legitimum & canonice electum; quemadmodum suscepit eum qui nunc inter sanctos degit Theodosius patriarcha Hierosolymorum, & successor ejus Elias sanctissimus patriarcha ejusdem sedis Pontificalis, & ceteræ Pontificales sedes. Qui vero non suscipiunt ipsum, sicuti nos suscepimus, aut qui ausi fuerint ab eo sejungere se, hos anathematizo & averſor: Et quæcumque sunt contra eum constituta in quocumque loco & a quocumque homine, eidem anathemati subjicio. Præterea etiam Nicææ secundo adversus Iconomachos congregatam synodum, sanctam & œcumenicam septimam synodum prædicans, subscripsi propria manu.

Cosmas misericordia Dei monachus presbyter & responsalis Alexandriæ, sanctæ huic & œcumenicæ synodo consentiens, quin potius etiam ante ipsam sic sentiens, suscipio Photium sanctissimum Pontificem Dei, Patriarcham legitimum & canonice electum, quemadmodum suscepit eum qui est inter sanctos Michael patriarcha Alexandriæ, & successor ejus ipsi cognominis Michael sanctissimus patriarcha ejusdem sedis Pontificalis, & ceteræ Pontificales sedes. Qui vero non suscipiunt ipsum, sicuti nos suscepimus, aut qui ausi fuerint ab eo sejungere se, hos anathematizo & averſor: Et quæcumque sunt contra eum constituta in quocumque loco & quocumque homine, eidem anathemati subjicio. Præterea etiam Nicææ secundo adversus Iconomachos congregatam synodum, sanctam & œcumenicam septimam synodum prædicans, subscripsi propria manu.

Post has etiam Dei amantissimi metropolitæ, & episcopi propria manu subsignarunt sic:

E Procopius Dei misericordia archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, in omnibus consentiens huic sanctæ & œcumenicæ synodo, in suscepti one Photii sanctissimi patriarchæ, & abolitione omnium quæ contra ipsum scripta dictave sunt; & confirmans sanctam atque œcumenicam synodum, quæ facta est Nicææ secundo, subscripsi propria manu.

Gregorius Dei misericordia archiepiscopus Ephesi, in omnibus consentiens huic sanctæ & œcumenicæ synodo, in suscepti one Photii sanctissimi patriarchæ, & abolitione omnium

quæ

ANNO CHRISTI 879.

ANNO CHRISTI 879.

quæ contra ipſum ſcripta dictave ſunt ; & confirmans ſanctam atque œcumenicam ſynodum, quæ facta eſt Nicææ ſecundo, ſubſcripſi propria manu.

Joannes miſericordia Dei metropolita Heracleæ, in omnibus conſentiens huic ſanctæ & œcumenicæ ſynodo, in ſuſceptione Photii ſanctiſſimi patriarchæ, & abolitione omnium quæ contra ipſum ſcripta dictave ſunt: & confirmans ſanctam atque œcumenicam ſynodum, quæ facta eſt Nicææ ſecundo, ſubſcripſi propria manu.

Et deinceps omnes Pontifices nominatim, qui in principio Actorum deſcripti ſunt, unuſquiſque ſimiliter propria manu ſubſcripſit. Et poſt ſubſcriptionem ſancta ſynodus multas gratiarum actiones pro his quæ facta fuerant Deo omnium bonorum auctorum auctori, & Imperatoribus, referens, in fauſtas erupit acclamationes : Multos annos Imperatoribus. Baſilio, Leoni, & Alexandro, multos annos. Eudociæ piiſſimæ Auguſtæ, multos annos. Stephano Porphyrogennetæ & a Deo electo Syncello, multos annos. Joanni & Photio ſanctiſſimis patriarchis, multos annos,

Ἀλαληθσάντων· ἐπιχυρώντε καὶ τῷ ἐν Νικαίᾳ τὸ β'. ἁγιομβύλῳ ἁγίαν καὶ οἰκυμβυικλὶὼ σύνοδον, ὑπέγραψα ἰδιοχείρως.

Γωάννης ἐλέῳ Θεῦ μητροπολίτης Ἡρακλείας κατὰ πάντα συμφωνῶν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκυμβυικῇ συνόδῳ, ἐπί τε τῇ ἀποδοχῇ Φωτίυ τῦ ἁγιωτάτυ πατριάρχυ, καὶ ἀποβολῇ πάντων τῶν κατ' αὐτῦ γραφέντων ἢ λαληθέντων· ἐπικυρώντε καὶ τῷ ἐν Νικαίᾳ τὸ ϛ'. ἁγιομβύλῳ ἁγίαν καὶ οἰκυμβυικλὶὼ σύνοδον, ὑπέγραψα ἰδιοχείρως.

B Καὶ καθεξῆς ἅπαντες οἱ ἀρχιερεῖς κατ' ὄνομα οἱ ἐν τῇ ἀρχῇ τῶν πρακτικῶν ὑφαλαμβανόμενοι, ἕκασ⊕ τὸ ὅμοιον ἰδιοχείρως ὑπέγραψε. Ϛ μὴ τῷ ὑπογραφῷ ἡ ἁγία σύνοδ⊕ πολλὰς εὐχαριςίας ὑπὲρ τῶν γεγυμνασμένων Θεῷ τῷ τῶν ἀγαθῶν αἰτίῳ, καὶ βασιλεῦσιν, ἀναπέμψασα, ἐπιφήμισε. πολλὰ τὰ ἔτη τῶν Ϛασιλέων. Βασιλείῳ, Λέοντ⊕, καὶ Ἀλεξάνδρῳ μεγάλων Ϛασιλέων καὶ αὐτοκρατόρων, πολλὰ τὰ ἔτη. Εὐδοκίας τῆς εὐσεβεςάτης Αὐγούσης, C πολλὰ τὰ ἔτη. Στεφάνῳ τῷ Πορφυρογεννήτῃ, καὶ θεοπροβλήτῳ συγκέλλῳ, πολλὰ τὰ ἔτη. Γωάννῃ καὶ Φωτίῳ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, πολλά. *

* Deci ἔτη.

ACTIO SEXTA.

MEnſe Martio, die tertia, Indictione XIII. præſidentibus piiſſimis & Chriſti amantibus noſtris Imperatoribus, Baſilio, Leone, & Alexandro, in percelebri palatio Triclinii aurei ; & cum illis conſidentibus Photio ſanctiſſimo patriarcha ; item Paulo & Eu-

ΠΡΑΞΙΣ ϛ'.

Μηνὶ Μαρτ. ἡμέρᾳ γ'. ἰνδικτιῶν⊕ ιγ'. προκαθεζομένων τῶν εὐσεβεςάτων καὶ φιλοχρείσων ἡμῶν βασιλέων, Βασιλείυ, Λέοντος, καὶ Ἀλεξάνδρυ, ἐν τῷ περιωνύμῳ παλατίῳ τῦ Χρυσοτρικλίνυ. καὶ συγκαθεζομένῳ⊕ αὐτοῖς Φωτίυ τῦ ἁγιωτάτυ πα-

---

Poſita de induſtria a Græculo quopiam adnotatio eſt; ut priores ſaltem actiones ſinceræ exhibeantur.

Scire oportet, poſtremas iſtas duas actiones, nempe quæ ſexta & ſeptima appellantur, confictas eſſe ab ipſomet Photio, nec vere factas fuiſſe. Et iſtud manifeſtum eſt, eo quod ſynodus abſoluta eſt, & definitio ab ipſa expoſita ſubſcriptionibus obſignata eorum eſt, qui ſynodum complebant. Verſatiſſimus enim cum eſſet vir ille, & maxime callidus, velletque rationi conſentaneam oſtendere cauſam ſchiſmatis ab ipſo renovati adverſus Catholicam & Apoſtolicam eccleſiam Romæ ; hoc eſt, additamentum in ſymbolo fidei, quod habet : *Ex Filio Spiritum procedere* : quod nimirum, ut ille putavit, errore magno adjectum eſt. Suſpicatus autem fore, ut ſi quid hac de re loqueretur ſynodo congregata, conturbarentur qui aderant legati antiquæ Romæ, qui & ſynodi præſides erant ; ac ſi conſequi non poſſet quod cuperet, præterea etiam ſynodo impedita, excideret ipſe ex Conſtantinopolitana ſede, quæ cauſa ſynodi cogendæ fuit : præſertim cum non poſſet, priuſquam veniam impetraret eorum, ob quæ dejectus de ſede fuerat, contra conſentientes linguam movere ; extremas duas iſtas Actiones ſuo Marte finxit, & reliquis quæ ſunt genuinæ connexuit ; & definitionem expoſuit convenientem ſuo propoſito, nihil videlicet eſſe adjiciendum ſymbolo.

Sed & illud præterea conſiderandum eſt : quod has Actiones confingens, etiam alia quædam in ipſis vaſre inſeruit. Primum quidem, in Imperatorem Baſilium has refert, quaſi nimirum inſtitutas ab ipſo poſt ſynodum : arbitratus hac ratione habituras illas ſimilitudinem veritatis ; ac defenſionem ſimul ſibimetipſi præparans, qua uteretur, ſi forte deprehenſa fraude ab eccleſia Romana, reus ab ipſa perageretur ; transferret enim cauſam in Imperatorem. Deinde quoniam in definitionem adjiciens : Siquidem detractio vel additio nullius per Maligni artes excitatæ hæreſis damnationem infert earum quæ condemnatæ ſunt, & dedecus infert patribus inexcuſabile : id quoque voluit defenſionem habere ſimiliter adverſus illam eccleſiam ; quoniam conſentientia ei loquitur, quæ contendit additionem à ſe factam eſſe propter quoſdam dubitantes de proceſſione Spiritus ſancti. Ac propterea communicat deinceps cum illa in omnibus, ut quidem videbatur, nec rationem habebat facti in ſymbolo addimenti : reipſa autem in animo vehementer ſchiſma adamabat.

Ἀνάγκη μὲν οὖν ἐςίν, ὡς αἱ πλάνται αὗται δύο πράξεις ὦσι ϛ'. καὶ ζ'. λεγόμεναι, πεπλασμέναι ἐσὶ παρ' αὐτῦ τῦ Φωτίυ, καὶ ὑ κατ' ἀλήθειαν πεπραγμέναι. καὶ τῦτο δῆλον ἐκ τῦ τῶν συνόδων ἀπαρτισθῆναι, καὶ τὸν παρ' αὐτῆς ἐκτεθέντα ὅρον ὑπογραφαῖς ἁγίων τῶν συνόδων συμπληρῶσαι σημειῶσαι. πολυτροπώτατος γὰρ ὢν ὁ ἀνὴρ ὦτος, καὶ πανουργότατος, ἐπὶ βέλτιστο μὲν εὔλογον δόξαι τῶν αἰτίαν τῦ καινοτομηθέντος ὑπ' αὐτῦ χίσματος πρὸς τῶν ἀγιωτάτων καθολικῶν καὶ ἀποσολικῶν ἐκκλησίαν τῆς Ῥώμης· πρέσει τῶν ἐν τῷ συμβόλῳ τῆς πίσεως προσθήκων, τῶν καὶ ἐκ τῦ υἱῦ λέγειν ἐκπερνίσθαι τὸ πνεῦμα· ὅτι δὴ ὧν ὡς ᾠήθη ἐκεῖνος, σφοδρῶς προσεπίθη· ὑποπτεύσας δέ, μὴ ἐὰν λαλήσῃ τι περὶ τύτων τῆς συνόδ⊕ συγκροτυμένης, πραχθήσονται αἱ ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης παραγενόμενοι λεγάτοι, οἱ καὶ τῆς συνόδ⊕ ἐξάρχοντες. καὶ πρὸς τὸ μὴ δυνηθῶσι δίκαι ὅσον ἐβέλετο, ἔτι καὶ τῆς συνόδου ἐμποδιθήσας ἐκπεσεῖν αὐτὸς τῦ θρόνυ Κωνσαντινοπόλεως, δι' ὃ συνεκρότει ἡ σύνοδος. ἅλως δ' ὅτι ὐ δ' ἐδύατο περὶν ἢ συγγνώμης τυχεῖν, ἐφ' οἷς ἤρξατο τῦ θρόνυ, κατὰ δὴ συγγνωμονήσαντων γλῶτταν κινῆσαι, πᾶς πλάνταις αὗτος δύο πράξεις, ἀφ' ἑαυτῦ πλάσας πᾶσι λοιπαῖς καὶ ἀληθέσι συνῆψε, καὶ ὅρον ἔθέτο συντόνως τῷ οἰκείῳ σκοπῷ, τῦ μή δέν προσιδεῖν τί τῷ συμβόλῳ.

Σκεπτέον δὲ ἔτι καὶ τῦτο, καὶ αὗτος γὰρ πλασογραφήσας, καὶ ἄλλα τινὰ ἐπανεργάσατο ἐν αὐταῖς. πρῶτον μὲν ὅτι ὡς τὸν βασιλέα Βασίλειον ἀναφέρει αὗτος, ὡς συςάσας δῆθεν ὑπ' ἐκείνυ μετὰ τὴν σύνοδον, νομίσας διά τῦτο δοκεῖν αὐταῖς ἴσχυς τι ἔχειν ἀληθείας, καὶ ἀπολογίαν ἅμα ἑαυτῷ προπαρασκευάσας ἔχειν, ὅπως γνωδῶσι τὸ πλάσματος τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς Ῥώμης ὡς ἀθωίυ ἀγειτο παρ' ἐκείνης, μεπατιθῶαι τὴν αἰτίαν ὡς τῶν βασιλέα. δεύτερον δ' ὅτι καὶ τῷ ὅρῳ προσθὶς ὡς ἡ ἀφαίρεσις καὶ ἡ προσθεσις μηδεμιᾶς ὑπὸ δὴ τῦ πονηρῦ τεχνασμάτων ἀνακινημένης αἱρέσεως καπάγνωσιν ἀσάγα τῶν ἀκαπαγνώσων, καὶ ὕβρεν δὴ πατέρων ἀναπολόγητον· ὅτ' αὐτὸ ἠβελήθη ἀπολογίαν ὁμοίως ἔχειν πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἐκείνυ, ὅτι σύμφωνα ταύτῃ λέγει, διαπεπυσμένη τὴν προσθήκην ὑπ' αὐτῆς γεγενῆσθαι διά τινας ἀμφιβάλλοντας περὶ τῆς τῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως. καὶ διὰ τῦτο κοινωνῶν μὲν ὡ ἔξης ἐπὶ πᾶσιν ἐκείνῃ τὸ φανόμενον, καὶ μηδένα λόγον τῆς ἐν τῷ συμβόλῳ προσθήκης ποιύμενος· τῇ δ' ἀληθείᾳ καὶ σφοδρα κατὰ ψυχὴν τὸ τῦ σχίσματος ἔςεργεν.

τριάρχᾳ· ἔτι δὲ Παύλῳ καὶ Εὐγλυΐῳ τῶν ἁγιωτά-
ἐπισκόπων, καὶ τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ρ'ώ-
ης, καὶ Πέτρῳ τῷ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρ-
ιάλεως· καὶ σὺν αὐτοῖς Βασιλείῳ μητροπολίτου
αρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητῷ τῆς Ἀντιοχέων ἐκ-
ησίας· Ἠλίᾳτε τῷ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ
οτηρητῷ Γεροσολύμων· καὶ Κοσμᾷ τῷ θεοσεβε-
τῳ πρεσβυτέρῳ καὶ ἀποκρισιαρίῳ Ἀλεξανδρείας· ὑ
ὺ δὲ ἄλλα καὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν καὶ
χιεπισκόπων συγκαθεδομένων· φημὶ δὴ Προκο-
ι Καισαρείας Καππαδοκίας, Γωάννου Ἡρακλείας,
ενικὴλ Ἀγκύρας, Γεωργίου Νικομηδίας, Ζαχα-
Χαλκηδόνος, Κυπριανῷ Κλαυδιουπόλεως, Νι-
ρόρου Καρίας, Παύλου Θεσσαλονίκης, Θεοφίλου
ονίου, Συμεὼν Λαοδικίας, Νικολάου Φιλίππων,
νατίου Ἱεραπόλεως, Γρηγορίου Σέλγης, Σάββα
ωρω, Στεφάνου Κυψέλλων, Νικήτᾳ Σμύρνης,
υκᾷ Βοσπόρου, Παύλου Χερσῶνος. Ὄντων ἀ-
ντων συγκαθεδομένων, Βασίλειος ὁ φιλόχριστος
σιλεὺς εἶπεν· ἔδει μὲν ἴσως τῇ συνηθείσῃ
ίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ παρουσιάσαι, καὶ μεθ'
ῶν τὰ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας τῶν τοῦ Θεοῦ ἐκκλη-
ῶν συγκατατρίψασθαί τε καὶ συνδιεξάγειν, κατε-
τίοντε παντὸς τοῦ ἀρχιερατικοῦ καὶ ἱερατικοῦ πληρώ-
τος· δι' οἰκείας ὑπογραφῆς τὰ δόξαντα ταύτῃ
ἱερᾶτε καὶ μεγάλῃ συνόδῳ σφραγίσαιτε καὶ ἐπι-
βεβαιῶσαι. πλὴν ἵνα μήτινες τῶν πρὸς μῶμους καὶ
δοξίας τὰς γλώττας ἑτοίμους ἐχόντων, τῆς ἡμε-
ρας ἐκ Θεοῦ βασιλείας τινὰ παρουσίαν ὕβρει τινὰ
πάψωσι τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ,
δὴ δόλαβείᾳ τινὶ τοῦ ἡμετέρου προσώπου, ἢ καὶ
ς ἐλπίδι, πρὸς τὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν πάντων
υδεδραμηκότων· δι' ἃ τοῦτο ἐκείναμεν ἵνα πρῶτον
θ' ἑαυτὸς ὑμῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ἀρχιερατικῶν θρό-
, καὶ παντὸς τοῦ πληρώματος τῆς ἐκκλησίας, τῆς
υθεν ῥοπῆς ὑμῖν συνεφαπτομένης, ἅπαντα κατὰ
θεῖον βάλημα καὶ τὴν ὑμετέραν ἐκάστου τε καὶ αὖ-
ίνητον γνώμην συντελεσάντων· ὅπως τὸ ὑμέτερον
ομοῤῥόβλητον κράτος τὰ παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰ-
μενικῆς συνόδου ὁμολογούμενα καὶ βεβαιούμενα συ-
τοδεξάμενόν τε καὶ συνεπικυρῶν, οἰκείᾳ χειρὶ ἐπι-
ραγίσῃ· πλὴν ἄμεινον ἡγοῦμαι, εἰ καὶ ὑμῖν συν-
τεῖ, πάντων ἐν ὁμονοίᾳ τε καὶ βαθείᾳ εἰρήνῃ σώ-
ντων, καὶ Χριστῷ τῇ πάντων κεφαλῇ συναφθέν-
ν, καὶ ὅρον τινὰ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ φρονήματος ἀ-
ρωνηθῆναι, ὃ κανόνα τινα καὶ παρείσακτον, ἀλλ' ὃν
ἁγία καὶ μεγάλη ἐν Νικαίᾳ σύνοδος ἐθεμελίω-
, καὶ αἱ λοιπαὶ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι συ-
πωκοδόμησάν τε καὶ συνεκρότησαν.

Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρ-
ροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· ἄξιον
δικαιόν ἐστι τῆς σχισμάτων καὶ σκανδάλων ἀπὸ πά-
ης ἐκκλησίας ἀνῃρημένων, προνοίᾳ μὲν καὶ σπουδῇ,
φιλόχριστε ἡμῶν βασιλεῦ, τῇ σῇ, ἀρχαῖς δὲ καὶ
θήσεσι ταῖς πρὸς Θεὸν τοῦ πνευματικοῦ σου πατρὸς
ἡμῶν ἁγιωτάτου πατριάρχου Φωτίου, καὶ τὸν ὅρον
τινὸν καὶ τὸν αὐτὸν ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην εἶναι,
καθάπερ καὶ μέχρι νῦν ἐστι, καὶ ὑπὸ τῆς παρούσης τοῦτον
βεβαιωθῆναι τὴν σύνοδον.

Οἱ παρόντες ἀρχιερεῖς τοῦ Θεοῦ εἶπον· ὃν ἅπαν-
τρόπον ὀφείλει ὁ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου ὅρος,
καὶ αἱ λοιπαὶ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι ἐπε-
ρωσάν τε καὶ ἐπωκοδόμησαν, τοῦτον καὶ ἐν ταύτῃ τῇ με-

genio sanctissimis episcopis & legatis antiquæ Romæ, & Petro religiosissimo presbytero & cardinali: & cum ipsis, Basilio metropolita Martyropoleos & legato Antiochenæ ecclesiæ; Elia religiosissimo presbytero & legato Hierosolymorum; & Cosma religiosissimo presbytero & responsali Alexandriæ: quin etiam Dei amantissimis metropolitis & archiepiscopis considentibus: Procopio, inquam, Cæsareæ Cappadociæ, Joanne Heracleæ, Daniele Ancyræ, Georgio Nicomediæ, Zacharia Chalcedonit, Cypriano Claudiopoleos, Nicephoro Cariæ, Paulo Thessalonicæ, Theophilo Iconii, Symeone Laodiceæ, Nicolao Philipporum, Ignatio Hierapoleos, Gregorio Selgæ, Sabba Apri, Stephano Cypsellorum, Niceta Smyrnæ, Luca Bospori, Paulo Chersonis. His omnibus considentibus, Basilius Christi amantissimus Imperator, dixit: Oportebat quidem fortassis congregatæ sanctæ & œcumenicæ synodo nos adesse præsentes, & vobiscum pacem atque concordiam ecclesiarum Dei conciliare ac transigere, & coram universo Pontificali ac sacerdotali cœtu per propriam subscriptionem quæ visa sunt huic sacræ & magnæ synodo obsignare & confirmare. Verum ne eorum aliqui qui ad vituperationem & maledicentiam linguas habent paratas, nostri Imperii præsentiam afferre dedecus dicerent huic sanctæ & œcumenicæ synodo, tanquam reverentia quadam nostræ personæ aut violentiæ metu ad pacem & concordiam omnes concurrissent: idcirco æquum esse censuimus, ut postquam prius seorsum vos & aliæ sedes Pontificales & omnis cœtus ecclesiæ, ope divina vobis cælitus suffragante, juxta divinam voluntatem & vestram voluntariam ac liberam sententiam omnia consummassetis; tunc nostrum a Deo electum Imperium, quæ a sancta & œcumenica synodo definita fuissent & confirmata, simul susciperet & confirmato, & manu propria obsignaret. Porro satius arbitramur, si vobis etiam ita videtur, omnibus in concordia & alta pace unitis, & Christo, qui est omnium caput, conjunctis, etiam formulam quamdam ecclesiastici sensus proferri, non recentem aliquam & subintroductam, sed qualem sancta & magna Nicæna synodus veluti pro fundamento posuit, & super quam ceteræ sanctæ atque œcumenicæ synodi ædificarunt, & quam comprobarunt.

ANNO CHRISTI 879.

Basilius Dei amantissimus metropolita Martyropoleos & legatus Antiochiæ, dixit: Dignum & justum est, schismatibus & scandalis ab omni ecclesia sublatis, providentia quidem & solicitudine, Christi amantissime noster Imperator, tua; orationibus vero ac precibus apud Deum spiritalis patris tui & nostri sanctissimi patriarchæ Photii, ut hæc definitio communis & eadem sit per totum orbem terrarum, quemadmodum usque nunc est, eademque a præsenti synodo confirmetur.

Pontifices Dei præsentes dixerunt: Omni modo debet Nicænæ synodi formula, quam & ceteræ sanctæ atque œcumenicæ synodi confirmarunt, & super quam ædificarunt, etiam in

ANNO CHRISTI 879.

hac magna & œcumenica synodo legi. Sanctissimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Quemadmodum præcepit, qui ex Deo est, magnus Imperator noster, & fratribus atque consacerdotibus nostris placuit, expedit ut non alia formula de novo cudatur, sed ipsa vetus, & toto terrarum orbe recepta & glorificata, legatur & confirmetur. Photius sanctissimus patriarcha dixit: Secundum judicium omnium fratrum & consacerdotum nostrorum, legatur. Igitur invitatus Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius, legit:

„ Domini & Servatoris nostri Jesu Christi
„ venerandam ac divinam doctrinam mentis si-
„ nu, indubitata sententia, & in fidei puritate
„ fundati, & sanctorum ipsius discipulorum at-
„ que Apostolorum sacras constitutiones & ca-
„ nonicas regulas coæquantes & conservantes;
„ sed & sanctarum atque œcumenicarum sex
„ synodorum quippe quæ ejusdem & unius san-
„ cti Spiritus afflatu dirigerentur & proveherentur, prædicationem & canonicas sanctiones, illæsas & integras, sincera & immota
„ sententia, venerantes & observantes; rejicimus quidem quos ex ecclesia ejecerunt: amplectimur autem & dignos censemus suscipi, quos utpote ejus secum sententiæ, & pietatis magistros, dignos honore & sancta veneratione pronunciarunt. Ita de his sentientes & prædicantes, jam olim a patribus, quæ & usque ad nos descendit, sinceriſſimam fidei Christianæ formulam, lingua & mente complectimur, & omnibus clara voce adnunciamus; nihil detrahentes, nihil adjicientes, nihil immutantes, nihil adulterantes. Detractio enim & additio, nullius per Maligni artes introductæ hæresis condemnationem infert ex his quæ sunt damnatæ, & contumeliam Patrum induit inexcusabilem. Adulterinis autem vocibus immutare patrum definitiones, longe quid priore atrocius est. Quamobrem fidei definitionem quæ fuit ab initio, divino affectu & rectitudine mentis, sancta & œcumenica hæc synodus complectens & celebrans, & salutis soliditatem super eam fundans & ædificans, sic sentire & prædicare omnibus clamat: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem*, & reliqua usque ad finem.

Apud Beveregium est symbolum Constantinopolitanum.

„ Sic sentimus: in hac fidei confessione baptizati sumus: per ipsam sermo veritatis omnem hæresim fractam & eversam ostendit: sic sentientes fratres & patres, cohæredes supernæ civitatis adscribimus. Si quis autem
„ aliam expositionem, præter hoc sacrum symbolum superius a beatis & sanctis patribus
„ nostris usque ad nos deductum, ausus fuerit conscribere, & definitionem fidei nuncupare, honore spoliare divinorum illorum virorum confessionem, & hunc asserere suis verbosis inventis, & illud symbolum proponere commune fidelibus, aut ex aliqua hæresi conversis, & verbis adulterinis aut additamentis, aut detractionibus, vetustatem hujus sacræ ac venerandæ definitionis corrumpere ausus fuerit; hanc per hanc nostram & ante nos pronunciatam sententiam
„ a sanctis & œcumenicis synodis, qui quidem
„ e sacro ordine fuerit, omnimodæ depositio-

Ἀγάλλῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ ἀναγνωσθῆναι. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ὡς ἐκέλευσεν ὁ ἐκ Θεοῦ μέγας βασιλεὺς ἡμῶν, καὶ ἤρεσε τοῖς ἀδελφοῖς καὶ συνιερεῦσιν ἡμῶν, πρέπον ἐστὶ μὴ ἕτερον ὅρον καινουργηθῆναι, ἀλλ' αὐτὸν τὸν ἀρχαῖον καὶ ἀνὰ πᾶσαν τιμὴν οἰκουμενικῶν κρατύνοντα καὶ δοξαζόμενον ἀναγνωσθῆναί τε καὶ ἐπιβεβαιωθῆναι. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· κατὰ τὴν κρίσιν πάντων τῶν ἀδελφῶν καὶ συνιερέων ἡμῶν, ἀναγινωσκέσθω. καὶ δὴ προσκαπεὶς Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος, ἀνέγνω.

Τὸ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τιμιωτάτη καὶ θεία διδασκαλία τοῖς τῆς διανοίας κόλποις, ἀδιστάκτῳ γνώμῃ, καὶ πίστεως τεθεμελιωμένοι καθαρότητι, καὶ τῶν αὐτοῦ ἁγίων μαθητῶν καὶ ἀποστόλων τὰς ἱερὰς διατάξεις καὶ τοὺς κανονικοὺς τύπους ἀπλανεστάτῃ κρίσει * συνεξομοιοῦντες τὸ καὶ συνδιασώζοντες, ναὶ δὴ καὶ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν ζ'. συνόδων, ὡς τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς ἁγίου πνεύματος ταῖς ἐπιπνοίαις ἰθυνομένων τε, καὶ ἐνεργουμένων, τὸ κήρυγμα καὶ τοὺς κανονικοὺς θεσμοὺς ἀπαραξέωτούς τε καὶ ἀκαπηλεύτους, εἰλικρινεστάτῃ τε καὶ ἀκλονήτῳ δόξῃ τιμῶντες, καὶ συνδιαφυλάττοντες, ἀποβαλλόμεθα μὲν οὓς ἐξεκκλησίασαν· σέργομεν δὲ καὶ ἀποδοχῆς ἀξίους ἔχομεν, ὅς οἷα δὴ ὁμοδόξους ἢ καὶ τῆς εὐσεβείας καθηγητὰς τιμιωτάτους καὶ σέβας ὅσιον ὀφειλομένους ἀπέφηναν, οὕτω περὶ τούτων φρονοῦντές τε καὶ κηρύττοντες, τὸν ἄνωθεν ἐκ πατέρων καὶ μέχρι ἡμῶν κατηλυθότα τῆς ἀκραιφνεστάτης τῶν Χριστιανῶν πίστεως ὅρον, καὶ διανοίᾳ καὶ γλώσσῃ σέργομέν τε, καὶ πᾶσι διαπρυσίῳ τῇ φωνῇ περιαγγέλλομεν· οὔτε ἀφαιροῦντες, οὔτε προστιθέντες, οὐδὲν ἀμείβοντες, οὐδὲν κιβδηλεύοντες. ἡ μὲν γὰρ ἀφαίρεσις, καὶ ἡ πρόσθεσις, μηδεμιᾶς ἄλλης τῶν πονηρῶν τεχνασμάτων ἀνακινεμένης αἱρέσεως κατάγνωσιν εἰσάγει τῶν ἀκαταγνώστων, καὶ ὕβριν τῶν πατέρων ἀνατολόγητον. τὸ δὲ κιβδήλοις ἀμείβειν ῥήμασιν ὅρος πατέρων πολὺ τοῦ προτέρου χαλεπώτερον. διὸ τὸν ἐξ ἀρχῆς τῆς πίστεως ὅρον πόθῳ θείῳ καὶ διανοίας εὐθύτητι ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη συνοδος ἐνστερνιζομένη τε καὶ θειάζουσα, καὶ τὸ τῆς σωτηρίας σεμνὸν ἐν αὐτῷ θεμελιοῦσά τε καὶ ἀνεγείρουσα, οὕτω φρονεῖν καὶ κηρύττειν πᾶσιν ἐμβοᾷ. πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, καὶ ἑφεξῆς μέχρι τέλους.

Οὕτω φρονοῦμεν, ἐν ταύτῃ τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως ἐβαπτίσθημεν, δι' αὐτῆς πᾶσαν αἵρεσιν θραυομένην τε καὶ καταλυομένην ὁ τῆς ἀληθείας λόγος ἀπέδειξε· τοὺς οὕτω φρονοῦντας ἀδελφοὺς καὶ πατέρας καὶ συγκλήρους τῆς ἄνω πολιτογραφίας ἐπιγραφόμεθα. εἰ δέ τις ἑτέραν ἔκθεσιν παρὰ ταύτην τὸ ἱερὸν σύμβολον τὸ ἄνωθεν ἐκ τῶν μακαρίων καὶ ἱερῶν πατέρων ἡμῶν μέχρις ἡμῶν διαφοιτῆσαν τολμήσειεν ἀναγράψασθαι, καὶ ὅρον πίστεως ὀνομάσαι, συλήσαι τὸ ἀξίωμα τῆς τῶν θεσπεσίων ἐκείνων ἀνδρῶν ὁμολογίας, καὶ ταῖς ἰδίαις αἱρεσιλογίαις τοῦτο περιάψαι, κοινούντε μάθημα τοῦτο προθεῖναι πιστοῖς, ἢ καὶ τῶν ἐξ αἱρέσεως τινὸς ἐπιστρέφουσι, καὶ ῥήμασι νόθοις ἢ προσθήκαις ἢ ἀφαιρέσεσι τιμὴ ἀρχαιότητι τοῦ ἱεροῦ τούτου καὶ σεβασμίου ὅρου κατακιβδηλεῦσαι ἀποθρασυνθείη· κατὰ τιμὴν ἦδη καὶ πρὸ ἡμῶν ἐκφωνηθεῖσαν ψῆφον ὑπὸ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, εἴ μὲν τῶν ἱερωμένων εἴη τις, παντε-

λεῖ

λεῖ καθαιρέσει τοῦτον καθυποβάλλομεν· εἰ δὲ τῆς λαϊκῶν, τῷ ἀναθέματι παραπέμπομεν.

Καὶ μετὰ τοῦτο ἀνάγνωσιν ὁ παρὼν ἱερὸς σύλλογος ἐξεβόησε· πάντες οὕτω φρονοῦμεν, οὕτω πιστεύομεν, ἐν ταύτῃ τῇ ὁμολογίᾳ ἐβαπτίσθημέν τε καὶ τοῦ ἱερατικοῦ βαθμοῦ ἠξιώμεθα. τοὺς ἑτέρως παρὰ ταῦτα φρονοῦντας, ἢ ἕτερον ὅρον ἀντὶ τούτου προβαλέσθαι τολμῶντας, τῷ ἀναθέματι καθυποβάλλομεν.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων, καὶ Κοσμᾶς ὁ ἀποκρισιάριος Ἀλεξανδρείας εἶπον· ἀνάθεμα τοῖς ἄλλο τι παρὰ τοῦτο φρονοῦσιν. ἀνάθεμα τοῖς μὴ ἔχοντο κοινὸν σύμβολον ἀνομολογοῦσι τῆς πίστεως.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· εἰ συνδοκεῖ ὑμῖν, ὦ ἱερὸς καὶ ἅγιος σύλλογος, καθὼς καὶ κατ' ἀρχὰς ὁ ὑψηλὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεὺς ἐπένευσε, διὰ οἰκείας ὑπογραφῆς ἐπισφραγίσαι τε καὶ κυρῶσαι τὰ παρὰ τῆς συνόδου πραχθέντα τε καὶ ὁρισθέντα, νῦν ἐπιτελεσθήτω τοῦτο. οἱ ἁγιώτατοι μητροπολῖται εἶπον· οὐ μόνον συνδοκοῦμεν, ἀλλὰ καὶ δεόμεθα, καὶ παρακαλοῦμεν τὴν ἁγίαν αὐτοῦ καὶ ὑψηλὴν βασιλείαν, ὅπως διὰ τῆς οἰκείας αὐτοῦ ὑπογραφῆς ἀποδέξηται καὶ ἐπισφραγίσῃ πάντα τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ τελεσθέντα. καὶ λαβὼν Βασίλειος ὁ φιλόχριστος βασιλεὺς οἰκείᾳ χειρὶ ὑπεσημήνατο. καὶ μετὰ τοῦτο ὑπογραφὴν ἐποήσατο αὐτὸν τὸ συμπαρὸν ἱερὸν ἄθροισμα. καὶ μετὰ τὴν δέησιν ἡ ἁγία σύνοδος πάλιν εἶπε· δεόμεθα μὴ μόνον τὸν ὑψηλὸν καὶ μέγαν βασιλέα ἡμῶν διὰ ὑπογραφῆς τὰ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ δόξαντα βεβαιῶσαι, ἀλλὰ καὶ τοὺς θεοσηκτους καὶ θεοφρουρήτους κλάδους αὐτοῦ, τοὺς μεγάλους καὶ ἁγίους βασιλεῖς ἡμῶν, καὶ δὴ καὶ τὸν πορφυρογέννητον Στέφανον τὸ πνευματικὸν τέκνον τῆς ἐκκλησίας ὁμοίως ὑπογεγραφέναι.

Βασίλειος ὁ φιλόχριστος βασιλεὺς εἶπε· κατὰ τὸ αἴτημα ὑμῶν γενέσθω. καὶ λαβὼν Λέων ὑπέγραψεν, εἶτα Ἀλέξανδρος, οἱ βασιλεῖς. καὶ μετ' αὐτοὺς Στέφανος ὁ εὐλαβέστατος ὑποδιάκονος καὶ Πορφυρογέννητος.

Μετὰ δὲ τὸ ὑπογράψαι πάντας, λαβὼν Θεοφάνης ὁ εὐλαβέστατος διάκονος καὶ ἐπισκεπτίτης, ἀνέγνω.

Ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Βασίλειος αὐτοκράτωρ ἐν Χριστῷ πιστὸς βασιλεὺς Ῥωμαίων, ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ κατὰ πάντα συμφωνῶν, ἐπί τε τῇ ἐπικυρώσει καὶ ἐπισφραγίσει τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ζ'. συνόδου, καὶ ἐπὶ τῇ ἐπικυρώσει καὶ ἐπιβεβαιώσει Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως καὶ πνευματικοῦ μου πατρὸς, καὶ ἀποβολῇ πάντων τῶν κατ' αὐτοῦ γραφέντων ἢ λαληθέντων ἰδιοχείρως ὑπέγραψα. ὁμοίως καὶ τὰς τῶν ἄλλων ὑπογραφὰς ἀπαραλλάκτως ἐχούσας.

Καὶ μετὰ τοῦτο ἀνάγνωσιν, Δανιὴλ ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἀγκύρας ἔφη· ὁ Θεὸς φυλάξαι τὴν ἁγίαν βασιλείαν ὑμῶν. ὁ Θεὸς φυλάξαι τὸ εὐσεβὲς κράτος ὑμῶν. μακροημερεύσαι ὁ Θεὸς τὴν ἁγίαν ζωὴν ὑμῶν. ἐκρατύνατε τῆς ὀρθοδοξίας τὰ δόγματα. τὰ σκάνδαλα τῆς ἐκκλησίας ἐκ μέσου πεποιήκατε. καὶ εἰρήνη τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ δι' ὑμῶν ἐβραβεύθη. ὁ Θεὸς φυλάξαι τὴν ἁγίαν βασιλείαν ὑμῶν. ἔτι δὲ καὶ ὁ παρὼν ἱερὸς σύλλο-

A „ ni ſubjicimus: ſi ſit autem e laicis, anathe- „ matizamus. ANNO CHRISTI 879.

Et poſt lectionem, qui præſens aderat, ſacer cœtus exclamavit. Omnes ita ſentimus, ita credimus: in hac confeſſione baptizati ſumus, & ſacerdotali gradu digni habiti ſumus. Qui præter hæc aliter ſentiunt, aut definitionem alteram pro iſta ſubjicere audent, anathematizamus.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hieroſolymorum, & Coſmas Reſponſalis Alexandriæ, dixerunt: Anathema his qui aliud præter iſtud ſapiunt. Anathema his qui non iſtud commune ſymbolum fidei confitentur.

B Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Si placet vobis, ſacer & ſancte cœtus, quemadmodum ab initio celſiſſimus & ſanctus noſter Imperator annuit, per propriam ſubſcriptionem obſignare & confirmare quæ geſta ſunt a ſynodo, & quæ definita, nunc iſtud fiat. Sanctiſſimi metropolitæ dixerunt: Non ſolum conſentimus, verum etiam oramus ac deprecamur ſanctum ipſius celſiſſimumque imperium, ut per propriam ſuam ſubſcriptionem ſuſcipiat & obſignet quæcumque ſunt in ſancta hac & œcumenica ſynodo peracta. Et accipiens Baſilius Chriſti amans Imperator propria manu ſubſignavit. Et poſt ſubſcriptionem fauſta precatus eſt ei qui præſens aderat ſacer conventus. Et C poſt precationem ſancta ſynodus rurſum dixit: Precamur non ſolum celſiſſimum & magnum Imperatorem noſtrum per ſubſcriptionem quæ viſa ſunt huic ſanctæ ſynodo confirmare; verum etiam a Deo ſtabilitos & cuſtoditos liberos ejus, magnos ſanctoſque Imperatores noſtros, ipſumque Porphyrogenitum Stephanum, ſpiritalem eccleſiæ filium, ſimiliter ſubſcribere.

Baſilius Chriſti amantiſſimus Imperator dixit: Juxta petitionem veſtram fiat. Et accipiens Leo ſubſcripſit: Poſtea Alexander; Imperatores ambo. Et poſt illos Stephanus reverentiſsimus ſubdiaconus & Porphyrogenitus.

D

Poſtquam igitur ſubſcripſerunt omnes, accipiens Theophanes reverentiſſimus diaconus & inſpector, legit:

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: Baſilius Imperator in Chriſto fidelis, Imperator Romanorum, huic ſanctæ & œcumenicæ ſynodo in omnibus conſentiens, quantum ad confirmandam & ſtabiliendam ſanctam & œcumenicam ſeptimam ſynodum, & ad confirmandam & ratam habendam promotionem Photii ſanctiſsimi patriarchæ Conſtantinopoleos ſpiritalis patris mei, & ad abolitionem omnium quæ contra ipſum ſcripta vel dicta fuerunt, propria manu ſubſcripſi. Similiter & aliorum ſubſcriptiones, quæ ſimiliter habebant ſine ul- E la differentia.

Et poſt lectionem, Daniel Dei amantiſsimus metropolita Ancyræ dixit: Deus cuſtodiat ſanctum imperium veſtrum. Deus cuſtodiat pium imperium veſtrum. Proroget Deus vitam ſanctam veſtram. Confirmaſtis orthodoxæ fidei dogmata. Scandala eccleſiæ e medio ſuſtuliſtis: & pax eccleſiæ Dei per vos conceſſa eſt. Deus cuſtodiat ſanctum imperium veſtrum. Adhuc autem qui præſens aderat ſacer conventus exclamavit: Ut univiſti eccleſiam Dei, &

omnia scandala ex ea expulisti, subjiciat Deus omnes barbaras nationes sub potenti & magna manu tua. Reddat Dominus Deus noster antiquos fines Romanæ potestatis tuo potenti & pacifico imperio. Vere tempus est illud Davidicum de te usurpandi: *Quoniam dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Etenim omne Christianum genus exsultat ob ea quæ retulisti de inimicis trophæa, & ob res quas gessisti fortiter. Et hodierno die Ecclesia suum recipiens ornatum summe te celebrat & glorificat, & Deum precatur pro præpotenti & magno celsoque imperio vestro. Et hæc dicentes fausta precati sunt: Multos annos Imperatori.

ANNO CHRISTI 879.

Psalm. 44.

Ἄγος ἐξεβόησεν· ὡς λύωσας τλὼ ἐκκλησίαν τῦ Θεῦ, καὶ πάντα τὰ σκάνδαλα ἐξέωσας ἐξ αὐτῆς, ὑποτάξαι ὁ Θεὸς πάντα τὰ βάρβαρα ἔθνη ὑπὸ τλὼ κραταιὰν καὶ μεγάλλω χεῖρά σου. ἀποδῶη κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν τὰ ἀρχαῖα ὅρια τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐξυσίας τῇ σῇ κραταιᾷ καὶ εἰρλυοποιῷ βασιλεία. ὄντως εὔκαιρον εἰπεῖν τὸ Δαβιδικὸν καὶ ἐπὶ σοί· ὅτι ἠγάπησας δικαιοσύνλω, καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν, διὰ τῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς ὁ Θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τὺς μετόχους σου. καὶ γὰρ ἅπαν τὸ χριστιανικὸν ἀγαλλιᾶται φῦλον ἐπὶ τοῖς κατ' ἐχθρῶν σου ζοπαίοις καὶ ἀνδραγαθήμασι. καὶ ἡ ἐκκλησία σήμερον τὸν οἰκεῖον ἀπολαβῦσα κόσμον τελέως ἀφημεῖ καὶ δοξάζει. καὶ ὑπερέχεται τῆς κραταιᾶς καὶ μεγάλης καὶ ὑψηλῆς βασιλείας ὑμῶν. καὶ ταῦτα εἰποῦσαι ἐπλήρωσαν πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων.

ACTIO SEPTIMA.

Anno 880. Litt. Dominic. C. B.

MEnse Martio, die XIII. Indictione XIII. die Dominica, præsidente Photio sanctissimo domino nostro, in dextra parte Cathecumeniorum magnæ ecclesiæ, & cum eo considentibus Paulo & Eugenio sanctissimis episcopis, & Petro religiosissimo presbytero cardinali & legato antiquæ Romæ; & sanctissimis Orientis legatis, cum Dei amantissimis metropolitis & episcopis: Photius sanctissimus patriarcha dixit: Cum vetus contentio & controversia, nempe cum schismaticus error procul amotus sit, primum quidem Dei nutu & benignitate, deinde solicitudine & cura celsissimi & magni Imperatoris nostri, adjuvante autem & auxiliante sanctissimo Papa, spiritali nostro fratre & patre, & reliquis Pontificalibus sedibus; pax autem alta, ut videtis omnes, ecclesiis Dei quæ ubique sunt, donata fuerit; & prior quidem tristitia sit discussa, gaudium autem & exsultatio ecclesiæ corpori amplissima facta sit; tempus est, ut arbitror, ut definitio heri prolata ab hac sancta & œcumenica synodo, simul & Imperatoriæ subscriptiones, quæ synodicas confirmant actiones, in medium proferantur, & legantur, ut ab omnibus exaudiri possint: ut quanto gaudio quantaque lætitia qui aderant & qui audierunt hesterna die repleti fuerunt, etiam qui tunc non aderant, nunc autem adsunt, similiter perfruantur.

Sancta synodus dixit: Justum est ut qui tunc aberant fratres, hæc audiant; ut & lætitiæ participes fiant. Et accipiens Petrus Dei amantissimus diaconus & protonotarius prolatam & confirmatam definitionem a sancta & œcumenica hac synodo, legit: scilicet quæ in superiore actione proposita est. Et post lectionem sancta synodus exclamavit: Sic sentimus, sic credimus: in hac confessione fidei roboramur. Qui sic sentiunt, magistros & patres prædicamus. Qui aliquid præter hæc sapiunt, velut inimicos Dei & veritatis reputamus. Si quis præter hoc sacrum symbolum ausit alterum conscribere vel proponere, aut detrahere, & definitionem appellare præsumpserit, sit condemnatus, & ab omni Christiana confessione ejectus. Detrahere enim vel adjicere, imper-

ΠΡΑΞΙΣ Ζ'.

ΜΗνὶ Μαρτίῳ ιγ'. ἰνδικτιῶνος ιγ'. ἡμέρᾳ κυριακῇ. προκαθεδέντος Φωτίου τῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τῶν κατηχουμβνείων τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. καὶ συγκαθεδέντων αὐτῷ Παύλου καὶ Εὐγλνίου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων· καὶ Πέτρῳ τῦ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδιναλεως καὶ τοποτηρητῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης· καὶ τῶν τῆς ἀναπολῆς ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν, ἅμα τοῖς θεοφιλεστάτοις μητροπολίταις καὶ ἐπισκόποις· Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· τῆς παλαιᾶς ἔριδος καὶ φιλονεικίας, λέγω δὴ τῆς σχισματικῆς πλάνης ἐκποδῶν γεγλυημβνης, πρῶτα μὲν Θεῦ νεύσει καὶ φιλανθρωπίᾳ, ἔπειτα δὲ σπουδῇ καὶ ἀγῶνι τῦ ὑψηλῦ καὶ μεγάλου βασιλέως ἡμῶν, συνεργίᾳ δὲ καὶ ἐποικουείᾳ τῦ ἁγιωτάτου πάπα τῦ πνβματικῦ ἡμῶν ἀδελφῦ καὶ πατρός, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων· εἰρλνικὴς δὲ βαθείας, ὡς ὁρᾶτε πάντες, τῆς ἁπανλαχόσε τῦ Θεῦ ἐκκλησίαις βραβλθείσης, καὶ τῆς μὲν προτέρας * κατηφίας ὀχλυθείσης, χαρᾶς δὲ καὶ ἀγαλλιάσεως τῷ τῆς ἐκκλησίας ἐμπλατυνομβνης πληρώματι· εὔκαιρόν ἐστιν, ὡς οἶμαι, καὶ τὸν χθὲς ἐκπεφωνημβνον ὅρον παρὰ τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκβμενικῆς συνόδυ, ἅμα δὲ καὶ τὰς βασιλικὰς ὑποσημειώσεις, αἳ τὰς συνοδικὰς ἐπικυρῦσι πράξεις εἰς μέσον προαχθῆναι, καὶ εἰς τὰς ἁπάντων ἀκοὰς ὑπαναγνωσθῆναι· ἵνα ὅσης χαρᾶς καὶ θυμηδίας οἱ παρόντες καὶ ἀκηκοότες τῇ προλαβύσῃ ἡμέρᾳ ἐπληρώθησαν, καὶ οἱ τότε μὲν μὴ παρόντες, νῦν δὲ σωθέντες, ἐν ἀπολαύσει γβνωνται.

Ἡ ἁγία συνοδος εἶπε· δίκαιόν ἐστι καὶ τὺς ἀπολειφθέντας ἀδελφὺς ἀκροατὰς τύτων γβνέσθαι, ἵνα καὶ τῆς διαφροσυνης κοινωνοὶ γβνωνται. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος τὸν ἐκφωνηθέντα καὶ ἐπικυρωθέντα ὅρον παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκβμενικῆς ταύτης συνόδυ, ἀνέγνω· δηλαδὴ τὸν ἐν τῇ προτέρᾳ πράξει ἐκκείμβνον. καὶ μετὰ τὸ ἀνάγνωσιν ἡ ἁγία συνοδος ἐβόησεν· ὅτω φρονῦμβν, ὅτω πιστεύομβν, ἐν ταύτῃ τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως κραταιύμεθα. τὺς ὅτω φρονῦντας διδασκάλυς καὶ πατέρας ἀνακηρύττομβν. τὺς παρὰ ταῦτά τι φρονῦντας ὡς ἐχθρὺς Θεῦ καὶ τῆς ἀληθείας ἡγούμεθα. εἴ τις παρὰ τῦτο τὸ ἱερὸν σύμβολον τολμήσειεν ἕτερον ἀναγράψαθαι, ἢ προθεῖναι, ἢ ἀφελεῖν, καὶ ὅρον ὀνομάσαι ἀποθρασυνθείη, * κατα-

χρη-

κειτος καὶ πάσης χριστιανικῆς ὁμολογίας ἀπόβλητος. τὸ γὰρ ἀφελεῖν, ἢ προσιθέναι, ἀτελῆ τὴν πρὸς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοουσίαν τριάδα μέχει σήμερον ἀνέκαθεν κατισῶσαν ὁμολογησιν ἡμῶν δείκνυσι, καὶ τῆς τε ἀποστολικῆς παραδόσεως καὶ τῶν τῶν πατέρων διδασκαλίας καταγινώσκει. εἴτις τοίνυν εἰς τοῦτο ἀπονοίας ἐλάσας τολμήσειεν, ὡς ἀνωτέρω λέλεκται, ἕτερον ἐκθέσθαι σύμβολον, καὶ ὅρον ὀνομάσαι, ἢ προθήκην ἢ ὑφαίρεσιν ἐν τῷ παραδεδομένῳ ἡμῖν παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἐν Νικαίᾳ τὸ πρῶτον μεγάλης συνόδου ποιῆσαι, ἀνάθεμα ἔστω.

Πλὴν ἀκουσώμεθα καὶ τῆς τοῦ εὐσεβοῦς καὶ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως ὑπογραφῆς. καὶ δὴ προσκαλεσάμενος Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος, ἀνέγνω καὶ ταύτας. καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν, Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἡ πάντων σωτηρικὴ θεοῦ σοφία καὶ δυναμις, ἡ πρὸ τῶν αἰώνων καὶ ἐξουσίας τὴν τοῦ ἀνθρώπων φύσιν θεμένη σοφώτατα διοικεῖσθαι, αὐτὴ προκατιδοῦσα τὸ καθαρὸν καὶ ἀθόλωτον τῆς διανοίας τοῦ βασιλέως ἡμῶν τοῦ ἁγίου, ἀνήγαγέτε καὶ ἐνίδρυσεν εἰς τὸν περίβλεπτον καὶ ὑψηλότατον θρόνον τῆς βασιλείας, χαρισάμενος ἡμῖν καὶ τὸν δεσπότην ἡμῶν τὸν ἅγιον τὸν κύριον Φώτιον πατριάρχην, καὶ δι' αὐτοῦ σώσας τὰ διεσπασμένα μέρη τῆς ἐκκλησίας εἰς μίαν ποίμνην τοῦ μεγάλου ἀρχιποίμενος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. ἐκκόψας καὶ τοὺς * ἀντιθέτους λύκους ἐκ τῆς λογικῆς τοῦ Χριστοῦ μάνδρας, τοὺς τῷ κακίῳ τὴν ἑαυτῶν κακίαν περικαλύπτοντας, καὶ τὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν μὴ ἀσπαζομένους. ὅθεν καὶ ἡμεῖς οἱ ἀνάξιοι δοῦλοι αὐτοῦ ὑπερεχόμεθα τῆς βασιλείας αὐτοῦ τῆς ὑγίας, ὅπως χαρίσηται ἡμῖν αὐτὴν κύριος ὁ Θεὸς εἰς ἔτη πολλὰ καὶ καλά. ὑποτάξαι κύριος πάντα τὰ ἔθνη τοὺς πολέμους θέλοντα, ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· καὶ μέτοχον αὐτὸν ἀναδείξαι τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν, ὧν ἡτοίμασε τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου, καὶ τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ δικαίως τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου Φωτίου τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. γένοιτο. ἀμήν.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, ὅτι ἡ ἀγαθὴ φήμη τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου τοῦ πατριάρχου, οὐ μόνον εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς χώραν, ἀλλὰ καὶ εἰς ἅπαντα τὸν κόσμον ἐξεληλύθασιν. οὐ τοσοῦτον λόγοις τὸ βέβαιον ἔχουσα, ὅσον ἔργοις τὸ πέρατι περιλαβοῦσα· καὶ οὐ μόνον ἐν Γαλλίᾳ καὶ Ἰταλίᾳ διῆχθη, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ ὑφ' ἥλιον γῇ· καὶ τοῦτο μαρτυροῦσιν οὐχὶ μόνοι οἱ τὴν ἑλλάδα μετιόντες γλῶσσαν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ βαρβαρικὸν καὶ ὠμότατον γένος, ὅτι οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὅμοιος ἐν σοφίᾳ καὶ γνώσει, οὔτε ἐν ἐλεημοσύνῃ καὶ συμπαθείᾳ, οὔτε ἐν χρηστότητι, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ὅτι πάντοτε τὰ ἔργα αὐτοῦ πλείονα τῶν λόγων εἰσίν. ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς ταῖς τοῦ βασιλέως παρακλήσεσι, καὶ ὑμετέραις δεήσεσιν ἐπικαμφθεὶς, ἀπέστειλεν ἡμᾶς τοὺς ἐλαχίστους, ἵνα μεθ' ὑμῶν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ εἰς ἓν συναγάγωμεν. ὃ δὴ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου γέγονε. καὶ ἓν σῶμα καὶ μία ποίμνη ὑφ' ἑνὶ ποιμένι ἐγενήθητε.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπε· τοιοῦτον ἔπρεπεν ἐπ' ἀληθείας εἶναι τὸν τοῦ σύμπαντος κόσμου τὴν ἐπίσκεψιν λαχόντα, εἰς τύπον τοῦ ἀρχιποίμενος Χρι-

fectam erga ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, quæ uſque in hanc diem a majoribus deſcendit, confeſſionem noſtram oſtendit; & Apoſtolicam traditionem & patrum doctrinam condemnat. Si quis igitur eo amentiæ provehatur, ut auſit, quemadmodum ſuperius dictum eſt, alterum exponere ſymbolum, & definitionem appellare, aut adjicere vel demere in tradito nobis a ſancta & œcumenica Nicæa primum magna ſynodo, anathema ſit. ANNO CHRISTI 879.

Porro audiamus etiam piorum & Chriſtum amantium Imperatorum ſubſcriptionem: igitur invitatus Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius, legit etiam ipſas. Et poſt lectionem, Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Quæ univerſa continet Dei ſapientia & virtus, quæ per principatus & poteſtates humanum genus poſuit ſapientiſſime regi, eadem prævidens puram ſinceramque mentem ſancti noſtri Imperatoris, extulit eum & conſtituit in conſpicuum & celſiſſimum thronum Imperii, largiens etiam nobis ſanctum Dominum noſtrum dominum Photium patriarcham; & per ipſum uniens partes eccleſiæ diſſidentes in unum ovile magni & ſummi paſtoris Chriſti Dei noſtri; procul abigens inimicos lupos ex rationabili ovili Chriſti, qui ſub ovina pelle ſuam improbitatem tegunt, neque pacem & concordiam amplectuntur. Unde & nos indigni ſervi ipſius precamur pro ſancto ejus imperio, ut largiatur nobis illud Dominus Deus in annos multos & felices. Subjiciat Dominus omnes gentes quæ bella volunt, ſub pedibus ejus; & participem eum efficiat æternorum bonorum, quæ præparavit diligentibus ſe; per interceſſiones ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſanctorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli; & per orationes ſanctiſſimi domini noſtri Photii œcumenici patriarchæ. Fiat. Amen.

Sanctiſſimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Benedictus Deus, quod optima fama ſanctiſſimi Photii patriarchæ, non ſolum in noſtram regionem, ſed etiam in univerſum orbem pervenit, nec tantum ſermonibus confirmata, quantum factis attigit fines terræ; nec ſolum in Galliam & Italiam pervaſit, ſed & in omnem terram quæ ſub ſole eſt: idque teſtantur non ii ſolum qui linguam Græcam profitentur, ſed ipſum etiam barbaricum & agreſte genus, non eſſe ſimilem ei ſapientia & ſcientia, neque commiſeratione ac largitione in pauperes, neque benignitate & humilitate: & quod ſemper facta ejus plura ſunt quam dicuntur. Dominus noſter Apoſtolicus Imperatoris hortatu & veſtris permotus precibus miſit nos minimos, ut vobiſcum eccleſiam Dei in unum cogeremus: id quod per Spiritum ſanctum factum eſt: Et unum corpus & unus grex ſub uno paſtore facti eſtis.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, dixit: Talem decebat in veritate eſſe eum, qui totius mundi ſortitus eſt curam, ad normam ſummi paſtoris Chriſti Dei no-

ANNO CHRISTI 879.

Heb. 4. 14. Pſal. 81. 6.

noſtri. Id quod etiam prævertens beatus Paulus deſcripſit, dicens: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos.* Audebit enim oratio mea eo uſque progredi: quandoquidem novit ſcriptum deos nuncupare qui ſecundum gratiam vivunt.

Sanctiſſimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Verum eſt quod dixiſti. Etiam nos, qui fines terræ ultimos incolimus, hæc audivimus. Procopius Cæſarienſis dixit: Cum iſtud ſcirent celſiſſimi & magni Imperatores noſtri, fidem ardentem affectumque geſſerunt erga Pontificem noſtrum; neque ipſi ſolum, ſed omnis etiam Pontifex & ſacerdos, monachi & in laicali ordine poſiti, ſectatores ejus & diſcipuli ſumus, & de plenitudine ejus nos omnes accepimus, quemadmodum eximie prædicandi Apoſtoli ex Domino noſtro Jesu Chriſto. Donetur ille nobis ad multos annos. Et ſanctas orationes ejus atque interceſſiones Dominus Deus nobis impertiat in hoc ſæculo & in futuro.

Paulus & Eugenius ſanctiſſimi epiſcopi & legati antiquæ Romæ, adhuc autem & Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixerunt: Si quis ipſum non habet patriarcham ſanctum, neque ejus communionem amplectitur, ſit pars illius cum Juda; neque omnino adnumeretur cum Chriſtianis. Et ſancta ſynodus exclamavit: Omnes hoc ſentimus & prædicamus. Et ſi quis ipſum non habet Dei Pontificem, ne videat gloriam Dei. Et cum hoc dixiſſent, apprecati ſunt multos annos Imperatoribus.

τῦ Θεῦ ἡμῶν. ὁ γὰρ προλαβὼν ὁ μακάριος ὑπερζωγράφησε Παύλῳ εἰπών· ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς. τολμήσει γάρ μοι ὁ λόγος καὶ μέχρι τούτου προβλῶαι, ἐπειδὴ οἶδεν ἡ γραφὴ * Θεοὺς καλεῖν τοὺς κατὰ χάριν βιῶντας.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀληθές ἐστιν ὅπερ εἰρήκας. καὶ ἡμεῖς οἱ εἰς τὰ ἔσχατα τῆς γῆς κατοικοῦντες, ταῦτα ἀκούομεν. Προκόπιος ὁ Καισαρείας εἶπε· τοῦτο εἰδότες οἱ ὑψηλοὶ καὶ μεγάλοι βασιλεῖς ἡμῶν διάπυρον πίστιν καὶ πόθον ἔχουσιν εἰς τὸν ἀρχιερέα ἡμῶν. ὃ μόνον δὲ αὐτοί, ἀλλὰ καὶ πᾶς ἀρχιερεὺς καὶ ἱερεύς, μοναχοί τε καὶ οἱ ἐν λαϊκῇ καταστάσει, ὁπαδοί αὐτοῦ ἐσμὲν καὶ μαθηταί, καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ πάντες ἐλάβομεν, ὥσπερ οἱ παυδίφημοι ἀπόστολοι ἐκ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. χαριοθείη ἡμῖν εἰς ἔτη πολλά. καὶ τὰς ἁγίας ἁγὰς αὐτοῦ καὶ πρεσβείας κύριος ὁ Θεὸς δωρήσαιτο ἡμῖν, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι.

Παῦλος καὶ Εὐγένιος οἱ ἁγιώτατοι ἐπίσκοποι καὶ τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ἔτι δὲ καὶ Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδιναλις εἶπον· εἴ τις αὐτὸν οὐκ ἔχει πατριάρχην ἅγιον, καὶ τὴν μετ' αὐτοῦ κοινωνίαν οὐκ ἀσπάζεται, ἔσω ἡ μερὶς αὐτοῦ μετὰ τοῦ Ἰούδα, καὶ μὴ συγκαταταγείη ὅλως μετὰ χριστιανῶν. καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· ἅπαντες τὸ αὐτὸ φρονοῦμεν καὶ δοξάζομεν. καὶ εἴ τις αὐτὸν οὐκ ἔχει ἀρχιερέα Θεοῦ, μὴ ἴδοι τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. ταῦτα εἰπόντες, ἐπευφήμησαν· πολλὰ τὰ ἔτη τῷ βασιλέων.

Concilium hoc e manuſcripto Græco Vaticano diligenter exſcriptum, & cum archetypo collatum ac recognitum teſtamur. Romæ 14. Septembris 1703. JOSEPHUS JUVENCIUS S. J. PHILIPPUS AMYOT D'INVILLE, Societatis JESU.

Epiſtola beati Joannis Papæ Romæ, ad ſanctiſſimum Photium Archiepiſcopum Conſtantinopoleos.

Ἐπιστολὴ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου πάπα Ῥώμης πρὸς τὸν ἁγιώτατον Φώτιον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως.

Conſtitam a Græculo aliqua Joannis Papæ nomine hanc epiſtolam eſſe omnino cenſet Baronius ad an. 859. num. 54 & 59.

Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Photio reverendo & Catholico fratri, patriarchæ Conſtantinopoleos, gratiam cæleſtem ad opera ſalutaria.

NOn ignoramus eſſe quoſdam illic non homines pacis, qui de eccleſia quæ hic eſt, etiam ipſi ad veritatem non reſpicientes, mala quædam dicunt; in tantum, ut parum abſit, quin tuæ etiam fraternitati non bonas habere de nobis ſuſpiciones, & de iis qui nobis ſunt ſubditi, perſuaſerint. Et eſt illis quidem occaſio talis propoſiti falſa: & ipſis ego affirmaverim, quemadmodum & in progreſſu hujus orationis oſtendam, & Deus ſuperne nobis teſtimonium reddet. Verum ut qui vinum aqua adulterant, miſcent illi quædam ex ſeipſis quæ falſo comminiſcuntur. Neque vero quidquam illic mirum. Oportet enim eum qui ab initio mali opifex fuit, & adverſus Deum conſtituit inimicitias, & poſtea noſtrum etiam primum parentem a conditoris amore ſejunxit, etiam nunc quoſdam habere in ſuo miniſterio, quos excitet ut in medium eccleſiæ ſcandalum inferant. At ego intuens in largitorem pacis Chriſtum, qui etiam *inimicitias in carne ſua interfecit*, quantum poſſum, dabo operam ut ora hominum obſtruam, qui delectantur malis.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος, δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, Φωτίῳ τῷ αἰδεσίμῳ καὶ καθολικῷ ἀδελφῷ, πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, χάριν ἄνωθεν πρὸς ἔργα σωτηριώδη.

Οὐκ ἀγνοεῖν συμβαίνει ἡμᾶς, ὥς τινες τῶν αὐτόθι οὐκ εἰρηνικῶν ἀνθρώπων, περὶ τῆς ἐνταῦθα ἐκκλησίας, καὶ αὐτοὶ ἐκ πρὸς ἀλήθειαν ὁρῶντες, κακά τινα λέγουσι, καὶ τόσον, ὅτι καὶ τοῖς σοῖς ἀδελφότητι μικρὰ δεῖν ἐκ ἀγαθὰς ὑπολήψεις ἔχειν εἰς ἡμᾶς καὶ ὧν ὑφ' ἡμᾶς παραπείθουσι. καὶ ἔστι τούτοις ἡ μὴ ἀφορμὴ τοῦ σκοποῦ τοῦδε * ἐ ψεῦδος. καὶ αὐτοῖς * ἐποίμι ἂν ἐγὼ, ὡς καὶ ὁ λόγος προϊὼν παρασήσει, καὶ ὁ Θεὸς ἄνωθεν ἡμῖν ἐπιμαρτυρήσει. ἀλλὰ κατὰ τοὺς τὸν οἶνον καπηλεύοντας ὕδατι, παραμιγνύουσί καί τινα ἀφ' ἑαυτοῦ * ψεύδοπληρήσαντες· καὶ θαυμαστὸν ἐρεῖ. δεῖ γὰρ τὸν ἀπ' ἀρχῆς δημιουργὸν τῆς κακίας, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν στήσαντα ἔχθραν, εἶτα καὶ τὸν ἡμῶν προπάτορα τῆς τοῦ κτίσαντος ἀγάπης χωρίσαντα, καὶ νῦν τινας ἔχειν πρὸς ὑπηρεσίαν αὐτοῦ, καὶ διεγείρειν τοὺς τοιούτους, ὅπως ἐκκαλῶσι μέσον τῆς ἐκκλησίας σκάνδαλον. ἀλλ' ἐγὼ πρὸς τὸν τοῦ εἰρηνικοῦ δόντα χριστὸν ἀφορῶν, ὃς καὶ τὰς ἔχθρας τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἐκτείνας, ὡς ἔχω δυνατὸν, σπουδάσω τὰ

τὰ σόματα τῆς χαιρεκάκων ἀνδρῶν ἀποφράττειν. Ἐπεὶ δὲ τοῦτο καὶ πρὸ τοῦ ὅλως τινὰ σὲ ἀδελφότητα δηλῶσαί μοί τι, προφθάνω αὐτὸς περὶ τῆς τοιούτων γνωρίζειν σοι· ἵν' εἰδὼς ὅπως ἔχει τὰ καθ' ἡμᾶς, μὴ παρέχῃς ὦτα τοῖς θέλουσι λοιδορεῖν. ἀλλὰ μᾶλλον ἀποσοβεῖν αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς μὴ ἀκούειν τοὺς λόγους αὐτῶν. Ἐπεὶ γὰρ ἡ σὴ ἀδελφότης ἐπίσταται, ὡς ὅτε παρεγένετο πρὸς ἡμᾶς ὁ μικρῷ πρότερον ἀποσταλεὶς παρ' αὐτῆς, περὶ τῆς ἁγίας συμβόλου ἡμᾶς ἐδοκίμασεν, εὗρεν ἀπαράξωτον, καθὼς ἀρχῆθεν παρεδόθη ἡμῖν, διατηροῦντας, καὶ μήτε προσιθέντας τι ἢ ἀφαιροῦντας, ἀκριβῶς εἰδότας, ὡς τοῖς τὰ τοιαῦτα τολμῶσι βαρεῖα καταδίκη ἀναμένουσα ἀπόκειται. καὶ πάλιν ἓν παραδηλῶμεν τῇ αἰδε- B σιμότητί σου, ἵνα περὶ τοῦ * ἄρθρου τούτου, δι' ὃ συνέβη τὰ σκάνδαλα μέσον τῆς ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, ἔχῃς πληροφορίαν εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐ μόνον οὐ λέγομεν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρῶτον θαρρήσαντας τῇ ἑαυτῶν ἀπονοίᾳ τοῦτο ποιῆσαι, παραβάτας τῆς θείων λόγων κρίνομεν, καὶ μεταποιητὰς τῆς θεολογίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀποστόλων, καὶ τῆς λοιπῶν πατέρων, οἳ συνελθόντες συνοδικῶς παρέδωκαν τὸ ἅγιον σύμβολον. καὶ μετὰ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν, ὅτι καὶ ταύτην ἐκείνῳ τετολμήκασιν, οὐ παραδόντες εἰς θάνατον τὸ κυριακὸν σῶμα, ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς, οἳ εἰσὶν ὡς μέλη τοῦ σώματος αὐτοῦ, διαχίζοντες καὶ διατέμνοντες ἀλλήλων, καὶ ὕστως αἰωνίῳ παραπέμψαντες C θανάτῳ, καὶ μᾶλλον ἑαυτοὺς, ὡς ἐποίησεν ὁ ῥηθεὶς οὐκ ὀρθὸς μαθητὴς, ἀποπνίξαντες. οἰόμεθα δὲ μηδὲ τινὰ σὲ ἱερότητα ἀγνοεῖν, ὡς ὅσαν νενεχῆ τε καὶ πλήρη σοφίας, ὅτι τὸ καὶ τοὺς λοιποὺς ὑμῶν ἐπισκόπους καταπεῖσαι ὅπως φρονεῖν, εἰς δυχέρειαν ἡμῖν οὐ μικρὰν ἐμπίπτει. ὅτι πρᾶγμά τι * θεότερον οὕτω ταχέως μεταλαβεῖν ὑδεὶς ἂν ἄκόλως δυνηθείη *, καὶ βραχεῖ χρόνῳ τινὶ ὤαρξιν εἴληφε, καὶ οὐκ ἔστι παγιωθὲν ἐκ πολλῶν ἐτῶν. καὶ διὰ ταῦτα καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἡμῖν, ἵνα μή μέ τις βίας ἀναγκασθῇ παρ' ἡμῖν ἐᾶσαι τινὰ προσθήκην, ἣν ἔφασεν ἐν τῷ συμβόλῳ προσθεῖναι· ἀλλὰ μᾶλλον μετ' ἐπιεικείας καὶ οἰκονομίας παρασκευάσαι τούτους, κατὰ D βραχὺ * παροινοῦντας ἀποστῆσαι τῆς βλασφημίας. ποιμαίνετε γὰρ τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, οὐκ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἐπιεικῶς· οὐδ' ὡς κατακυριεύοντες τοῦ κλήρου, ἀλλ' ὡς τύποι γινόμενοι, ὁ ἄκρος τῆς ἀποστόλων Πέτρος ἔφη. τοίνυν ὕστως ἡμῶν κατηγοροῦντες, ὡς τοῦτο φρονούντων, οὐκ ἀληθείᾳ πρὸς τινὰ κατηγορίαν ταύτην κέχρηνται. ὅσοι δὲ περὶ μοῦ τῆς ἐμῆς γνώμης τοῦτο οὐκ ἀμφιβάλλουσιν, ἄλλοις δέ τισι πεπλημμέλημεν καὶ νῦν καθ' ἡμᾶς καταγγέλλουσιν, οἱ τισὶ δὲ ψευδῶς λέγουσι. τῇ σῇ τοίνυν ἀδελφότητι ἁρμόζει, μηδόλως ἔχειν καθ' ἡμῶν σκάνδαλον, μηδὲ ἐκκόπτειν τοῦ λοιποῦ τῆς ἐκκλησίας ἡμῶν σώματος· ἀλλὰ μᾶλλον συναγωνίζεσθαι ἡμῖν μετ' οἰκονομίας καὶ ἐπιεικείας τοὺς λοιποὺς, ὅσοι τῆς ἀληθείας ἐξέκλιναν, πρὸς αὐτὴν ἐπανάγειν, ἵνα δὴ καὶ τὸν ὑπὲρ τούτου μισθὸν σὺν ἡμῖν ἡ αὐτὴ ἀπολήψηται. ἔρρωσο ἐν κυρίῳ, αἰδεσιμώτατε καὶ καθολικὲ ἀδελφέ.

A Propterea & antequam omnino fraternitas tua significet mihi quidquam, ipse præveniens volo de his te certiorem facere: ut cum resciveris quomodo se res nostræ habent, non præbeas aures his qui reprehendere volunt; quin potius hos repellas, prohibeasque ne alii horum sermones audiant. Novit enim fraternitas tua, quod quando accessit ad nos qui non ita pridem a te missus est, de sancto symbolo nostram sententiam perscrutatus est; & invenit illæsum, quemadmodum a principio traditum est nobis, servasse nos, nihil addentes, nihil auferentes: quippe qui recte noverimus, quod qui audent talia, hos gravis condemnatio manet. Iterum igitur tuæ reverentiæ significa- B mus, ut de hoc articulo, ob quem suborta sunt scandala inter ecclesias Dei, certam persuasionem de nobis habeas, quod non solum illum non dicimus, sed etiam eos qui primum ausi sunt sua insipientia hoc facere, prævaricatores esse censemus divinorum oraculorum, qui pervertunt sacram doctrinam Domini Christi, & Apostolorum, ac ceterorum Patrum, qui synodice convenientes tradiderunt sanctum symbolum. Hos cum Juda collocamus, quoniam idem ac ille scelus ausi sunt admittere; non quidem morti tradentes corpus Dominicum; sed fideles, qui sunt membra corporis ejus, discindentes ac dissecantes invicem, & sic in sempiternam mortem illos deducentes, vel se- C ipsos potius, ut fecit prædictus perversus discipulus, strangulantes. Arbitramur autem neque tuam sanctitatem ignorare, cum sit prudens & plena sapientiæ, quod reliquos episcopos nostros persuadere ut sic sentiant, non minimam id nobis difficultatem affert. Quoniam rem quempiam graviorem adeo celeriter immutare nemo facile possit, quamvis haud ita pridem initium acceperit, nec sit confirmatum a multis annis. Propterea optimum factu visum est nobis, ut per vim nemo cogatur a nobis additamentum illud dimittere, quod prius symbolo adjecerit: sed potius cum moderatione ac prudentia præpara hujusmodi homines, paulatim adhortans ut abstineant a blasphemia. *Pa-* D *scite enim qui in vobis est gregem, non coacte, sed spontanee, neque ut dominantes in clero, sed ut forma facti*, inquit princeps Apostolorum Petrus. Qui igitur nos ita accusant, quasi sic sentiamus, non veritate nituntur in hac accusatione. Quicumque autem de mea sententia non ita dubitant, sed quod alii ausi sunt committere, ad vos referunt, hi certe non mentiuntur. Tuæ igitur fraternitati convenit, nullum ut habeas adversum nos offendiculum, neque scindas reliquum ecclesiæ nostræ corpus: sed potius nobiscum certes cum prudentia & lenitate etiam reliquos, quicumque a veritate declinarunt, ad eam reducere, ut etiam pro hac re mercedem nobiscum ipsa recipiat. E Vale in Domino, reverendissime & Catholice frater.

ANNO CHRISTI 879.

CON-

AD PSEUDO-SYNODUM PHOTIANAM

anno 879. habitam

ADDITIO.

Ex Mansi suppl. pag. 1031.

Constantinopolitanam illam Synodum, in qua Photius sedi patriarchali redditus est authoritate Joannis VIII. papæ, qui ea de re literas & nuntios ad urbem principem misit, ex Græco codice Vaticano Baronius descripsit, actorumque excerpta passim exhibuit. Integra illa acta Græco-Latina Harduinus dedit, ex quo in collectionem Venero-Labbeanam transierunt tom. XI. pag. 328. In his actione II. recitantur literæ Joannis papæ VIII. ad Basilium, Leonem, & Alexandrum imperatores CPtanos directæ, quibus ea significat, quæ præstanda censebat, ut restitutio Photii a se admitteretur, recipereturque. Baronius has ipsas literas Græce ibidem recitatas, conferens cum Latina epistola, quæ legitur in registro epistolarum ejusdem pontificis num. CXCIX. quam epistolam ipsissimam esse a Joanne tunc missam judicabat, discrepantem in multis utrumque ectypum animadvertit. Quare suspicatus est a Photio Latinam Joannis epistolam, dum a se Græce redderetur, vitiatam, mutilatam, interpolatamque fuisse. Idem de Photio judicium latum est ab omnibus, quotquot post Baronium scripserunt; nec ego illum plane absolverem. Nescio tamen nunquid pro liberando a doli crimine Photio valere aliquid possit, quod statim subdo. Ivo Carnotensis notus sæculi XII. ineuntis scriptor, epistolam dedit, inscriptam: *De intelligentia, & dispensatione ecclesiasticæ disciplinæ*, quæ est in editione Jureti, Epist. 283. in ea vero longum ex epistola hac Joannis VIII. fragmentum Latinum recitat, ibique omnes variantes exhibentur, quibus Græcus epistolæ textus a Latinæ epistolæ ectypo discrepat. Ex hoc vero alterutrum consequatur oportet; sive Ivonis ætate Latinam quandam versionem Græcorum actuum hujus concilii evulgatam obtinuisse, sive Latinam aliquam epistolam Joannis tunc superfuisse, iis plane omnibus, quæ in Græca leguntur, cohærentem, quam Joannes ipse post priorem illam, quæ in ejus registro legitur, scripserit, quam secundam epistolam Græcus interpres fideliter licet non de verbo ad verbum, sed paraphrastice potius expresserit. Id potius maluerim, quam illud; neque enim vetus aliqua eorum actorum versio sive reperta est unquam, sive ab antiquo aliquo scriptore commemoratur. Utcumque res habent sese, juvat integrum illud fragmentum, ex eadem Ivonis epistola hic repræsentare, admonendo prius lectores, Ivonem hic, sicut alias sæpe, non totam quidem literarum seriem exhibuisse, sed excerpta hinc inde ex singulis ejusdem paragraphis carpsisse, servatis quidem ipsis scriptoris verbis, sed pluribus periodis omissis.

Joannes papa VIII. Photium neophitum a papa Nicolao depositum interventu Augustorum, Basilii, Leonis, Alexandri in patriarchatu CPtano restituit, scribens prædictis Augustis in hæc verba.

Scripsistis nobis, dilectissimi, ut apostolica & compassionis viscera aperiens, omnes qui in ecclesia, quæ apud vos est, correctionibus subjacent, recipiamus, pacique & unanimitati studentes, ipsum domnum Photium archiepiscopum communicantem nobis in summam Sacerdotum dignitatem A & honorem patriarchatus restituamus, ne diutius ecclesia Domini a schismate & scandalo conturbata permaneat. Nos ergo petitionem vestram, ut justam & Deo placentem amplexi, & opportunum tempus, quod diu desideravimus vos invenisse gavisi, misimus apocrisarios nostros, voluntatem vestram complere, quamvis pietas vestra antequam advenirent, ipsum virum *præoccupaverit violenter restituere*. * Quod tamen & nos libenter recipimus; & quamvis hoc faciendi potestatem habentes, non tamen ex potestate nostra eum restituere volumus, sed ex apostolicis decretis, & paternis constitutionibus testimonia proferemus, B non leges ecclesiæ antiquitus datas solventes, sed in quibus gratiarum diligentia inconvertibiliter observatus, ecclesiæ corpus evellit, & dissipat, ad utilitatem ejus omnia reducere cupientes. Synodus enim Nicæna secundo capitulo dicit: Quoniam frequenter sive ex necessitate sive aliquo quolibet modo transgredi contingit homines ecclesiasticos canones; & papa Gelasius dicit: *Quoniam ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant sanctorum patrum decreta*. Et sanctissimus papa Leo in eodem spiritu præcipit dicens: *Ubi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum patrum statuta.* C *Ubi vero necessitas fuerit ad utilitatem ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset*. Ex necessitate enim fit imitatio legis. Et Felix papa: *Contemplari oportet, quod ubi occurrerit necessitas, sæpe constitutiones patrum transgrediuntur*. Et Carthaginensis Synodus XXXV. capitulo dicitur: *Præcipimus, ut clerici rursus in ecclesiam recipiantur, quamvis primum in synodo depositi fuerint*; synodus enim synodum solvit propter unitatem, & pacem ecclesiæ. Et Innocentius papa dicit V. capitulo. *Qui promoti sunt a Bonoso hæretico, recipiantur iterum, ne scandala in ecclesia pullulent*. Non solum autem pro hæresi depositis, apostolica sedes hæc, paci D ecclesiasticæ studens, adjutorii manum porrexit, sed & orthodoxis sacerdotibus, & patriarchis ad eam confugientibus, sicut & nunc Photius fecit, usitata miseratione subvenit. Nostis enim quod magnum Athanasium episcopum, & Cyrillum, & Polycronium Jerosolymitanos, & Joannem, quem charitas nostra Chrysostomum vocat, & Flavianum a synodo depositos apostolica sedes in pristinum honorem restituit. Si ergo qui a Donatistis & Bonoso ordinati, & a liminibus orthodoxæ ecclesiæ a synodo plenaria sequestrati, ab alia synodo recipiuntur, & in catalogo Sacerdotum habentur, ne ecclesia diminutionem vel divisionem patiatur; E quanto magis orthodoxæ fidei viros & immaculatæ vitæ non oportet contemnere, sed ad pristinum honorem revocare? Sicut enim apostolica sedes, & semel accipiens claves regni Cælorum a primo & magno pontifice Jesu Christo per principem apostolorum Petrum, dicente ad eum: *tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, * habent potestatem universaliter ligandi & solvendi, & secundum Hieremiam evellendi, & plantandi. * Et propter hoc & nos ejusdem potestate Principis Apostolorum Petri utentes cum omni Ecclesia nostra mandamus vobis, & SS. fratribus ve-

* Hic [illegible] esse [illegible]

* [illegible]

veſtris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ & Jeroſolymorum, & cæteris Epiſcopis, & omni plenitudini Chriſtianæ Eccleſiæ ſecundum petitionem veſtram, Photium * patriarcham fratrem, & ſacerdotem noſtrum nos in communionem recipere. Item recipite eum ſine excuſatione. Nullus excuſet ſe pro ſynodis contra eum peractis. Nullus ſanctorum prædeceſſorum meorum Nicolai, & Adriani ſententias contra eum cauſetur. De ipſo enim ſurreptum eſt illis. * Nullus contra eum ſubſcriptiones noſtras occaſionem ſchiſmatis habeat. Omnia enim ut infecta, & irrita facimus, & quæcumque ſunt contra eum in manibus Principis apoſtolorum ponimus, & per eum in humeris Jeſu Chriſti Agni Dei qui tollit peccata mundi. Item & hoc confirmare vos volumus, ut poſt mortem Photii fratris noſtri nullus ex dignitate mundana ad Pontificalem honorem aſcendat; ſed ex presbyteris cardinalibus ejuſdem Eccleſiæ, vel ex diaconibus, aut ex aliis ſacerdotibus, qui ſub A eccleſia Conſtantinopolitana conſiſtunt. Item & quoniam nos, pro pace eccleſiæ ſolliciti, Photium fratrem noſtrum ſuſcepimus, ſicut & Adrianus papa Tharaſium, nullum computet canonicum uſum. Privilegia enim paucorum communem legem non faciunt. Si quis vero tale quid amodo facere præſumpſerit, ſine venia erit. Ita * quoque cum eſſet antiquis regulis præfinitum, ut nullus qui eſſet in clero, extranearum conſortium haberet mulierum, ſed earum tantum, quæ omnem ſuſpicionem excluderent; Beatus Papa Gregorius hunc rigorem ita modificavit clericis Anglorum, ut ſi B qui eſſent extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſent, uxores ſortirentur, & ſtipendia ſua foris acciperent. Intelligens leviorem eſſe caſum, ſi ruentes conjugali vinculo exciperentur, quam ſi vago concubitu interminatæ libidinis voragine abſorberentur. Sic aliæ diſpenſationes ſalubri deliberatione admiſſæ, ceſſante neceſſitate, deberent & ipſe ceſſare.

ANNO CHRISTI 881. &c.

* *Hæc fortæ de ſuo Ivo adjecit.*

CONCILIUM MANTALENSE

ANNO CHRISTI 879.

In quo regis nomen Bosoni ab Arelatensis

Regni epiſcopis proceribuſque delatum eſt Idibus Octobris, anno Chriſti DCCCLXXIX. Joannis VIII. papæ anno VII. Ludovici & Carolomanni regum primo.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

CUm conveniſſent ſancti patres in nomine Domini ſalvatoris noſtri, conventum celebraturi apud Mantalam territorii Viennenſis, de multis eccleſiæ negotiis tractaturi, & ſanctæ ſolicitudinis ſecretarium penetraturi, multis emergentibus, & ſuimet conſideratione cogentibus, ſacerdotalis affectus ex antiquo patrum cordibus infuſus evidenter dictavit ei perſonæ curam gerere, cujus adminiculo tam in veteri teſtamento, quam & in novo, conſuevit * populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam jam olim ejuſdem perſonæ præſidiis tam ipſi patres, quos gratia divina epiſcopos vocari conceſſit, quam principes, & totum vulgus carentes, nullis compatientis ſuccurebantur vel juvabantur auxiliis, præſertim cum rege communi morte recepto, nullus in eos ſua viſcera per caritatis largitatem extenderit, anxiari plurimum compulſi ſunt, quia non ſolum internis per inviſibilem inimicum, ſed etiam in apertis per viſibiles inimicos, etiam ex his, quos ipſa Chriſti peperit ſancta mater eccleſia, peſſumdari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem uſquequaque verterent, & ſimul cum nobilioribus ad hanc neceſſitatem ſubmovendam, idoneas perſonas conſiderarent, non invenientes qui ſui conſultationi reſpondere vellent, utpote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei & ſanctorum ejus & matris eccleſiæ ſumere, omnes inflammati Deum omnium principem pro E hac anguſtia medullitus exoraverunt, ut is qui cuncta ſingularem habet mortalium, & cujus diſpoſitio curricula vergit omnium ſæculorum, & rectum daret conſilium, & evidens conſilii promeret indicium. Denique cui patet omne cor, & omnis voluntas loquitur, fatigatos majorum & minorum inſpiciens animos, quoddam clareſcere fecit ſolatium, & quodammodo præſentavit ſuffragium. Sane omnibus unum ſapientibus, & per divinam viſitationem idem indiviſibiliter ambientibus, cordi fuit exhibitus homo, jamdudum C in principatu domni Caroli defenſor & adjutor neceſſarius: cujus poſt ſe filius ejuſdem imperatoris, cernens ejus inſignem prudentiam, amplificare delegerat domnus rex Ludovicus. Ipſe etiam non tantum in Galliis, ſed & in Italia cunctis enituit, ut domnus apoſtolicus Joannes Romenſis, inſtar filii complexus, ejuſdem ſinceritatem multis præconiis extulerit, & ad ſuam tutelam, revertens ad ſedem propriam, delegerit. Ergo nutu Dei, per ſuffragia ſanctorum, ob inſtantem neceſſitatem, & eam, quam in eo compererunt, expetibilem utilitatem, & prudentiſſimam atque providentiſſimam ſagacitatem, communi animo, parique voto, & uno conſenſu, clariſſimum principem dominum Boſonem, Chriſto præduce, ad hoc regale negotium petierunt, & unanimiter elegerunt. Qui etſi conſideratione tanti laboris renuerit, & abdixerit, oppoſitis his quæ Dei ſunt, & ejus eccleſiæ, tandem obedienter colla promittendo ſubmiſit. Electus autem Deo ſtatuitur, preces funduntur, Domini noſtri Jeſu Chriſti gratia, quæ præceſſit in velle, in certo perfecto ſatis efficax poſtulatur. Et ut hæc electio præſentibus & futuris certius innoteſcat, omnium epiſcoporum ſubſcriptio luce clarius indicat. Actum apud Mantalam publice, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIX. Idibus Octobris.

ET SUBSCRIPSERUNT EPISCOPI.

Ottramnus archiepiſcopus Viennenſis.
Aurelianus archiepiſcopus Lugdunenſis.
Teutrannus archiepiſcopus Tarantaſienſis.
Rotbertus archiepiſcopus Aquenſis.
Radbertus epiſcopus Valentiæ.
Bernarius epiſcopus Gratianopolitanus.
Elias epiſcopus Vaſionenſis.
Hemico epiſcopus Dienſis.
Adalbertus Epiſcopus Mauriennæ.
Biraco epiſcopus Wapicenſis.
Euſtorgius epiſcopus Tolonenſis.
Girbaldus epiſcopus Cabilonenſis.

ANNO CHRISTI 879.

Hieronymus episcopus Lausanensis.
Richardus episcopus Agathensis.
Guntardus episcopus Matisconensis.
Rostagnus archiepiscopus Arelatensis.
Theodericus archiepiscopus Vesontionensis.
Ætherius episcopus Vivariensis.
Leodoinus episcopus Massilionensis.
Germardus episcopus Arausicensis.
Ratfridus episcopus Avenionensis.
Vvalefridus episcopus Uceticensis.
Edoldus episcopus Regiensis

Synodi ad Bosonem regem designatum legatio.

SAcra synodus Mantalensis, territorii Viennensis, in nomine Domini nostri congregata, simul cum primoribus, inspirante divinitate summæ majestatis, sincera devotione vestram prudentiam, clarissime princeps, adit, petens addiscere vestra certissima responsione; qualem vos velitis in principatu, quo vos sublimari per divinam misericordiam optamus, omnibus ostendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide catholica veraciter quæsituri estis, & ecclesiam illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus, sicut boni principes qui vos præcesserunt, & quorum formam literis & fama nostis, legem, justitiam, & rectum concedere & servare: tenentes humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, cum patientia, & animo sereno, humillimo, ad damnandum incondito, sed in omnibus juste promissis stabili, & certo, bene pe Dei gratiam præparato & ornato, sobrietate competenti venusto. Qui sitis accessibiles omnibus recta suggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodesse, quam præesse, sequentes vestigia sanctorum principum, calcantes iram, sævitiam, duritiam, avaritiam, cupiditatem, indignationem, & superbiam. Justus patricius vestris majoribus & minoribus apparentes, veritatem ore & opere præferentes, salubre consilium libenter audientes, monstra vitiorum declinantes & persequentes, virtutes amantes, defensionem & mamburgium singulis exhibentes, ut neque eadem sancta synodus, & primates vestri cum ea sentientes nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque sacro vestro principatui, nobis, ut credimus, profuturo juste derogetur: sed sit pax & veritas sanctorum suffragiis, per divinam gratiam, prælatis & subditis, sacerdotibus & illis commissis primatibus, dum eis auctoritatem evangelicam & apostolicam cum justa lege humana consenseritis & observaveritis, ut per omnia & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam sacerdotalis & laicalis fidelitas, ut faciat vestra prudentia unumquemque in vestra domo suum vas possidere in sanctificatione & honore.

BOSONIS REGIS ELECTI AD SYNODUM RESPONSIO.

SAcratissimæ synodo, & cunctis primoribus nostris fidelibus, humilis Christi vernaculus Boso. Primum vestræ sinceriss mæ devotioni gratiarum actiones corde & ore rependo, quod, licet immerito, sola vestra benevolentia, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me visceribus vestris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quod fervor vestræ caritatis ad id officium me promoveri divinitus optat, ut mea parvitas matri A meæ, quæ ecclesia Dei vivi est, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conscius meæ conditionis & figmenti fragilis, imparem me judicans tanto negotio, omnimodis abnuissem, nisi per Dei nutum vobis cor unum datum & animam unam in unum consensum advertissem. Obediendum itaque pro certo cognoscens inspiratis a Deo tam sacerdotibus, quam nostris amicis & fidelibus, non reluctor, nec audeo, vestris jussionibus. Quod vero requisistis, qualem me præbere vellem in committendo per Dei misericordiam in regimine futuro, & simul ostendistis normam, & instruxistis dogmate sacro, libentissime suscipio. Amplector catholicam fidem, in qua nutritus sum, quam purissimo corde teneo, ore veracissimo pronuncio, pro qua paratus sum impendi & superimpendi, si sic placuerit Domino Deo nostro: ecclesiarum privilegia, juvante Domino nostro Jesu Christo, restaurare & conservare, & justitiam per vestrum commune consilium curabo. Omnibus, ut monuistis, legem, justitiam & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conservabo, & impendere curabo: quo sequens præcedentium bonorum principum vestigia, tam sacris ordinibus, quam vobis nostris fidelibus, consulere certam æquitatem servando. De moribus meis, licet me peccatorem præ omnibus sciam, voluntatem meam hanc esse veraciter assero, ut per omnia morigerum bonorum, & in nullo malorum ostendam. Si autem, quoniam homo sum, contra quemlibet animo excessero, secundum vestrum consilium corrigere curabo. In quo precor reverenter, ut quod justius & rationabilius inveneritis, mihi congrue pro tempore & loco suggerentes, vos ipsos in me honoretis: quoniam & ego, si quis vestrum in me deliquerit, emendationem rationabiliter accessibilis factus expectabo: evangelicam & apostolicam auctoritatem cum justa lege sequar humana, ut ipso præduce & comite, per omnia & in omnibus benedicatur Deus. De domo nostra, sicut me monuistis, quia Deus in sanctis habitat, solicitudinem adhibebo, & ut decenter quisque incedat, studiosissime procurabo. Igitur, Domini mei, sacrosancti pontifices, ecclesiæ summi Dei nostri præsules, & vos omnes nostri fideles, primates & subprimates, confisus de Dei gratia & auxilio, per sanctorum ejus suffragia, quia vestris jussionibus faveo, precor vos & obsecro, ut per ipsum, & cum ipso, tam piis ad ipsum interventibus, in tanto subeundo labore meam necessitatem & humilitatem juvetis, quam etiam humanis adminiculis & auxiliis pro posse suffragari mihi certetis. Quod si cui displicet, & aliter animo tenet, quæso patenter edicat, & se nobiscum in nullo decipiat. Simulque precor per caritatem, qua fervetis, ut communi fav ntes utilitati, triduanis solenniter precibus Dominum Deum nostrum cum plebibus vobis commissis exoretis, ut propter peccata mea, vel levitatem meam, vos, aut me ad deceptionem populi sui nequaquam errare permittat, sed suam ex hoc voluntatem misericorditer ostendat.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Mantalense*) Ex verbis Paradini, qui hanc synodum primus in lucem dedit, subscriptiones concinnavimus, seriem secuti episcoporum quos interfuisse narrat. Confirmant porro episcopi quod modo adstruebamus; nam Ludovicum Calvi filium regem vocant, non imperatorem.

HINC-

ANNO CHRISTI 879.

HINCMARI EPISCOPI REMENSIS

EPISTOLÆ SYNODALES.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

SYnodos Remis ab Hincmaro archiepiſcopo ſæpiſſime fuiſſe celebratas ejus ſcripta declarant: ac præter ea quæ ſuperiori tomo a pag. 475. ad 499. edidimus, fidem facient ſequentes duæ epiſtolæ ex codice veteri S. Laurentii Leodienſis vulgatæ a R. P. Jac. Sirmondo tomo II. operum Hincmari pag. 821.

EPISTOLA I.

Hincmarus epiſcopus ac plebis Dei famulus.

NOtum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ rectoribus, miniſtris quoque ac filiis ad quos hæc poterunt pervenire, quia Godbaldus quondam preſbyter parochiæ noſtræ, de quadam fœmina nomine Doda criminatus, & idoneis teſtibus comprobatus, & ſecundum ſacros canones ad judicium provocatus, de ipſo judicio conſcientia ſua redargutus fuga lapſus eſt. Propterea ſecundum ſacros canones, ſpiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos, omni ſacerdotali officio eſt privatus, docente B. Bonifacio papa: Probat inquit vera eſſe illa quæ adverſum ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult. Quod ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato judicio purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cum ipſa quoque pro confeſſione procurata totiens conſtet abſentia. Data ex ſynodo in Remenſi metropoli habita x. Kal. Majas indictione XII.

EPISTOLA II.

Hincmarus epiſcopus ac plebis Dei famulus.

NOtum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ rectoribus, miniſtris quoque ac filiis ad quos hæc potuerunt pervenire, quia Fulcherus & Hardoiſa carne propinqui, contra legis præcepta & prophetica dicta, contraque evangelicam & apoſtolicam atque canonicam regulam, ſed & contra leges humanas, non conjugio, ſed inceſtu, carnali commixtione conjuncti ſunt: ſicut idoneis & veracibus teſtibus computata utriuſque cognatione probatum eſt. Et quia obedire divinis & humanis legibus noluerunt, ut ſe ab ipſo inceſtu diſjungerent, ſecundum ſacros canones a ſacra communione corporis & ſanguinis Chriſti, & ab omnium Chriſtianorum ſocietate abjecti ſunt, uſque dum Domino reſpiciente a laqueis diaboli, a quo capti tenentur, per pœnitentiam ſeparati, ab ipſo inceſtu reſipiſcant, decernente B. Gregorio: ſi quis, inquit, conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit, & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et item: ſi quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Vos fratres ac filii qui literas non didiciſtis, ſcitote quid ſonat in noſtra lingua anathema, id eſt alienatio: ut a Chriſto, a quo nominantur Chriſtiani, & a Chriſtianorum ſocietate atque communione ſint tales alieni, donec ab illa inlicita conjunctione ſe ſeparent, & per pœnitentiam & ſacerdotale miniſterium Chriſto & ſanctæ eccleſiæ, id eſt, Chriſtianis reconcilientur. Progeniem vero ſuam divinæ leges unumquemque Chriſtianum uſque ad ſeptimam generationem, & quamdiu ſe cognoſcunt affinitate propinquos, obſervare decernunt, ut nemo ex propria conſanguinitate conjugem habeat, vel quam ex propria conſanguinitate aliquis conjugem habuit, vel aliqua inlicita pollutione maculavit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus, & inceſtuoſos a liminibus ſanctæ eccleſiæ præcipiunt ſeparari, uſque dum per ſatisfactionem precibus ſacerdotum eidem, ut præmiſimus, ſanctæ eccleſiæ canonice reconcilientur. Si autem ab hoc inceſtu, in quo perditi jacent, ſeparare ſe voluerint, quia ſicut ſacræ leges dicunt, inceſtus nullo conjugii nomine deputatur, ſi ſe continere non potuerint, poſt pœnitentiam & reconciliationem quibus conjunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Quandiu autem in ipſa inlicita conjunctione manſerint, nullus Chriſtianus quocumque modo eis communicet, quia cum talibus cuicumque Chriſtiano nec communem cibum ſumere licet. Propterea fratres ac filii, omnes ſcilicet Chriſtiani ſeparate vos ab omnimoda eorum communione, ne, quod abſit, communicantes illis pariter pereatis. Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur: cum & inter jumenta hoc fieri ſcitis, ut ea quæ ſcabiem habere videntur, ſeparentur a ſanis, ne illorum morbo cetera damnentur vel pereant. Et dicente Domino, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: ſi antequam ſe ab hoc inceſtu ſeparent, quiſquam eorum in infirmitatem deciderit, & ut ſic jam in deſperationem de vita temporali devenerit: ſi vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo, a ſacerdote, ac fidelibus hominibus confeſſus fuerit, & fidejuſſores dederit, ut ſi de ipſa infirmitate convaluerit, ulterius ad illam inceſtam conjunctionem non rediet, cum aliis peccatis ſuis de hoc inceſtu puram confeſſionem faciat, & a ſacerdote reconcilietur, & ſancto oleo ungatur, & communio corporis & ſanguinis Chriſti ei largiatur. Si vero in hac pertinacia uſque ad mortem permanſerit, & ſine reconciliatione & communione corporis & ſanguinis Chriſti quiſquam eorum mortuus fuerit, ſine pſalmis & hymnis atque orationibus, & non cum aliis Chriſtianis ſepeliatur, quia ſicut ſancto Spiritu inſpirante ſcriptum legimus, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus. Data ex ſynodo in Remenſi metropoli habita x. Kalendas Majas indictione XII.

AN NO CHRISTI 880.

CONCILIUM ROMANUM V.

A JOANNE PAPA VIII. VI. IDUS.

Novembris celebratum anno DCCCLXXX.

SYnodus Romana menſe Novembri anno 880. habita eruitur ex epiſtolis Joannis P. VIII. n. 253. ad Romanum Archiepiſcopum Ravennatem, & num. 254. ad univerſos Epiſcopos datis, in quibus indicit ſynodum ad diem VI. Idus Novembris quartæ decimæ Indictionis, ad eam diem dilata ob Saracenorum bella, atque impedimenta. Eam porro celebratam fuiſſe oſtendit ejuſdem Pontificis epiſtola num. 276. ad Romanum Archiepiſcopum Ravennatem data: in qua Pontifex narrat, Romanum præfatum excommunicaſſe Deuſdedit Ducem ad ſedem Apoſtolicam appellantem; & ob id Romanum vocatum fuiſſe Romam VI. Id. Novemb. ad Synodum celebrandam, ut Deuſdedit cauſa canonice finiretur: *Qui*, ſubdit epiſtola, *pro ſe ſui cardinis Dominicum presbyterum, & Joannem Diaconum miſit, tranſmittens cum illis ſcriptas accuſationes: quibus ſcriptis coram ſancta Synodo lectis, ad ea Deuſdedit reſpondit, & ſe inceſtum, atque nefarium commiſiſſe negavit; ſed coram omnibus ſe innocentem oſtendit, & divini mundanique Juris auctoritate ſe conjugatum probavit. Quapropter una cum ſancta Synodo illum abſolvimus &c.*

CONCILIUM MEDIOLANENSE

Sub Anſperto Mediolanenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis ad reprimendas Attonii cujuſdam ſacrilegas invaſiones,

Circa annum 880. celebratum.

Ex Manſi Suppl. pag. 230. Anno 880. circ.

ATtonius quidam, homo impius & potens, gravia nonnulla & impia in res eccleſiæ Mediolanenſis intulerat; qua de re ab Anſperto Mediolanenſi præſule frequenter admonitus atque reprehenſus, numquam tamen manus abſtinuit. Quare Anſpertus convocato ſuffraganeorum concilio eccleſiaſtico anathemati devovendum illum cenſuit. Sed neque eo fræno coercitus, ad Joannem VIII. papam ab eodem archiepiſcopo delatus eſt, qui datis ad eumdem Attonium literis, minitatus eſt ſe confirmaturum ſententiam præſulis ſui, ni reſipiſceret. Rem totam in eadem epiſtola, quæ eſt 272. narrat pontifex, ubi & ejuſdem concilii, alias ignoti, ſuboſcure meminit his verbis: *Poſt correctionem una cum venerabilium coepiſcoporum cœtu a ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini communione ſeparavit.* Et infra: *ſecundum jam dicti confratris noſtri, & epiſcoporum ſententiam &c.* Signatur epiſtola die XV. Kal. Maji indictione XIV. ideſt anno 881. ex quo arguere licet anno forte præcedenti 880. vel priori 879. in Attonium ſententiam Concilium Mediolanenſe tuliſſe, quam ſpernens ad pontificem delatus eſt.

ANNO CHRISTI 881.

CONCILIUM ROMANUM VI.

QUO ATHANASIUS EPISCOPUS SIMUL

Et princeps Neapolitanæ urbis, propter fœdus cum Saracenis initum excommunicatus eſt.

Athanaſius Neapolitanus epiſcopus & & princeps.

(*Concilium.*) Athanaſius Neapolitanus epiſcopus ſimul & princeps olim a Joanne papa epiſtola 66. 161. & 162. plurimum laudatus, in tranſverſum actus, & in arcum pravum converſus ſceleſtiſſimus evaſit. De ipſo enim Leo Oſtienſis libro 5. capite 42. iſta habet: *Idem vero Athanaſius princeps illi, nempe Sergio, ſubrogatus, firmata cum Saracenis pace, Beneventum, Capuam, Salernum, Romamque depopulari cum eis cœpit, multaque tunc monaſteria & eccleſiæ cum villis & urbibus impiorum incendio conflagrarunt.* Hæc Leo. Poſt fœdus cum Saracenis contractum Joannes papa per epiſtolam 251. & 256. eum admonuit, ut fœdus cum barbaris initum diſſolveret, & niſi pareret, anathematis ſententia feriendus eſſet. Immo quod magis eſt, ipſe Joannes papa hac de cauſa ſe Neapolim contulit: ſed fruſtra. Quare dum in urbem rediiſſet, hac ſynodo ibidem congregata, anathematis ſententiam in eum tulit, eamque per epiſtolam circularem 270. epiſcopis circumpoſitis omnibus inſinuavit. Cumque excommunicatus Athanaſius pro abſolutione non ſemel inſtitiſſet, pontifex ab eo ſæpius deluſus nullam ipſi fidem adhibendam eſſe putavit, niſi primum Saracenis ab ipſo necatis vel captis, pœnitentiæ certa ſigna edidiſſet. Quod ut illi conſtaret, Marinum epiſcopum cum epiſtola 294. ad eumdem Athanaſium ſcripta hujus rei cauſa ablegavit. Vide Baronium anno 881. numero 1. & ſequentibus.

RO-

ANNO CHRISTI 881. &c.

ROMANÆ SYNODI TRES

A Joanne VIII. Marino I. & Stephano V. in Photium habitæ annis 881. 883. *&* 884.

CONstat inter omnes, Romanos tres hoſce pontifices Photium patriarchali ſolio reſtitutum iterum atque iterum evertiſſe. Sed id ab illis præſtitum in ſynodis, ea de re coactis, quanquam omnes facile admiſſuros credo, nemo tamen ſibi affirmandum huc uſque cenſuit. Cujus cunctationis cauſa ex eo repetenda eſt, quod nemo veterum de Romanis Synodis ea de cauſa coactis quidquam mutiverit. Neque ego ſine veteri auctore quidquam ea in re auderem; quare ut hoc affirmem facit & rei gravitas, quæ ſynodum poſcebat, & inſcriptio Græculi illius, qui epiſtolarum Nicolai, Adriani, Joannis, Marini, Stephani, & Formoſi epitomen dedit, quam in ſupplemento ad ſynodum VIII. ex vetuſto codice, Raderius prior, dein Labbeus tom. X. col. 922. vulgavit. Ita enim epitomen hanc inſcripſit: Συνοδικαὶ ἀποφάσεις *Synodicæ pontificum Romanorum, Nicolai, Adriani, Joannis, Marini, Stephani, Formoſi &c.* Quanquam vero Græculus iſte recentior eſt ſcriptor, potuit tamen ex vetuſto aliquo codice titulum hunc accepiſſe. Nec ſane abs re opinaremur, Joannem, Marinum, & Stephanum, quos ſane Photium damnaſſe compertum eſt, in ſynodo id ſolemniter egiſſe, cum & ætatis illius mores, & rei gravitas id expoſceret.

CONCILIUM APUD S. MACRAM.

SYNODUS QUÆ FUIT ACTA APUD

Sanctam Macram, in loco qui dicitur Finibus Rhemenſis parochiæ, tempore Ludovici regis, filii Ludovici Caroli filii, die IV. Nonas Apriles, anno Chriſti DCCCXXCI. Ioannis papæ VIII. anno IX. Ludovici ejuſdem regis anno * XI.

TITULI CAPITULORUM.

I. I. *Quod diſtinctæ ſint poteſtas regia & auctoritas pontificum.*
II. *Increpatio torporis & negligentiæ ſacerdotum; ex ſancto Gregorio.*
III. *De honore, cultuque Dei & eccleſiarum.*
IV. *De ſuſcipienda cura monaſteriorum.*
V. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda.*
VI. *Admonitio ad regem, & miniſtros reipublicæ.*
VII. *De præſtanda per pœnitentiam emendatione.*
VIII. *Ad regem, ut bonos diligat conſiliarios.*

PRÆFATIO.

DIverſarum provinciarum epiſcopi, quorum nomina tenentur ſubter adſcripta, qui ante nequivimus, diverſis occupationibus, tam Paganorum infeſtationibus, quam pravorum Chriſtianorum infectationibus præpediti, tunc anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXI. indictione XIV. IV. Nonas Apriles, maxima neceſſitate compulſi, apud martyrium ſanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Rhemenſis parochiæ, in nomine Chriſti convenimus. Ab omnibus, qui juſte & pie in communione catholicæ eccleſiæ, quæ Chriſti eſt corpus, vivere volunt, ea quæ ſequuntur, Domino mediante, obſervari decernimus, non nova condentes, ſed quæ a majoribus noſtris ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum ſtatuta, & a Chriſtianis imperatoribus ac regibus promulgata, & uſque ad hæc periculoſa noſtræ infelicitatis tempora fuere ſervata, quaſi lumina in malignorum operum tenebras, quæ excæcant diffidentiæ filios, devocamus: ut falce ſancti Spiritus, per divinum miniſterium noſtri officii, perque regiæ ſolicitudinis poteſtatem, ac miniſtros reipublicæ, male pullulantia recidantur, & fructuoſa Chriſtianis mentibus inſerantur.

CAPITULA.

I.

HÆc namque ſunt ſacerdotalis officii, & regii miniſterii, quia ſicut in ſacris legimus literis duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra pontificum, & regia poteſtas. Solus enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus vere fieri potuit rex & ſacerdos. Poſt incarnationem vero, & reſurrectionem, & aſcenſionem ejus in cælum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam poteſtatem ſibi uſurpare præſumpſit: ſic actionibus propriis dignitatibuſque ab eo diſtinctis, ut & Chriſtiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium rerum curſu regum diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritalis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minime ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Et tanto eſt dignitas pontificum major quam regum, quia reges in culmen regium ſacrantur a pontificibus, pontifices autem a regibus conſecrari non poſſunt: & tanto gravius pondus eſt ſacerdotum, quam regum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem: & tanto in humanis rebus re-

Gelaſius epiſt. 10.

gum

gum cura est propensior, quam sacerdotum, quanto pro honore & defensione ac quiete sanctæ ecclesiæ, ac rectorum & ministrorum ipsius, & leges promulgando, ac militando, a rege regum est eis curæ onus impositum. Et legimus in sacris historiis, quia cum sacerdotes in regimine regni reges ungebant, & diademata capitibus illorum imponebant, legem in manibus eis dabant, ut discerent & scirent, qualiter se & subjectos sibi regere, & sacerdotes Domini honorare debeant. Legimus etiam in sacra historia, quia Ozias rex præsumpsit incensum ponere, (quod non regii, sed sacerdotalis erat ministerii) lepra est a Deo percussus, & de templo a sacerdotibus ejectus, & in domo sua est usque ad mortem reclusus.

ANNO CHRISTI 881. Deut. 17. 2. Par. 26.

II.

Denique si pro salute regis ac reipublicæ ministrorum, & pro ministerio indignitati nostræ commisso, in processu aliqua dixerimus, quæ carnalibus animis valeant displicere, (quia medicus sæpe, quos leni unguento medicare non potest, per amarum poculum confectionis reducit ad hilaritatem sanitatis) ne dicant de nobis quod dictum legimus de sedentibus in cathedra Moysis: *imponunt onera gravia & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*, nos prius verbis sancti Gregorii, ex homilia quam de evangelio tractavit tempore synodi episcoporum, accusamus: quoniam ad exteriora negotia, partim necessitate barbarici timoris, partim negligentia nostri temporis, dilapsi sumus, & aliud ex honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actibus jacent, & correctionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ a cælesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus, implicamur. Impletum est in nobis profecto quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic sacerdos*. Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicimus, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videmus. Cujus hoc nisi nostro præcipue peccato agitur? ecce depopulatæ urbes, eversa castra, ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt: sed nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Pensemus ergo, qui unquam per linguam nostram conversi de perverso suo opere, nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit. Hic pastores vocati sumus, & cum ante æterni pastoris oculos venerimus, ibi gregem nostra prædicatione conversum non ducemus. Sed utinam, si ad prædicationis virtutem non sufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.

ANNO CHRISTI 881. Isai. 24. Osee 4.

III.

De honore & cultu Dei, atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione regiminis regis nostri consistunt, communiter verbis ejus qui dixit discipulis & apostolis suis, quorum licet indigni vicibus in ecclesia sanguine Christi redempta fungimur: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis*, domnum nostrum regem monemus, ut sicut tempore antecessorum suorum imperatorum ac regum exultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, salva æquitatis ratione ita permaneant; & quæ sua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero sub integritate sui serventur. Et sacerdotes, ac servi & ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum, & debita privilegia, juxta reverendam auctoritatem obtineant: eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant.

Luc. 1

IV.

Ut missi regii per civitates, & singula monasteria tam canonicorum, quam monachorum, sive sanctimonialium, una cum episcopo parochiæ uniuscujuscumque in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius qui monasterium retinet,

net, vitam ibi degentium & conversationem inquirant, & ubi necesse est corrigant, & ubi desunt, congruas officinas construere jubeant, & ubi factæ & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, & victum ac potum, & vestitum, atque cetera necessaria, pro qualitate & possibilitate loci, & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalitatem supervenientium hospitum, & receptionem pauperum ibidem disponant & ordinent: & thesaurum, ac vestimenta, seu libros diligenter imbrevient, & breves regi reportent. Imbrevient quid unusquisque ecclesiarum prælatus, quando prælationem ecclesiæ susceptit, ibi invenerit, & quid modo exinde minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Numerum etiam canonicorum, & monachorum, sive sanctimonialium, uniuscujusque loci describant, & regi referant: secundum qualitatem loci, cum consilio episcoporum & fidelium suorum, ubi minor numerus fuerit, regia auctoritate addatur: ubi vero indiscretione prælatorum superfuerit, ad mepsuram redigatur. Et qualiter abbatiarum prælati, & in locis sacris inhabitantes, de his quæ missi regii præceperint, obedierint, regi diligentissime & capitulatim referre procurent.

V.

• Raptores autem, non nostris verbis sed Christi & sanctorum ejus, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, auctoritate ipsius qui nobis licet indignis in apostolis suis dixit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*, monemus, & eis verba ipsius Domini inculcamus, quæ, nisi se correxerint, in extremo judicio audient: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*, & cetera, quibus dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt, qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res apta, si tali subjicit pœnæ non tradita: perpendant quid meretur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Audiant raptores: *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo, & aggravat contra se densum lutum*. Densum lutum contra se aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Audiant quid Christus dicat: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum fiat*? id est, quid prodest homini, si totum quod extra se est con-

A gregat, si hoc solum quod ipse est damnat? Audiant quod illa quæ rapiunt in hoc sæculo deficient, aut in sæculo dimittent, sed secum ad judicium causas rapinæ, id est, damnationem secum ferent. Audiant quid propheta Isaias dicit: *Rapina pauperis in domo vestra*, & *Isai. 3.* *Causa viduæ non ingreditur ad eos*, & *Eccl. 35.* *Non despiciet Dominus preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & Dominus exauditor non* B *delectabitur in illis*. Audiant quia in cujus domo rapina est, sive in domo corporis, sive in domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus: & si accedit ad communionem corporis & sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius, sicut Judas, quando in cœna plenus rapina & iniqnitate communicare præsumpsit de manu Christi, possessus est a diabolo. Unde & suspensus crepuit medius, & abiit in locum suum, id est, suis meritis acquisitum, videlicet in ignem æternum: quia cum intravit sanctus panis in C plenum de iniquitate ventrem, intravit hostis antiquus, qui dicitur diabolus & satanas, in crudelem & impiam mentem. Et ille enim, sicut Judas tradidit Christum peccatoribus Judæis, ita plenus rapinis & iniquitate tradidit Christum peccatoribus membris suis, qui illud inæstimabile Domini corpus violare præsumit. Et væ illi homini, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui præcordiis rapina aut aliquo scelere pol- D lutis mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Væ illi homini, de quo Jesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, utpote proposita consecraturus munera, adesse non dubitatur, adstantibus sibi ministris cælestibus queri cogitur, quod in cœna discipulis de Juda dixit: *Ecce*, inquiens, *manus tradentis me mecum est in mensa*. *Luc. 25.* Et væ illi de quo dicit Paulus apostolus, quod quasi speciali privilegio in cœna Domini quando hæc sunt tradita legimus: *Quicumque manducat panem* *1. Cor. 11.* *hunc, aut calicem Domini bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans*, E ideest, non discernens a cibis ceteris, *corpus Domini*: sed sic ad mensam Domini accedit sine reverentia & timore de peccatis suis, sicut lætus accedit, quando socius suus illum plena mensa pascit de rapinis suis. Et quod idem dicit apostolus: *Ideo* *1. Cor. 11.* *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt*, id est moriuntur, *multi*. Hoc monstratur in exemplo de infirmitatibus & mortibus corporalibus aliquorum, quod

ANNO CHRISTI 881.

sit

ANNO CHRISTI 881.

fit in anima in spiritalibus infirmitatibus atque mortibus omnium irreverendorum. Hoc enim pascha, quod tunc Dominus in novo mysterio egit, quotidie celebramus, quotiescumque missam agimus: sicut ipse tunc omnibus episcopis & presbyteris, ac ceteris fidelibus, celebrantibus atque adstantibus ad hoc terribile sacramentum, in apostolis suis dixit: *Hæc quotiescumque feceritis in meam memoriam facietis*. Et potest fieri, ut quidam audientes tale periculum esse communicare corpori & sanguini Domini, qui non volunt a malis recedere & de præteritis pœnitentiam agere, dicant: Abstinebimus nos ab illa communione, quia non retrahimus nos a mala operatione. Unde audiant quibuscumque diabolus ista susurrat, quoniam sicut Dominus dicit de baptismo, quod nullus potest fieri salvus, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: ita de hac sancta communione dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et sicut dixit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, id est, sicut promisit in baptismate, diabolo & ejus operibus abrenunciando, & in Deum fide quæ per dilectionem operatur credendo, hoc est ut in fide & bonis operibus permaneat, & si post baptismum peccaverit, confessionem & dignam pœnitentiam, illis qui in eum peccaverunt dimittendo, & bonis operibus insistendo, hoc quod male fecit emendet: ita etiam de hac sancta communione dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo*: &: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & ego resuscitabo eum in novissimo die*: &: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*: &: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Audiant rapaces & prædatores, quid iterum Dominus per prophetam dicat: *Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis*? Videlicet quia illius qui prædatur res pauperum & ecclesiarum ac servorum Dei, prædatur a diabolo, & præda illius fit. Audiant quid sanctus Paulus apostolus dicat, per quem locutus est Christus, & qui raptus fuit usque ad tertium cælum, & qui raptus fuit in paradisum, & audivit talia secreta verba, quæ non licebat homini loqui. Ait namque quia *neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt*. Unde intendant quale quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio & homicidio sanctus comparavit apostolus. Item ipse dicit: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec cibum sumere*. Christi discipulo, id est, Christiano, licet, ante satisfactionem, idest, correctionem, ac emendationem & dignam pœnitentiam. Audiant quod sanctus Joannes apostolus, electus & dilectus Christi, qui in cœna super pectus ejus recubuit, talem hominem salutare vetat dicens: *Nec Ave ei dixeritis, neque in domum receperitis*. Audiant quid per prophetam Dominus dicit ad eos qui in medio talium immorantur. *Exite*, inquiens, *de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & habitabo inter vos, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in filios & filias*. Nihil enim est aliud quod isti raptores faciunt, nisi præcursio exercitus antichristi, cujus voce dictum est. *Non movebor a generatione in generationem sine malo*: id est tanta mala faciam in uno loco, ut antequam ad alium locum veniam, adventum meum ibi habitantes timeant: sed & postea sentient. Et Joannes apostolus, *Nunc*, inquit, *antichristi multi sunt*. Unde timendum nobis est quod omnis propter hoc deprecatur ecclesia: *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua*, id est, ad vindictam, *non obliviscaris pauperem populum*, & Dominus, qui non mentitur, repromittit dicens: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, id est, jamque in proximo vindictam exercebo. Audiant raptores, quid de talibus sacri canones decernunt. Si quis, inquiunt, de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliaverit, & mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat, & is contempserit: invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, & quoscumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena. Ecce de pauperum raptoribus. Audiant raptores & prædones rerum ecclesiasticarum, quid sanctus Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, cum totius mundi sacerdotibus judicavit. Dicit namque: Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, mater vero nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aut aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est. Et sanctus Urbanus papa & martyr: Res, inquit, & facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum: si quis illa rapuerit,

reus

reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradere satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. Et sanctus Lucius papa: Rerum, inquit, ecclesiasticarum & facultatum raptores a liminibus sanctæ ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus: & non solum eos, sed & omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. Et sanctus Augustinus in sermone evangelii sancti Joannis ita dicit: Fur sacrilegus loculorum sacrorum & dominicorum est Judas, & qui aliquid de ecclesia furatur & rapit, Judæ perdito comparatur. Item in sacris canonibus a Spiritu sancto dictatis, & Christi sanguine confirmatis, scriptum est: Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Episcopus autem omnibus se audientibus dicere debet quid sit anathema: Id est, alienatio a Christo & ejus corpore, quæ est sancta ecclesia. Et ne desperent tales homines, & in peccato permaneant, ostendere debet episcopus quamdiu duret anathema, id est, quamdiu quisque errorem non corrigit, & digna satisfactione non emendat, ut reconciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem, & reconciliationis indulgentiam, in peccatis suis perseverans mortuus fuerit, jam anathema perpetuum illi erit, & peccatum ad mortem, pro quo non dicit apostolus ut oretur.

VI.

Regiam vero dignitatem, & ministros reipublicæ, ac cooperatores regii ministerii, episcopali auctoritate & Domini voce monemus, ut semetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeant, ut adjutores Dei fieri, & ab ipso & in præsenti sæculo & in futuro adjuvari mereantur: & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab statu rectitudinis eos deviare compellat, quin inter proximum & proximum juste judicent: pupillorum vero, & viduarum, & ceterorum pauperum adjutores ac defensores, & sanctæ ecclesiæ vel servorum illius honoratores juxta suam possibilitatem fiant: illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, sive rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, suo studio & correctione sicut decet compescant. Unde quædam capitula, a præcedentibus imperatoribus & regibus statuta, in unum collecta subjungere dignum duximus, quæ ita se habent. ANNO CHRISTI 881.

Ex capitulis imperatorum & regum.

DE pace in exercitali itinere servanda usque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni sibi præterito anno illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat, & accipiat. Deinceps tamen omnibus denunciare volumus, ut unusquisque cognoscat omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum: & quidquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere: ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro, dignas pœnas persolvat: & senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere sicut decet neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat.

Si quis in exercitu infra regnum, sine jussione dominica, per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum; sive pecora majora vel minora, domosque infringere, vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptioso factum fuerit, sexaginta solidos si liber est sit culpabilis & omnia * cimelia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subjaceat, & Dominus omnia cimelia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit, ut talia non perpetraret. Quoniam si nosipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat. Lib. v. c 189. * *Sirmondi similia.*

Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quidquid exinde per vim abstulerit, aut rapuerit, vel furaverit, secundum legem illi, cujus domus fuerit infracta & spoliata, in triplum componat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum suam legem compositionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in vadio pro servo dare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat. Lib. III. c. 61

De pace admonemus, ut omnes qui per aliqua scelera rebelles sunt constringatur. Lib. III. c. 1.

Si quis messes aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit, vel paverit, aut furaverit, aut cum caballis vastaverit, æstimato damno secundum legem in triplum componat: & si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus vero secundum legem tripla compositione damnum in loco restituat, & pro damno disciplinæ corporali subjaceat. Ibid. cap 66.

Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, ejusque homini, aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero a comite ante nos adducatur, ut in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit pœnas luat. Lib. 6. c. 95

——Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sacrorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam *raptores*, ut ait apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non possidebunt*. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerint, gravius inde judicentur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctæ matris ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ quam læserint, sunt habendæ, atque firmiter denotandæ.

ANNO CHRISTI 881.

1. Cor. 6.

Caroli Calvi tit. XII, c. 12. Unusquisque missus in suo missatico provisionem habeat, ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens, vel commanens, rapinas, vel deprædationes, aut talia illicita fecerit, de quibus Deus offendi solet, & populus pro oppressione gemere, quatenus hoc subtiliter & veraciter investiget, & nobis renunciet, qualiter inde nos sic ordinemus, ut nec ipsum, nec alium hoc agere delectet.

Ibid. c. 13. Ut missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri, aut alii quilibet, vicinos suos majores vel minores tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hiemis, quando marescalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos majores vel minores deprædentur: & si egerint, hoc etiam, ut prædiximus, veraciter missi nostri investigent, & nobis renuncient, ut in seniore hoc sic emendemus quatenus homines suos in potestate habeat, & contenti sint debitis, & indebita injuste non appetant.

Ludovici Balbi sit. III. c. 7. & 8. Volumus ut res ecclesiarum, in cujuscumque regno caput fuerit, tam de episcopatibus, quam de abbatiis, sine ulla contradictione rectores ipsarum ecclesiarum, sicut tempore domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant. Et quia per vagos & tyrannica consuetudine irreverentes homines pax & quies perturbari solet, volumus ut ad quemcumque nostrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem & justitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, nisi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequantur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

Caroli Calvi tit. XXVI. c. 5. Similiter & de eo agendum est, qui pro aliquo capitali & publico crimine a quolibet episcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitime perat.

Caroli Calvi tit. IX. c. 4. Denunciandum est omnibus, & a missis nostris ordinandum, ut omnes ecclesiæ & presbyteri sub immunitate ac privilegio, & ordinatione atque dispositione episcoporum singularum parochiarum, in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam, & capitularia domini Caroli imperatoris & pii Augusti Hludovici permaneant.

Ibid. c. 5. Ut missi nostri diligenter investigent cum episcopo, & prælatis monasteriorum, & per fideles & strenuos viros in unaquaque parochia, de rebus ecclesiasticis in alodem datis: & sicut evidentibus & veris indiciis ac auctoritatibus comperierint, diligenter a quo & quibus datæ sint, & quantum exinde sit describant, & nobis renuncient, ut cum consilio fidelium nostrorum hoc sacrilegium emendare curemus.

Ibid. cap. 6. Ut missi nostri expresse, & cum omni diligentia, cum episcopo & prælatis monasteriorum, per singulas parochias requirant de rebus ecclesiasticis unde nonæ & decimæ solvi debent, & non solvuntur, ut persolvi ab eadem res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur: & prælatus ipsius casæ Dei, unde res esse noscuntur, & ille qui eas detinet, & nonam ac decimam solvere detrectat, simul cum missis nostris ad nostram jubeatur venire præsentiam, ut tunc veritate comperta, & diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde præcipiamus.

ANNO CHRISTI 8.

Volumus etiam, ut investigent missi nostri, qualiter illi, qui eadem res ecclesiasticas, unde decimæ dantur, sive non dantur, illas salvas habeant, & in casticiis & in silvis custoditis, vel si terræ ac mancipia inde perdita sint, vel aliquid hujusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem, & omnia per breves renuncient missi nostri. Ibid.

Ut missi nostri per singulas parochias comitibus & reipublicæ ministris ex banno nostro præcipiant ne malla vel placita in exitibus & atriis ecclesiarum, & presbyterorum in mansionibus, neque in dominico, vel festivis diebus, tenere præsumant: sed comes convenientem locum consideret & inveniat ubi stationem ad mallum tenendum constituat: quia nefas est ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium & decreto prædecessorum nostrorum consequuntur. Ibid. p.

Ut missi nostri comitibus, & omnibus reipublicæ ministris, firmiter ex verbo nostro denuncient, atque præcipiant, ut a quarta feria ante initium quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas paschæ, mallum vel placitum publicum, nisi de concordia & pacificatione discordantium, tenere præsumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini, usque post consecratos dies observent: nec non in jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus, simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant. Ibid. ap.

Ut missi nostri omnibus per singulas parochias denuncient, quia si episcopus, aut ministri episcoporum, pro omnibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, & ut ipsi crimnosi corrigantur, cum tali discretione sine ulla occasione indebita, sicut in synodo collocutum est, & vel inviti pœnitentiam temporaliter & corporaliter agant, ne æternaliter pereant: si seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur continere præsumpserint, sciant quia & bannum nostrum component, & simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harmiscaram sustinebunt. Ibid. p.

Ut missi nostri omnibus reipublicæ ministris denuncient, ut comes, vel reipublicæ ministri, simul cum episcopo uniuscujusque parochiæ sint in ministeriis illorum, quando idem episcopus suam parochiam circumierit, cum episcopus eis notum fecerit: & quos per excommunicationem episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate & potestate ad pœnitentiam vel rationem atque satisfactionem adducant. Ibid.

Sciant etiam fideles nostri, quia concessimus in synodo venerabilibus episcopis, ne super beneficia ecclesiastica, vel præstarias, etiamsi quilibet monasteriorum prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ ullo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione se unusquisque compescat. Ibid. p.

De uno manso secundum capitulare Augustorum & prædecessorum nostrorum ad ecclesiam dato, Caroli Calvi tit. cap.

to, nullus cenſus, neque caballi paſtus, a ſenioribus de presbyteris requiratur, ſicut in præfato capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco ſepulturæ ad eaſdem eccleſias datis, nempe de decimis, ſicut in canonibus, & in præfatis capitularibus continetur. Et ubi inventum fuerit a miſſis noſtris, quod ſeniores ſine conſcientia epiſcoporum presbyteros de eccleſiis ejiciunt, vel in eccleſiis ſtatuunt, miſſi noſtri, ſicut in præfatis capitularibus continetur, inde faciant, & epiſcopi de clericis hominum noſtrorum ita faciant, ſicut in eiſdem capitularibus continetur.

Hoc miſſi noſtri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad cauſas audiendas & judicandas ſedere volumus. Comites autem & miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, ſi noſtram gratiam habere volunt. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut miſſi noſtri, aut comites, eis juſtitias noluerint facere.

Ut noſtri fideles, unſquiſque in ſuo ordine & ſtatu, veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc inante contra legem & juſtitiam, vel auctoritatem ac juſtam rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus: & illorum, ſcilicet veraciter nobis fidelium, communi conſilio ſecundum Dei voluntatem, & commune ſalvamentum ad reſtitutionem ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſtatum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commiſſi nobis pertinentem aſſenſum præbebimus. In hoc ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes ad iſta exequenda: verum etiam ſic ſint nobis fideles, & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero conſilio & ſincero auxilio ad noſtrum debitum honorem, & ad iſta peragenda quæ præmiſimus, ſicut per rectum unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu ſuo, principi & ſuo ſeniori eſſe debet.

VII.

Ecce quæ de rapinis & de raptoribus ſanctus Spiritus per ſibi organa digna comminatus eſt & decrevit. Ecce quæ anteceſſores veſtri imperatores ac reges, in diverſis ſynodis ac placitis, conſilio epiſcoporum ac ceterorum fidelium ſuorum inde conſtituerunt. Quæ quomodo de emendationibus quæ male acta ſunt legi per Moyſen datæ congruant, qui eam legit intelligit. Et in evangelio legimus dixiſſe Zachæum ad Dominum: *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quem defraudavi, reddo quadruplum.* Ad hoc enim aliam medietatem bonorum ſuorum ſervavit. Et hinc ſanctus Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium dicit: Quod dicis, inquiens, Sceleris culpam cupiunt ſibi homines relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt poſſidere: peſſimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res neceſſaria, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: ſed cum reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec aliud habet unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, Redde quod abſtuliſti, niſi cum habere credimus & negare. Ubi quidem ſi aliquos ſuſtinet repente cruciatus, dum exiſtimatur habere quod reddat, nulla eſt iniquitas: quia etſi non eſt unde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per moleſtias corporales redhibere compellitur, peccati quo male ablata eſt pœnas luit. Sed inhumanum non eſt etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum: non ad hoc ut minime reſtituatur aliena, ſed ne fruſtra homo in hominem ſæviat. Illud vero fidentiſſime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſte poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis. Nam miſericordius opem noſtram talibus ſubtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, ac non potius ſubvertit atque opprimit. Nolentes autem reddere, quos novimus & male abſtuliſſe, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem inſaniam concitari. Aliquando etiam, ſi res magis curanda non impeditur, ſancti altaris communione privamus. Nec interveniendum eſſe pro aliquo auſim dicere, ut quod ſcelere abſtulit, ſceleris impunitate poſſideat: ſed ut remiſſa injuria quod injurioſe abſtulit reddat, ſi tamen habet quod abſtulit, vel aliud unde illud reſtituat. Qui vero contra jus ſocietatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppreſſionibus, invaſionibus abſtulerit, reddenda potius quam donanda cenſemus, Zacchæi publicani evangelico exemplo, qui cum hoſpitio Dominum ſuſcepiſſet, in vitam ſanctam repente mutatus, *dimidium*, inquit, *rerum mearum do pauperibus, & ſi cui aliquid abſtuli, quadruplum reddo.* Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges & judices reddi jubent? An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Omnes igitur nos, & vos, & totius regni populus, recurramus ad conſcientias noſtras, & quidquid contra voluntatem & mandatum Dei cogitavimus, parabolavimus, & fecimus, per puram confeſſionem, ac dignos pœnitentiæ fructus, atque ſacerdotalem reconci- Luc. 19.

ANNO CHRISTI 881.

liationem, expurgemus nos a fermento malitiæ & nequitiæ: & sicut hortatur nos Spiritus sanctus per psalmistam, *præoccupemus faciem ejus in confessione: procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus.* Legimus enim in historia Macchabæorum, quia vir fortissimus Judas pugnavit contra inimicos ecclesiæ quæ tunc temporis erat, & plures ex suis in illo bello ceciderunt. Postquam autem fugatis adversariis ipse Judas cum exercitu suo ad sepelienda corpora suorum qui in bello ceciderant reversus est, inventa sunt sub tunicis occisorum donaria de idololatriis, & manifestum factum est Dei judicium, quia proinde ceciderunt in bello. Ergo si sub tunicis nostris, id est, inter corpora nostra, habemus conscientiam malam de rapinis, de avaritia, quæ est idolorum servitus, de luxuriis, de invidia, de fraternis odiis, & de homicidiis, de sacrilegiis, & de incestibus, & de ceteris criminibus, ac peccatis, expurgemus illa mala per puram confessionem, & per bonam devotionem, & per lacrymas, & per eleemosynas & dignas satisfactiones, & quantocius tempus fuerit, faciamus omnes in commune de præteritis peccatis, sive manifestis, sive secretis, publicam pœnitentiam, & triduanum jejunium, & mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Quia, sicut S. Augustinus dicit exponens sententiam apostoli, peccata sive parva sive magna impunita esse non possunt: quia aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante plectuntur: cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat Deus pœnitentibus & confitentibus parcere & se judicantes non judicare. Et post jejunium, & dignos pœnitentiæ fructus, & professionem quod ab istis malis, in quibus hactenus versati sumus, nos de cetero abstinere debeamus, quia pœnitentiam vere agere est commissa plangere, & iterum plangenda declinare, mutata in mente malignitate in benignitatem, accipiamus corpus & sanguinem Christi in remissionem peccatorum nostrorum, ut Deus in nobis habitet, & nos in Deo: quatenus nec invisibiles, nec visibiles inimici contra nos potestatem habeant. Nam aliter, nec super pravos Christianos virtutem, nec contra Paganos habere poterimus victoriam. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet: tantum ex toto corde convertatur ad Dominum. Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia absterfit: & conversus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos jam percepisse quod petimus. Citius ad precem judex flectitur, si a pravitate sua petitor corrigatur. Ea namque quæ ingrata esse hominibus impottunitas solet, judicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult a se veniam exigi, qui quantum meremur non vult irasci. Hinc etenim per prophetam dicit: *Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Ipse ergo sibi testis est qui invocantibus misereri desiderat, qui admonet ut invocetur. Et sicut per alium prophetam admonet: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Ad Deum quippe corda cum manibus levare est, orationis studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat timori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et certa sententia est, quia quos Deus diu, ut convertantur exspectat, non conversos durius damnat. Et postquam taliter, sicut prædiximus, a peccatis nostris nos & vos mundabimus, de cetero ab eisdem & ab aliis peccatis nos contineamus, ne continget nobis illud proverbium, quod beatus Petrus apostolus de redeuntibus post pœnitentiam ad peccata dicit: *Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Magna est enim contra peccatum pœnitentiæ virtus: sed si quis in eadem pœnitentia perseveret. Nam scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hinc scriptum est: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Mortuum quippe est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita justitiæ non vivit. Baptizatur ergo a mortuo & iterum tangit eum, qui prava opera, quæ se egisse meminit, deplorat; sed eisdem se iterum post lacrymas implicat. Animæ itaque cuilibet ejusdem mortui lavatio non proficit, qui hoc iterum faciendo quod planxerat, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem justitiæ exurgit. Et quicumque tempore pœnitentiæ profitetur ad pristina peccata se non rediturum, id est, præterita peccata anathematizat, (quoniam aliter nec a Deo solvitur, nec sacerdotali ministerio reconciliari potest,) solicite attendat quæ S. Gregorius in quadam epistola sua dicit. Si qui vero sunt, inquiens, qui dicunt quia compulsus quispiam necessitate si anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere. Ac per hoc nec absolutionem sanctæ ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diu disputan-

ANNO CHRISTI 881.
Psalm. 94.
2. Mach. 12.
Joan. 4. Luc. 23.
Psal.
Thren.
Ezech.
2. P.
Matth.
Eccles.
Lib.

tandum non est, quia per omnia despici- endi & anathematizandi sunt: & unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc, quæ prædiximus, aut prædicare audent, aut taciti apud seipsos tenere, procul dubio eos & ego, & omnes catholici episcopi, atque universa ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur. Interest tamen plurimum inter eos, qui post pœnitentiam & professionem ad criminalia & publica peccata redeunt per contemptum, & in eis persæverare diligunt, & inter eos, qui per fragilitatem in præterita peccata criminalia vel publica recidunt, & iteium pœnitentiam poscunt: quia sicut S. Augustinus dicit, in tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altatis reconciliationem, vel similia vel graviora committant: & tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minus tribuit, quam ante tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis in ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ pœnitentiæ non oblivisciturQuamvis ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat Deo dicere, Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis constringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod apostolus ait: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* aut istis exceptis esse diffinitum quod scriptum est: *Beati omnes qui confidunt in eum*? aut ad istos non pertinere quod dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino*?

VIII.

Tandem ad vos, domine rex dilectissime nobis, sermonem convertimus, quia & in isto temporali regno vos prosperari cupimus & post istud regnum ad æternum pervenire desideramus. Sicut quidam nostrum ab illis audivit, qui interfuerunt, Carolus Magnus imperator, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos quadraginta sex feliciter rexit, & sapientia tam in sanctis scripturis, quam & in legibus ecclesiasticis & humanis, reges Francorum præcessit, nullo unquam tempore sine tribus de sapientioribus & eminentioribus consiliariis suis esse patiebatur: sed vicissim per successiones, ut eis possibile foret, secum habebat, & ad capitium lecti sui tabulas cum graphio habebat, & quæ sive in die sive in nocte, de utilitate sanctæ ecclesiæ, & de profectu ac soliditate regni meditabatur, in eisdem tabulis annotabat, & cum eisdem consiliariis, quos secum habebat, inde tractabat: & quando ad placitum suum veniebat, omnia subtiliter tractata plenitudini consiliariorum suorum monstrabat, & communi consilio illa ad effectum perducere procurabat. Et si ille, qui sic sapiens & fortis, & amplitudine regni locuples, & multorum regnorum pacificus dominator, agere studebat, (sequens sententias scripturæ dicentis: *Omnia fac per consilium, & post factum non pœnitebis*: &: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit*, &: *Ubi non est gubernator, populus corruet; salus autem, ubi multa consilia*:) quid vobis sit agendum attendite, qui adhuc in ætate immatura estis, & tantos compartícipes atque æmulos in ista particula regni habetis, ut nomine potius, quam virtute regnetis. Quæsumus cum consilio & auxilio fidelium vestrorum, eligite qui vobiscum per singulos menses de utroque ordine consiliarii maneant, quibus aurem & cordis & corporis libenter accommodetis, quique vos & Deum timere, & sanctam ecclesiam ac rectores ejus secundum sacras leges doceant honorare, & regnum ac fideles vestros secundum voluntatem Domini gubernare, & vestram domum, sicut tempore antecessorum vestrorum fuit, quando bene fuit, illam vobis insinuant ordinare, ne vos illuc trahat necessitas, quod ducere non debet voluntas. Quatenus ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludovvici non fuerunt, sed moderno tempore impositæ fuerunt, non affligantur: & regni primores cum debita securitate ac honore erga vos consistere possint, & ceteri nobiles homines in regno securitatem habeant, ne per diversa ingenia a suis opibus quas habere potuerint, dispolientur. Quia postquam radix omnium malorum cupiditas in regno exarsit, ut nullus, aut pene nullus, honorem aut aliquod bonum sine pretio posset acquirere aut tenere, aut securitatem habere, pax & consilium & justitia, atque judicium, sicut necesse fuerat, locum in isto regno non habuerunt. Et satagite, ut istæ rapinæ ac deprædationes in isto regno cessent, & miser iste populus, qui jam per plures annos per deprædationes diversas & continuas, & per exactiones ad Northmannos affligitur, aliquod remedium habeat, & justitia & judicium, quæ quasi emortua apud nos sunt, reviviscant, & virtutem nobis Deus reddat contra paganos, quia usque modo jam ante plures annos locum in isto regno defensio non habuit, sed redemptio & tributum non solum pauperes homines, sed & ecclesias

ANNO CHRISTI 881.

Psal. 32. Prov. 1. Prov. 11.

ANNO CHRISTI 881. quondam divites jam evacuatas habent. Ideo regium nomen ad tantam contumeliam & ad tantam brevitatem devenit, ſicut multis eſt notum, & iſtud regnum, quondam nobile atque amplum, in ſeipſum

Matth. 12. eſt: at ſicut Dominus dicit, *regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur*, id eſt, de ſolo, videlicet de terra, labitur, id eſt, ac ſi

Pſalm. 7. de glacie lubricatur; ita ut non ſit quod in proximo eſt, niſi, ut in pſalmo dicitur, converſi fuerimus; jam Dominus gladium ſuum vibravit, tetendit & paravit illum, & in eo vaſa mortis effecit. Timete ſententiam quam ſcriptura dicit quæ

Eccleſ. 10. non mentitur: *Væ terræ cujus rex juvenis eſt, & cujus principes mane comedunt*. Et attendite, quia non deteſtatur ſcriptura ætate juvenem, ſed moribus, & vita, atque ſtultitia, quæ nulla conſilii gravitate deprimuntur. Quod alibi ſanctæ ſcripturæ

Sap. 4. ſententiæ monſtrant dicendo: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hoNum. 11. minis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Hinc eſt ergo, quod ad Moyſen Dominus dicit: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint*. In quibus non aliud quam ſenectus mentis requiritur, cum tales jubentur eligi qui ſenes ſciuntur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, a tantis ſciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur, *quos tu noſti quod ſenes populi ſint*, profecto liquet quia ſenectus mentis, non corporis eligenda denunciatur. A Talium quippe ſenum, ſicut ſcriptura demonſtrat, conſilium Roboam filius Salomonis reſpuit, & hujuſmodi juvenum conſilium ſecutus, maximam partem regni paterni ſua negligentia perdidit. Cui Dominus propter merita David avi ſui parvam regni particulam reſervavit. De eo quod ſcriptum eſt: *Væ terræ, cujus principes mane comedunt*, non de neceſſaria, ſed de voluptuoſa comeſtione dicit ſcriptura, ſicB ut demonſtrat apoſtolus dicens: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis vel in concupiſcentiis*. Quos enim a cura carnis in concupiſcentiis refrænat, in neceſſariis quoque concedit. Deus omnipotens, qui per nos hæc loquitur in auribus veſtris, per ſe loquatur in cordibus veſtris.

ANNO CHRISTI 881. 2. Reg.

Eccl. 10.

Rom. 13.

Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Finibus Rhemenſis parochiæ*.) Hodie *Fimes* vocitant, celebre opidum martyrio & cultu ſanctæ Macræ virginis. Olim Fines dicebant, quia in finibus pagi Rhemenſis & Sueſſionici. Itinerarium vetus. *Auguſta Sueſſeſum. Fines. Durocortorum Rhemorum*. Synodi ergo apud martyrium ſanctæ Macræ plures habitæ memorantur. Hujus autem, in qua verſamur, meminit Hincmarus epiſt. * III. cap. v. XI. & XXXVII. item epiſtola IV. capite I. & XVI. & aliis locis. Meminit etiam epiſtolæ, quæ non exſtat, ab hac ſynodo directæ ad Ludovicum regem in epiſtola quam eidem regi ſcripſit pro electione epiſcopi Belvacenſis.

* Videm. II. opera Hincm. p. 188 n. 193.196.213.216.

2 *Raptores autem*.) Hincmarus epiſtola * IV. capite XVII. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda, ex ſacris ſcripturis, eccleſiaſticarum legum deffinitionibus, ac legum ſacrarum conſtitutionibus, ſufficienter ex ſynodali conventu apud martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri hujus regis noſtri nuper defuncto per epiſcopos miſimus*.

nunc numeratur in edit. R. P. Ibid. Sirmon.

CONCILIUM ROMANUM VII.

Joannis papæ VIII.

In quo Romanus Ravennas Archiepiſcopus communione privatus fuit.

ROmanum Archiepiſcopum Ravennatem multis criminibus irretitum, multorumque hominum accuſationibus horrendis impetitum, & præcipue manifeſto perjurio pollutum miſſis per Joannem Montis Feretrani Epiſcopum literis ad Synodale Collegium Romam evocaverat Joannes Papa VIII. cui cum ille præſentiam ſuam exhibere contempſiſſet, eum iterum ad aliam Synodum octavo Kalendas Octobris quintædecimæ Indictionis celebrandam vocat miſſis per Joannem Callenſem Epiſcopum literis, quæ inter Joannis Epiſtolas leguntur n. 275. Repetito tamen Pontificis præcepto cum Romanus minime obtemperaſſet, & ſe concilio ſiſtere renuiſſet, in Synodo D excommunicatus eſt, ut docent literæ Joannis n. 278. datis *menſis Octobris die quarta, indictione duodecima* (legendum XV. non autem XIV. ut perperam emendatur in margine editionis Labbeanæ,) ad Ravennates, in quibus hæc leguntur: *Noſſe volumus fidelitatem, & unanimitatem veſtram, quia Romanum archiepiſcopum veſtrum pro perjurii reatu manifeſte pollutum, aliiſque nefandis criminibus impetitum, & idcirco ad Synodum pro ſui purgatione vocatum, occurrere contemnentem, omni Eccleſiaſtica communione una cum ſancta Synodi decreto privavimus, quouſque ſuam ſpecialem ſtuduerit nobis exhibere præſentiam* &c.

☞ RAVENNATENSE CONCILIUM, ſeu CONVENTUS

ANNO CHRISTI 882.

A Joanne VIII. Carolo Craſſo imperatore præſente,

Anno 882. idibus Februarii celebratus.

Ex Manſi Suppl. pag. 1035.

QUamquam de hoc Concilio nihil alicubi ſub expreſſo Concilii nomine reperi; cum tamen ex diplomate Caroli Craſſi, mox recitando, conſtet anno 882. idibus Februarii Joannem VIII pon-

ANNO CHRISTI 882.

pontificem Ravennam cum imperatore se contulisse, eodemque convenisse *cœtum multorum venerabilium episcoporum;* ibique habitum fuisse *Concilium generale*; nihil temere me facturum existimavi, si cœtum hunc sacrum, Concilii nomine appellaverim. In eo igitur seu conventu seu Concilio sequentia duo Caroli Crassi imperatoris diplomata data sunt, quæ recitat Ughellius Ital. sacr. in Brugnatensibus tom. IV. pag. 981. & in regio Lepidi episcopi tom. II. col. 251. nov. edit. His vero & aliud adjicio ejusdem Caroli imperatoris diploma in eodem seu conventu, seu Concilio Ravennatensi datum, in quo decretum pro immunitate ecclesiarum generatim omnium, & Aretinæ præsertim fertur; quam constitutionem, & sua, & episcoporum secum ibidem præsentium, ac denique Principum imperii authoritate sancitam, asserit. Postremum hoc diploma datur ex Muratorio in Antiquit. Ital. tom. I. col. 869. Idem, quod Muratorius in gratiam Aretinæ ecclesiæ affert Caroli imperatoris documentum; idem, inquam, exhibet Ughellius tom. V. pag. 722. pro Veronensibus; nisi quod ubi apud Muratorium legitur *Aretinæ ecclesiæ*, Ughellius habet *Veronensis*. Ceterum in diplomate Muratorii legendum est pro anno 883. annus 882. cum illum ferat indictio XV. idemque recte signet Ughellianum diploma,

PRÆCEPTUM CAROLI CRASSI

Pro Brumacensi Abbatia.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divina favente clementia Imperator Augustus. Si petitionibus servorum Dei justis, & rationabilibus annuimus, & necessitudines injustas sublevamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus, quia decet imperiale fastigium sibi subditis partes oppressas obsecta erigendo, & ad proprium, Deo favente, statum reintegrando perducere. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ animarum præsentium scilicet, & futurarum comperiatur industria, quia venientibus nobis Ravennam ad colloquium spiritualiter nostri Joannis, videlicet summi Romani Pontificis, & universaliter Papæ, pervenit ad nostram notitiam cum eodem Pontifice vero.... Petrus de monasterio Brumen. proclamantes sibi illatis superstitionibus a seculari & publica potestate, ita ut, contempto timore Dei, & abjecta jussa Domini Luitprandi, & Racchis, seu & Ridulphi, nec non & Gregorii Papæ interdicta, seu Desiderii Regum prædecessorum nostrorum, ita ut ecclesia, seu ecclesiastica prædia, & placita teneant, & districtiones in liberos massarios super ecclesiasticas res residentes, & servos Aldiones, tributa faciant ab eis, & exigant deminationes, & censum, donationes, & angarias, & operas, quod non solum Ecclesiæ filiis, sed Deo odibiles credimus, qui talem violentiam apud Christianos faciunt. Ideoque omnium fidelium nostrorum notum sit in concilium generale Dei nostri, atque Imperiali auctoritate omnes has superstitiones, & importunas funditus violentias ab hoc hodierno die deinceps abolendas, in vobis omnibus decernimus statuentes, ut in S. Brumensi Ecclesia nullus episcopus, nullus dux, comesque, nullus Judex, vel quilibet indicet judiciariæ potestatis personam, tam Imperialibus, quamque & reliquorum hominum, non audeat de omnibus rebus prædicti monasterii placita tenere in massanos aut colonos liberos, aut aldiones, vel servos quoscumque residentes super res ad prædictam Ecclesiam pertinentes quibuslibet modis distringere, pignorare, aut angariare, census, deminationes, & denaria exigere quoquo modo præsumant, nisi sicut constituit Gregorius PP. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censum reddendum denarium octo, & candela duo, sed liberos massanos, vel erimanos, quos legales coactio exigere, quæ re placitum per patronum, vel advocatum adducat, ut legalis distinctio legalem intentionem inde imponant. Hæc vero nostra imperialis institutio tam episcoporum quique & comitum, seu reliquorum fidelium nostrorum generaliter promulgata, & sancta auctoritas notum sit in toto A Regno Romanorum Deo favente per infinita tempora proprium robur obtineat, nullique temeratori impune eam contemnere facultas existat, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impositione insigniri jussimus, quas si quis vitiare præsumpserit 100. lib. auri se compositurum cognoscat mediet. Eccles. vel monast. cui * violentiam intulerit, & mediet. palatio nostro.

* *l.* violentiam.

Signum † Domini Caroli Imperatoris.

Vvalde Notarius ad vicem Lutuardi Archicancellarii recognovit.

Dat. 15. Kalend. Martii anno Incarn. D. 882. Ind. 15. anno vero piissimi Imperat. Caroli II. ad Ravennam in Dei nomine. Amen.

„ Act. Placentinus Notarius Sacri Palatii suprascripti privil. exemplar transcripsi, & exemplicavi ab authenticis publicis sigillis vetustissimis cereis sigillatis sicut in eis vidi, & legi. Et hæc cum eisdem auscultavi, ad quorum corroborationem jussu, & auctoritate D. Othonis Archiep. Januen. & Guilielmi Brumacensis electi subscripsi, & in publicam formam redegi.

CAROLI CRASSI IMPERATORIS

Præceptum aliud pro Regiensi ecclesia in eadem Synodo datum.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Carolus divina favente clementia imperator augustus. Solet imperialis majestas prædecessorum regum vel imperatorum decreta optimatum suorum intuitu diligenter scrutari, & ea, quæ congrua sunt, libenter sectari, sicque fit, ut dum eorum dignas sanctiones recolit, & rempublicam ad pristinum statum perducat ecclesiasticam, & eam conservando sempiternæ remunerationis bravium a rege regum percipiat. Universorum igitur sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque, præsentium scilicet ac futurorum nosse cupimus sagacitatis industriam, qualiter venientibus nobis Ravennam ad colloquium spirituale Patris nostri Joannis pontificis & universalis PP. ubi multorum episcoporum venerabilis cœtus, nec non & nobilium procerum caterva convenerat, inter quos ven. Aaron S. Regiensis ecclesiæ præsul, per reverendos pontifices Lintuvardum Vercellensem sacri palatii nostri Archicancellarium, & Vvibodum Parmensem, summos & dilectos consiliarios nostros, detulit nobis præcepta proavi nostri Caroli, & avi nostri Hludovici, & patrui nostri Hlotarii, seu & Hludovici imperatoris consubrini nostri, in quibus continebatur quod quondam casu accidente S. Regien. ecclesiæ tecta ignium flammis sint consumpta, & quædam monumenta chartarum exusta, pro quibus ejusdem ecclesiæ Antistites, Apollinarii videlicet, cujus temporibus

in-

incensa fuerant, Vitalis quoque & Sigefridus pro temporum qualitate, regnique immutatione supradictorum imperatorum defensiones, & totius ecclesiæ tuitiones, rerumque omnium mobilium, & immobilium, cum familiis utriusque sexus, aldionibus, & aldianis, libellariis, & commenditiis, cunctoque clero episcopii, terminisque & confinus per quadripartitionibus orbis plagas, & climata per parochias & diœceses circumquaque per montana, & planities, ac colles, & valles, rivosque defluentes per renovationis seriem, adepti sunt a finibus Tusciæ per confinia Lunensium, Mutinensium, Regiensium, Parmensium, Cremonensium, & Mantuanensium usque in fluvium Padum, immunitatem, & more ceterarum ecclesiarum, & inquisitionem per liberos homines sincere fuerit faciendum, & advocatos duos vel tres, quos ipsius ecclesiæ pontifices aptos & sibi congruos prospexerint eligant, qui causas ecclesiæ suæ diligenter examinent, & inquirant, ipsique advocati ab omni publica expeditione sint semper immunes: pro securiore tamen firmitate jam præfati pontifices nostram expetierunt clementiam, ut & nos eidem sanctæ Regiensi ecclesiæ nostræ defensionis, emunitatis, inquisitionis quoque, & advocationis pragmaticum fieri juberemus. Nos vero divino freti amore postulationibus eorum assensum præbuimus, & sicut jam præfati parentes nostri imperatores Augusti, Carolus scilicet proavus noster, & Hludovicus filius ejus avus noster, necnon & Hludovicus consobrinus noster sanctam Regien. Ecclesiam sub eorum defensione cum terminis, & hominibus, rebus ad eam pertinentibus receperunt; ita & nos in omni defensione rerum, & terminorum per montana, planitiesque, valles quoque, colles & alpes, rivosque distillantes & decurrentes, cum hominibus liberis, & servis utriusque sexus, commenditiisque, & libellariis, aldionibus, & aldiabus, cunctoque clero..... ejusdem ecclesiæ residentibus favemus, ut nullus publicus exactor census, aut donaria, aut mansionatica, vel aliqua publica servitia ab eis exigat; emunitatem quoque, & inquisitionem, vel advocationem, ut jam dictum, per duos vel tres, quos elegerint, perdonamus, omniumque facultatum protectionem concedimus, quas hactenus tam oblatione fidelium, quam donis & largitione ac concessione rerum, vel imperatorum in montibus, & planis, ripisque, & paludibus, cum piscationibus, & fluminibus magnis, & parvis, aquarum ductibus per ipsius ecclesiæ acquisivit, vel deinceps juste acquirere potuerit. Statuimus etiam ut in terminis S. Regiensis ecclesiæ nullus aut comes, dux, vel aliqua judiciaria potestas, aut minister reipublicæ in domo episcopis, vel in plebibus, aut titulis, aliisque ecclesiis, vel domibus, aut possessionibus urbanis, aut rusticis placita tenere, aut massarios, & colonos liberos, aut servos, aut aldiones, supra res eidem ecclesiæ residentes, distribuere, pignorare, vel angariare, census, aut denaria exigere præsumat. Liberi vero, quos legalis, quæ actio ad placitum exigit, quærere per advocatum ejusdem ecclesiæ, super res ipsius ecclesiæ distringantur, ne pignorationis occasio aditum rapinæ pro datoribus præstet. Hoc etiam in hominibus herimannis præfatæ ecclesiæ filiis omnimodis observare jubemus, ut ab eis nulla denaria aut redibitiones, aut pignorationes, aut injustæ districtiones exigant, vel aliqua superimposita eis inferantur. Præcipimus etiam ut nullus reipublicæ minister per universa regni spatia ab hominibus sæpe nominatæ Regiensis ecclesiæ liberis & servis teloneum, aut ripaticum exquirat; sed liceat eis pro utilitate ejusdem ecclesiæ ejusdemque pontificis libere & secure per Padum, sive per alia flumina rivosque ac paludes atque mercationes ubique incedere, & quæ necessaria fuerint exercere. Si quis autem hoc nostræ defensionis, & renovationis, ac restitutionis, seu inquisitionis, & advocationis præceptum violare temptaverit, noverit se compositurum emunitatis pœnam in argento lib. 30. & quia mandatum irrumpere coactus fuerit, edictum componat auri obrizi 60. medietatem palatio nostro, & medietatem præfatæ sæpe nominatæ ecclesiæ. Insuper & hoc nostrum præceptum in suo vigore perenniter consistat. Et ut hoc nostræ confirmationis, & renovationis præceptum ab omnibus verius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter illud confirmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

ANNO CHRISTI 882. Ex Mansi Suppl. pag. 1035.

Sign. Domini † Caroli serenissimi imp. augusti.

Waldo not. ad vicem Lituardi Archicancellarii recognovi.

Data idib. Februarii ann. Incarnat. Domini 882. Indict. 15. anno 2. imperatoris piissimi Caroli II.

Actum civitat. Ravennæ in Dei nomine feliciter. Amen.

DECRETUM IMMUNITATIS

Concessum a Carolo Crasso imperatore omnibus ecclesiis, & nominatim ecclesiæ Aretinæ.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia imperator Augustus. Si petitionibus Sacerdotum Dei justis, & rationabilibus annuimus, & necessitudines injustas sublevamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capescendam pertinere confidimus, quia decet imperiale fastigium sibi subditas partes oppressas, pravitate abjecta, erigendo, & ad proprium Deo favente statum redintegrando perducere. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet, & futurorum comperiat industria, quia venientibus nobis Ravennam ad colloquium spiritalis Patris nostri, Domni Joannis videlicet summi Romaui pontificis, & universalis papæ, pervenit ad nostram notitiam maxima venerabilium episcoporum, & populi proclamatio de plurimis sibi illatis superstitionibus, & injustis * oppressionibus a seculari & publica potestate, ita ut contempto timore Dei, & objecta a prædecessoribus nostris interdicta, per plebes & ecclesiastica prædia, & domos placita teneant, districtiones in liberos massarios, super ecclesiasticas res residentes, & servos, & aldiones faciant, tributa ab eis exigant, census, & donaria, angarias etiam, & operas, & non solum ab eis, sed & ab omnibus liberis erimannis, & ecclesiæ filiis, quod Deo odibile certissime credimus, quia tales violentias apud Christianos non debere fieri non dubitamus. Ideoque omnium fidelium nostrorum tam reverentissimorum episcoporum, quamque & illustrium comitum, reliquorumque fidelium nostrorum coitu, facto consilio generali, Dei nostraque imperiali auctoritate omnes has superstitiones, & importunas violentias funditus, ab hodierna die, & deinceps abolendas & extirpandas radicitus modis omnibus decernimus: statuentes, ut in sancta Aretina ecclesia nullus Comes, nullusque Judex vel quælibet judiciariæ potestatis personæ, tam

in

in plebibus, quamque in monasteriis, titulis, aliisque ecclesiis, vel domibus, seu urbanis, vel rusticis possessionibus ad eam pertinentibus placita tenere, massarios & colonos liberos, aldiones, vel servos quosque residentes super res ad prædictam sanctam ecclesiam pertinentes, quolibet modo distringere, pignorare, angariare, census & redibitiones, & donaria aliqua exigere quoquo modo præsumat; sed liberos massarios, quos legalis coactio exigit quærere ad placitum, per patronum, seu advocatum ad placita adducantur, ut legalis diffinitio legalem contentioni finem imponat. Hæc etiam in omnibus liberis & erimannis præfatæ sanctæ Aretinæ ecclesiæ filiis, & in ejusdem diœcesis commanentibus massariis, & colonis, observari omnimodis jubemus, videlicet, ut ab eis, nec donaria, aut redibitiones, neque pignorationes, vel injustæ districtiones exigantur, sed unusquisque cum legalis censura exigit, a patrono suo ad placitum deducatur, ne pignorationis occasio aditus rapinæ deprædatoribus in aliquo præstetur. Interdicimus etiam, nemini licere alienas res præsumptive invadere occasione cartulæ ab eo factæ, qui vestituram legitimam non habuisse dinoscitur; sed si quis adquisitor extiterit, non ante invadere alienas * res ecclesiæ, vel cujuspiam liberi hominis pervadere præsumat, antequam auctor cartulæ legali & judiciali diffinitione eas vindicet, & tunc demum cui vult, liberam tribuendi habeat facultatem. Hæc vero nostra imperialis institutio, & tantorum * fidelium nostrorum tam reverentissimorum episcoporum, quamque & ceterorum fidelium generaliter promulgata, & sancita auctoritas, in omnibus parochiis, comitatibus, & marchiis per totius nostri imperii fines, in toto regno Romanorum, & Longobardorum, & Ducatus Italiæ, Spoleti, & Tusciæ, Deo favente, per infinita tempora proprium robur obtineat, nullique temeratorum * eam contemnere facultas existat. Quam si quis violare præsumpserit centum libras auri..... * se compositurum agnoscat, medietatem ecclesiæ, cui violentiam intulerit, & medietatem palatio nostro. Et * hoc nostræ auctoritatis præceptum * propria manu firmavimus, & annulo nostro * justimus sigillari.

ANNO CHRISTI 882.

* Ugh. *emendatorum.*

* Ugh. *temperatori.*

* Ugh. *puri.*

* Ugh. *& ut*

* Ugh. addit *firmam & stabile permaneat.*

Signum Domni Karoli serenissimi imperatoris Augusti.

Inquirinus Notarius ad vicem Liutuvardi archicancellarii recognovi, & subscripsi.

Data XV. * Kalendas Martii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. * Indictione XV. anno vero imperii Domni Caroli secundo.

* Ugh. XVI.

* Ughel. DCCC-LXXXIII.

Actum Ravenna civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

VITA
MARINI PAPÆ I.
QUI PERPERAM
MARTINUS II. NOMINATUR.

ANNO CHRISTI 883.

MArinus Gallesio oppido oriundus, post triduum ab obitu Joannis VIII. Kalen. Februariis unanimi consensu totius cleri, non ex diacono sed episcopo electus est pontifex anno Domini 882. tempore Caroli III. & Basilii imperatoris. Sedit annum unum & dies viginti. Hic dum sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis esset, missus est cum Donato atque Leone Constantinopolim ad insinuandam Photio anathematis sententiam, qua a Nicolao papa perculsus erat. Cum Donato & Stephano tempore Hadriani II. iterato munere legationis apostolicæ functus, Constantinopoli Photium deposuit, Ignatium restituit, atque sacrosanctæ œcumenicæ synodo octavæ præsedit. Bulgari eum sibi episcopum dari apud Hadrianum II. institerunt; sed non impetrarunt. Creatus a Joanne pontifice episcopus, tertiam legationem obiturus, tertio missus est Constantinopolim, ad ruinam illam reparandam, quæ per Petrum, Paulum & Eugenium tres sedis apostolicæ isthuc pro Photio restituendo ad synodum ablegatos facta erat. Cumque ibidem summa animi constantia coram Basilio imperatore, cuncta quæ prædicti tres legati perperam gesserant, irrita reddidisset, triginta diebus, inquit Stephanus in epistola ad Basilium imperatorem, carcere detentus fuit. Hac confessionis gloriosa corona redimitus, ab eodem Joanne VIII. ablegatus est ad Athanasium Neapolitanæ urbis episcopum & principem, ut si fœdus, quod ille cum Saracenis initum habebat, dissolveret, eumdem Athanasium a sententia excommunicationis, quæ synodali judicio in eum lata erat, absolveret. Fuisse eumdem sedis apostolicæ arcarium indicat Joannes papa epistola 294. Initio pontificatus sui Photium, omniaque ejus acta ad munus episcopale spectantia, damnavit, atque acta conciliabuli pseudooctavi plane reprobavit. Qua de causa Basilius imperator graviter offensus, furore gravi incensus, Romam scribens dicebat, Marinum non esse pontificem, eo quod alterius ecclesiæ episcopus jam ante ordinatus fuisset, aliaque multa adversus eumdem papam sanctissimum effutiens, solio pontificio eum dejicere fatagebat. Quid autem pro eodem defendendo Stephanus papa successor Marini ad Basilium rescripserit, ex epistola ejusdem Stephani infra patebit. Ea, quæ Joannes papa perperam egerat, rescissurus, inter alia Formosum episcopum Portuensem munere apostolatus apud Bulgaros præclare functum, ac aliarum legationum meritis exornatum, quem Joannes episcopatu deposuerat, & juramento obstrinxerat, se nunquam ad sedem episcopalem reditum; sed laica communione contentum deinceps quieturum, in urbem & episcopatum revocavit, atque eumdem in pristinum statum restituit. Qua de causa a Joanne depositus, quove modo a Marino restitutus fuerit, non constat: potuit sine dubio eum a juramento injuste exacto absolvisse, & sententiam Joannis papæ velut iniquam, privatoque affectu fortasse prolatam, retractasse, Utrum horum factum fuerit, incertum est; ideoque mirum, quod rerum gestarum ignari, ob reassumptum pontificatum Formoso obloquantur.

Quid pontifex fecerit?

Formosum restituit.

Hæc

Hæc ex diversis epistolis pontificum Baronius. Fulconi Rhemensi archiepiscopo, qui Hincmaro surrogatus erat, post emissam orthodoxæ fidei professionem, pallium concessit. *Flodoardus in vita Fulconis.* Scholam Anglorum Romæ existentem rogatu Aelfredi regis a tributo liberam fecit. *Matthæus Vvestmonasterienſis.* Cumque locis omnibus supra allegatis Marinus nominetur, recte Platinam erroris redarguit Onuphrius, quod aliter quam Martinum appellantes similitudine nominis deceptos esse scribat. Hujus temporibus Northmanni Trevirorum, Tungrorum, Ubiorum, aliorumque circumjacentium populorum urbes & oppida incendiis & rapinis devastarunt. *Ex actis sanctæ Gudilæ & annalibus Francorum Baronius.* Photius schismaticus hoc tempore Aquilejensi archiepiscopo imperito & schismatico de processione Spiritus sancti respondens, causam dedit; quod sicut jamdiu hoc tempore Aquileiensi archiepiscopo imperito & schismatico de processione Spiritus sancti respondens, causam dedit; quod sicut jam diu ante hæc tempora Hispaniarum & Galliarum ecclesiæ, ita etiam ad retundendam Photii ejusque sectariorum de processione Spiritus sancti hæresim, Romana ecclesia additamentum illud, *Filioque*, ad symbolum Constantinopolitanum posterioribus hisce sæculis adjecerit, & in ecclesia publice decantaverit. Quo tempore & fine, quove auctore & modo id factum fuerit, ex Ætheriano, & concilio Florentino refert Baronius anno 833. numero 34. & sequentibus. Marinus apostolico munere laudabiliter perfunctus migravit ex hac vita xv. Kalendas Februarii anno Redemptoris 884. cum in pontificatu annum unum & dies viginti sedisset. Post obitum ejus sedes biduo vacavit.

Sitne Marinus, an Martinus nominandus.

Marini obitus quando factus?

PRIVILEGIUM MARINI PAPÆ I.

P. Sirmondus edidit ex ipsomet autographo.

MONASTERIO SOLEMNIACENSI concessum.

Marinus episcopus servus servorum Dei dilecto abbati Danieli ex cœnobio sancti Petri Solemniacensis, quod olim a beato viro Eligio constructum, successoribusque tuis, ac monachis inibi nobiliter degentibus in perpetuum.

CONvenit enim nostro pontificio, ut quantum præ omnibus eminet dignitate, tanto supra universo eniteat serenissima pietate. Postulastis itaque a nobis, ut præfatum cœnobium sub defensione ac tuitione beatorum apostolorum Petri & Pauli ac nostra statueremus, sicut factum legimus ab antecessore nostro beato viro papa, postulante nobilissimo Francorum rege Dagoberto, & constructore ipsius loci sanctissimo viro Eligio episcopo Noviomagensi, quatenus quieti ac tuti esse per futura tempora valeatis. Nos vero, vestram sanctitatem agnoscentes, vestræque religioni assensum præbentes, tanta alacritate læto animo concedimus, quanto vos Deo propinquiores in sacra conversatione cognoscimus fore. Igitur juxta petitionem vestram, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto eidem venerabili monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus. Et sicut nobilissimus Francorum rex Dagobertus, & glorioſissimi Augusti, Carolus & filius ejus Ludovicus, & filii & nepotes eorum, Carolus imperator, & ejusdem Caroli filius Ludovicus, nec non & Karlomannus Ludovici filius, qui nunc regnum Francorum feliciter gubernare videtur, ducti divino amore, de villis ac facultatibus seu stipendiis propriis, vel quolibet modo ibi a fidelibus viris condonatæ res, a vobis quoquomodo acquisitæ sunt, sicut in præceptis prædictorum regum continentur, vel in charta ejusdem monasterii fundatoris insertum est, scilicet Eligii episcopi, omnia illibata & inconvulsa nostræ auctoritatis privilegio confirmamus. Damus etiam licentiam, propter persecutionem infidelium Christianitatem devastantium, munitionem ibi fieri. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum, vel abbatum, seu quilibet sua præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel a quibuslibet de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata, sub cujuslibet causæ occasione sive specie, quidquam minuere vel auferre, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere. Sed cuncta, quæ usibus monachorum, vel ecclesia oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore absque ulla inquietudine ipsis, quibus concessa sunt, profutura permaneant. Statutum etiam, ut nullus episcoporum, seu comitum, mansionaticum ibi, vel paratas, vel stationes requirere seu exigere præsumat, sed liceat servis Dei sine aliqua inquietudine Deo servire, & hospitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Placuit huic paginæ inseri, ut obeunte abbate prædicti cœnobii, nullus ibi, quacumque subreptionis ambitione, abbatem statuere præsumat, nisi quem ejusdem loci monachi secundum authenticam & regularem institutionem ex seipsis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam constitutionis agnoscens contra eam venire tentaverit, sit alienus a sacratissimo corpore Domini Jesu Christi, & nisi præsumpta correxerit, vel male ablata non restituerit, ultionem cum Juda proditore excipiat, & beatum Petrum sentiat hostem. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis inveniant. Scriptum per manum Zachariæ scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ mense Majo, indictione prima. Bene valete. Pridie Idus Junias, per manum Valentini ecclesiæ Portuensis episcopi, regnante in perpetuum Domino Deo nostro. Anno pontificatus domni Marini universalis papæ primo, indictione 1.

CON-

ANNO CHRISTI 883.

CONCILIUM TOLOSANUM,

AB EPISCOPIS SEPTIMANIÆ ET AQUITANIÆ

celebratum, in quo audita & repressa Judæorum querela se a Christianis vexatos conquerentium, anno Domini DCCCLXXXIII.

HUjus *Concilii memoriam servat sancti Theodardi Narbonensis archiepiscopi vita a Guill. Catello in rerum Occitanarum commentariis edita: cujus hæc verba sunt, quorum equidem fidem non præsto:* Judæi prædictæ civitatis (*Tolosæ scilicet*) adierunt Carlomannum Francorum regem, & questi sunt injuriam sibi fieri ab episcopo jam dictæ civitatis, & ab omni clero illius & populo, in colaphizando pariter & cædendo ter in anno unum ex advocatis eorum. *Addit responsum a rege, jussurum se hac de re cogi concilium episcoporum Septimaniæ & Aquitaniæ. Pergit:*

Cumque concilium illud strenue ageretur Tolosæ, in atrio pontificalis ecclesiæ, esset que inibi grandis frequentia fidelium, & Judæorum, & ex utraque parte, ipsa, propter quam illuc convenerant, causa sagaci discussione ventilaretur: dicentibus Judæis, injuste sibi fuisse olim ab episcopis ejusdem civitatis cædendi eos & colaphizandi impositam sarcinam: & e diverso contradicentibus Christianis non, sed justo ejus judicio ali pœna esse damnatos: cum neutra pars eorum adversariis cederet, surrexit, annuente præfatæ urbis episcopo Bernardo, jam dictus egregiæ indolis Theodardus *, & manu silentium indicens, ait: Si jubeat celsitudo pontificalis gloriæ, & maxime domini Sigebodi archipræsulis, magnique præterea hujus patriæ ac provinciæ ducis Ricardi, qui vicibus fungens regalibus, huic magno præest concilio, auctor pariter & dispositor eorum, quæ a rege fieri jussa sunt, & ab episcopis diligenti curiositate investiganda super Judæorum querelis, superque civitatis hujus episcopo illato damno, veridica, & omnis ambiguitatis scrupulo resoluta sermocinatione, eos injuste caedari, atque satis indebita injuria contra episcopum commoveri, in conspectu vestro convinam, & a querimoniæ pertinacia rationabili allegatione, Deo auxiliante, desistere, penitusque essare faciam.

Quod cum omnibus qui aderant, valde placuisset fidelibus, & dicerent singuli, Ita fiat: jubente archiepiscopo ac duce, protulit coram universis idem beatus juvenis Theodardus duo regalia præcepta, Caroli Magni videlicet, ejusque glorioſissimi filii Ludovici, & certa signacula eorum impressione diligenter notata.

Quorum præceptorum sententia, ut ibi quidem refertur, hæc est: Judæos Tolosæ degentes, quod Abderam Saracenorum regem in Gallias evocassent, a Carolo Magno vitam impetrasse hac conditione, quatenus per unumquemque annum unus quilibet tam ex ipsis, quam ex successoribus eorum Judæus in die natalis Domini & passionis ejus, & in die assumptionis, colaphizetur ante fores illius ecclesiæ, ubi ejusdem civitatis episcopus juberet, dumtaxat uno ictu virtuosi hominis: oblato prius pro censu, pondere trium librarum ceræ.

Quibus auditis, rogati a duce sententiam episcopi, responderunt omnes pariter, & dixerunt: Absit hoc a nobis, ut contra hanc imperialem, rectamque ac justissimam sanctionem, aliquid opponamus contrarium.

Insecuta Theodardi & Judæorum altercatio, & in perendinum usque protracta: in qua cum adversus Christum impia multa Judæi evomuissent, iratusque dux extrema quæque minaretur: Judæi terrore perculsi acciderunt ad episcoporum genua, rogaruntque ut veniam sibi a duce impetrarent, liceretque sibi ipso eodemque mancipatis supplicio, quo ab imperatoribus prius damnati fuerant, sub quiete ac tranquillitate vivere. *Quod cum recusaret dux, concessit tandem, adjecta ex Theodardi consilio conditione una:* ut is qui colaphizandus est Judæus, priusquam pugnizetur, coram omnibus sibi circumstantibus ter voce dicat excelsa: Bene quidem & satis juste decretum est, ut cervices Judæorum pugnis subjiciantur Christianorum, eo quod noluerint subjici Jesu Christo Nazareno Deo Deorum ac Domino dominorum. Quod si noluerit, referiatur septies: ut impleatur quod in lege eorum scriptum est: *Augebo pœnas vestras septuplum, aversus incedens contra vos.* Levit. 26.

Addit hoc & ab episcopis ac duce probatum, & regio deinde præcepto confirmatum.

VI-

ANNO CHRISTI 884.

VITA.

HADRIANI PAPÆ III.

Quando pontifex factus?

HAdrianus III. natione Romanus XIII. Kalendas Februarii anno redemptoris noſtri 884. temporibus Caroli III. & Baſilii imperatoris creatus eſt pontifex: ſedit annum unum, menſes tres, dies decem & novem. Solicitatus a Baſilio imperatore ut cum Photio in rebus fidei & religionis communicaret, non tantum non petitioni ejus acquievit, verum exemplo prædeceſſoris ſui Marini eumdem tamquam laicum acerrime eſt inſectatus. Quo facto imperator graviſſime contra eum commotus, hoſtiles ei literas contumeliis pleniſſimas tranſmiſit. Hadrianus prius hac vita defuncto, quam literas imperatoris minaciſſimas accepiſſet, accepit eas Stephanus, reddiditque ad Baſilium eam epiſtolam, quam ſupra in appendice * octavæ ſynodi impreſſam invenies.

Photium execratus eſt.

De electione pontificis decrevit, ne in ipſo creando imperatoris auctoritas exſpectaretur; idque ideo, ut cleri & populi libera ſint ſuffragia. Ejus tempore Caſſinenſe monaſterium a Saracenis incenſum eſſe ſcribit Leo Oſtienſis libro I. capite 45. Magno cum luctu univerſæ eccleſiæ mortuus eſt anno Domini 885. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Quanto tempore ſedes apoſtolica poſt mortem illius paſtore deſtituta fuerit, non ſatis liquet, &c.

FINIS TOMI DECIMI SEPTIMI.

APPENDIX

FRANCISCVS DE ROYE

ANTECESSOR ANDEGAVENSIS

DE

MISSIS DOMINICIS

EORVM OFFICIO ET POTESTATE

VBI

MVLTA AD ECCLESIASTICAM ET FORENSEM DISCIPLINAM.

Recenſuit, duplicem Indicem, novamque huic Editioni Præfationem adiecit

D. IO. WENDELINVS NEVHAVS.

PRÆFATIO.

FRanciſci de Roye, ICti & Anteceſſoris Andegavenſis, Liber de Miſſis Dominicis, vel ipſa ſingularitate argumenti ſe commendat, quod multi vix intellexere, ita ut inter Rituales illum interdum recenſuerint *. Sed multa præterea continet, quæ ad veterem ſub Francorum Regibus Reipublicæ adminiſtrationem explicandam faciunt, atque vetus Francorum Ius Publicum & Privatum, Civile & Eccleſiaſticum haud parum illuſtrant. Itaque cum rariſſima eſſet Andegavenſis Editio, ſperavi gratiæ nonnihil initurum me ab amantibus bonarum literarum, ſi curam recudendi libri in Germania ſuſciperem. Ergo recenſere illum non piguit, & loca ipſa Scriptorum evolvere. Cumque multi in illis occurrant Gallici Iuris auctores, e re viſum eſt, titulos librorum in Indice Auctorum ſubiicere, notatis, quibus in hac recenſione uſus ſum, editionibus. Nec alienum erit ab hoc loco doctiſſimi Auctoris breve elogium ſuſpendere, & reliqua ingenii eius & doctrinæ monumenta commemorare: tum vero ad libellum ipſum, de Miſſis Dominicis illuſtrandum, unam alteramque obſervationem conferre.

Franciſcus de Roye Andegavi natus fuit, patre Claudio, in Collegio Præſidiali Conſiliario. Ab ineunte ætate præter artes liberales in Iurisprudentiæ inprimis ſtudia ſedulo incubuit, inque illis tam eximios progreſſus fecit, ut primum apud Bituriges, deinde Aureliæ pro conſequenda in Iure Profeſſione, ut moris eſt in Academiis Galliæ, diſputaverit. Eam denique in patria conſecutus, tanta ſedulitate atque doctrinæ fama exornavit, tot ad Rempublicam, & in forum egregios diſciplinæ ſuæ alumnos dimiſit; ut a Rege Ludovico XIV. Profeſſor Facultatis Pariſienſis nominaretur, quod munus tamen, quamlibet ſplendidum, vel ob valetudinem nimis tenuem, vel quia ceteras Facultates Iuridicas contra Pariſienſem acriter defenderat, declinatum ivit, maluitque Patriæ operam ſuam in excolendis non Iurisprudentiæ modo, ſed omnis humanioris literaturæ ſtudiis continuare. Ita cum in eadem urbe nova literatorum hominum ſocietas, quales Academiarum nomine in Italia Galliaque veniunt, inſtitueretur, ſingulare in illa adornanda ſtudium eius enituit. Obiit cœlebs Anno MDCLXXXVI. die 24. Ianuarii. Ingenii eius monumenta, quæ quidem novi, hæc ſunt:

I. Diſſertatio triplex ad Menagium ad L. 51. D. de Acquir. Rer. Domin.

II. Diſſertatio ad L. 4. D. de Vſur. & Fruct. Vtraque a V. C. Ever. Ottone Theſauro Iuris Civilis inſerta.

III. Diſſertat. ad Can. Ego Berengarius 41. *de Conſecrat. Diſt.* 2. *Andegav.* 4. 1656.

IV. Liber de Miſſis Dominicis, eorum officio & poteſtate. Andeg. 4. 1672.

V. Ad Cap. Super Specula 28. *X. de privil. & exceſſ. privil. ibid.* 1665.

VI. Inſtitutiones Iuris Canonici, recuſa Lipſiæ 1732. 8.

VII. Tractatus de Iure Patronatus.

VIII. Item de Iuribus honorificis in Eccleſia. Coniunctim hi duo tractatus in lucem prodiere Andegav. 1667. 4.

Cum Auctor cap. V. varias *Miſſorum Dominicorum* appellationes commemoret, addimus hic tantum nomine quoque, *Stolizazi*, eos venire in Legibus Longobardorum Lib. I. tit. 19. Leg. 5. apud Lindebrogium, *in Codic. Leg. Antiquar.* cuius verba ſunt hæc: *Si quis molinum alterius ſcapellaverit aut clauſuram ruperit, ſine auctoritate iudicis, componat Solidos XII. illi, cuius molinum eſſe invenitur. Et ſi iudicem interpellaverit, & Iudex dilataverit ipſam cauſam deliberare, aut licentiam dederit adverſæ parti ipſum molinum evertendi, componat Solid. XX. in Palatio Regis, diſtrictus ab Stolizaz.* Vbi laudatus Lindenbrogius *in Gloſſar. pag.* 1483. addit: *Stolizaz* id eſt *Miſſus Regis*. Videtur vero Miſſus

* Ita obſervavit *Marvillius* in Miſcellaneis ſuis (*Melanges d'Hiſtoire & de Litterature*) Tom. I. pag. 146. *Nous avons vû l'un de ces Bibliothequaires peu exact, quoique d'ailleurs bon Libraire, ranger dans la claſſe de* Rituels *un Traité* de Miſſis Dominicis; *c'eſt à dire, un Livre, ou il eſt traité des Ambaſſadeurs ou des Intendans des Provinces, pour un Recueil de* Meſſes Dominicales,

Miſſus Dominicus Stolizaz *dictus, quod loco Regis in iudicio præſideat, ſacraque vice iudicet.* Adde Hachenberg. *in Germ. Med. Diſſ. III. theſ.* 26.

Cæterum Auctor in explicando Miſſorum Dominicorum magiſtratu Regni Franciæ Occidentalis ſive Gallicani præcipue rationem habet, ac Capite VII. disquirit, quo tempore inprimis floruerint, & qua ætate deſierint Miſſi Dominici. Exiſtimat autem, Miſſos Dominicos ſub tertia Regum Francicorum ſtirpe ceſſaſſe, ſubiuncta ratione, quod labente Regum imperio, Duces & Comites ex miniſtris tum facti ſunt Domini Regionum. Equidem Conringius etiam *in Examine Rerumpubl. Tot. Orb. cap.* 36. *Oper. Tom. IV. pag.* 370. Miſſorum regiorum poſt annum milleſimum nullam fieri mentionem aſſerit. Hic vero obſervabimus, Miſſos Dominicos in Regno quoque Franciæ Orientalis viguiſſe, eorumque uſum inprimis in Italia duraſſe uſque ad XII. ſeculum.

Sententia *Miſſorum* Imperatoris Ottonis II. in favorem Abbatis de Vularino An. 980. lata, habetur in Vghelli *Italia ſacra Tom. VIII. pag.* 35. Placitum Laudenſe a Benzone, *Miſſo* Ottonis III. A. 1000. habitum, apud Muratorium *in Antiqu. Ital. Tom. I. pag.* 455. commemoratur. *Miſſos* Henrici S. qui Ravennæ exortas controverſias deciderunt, laudat Roſſius *in Hiſtor. Ravennat. Lib. V. pag.* 275.

Duravit etiam ſub Imperatoribus domus Salicæ Miſſorum Dominicorum magiſtratus. Ita ſub Henrico III. occurrit Adelgerius *Miſſus*, cuius ſententiam, in favorem Epiſcopi Comenſis latam, Henricus, Romanorum tum Rex, An. 1043. confirmavit, apud Vghellum *Tom. V. pag.* 287: Placitum a Guntherico, Cancellario & *Miſſo* Henrici, iam Imperatoris, in Comitatu Florentino Anno 1055. habitum, commemorat Diploma apud Muratorium *l. c. pag.* 473. In actis publicis Henrici IV. reperitur refutatio Vallis de Mercato, a civibus Patavinis, Ioanni Abbati facta coram *Miſſis* Henrici Regis, Anno 1077. apud Muratorium *l. c. pag.* 457. & in Pezii *Codice Diplomat. Epiſtolico T. I. pag.* 279. Itemque ſententia Warnerii, *Miſſi* Imperialis, in Placito, habito in monte Silice pro Monialibus S. Zachariæ in urbe Venetiarum, contra monaſterium Patavinum S. Iuſtinæ, An. 1100. pronunciata, apud eundem Muratorium *l. c. pag.* 475.

Imo ſub Lothario II. Saxone & Conrado III. adhuc Otto Morena, *Miſſum* Regalem egit in Italia, uti ipſe de ſe in *Hiſtoria Rerum Laudenſium* prædicat. Servavit etiam Vghellus *Tom. V. pag.* 756. Diploma eiusdem Conradi III, quo poſſeſſio Curtis Cereta Canonicis Veronenſibus a *Miſſo* Regali, An. 1147. tradita fuit. Sed ſucceſſu temporis Miſſorum Dominicorum procuratio videtur a Vicariis Imperii per Italiam occupata eſſe. Verum hæc, & alia nonnulla eiusdem argumenti, alibi forte diligentius excutiendi erit occaſio.

DEDICATIO AUCTORIS.

ILLUSTRISSIMO VIRO

ANTONIO RIBEYRE,

COMITI CONSISTORIANO, LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRO, ET APVD TVRONES, ANDES, ET CENOMANOS MISSO DOMINICO INTEGERRIMO

FRANCISCVS DE ROYE,

ANTECESSOR ANDEGAVENSIS,

S. P. D.

CVM Rex Chriſtianiſſimus Caroli Magni deceſſoris ſui veſtigia tam generoſe premit (Vir Illuſtriſſime) tota quidem miratur Gallia, ſtupent exteræ Nationes. Sed cum præcipua eius capitula per Miſſos Dominicos obſervari iubet in dies, illud forte nullus adhuc ſerio animadverſi. Eius libelli una dos ea eſt, ut ex æqualibus monumentis doceat, per id genus proceres eadem ipſa quotidie peragi, quæ olim per Miſſos Dominicos ſub ſecunda potiſſimum dynaſtia. Non alteri probandum illud opus offerre poſſum, quam tibi (Vir Illuſtriſſime). Cum enim iam verum agas Miſſum Dominicum, repetita illa ſagaciſſimi Principis electio poſtulat, ut bene fundatam ſummæ illius ſapientiæ notitiam in te omnes venerentur, quam olim in ſuis Miſſis deſiderabat Carolus Magnus. Atque etiam noſtra hæc Andegavenſis Provincia more maiorum pertinet ad tuum Miſſaticum, ut in ea percepti quidam fructus iure tibi offerantur, iique non exigui temporis & ætatem ferentes, ſi modo eos humaniori vultu accipias. Ac tandem ea veluti teſtatione publica teſtari mens eſt, quam feliciter actum putaverim cum academia noſtra, quod cum & Miſſum Dominicum habeat, cui cum probe cognita ſit literarum dignitas, eam tueri velis & poſſis. Qui enim Deos bona fide colit, amat & Sacerdotes. Vnum illud maiore animo ſperaverim, te quam citius apud omnes exemplo & auctoritate facturum, ut qui ius norum apprime callere debent, illud etiam in eius Sacerdotibus pluris facere videantur.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Magiſtratuum neceſſitas in quolibet imperio. In eodem varia eorum mutatio. Operis inſtitutum.

QUod olim imperite non minus quam impie dicebant Ethnici de Chriſtianorum Deo, eum nec ſingulis inſervire poſſe per univerſa diſtrictum, nec univerſis ſufficere in ſingulis occupatum, MINUTIUS FELIX *in Octavio, cap.* 10. Illud omnino adſcribendum humanis Principibus. Nam Deus noſter ubique totus, ubique præſens, omnia in omnibus, omnia tuetur & continet, S. AUGUSTINUS *paſſim*: Sed quamvis alter ex iis *ſummum magnum ſit in ſuo ſolio*, ait TERTULLIANUS *lib.* 1. *adv. Marcion. cap.* 4. attamen vix unquam ſolus par eſſe poteſt omnibus negotiis, quæ in dies emergunt, ἀμήχανον γὰρ ἐφ' ἅπαντα φθάνειν φύσιν ἀνθρωπίνην; *perarduum enim eſt unum hominem obire omnia munia*, inquit PHILO IUDÆUS *de creatione Principis*. Vnde licet principaliter proprium illud ſit Dei noſtri, nullius exempli capere comparationem, & quilibet Reges ad eum comparati jam excidant de ſummo magno, TERTULLIANUS *ibidem*: Attamen ſicut ille ipſe in ſui Miniſtris & per ſuos Miniſtros agit, S. AUGUSTINUS *lib.* 16. *de Civitate Dei cap.* 5. quos ideo Apoſtolus vocat *Cooperarios Dei*: Ita & illud eſt ſummæ poteſtatis officium, eligere aliquot adminiſtrationis reddendique juris ſocios, quales ſunt Magiſtratus ſpectatæ prudentiæ, fortitudinis & juſtitiæ, quibus διανεμέτω τὴν ἀρχὴν, *mandet aut committat imperium*, ait SYNESIUS *de regno, pag.* 30. *Edit. Dion. Petavii. Paris.* 1681 *fol.* quique bonum Principem induſtria & virtute ſua ſublevent, PHILO *ibidem*.

Hoc præſtitit Moyſes ſoceri conſilio, & in ſacra volumina relatum eſt, ut habeant alii Principes quod imitentur: tum ne minoris faciant ſuos Magiſtratus, quaſi omnia poſſint, quod ſapientiſſimus ille Dei amicus exſtimavit ἀδύνατον, *impoſſibile*: Tum etiam ne res majoris momenti negligant, dum humilioribus incumbunt. Hoc Eccleſiæ Gallicanæ Prælati petunt a Ludovico Pio *in additione* 2. *Capitularium cap.* 28. in cujus epigraphe Magiſtratus dicuntur *Reip. adiutores*. Ipſi quidem Principes ferant leges, & pro lege ſervetur, quod ipſi conſtituerint: Sed Magiſtratus inſtituant neceſſe eſt, per quos effectus rei accipiatur, ſeu qui leges ad affectum perducant: *Quantum eſt enim ius in civitate eſſe, niſi ſint qui iura regere poſſint, l.* 2. §. 13. *D. de Orig. iur.* Vt non immerito Magiſtratus dicantur ψυχαὶ τῶν πόλεων, *quædam animæ regnorum & civitatum*: & eleganter utique LIPSIUS *de Magnitud. Vrbis Rom. Lib. II. cap.* 10. Romanorum magnitudinem a variis Magiſtratibus admiretur; quos pro varia locorum, rerum, & perſonarum, conditione aut in urbe creabant, aut mittebant in Provincias. Quod etiam notavit Iuſtinianus *in Nov.* 13. & 105. quaſi non minimam Romanæ magnitudinis cauſam.

Sicut vero Reges non tantum novas leges ferre poſſunt, ſed etiam veteres abrogare, aut dictantibus experimentis mutare, ARISTOTELES *lib.* 2. *Polit. cap.* 2. & TERTULLIANUS *Apologetici cap.* 4. Ita & non modo ad eorum curam pertinet creatio Magiſtratuum, *l.* 1. *D. ad l. Iul. amb.* ſed etiam mutatio. Eoque nomine non tantum venit, ut perſonas ipſas a Magiſtratu removeant, & alias pro arbitrio ſufficiant in earum locum: ſed & ad utilitatem ſubditorum, ad locorum cuſtodiam, ad temporis rationem, aut novos Magiſtratus creare, aut antiqua veterum ſchemata, ſtatasve formas immutare poſſint, aut alios dividere in plures, aut ſimul iungere. Hoc ipſis rebus exigentibus in Repub. Romana ſæpius actum fuiſſe palam eſt ex varia mutatione Conſulum, Decemvirorum, Tribunorum militarium, Conſularis poteſtatis, & Imperatorum. Hoc etiam eleganter docent POMPONIUS §. 19. & ARCADIUS CHARISIUS de Præfecto Prætorio, ut tum primum creatus ſit Tribunus Celerum, poſtea in eius locum, ſuffectus Magiſter Equitum, ac tandem Præfectus Prætorio ſucceſſerit. Sed hoc potiſſimum familiare fuit Iuſtiniano, dum tot Magiſtratus aut abrogavit, aut addidit, aut diviſit, aut conjunxit, *Nov.* 20. 24. 29. 30. 31. 80. *& aliis. Et Edicto* 4. Quodque fuſius ipſe adſcribit utilitati publicæ, PROCOPIUS *in* ἀνεκδότοις *pag.* 47. *n.* 131. illud omnino refert ad ſolius novitatis ſtudium.

Non ſemel autem humano corpori comparatum eſt Imperium, ut nempe utrumque habeat infantiam, adoleſcentiam, virilem ætatem, & ſenectutem: Sed in eo etiam conſiſtere poteſt analogia, quod ſicut in homine omnes illæ ætates variis morbis ſubjaceant, qui certas quaſdam deſiderant obſervationes, CORNELIUS CELSUS *lib.* 1.

cap.

cap. 3. *& lib.* 2. *cap.* 1. Ita & variæ illæ Imperiorum ætates varios patiantur motus, & varias gubernandi rationes flagitent, aut ſæpius etiam varias mutationes inducant. Eoque caſu illud eſt omnino Principis πολιτικοῦτς utrum neceſſarii ſint plures, an vero pauciores Magiſtratus, an majores, an minores: nam & temporum & locorum diverſa ratio alios atque alios poſtulat, ARISTOTILES *in Polit. lib.* 4. *cap.* 15.

Præcipue vero mutantur Magiſtratus, imo & abrogantur & oblitterantur ſchemata vel formæ Magiſtratuum, ubi Reip. ſtatus immutatur, quod qui fiat pluribus docet ARISTOTELES *ibidem toto lib.* 5. Sic exactis Regibus Romæ conſtituti ſunt duo Conſules, & ſenſim alii Magiſtratus: Sic Auguſtus rerum potitus, & Provinciarum & Magiſtratuum formas immutavit, dum nempe quietas & pacatiores reliquit populo, quas ideo *publicas* vocat TACITUS, *Annal. Lib. XIII. cap.* 4. & alias curæ ſuæ ſervavit, dum veteres Magiſtratus imminuit, & ſuis ſolis dedit jus gladii, DIO *lib.* 53. & STRABO *lib. ulti. Geograph.* Ac tandem Adrianus, Conſtantinus, Iuſtinianus Provincias earumque Magiſtratus pro arbitrio inverterunt. Vix quidem illud obſervatur quietis temporibus; nam ubi res domi tranquillæ, iidem Magiſtratus, eadem Magiſtratuum vocabula, inquit TACITUS *lib.* 1. *Annal. cap.* 3. Sed ubi mutatur facies, nec Provinciæ novum hunc ſtatum abnuunt, ſæpius expedit novos creare Magiſtratus, qui mutationem illam pro imperio ſuo tueantur & foveant. Eaque ſumma eſt Regum poteſtas, ut & Magiſtratus aut mutare poſſint, aut dividere, aut jungere, & provincias ſuas ἄλλοτε ἄλλως dividere, ut pluribus docet BERTERIUS *lib.* 1. *Pithanon. cap.* 11.

Hoc ſæpius in Gallia uſurpatum, in qua forte hodierna multitudo Magiſtratuum provincias onerat, ut de ſuis paſſim Iuſtinianus *in Novellis*. Sub prima ſtirpe Regum noſtrorum ſtatim prodierunt *Majores Palatii*, qui ſub ſecunda evanuerunt: Sub ea floruerunt *Miſſi Dominici*, quos in tertia ſtatim exoleviſſe volunt, & hodie tandem revocati videntur in quotidianum uſum.

In hoc libello de iis agere juvat, prout obtinuere potiſſimum ſub ſecunda Dynaſtia; nec quidquam de iis proponere quod exſcriptum non ſit ex auctoribus æqualibus, ex Conciliis, annalibus, ex veteribus monimentis iſtius ævi. Vtinam ad manum haberemus libellum ADALHARDI *de ordine Palatii*: propinquus erat & Conſiliarius Caroli M. & ita probe noverat, quinam & quales eſſent Miſſi dominici, & quodnam eorum officium. Sed & mirum, quomodo HINCMARUS REM. *in opuſculis tit.* 14. poſt eum, & ex eo acturus de Proceribus Palatii, vix ſemel Miſſorum Dominicorum meminerit. Eruendi ſunt ex antiquitatis ruderibus. Eaque erit noſtra methodus & inſtituti ratio, ut tum primum catholica ſeu generalia quædam præmittamus *de Miſſis Dominicis*: poſtea vero agamus *de eorum officio & poteſtate*; & utrumque illud ad tria potiſſimum referamus, *ad juſtitiam*, *ad diſciplinam publicam*, *& ad vectigalium curam*. Eius partitionis fundus eſt triplex adminiſtratio illa, quam hodie ſibi vindicant *Miſſi Dominici*, quos hodie dicimus *Meſſieurs les Intendans de la Iuſtice*, *Police*, *& Finance*. Nec contemnenda forte dos & utilitas una illa erit ejus opuſculi; quod in multis hodierni uſus aperiet originem, quod utramque Politiam & hiſtoriam, puta ſacram & profanam, non minimum illuſtrabit, & Ariſtonis ICti exemplo ſic antiqua tractabit ut recentia: ac tandem, quod facilius ex eo deprehendi poterit, nihil fere ab hodiernis *Miſſis Dominicis* petagi, quod a veteribus factitatum non fuerit, ſecundum Caroli Magni prudentiam, leges ac diſciplinam.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Communia de Missis Dominicis.

Caput I. Quinam fuerint Missi Dominici. Undenam sic dicti. Varia eorum appellatio. Qua ratione creati. 871

Cap. II. Plures & varii Missi Dominici. 873

Cap. III. Missi Apostolici. Missi Ecclesiæ. Missi Episcopi. 875

Cap. IV. Comites. Missi Comitum. Missi Reipublicæ. 877

Cap. V. De quibus cognoscerent Comites, & Missi Comitum. 880

Cap. VI. Missi Seniorum. Varii Iustitiæ gradus. 881

Cap. VII. Quo tempore floruerint, & defierint Missi Dominici. In quibus regionibus instituti. ibid.

Cap. VIII. Cujus ordinis, & conditionis fuerint. 883

Cap. IX. Quis eorum ordo cum Episcopis, & Comitibus. 884

Cap. X. An & quatenus Episcopi subjacerent Missis Dominicis. 885

Cap. XI. An & in quibus Comites iis subjacerent. 887

Cap. XII. Ad quos hodie translatum sit eorum officium. 888

Cap. XIII. Missatica. Quorundam Missorum nomina. Eorum numerus in quolibet Missatico. 890

Cap. XIV. Iis in Missaticum proficiscentibus data Capitula. Inquisitio. 891

Cap. XV. Relatio ad Principem. 892

Cap. XVI. Tractoria. Receptio. Conjectus, seu Viatica. 893

Cap. XVII. Eorum adventus in Missatica. Legationis publicatio. 895

Cap. XVIII. Non sint oneri. De eorum Subdelegatis. 896

De Missis Dominicis ad Iustitiam.

Caput I. Primum & nobilius eorum officium in faciendæ justitia. 897

Cap. II. Conventus, aut Placita totius Regni. 898

Cap. III. De Placitis Missorum Dominicorum. 901

Cap. IV. Placita Comitum & minorum Iudicum. 903

Cap. V. De quibus rebus & causis cognoscerent Missi Dominici. 905

Cap. VI. Secundum quam legem jus dicerent: & an appellatione remota. 906

Cap. VII. Iudices, Scabinos, Advocatos, Notarios constituebant. 908

Cap. VIII. Cognoscebant de rebus Ecclesiasticis. 910

Cap. IX. De reparationibus Ecclesiarum. 914

Cap. X. De Causis Clericorum. 915

Cap. XI. De Patronis, & de jure patronatus. 916

Cap. XII. Episcopos juvabant contra rebelles Clericos & Monachos. 918

Cap. XIII. Oppressi Clerici ad eos confugiebant & reclamabant. 919

Cap. XIV. Animadvertebant in facinorosos homines, 920

Cap. XV. Cognoscebant de criminibus Clericorum. 926

Cap. XVI. Curabant Canonica judicia in Laicos. 928

Cap. XVII. Emendabant. Non poterant dilatare justitiam. 932

De Missis Dominicis ad Disciplinam publicam.

Caput I. Ad eorum curam pertinebat disciplina publica. 935

Cap. II. Ecclesiastica disciplina & Canonica obedientia. 936

Cap. III. Aderant Conciliis, & electionibus Episcoporum. 937

Cap. IV. Regia vice aderant nuptiis regalium liberorum. 939

Cap. V. Monachorum regulæ. Loca, in quibus Monasteria ædificentur. Eorum Claustra, & officinæ. 941

Cap. VI. Receptio, probatio, votum seu professio Monachorum. 943

Cap. VII. Monasteriorum subjectio. Libertas seu exemptio. Reformatio. Victus & vestitus. 945

Cap. VIII. Monasteriorum bona. Numerus Monachorum in quolibet Monasterio. 948

Cap. IX. Monasteriorum reparationes, & bonorum ad ea pertinentium. Lites, causæ, negotia. 950

Cap. X. Curam habebant pauperum. 951

Cap. XI. Scholæ publicæ. 953

Cap. XII. Pacatum Missaticum. ibid.

Cap. XIII. Fidelitas populorum. 955

Cap. XIV. Regias litteras accipiebant, & denuntiabant Comitibus & populis. 956

Cap. XV. Milites. Heribannus. 957

Cap. XVI. Violentiæ potentiorum, & eorum lites. 959

Cap. XVII. Nundinæ. Mercatus. Pondera. Mensuræ. 960

Cap. XVIII. Aggeres fluminum. Pontes. Naves. Viæ publicæ. 961

Cap. XIX. Pascua. Sylvæ. 963

Cap. XX. Moneta. 964

De Missis Dominicis ad Vectigalia.

Cap. I. Missi Fiscalini. Vectigalia. 965

Cap. II. Census. Beneficia. Casata. Regiæ Villæ. 966

Cap. III. Regia Servitia. Allodia. Nonæ & Decimæ. 968

Cap. IV. Advenæ. 970

INDEX AUCTORUM IN LIBRO DE MISSIS DOMINICIS ADDUCTORUM.

Indicavi editiones, quibus in eo recenſendo uſus ſum.

D'ACHERY (*Lucæ*) Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in Seculorum claſſes diſtributa, cum notis Ioh. Mabillonii, Secula quinque, Pariſ. fol. 1668-1685. Seculum ſextum acceſſit ibid. 1701. IX. Vol.

Ejuſdem Spicilegium veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis latuerunt, Pariſ. 4. 1655. & ſequent. XIII. Vol.

ACHILLINI (*Philothei*) Somnium Viridarii de Iurisdictione Regia & Sacerdotali, apud *Melch. Goldaſtum* de Monarchia S. Rom. Imperii Tom. I. pag. 58.

S. ADONIS, Archiepiſcopi *Viennenſis*, Chronicon per ſex mundi ætates. Pariſ. 8. 1561.

ADREVALDI *Floriacenſis* Lib. IV. Miraculorum S. Patris Benedictini Abbatis in *Ioannis a Boſco* Bibliotheca Floriacenſi, pag. 13.

Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ, in *Iuſtelli & Voellii* Bibliotheca Iuris Canonici, Tom. I. pag. 305.

S. AGOBARDI Archiepiſcopi *Lugdunenſis*, Opera, cum notis Stephani Baluzii. Pariſ. 8. 1666.

AIMOINI, Monachi *Floriacenſis*, de geſtis Francorum Lib. V. per Iac. du Breul. Pariſ. fol. 1603.

Lex Alamannorum, in *Lindenbrogii* Codic. Leg. Antiqu. pag. 357.

ALCUINI ſeu *Albini* (*Flacci*) Opera, in tres partes diſtributa per Andream Quercetanum, Pariſ. fol. 1617.

ALMAINI (*M. Iac.*) Expoſitio de ſuprema poteſtate eccleſiaſtica & laica, apud *Melch. Goldaſtum* de Monarch. S. Rom. Imperii Tom. I. pag. 588.

ALTESSERA (*Anton. Dadin.*) de Origine & Statu Feudorum pro moribus Galliæ Argent. 4. 1690.

Eiuſdem Rerum Aquitanicarum Lib. V. Toloſæ 4. 1648.

Eiuſdem Diſſertationes Iuris Canonici. ibid. 4. 1651.

Eiuſdem de Ducibus & Comitibus Galliæ cum præfat. Ioh. Georg. Eſtoris, Gieſſ. 8. 1731.

AMMIANI MARCELLINI Lib. XVIII. Rerum Geſtarum cum notis Hadr. Valeſii, Lindenbrogii, & Iac. Gronovii. Lugd. Bat. fol. 1693.

ANASTASIUS Bibliothecarius de vitis Romanorum Pontificum per Carolum Annibal. Fabrottum, Pariſ. fol. 1649.

Les Coutumes & communes obſervances du Pays & Duché *d'Anjou*. Ang. 4. 1569.

APPIANI ALEXANDRINI Hiſtoria Romana, edente Alexandro Tollio, Amſtelod. 8. 1670. II. Vol.

Archidiaconus, vid. *Guil. a Baiiſo*.

ARISTOTELIS Opera græca & latina cum Comment. Guilielmi du Val. Pariſ. fol. 1619. II. Tom.

ARNULPHI, Epiſcopi *Lexovienſis*, Epiſtolæ, Tom. XXII. *Bibl. Maxim. Veter. Patr.* pag. 1304.

ATREBATENSE *Chronicon*, vid. *Baldericus*.

AUGUSTINI (*Antonii*) Dialogorum lib. II. de emendatione Gratiani cum notis Stephani Baluzii, Pariſiis, 8. 1762.

S. AUGUSTINI, Epiſcopi *Hipponenſ.* Opera omnia per Monachos Benedictinos. Antvv. fol. 1700. XII. Vol.

Eiusdem Liber de quæſtionibus ex utroque mixtim in ejus Oper. Tom. III. in append. pag. 75.

S. AVITI, Archiepiſc. *Viennenſ.* Opera, per Iac. Sirmondum Pariſ. 8. 1643.

B

BAIISO, (*Guilielmi a*) Archidiaconi *Bononienſis*, Ro-

ſarium, ſive in Decretorum Volumen Commentaria. Venet. fol. 1601.

BALDERICI Chronicon *Cameracenſe* & *Atrebatenſe* cum notis Georgii Colvernerii. Duaci 8. 1635.

BALSAMON (*Theod.*) Scholia in Sanctorum Apoſtolorum & Conciliorum Canones, apud *Guiel. Beveregium* in Pandect. Canonum. Tom. I.

BALUZII (*Stephani*) Concilia Galliæ Narbonenſis. Pariſ. 8. 1668.

BARBOSÆ (*Auguſtini*) Collectanea Doctorum in Concilium Tridentinum, Lugd. fol. 1672.

BARONII (*Cæſaris*) Martyrologium Romanum. Mogunt. 4. 1631.

Eiuſdem Annales Eccleſiaſtici. Colon. Agripp. fol. 1624. XII. Tom.

BASILII, Archiepiſcopi *Cæſareæ Cappadociæ*, Opera, per Iul. Garnier. Pariſ. fol. 1721. & ſeq. III. Tom.

Βασιλικῶν Libri LX. ex verſione Caroli Annibalis Fabrotti, græc. & latin. Pariſ. fol. 1647. VII. Tom.

BECCENSIS *Abbatiæ Chronico* ab ipſa fundatione anno 1034. ad annum uſque 1467. inter Opera *Beati Lanfranci*, Cantuarienſis Archiepiſcopi.

S. BENEDICTI, *Anianæ* Abbatis, Concordia Regularum, auctore Hug. Menardo, Pariſ. 4. 1638.

BERTERII (*Phil.*) Πίνακων Diatribæ duo, quibus civilis Imperii Romani notitia & Eccleſiæ politia illuſtratur, in *Ever*, *Ottonis* Theſauro Iuris Romani IV. Tom. pag. 789.

BERTINIANI *Annales Regum Francorum*, apud du Cheſne III. Tom. Script. Hiſt. Franc. pag. 150.

BESLY (*Jean*) Hiſtoires des Comtes de Poictou & Ducs de Guyenne. Pariſ. fol. 1647.

Eiuſdem Preuve de l'hiſtoire des Comtes de Poictou. ibid.

Eiuſdem Roys de Guyenne depuis l'an ſept cens ſoixant & dix huict. ibid.

BEVEREGII (*Guiliel.*) Συνότικον ſeu Pandectæ Canonum Apoſtolicorum & Conciliorum cum Epiſtolis Patrum Canonicis. Oxon. fol. 1672. II. Vol.

Bibliotheca Cluniacenſis, vid. *Martini Marrier*.

Maxima Bibliotheca Veterum Patrum, & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum, editio Lugdunenſis in Tomos XXVII. diſtributa. Lugduni fol. apud Aniſſonios. 1677. XXVII. Vol.

Bibliotheca Iuris Canonici Veteris in duos Tomos diſtributa, opera & ſtudio Guilielmi Voellii & Henrici Iuſtelli. Pariſ. fol. 1661. II. Tom.

BIGNONII (*Hieronymi*) Notæ ad Marculfum Monachum, apud Stephanum Baluzium Tomo II. Capitularium Regum Francorum, pag. 952. ſeq.

BOERII (*Nicolai*) Annotationes ad Leges Longobardorum. Venet. 8. 1537.

BOESLIEU (*D. de*) Diſſertation ſur l'hemine de vin, & ſur la livre de pain de S. Benoit, & des autres anciens Religieux. Pariſ. 12. 1667.

S. BONIFACII, Archiepiſcopi *Moguntini*, Epiſtolæ cum notis Nicolai Serrarii, in Tom. XIII. *Biblioth. Maxim. Veter. Patr.* pag. 70.

BOSCO (*Ioannis a*) Floriacenſis vetus Bibliotheca, Benedictina, Sancta, Apoſtolica, Pontificia, Cæſarea, Regia, Franco-Gallica. Lugd. 8. 1605.

BRODÆUS (*Iulius*) vid. *Lovetius*.

BURCHARDI *Wormatienſis* Libri XX. Decretorum. Pariſ. 8. 1549.

C

Cæsaris (*C. Iulii*) Opera, cum notis Oudendorpii. Lugd. Bat. 4. 1737.
Cameracense *Chronicon*. Vid. *Baldericus*.
Canisii (*Henrici*) Lectiones antiquæ, sive Thesaurus monumentorum ecclesiasticorum & historicorum cum animadv. criticis Iacobi Basnagii. Amstelod. fol. 1725. IV. Vol.
Capitularia Regum Francorum ex editione & notis Stephani Baluzii. Paris. fol. 1672. II. Tom.
Cassiodori (*M. Aurelii*) Opera omnia, quæ exstant. Genev. 4. 1650.
Celsi (*Aur. Corn.*) de Medicina Libri VIII. edente The. Ianfonio ab Almeloveen. Lugd. Bat. 8. 1730.
Charisius (*Aurel. Arcadius*) de officio Præfecti Prætorio, vid. l. un. D. de Offic. Præf. Præt.
Chesne (*Andreæ du*) Historiæ Francorum Scriptores coætanei. Lutet. Parisior. fol. 1636. & seq. V. Vol.
Ciceronis (*M. Tullii*) Opera ex editione Isaaci Verburgi. Amstelod. 4. 1724. IV. Vol.
Cironii (*Innocentii*) Opera omnia. Tolosæ fol. 1645.
Codex Theodosianus cum commentariis Iacobi Gothofredi, ex editione Antonii Marvilii. Lugd. fol. 1665. VI. Tom.
Cointe (*Caroli le*) Annales Ecclesiastici Francorum. Paris. fol. 1665. & seq. VIII. Tom.
Constitutionum Apostolicarum Auctor, in *Ioh. B. Cotelerii* Collectione S. Patrum Tom. I. pag. 199.
Coquille (*Guy*) Histoire du Pays & Duché de Nivernois. Paris. 4. 1612.
Cotelerii (*I. B.*) Collectio Sanctorum Patrum per Ioh. Clericum. Antvv. fol. 1698. II. Tom.
Cuiacii (*Iacobi*) Observationes, inter ejus Opera Tom. III.
Cypriani (*Thasc. Cæcil.*) Oper. per Stephan. Baluzium. Paris. fol. 1726.

D

Dionis Cassii Cocceiani historiæ Romanæ Lib. XLVI. curante Iohanne Leunclavio. Hannov. fol. 1606.
Dionysii exigui Codex Canonum Ecclesiasticorum in Bibliotheca Iuris Canonici *Voellii & Iustelli* Tom. I. pag. 97.
Dominici (*M. Anton.*) de prærogativa Allodiorum. Argent. 4. 1693.

E

Eginhardi Annales Regum Francorum ab anno 741. ad annum usque 829. apud *du Chesne* Tom. II. Script. histor. Franc. pag. 232.
Eiusdem Epistolæ ex vetusto Codice MSC. Laudunensi apud *eumdem*, ibid. pag. 695.
Ejusdem Vita Caroli M. per Io. Herm. Schminckium. Trai. 4. 1711.
Ennodii (*Magni Felicis*) Episcopi *Ticinensis* Opera, cum notis Iacobi Sirmondi. Paris. 8. 1611.
Eusebii (*Pamphilii*) Episcopi *Cæsareæ Palestinæ* Ecclesiasticæ Historiæ Libri X. ex editione Henrici Valesii per Guiliel. Reading. Cantabrig. fol. 1720.

F

Feuret (*Iean*) Traité de l'abus & du vray sujet des appellations. Lion. fol. 1667.
Filesaci (*Ioannis*) Veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela. Lutet. 8. 1603.
Annales Flandriæ, vid. Iacob. Meyer.
Flodoardi Presbyteri & Canonici *Remensis* Lib. IV. ex recognitione Georgii Colvenerii, Tom. XVII. *Maxim. Biblioth. Veter. Patr.* pag. 505.
Florentis (*Franciſci*) Opera Iuridica. Paris. 4. 1679.
Fontanellensis *Chronici Fragmentum* ab anno Christi 841. ad annum 856. apud du Chesne Tom. II. Scriptor. Hist. Franc. pag. 387.
Fortunati (*Venantii Honorii Clementiani*) Carminum, Epistolarum & Expositionum Lib. XI. cum notis Christophori Brovveri. Mogunt. 4. 1603.
Frotharii, Episcopi *Tullensis*, Epistolæ, ex antiquis membranis Carnotensibus nunc primum editæ: apud *du Chesne* Tom. II. Script. Histor. Franc. pag. 712.
Fulberti, Episcopi *Carnotensis*, Epistolæ historicæ apud du Chesne Tom. IV. Script. Hist. Franc pag. 172.
Fulconis Comitis *Andegavensis* fragmentum historiæ Andegavensis, apud Lucam d'Achery Tom. X. Spicilegii pag. 392.
Fuldenses *Annales Francorum* ab anno Incarnationis Domini 724. usque ad annum 900. apud *du Chesne* Tom. II. Script. Histor. Franc. pag. 531.

G

Galland (*August.*) du Franc-Aleu & de l'origine des droits Seigneriaux avec les loix données au Pais des Albigeois par Simon Comte de Montfort l'an. 1212. Paris. 4. 1637.
Gelasii Papæ Epistolæ: apud *Ioh. Harduinum* in Collect. Concil. Regia Tom. II. pag. 879.
Gellii (*Auli*) Noctium Atticarum Lib. XX. cum notis Ioh. Frid. & Iac. Gronovii. Lugd. Bat. 4. 1706.
Gersonii (*Iohannis*) Opera omnia in V. Tomos distributa, studio M. Lud. Ellies du Pin. Antvv. fol. 1706. V. Vol.
Glossæ Nomicæ, apud *Ever. Ottonem* Tom. III. Thesaur. Iur. Rom. pag. 1697.
Goffridi Abbatis *Vindocinensis* Opera, apud *Iacobum Sirmondum* Tom. III. Oper. pag. 615.
Goldasti (*Melchioris*) Monarchia Sacri Romani Imperii. Francof. fol. 1621.
Gregorii Papæ I. cognomine Magni Opera omnia per Monachos Benedictinos. Paris. fol. 1705. IV. Vol.
Ejusdem Epistolæ, Tom. II. Oper. pag. 477.
Gregorii *Nazianzeni* Opera interprete Iacobo Billio. Antvv. fol. 1612.
S. Gregorii (*Georgii Florentii*) Episcopi *Turonensis*, Opera omnia, nec non Fredegarii Scholastici Epitome & Chronicum. Lutet. Paris. fol. 1699.
Guilielmus *Pictavienſis* de gestis Guilielmi II. Regis Angliæ. Paris. fol. 1691.

H

Hadriani Papæ Epistolæ, apud *Harduinum* Tom. III. Collection. Conciliorum pag. 2017. seq.
Harduini (*Iohan.*) Collectio Conciliorum Regia maxima, Paris. fol. 1715. XII. Tomi.
Hesychii Lexicon cum variis Doctorum Virorum notis adcurante Cornelio Schrevelio, Lugd. Bat. 4. 1668.
Hincmari, Archiepiscopi *Remensis*, Opera cura Iacobi Sirmondi. Paris. fol. 1645. II. Tomi.
Hirsaugienses *Annales* ab anno 830. ad annum 1513. cura Monachorum Sangallensium duobus Voluminibus editæ. fol. Typis ejusdem Monasterii 1690.
Holstenii (*Lucæ*) Codex Regularum Monachorum & Virginum collectus a S. Benedicto Anan. Romæ 4. 1661.
Q Horatii *Flacci* Opera cum Commentariis Acronis Grammatici. Basil. 8. 1527.
Hostiensis (*Henr.*) ad Decretales cum annotationibus Martini Abbatis. Lugd. fol. 1568. III. Tom.
Hovedeni (*Roger. de*) Leges Angliæ & Statuta VVilhelmi Senioris post conquisitionem: exstant in eiusdem Annalibus Rerum Anglicarum, part. poster. pag. 600. Francof. fol. 1601.

I

Innocentii III. Pontific. Maxim. Epistolarum Libri IV. cum notis Francisc. Bosqueti. Tolos. fol. 1635.
Iohannis VII. Pontific. Maxim. Epistolæ apud *Labbeum* Tom. IX. Collect. Concilior. Maxim. pag. 1.
Joinville (*Jean Sire de*) Histoire de St. Louis IX. Roy de France par Claude Menard. Paris. 4. 1617.
Iosephi (*Flavii*) Opera omnia cum notis variorum per Sigebertum Havercampum. Amstelod. fol. 1726. II. Vol.
De Iudiciis Canonicis Episcoporum Auctor, intelligitur *Petrus de Marca*, de Concordia Sacerdotii & Imperii Lib. VII. cap. 18.
Ivonis *Carnotensis* Opera, cum notis Franc. Iureti & Soncheti per Ioh. Frontonem Paris. fol. 1647.

Iu-

IUVENALIS Satyræ cum notis variorum per Henric. Chriſt. Henninium. Ultrai. 4. 1645.

L

LABBEI (*Phil.*) Collectio Conciliorum maxima, Pariſ. fol. 1672. XVII. Tom.
LANFRANCI (*Beati*) Cantuarienſis Archiepiſcopi Ord. S. Bened. Opera omnia, cura Lucæ d' Achery, Lutet. Pariſior. fol. 1648.
Fragmentum Chronici LAURISHAMENSIS *Monaſterii* apud du Cheſne Tom. III. Scriptor. Hiſtor. Francor. pag. 490.
LINDENBROGII (*Friderici*) Codex Legum Antiquarum. Francof. fol. 1603.
Eiuſdem Gloſſarium ſive interpretatio rerum vocumque difficilium & obſcuriorum; in Codice Legum Antiquarum, pag. 1343. ſeq.
LIPSII (*Juſti*) Opera omnia. Antvv. fol. 1637. VI. Vol.
LIVII (*Titi*) Hiſtoriarum Libri cum notis Gronovii aliorumque. Amſtelod. 8. 1665. III. Tom.
Legis Longobardorum Libri III. ex Bibliotheca Friderici Lindenbrogii in Codice Legum Antiquarum. pag. 509.
LOYET (*Georg*) Recueil des Arreſts notables de la Cour de Parlement de Paris, publié & augmenté par Julien Brodeau. Pariſ. 4. 1633.
LOYSEAU (*M. Charl.*) Oeuvres par Claude Joly. Pariſ. fol. 1666.
LUCIANI *Samoſatenſis* Opera cum nova verſione Tiber. Hemſterthuſii & Io. Matthiæ Geſneri cura Io. Frid. Reitzii. Amſtelod. 4. 1743. III. Tomi.
LUPI *Ferrarienſis* (*Beati Servati*) Opera per Stephanum Baluzium. Pariſ. 8. 1664.

M

MAGISTRI Regulæ ad Monachos, apud *Lucam Holſteinium* Tom. II. Codic. Regul. pag. 293.
MARCA (*Petr. de*) de Concordia Sacerdotii & Imperii Lib. VIII. per Stephanum Baluzium. Pariſ. fol. 1663.
Ejuſdem Hiſtoire de Bearn. Pariſ. fol. 1640.
NONII MARCELLI Opuſcula Grammatica. Pariſ. 8. 1614.
MARCULFI Monachi & aliorum Formulæ veteres cum doctor. viror. notis apud *Stephanum Baluzium* Tom. II. Capitularium Regum Francorum pag. 370. ſeq.
MARRIER (*Martini*) Bibliotheca Cluniacenſis, cum notis Andreæ Quercetani. Pariſ. fol. 1614.
MATTHÆI (*Pariſienſis*) Hiſtoria maior, ex editione VVilh. VVats. Londin. fol. 1684.
MENDOZA (*Ferdinandi de*) Commentarius ad Concilium Illiberitanum. Lugd. fol. 1665.
MERILLI (*Edmundi*) Opera omnia. Neapol. 4. 1720.
Annales Francorum METENSES ab anno Chriſti 687. uſque ad annum 904. apud *du Cheſne* Tom. III. Scriptor. Hiſtor. Franc. pag. 262.
MEYERI (*Iacobi*) Commentarii, ſive Annales rerum Flandricarum, Libri XVII. Antvv. fol. 1561.
M. MINUCII FELICIS Octavius, cum animadverſionibus Iacobi Ouzelii. Lugd. Bat. 4. 1652.
MIRÆI (*Auberti*) Codex donationum piarum in favorem Eccleſiæ, præſertim Belgicarum. Bruxell. 4. 1624.
Excerpta Chronicis veteris MOISSIACENSIS *Cœnobii*, apud *du Cheſne* Tom. III. Scriptor. Hiſtor. Francor. pag. 130.
MOLINÆI (*Caroli*) Opera omnia, Lutet. Pariſ. fol. 1612. III. Vol.
MURENSIS Monaſterii Origines in Helvetiis, &c. Spirembergii 4. 1618.
MUTIUS (*H.*) de Germanorum prima origine, moribus, legibus, Lib. XXXI. Baſil. fol. 1539.

N

NARBONENSIS Synodus, vid. *Stephani Baluzii* Concilia Galliæ Narbonenſis.
Conſtitutionum Neapolitanarum ſive Sicularum libri tres, apud *Frider. Lindenbrogium* in Codic. Legum Antiquarum, pag. 691.
NICEPHORI (*Calliſti*) hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. XVIII. ex verſione Io. Langi per Frontonem Ducæum Græc. & Latin. Lutet. Pariſ. fol. 1630. II. Tom. *Concil. General.* Tom. XVIII. Appendix
NICOLAI I. Papæ Epiſtolæ, apud *Harduinum* in Collectione Concil. maxim. Tom. V. pag. 119.
NITHARDI de diſſenſionibus filiorum Lodhvici Pii Lib. IV. apud *du Cheſne* Tom. II. Script. Hiſt. Francor. pag. 359.
La Couſtume de NORMANDIE par Ioſ. Berault, a Rouen fol. 1648.

O

Odo Cluniacenſis, vid. *Marrier*.
OPTATI *Afri* Epiſcopi *Milevitani* Opera omnia per Ludov. Ellies du Pin. Lutet. Pariſior. fol. 1700.
ORIGENES contra Celſum Lib. VIII. Græc. & Latin. cum notis Guil. Spenceri. Cantabrig. 4. 1677.
OTTONIS (*Everardi*) Theſaurus Iuris Romani. Trai. ad Rhen. fol. 1733. V. Vol.

P

PANCIROLLI (*Guidonis*) Notitia dignitatum utriuſque Imperii, Orientis ſcilicet & Occidentis, Tom. VII. Theſauri Antiquitat. Romanar. *Io. Georgii Grævii*, pag. 1308. ſeq.
PAPIAS Grammaticus. Venet. fol. 1496.
PHILONIS *Iudæi* Opera, Græc. & Latin. interprete Sig. Gelenio, Andrea Turnebo, & David. Hœſchelio. Pariſ. fol. 1640.
PHILOXENII *Cyrilli* aliorumque veterum Gloſſaria Latino-Græca, & Græco-Latina, auctore Carolo Labbeo. Lutet. Pariſ. fol. 1679.
PISTORII (*Iohannis*) Rerum Germanicarum Scriptores, ex edit. Burcard. Gotth. Struvii. Ratisbon. fol. 1726. III. Tom.
PITHOEI (*Petri*) Opera Sacra, Iuridica, hiſtorica, miſcellanea. Pariſ. 4. 1609.
Eiuſdem Hiſtoria Campaniæ inter Opera ejus.
Eiuſdem Gloſſarium ad Libros Capitularium Caroli Magni apud *Baluzium* Tom. II. Capitularium Regum Francorum, pag. 705. ſeq.
PLAUTI (*M. Accii*) Comœdiæ, ex recenſione Iani Gruteri cum Comment. Taubmanni. Francof. 4. 1621.
PLINII (*C. Cæcilii Secundi*) Epiſtolarum Lib. X. cum animadverſionibus Cortii & Longolii. Amſtelod. 4. 1734.
POETÆ SAXONIS & hiſtorici Annalium de geſtis Caroli M. Imperatoris Lib. V. apud *du Cheſne* Tom. II. Scriptor. Hiſtor. Francor. pag. 136.
POSSIDONIUS de vita & moribus Auguſtini, inter Opera *Auguſtini*. Baſil. fol. 1659. editor. Tom. I. pag. 859.
PROBUS (*Philipp.*) ad Sanctionem pragmaticam, vid. *Sanctio pragmatica*.
PROCOPII *Cæſarienſis* Anecdota, ſive hiſtoria anecdota, interprete Nicolao Alemanno. Lugdun. fol. 1623.

R

REGINONIS *Prumenſis* Lib. II. de diſciplina Eccleſiaſtica & religione Chriſtiana ex emendatione Steph. Baluzii. Pariſ. 8. 1671.
Eiuſdem Chronicon, ſive Annales: apud *Iob. Piſtorium* Tom. I. Scriptor. Rerum Germanic. pag. 1.
RIGORDI ſeu *Rigoti* (*Magiſtri*) geſta Philippi Auguſti Francorum Regis, Ludovici Iunioris filii: apud *du Cheſne* Tom. V. Scriptor. Hiſtor. Franc. pag. 1.
ROYE (*Franciſci de*) de Iuribus honorificis in Eccleſia. Andegav. 4. 1677.
Eiuſdem de Iure patronatus. 4. ibid. eod.
Eiuſdem Inſtitutiones Iuris Canonici Lib. III. cum notis Caſp. Ziegleri. Lipſ. 8. 1722.

S

Legis Salicæ Liber, in *Frid. Lindenbrogii* Codice Legum Antiquarum, pag. 309.
SAMMARTHANI (*Scævolæ* & *Ludovici*) Gallia Chriſtiana. Pariſ. fol. 1715. II. Vol.
Sanctio Pragmatica cum Gloſſis Coſmæ Guymier, & additionibus Philippi Probi per Franciſc. Boiſſonium. Pariſ. fol. 1666.
SANGALLENSIS *Monachi* Chronicon de geſtis Caroli Magni, Regis Francorum apud *du Cheſne* Tom. II. Scriptor. Hiſtor. Franciæ pag. 107.
SCRIPTORES VI. *Hiſtoriæ Auguſtæ*, cum notis Caſaubo-

boni, Salmaſii, & Iani Gruteri. Lugd. Bat. 8. 1671. II. Tom.

Sidonii (*C. Sollii Apollinaris*) Epiſcopi *Avernorum*, Opera cura Iacobi Sirmondi. Pariſ. 4. 1652.

Sigonii (*Caroli*) Mutinenſis Opera omnia, cum notis variorum illuſtrium Virorum, curante Ludovico Antonio Muratorio. Mediol. fol. 1732. VI. Vol.

Sirmondi (*Iacobi*) Concilia Galliæ antiqua. Lutet. Pariſior. fol. 1629. III. Tom.

Eiuſdem Appendix Codicis Theodoſiani, Pariſ. 8. 1631.

Eiuſdem Notæ ad Caroli Calvi & Succeſſorum aliquot Franciæ Regum Capitula. Pariſ. 8. 1623.

Eiuſdem Opera varia. Pariſ. fol. 1696. V. Vol.

Eiuſdem Formulæ veteres ſecundum Legem Romanam: apud *Steph. Baluzium* Tom. II. Capitularium Regum Francor. pag. 467.

Somnium Viridarii, vid. *Achillinus*.

Sozomeni (*Hermiæ*) Hiſtoria Eccleſiaſtica, Græc. & Latin. per Guiliel. Reading. Cantabrig. fol. 1700.

Spelmanni (*Henr.*) Gloſſarium Archæologicum. Lond. fol. 1687.

Statii (*Publ. Pap.*) Opera cum notis Claudii Beroaldi in uſum Delphini. Pariſ. 4. 1685.

Strabonis Rerum Geographicarum Lib. XVII, cum notis Variorum ex editione Iſaaci Caſauboni, curante Theod. Ianſon, ab Almeloveen. Amſtelod. fol. 1707.

Strabi ſive *Strabonis* (*Valafridi*) natione Germani, Liber unus de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum, Tom. XV. *Maxim. Bibl. Veter. Patr.* pag. 181.

Suetonii (*Caii*) Opera cum commentariis Samuelis Pitiſci. Leovvard, 4. 1714. II. Tom.

Suidæ Lexicon Græc. & Latin. cum verſione Æmylii Porti & notis Ludolph. Kuſteri, Kantabrig. fol. 1705. III. Tom.

Sulpitii Severi Presbyteri Opera omnia cum lectiſſimis commentariis, accurante Georgio Hornio, Lug. Bat. 8. 1647.

Summa ruralis per Ioh. de Gradib. Pariſ. in fol. 1512.

Surii (*Laurentii*) Vitæ Sanctorum ex probatis auctoribus & MSCtis Codicibus editæ. Colon. Agripp. fol. 1617. XIV. Volum.

Symmachi (*Q. Aurelii*) Epiſtolarum Lib. X. cura & ſtudio Franc. Iureti, Pariſ. 4. 1580.

Synesii, Epiſcopi *Cyrenes*, Opera, interprete Dionyſio Petavio. Lutet. Pariſior. fol. 1640.

T

Taciti (*Cornelii*) Opera quæ exſtant ex recenſione & cum notis Iacobi Gronovii. Traj. Batav. 4 1721. II. Tom.

Tertulliani (*Quint. Sept. Flor.*) Opera auctore Io. Lud. de la Cerda. Lutet. Pariſior. fol. 1624.

Theganus de geſtis Ludovici Pii Imperator. cum præfat. Valafridi Strabonis Abbat. Augienſ. apud *du Cheſne* Tom. II. Script. Hiſt. Franc. pag. 274.

Theodulfi Epiſcopi *Aurel.* Opera cum notis Iacobi Sirmondi, Tom. II. Operum *Sirmondi* pag. 921.

Tholosani (*Petr. Gregor.*) Syntagma Iuris univerſi, partes tres. Francof. fol. 1611.

V

Valladier (*Andre*) L'Auguſte Baſilique de l'Abbaje Rojale de Saint *Arnoul*. Pariſ. 4. 1615.

Varronis (*M. Terent.*) Opera omnia cum notis Ioſeph. Scaligeri, Ad. Turnebi, Petr. Victorii & Anton. Auguſtini. Amſtelod. 8. 1623.

Virgilii (*P. Maronis*) Opera cum Commentar. Servii ex edition. Pancrat. Maſuicii, Leovvard. 4. 1717. II. Tomi.

Vita *S. Evortii*, apud *Laurentium Surium* in Vitis SS. Menſ. Septembr. pag. 83.

Vita *S. Mauri*, in d'*Achery* Actis SS. Secul. I. ad an. 584. pag. 274.

Vita et actus *Ludovici Pii* Imperatoris: apud *du Cheſne* Tom. II. Scriptor. Hiſtor. Franc. pag. 286.

Vossii (*Gerh. Ioh.*) Opera Amſtelod. fol. 1688. VI. Tom.

VV

Codicis Legis VVisigothorum Libri XII. in *Frider. Lindenbrogii* Codice Legum Antiquarum pag. 1.

Z

Zonaras (*Iohannis*) Monachi Commentarii in Canones SS. Apoſtolorum & Sacrorum Conciliorum Græc. & Latin. Lutet. Pariſior. fol. 1618.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

Abbates ſuos habuere Miſſos, etiam laicos 877
interdum ipſi fuerunt Miſſi Dominici 884
negligentes a quibus olim remoti 945
Abbatiolæ, quid ſint 949
Actorum conficiendorum ius habuere Miſſi Dominici 920
Admonitiones vide *Capitula*.
Adoptiones, num de iis Miſſi Dominici cognoverint 906
Adſalituræ in domus, quinam de iis cognoverint 925
Advenæ, quinam dicti
cur nomina ſua apud Miſſos Dominicos profeſſi 298
Adventus Miſſorum Dominicorum in Miſſatica 895
Adulterium, quale crimen ſit 932
Advocati, quinam dicti 877. 909
a quibus conſtituti ibid.
num certus eorum numerus fuerit in quolibet Comitatu ibid.
Agentes in rebus, num a Miſſis Dominicis differant 871. 946
Aggeres fluminum curæ Miſſorum Dominicorum fuerunt commendati 961 ſeq.
Alienationes rerum eccleſiaſticarum, quinam de iis cognoverint 913
Allodia, quid ſint 969
Allodia privata quænam dicta ibid.
cur a Miſſis Dominicis deſcripta ibid.
Apoſtolici viri, quinam vocati 946
Appellatio, quando licita 904
ea remota, ſæpius iudicarunt Miſſi Dominici 907. & ſeq.
Aquæ frigidæ iudicium quomodo peractum 921
quinam ei ſubiecti ibid.
a Ludovico Pio eſt prohibitum ibid.
Aquitania, quando in regnum evecta 890
Aſſaſſini, quinam in eos animadverterint 925
Aſſiſiæ regales maiores in Gallia, quoties in anno habeantur 902

B

Balduinus, Comes, Caroli Calvi filiam rapuit, eamque uxorem duxit 939. ſeq.
eius deſponſationi & coniunctioni adfuerunt Miſſi Dominici 939
Ballivi, quinam dicantur 879. 883
num in locum Miſſorum Dominicorum ſucceſſerint 888
Banniare, quid ſignificet 903
Bannum, quid ſit 905. 962
Bannum renuadiare, quid denotet 917
Bannum Dominicum componere, quid ſibi velit 923
Barigildi, quinam dicti 904
S. Benedicti regula, quando in Gallia recepta 942
Beneficia eccleſiaſtica, quid ſint 913
Beneficia regalia, quænam dicta 917. 967
Bergium, quid ſit 904
Bona damnatorum olim in Francia ſunt confiſcata 925
Britannia, quando rebellarit 890
Brunia, quid ſit 960

C

Cancellarii munus in diſtribuendis capitulis 891
Canonica iudicia in laicos curarunt Miſſi Dominici 931
Canonica obedientia ad curam Miſſorum Dominicorum pertinuit 936
Capitula, quid ſint 891. 899
a quibusnam Miſſis Dominicis, in Miſſaticum proficiſcentibus, data 891. 956
ubinam fieri ſolita 900
in generalibus regni conventibus edita, quomodo appellata ibid.
Carolus Calvus, in quot Miſſatica regnum ſuum diviſerit 890
Carolus M. cur in omnes regni ſui provincias Miſſos deſtinarit 873. 883. 887. 888
cur in regno ſuo multos inſtituerit Comites 877
quot Miſſatica in regno ſuo conſtituerit 890
Caſati, quinam dicti 968
Caſtitiæ eccleſiarum, quid ſint 912
Cenſus regii curæ Miſſorum Dominicorum commendati 967
Centena, quid? 879. 923
Centenarii, quinam fuerint 879. 880. 902. 903. 924
de quibus cauſis cognoverint 880. 905
Circuitores, quinam dicti 930
Clamodici, quinam vocati 925
Clauſæ, quid ſint 961
Clauſtra monaſteriorum ſint firma 943
Clerici ſæpius fuerunt Miſſi Dominici 884
olim a nonnullis inhoneſte & crudeliter tractati 924
num a tributis & vectigalibus fuerint immunes 962. 966.
ad pontes reſtaurandos fuerunt obligati 962
Codex Canonum eccleſiæ, quando in Gallia cognitus 887
Codex Juſtiniani, quando in Gallia prodierit 907. 908
quando Theodoſianus ibid.
Cœnobitæ, a S. Benedicto probati 943
Collectas facere, quid ſignificet 924
Coloni, quinam appellati 929
num a Miſſis Dominicis ad Placita vocati 902
criminoſi, cuius iurisdictioni ſubiecti 929
Comes palatii, quomodo hodie vocetur 926
Comitatus olim in centena diviſi 879
Comites, cur a Carolo M. in variis Franciæ provinciis conſtituti 877
num omnes fuerint ingenui & nobilioris conditionis 878
olim fuerunt temporales 877. 878
quando perpetui facti ibid. 882 888
apud veteres Francos fuere Iudices 879
ſuos habuerunt Miſſos & Vicarios ibid.
de quibus negotiis cognoverint 880
quomodo & quando Placita ſua habuerint 903
interdum Miſſi Dominici fuerunt 883
an & in quibus Miſſis Dominicis ſubiecti fuerint 885. 888.
aliquando ſuos iudices elegerunt & inſtituerunt 908
quali pœna afficiendi, qui turbatores pacis coercere intermiſerint 925
in reparatione pontium negligentes, a quonam iudicandi 962
Commendatitiæ litteræ pauperibus peregrinis olim datæ 852
Commercia, eorum cura Miſſis Dominicis commendata 960
Commonitoria, vide *Capitula*.
Compoſitio, quid ſit 929
Concilia olim a Regibus Chriſtianiſſimis convocata 938
iis interfuerunt Miſſi Dominici 937. ſeq.
Concilium apud S. Medardum quodnam dicatur 904
Condricta, quid ſit 267
Coniecta aut *Coniectus*, quid ſint 892. 964
Conſtringere, quid ſignificet 926
Conſules, quinam olim vocati 882
Conventus, num a Placitis differant 899
Conventus regni generales, quomodo alias vocati 900. 899
quomodo, quando, & ubi habiti 899
quinam ad eos vocati 900
quænam in iis actitata 899
in deſuetudinem abierunt 900
Conventus ſingularis, quinam ei interfuerint ibid.
quænam negotia in eo tractata ibid.
Conventus popularis, quid ſit 936
Copulari ſecundum leges ſeculi, quid ſit 991
Crediti & Creditarii, quinam dicti 873 876
Crimen commune & privilegiarium, quodnam 928
Crimina laicorum, an & quatenus Iudices eccleſiaſtici de iis inquirere potuerint ibid.
Crimina capitalia, de iis cognoverunt Miſſi Dominici 906

D

Decani, quinam appellati 902. 904
Placita ſua ſub Comitibus habuerunt 905
de

de quibus rebus cognoverint ibid.
Decimæ dominicatæ, quænam dicantur
Decimæ ecclesiasticæ, quid 910. 911
ex quibus rebus & prædiis solvendæ 912
curæ Missorum Dominicorum sunt commendatæ 911
Decurrentes, quinam dicti 874
Delictum legaliter emendare quid sit 933
Denarius bonus, quis 881. 964
Dies consecrati post nativitatem Domini, quinam appellati 904
Dilatare justitiam, quid sit 934
Dionysii Exigui Codex canonum ecclesiæ, quando in Gallia cognitus 887
Disciplina publica Missis Dominicis commendata 935
Discurrentes, v. *Decurrentes*.
Disfacere justitiam, quid sit 897
Distringere, quid significet 927
Domestici, quinam vocati 884
Domini appellati sunt Reges 872
etiam Missi Dominici 884
Dominicatum, quid denotet 872
Duces, quinam olim fuerint 983
quando se Consules appellarint ibid.
quando merum imperium usurparint 878. 882. 888. & seq.

E

Ebbo, Archiepiscopus Remensis, a quibus comprehensus & custodiæ mancipatus 886
a quonam depositus ibid.
Ecclesiæ suos habuere Missos, etiam laicos 876
num in iis Placita haberi potuerint 902. 903
a temporalibus Comitibus exstructæ non sunt regiæ fundationis 878
destructæ a quibus sint reparandæ 914
Ecclesiastica disciplina a Missis Dominicis restituta 936
Ecclesiastica prædia, v. *Prædia*.
Ecclesiasticæ res, num de iis Missi Dominici cognoverint 907. 910. 913
Ecclesiastici Judices, v. *Judices*.
Emendatio, quid sit 932. 933
Episcopi suos habuere Missos, etiam laicos 815. 877
an & quatenus Missis Dominicis subjecti 885
interdum ipsi fuerunt Missi Dominici 884. 886
jam olim a consiliis regum Christianissimorum fuere 885
qualem in laicos habeant jurisdictionem 928. 931
eorum electionibus sæpius adfuere Missi Dominici 938
olim homines suos in militarem expeditionem mittere debuerunt 958
Epistola compositionalis, quænam dicta 941
Esquichiers. quid sint 903
Exactiones publicæ sint moderatæ 962. 963. 966
Excomites, quinam appellati 878
Excommunicati, eorum nomina pro foribus templi publicata 924
Excondicere, quid significet 902
Exemptiones monachorum, monasteriorum & abbatum, a quibus olim datæ 946
Exonia, quid sit 902

F

Festi dies olim a Principibus constituti 904
num in iis Placita haberi potuerint 902. 903
Feuda a Ludovico Pio data sunt in perpetuum 918
Fideles, quinam dicantur 873. 884. 886
Fiscalini homines, quinam dicti 965. 923
Fiscalini Missi ibid.
Flagellare, quid significet 924. 931
Fodrum, quid sit 963
Forbannire, quid significet 924
Foreste, quid sint 963
Franci duas habuerunt leges 907. 939
Fredum, quid sit 930
Frisinga, quid sit 894

G

Grassatores, quinam dicti 922
Grafio, idem quod Comes 903
Guntfanonarius, quid significet 954

H

Harmiscaram sustinere, quid 917. 933
Herba non est tollenda defensionis tempore 875. 963
Heribannus, quid sit 957. & seq.
quorum curæ fuerit demandatus ibid.
quinam ab eo excusati ibid.
Homicidæ voluntarii, quinam dicantur 925
Honor, quid significet 917. 962

I

Ictus accipere, quid 923
Illatio, quid sit 965
Immunitatum infractores, quinam dicti 924
Incendiarii, quomodo puniendi ibid.
Incidere in causam mutuorum, quid significet 950
Indominicatum, quid sit 967
Infames, quinam dicantur 925
Inferenda, quid sit 965
Infideles, quinam dicantur 923
Inquisitio Missis Dominicis demandata 892
qualis Episcopis competat 930
Instructiones, vide *Capitula*.
Irenarchæ, quinam fuerint 922
Itinerantes, quinam dicti 874. 928
Judices, quinam a Missis Dominicis constituti 908
Judices Comitum, quinam fuerint 902. 903. 908
Judices ecclesiastici, an & quomodo de criminibus laicorum cognoscere possint
Judices legis Salicæ, quinam dicti 873. 907
Judices minores, quomodo & quando Placita habere potuerint 903
Judices seculares, an & quando de causis Clericorum cognoscere possint 915. 920
Juniores ecclesiæ, quinam vocati 874. 927
Juniores Missi, quinam fuerint 874. & seq.
Jurisdictio ecclesiastica quotuplex sit 875. 929
Jus Justinianum, quando in Gallia cognitum 887
Justitia, quotuplex 881
Missis Dominicis maxime commendata 887
justitiam dilatare, quid sit 934
Justitiæ temporales ecclesiarum, quando exortæ 877

L

Laici, an & quomodo de iis Judices ecclesiastici cognoscere possint 929
Latrones, quinam dicti 921. 922
quomodo investigandi & puniendi 922
qua pœna eorum receptatores afficiendi 923
Latrunculator, quisnam dicatur 922
Legati, ita dicti interdum sunt Missi Dominici 871. 872. 875. 881.
Legati a latere, quinam sint 872. & seq. 875
Legatio, quid sit 890
Lex mundana & secularis, quænam 940. seq.
Liberti, quare olim rebus Principum agendis admoti 878
Lites a Missis Dominicis diremtæ 951. 959
Lithostrotum, quid sit 962
Litteræ Confessionis, quænam vocatæ 952
Ludovicus Pius, quare in omnes provincias Missos legaverit 919. 920

M

Magistri libellorum supplicum, in quorum locum successerint 888. seq.
ubinam jus dixerint 889
Majores, quinam appellati 874
Mallare, quid significet 902
Mallobergium, quid sit 904
Mallum, quid denotet 903. 904
Mandata, Missis Dominicis in sua Missatica euntibus data, quo nomine veniant 891. seq.
Mannire, *Mannina*, quid significet 905
Mansio, quid sit 894
Mansionatica, quænam fuerint loca ibid.
Marascalcus, quinam olim dictus 963
Marculfus, quando floruerit 882
Matrimonium, sine parentum consensu contractum, ipso jure est nullum 942
Menses, quinam ad Placita habenda constituti 900. 901. 903. & seq.
Mensuræ, earum cura Missis Dominicis demandata 960. & seq.
Mercatus, vid. *Commercia*.
Militares stationes, vide *Stationes*.
Milites, ad curam Missorum Dominicorum pertinuerunt 957
Ministri rei publicæ, quinam vocati 905
Missa, quid significet 961. 964
Missaticum, quid 890
Missi, quinam dicti 873. 882
Missi abbatum 877
Missi apostolici 876

Miſſi a latere 872. & ſeq.
Miſſi Comitum 879. 880. ſeq.
Miſſi decurrentes vel *discurrentes* 874. 882
magno in honore habiti 875
Miſſi diſcuſſores 876. 882
Miſſi Dominici, quinam fuerint 871. 873. 902
undenam ſic dicti 871
quomodo alias appellati 872
qua de cauſa & occaſione creati 873
plures & varii fuerunt ibid.
de quibus negotiis cognoverint 880
quo tempore floruerint & deſierint 881
in quibus regionibus inſtituti ibid. & 883
cujus ordinis & conditionis fuerint 883
quot ſimul miſſi 884
magno in honore habiti ibid. & 256
quis eorum ordo cum Epiſcopis & Comitibus 884 & ſeq.
an & quatenus iis Epiſcopi ſubjecti 885
an & in quibus Comites iis ſubjecti fuerint 887
ad quos hodie translatum ſit eorum officium 888
in quibus locis legatione ſua functi 890
eorum numerus in quolibet Miſſatico 891
iis in Miſſatica proficiſcentibus data Capitula ibid. & 256.
in quænam inquirere debuerint 892
obſtricti fuere, ut in rebus majoris momenti ad Principem referrent ibid.
tractoriam acceperunt a Rege in Miſſatica profecturi 894. 256
venientes in Miſſatica honorifice accepti 894. 895
legationem ſuam notam facere debuerunt 894
num pro lubitu huc illuc diſcurrere potuerint 256
provincialibus non debuerunt eſſe oneri 895. & ſeq.
num vices ſuas aliis demandare potuerint 896
unicuique jus ſuum tribuere debuere 897
quinam conventus ab iis habiti 901
de quibus rebus & cauſis cognoverint 905
ſecundum quam legem ius dixerint, & an appellatione remota 908
Iudices, Scabinos, Advocatos & Notarios conſtituerunt 909. & ſeq.
cognoverunt de rebus eccleſiaſticis 910
de reparationibus eccleſiarum 914
de cauſis Clericorum 915
de Patronis & de jure Patronatus 916. ſeq.
Epiſcopos juvarunt contra rebelles Clericos & Monachos 918
Clericis oppreſſis ſuccurrerunt 919
in facinoroſos homines animadverterunt 920
de criminibus Clericorum cognovere 926
canonica judicia in laicos curaverunt 928
delicta leviora emendarunt 932
juſtitiam dilatare non potuere 934
Conciliis & Epiſcoporum electionibus interfuerunt 937
nuptiis regalium liberorum regia vice adfuere 939
ad eorum curam pertinuerunt diſciplina publica & eccleſiaſtica 935
Canonica obedientia 936
Monachi 941. 943. 945. 948. 950
monaſteria 943. 945. 948. 950
pauperes 951
ſcholæ publicæ 853
pax & quies 953
fidelitas populorum 955
milites, heribannus 957
violentiæ potentiorum & eorum lites 959
uundinæ, mercatus, pondera & menſuræ 960
aggeres fluminum, pontes, naves, viæ publicæ 961
paſcua, ſylvæ 963
moneta ibid.
vectigalia 965
cenſus, beneficia, caſata, regiæ villæ 966
regia ſervitia, allodia, nonæ, & decimæ advenæ 970
Miſſi eccleſiæ 875
Miſſi epiſcoporum 876
Miſſi ex latere Imperatoris 872
Miſſi exercitus Imperialis 957
Miſſi fiſcalini 965
Miſſi imperiales 872
Miſſi itinerantes 874
Miſſi juniores ibid.
Miſſi laici epiſcoporum, eccleſiarum & abbatum 877
Miſſi majores 874
Miſſi minores ibid.
Miſſi palatii Imperatoris 872
Miſſi peculiares ad ſingularia quædam negotia 876
Miſſi regales 872. 965
Miſſi reipublicæ 880
Miſſi Seniorum 881
Miſſionarii, quinam dicti 876
Monachi ſecundum S. Benedicti regulam in Gallia vivant 942
olim ſine permiſſu Principis monachiſmum induere non potuerunt 943. & ſeq.
quomodo probandi 944
quando contra profeſſionem ſuam reclamare poſſint 945
qualis ſit eorum victus, & veſtitus 947
quot ſint in quolibet monaſterio 949
rebelles a Miſſis Dominicis in ordinem ſunt redacti 918
Monaſteria, in quibus locis ædificanda 942
eorum clauſtra & officinæ 943
a quibus ſint ſubiecta Epiſcopis 945
a quibus iis exempta 946
a quibus reformata ibid.
eorum bona curæ ſemper fuerunt Regibus Chriſtianiſſimis 948. 949
ſæpius laicis data ſunt aut in beneficium aut in alodem 949
a quibus ſint inſtauranda & reparanda 950
quibuſnam cognitio cauſarum aut litium ad monaſteria pertinentium competat 951
Moneta curæ Miſſorum Dominicorum demandata 964
Moniales, juxta quam regulam in Gallia vitam inſtituant 942
qualis ſit earum victus & veſtitus 948
Mortua manus, quid ſit 913
Mundiburdum, quid ſignificet 942

N

Naves curæ Miſſorum Dominicorum commendatæ 961 & ſeq.
Noctium computatio apud veteres Germanos 880
Nonæ dominicatæ, quænam dictæ 910
Nonæ eccleſiaſticæ, quid ſint 911
Notarii, quinam appellati 909
a quibus conſtituti ibid.
Novellæ Iuſtiniani, quando in Gallia cognitæ 907
Nundinæ, curæ Miſſorum Dominicorum demandatæ 960
Nuntii interdum vocati ſunt Miſſi Dominici 872. 886
Romanorum Pontificum, an differant a Miſſis apoſtolicis 875. 876
Nuptiæ regalium liberorum, iis Miſſi Dominici adfuerunt 939. ſeq.

O

Obedientia canonica Miſſis Dominicis commendata 936
Officiales publicæ partis, quinam dicti 874
Officialis epiſcopi, quis ſit 876
Officinæ in monaſteriis, quid ſint 943

P

Pagenſes, quinam appellati 880. 959
Pagus, cur centena dictus 923
Pandectæ, quamdiu in Occidente ignotæ fuerint 907
Paratæ, quid ſint 894
Paraveredi Miſſis Dominicis proficiſcentibus dati 894
Paſcua curæ Miſſorum Dominicorum demandata 963
Pauperes, num a Miſſis Dominicis ad Placita vocati 902
curæ Miſſorum Dominicorum fuerunt commendati 951. 959.
ad eccleſiam accedentes litteras commendatitias afferre debuerunt 952
quinam in xenodochium deducti ibid.
Pax a Miſſis Dominicis quomodo conſervanda 953. ſeq.
quomodo pacis turbatores puniendi 925
Peccatum ſpirituale & ſeculare, quomodo differant 932
Perdonatio, quid ſit 934
Placitum, num idem quod Conventus 901
publicum & privatum 899. 900
Miſſorum Dominicorum 900. & 901
Comitum & minorum Iudicum 903
regale, ex quibus perſonis conſtet 900
vid. *Conventus*.
Pœnitentia, quando manu militari indicta 937
Pondera injuſta non ſunt toleranda 961
Pontes, eorum cura Miſſis Dominicis demandata 960
Pontifex, idem quod Epiſcopus 927
Populus olim Epiſcoporum electioni adfuit 938

Poteſtas, idem quod territorium 904
Poteſtates, quinam dicti 873
Præcepta regia, quid ſint 969
Prædia eccleſiaſtica, cur & a quibus militibus in feudum data 913. 966
Præpoſiti, quinam dicti 879. 902
Prætores, quinam olim fuerint 882
Preces publicæ, quando inſtitutæ 936
Proceſſiones publicæ, quando indictæ 936
Procuratores, a quibus conſtituti 909
Propria, quomodo differant a beneficiis 967
Provocatio a *Comitibus ad Regem*, quando permiſſa 903. 904.
Puriter, quid ſignificet 929

R

Racimburgii, quinam fuerint 903
Raptores, de iis Miſſi Dominici cognoverunt 924
Raptus crimen lege Salica pecunia æſtimatum 941
Receptatores latronum, quomodo coercendi 923
Reclamationes ad principem, quibuſnam permiſſæ 919
monachorum, apud quem fieri debeant 944
Redemptionis pretium, quid ſit 929
Regiones Miſſis aſſignatæ, quomodo appellatæ 890
Regula S. Benedicti, quando in Gallia recepta 942
Secundum regulam vivere, quid ſit 942
Reipublicæ miniſtri, quinam dicti 880. 905
coram quibus juramentum præſtiterint 905
Relationes ad Principem a Miſſis Dominicis factæ 892
Reſſortus ius, quando Duces & Comites ſibi vindicarint 889
Reuuadiare, quid ſignificet 917. 964
Rogationum ſolennitas, unde repetenda 937

S

Sacrati homines, quinam vocati 927. 928
Salicæ legis Iudices, quinam fuerint 874. 907
Sanctimoniales, vide *Moniales*.
Scabini, quinam appellati 902. 903
quomodo a Miſſis Dominicis conſtituti 908
Scachcator, *Scachum*, quid ſint 903
Scarra, quid ſignificet 957. ſeq.
Scholæ publicæ Miſſorum Dominicorum curæ commendatæ 953
Scock quid ſignificet 923
Seneſchalli, quinam fuerint 879. 883
Seniores Comitatus, quinam appellati 881
ſuos habuerunt Miſſos ibid.
Servi, num Miſſorum Dominicorum Placitis intereſſe debuerint 902
Servitia regia, quid ſint 968
Seſſionum dies ſolennes, quinam dicti 901. & ſeq.
Solatiatores reipublicæ, quinam vocati 896
Sonare, quid ſit 888. 898
Stationes militares, quare per provincias conſtitutæ 922
Subbalivi, quinam ſint 879
Subdelegati Miſſorum Dominicorum, quales ſint 896
Sylvæ ad curam Miſſorum Dominicorum pertinuere 963
Synodi, vide *Concilia*.

T

Telonea, vid. *Vectigalia*,
Teſceja, vel *Teſteja*, quid ſignificet 923
Teſtes ſynodales, quinam dicti 930
Tractoria, quid ſit 893
a quibus Miſſis Dominicis data ibid.
Tractus, Miſſis Dominicis aſſignati, quo nomine veniant 890
Tributa, vid. *Vectigalia*.

V

Vaſalli Dominici, quinam vocati 917. 918
Vectigalia curæ Miſſorum Dominicorum demandata 965
Veredi, quando Miſſis Dominicis dati 894
Vernum palatium, quiſnam locus fuerit 937
Viæ publicæ Miſſorum Dominicorum curæ commendatæ 962
Viatica, Miſſis Dominicis præſtanda 893
Vicarii Comitum 879
Epiſcoporum 875. 876
Regum 872
Vicedomini, quando exorti 877
Viguiers, unde orti 879
ubinam Placita ſua habuerint, & de quibus cauſis cognoverint 905
Villæ regiæ, quænam dictæ 968
Viſitatores, quinam dicti 930
Vuacta, quid ſignificet 957

W

Wirgildus, quid ſit 909. 929. 933

X

Xenia, quid ſint 895

COMMVNIA DE MISSIS DOMINICIS.

CAPVT PRIMVM.

Quinam fuerint Missi Dominici. Vndenam sic dicti. Varia eorum appellatio. Qua ratione creati.

QVilibet Principes semper illud ad suam curam pertinere putarunt, ut quæcumque tandem negotia in suis provinciis emergerent maxima, minima, quam primum rescirent ac cognoscerent, iisque confestim etiam consulerent per varios Officiales Palatinos. Augustus instituto cursu publico, & Adrianus, huic fini Frumentarios habuerunt, qui nec etiam Reipublicæ temporibus incogniti erant: alii Curiosos; alii Tribunos & Notarios; alii Agentes in rebus. Ad eos propius omnino accedunt *Missi Dominici*, quorum opera et ministerio usi sunt olim Christianissimi Reges: sed ab iis potissimum differebant, quod Missi Dominici juri dicundo præessent, non etiam Agentes in rebus. De iis Missis institutus sermo. Sed quia de re quadam non satis facile disputari potest, nisi statim præmittatur illius definitio; hinc de Missis Dominicis acturi tum primum inquirere debemus, quinam illi proprie dicerentur.

Missi Dominici erant utriusque ordinis Proceres, qui a Regibus in provincias cum amplissima potestate mittebantur ad faciendam, aut procurandam justitiam. Omnes illius definitionis partes suis quibusque locis exequemur. Elegantissime dicebantur *Missi*, non tantum quod mitterentur in civitates aut provincias, quæ notissima est mittendi significatio, ait NONIVS MARCELLVS; sed quod certo Principis judicio, non etiam forte in provincias destinarentur. Sicut enim mutato Reip. Rom. statu ea cœpit esse differentia inter Proconsules et Præsides provinciarum, aut Legatos Cæsaris, quod illis sortito provinciæ concederentur, SVETONIVS *in Augusto cap.* 47. TACITVS *lib.* 3. *annal. cap.* 32. 58. 71. hi missu Principis maius imperium in his obtinerent, IDEM 2. *Annal. cap.* 77. *&* 80. lectu Cæsaris, apud STATIVM *lib.* 4. *v.* 92. *Sylvar.* ἀπλῶτι apud DIONEM *l.* 53. Ita & nostri illi Proceres ideo forte dicebantur *Missi*, quod non sorte, sed missu & lectu Principum mitterentur in provincias. Vnde & sæpius impliciter dicuntur *Missi*, quod inepte omnino veteres quidam Annales sub Carolo VIII. verterunt *des Messagers*, quamvis tamen CAROLVS CALVVS nos etiam vocet Nuntios, *in Epist. ad Nicolaum Papam*, *apud* SIRMONDVM *tom.* 3. *Concil. Gall. pag.* 100. quod nunquam sane pro tabellariis accepe-ris, sicut nec hodie Nuntios Summi Pontificis. Missorum igitur homonymiam tollemus sequenti capite. Melius dicuntur passim *Legati*, & rectissime hodie *Departis*, & Provinciæ iis assignatæ *Departements*, ut EX PITHOEO videbimus *cap.* 13.

Doctissimus SIRMONDVS *ad Capitula Caroli Calvi ad Sylvacum* addit, Missos Dominicos a Principe mitti extra ordinem: Sicut enim Romæ Præfectus annonæ & Præfectus vigilum ab origine sua non erant Magistratus, sed extra ordinem utilitatis causa constituti, *leg.* 2. §. 33. *D. de origine Iur.* Ita & verius est, olim Missos Dominicos non fuisse Magistratus proprie dictos, nec relatos fuisse in laterculum Magistratuum; sed extra ordinem a Principibus missos fuisse in provincias, vel rebus ita dictantibus, vel ad preces populorum, vel ad petitionem Conventuum, Synodorum, & Prælatorum, uti passim videre est in Capitularibus Regum nostrorum, in æqualibus Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ, & apud Hincmarum Remensem. Ejus rei unum illud exemplum pro omnibus: Patres Synodi Suessionensis a Carolo Calvo petunt *an.* 853. ut Missos Dominicos dirigat in omnes regni sui partes. In ea de iis mittendis statutum est; constituta Capitula, seu scriptæ Constitutiones, quæ iis traderentur: apud Sylvacum designati Missi, & singulis distributa Missatica cum novis quibusdam Capitulis, quæ cum aliis bono publico SIRMONDVS edidit. Sed & quandoque urgente necessitate addebantur, & supplebantur Missi Dominici, ut nominatim dicitur *in Capitulis Caroli Calvi apud Attiniacum cap.* 1. propter afflictionem Aquitanicam, propter Nortmannorum & Britonum incursiones.

Dicebantur *Missi Dominici*, id est, Missi a Domino, puta Rege: nam Reges nostri propter excellentiam commune nomen *Domini* suum fecerunt, ut notat Continuator ANASTASII BIBLIOTH. *in Adriano II.* & EX EO PETRVS PITHOEVS *in Glossario ad Cap. Car. M.* De ea appellatione *Domini* videnda epigraphe *l.* 2. *&* 3. *Cod. Ne rei dom. &c.* TERTVLLIANVS *in Apol. cap.* 34. SYMMACHVS *lib.* 1. *Ep.* 8. *& ibi* IVRETVS. Hinc passim in Capitularibus, in Conciliis Galliæ, in aliis æqualibus eorum Scriptoribus, agri, vasalli, homines Dominicati; nonæ, decimæ Dominicatæ; prædia Dominicata, quæ ad Regem pertinent; Dominica auctoritas, id est, Regia, *in Addit.* 3. *Capitular. cap.* 91. Et hinc Missi Dominici dicuntur Missi Regales, apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 5. *cap.* 29. Missi Imperiales, apud EVNDEM *l.* 8. *c.* 18. Missi Palatii Imperatoris, *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 13. *cap.* 3. Missi ex latere Imperatoris, *in vita Ludovici Pii.* Legati Regii, *in Annalibus Caroli M.* & apud ADONEM *Aet. Sex. ad An.* 815. Regum Vicarii, *in testamento S. Geraldi apud* QVERCETANVM *ad Biblioth. Cluniac.* Legati a latere, in *Capitulis Caroli Calvi tit.* 3. *cap.* 2. Missi a latere, puta Regis, *in vita S. Projecti apud* QVERCETANVM *tom.* 1. *historiæ Franc. p.* 673.

Istius appellationis ignorantia, *Glossa ad cap.* 2. *de regular. apud Gregorium*, Missum Dominicum vertit Vicarium Episcopi; nam ibi regalis est ille Missus, ut suo loco videbimus. Male etiam eadem *Glossa ad cap.* 1. *de Immun. Eccles. ibidem* Missum vertit Executorem vel Officialem, & addit, illud esse vulgare Italiæ: nam ibi agitur

de Missо Dominico, qui sacra vice judicabat, & ideo vocari potest etiam Iudex a latere, sicut POSSIDONIVS *in vita S. Augustini c.* 13. Marcellinum tribunum vocat Judicem a latere, Honorii scilicet Imperatoris, qui eum Cognitorem miserat in Africam. Titubat HOSTIENSIS ad utrumque illud Capitulum, ut infra etiam videbimus.

Præterea sicut apud veteres Romanos Magistratus provinciales simpliciter dicebantur Potestates, ut jam pridem observarunt viri docti ad Suetonium, & Lampridium, & ad varios juris nostri locos: ita & Missi Dominici dicuntur passim Potestates; & agere manu potestativa, *in libris rerum Alemannicarum*. Fideles & Creditarii, *in vita Ludovici Pii ad an.* 814. *sub fin.* Et apud AIMOINVM *l.* 5. *c.* 10. quod Principes iis credentiam seu fidem haberent. Vnde etiam dicuntur Crediti apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 9. *num.* 10. ac tandem Iudices legis Salicæ, apud ADREVALDVM *lib.* 1. *de Miracul. S. Benedicti cap.* 25. quod præcipue judicarent secundum legem Salicam, qua de re suo loco.

Denique sicut POMPONIVS de origine & successione Magistratuum agens, unum illud inprimis aggreditur, qua de causa & occasione quilibet creatus fuerit: ita & idem breviter inquirendum de Missis Dominicis. Hoc conjicere licet ex THEGANO, EGINARDO, & æqualibus aliis rerum nostrarum Scriptoribus. Vbi enim scripserunt, Carolum Magnum gravissimis bellis & civilibus & externis implicitum, statim subjiciunt, regni Proceres, Comites, Seniores non ita bene in eum animatos flagrantibus illis bellis grassatos fuisse in Provinciales; sed potissimum durius egisse in Clericos, in pauperes, in alias miserabiles personas: ideoque sapientissimum hunc Principem *Missos Dominicos* destinasse in omnes regni sui provincias, qui ea omnia emendarent: quam in rem singulare est illud, quod ex *Chronico Moissiacensi* exscribetur *cap.* 8.

Neque tamen hinc omnino repetenda est prima eorum creatio: nam ut suo loco videbimus, jamptidem sub Clodovæo Dagoberti filio, sub Chilperico, sub Pipino prodierant. Sed sicut Præfectura Vrbi & in Repub. & sub Regibus occurrit, *leg.* 2. §. 33. *D. de orig. Iur.* & apud TACITVM *lib.* 4. *Annal. cap.* 56. & tamen SVETONIVS *in Augusto c.* 37. & DIO *l.* 52. *p.* 478. inter nova officia ab Augusto excogitata eam referunt, quia sub eo legitimus & perpetuus cœpit esse Magistratus: Ita & forte dici potest, *Missos Dominicos* a Carolo M. institutos fuisse, quod sub eo potissimum invaluerint; & quidem ea ratione, ut tollerent tot scelerum facies, ut eversas leges restituerent, & contra potentiores juvarent oppressos, qui partus bellorum civilium & externorum, quæ toties sub Carolo M. exarserant.

CAPUT II.

Plures & varii Missi Dominici.

Postulat etiam dialectica methodus, ut statim tollatur homonymia. Apud auctores sequioris ævi nihil frequentius invenias, quam *Missos* accipi vel pro Nuntiis, Tabellariis, Gerulis, unde apud BONIFACIVM MOGVNTINVM *in Epist.* 29. Missus literarum; vel pro Legatis, qui ab altero ad alterum Principem mittuntur, apud NITHARDVM, FLODOARDVM, FREDEGARIVM SCHOLASTICVM, & alios, atque etiam in elegantissimo dialogo inter Leonem Papam & Missos Caroli Magni, apud BARONIVM *ad An.* 809. & SIRMONDVM *Concil. Gall. Tom.* 2. *p.* 256. Et ita etiam Summi Pontifices, Imperatores, Reges multa sæpius inter se agere dicuntur in sacris Canonibus, & Historiis aut Annalibus Ecclesiasticis per suos *Missos*, nobis hodie *par leurs Ambassadeurs*, vel etiam aliquando *par leurs Envoyés*. De iis in hoc tractatu non agitur, sed tantum de iis, per quos Christianissimi Reges graviora quæque negotia in suo regno, & cum subditis suis explicare & exequi solebant.

Sicut vero in Iure Civili Magistratuum summa illa divisio est, ut alii sint majores, alii autem minores, *leg.* 32. *D. de injur.* & apud GELLIVM *lib.* 13. *cap.* 15. Ita & ex Missis Dominicis alii sunt majores, alii minores. Hoc eleganter docet CAROLVS CALVVS *in iis Capitulis, quæ post reditum a Confluentibus edidit*. Cum enim ea mitteret ad suos Missos discurrentes iis verbis: *Hoc Missi nostri discurrentes faciant*, statim subjicit: *Et quidquid exinde quod commendamus, per se adimplere non potuerint, ad Missos majores per ipsum Missaticum constitutos referant, ut cum illorum consilio & auxilio omnia impleant.*

Majores Missi erant proprie Missi Dominici, qui habebant certa Missatica, & in iis plenissimam potestatem & majus imperium post Principem, ut de Proconsule dicitur in *l.* 7. *in fin. & l.* 8. *D. de Offic. Proconf. & Leg.* eoque sensu majores dicebantur iis temporibus, qui nempe majori potestate præditi erant in quodam loco, ut fusius probat CIRONIVS *ad tit. de Major. & Obed.* Vnde Pipinus Major domus diploma quoddam pro S. Dionysio destinat, Missis Regalibus quacumque judiciaria potestate præditis. Ita & majores homines in *Capitularibus* LVDOVICI PII & CAROLI CALVI dicuntur, qui alios vasallos sub se habent.

Minores autem *Missi* dicebantur Missi discurrentes, in *Capitularibus Regum nostrorum*, & *in veteribus formulis*; seu Missi decurrentes, ut in epigraphe cujusdam Epistolæ Caroli M. quæ *trigesima secunda est inter Epistolas Bonifacii Mogunt.* quod ubique discurrerent, ut in quadam veteri carta Sandionysiana, quam exscribit BELIVS *in Probationibus Comitum Aquitaniæ pag.* 227. seu quod per universum regnum discurrerent, ut in alia charta, quam idem refert *in Regibus Aquitaniæ pag.* 40. Dicebantur etiam itinerantes, *lib.* 5. *Capitul. cap.* 201. quod propter regiam utilitatem iter agerent, *eorundem lib.* 3. *cap.* 39. & mitterentur ad exequendum aliquod constitutum, ut est *in Edito* CAROLI CALVI *in Carisiaco, inter illius Capitularia tit.* 33. Ita ut impositum munus celeriter obirent, eoque functi regrederentur, nobis hodie *Commissaires du Conseil*. De discursu Iudicum quædam leges exstant *in utroque Cod.* Vnde forsan hodie *les Chevauchées*.

Denique Missi illi discurrentes dicebantur Missi juniores, *in Capitularibus passim*, & *in* MARCVLFI *formulis Lib.* 1. *cap.* 3. Sic Carolus M. in eadem epigraphe *Epistolæ* 32. scribit, *Iunioribus nostris seu Missis decurrentibus*: Nec ita dicebantur ab ætate, quod essent juvenilis ætatis, sed a minori conditione aut dignitate. Sic notat SPELMANNVS *in Glossario*, *Iuniores* aliquando accipi *pro Iudicibus subordinatis*. Iuniores Ecclesiæ, quasi minores Clerici, seu in minori ordine & dignitate, apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 5. *cap.* 27. qua de re, BOSQVETVS *ad Epist.* 136. *Innocentii III. lib.* 2. & SOUCHETVS *ad Epist.* 286. *Ivonis Carnot.* Aliquando etiam Iuniores pro Successoribus accipiuntur, ut notat vir Magnus BIGNONIVS *ad Marculfum loco cit.* Sed juniores Missi procul dubio

pio sunt Missi discurrentes, qui, ut jam diximus, dignitate sunt minores, si conferantur cum majoribus. Dicuntur etiam publicæ partis Officiales, *lib.* 1. *Casaurienſis ſeu Piſcarienſis Chronici*, apud D'ACHERIVM *tom.* 5. *Spicilegii pag.* 371. quod forte Regis nomine conficiendis & expediendis negotiis adessent.

Quamvis autem discurrentes Missi essent minores; attamen iis honor habendus erat, *noſtri honoris cauſa, & propter noſtræ auctoritatis venerationem*, ait CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 11. *ita ut nullus Manſionem iis contradicere præſumeret*, IDEM *lib.* 3. *cap.* 39. quod ex eodem Carolo relatum est in LEGIBVS LONGOBARDICIS *l.* 3. *tit.* 4. *c.* 4. Et quamvis jure communi prohibitum esset, herbam tollere defensionis tempore, ut suo loco videbimus; attamen hoc iis concessum erat, ut facilius munere suo fungerentur, CAROLVS M. *l.* 5. *Capitula. c.* 201. & in iisdem LEGIBVS LONGOBARD. *ibidem c.* 3. Præcipue vero quilibet Missos illos venerari tenebantur, quod a Rege mitterentur, quod regia auctoritate agerent, & judiciaria potestate præditi essent; ut est in ea Charta Sandionysiana, quam laudavimus ex BELIO, ut nempe quod a Rege constitutum esset, exequerentur, ait CAROLVS CALVVS *in Edicto suo in Carisiaco*. Ac si quid forte majoris momenti occurreret, quod per se non possent exequi, illud ad majores Missos Dominicos referre tenebantur, ut jam diximus. Sicut olim Legatus Proconsulis in rebus gravioribus Proconsulem consulere debebat, *l.* 6. §. 2. *D. de Offic. Proconſ. & Leg.* Aliquando etiam peculiares quidam Missi a Rege privatis petentibus dabantur ad singularia quædam negotia, nobis etiam *Commiſſaires du Conſeil.* AGOBARDVS *de inſolentia Judæor. Cœperunt autem efferri quadam inſolentia Judæi, comminantes omnibus injuriis nos afficiendos per Miſſos, quos adepti fuerant.* FLODOARDVS *lib.* 3. *Rem. Hiſt. cap.* 26. ubi de Erluino, Missus Dominicus a Ludovico Pio petitur pro quibusdam rebus Remensi Ecclesiæ restituendis.

Alii erant adhuc *Missi Fiscalini*, de quibus suo loco.

CAPVT III.

Missi Apostolici. Missi Ecclesiæ. Missi Episcopi.

IN Iuris Canonici & Historiæ Ecclesiasticæ libris multa passim occurrunt, quæ a seculari ad Ecclesiasticam politiam translata sunt: præcipue vero, ubi Summi Pontifices regiam majestatem æmulari voluerunt, & illius opera sibi vindicare. Sicut ergo Imperatores a latere suo Iudices mittere cœperunt in suas provincias, ut loquitur POSSIDONIVS *in vita S. Auguſtini cap.* 13. ita Christianissimi Reges Missos & Legatos a latere: ita & quos Romani Pontifices pro gravioribus Ecclsiæ negotiis miserunt in varias orbis Christiani Diœceses, eos etiam *Legatos a latere* dixerunt, ut jam olim videre est in *Cod. Can. Afric. Eccleſ. in princ. & circa fin.* nec quid postea frequentius: Qui passim etiam dicuntur *Missi Apostolici*, *Missi Pontificales*, *Missi S. Petri*, *Missi Papæ*, a quibus differunt hodierni eorum Nuntii.

Sed & Episcopi suos Missos habuerunt. Et hoc plures habet visiones, prout multiplex est Episcopalis potestas aut jurisdictio. Vel enim ea est spiritualis, vel temporalis, vel judicialis, vel extrajudicialis. Olim ea erant indivisa, & in ipso Episcopo, & in ejus Vicario, qui dicebatur Missus Episcopi, ut in *Can. de parentela* 35. *q.* 6. & apud REGINONEM *lib.* 2. *cap.* 3. 233. 235. *in Capitularibus lib.* 5. *cap.* 12. Unde cum *in cap.* 1. *Ex. de Frig. & Maleſ.* mentio fit Missi Episcopalis, (non etiam Dominici, ut voluit COQVILLEVS *in Hiſtoria Nivernenſi p.* 118.) male quidam volunt pro *Miſſum*, reponendum esse *Vicarium*: constat enim, iis temporibus Vicarios Episcoporum appellatos fuisse Missos. GREGORIVS TVRON. *lib.* 9. *cap.* 10. eos vocat *Creditos Epiſcoporum*, sicut Missi Dominici aliquando etiam dicuntur *Crediti*, *Creditarii*, ut jam olim diximus; Missi discussores, *in Edicto* CLOTARII II. *ad* 5. *Paris. Concilium*.

Missi illi totam & indivisam habebant Episcopalem jurisdictionem: Causæ matrimoniales apud eos peragebantur, *d. Can. de Parentela, & d. c.* 1. *Ex. de Frig. & Maleſ.* De consanguinitate conjugum cognoscebant, de Synodalibus causis, & ad Episcopi ministerium pertinentibus, apud REGINONEM *laudatis locis*, sicut & de Incestuosis, *d. Lib. cap.* 9. *Capitularium*. Tenebant Placita, ut de Missis Hincmari Rem. Archiep. testatur SIRMONDVS *ad Calcem Capitularium Caroli Calvi pag.* 134. Et quædam lites ad eos rejiciebantur, in *Capitularibus Carolomanni apud Vernis Palatium cap.* 14. Res Ecclesiasticas curabant, & in judicio persequebantur, LEGVM ALEMANNIC. *tit.* 21. Inquirebant in Clericorum vitam, in reditus, & reparationes Ecclesiarum, *Can.* 6. *Concilii Toletani* apud BVRCHARDVM. Restituebant disciplinam monasticam, & in Monachos ipsos animadvertebant, *in Epiſtola* 10. FROTHARII *Tullenſis Epiſcopi*, *apud* QVERCETANVM *tom.* 2. *Hiſt. Franc. p.* 716. Parœciales Ecclesias etiam ad Monachos pertinentes annuatim visitabant, MATTHÆVS PARIS *in vitis Abbatum S. Albani pag.* 1061. *circa fin.* Episcoporum nomine aderant Synodis Provincialibus, FLODOARDVS *lib.* 3. *Rem. Hiſt. cap.* 25. Et hinc plures Episcopi quibusdam Ecclesiæ Gallic. Conciliis adfuisse leguntur per suos Missos, id est, per suos Vicarios, qui eorum nomine iis Conciliis subscripserunt. Cum Missis Dominicis curabant ab omnibus recipi & servari Capitula Regia & Ecclesiastica, ut testatur duplex Epistola Ludovici Pii post Synodum Aquisgran. *apud* SIRMONDVM *tom.* 2. *Conc. Gall. pag.* 426. & 675. Alia etiam similis exstat apud AVBERTVM MIRÆVM in *Cod. don. piar. cap.* 13. Et ita utramque Iurisdictionem Episcopalem exercebant. Sed tandem eo devenit Ecclesiastica disciplina, ut alius sit Episcopi *Vicarius*, qui habeat spiritualem & extrajudicialem jurisdictionem non contentiosam; alius vero sit *Officialis*, qui contentiosam exerceat, & uterque olim Missi Episcopalis nomine continebantur.

Erant adhuc alii *Epiſcopales Miſſi*, nobis hodie *Miſſionarii*, qui potestatem accipiebant ab Episcopo docendi & prædicandi per vicos & villas. Cum enim Episcopi propter graviores curas & multiplices occupationes per se ipsos non sufficerent populo ministrare verbum Dei, idoneos viros hinc inde mittebant ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum, ut etiam postea cautum est *in cap. inter cætera* 15. *Ex. de Off. Iud. Ord.* Pleraque istius rei exempla ex Historiæ Ecclesiasticæ libris exscribit doctissimus ALTASERRA *lib.* 2. *diſſertat. Iur. Can. cap.* 14.

Denique erant *Missi Eccleſiæ*, puta Turonensis Ecclesiæ, apud FLODOARDVM *lib.* 3. *cap.* 21. Missi Remensis Ecclesiæ, apud eundem *eod. lib.* 3. *cap.* 23. *circa fin.* Missi cujusdam Ecclesiæ, apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 2. *cap.* 27. Nobis forte *Agens ou Députés du Clergé de Tours etc.* Sicut enim in

Concilio Cathagin. fæpius occurrunt Τοποτηρηταί, ſeu Legati hujus aut illius Eccleſiæ, qui mittebantur aut ad Concilium, aut ad Comitatum, ſeu ad eum locum, ubi eſt Comes vel Imperator, ut interpretatur THEOD. BALSAMON. *ad Canon. 99. Carthag. Concilii*, vel potius ad aulam, ad Regiam, πρὸς τὴν βασιλείαν, ut addit IVSTELLVS, qui nempe illius Eccleſiæ negotia procurarent; prout etiam Civitates ſuos habebant Legatos ad Principem, ut *in tit. Dig. de Legat.* & apud PHILONEM IVDÆVM *in ſua Legatione ad Cajum.* Ita & olim in noſtra Gallia erant Miſſi Eccleſiæ, qui videlicet aut apud Principem, aut apud Miſſum Dominicum, aut apud Comitem Eccleſiaſtica negotia peragerent, quod & adhuc hodie obſervatur.

Sed & *Abbates* ſuos etiam Miſſos habebant, per quos ſua negotia exequerentur, ut videre eſt in veteri Charta, quam exſcribunt SAMMARTHANI FRATRES *in Abbatibus S. Sergii Andegav. in principio.*

Omnes illi & Epiſcopi, & Eccleſiæ, & Abbates habebant etiam Miſſos Laicos (huc uſque enim de Miſſis Eccleſiaſticis) eoſque dicebant Advocatos, Vicedominos, de quibus olim *in Prolegomenis ad tit. de jure Patron.* apud *Gregor.* egimus. Per eos temporalem juriſdictionem exercebant. Quod ita evenit, cum Capitularia Regum noſtrorum, & ex iis ſacri Canones eam immunitatem conceſſiſſent Eccleſiis, ut nullus plane Iudex publicus aut ſæcularis Malla ſeu Placita ſua in iis, aut earum atriis & villis, vel Manſionibus Presbyterorum haberet ad audiendas cauſas. Sic exactis judicibus laicis, Principes iis conceſſerunt, ut alios inſtituerent judices, qui Iuri dicundo præeſſent inter ſuos homines, colonos & ſervos. Et hinc origo juſtitiarum temporalium, quas habet Eccleſia. Sed obſervanda eſt vulgaris clauſula, quam Principes iis conceſſionibus adhibere ſolebant, vt videre eſt in CHRONICO LAVRISHAMENSI, MVRENSI, HIRSAVGENSI, & aliis, *ut ille Advocatus, ſeu Iudex, commendante Abbate advocationem habeat, eodemque petente bannum Dominicum a Rege.* Sicque Abbas eum quidem inſtituit, dat ei litteras advocationis, eum Regi præſentat; Rex banno ſeu Edicto ſuo eum recipit & confirmat. Quod etiam hodie obtinet in temporalibus eccleſiæ juſtitiis, ut eorum judices ab ea inſtituantur, & recipiantur a Regiis magiſtratibus; tum vero potiſſimum, ubi judices illi habent ordinaria Placita.

CAPVT IV.

Comites, Miſſi Comitum. Miſſi Republicæ.

Hic nolim omnino retexere longiorem Comitum hiſtoriam, ſed tantum delineare breviter, quinam illi fuerint ſub ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum, ſub qua potiſſimum floruerunt Miſſi Dominici. PITHOEVS, BIGNONIVS, BELIVS, A. DADINVS ALTASERRA, & alii docent, *Comites* ea ætate conſtitutos fuiſſe tantummodo ad certum tempus, & ad Principis nutum, eorum inſtar, qui nobis hodie dicuntur *Gouverneurs de Provinces*. Et ita cum Carolus M. bellum geſturus eſſet in Longobardos, in Saxones, in Sarracenos, nec ſatis fidem haberet Francorum Proceribus, utpote qui bellis quibuſdam civilibus in eum faviſſent; in variis Franciæ provinciis Comites conſtituit, ADREVALDVS *lib. 1. de Miraculis S. Benedicti cap.* 18. Et interrogatus olim, cur tot Comites in regno ſuo inſtitueret, reſpondiſſe dicitur, VT FIDELES MIHI ACQVIRAM VEL FACIAM. Sunt verba cujuſdam ANONYMI SANGALLENSIS MONACHI, in libello *de Eccleſiaſtica cura Caroli M. num.* 14. apud ANDREAM DV CHESNE *tom. 2. hiſt. Franc.* Iis verbis indicat prudentiſſimus Imperator, ad quietem & ſecuritatem publicam Principi neceſſarios eſſe Magiſtratus & Iudices.

Video tamen, quibuſdam ſuſpectum eſſe locum illum ADREVALDI *cit. loc.* cum ait, *Carolum M. quoſdam ex ſervis ſuis manumiſiſſe, eoſque paſſim inſtituiſſe Comites:* quaſi omnes illi Comites fuerint Franci, hoc eſt, ingenui & nobilioris conditionis, atque etiam aliquando Regiæ ſtirpis. Sed forte jurandum eſt in verba & in mentem ADREVALDI, & quidem συγχρόνου, & ut volunt, alterius ex conſanguineis Caroli M. Nam eleganter oſtendit, qua ratione Carolus ad ſervos ſuos confugerit: tum quia omnes regni ſui Proceres in Italiam miſerat, ut novum illud regnum Pipino filio confirmaret ac ſtabiliret, *qua de re*, inquit, *Primatibus populi Ducibuſque contigit Palatium vacuari*: tum etiam ob ſuſpectam Francorum fidem, *quam ſemel in conjuratione, dum bellum inchoaretur Saxonicum, expertus eſt, iterum autem in conjuratione Pipini naturalis filii.* Et hoc a Carolo M. peractum fuiſſe, probat ea LVDOVICI PII *Conſtitutio* apud THEGANVM *n.* 20. *ne amplius fiat, ut ſervi Conſiliarii ſint.* Nec quid frequentius apud HISTORIAE AVGVSTAE SCRIPTORES, quam ut videas, libertos Principum rebus agendis admoveri, quaſi propter ſummum libertatis pretium Principes id genus hominibus pleniſſimam fidem habere deberent. Quidquid ſit, expeditum eſt, ſub ſecunda Francorum dynaſtia Comites non fuiſſe perpetuos, ſed tantum vel ad Regis arbitrium. Quod jam antea ſub priori obtinuiſſe docet GREGORIVS TVRON. *lib. 4. cap. 34. lib. 5. cap. 37. lib. 8. cap.* 18. Et hinc paſſim apud eum *Excomites*, qui Comitis officio functi fuerant. Et hoc ita obſervatum uſque ad tempora Caroli Simplicis, ſub quo Duces & Comites merum quodammodo imperium uſurparunt, & quidem in perpetuum, quod tandem bono publico ad coronam rediiſſe videmus.

Sed obiter obſervanda eſt inſignis ea differentia (quæ nec hodie forſan otioſa erit) inter veteres illos *Comites* & quidem *temporales*, & inter eos, qui poſtea fuerunt *perpetui* & *hereditarii:* Quod quæ illi pendente adminiſtratione fundaverant, exſtruxerant, acquiſierant, ea finita, nec in eorum bonis eſſe deſinerent, nec fierent Dominica; ſeu nec Regi, nec fiſco deferrentur, ſed eorum propria & privata remanerent; perinde ac olim ædes ab urbanis Magiſtratibus ex ſanctione Pragmatica, ſeu ex indulgentia Principis exſtructæ, *l. un. in princ. Cod. de Contract. Iud.* Quæ autem a perpetuis Comitibus fundata & exſtructa fuerant, Coronæ unito eorum Comitatu, fierent plane Dominica, & omnino caderent in fiſcum, in ſacrum aut regale patrimonium; qui eorum Comitatus ſummo, perpetuo, & hæreditario jure poſſeſſi, cum ſuis omnibus cauſis ac Coronam redierunt. Et hinc Eccleſiæ a temporalibus olim exſtructæ, nec hodie quaſi regales aut Regiæ fundationis habentur, perinde ac quæ a noſtris Gubernatoribus in ſuarum gubernationum territorio fundatæ fuerint: ſed Eccleſiæ a perpetuis olim Comitibus fundatæ, cenſentur Regiæ fundationis, & a ſolo Rege pendent.

Sicut vero poſterioribus imperii Romani temporibus Comites juri dicundo præerant in provinciis, & ideo apud CASSIODORVM dicuntur pa-

ſim

ſim *Iudices*, HESYCHIO & SVIDÆ Κόμης ὁ παρ' ἄρχων, *Comes populi Magiſtratus*. Ita & rectiſſime obſervat magnus BIGNONIVS, Comites fuiſſe etiam judices apud veteres Francos. Ejus rei multa exſcribit exempla A. DADINVS ALTASERRA *in lib. de Duc. & Com. cap.* 4. & SPELMANNVS ait, eos fuiſſe *Iuriſperitos*, ut judicandi munere fungerentur intra ſui Comitatus fines, qui omnino iidem erant, ac ipſius Diœceſeos Epiſcopalis. Et hinc VALAFRIDVS STRABVS *in lib. de reb. Eccleſ. cap.* 31. ſcripſit, *quod Comites vel Præfecti in ſæculo, hoc Epiſcopi explent*, ut nempe ſint Iudices Ordinarii. FORTVNATVS *lib.* 10. *cap.* 25. *v.* 5. *ad Galactorium Comitem:*

Iudicio Regis valuiſti creſcere Iudex,
Famaque quod meruit, Regia lingua dedit.

Sed & inſtar Prætorum & Præſidum, qui ſub ſe Magiſtratus habebant municipales, atque etiam pedaneos Iudices ad humiliora negotia, noſtri illi Comites habebant miniſtros, qui eorum vice judicabant, & ſæpius dicebantur *Miſſi Comitum*, *lib.* 2. *Capitul. cap.* 24. *& lib.* 4. *cap.* 19. *in Piſtenſi Edicto* CAROLI CALVI *cap.* 6. & *in Capitulis* CAROLOMANNI *ad Vernis Palatiom cap.* 11. & & Vicarii Comitum; GREGORIVS TVRON. *l.* 10. *num.* 5. ſic habet: *Reſponderunt, hoc Animodi Vicarii dolo, qui pagum illum judiciaria poteſtate regebat, factum fuiſſe.* CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 28. *Vnuſquiſque Comes Vicarios ſuos habeat ſecum.* CAROLVS CALVVS, *in eodem Edicto cap.* 28. eorum etiam meminit: Et HINCMARVS REM. *in admonit.* 15. *c.* 15. *& in admonit.* 16. *cap.* 3. *Comites in civitatibus ſuis, & Comitum Vicarii in plebibus ſuis.* PITHOEVS *lib.* 1. *Hiſt. Comitum Campaniæ*, & RAGVELLVS *in Indice*, volunt, ab iis Comitum Vicariis fluxiſſe noſtros Vigerios, *Viguiers*. Et forte etiam ad eos propius accedunt, quos hodie dicimus *Legatos generales*. Sicut enim ipſi Comites juri dicundo præerant, & habebant ſuos Miſſos; ita & ad noſtros Seneſchallos pertinet rei judiciariæ cura, & habent ſuos Legatos generales: & in eo tantum conſiſtit analogia; nam in aliis multum differunt. Atque etiam PITHOEVS contendit, Vicarios illos Comitum *in* LEGIBVS LONGOBARDORVM vocari Præpoſitos, & ab iis prodiiſſe *les Juges Prévôts*, *les Gardes de la Prévoté*, de quibus ſuo loco.

In eo tamen adhuc comparatio quædam eſſe poteſt, quod ſicut noſtri Seneſchalli Legatos generales habere tenentur, ita & olim Comites Miſſos, aut Vicarios. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 28. *Habeat unuſquiſque Comes ſuos Vicarios. Secundum Cabilonenſe Concilium* ſub CAROLO M. *Can.* 21. *Sed & Comites miniſtros, quos Vicarios & Centenarios vocant, juſtos habere debent:* Imo & plures habere tenebantur; nam ſinguli Comitatus dividebantur in Centena, ſeu in certos pagos, vel ut ita loquar, in Centurias; quod omnino accedit ad mores Germanorum, de quibus apud TACITVM *de moribus Germanorum c.* 6. & 13. Et ab iis Centenis *Centenarii* dicebantur, qui in iis pagis, in minoribus municipiis vice Comitum jus dicebant: Nec forte alii erant a Vicariis aut Miſſis Comitum, ut videre eſt apud VALAFRIDVM *ibiden.* Ita etiam hodie in eodem Comitatu plures ſunt hinc inde Legati generales ſub eodem Seneſchallo; quique ſunt in civitatibus dicuntur *Ballivi*; qui autem in minoribus municipiis, ſunt tantum *Subballivi*, ut de Ballivo Andegav. & ejus Subballivis de Salmurio, & de Baugeio dicitur; *in Geſtis* GVILLIELMI MARIORIS EPISCOPI ANDEGAV. *pag.* 352. *ſeq. editionis Dacherianæ tom.* 10. *Spicilegii.*

Denique erant etiam *Miſſi Reipublicæ*, apud CAROLVM CALVVM *in Edicto in Carliſiaco.* Quod male quidam trahere voluerunt ad noſtros Magiſtratus populares, puta Majores aut Scabinos; nam illi non alii erant a Miſſis Comitum. CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitulis tit.* 27. *cap.* 7. *Vt Miſſus Reipubl. id eſt miniſter Comitis.* Idem habet HIGMARVS REM. *in admonit.* 4. *cap.* 7.

CAPVT V.

De quibus cognoſcerent Comites, & Miſſi Comitum.

Inter Comites & eorum Miſſos diſtincta erat juriſdictio, perinde ac inter Præſides, & Magiſtratus Municipales in Iure Civili. Comites de gravioribus negotiis cognoſcebant, & eorum Miſſi de humilioribus. VALAFRIDVS STRABVS jam toties laudato loco, Epiſcopis confert Comites, & Parochis Vicarios ſeu Miſſos Comitum addit, *Comites Miſſos ſuos præponere populoribus, ut minores cauſas determinent, ipſis majores reſervent.* CAROLVS M. *lib.* 3. *c.* 79. *Vt nullus homo in Placito Centenarii* (quem Miſſum fuiſſe Comitis, ſuperiori capite diximus) *neque ad mortem, neque ad ſuam libertatem amittendam, aut ad res reddendas, vel mancipia judicetur: ſed iſta aut in præſentia Comitis vel Miſſorum noſtrorum judicentur.* IDEM *lib.* 4. *cap.* 26. *Omnis controverſia coram Centenario definiri poteſt, excepta redditione terræ aut mancipiorum, quæ non niſi coram Comite fieri poteſt.* Et hinc cun ex Imperiali præcepto gravius aliquid exequendum erat, ipſimet Comites ſuas partes interponebant: & ſi quid vilius occurrerent, illud Comites exequebantur per ſuos Miſſos, ut actor eſt SANGALLENSIS MONACHVS, *lib.* 1. *de geſtis Caroli M. cap.* 32.

Nunc quædam breviter perſtringere juvat, quæ Miſſis Comitum incumbebant. Pagos judiciaria poteſtate regebant, ut *ſuperiori Capite* diximus *ex* GREGORIO TVRON. Cum Comites ſuis illis Miſſis partes ſuas demandabant, in ipſo Comitatu faciebant juſtitiam. Hoc eleganter docet AGOBARDVS LVGDVN. *in Deploratoria de injuſtitiis ad Matfredum*, nobiliorem Ludovici Pii Conſiliarium: *Cognoſcat prudens benignitas veſtra, hæc a me dici non poſſe adverſus Comitem noſtrum Bertmundum, quippe qui bene ſatis habeat ordinatum de juſtitiis Comitatum ſuum, eo quod talem virum pro ſe conſtituerit ad hæc peragenda, qui non ſolum propter amorem etc.* Et ita cum juri dicundo præeſſent, Conventus & Placita ſecundum antiquam conſuetudinem habere tenebantur de Sabbatho in Sabbathum, *tenir l'audience tous les Samedis:* vel a ſeptem in ſeptem noctes, ut eſt *in* LEGIBVS ALEMAN. *tit.* 36. *cap.* 2. quæ noctium computatio cœpit apud veteres Germanos, & ad nos tranſiit: ita tamen, ut ſoli tandem Laici eam obſervaverint, non etiam Clerici. GAVFRIDVS, VINDOCIN. ABBAS, *lib.* 2. *Epiſt.* 27. *In judiciis Laici noctes, Clerici inducias poſtulare ſolent.* Iis Conventibus & Placitis adeſſe tenebantur omnes liberi Pagenſes, qui nempe in ipſo Comitatu vel pago habitabant, alioquin ab ipſo Miſſo multantur in 12. ſolidos, *d.* LEG. ALEMAN. *tit.* 36. *cap.* 4.

Præterea Miſſi Comitum abſentibus Comitibus Capitula Regum accipebant ut legerentur in ſuis conventibus, CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 24. Aderant alienationi rerum pupillarium, ne quid in damnum

aut

aut in fraudem pupillorum fieret, *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 29. *cap.* 1. Episcopos adjuvare debebant adversus incestuosos, *in Capitularibus* CAROLI CALVI *tit.* 27. *cap.* 7. In suis pagis curabant rem monetariam, ut esset bonus denarius, id est bene pensans, seu habens pondus legitimum, *ibid. tit.* 33. Ex mandato Comitum eos cogebant venire in jus, qui ad justitiam reddendam venire nolebant, *ibidem tit.* 45. *cap.* 2.

CAPVT VI.

Missi Seniorum. Varii justitiæ gradus.

In quolibet Comitatu quidam erant *Seniores*, *des Seigneurs*, quibus homines seu vatalli quidam suberant, quique suos etiam habebant Missos: De iis plus satis egimus *lib.* 2. *de Iuribus honorif. in Ecclesia caput* 4. 5. *&* 6. nec crambrem recoctam hic apponere juvat.

Ex iis, quæ supra diximus, constat, in qualibet provincia fuisse Missum Dominicum, Comitem, & Missos Comitis. *Missi Dominici* habebant quamlibet justitiam; sic PIPINVS MAIOR DOMVS *in diplomate pro S. Dionysio: Omnibus Missis nostris quacumque judiciaria potestate præditis. Comes* videtur mediam habuisse justitiam, inter Dominicum, & suum Missum, ut supra probavimus: ac tandem *Missus Comitis* infimam, quod etiam docet SPELMANNVS in verbo *Centenarii*. Et ita forte dici potest, hinc fluxisse triplicem hanc justitiæ divisionem, in *altam*, *mediam*, & *infimam*; quæ non adeo recentior est, sed jam diu cognita, ut etiam laudato loco diximus. Et addenda VETVS CHARTA *an.* 1169. & ALIA *an.* 1187. quibus Senon. Archiepiscopus Cathredali Capitulo concedit plenitudinem potestatis, faciendi & exercendi *justitias* in malefactoribus suis Laicis. Vtriusque Chartæ meminit *le factum de Monsieur l'Archevêque de Sens contre son Chapitre.*

CAPVT VII.

Quo tempore floruerint, & deserint Missi Dominici. In quibus Regionibus instituti.

POMPONIVS in texenda Magistratuum Romanorum Historia, non modo inquirendum esse docet, quo tempore creati sint, sed etiam quo præcipue floruerint. Hoc etiam exequitur ARCADIVS CHARISIVS *libro singulari de officio Præfecti Prætorio*, ut nempe ita constet de eorum potestate, cum sæpius variaverit pro ratione temporum, & pro captu Principum. Hoc in Missis Dominicis videndum. Nec erit in difficili, docere, quo tempore floruerint; sed vix certa quædam epocha constitui potest, qua tum primum creati fuerint: & hoc Majoribus nostris imputandum, quod non satis accurate res suas litteris consignaverint. Occurrunt quidem Missi Dominici in LEGIBVS LONGOBARDORVM, quas a ROTHARIO editas esse volunt an. 637. sed observandum diligenter, CAROLVM M. LVDOVICVM PIVM, & LOTHARIVM multa in iis legibus addidisse, nec quid eas habere de Missis Dominicis, nisi in iis Capitibus, quæ sunt eorum Imperatorum.

Sed & altius repeti possunt. CLODOVÆVS M. præceptum pro Reomaensi Monasterio apud COINTEVM *Annal. Franc. tom.* 3. *p.* 465. dirigere videtur *Missis discurrentibus*. CLOTHARIVS II. *in Edicto suo ad quintum Parisiense Concilium*, laudat Iudices vel Missos discussores. Elegans locus extat de Missis regalibus sub Chilperico, apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 5. *cap.* 29. nec is suo suo loco excidet. Eos etiam reperio in solemnibus formulis, quam omnes LINDEBROGIVS Marculfo adscribit, qui forte claruit sub Clodovæo Dagoberti filio, ut ibi existimat *Vir magnus* BIGNONIVS. Sed more suo prudenter animadvertit, quasdam ex iis formulis esse Marculfi, quasdam esse incerti Auctoris, qui sub Carolo M. scripserit, & ita non omnes simul esse miscendas. Sane in iis, quas omnes agnoscunt esse Marculfi, occurrunt Missi Dominici, *lib.* 1. *cap. ult. & in cap.* 11. *ejusdem libri*, *tractoria Legatorum*, qui forte non alii sunt quam Missi Dominici. Refertur etiam in notis ad eas veteres formulas, ea epigraphe cujusdam diplomatis pro S. Dionysio, *omnibus Missis nostris discurrentibus*. At tandem exstat inter opera BONIFATII MOGVNTINI Epistola CAROLI MAIORIS DOMVS, quæ similem habet inscriptionem *lib.* 1. *epist.* 32.

Ex iis conjicerem, Missos Dominicos prodiisse, & utcumque cognitos fuisse sub finem primæ Dinastiæ aut Regiæ stirpis; sub secunda omnino floruisse, & desiisse sub tertia. Nihil fere sunt illi omnes, qui sub prima scripserunt, præter GREGORIVM TVRON. qui sub illius fine claruit, is iterum tantummodo meminit Missorum Dominicorum. Sed apud eos, qui sub Carolina scripserunt, nihil frequentius Missis Dominicis, & forte illud erat ejus ætatis verbum. Ac sicut olim illi omnes dicebantur *Prætores*, qui in jure & exercitu præerant, apud LIVIVM, VARRONEM & alios: ita & Carolinis illis temporibus invaluerat, ut quibus aliquid a Regibus, aut ab Illustribus mandatum esset, illi omnes dicerentur *Missi*: sed illi κατ' ἐξοχὴν *Missi Dominici*, quibus a Rege demandata esset summa rei judiciariæ cura per universas regni provincias. Quod qua ratione contigerit, suo loco diximus.

Sed ideo forte non amplius occurrunt *Missi Dominici* sub tertia stirpe, quia labente illius imperio Duces & Comites ex ministris facti sunt. Domini. Sub Carolina summum & merum imperium erat tantum penes Regem, qui Missos illos habebat in suis provinciis, ut provincialibus subveniret contra potentiores. Sed cum sub finem illius dominationis Carolus Simplex fere precario regnaret, Duces, Comites, & alii Proceres jure dominii provinciales præfecturas sibi vindicarunt, ODO CLVNIAC. *in vita S. Geraldi lib.* 1. *cap.* 28. *seq.* Cumque antea essent tantum Præfecti aut Magistratus Regii, postea cœperunt esse Principes & Domini earum provinciarum, quas regia vice regebant, & eas transmiserunt ad hæredes. Cumque Regiam majestatem in omnibus æmulari conarentur, nec tamen se Reges dicere auderent, se *Consules* appellare cœperunt; quod nomen sub prima & secunda Dynastia vix unquam usurparunt. Quod enim FVLCO, ANDEGAV. COMES, *in fragmento Historiæ Andegav.* Ingelgerium & alios sub ea stirpe agentes vocat Consules, ad sui temporis usum loquitur, quo sub tertia jam ita dicebantur: Et idem plane dicendum de omnibus ejus ævi scriptoribus. Vnde jus gladii seu meri imperii non amplius exercebant quasi mandatum aut alienum, sed quasi suum & proprium; suosque ipsi Magistratus creabant, quibus mandabant merum imperium. Iis temporibus in Regulos prodierunt Duces Normanniæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, & alii plures, qui non amplius regales Missos admiserunt; sed aut ipsimet juri dicundo præesse voluerunt, aut alios habere Magistratus, puta *Bajulos* aut *Ballivos*, & *Seneschallos*,

qui

qui eorum nomine jus dicerent. Adde, quæ diximus *cap.* 4. *&* 9. Et ita ſi altius inquirere velis in Miſſos Dominicos, tua illa ſit meta laboris, aut eos præcipue Auctores legas, qui ſub Carolina ſtirpe ſcripſerint. Iis adde LOYSÆVM *lib.* 1. *de jure Officiorum cap.* 14. *n.* 44. *lib. de Senioratibus cap.* 8. *n.* 39.

Nunc videndum, in quibus regnis aut regionibus floruerint *Miſſi Dominici*. Et quidem cum morte Carolomanni Carolus M. in tota Gallia ſolus eſſet Rex, in ea etiam tota erant Miſſi Dominici. Cumque Aquitania in regnum erecta eſſet, Reges Aquitaniæ habuerunt etiam Miſſos Dominicos, ut docent veteres chartæ, quas exſcribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ pag.* 17. 23. *&* 40. Ita & cum Carolus M. Pipinum filium Italiæ Regem impoſuit, Primates regni ſui miſit in novum illud regnum, qui & legum moderamina, & morem Franciæ aſſuetum inſtituerent, & illi erant paſſim in Italia Miſſi Dominici. Hæc ADREVALDVS *lib.* 1. *de miracul. S. Benedicti cap.* 18. qui ſub eo Pipino verſabantur ad juſtitias faciendas; apud ADONEM: eorumque meminit SIGONIVS *lib.* 4. *de Regno Italiæ circa princip. & lib.* 7. *ad an.* 973. & docet, eos obtinuiſſe uſque ad Othonem. Idem evenit in Lombardia: cum enim ea cœpit eſſe in ditione Caroli M., ſuos etiam Miſſos in ea inſtituit, de quibus paſſim ex eo, in LEGIBVS IONGOBARDORVM. Idem eum in devicta Saxonia feciſſe, docet nominatim POETA SAXONICVS *lib.* 3. *de geſtis Caroli M. ad an.* 798. Ludovicus Pius Miſſos Dominicos, & in Gallia, & in Germania, & in Italia inſtituiſſe dicitur apud ADONEM. Sub Carolo Calvo illud in Germania obtinuiſſe adſtruit *Conventus primus apud Marsnam* inter Lotharium Imperatorem, Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum Franciæ Regem, *in Capitularibus* CAROLI CALVI *tit.* 9. Vbi tres illi Reges viciſſim agunt de Miſſis Dominicis. Notat etiam BROVVERVS *ad Fortunati carmen ſeptimum lib.* 6. in Auſtraſiæ Regno Miſſorum Dominicorum ampliſſimam fuiſſe dignitatem. Quidquid ſit, certiſſime conſtat, Miſſos Dominicos egiſſe in tota Gallia, & in omnibus provinciis aut regionibus Gallicæ ditionis. Cœperunt in Gallia, & a victoribus Chriſtianiſſimis Regibus deducti ſunt in alias regiones.

CAPVT VIII.

Cujus ordinis & conditionis fuerint.

NOn ſemel Romæ agitatum eſt, an etiam ex plebe, an ex ſolis Patritiis eligendi eſſent Conſules: ſicut & an pedanei Iudices ex Equitibus, an ex Senatoribus, an ex utrisque. Sic etiam quæri poteſt, cujus ordinis eſſent *Miſſi Dominici*. Erant ſane viri ſummæ dignationis & prudentiæ. Hoc indicant verba illa MOISSIACENSIS CHRONICI *ad an.* 802. *apud* QVERCETANVM, *tom.* 3. *Scriptorum hiſtoriæ Francorum. Noluit* (Carolus M.) *de intra Palatio ſuo pauperiores vaſſos ſuos transmittere ad juſtitias faciendas, propter munera: Sed elegit in Regno ſuo Archiepiſcopos, & reliquos Epiſcopos, & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper Innocentes munera accipere. Et ipſos miſit per univerſum regnum, ut eccleſiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo juſtitiam facerent.* HINCMARVS vocat eos Proceres, Conſiliarios & Domeſticos Palatii, *in Opuſculis tit.* 14. id eſt cos, a quibus magna ex parte pendebat auguſtum conſilium, ut paſſim Domeſtici accipiuntur *in utroque Codice*.

Cum autem regni Proceres & Clerici eſſent, & Laici, ex utroque illo ordine Miſſi Dominici eligebantur. Hoc a Carolo Calvo petunt MELDENSIS CONCILII PATRES *in Can.* 20. & ECCLESIÆ GALLICANÆ PRÆLATI *in ejuſdem Capitularibus in villa Sparnaco cap.* 20. Et ſæpius erant vel Epiſcopi, vel Comites; *Concilii Valentini tertii Can.* 23. vel etiam Abbates, aut alii Nobiliores Laici. CAROLVS M. *lib.* 4. *Capitular. cap.* 69. ait, Miſſos Dominicos, vel Epiſcopos eſſe, vel Abbates, vel Comites. Quam in rem PETRVS PITHOEVS ex vetuſto quodam *Cod. ad Capitularia Caroli* M. in verbo *reclamare*, exſcribit veterem hanc formulam: *Poſtquam autem N. Abbas & N. Comes, Miſſi Dominici in illas partes veniſſent ad juſſionem Domini Imperatoris explendam.* Et obſervandum ex FLODOARDO, *l.* 2. *c.* 18. ut plurimum Abbates eo munere functos fuiſſe; ac tandem, quod ita fuerint ex utroque ordine, apertius adhuc innoteſcet, ubi quorumdam Miſſorum nomina & dignitates referentur *cap.* 13.

Quot mitterentur ſimul, non ſatis conſtat; forte non minus quam duo, aliquando tres, aliquando quatuor, ut videre eſt *in Capitulari* 2. LVDOVICI PII, *cap.* 25. & *in Capitulis* CAROLI CALVI, *apud Sylvacum poſt caput* 13. Sed ex iis ſemper alter erat Clericus, alter vero Laicus, ut ita res omnes, negotia omnia definirent, & de iis ſacra vice judicarent.

LVDOVICVS PIVS *laudato loco cap.* 11. jubet, ut quilibet Miſſis Dominicis honorem exhibeant. *Noſtri*, inquit, *honoris cauſa, & noſtræ propter auctoritatis venerationem*, quod deſumpſit ex *lib.* 2. *Capitular.* CAROLI M. *cap.* 11. *&* 16. Sed rectiſſime HINCMARVS *in admonitione* 4. *c.* 14. *ad eundem Ludovicum: Sicut Comitibus præponuntur, ita ſcientia, juſtitia & veritate iis præmineant.* Hæc etiam exſcripta ſunt nominatim *in Epiſt. Epiſcoporum, e Synodo apud Cariſiacum cap.* 14. *in fin.* apud SIRMONDVM *tom.* 3. *Conc. Galliæ*. Cumque ad eos aut ſcribebant aut mittebant, ea erat litterarum epigraphe: *Dilectis ac fidelibus Miſſis*, ut videre eſt *in Capitulis* CAROLI CALVI *apud Sylvacum*, & *ex Synodo Cariſiaca*. Nobis hodie: *à nos amés & feaux*. Et Provinciales eos vocabant *Dominos*, ut canit THEODVLPHVS *Aurelian. Epiſcopus*, & ipſe Miſſus Dominicus per Narbon. provinciam, *lib.* 1. *carminum v.* 203. *in paræneſi ad judices*:

Hoc ego ſum Domino (*Dominum me forte vocabat*)
Laturus, votis ſi favet ille meis.

Ibi Præfecturam, aut Legationem ſuam, ſuumve miſſaticum fuſius deſcribit.

CAPVT IX.

Quis eorum ordo cum Epiſcopis & Comitibus.

IN ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum conſtat, Epiſcopos, & Comites in ſuis provinciis partem habuiſſe Regalis miniſterii. LVDOVICVS PIVS *in ſuo Capitulari ſecundo cap.* 3. Cumque Carolus Calvus a Iohanne VIII. conſecratus eſſet Imp. & apud Ticinum Palatium ab Italici Regni Proceribus, & Epiſcopis acclamatus, *in ſuis Capitulis ex Synodo Pontigonenſi cap.* 12. *circa finem* ſic habet: *Ipſi nihilominus Epiſcopi, ſinguli in ſuo Epiſcopio, Miſſatici noſtri poteſtate, & auctoritate fungan-*

gantur. Unde dici recte potest, non adeo novum esse in Gallia, Episcopos esse a consiliis Christianissimi Regis.

Sed cum in provinciis sæpius agerent *Missi Dominici*, non immerito quæri potest, quis eorum ordo, quis gradus, quæ dignitas cum Episcopis & Comitibus. Semper enim curarunt Principes, ut dignitatum ordo servaretur, & varias leges ediderunt de gradu honoratorum. De eo agitur tantum *in hoc cap.* 9. Statim vero constat, Missos Dominicos antecessisse Comites. HINCMARVS REM. *in admonit.* 4. *cap.* 14. nominatim ait, eos præesse & præponi Comitibus, *qui* (nempe Missi Dominici) *sicut Comitibus præponuntur, ita scientia, veritate & justitia eis præmineant.* SIGONIVS *lib.* 4. *de regno Italiæ in Carolo M. ad ann.* 774. ait, *Missos illos fuisse majori auctoritate quam Comites.* Et hinc passim in Capitularibus Regum nostrorum *Missi* nominantur ante Comites: atque etiam *in* LEGIBVS LONGOBARDORVM *lib.* 2. *tit.* 52. *l.* 5. Plures habebant Comites ad suum Missaticum pertinentes, qui ad eorum Placita venire tenebantur, ait CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. c.* 87.

De Episcopis major est dubitatio: nam Missis obedire debebant, *in Capitulari* 3. LVDOVICI PII *cap.* 3. Comites, & Episcopi ad eos recurrebant, *Capitularium* CAROLI M. *lib.* 2. *cap.* 26. Comites, & Episcopi debebant esse in eorum ministeriis, *Capitularium* CAROLI CALVI *tit.* 11. *cap.* 10. Missi Dominici eos adjuvabant, tuebantur, & corrigebant, ut suis quibusque locis videbimus. Rectissime tamen SIRMONDVS *in Notitia dignitatum*, quam subjicit Capitulis Caroli Calvi, post indicem, sic statim eum ordinem scribit, EPISCOPI, MISSI, COMITES; eumque probat ex multis eorum Capitulorum locis; Episcopis enim concessa est sublimis ac divina potestas, ait S. CYPRIANVS *Epist.* 55.

CAPVT X.

An & quatenus Episcopi subjacerent Missis Dominicis.

JAm olim probavimus, cum Episcopis ita se habuisse Missos Dominicos, ut Episcopi eos honoris gradu præcederent in suis Diœcesibus; sed tamen in multis Episcopi eorum potestatem ac jurisdictionem agnoscere tenebantur. LVDOVICVS PIVS *in Epistola quadam apud* SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 465. statim jubet, *ut Archiepiscopi cum Suffraganeis obedientes & adjutores sint Missis Dominicis;* quod etiam exscribit CAROLVS CALVVS *in Capitulis, apud Tusiacum in Præfat.* CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 12. *Vt per suos Missos comperiat, quam religiose Episcopi conversentur, & prædicent.* IDEM *in quibusdam Capitulis, apud eumdem* SIRMONDVM, *ibidem pag.* 157. *cap.* 11. *Vt Missi Dominici provideant, ne forte aliquis clamor sit super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam.* Ille idem LVDOVICVS *in Capitul.* 3. *c.* 5. ad instructionem Missorum *ibidem pag.* 466. *Primo de Episcopis, quomodo suum ministerium expleant, & qualis sit eorum conversatio, vel quomodo Ecclesias & Clerum sibi commissum ordinatum habeant atque dispositum, vel in quibus rebus maxime studeant, in spiritualibus videlicet aut in sæcularibus negotiis. Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, & Vicedomini, & Presbyteri per Parochias eorum: Quale scilicet studium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant secundum veritatem in populo. Vtrum Episcopi in circumeundo Parochias suas, cæteras minores Ecclesias gravent, aut populo oneri sint, & si ab ipsis aut ministris eorum, indebita exenia a Presbyteris exigantur.*

Idem *in secundo Capitulari cap.* 26. *Et si forte Episcopus aliquid negligentius in suo ministerio egerit, per Missorum admonitionem corrigatur.* Idem *in* LEGIBVS LONGOBARDORVM, *lib.* 2. *tit.* 52. *cap.* 17. *Legatio Missorum nostrorum hæc est. Primum ut faciant justitiam de rebus & libertatibus injuste ablatis: Et si Episcopus hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur.* PIPINVS *ibidem cap.* 21. *Vt ubicumque Missi nostri Episcopum invenerunt, qui justitiam facere noluerit, aut prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eodem loco justitiam facere debent.*

Iis adde quæ diximus de Episcopis, qui ad Missos Dominicos recurrunt, & de oppressis Clericis.

Sed & quamvis Sacri Canones prohibeant passim, ne quis Episcopum capiat: forte tamen, si propter aliquod grave crimen depositionis sententiæ obnoxius esset, Missus Dominicus ex mandato Regis eum distringere, & in custodiam conjicere poterat; præcipue vero si majestatis esset reus, ut testatur celeberrima causa Ebbonis, Remensis Archiepiscopi. Cum enim restitutum videret Ludovicum Pium, & ad Parisiacam urbem fugisset; Ludovicus Pius strenuos & fideles nuntios dirigens, eum comprehendi jussit, & custodia mancipari. Ea ipsa scribit CAROLVS CALVVS *in Epist. ad Nicolaum Papam* apud SIRMONDVM *tom.* 3. *Concil. Gall. pag.* 360. Nuntii procul dubio erant Missi Dominici: Primo enim, nisi Regia auctoritate muniti essent, vix unquam manus injecissent in Archiepiscopum: Secundo, nihil frequentius *in gestis, in vita, in Capitularibus* LVDOVICI PII, atque etiam in *Conciliis Gallicanis sub eo habitis*, quam ut Missi Dominici dicantur strenui ac fideles, frequentissimum illud est eorum epitheton. Ac tandem FLODOARDVS, *lib.* 2. *Rem. Hist. cap.* 20. ex iis nuntiis facit Rothordum, primum Suessionem Episcopum, qui certissime Missus erat Dominicus. Sed prudentissime Ludovicus Pius huic Misso adjunxit Erchenradum, Parisiorum Episcopum; quod in ejus ecclesia latitaret Ebbo, ut est *in Epistola Synodica Concilii Tricassini ad Nicolaum Papam*. Ebbo petiit, ut ad Synodum rejiceretur, hoc concessit Ludovicus. In ea crimen confessus est Ebbo, suæque depositionis sententiam dictavit: Imperator a Gregorio IV. S. P. petiit, ut huic depositioni consentiret: ac tandem condemnatum Ebbonem in varia monasteria detrusit per Cisalpinas regiones. Hæc ex Epistolis NICOLAI, CAROLI CALVI, HINCMARI & SYNODI.

Ex iis constat primo, reum Episcopum a Missis Dominicis distringi posse, quæ hic una est intentio: Secundo, ei petenti denegatum non fuisse fori privilegium: Tertio, tunc temporis eum deponi non potuisse, præterquam in Synodo ex scientia & adsensu Romani Pontificis; Quarto, eum depositum a Principe detrudi potuisse in carcerem. Et obiter sincere agnoscendum est, in ea depositione magnam fuisse Principis potestatem; nam & præter districtionem & ultimam detrusionem in carcerem, ad eam animadversionem Synodum, ejus locum & tempus indicere, & strictius imperare poterat: quod utique non erat vilioris momenti, ut ita Episcopi se invicem non relinquerent impunitos, & perditis Episcopis purgaretur Ecclesia. Luculentum ejus rei exemplum videre est *in Gestis* GVILLELMI *II. Normannorum Ducis, & Regis Anglorum, a* GVILL. PICTAVENSI *æquali conscriptis*. Vbi cum Malgerius, Rothomagensis

genſis Archipræſul, multorum criminum eſſet reus, nec tamen ullus eum accuſare aut in judicium agere auderet, eo quod eſſet Guillelmi Regis Patruus; ille ipſe Rex eum depoſuit in publico ſanctæ Synodi, Apoſtolici Vicario, cunctisque Normanniæ Epiſcopis juxta Canonum auctoritatem ſententiam dantibus unanimi conſenſu, & Maurilium Cathedræ liberatæ providit.

Nec ideo tamen dicendum exiſtimarem, in Gallia Chriſtianiſſimos Reges accuſatis Epiſcopis ad libitum dediſſe Iudices Eccleſiaſticos: nam hoc longe aliud eſt ab imperanda & indicenda Synodo legitima, quæ iſtius judicii poteſtatem habet a ſacris Canonibus. Nec obſtat VALENTINIANI III. *Conſtitutio*, quam exſtare volunt *in l. 47. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* in qua tamen ne verbum quidem de Patroclo Arelatenſi: ſed ea integra extat apud SIRMONDVM *in appendice Cod. Theod. cap. 6.* Vbi Valentinianus Patroclum, Arelat. Epiſcopum, Iudicem conſtituit contra quosdam hæreticos Epiſcopos. Non obſtat, inquam, vel enim cum doctiſſimo GOTHOFREDO *in notis ad d. l. 47.* dicendum eſt, caput illud ſextum prorſus eſſe confictum & apocryphum; vel ſi genuinum illud habere velis, dicendum eſt ex ejus verbis, præcepiſſe Valentinianum, ut Epiſcopi illi per Patroclum conveniantur, nempe ad Synodum legitimam, cui tanquam eo tempore Sedis Apoſtolicæ Legatus præſit.

Nec obſtat etiam *Novella* 123. *cap.* 24. ubi Iuſtinianus ait, ſe quosdam deputare judices, apud quos accuſetur Epiſcopus Conſtantinopoli repertus ex alia qualibet provincia. Ibi enim agitur de erroneis Epiſcopis, qui paſſim vagantur diſciplinam evitantes, ut de iis GREGORIVS M. *lib. 7. Reg. Epiſt.* 118. & ideo voluit Iuſtinianus, ut tanquam errones vagabundi ſtatim ab iis judicibus coerceantur, quos ipſe dederit, ne propter fugam Canonicis pœnis eximantur.

Nec adhuc obſtat *Canon* 104. *Carthaginenſis Concilii*, *apud* DIONYSIVM EXIGVVM *in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ*. Vbi a Principe impetrari poteſt Epiſcopale judicium; quod nempe reddatur in legitima Synodo, ſeu in Conventu Epiſcoporum, ut ibi addit ZONARAS. Videſis auctorem libri *de Iudiciis Canonicis Epiſcoporum pag. 761. 762.* ubi & ſubjicit, & diligentius examinat *Epiſtolam 7.* GREGORII M. *lib. 2. Reg. indict. 11.*

Nec tandem dixeris ex ea Novella, & ex eo Canone, Chriſtianiſſimos Reges primæ ſtirpis Contumelioſo, Salonio, & Sagittario Epiſcopis dediſſe judices: nam hoc omnino eſt contra rei geſtæ veritatem: Legitimam Synodum imperarunt, ut ſupra, & juris utriuſque regulis repugnat, eum litigantibus dare judicem, qui eos ad competentem rejicit. Præterea omnes fere agnoſcunt, in Gallia nec cognitum fuiſſe Ius Iuſtinianeum, nec Dionyſii Codicem (in quo tum primum exſcriptus eſt ille Canon), niſi ſub ſecunda Dynaſtia.

CAPVT XI.

An et in quibus Comites iis ſubjacerent.

SIGONIVS *lib. 4. de regno Italiæ ad an. 773.* ait, Carolum M. quosdam Legatos miſiſſe in regnum, quos Miſſos vocavit, *majore quam Comites poteſtate*. Hoc expendendum ex Scriptoribus æqualibus. CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 87.* docet, Comites pertinuiſſe ad eorum Miſſaticum, quod nihil aliud eſt, quam iis ſubjectos fuiſſe. *Lib. 4. cap. 67. et ſeq.* jubet, ut eos cogant in ſuis Comitatibus facere juſtitiam, et quamdiu eam non fecerint, de rebus eorum vivant. In ejuſdem Capitulis apud SIRMONDVM, *tom. 2. Concil. Gall. pag. 157. De eo, quod Miſſi noſtri providere debent, ne forte ſit aliquis clamor ſuper Comitem, et nobis renuntiare*. In aliis ibidem, *pag. 245. Vt Miſſi noſtri diligenter inquirant inter Epiſcopos, Abbates, ſeu Comites, qualem concordiam ad invicem habeant per ſingula miniſteria; aut ſi aliqua diſcordia inter ipſos eſſe videtur, nobis exinde renuntiare non negligant*. Ille ibidem *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib. 2. tit. 52. cap. 2. Si Comes in ſuo miniſterio juſtitiam non fecerit, tunc Miſſus noſter de hac cauſa ſonare faciat* (id eſt inquirere), *usque dum juſtitiæ ibidem factæ fuerint*.

LVDOVICVS PIVS *in ſecundo Capitulari cap. 18.* apud SIRMONDVM *ibidem: Volumus Miſſos noſtros hujus rei* (monetariæ) *gratia dirigere per ſingulos Comitatus, qui diligenter inquirant, qualiter Comites in hoc noſtram juſſionem adimplere certaverint*. Hoc ANSEGISVS ABBAS exſcribit, *lib. 2. Capitular. cap. 18.* Additur *in cap. 26. ejusdem Capitularis*, et *in cap. 26. ejusdem libri: Miſſi noſtri omnibus generaliter notum faciant, qualis ſit eorum legatio; ſcilicet ad hoc ſe eſſe a nobis Miſſos conſtitutos, ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes, miniſterium ſuum implere non poſſit, ad eos recurrat: et ſi forte Epiſcopus aut Comes aliquid negligentius in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur*. Et multa paſſim conſtituit de ſupplenda et corrigenda Comitum negligentia per Miſſos Dominicos, quod utique majoritatem indicat, ut cum Canoniſtis loquar. Eo etiam pertinet *Epiſtola 19.* LVDOVICI PII *inter epiſtolas Eginardi Abbatis apud* QVERCETANVM *tom. 2. Hiſt. Franc. pag. 699.* ubi mandat cuidam Comiti, ut eat obviam Miſſo Dominico, et addit: *Quidquid ille tibi de verbo noſtro ſimul cum aliis Comitibus, et fidelibus noſtris ad faciendum injunxerit, facere ſtudeas, et taliter exinde agas, qualiter in tua fidelitate bonam habemus fiduciam*.

Denique apud CAROLVM CALVVM *in Capitularibus tit. II. cap. 8.* Miſſi Dominici vice regia jubent ac præcipiunt, ubinam et quo tempore Placita ſua Comites habere poſſint. *Ibidem tit. 27. cap. 14.* Remenſis et Rothomagenſis Diœceſis Epiſcopi ab eo petunt, *ut tales Miſſos per regnum conſtituat, qui ſciant, qualiter Comites, et ceteri miniſtri Reip. juſtitiam et judicium populo faciant, qui ſicut Comitibus præponuntur, ita ſcientia, et juſtitia, ac veritate iis præmineant*. Eadem exſcribuntur apud HINCMARVM REMENSEM *in admonitione 4. cap. 14. in fin.*

Et ita ex iis omnibus conſtat, Miſſos Dominicos præeſſe Comitibus, cum eorum jurisdictioni et emendationi ſubjaceant, et ad eorum curam pertineant.

CAPVT XII.

Ad quos hodie translatum ſit eorum officium.

IAm diximus *cap. 7.* Miſſos Dominicos omnino evanuiſſe cum ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum. Sed quæritur, quinam poſtea eorum officio functi fuerint. LOYSÆVS *lib. I. de officiis cap. 14. a numero 47. ad 57.* contendit, *Magiſtros libellorum ſupplicum* partim ſucceſſiſſe in eorum locum, partim *Baillivos*. Forte tamen adhibenda eſt quædam diſtinctio temporis. Primo enim, cum ſub initio tertiæ ſtirpis Duces et Comites præfecturas ſuas ſui juris, ſuique dominii feciſſent, ac redegiſſent

gissent in sortem hæreditariam, jus Magistratuum creandorum et jus *ressortus* sibi vindicarunt, seu jus cognoscendi de causis appellationum: habuerunt jurisdictiones et Baillivos, ut palam est *ex cap. I. Ex. de postulan. et ex cap. 4. Ex. ne Cl. vel Mon.* Erant quidem homines, aut vasalli Regum nostrorum: sed quamdiu vel ipsi, vel eorum judices jus dicere parati erant, non patiebantur aliquid jurisdictionis ab ipsis Regibus usurpari. In eam rem multi multa congerunt, quæ hic exscribere nolim.

Iis addenda singularis, et omnino insignis *Epistola* 465. HENRICI, *Angliæ Regis, ad Ludovicum VII.* quam refert QVERCETANVS *tom. 4. Hist. Franc. pag.* 731. ubi cum Ludovicus VII. Alvernenses Comites prehendisset propter aliquod delictum, Henricus eos vindicat iis verbis: *Comites de Alvernia homines meos* (nam Alvernia erat Subfeudum Aquitaniæ, cujus Dux erat Henricus) *quia ipsos vobis foris fecisse dicitis, cum tamen de habendo eos ad justitiam minime defecerint, sicut vobis placuit cepistis, et cum Baillivos meos super hoc requisivissetis, ipsi minime vobis defecerunt, sicut asserunt. Benevolentiam itaque vestram attentius rogo, quatenus sicut nec ego defeci, nec Baillivi, prædictos homines meos, si placet, mihi reddatis, vel saltem recredatis, et ego eos habebo ad justitiam.* Ibi Alverneales Comites deliquerant in Regem Ludovicum, Ducis Aquitaniæ dominum, et tamen Dux ille non patitur, ut in reos illos homines suos Ludovicus Rex jure agat, et petit, ut Baillivi de eo crimine cognoscant. Vnde colligitur, Præfecturis illis in dominatum redactis, Duces et Comites non amplius agnovisse Regios Magistratus, ut in iis sacra vice judicarent, sed potestatem illam fuisse tantum penes Duces illos, et Comites, aut eorum Magistratus, puta Baillivos.

Cum autem Ducatus et Comitatus illi sensim eo redierunt, unde diverterant, nempe ad coronam regiam, Christianissimi Reges Baillivos regios in iis instituerunt, qui nomine suo juri dicundo præessent; et sensim iis pleraque addixerunt, quorum cognitio competebat olim Missis Dominicis, ut probari potest ex veteribus Regum nostrorum Constitutionibus, quæ referuntur *in Collatione Constitutionum Regiarum lib. I. tit.* 21. Ita tamen, ut in eas provincias Magistros libellorum supplicum subinde mitterent, qui summas eorum Missorum partes in iis obirent.

Quænam fuerit eorum origo, quodnam munus et officium, norunt omnes; sed quæ a multis afferuntur, iis duo illa lubenter addere juvat. Primum est ex *Opusculis* HINCMARI, *cap.* 15. *num.* 13. *Legimus, antiquitus judices in porta ad judicandum sedisse, ut nullus accedendi difficultatem haberet. Vnde beatus Hieronymus in Zachariam Prophetam, veritatem, inquit, et judicium pacis judicate in portis vestris; in judicio prima sit veritas et justitia, deinde sequatur misericordia. Quod sequitur in portis vestris, illi propbetico congruit: Oderunt in portis corripientem, et verbum sanctum abominati sunt. Et in alio loco: Non confundentur cum loquentur inimicis suis in porta. David quoque judicabat in portis, quando Absalon veritatem judicii repromittens patri tendebat insidias. Et quæritur, quare apud Iudæos in portis locus fuerit judicandi? Ne cogerentur agricolæ intrare urbes, et aliquod subire dispendium, judices in portis residebant, ut tam urbanos quam rusticos et in exitu, et in introitu urbis audirent.*

Et hinc nostri illi Magistri libellorum hospitii Regii, pro ejus foribus jus dicebant. Hoc indicat IOINVILLÆVS *pag.* 22. *editionis Menardinæ: Car de coustume après ce que les Sires de Neelles, et le bon Seigneur de Soissons, moy, et autres de ses proches avions esté à la Messe, il failloit que nous allissions oüir les Plets de la porte, que maintenant on appelle les Requestes du Palais à Paris.* quod ultimum nescio an suppositititium. Quidquid sit, Magistri illi supplicum libellorum Regii hospitii successisse videntur hodie in locum Missorum Dominicorum, eidemque fini mittuntur in provincias.

CAPVT XIII.

Missatica. Quorumdam Missorum nomina. Eorum numerus in quolibet Missatico.

LVDOVICVS PIVS *lib. 2. Capitular. c.* 17. testatur, a Carolo M. genitore suo, certos quosdam ordinatos fuisse locos, in quibus agerent Missi Dominici, & sua legatione fungerentur. Locos illos describit *in c.* 25. *ejusdem libri*, sicut & CAROLVS CALVVS *in suis Capitulis ad Sylvacum*. Tractus aut regiones Missis illis assignatæ dicuntur passim *Missatica*, aut *Missatici*, utrumque dicitur. Sane *Missaticum* aliquando ipsam quoque Legationem significat, & mandata Missis data, in *iisdem Capitulis*, *tit.* 25. 31. *&* 34. *c.* 2. *&* *apud* HINCMARVM *&* FLODOARDVM. Aliquando tamen *Missaticum* differt a legatione Missorum, ut *in Capitular.* CAROLI M. *lib. 3. cap.* 87. *& alibi passim*. Tunc enim *Missaticum* significat regionem aut provinciam, & Legatio munus ipsum, quod etiam Præfecturam vocat THEODVLFVS AVRELIAN. *in Paræneſi ad Iudices*. Sed & legatio quandoque accipitur pro Mandatis aut Capitulis, quæ a Principe Missis Dominicis data sunt. In hoc Capite *Missaticum* accipitur tantum pro territorio, & tractu regionis aut provinciæ, per quam Missorum Dominicorum potestas & legatio extendebatur; & frequentiorem hanc acceptionem pluribus adstruit & confirmat SIRMONDVS *in notis ad Capitula* CAROLI CALVI *ad Sylvacum*. PETRVS PITHOEVS *in Historia Comitum Campaniæ* vocat *les départemens*.

Illud aliquando minus erat, aliquando majus, pro arbitrio Principum: ita tamen, ut fere semper plures Pagos & Comitatus contineret. CAROLVS M. decem Missatica in suo regno constituit, *lib. 2. cap.* 25. Vnde palam est, sub eodem Missatico sex fuisse Comitatus & quatuor Episcopatus. Sed CAROLVS CALVVS totum regnum suum divisit in 12. Missatica, *in iisdem Capitulis*. Et ibi rectissime SIRMONDVS notat, ab ea divisione Caroli Calvi Aquitaniam excipi, quod tunc seorsim regeretur; sicut & Britanniam, quippe quæ tunc temporis rebellasset. Aquitania cœperat esse regnum sub Carolo M. & eadem adhuc ratione gubernabatur sub Carolo Calvo: Britannia autem sub eo rebellarat, *& contra Francos superiores fuerant Britanni*, ut est *in* CHRONICO FONTANELLENSI *ad annum* 846.

Multa Missorum Dominicorum nomina occurrunt in laudatis utriusque Caroli Capitulis, apud FLODOARDVM, & alios veteres: atque etiam SAMMARTHANI FRATRES in *Gallia Christiana* plures observant, qui fuerint Missi Dominici. Eos tantum exscribere juvat, qui floruerint in hac nostra Andegav. provincia. CAROLVS M. *lib. 2. cap. 25.* sic habet: *Super Turonem Landramnus Archiepiscopus* (nempe Turonensis) *& Rhuotbertus Comes.* Nec dubitaverim, eos etiam præfuisse Andegavensi regioni; hoc indicare videtur CAROLVS CALVVS, *in Capitulis ad Sylvacum* iis verbis: *Dodo Episco-*

Episcopus, Hrotbertus, & Osbertus, Missi in Cinamannico, Andegavensi, atque Turonico, Corboniso & Sagiso. Dodo erat Episcopus Andegavensis, qui etiam laudatur *in epigraphe Epistolæ* 121. IOANNIS VIII. *& Epistolæ* 84. *apud* LVPVM, *Abbatem Ferrar.* Ex eo notandum obiter, Missos Dominicos in sua etiam patria suo illo munere fungi potuisse. Hoc etiam confirmat CAROLVS CALVVS, *in suis Capitulis ex Synodo Pontigon. cap.* 12. quod jam exscriptum est *in cap.* 9. Vnde Hincmarus Rem. apud FLODOARDVM *lib.* 3. *Rem. Hist. cap.* 26. Luitardo illustri viro mandat ex auctoritate Episcopali, non ex Banno Regis, cujus ipse Pontifex Missus erat in sua provincia, ut ejus homines hominibus Remensis Ecclesiæ non noceant.

In laudatis Capitulis, quinam alii fuerint Missi Dominici, non mihi constat, sicut nec quinam pagi *Corbonisum* & *Sagisum*. Ex iis tamen videre est (quod & adhuc hodie observatur) Turonense Missaticum sub se semper habuisse Cænomaniam & Andegavensem provinciam. Sæpius quidem, imo & fere semper duo erant in quolibet Missatico: sed tamen constat *ex eo Capitulari*, eos aliquando tres fuisse: & jam docuimus, olim rebus ita exigentibus alios iis duobus additos fuisse. Denique cum Caroli Calvi temporibus Lotharius Frater alteram regni partem occupasset, & ita quilibet in sua ditione Missos & Missaticos haberet; rebus tandem compositis inter utrumque placuit, *in Capitulis apud Valentianas, Vt ubi Missatici simul venerint, Missi simul veniant:* apertius forte CAROLVS CALVVS postea, *in Capitulis apud Sylvacum*, Missos Dominicos allocutus, *Vt sicut in Missaticis conjuncti & deputati estis, simul conveniatis.* Nec illud his etiam ultimis temporibus inauditum, ut nempe cum post bella civilia Principes simul conveniunt, quidam ab iis utrinque instituti Officiarii, simul veniant, maneant & jungantur.

CAPVT XIV.

Iis in Missaticum proficiscentibus data Capitula. Inquisitio.

COnstat, Rom. Imperatores mandata dedisse Præsidibus provinciarum, aut Legatis suis in eas proficiscentibus, quæ LVCIANO ἐντολὰς βιβλίων: Et hinc a præstantissimo MERILLIO *in Not. ad passion. Christ. c.* 19. *v.* 16. didici, persecutiones Christianorum ab EVSEBIO appellari ἐντολὰς, quod secundum mandata Principum fierent. Sic etiam Christianissimi Reges dare solebant mandata Missis Dominicis in sua Missatica proficiscentibus, quæ passim dicuntur Admonitiones, Commonitoria, Instructiones. Capitula ad instructionem Missorum, *in omnibus Regum nostrorum Capitulis.* Eorum multi erant articuli, multa capita, de quibus agemus suis quibusque locis.

Ea sæpius accipiebant ab ipsomet Rege, aliquando etiam a Cancellario, ut docet CAROLVS CALVVS *ad Sylvacum cap.* 11. *qui ea scribebat, & fideliter custodiebat*, ait HINCMARVS REM. *in Opusculis tit.* 14. *c.* 16. CAROLVS CALVVS *in Edicto in Carisiaco: Propterea necessarium duximus, ut commendationem nostram ex hoc scribere rogaremus, quæ ex more in Palatio nostro apud Cancellarium retineatur, & inde per Missos nostros dirigatur.* Illud ipsum Cancellarii munus, (ut nempe ab eo accipiantur Capitula Regia) describit LVDOVICVS PIVS *in secundo Capitulari cap.* 24. *apud* SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. p.* 456.

Præcipue vero in mandatis habebant Missi Dominici, ut in suis Missaticis multa inquirerent, de quibus referrent ad Principem. Hic de sola inquisitione, ad eam insigne *Capitulare tertium* LVDOVICI PII, quod edidit *sub finem anni* 828. In eo titulus est, *Capitula ad instructionem Missorum.* Et *num.* 2. sic habet: *Instruendi sunt etiam quid inquirant*; quam in rem omnino exscribendum, quod in *num. seq.* habet:

In primis hoc maxime inquirant, quomodo hi, qui populum regere debent, unusquisque in suo ministerio se custoditum habeat: ut qua benefaciendo gratiarum actione digni sunt, cognoscamus: qui vero correctionem & increpationem pro eorum negligentiis merentur, omnimodis nobis manifesti fiant. Inquisitio autem hoc modo fiat: Eligantur per singulos Comitatus, qui meliores & veraciores sunt: & si aliquis inventus fuerit de ipsis, qui fidelitatem promissam adhuc nobis non habeat, promittat etc. De ea fidelitate fusius suo loco. Et *ibidem* sequitur ille titulus: *Hæc sunt Capitula, ut diligenter inquirant.*

Primo de Episcopis, quomodo suum ministerium expleant, etc. quales sint eorum adjutores, etc. similiter de omnibus monasteriis, & cæteris Ecclesiis etc. simili modo de Comitibus inquirant, etc. quales Ministros habeant ad regendum populum Missos. Non multo post *n.* 3. *c.* 7. *Vt in omni Comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri possunt, eligantur a Missis nostris ad inquisitiones faciendas.* Quod etiam exscribitur *in addit.* 4. *Capitular. cap.* 106. Sic *in eodem Capitulari num.* 10. *cap.* 6. *Volumus, ut omnis inquisitio, quæ de rebus ad jus fisci nostri pertinentibus facienda est, non per testes, qui producti fuerint, sed per illos, qui in eo Comitatu meliores & veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat.* Ac tandem in *eodem Capitulari* inquirere jubentur, *quanti sint liberi homines in quolibet Comitatu, quique militare possint.*

Denique SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. p.* 244. quædam *Capitula* CAROLI M. exscribit, in quibus mandat suis Missis, ut inquirant de Episcopis & Sacerdotibus; de Abbatibus & Monasteriis; de Decimis; de Concordia Episcoporum & Comitum, & Vassallorum Dominicorum. Et *lib.* 3. *cap.* 80. *&* 81. jubet, *ut inquirant de Beneficiis, de Cusatis, de Allodiis:* quæ omnia suis quibusque locis ex professo excutientur. Vnum illud addendum breviter, curare debuisse Missos Dominicos, *ut inquisitionem suam per fidelium custodiam sub sigillo ad notitiam Regis perferant*, aiti CAROLVS CALVVS *in suis Capitular. tit.* 46. *cap.* 3.

CAPVT XV.

Relatio ad Principem.

IN omnibus libris Iuris, relatio alicujus negotii ad alium, est nota & symbolum majoris potestatis. Sæpius vero majores Magistratus de gravioribus negotiis ad Principem referunt, ut videat & rescribat, quid juris ab iis constituendum sit: Eo pertinet *liber decimus Epistolarum* PLINII *ad Trajanum*: illud passim occurrit apud SYMMACHVM: & in libris Iuris datur titulus *de Relationibus*. Ita etiam in Gallia Missi Dominici habebant in mandatis, ut de rebus majoris momenti ad regem referrent. CAROLVS M. *lib.* 4. *Capitular. c.* 56. *Summopere studeant*, (Missi illi) *ut hoc, quod per se efficere non possunt, nobis notum faciant, & omnimodis prævideant, ut per singula Capitula tam verbis, quam scriptis, de omnibus, quæ illic peregerint, Regi rationem reddant.* Ea exscripta in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 7.

In quibusdam *ejusdem* CAROLI *Capitulis*, apud SIRMONDVM *tom. 2. Concil. Gall. p.* 157. *De eo, quod Missi nostri providere debent, ne forte aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super quemcumque gradum sit, & nobis renuntiare:* nec multo post: *Ut Missi nostri providcant beneficia, quomodo sint condirecta, & nobis renuntiare sciant.* Idem fere habet in aliis *ejusdem Capitulis, pag.* 245.

Sic etiam in *Capitulari tertio* LVDOVICI PII *n.* 3. *Si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret, ad nostram notitiam deferre curent.* Et postea *n.* 7. *cap.* 8. *in fin. Si Comites nostram Constitutionem neglexerint, hoc per Missos nostros ad nostram notitiam perferatur.* IDEM etiam videre est in *Capitularibus* CAROLI CALVI, *quæ in Synodo Pontigonensi edita sunt, cap.* 13. *in fin.* ubi sic habet *de Missis Dominicis, quod si & ipsi hoc emendare nequiverint, ad nostram notitiam perducant.* Nihil omnino frequentius, quam præcepta de hujusmodi relationibus.

Huic potissimum fini Relationes illæ imperabantur, tum ut illi ipsi Reges emendarent ea, quæ a Missis emendari non poterant; tum ut per novas leges disciplinæ publicæ consulerent. Et ita *in eodem Capitulari tertio* LVDOVICI PII exstat ille titulus: *Hæc sunt Capitula, quæ propter interrogationem aliquorum Missorum considerata, & scripta, vel ordinata sunt.* Sic olim Rescripta Romanorum Principum mittebantur ad relationes Iudicum; iisque Rescriptis fere constat totus *uterque Codex.* Hinc etiam vulgare illud OPTATI MILEVITANI, *lib.* 1. *num.* 17. *Relatio missa est, Rescriptum venit.*

Sed a Missatico ad Palatium reversi, ab ipsomet Rege interrogari solebant de variis ad illud pertinentibus negotiis, quæ fere omnia recensct HINCMARVS REM. *in suis Opusculis cap.* 14. *ad Proceres regni §. pen.* Ad eas interrogationes fiebant nova Capitula, novæ leges, quæ iis aut aliis in Missaticum proficiscentibus dabantur. SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 261. edidit CAROLI M. *Capitulare interrogationis, qui contient les faits sur lesquels il les devoit interroger.* Et antea etiam meminerat duorum Capitularium interrogationis, *pag.* 244. sed ea non exstant. Et, ut supra diximus, *ex tertio Capitulari* LVDOVICI PII ad eas interrogationes, multa occurrunt constituta Capitula.

CAPVT XVI.

Tractoria Receptio, Conjectus seu Viatica.

CVm primum a Rege designati erant Missi Dominici, & iis adscripta Missatica, iis dabantur Capitula, seu Regiæ Ordinationes, quas in iis observari curarent, ut data opera videbimus suo loco. In ea profecturi *Tractoriam* a Rege accipiebant: Sic LVPVS, *Abbas Ferrariensis*, Missus Dominicus a Carolo Calvo designatus, *in Epist.* 63. scribit, *se non prius eam legationem aggressurum, quam à Rege Tractoriam acceperit;* id est litteras Regias, quarum beneficio recipiebantur, & conjectum accipiebant seu tributum, contributionem, stipendium. Vnde *Tractoria stipendialis* AGOBARDO dicitur, *in libello de insolentia Iudæorum.* Ea definire solebat commeatum iis præstandum, locos, mansiones, viatica, dispensam. CAROLVS M. *lib.* 4. *c.* 73. dispensam illam præcise definit. CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Tursiacum cap.* 16. ait, *dispensam Missorum in Tractoria sua contineri.* Eam recipiebant a ministris Comitum, qui eam exigere tenebantur ab iis, qui erant in Missatico, *ibidem*, & quidem non ultra quam in Tractoria contineretur. CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 69. *Missi nostri accipiant secundum quod in sua Tractoria continetur.* Ejus formulam habemus apud MARCVLFVM *lib.* 1. *c.* 11. & summa erat auctoritas, utpote quæ Regio sigillo roborata esset, *Can.* 71. *Concilii Meldensis sub* CAROLO CALVO. Atque ita, ut qui despexisset hanc Tractoriam, graviter coerceretur, ex *Constitutione* CAROLI M. *lib.* 4. *cap.* 30.

Ea igitur Regia Epistola Missis Dominicis assignabantur certa quædam viatica, honoraria, contributiones, quæ, ut diximus, *Conjecta* aut *Conjectus* dicebantur. Sed observandum, quod CAROLVS M. habet, *lib.* 4. *cap.* 69. *Vt Missi nostri, quamdiu propter suum beneficium* (seu feudum) *fuerint,* (in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 38. Carolus M. habet *infra suam judiciariam vel terminum*) *nihil de aliorum Conjecto accipiant: postquom vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur.* Præcipue notandum illud LVDOVICI PII, *n.* 10. *cap.* 1. *Capitularis tertii: Volumus, ut talem Conjectum Missi nostri accipiant, quando per Missaticum suum perrexerint, hoc est, ut unusquisque accipiat panes* 40, *Friscingas* 2, (id est, duos porcos nondum adhuc justi incrementi) *porcellum, aut agnum unum, pullos* 4, *ova viginti, vini sextarios* 9, *de cervisa modios* 2, *de annona modios* 2, *& quando prope sunt de illorum domibus, nullum accipiant Conjectum.* THEODVLFVS, & ipse Missus Dominicus, *in Paræneſi ad Iudices*, ait, se tantum accepisse *parva & apta cibis.*

CAROLVS M. *eodem Capite* 30. ait, *Tractoriam dirigi propter Missos recipiendos, quique eos non receperint, graviter coercentur.* Huic fini certa quædam Mansionatica ordinavit, in quibus hospitio reciperentur illi Missi, ut de eo LVDOVICVS PIVS, *lib.* 2. *cap.* 17 *In omni quidem loco Imperii honorifice recipiendi erant,* ut est *in c.* 16. *in fin. ibid.* Sed constat, in quolibet Missatico ordinatos fuisse certos quosdam locos, in quibus Missi hospitio reciperentur. SECVNDI REMENSIS CONCILII PATRES, *in can.* 42. a CAROLO M. petunt, *ne quilibet in suum pergentibus servitium ullatenus prohibere audeat,* (mansionaticum seu) *mansionem,* locum, in quo diverterent. IDEM *lib.* 3. *cap.* 39. *De Missis nostris discurrentibus, vel cæteris propter utilitatem nostram iter agentibus, ut nullus eis mansionem contradicere præsumat.* Nec dicendum est, in iis omnibus locis mansiones accipi pro civitatibus, & oppidis Missaticorum; nam constat, mansionis verbum proprie de domo & habitatione accipi, unde vox illa nostra *maison*; & mansionem ab oppido & civitate distingui, *in l.* 35. *Cod. Theod. de cursu publ.* Nec tantum mansionatica iis præstabantur, cum in præcipuo Missatici sui loco morabantur; sed etiam *in via*, ut est *in d. cap.* 17. seu cum propter utilitatem publicam hinc inde proficiscebantur, *d. Can.* 42. *Remensis Concilii*, iis debebantur *paratæ*, id est mansiones cum expensis: sicut & *veredi*, aut *paraveredi*, seu *paravereda*, passim in *Capitular.* CAROLI M. in ejus diplomate, apud SIGONIVM, *lib.* 4. *de Regn. Ital. ad an.* 802. posterior ætas dixit *Palafredos.*

Denique unum illud ad eorum Conjecta pertinere videtur, & ad ipsa Mansionatica, quod CAROLVS M. habet *lib.* 4. *cap.* 66. *Vt Missi nostri ubicumque, aut Episcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocumque honore præditum invenerint, qui justitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipsius*

rebus

rebus vivant, quamdiu in eo loco juſtitias facere debent. Et in *cap.* ſequenti: *Sed ibi moras faciant, ubi juſtitia, vel minus, vel negligenter facta eſt.* IDEM *lib.* 5. *cap.* 204. *Si Comes in ſuo miniſterio* (in ſuo territorio) *juſtitias non fecerit, Miſſis noſtris de ſua cauſa, vel de ſuis xeniis ſerviat, uſque dum juſtitiæ ibi factæ fuerint. Et ſi vaſſus noſter juſtitias non fecerit, tunc & Comes, & Miſſus noſter ad ipſius caſam ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitias faciant.* De ſuis xeniis, id eſt, de ſuis honorariis, ut interpretatur LINDEBROGIVS *in ſuo Gloſſario.*

De iis Tractoriis & Manſionibus agitur etiam *in utroque Cod.* nec dicendum, *Tractorias* eſſe tributum, quod nobis hodie dicitur *les Traites;* nam *Tranſituras* appellari palam eſt, ex *lib.* 4. *Capitul.* CAROLI M. *cap.* 59.

CAPVT XVII.

Eorum adventus in Miſſatica. Legationis publicatio.

DE adventu Proconſulis in provinciam agit VLPIANVS, *in l.* 4. §. 3. *D. de offic. Proconſ. & Leg.* ejus exemplo hic breviter de adventu Miſſorum Dominicorum in Miſſatica. Cum advenerant, honorifice ſuſcipiendi erant ait CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 16. *infin.* Et jubet *in cap.* 26. *Vt ſtatim Conventum habeant in duobus aut tribus locis, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire poſſint; & omnibus generaliter notum faciant, qualis ſit eorum Legatio:* vel ut eſt in *Capitulari* 2. LVDOVICI PII, *quænam ſint Legationis ſuæ Capitula, ad quid a Principe Miſſi fuerint:* quod etiam ſæpius cautum reperitur *in Capitulis* CAROLI CALVI. Sic enim cum in provinciam aliquam veniunt novi quidam Magiſtratus, palam & publice codicillos ſuos a Principe acceptos recitare, & in acta publica referre debent: tum ut de eorum poteſtate apud omnes conſtet; tum etiam, ut ita omnibus innoteſcat, quænam ſit voluntas Principis, & quam in formam, quem in modum perducenda ſit ad effectum. Vnde cum Honorius & Theodoſius Impp. voluiſſent, ut Marcellinus V. C. Tribunus, & Notarius huic Collationi præeſſet, quæ Carthagine habenda erat inter Catholicos & Donatiſtas; Marcellinus ſtatim jubet recitari ſanctionem Imperialem (qua nempe Collatio illa permittebatur, & huic præficiebatur Marcellinus) ut in quem modum, in quam formam ſuſcipienda eſſet cognitio, ab omnibus poſſet adverti. Sicque non immerito Chriſtianiſſimi Reges jubebant olim, ut Miſſi Dominici Legationem ſuam notam facerent; præcipue vero Comitibus, Epiſcopis, & aliis Magnatibus, ut de eorum poteſtate conſtaret.

Cum ſemel venerant in ſua Miſſatica, hunc illuc diſcurrere non poterant; ſed certam habebant manſionem, ut ſuo loco videbimus. CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 26. *Ipſi vero Miſſi non ſine certiſſima cauſa, vel neceſſitate huc illucque diſcurrant, niſi forte quando tale aliquid in cujuslibet miniſterio ad legationem ſuam pertinente ortum eſſe cognoverint, quod eorum præſentia indigeat, & ſine illorum conſilio, vel adjutorio emendari non poſſit.*

CAPVT XVIII.

Non ſint oneri. De eorum Subdelegatis.

SIcut Proconſul non debet onerare provinciam, *l.* 4. *in princ. D. de off. Proconſ.* ita & LVDOVICVS PIVS *in tertio Capitulari cap.* 4. §. 1. *apud* SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 466. *Primo injungendum eſt Miſſis, ut hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum profectione oneri ſint, ne forte quibus ſubvenire debuerint, adflictionem inferant.* Ea pridem conſtituerat CAROLVS M. *in quibuſdam Capitulis,* apud *eumdem* SIRMONDVM, *ibidem pag.* 158. *Vt bona, quæ aliis per verbum ſuum docent facere, factis in ſe ipſis oſtendant.* Et mittebantur ad faciendam juſtitiam, ad ſublevandos pauperes & oppreſſos, ad cohibendam potentiorum violentiam; ut ſuis quibuſque locis videbimus. Ea nihil aliud ſpirant, quam humanitatem & clementiam; unde CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitularibus, tit.* 1. *in princ.* vocat eos *Reipub. ſolatiatores,* quod populis ſolatio eſſe deberent. Iis adde, quæ dicturi ſumus infra *in cap. ult. & pen. & alibi paſſim.*

Sicut vero in Iure Civili Delegatus a Principe, alium ſubſtituere poteſt in ſuum locum, *l.* 5. *Cod. de Iudic.* ita & Miſſi Dominici vices ſuas aliis etiam demandare poterant, cum forte ubivis & quibuslibet negotiis illi ipſi ſupereſſe non poſſent. Sed Chriſtianiſſimi Reges volebant, ab iis non allos ſubſtitui poſſe, quam viros probos, qui nec etiam oneri eſſent Provincialibus. LVDOVICVS PIVS *in Capitulari tertio* jam toties laudato *cap.* 27. §. 3. *Vt in omni Comitatu bi, qui meliores & veraciores inveniri poſſunt, eligantur a Miſſis noſtris ad inquiſitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & ut adjutores Comitum ſint ad juſtitias faciendas.* Eadem ipſa exſcribuntur *in additione quarta Capitularium cap.* 106.

DE MISSIS DOMINICIS AD IVSTITIAM.

CAPVT PRIMVM.

Primum & nobilius eorum officium in facienda juſtitia.

CVm de officio Iudicum aut Magiſtratuum agitur, eo nomine veniunt, quæ facere debent & poſſunt: nam officium eſt id, quod aliquis efficere debet, ait M. TVLLIVS, *lib.* I. *de Invent. cap.* 5. eſt etiam ἐξουσία, *poteſtas*, ut eſt *in* GLOSSIS NOMICIS. In hoc Capite videndum breviter, quodnam fuerit officium Miſſorum Dominicorum. Generaliter quidem CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 17. exponit, quænam ſit eorum cura. *Vnuſquiſque*, inquit, *in ſuo Miſſatico maximam habeat curam ad prævidendum, & ordinandum, ac diſponendum ſecundum voluntatem Dei, & ſecundum juſſionem noſtram.* Sed nobilius & præcipuum illud eorum munus erat, ut unicuique jus ſuum redderent, aut tribuendum curarent; & hinc hodie dicuntur *Intendans de juſtice.*

In facienda autem juſtitia (iis temporibus vulgaris erat ea loquendi formula, ſicut & *diſfacere juſtitiam*, pro impedire, in *Capitularibus* CAROLI M. *lib.* 3. *cap.* 26.) tum primum habebant in mandatis, ut Regiam juriſdictionem tuerentur. CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 14. *in fine: Et Miſſi noſtri caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium ſubtrahant noſtram juſtitiam, alteri tradendo, aut commendando.*

Quantum ad quoslibet ſubditos, duobus præcipue continebatur judiciaria illa poteſtas. Primum erat, ut illi ipſi juſtitiam facerent. CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 26. ait, *ad hoc conſtitutos eſſe Miſſos Dominicos, ut unuſquiſque per eorum auxilium juſtitiam acquirat.* In EIVS *Capitulis anni* 789. apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 157. *Curent Miſſi Dominici, ut nullus glorietur per injuſtitiæ rationem, aut conquirere aliquid, aut continere.* Vetus CHRONICON MOISSIACENSIS MONASTERII *ad an.* 802. ait Carolum Magnum Miſſos Dominicos miſiſſe per univerſum regnum, *qui cuncto populo juſtitias facerent.* Cumque Pipinum filium conſtituiſſet Italiæ Regem, Legatos etiam Regios, ſeu quod idem eſt, Miſſos Dominicos in eo regno conſtituit, ad juſtitias faciendas, ait ADO VIENNENSIS *in Chronico, ætate ſexta.* Quale eſſet eorum officium, eleganter deſcribit FLODOARDVS *lib.* 2. *Remenſ. Hiſtoriæ cap.* 18. *Tilpinum ſequitur VVlfarius, qui ab Imperatore præfato magno Carolo Miſſus Dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante Epiſcopatum conſtitutus ſuper totam Campaniam.* Nec multo poſt: *Et ut undecumque neceſſe fuiſſet, tam Regias, quam Eccleſiarum Dei juſtitias, viduarum quoque & orphanorum, ſed & cæterorum hominum inquireret, ac perficeret.* Ac tandem EGINARDVS *ad an.* 814. ait, *Carolum M. in Aquiſgran. Concilio Legatos miſiſſe in omnes regni ſui fines, ad juſtitias faciendas.*

Idem etiam ſanctiſſime præſtitit LVDOVICVS PIVS. Sic enim *Ejus vita & actus ad an.* 824. *Statutum eſt juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes poteſtatem, juſtitiam omni populo facerent.* Idem ANNALES FVLDENSES, & THEGANVS *n.* 9. & ille ipſe, *lib.* 6. *Capitular. cap.* 212. *in fine*, meminit Miſſorum Dominicorum, quos in qualibet provincia ordinavit ad juſtitias faciendas. Ac tandem CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitulis apud Piſtas c. XI. Vt Comites & Miſſi noſtri pacem & juſtitiam in ſuis miniſteriis faciant, & juſte omnes ſub Dei reſpectu judicent. In Capitulis apud Tuſiacum, cap.* 12. *Vt Miſſi noſtri juſtitias, quantum temporis qualitas permiſerit, omnibus indigentibus faciant.* LOTHARIVS & CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Valentianas cap.* 1. *de Miſſis directis per regnum, ut populus pacem & juſtitiam habeat.* Eo munere *Iuſtitiarii* fungebantur in Anglia, de quibus late SPELMANNVS *in Gloſſario.*

Alterum caput illud eſt, ut juſtitiam ab aliis faciendam curent. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 12. jubet, *ut Miſſi Dominici inquirant, qualiter Comites juſtitiam dirigant & faciant.* IDEM *in* LEG. LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 52. *cap.* 2. *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitiam non fecerit, tunc Miſſus noſter de hac cauſa ſonare faciat.* LINDEBROGIVS ait *in veteri Gloſſario, ſonare*, eſſe *inquirere*, & alii volunt, eſſe *vocare*, ut eo caſu Miſſus Dominicus in eum Comitem inquirere, & eum ad ſe vocare potuerit. Addit: *Et ſi vaſſus noſter juſtitiam non fecerit, tunc Comes & Miſſus noſter in ipſa cauſa ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitiam faciat. In cap.* 19. *Vt in illius Comitis miniſterio, qui bonas juſtitias factas habet, Miſſi noſtri non diutius morentur, neque illic multitudinem convenire faciant; ſed ibi moras faciant, ubi juſtitias, vel minus, vel negligenter factas invenerint.* PIPINVS *in cap.* 21. *ibidem: Vbicumque Miſſi noſtri, aut Epiſcopum, aut Comitem, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocumque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eodem loco juſtitiam facere debent.*

Epiſcopi ad Cariſiacum, *in Epiſtola ad Ludovicum Germaniæ Regem cap.* 14. *in fine* rogant eum, *ut tales Miſſos per regnum conſtituat, qui ſciant, qualiter Comites, & cæteri Reip. miniſtri juſtitiam & judicium populo faciant.*

CAPVT II.

Conventus aut Placita totius regni.

VT Miſſi Dominici venerant in ſua Miſſatica, jam *ſupra* oſtendimus, ſtatim eos habuiſſe Conventum, in quo Legationis ſuæ tabulas ſub oculis omnium, & aperto velo recitari curarent. Conſtat etiam, ab iis poſtmodum plures quotidie habitos fuiſſe Conventus, ad ſuæ juriſ-

jurisdictionis exercitionem. Sed cum iis temporibus omnia fere graviora totius regni negotia expediri solerent in Conventibus aut Placitis, non tam forte inconveniens erit, si quædam de majoribus illis regni Conventibus breviter in hoc Capite præmittantur: tum vero præcipue, quod in iis ad relationem Missorum Dominorum pleraque Capitula aut Edicta fierent, quæ iis tradebantur in Missaticis exequenda.

In LEGIBVS ALEMANNORVM *tit.* 36. Conventus & Placita sic distinguuntur, ut illi non ita sæpius aut frequentius habeantur, ac Placita: sed in hoc tractatu duo illa promiscue usurpantur: vel forte dici potest, Conventum nobis esse hodie *l'assemblée des Etats du Royaume, ou d'une Province:* Placita *les Plaids ou Assises*. Quidquid sit, in Capitularibus Regum nostrorum, & aliis ejus ævi monumentis, vix unquam ea duo distinguuntur. Et tamen sicut Missaticum, ita & Placitum pro iis aliquando sumitur, quæ in eo ordinata sunt, ut in *Capitulis* CAROLI CALVI *tit.* 20. Rem igitur altius repetere juvat, & expendere breviter, quomodo iis temporibus regni status variis illis Conventibus, aut Placitis gubernaretur. HINCMARVS REMENSIS *in admonit.* 14. *ad Proceres regni pro institutione Carolomanni Regis cap.* 12. ex libro ADALHARDI *Corbejensis Abbatis, de ordine Palatii*, fusius docet, quænam esset regni gubernandi ratio Caroli M. temporibus. Primo quidem sapientissimis Consiliariis muniebatur sacrum Principis Palatium. Secundo, ut totius regni status conservaretur secundum suam qualitatem, consuetudo tunc temporis talis erat, ut non sæpius, sed bis in anno Placita duo tenerentur: unum, quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spatium, quod ordinatum non nisi urgente necessitate mutabatur: in eo Placito generalitas universorum majorum, tam Clericorum, quam Laicorum conveniebat; tam Seniorum, quam Minorum. Aliud Placitum habebatur cum Senioribus tantum, & præcipuis Consiliariis; in quo definiebantur & ordinabantur nova illa negotia, quæ post generale Placitum emerserant, aut utique imminebant, nec differri poterant in aliud tempus. In utroque illo Placito interrogabantur Missi Dominici, quid unusquisque ex illa parte regni, qua veniebat, dignum relatu, vel retractatu secum afferret: si populus in qualibet regni parte, regione vel angulo turbatus, quæ causa turbationis esset. In utroque Reges congregatis Proceribus ordinata Capitula, vel ad conferendum, vel ad considerandum dabant, interdum diu, uno interdum biduo, interdum etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat. Ea excussa Principi exponebant, & quidquid data a Deo sapientia ejus eligeret, omnes sequebantur. Et hæc totidem fere verbis excerpta ex eo HINCMARI *loco*, paucis expendamus.

Primo generalium regni Conventuum meminit. Multa ex iis sub PIPINO & CAROLO M. habitis exscribit SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall.* in quibus agitur de gravioribus bellis eo tempore grassantibus; quomodo & qua ratione iis prospiciendum; de bello decernendo contra rebelles; de divisione regni inter Regales liberos; de utilitate regni; de salute patriæ; de utilitate Francorum; de infidelitate rebellium; de dissidiis potentiorum; de civitatum munitionibus. In actis eorum Conventuum, & apud eos Scriptores, qui eorum meminerunt, illi dicuntur aliquando *Synodi regales*, *Placita publica*, *generales populi Conventus*, ut *in epigraphe Consilii Compendiensis*, & in ANNALIBVS FVLDENSIBVS, *passim*. Capitula illa, quæ in iis fiebant, dicebantur *Synodalia*, ut olim ex REGINONE diximus, id est, in publicis Conventibus edita, ut etiam addidimus ex SIRMONDO. Multa etiam *Capitula* CAROLI CALVI ex iis Conventibus exscripta sunt apud SIRMONDVM, *tom.* 3. *Concil. Gall.* & in *Capitulis ejus Principis*. Generale Placitum CAROLI M. prope Noviomagum describit POETA SAXONICVS *lib.* 1. *Annal. de gestis Caroli M. ad an.* 777. Ejus etiam meminerunt METENSES FRANCORVM ANNALES *ad eum annum*. Generalis quoque Placiti meminit LVPVS ABBAS, *in epist.* 18. Nihil omnino frequentius occurrit in veteribus Francorum Annalibus, quam Placita publica & generalia, quam generales aut publici Conventus; qui etiam sub prima stirpe Regia *ob regni utilitatem annuatim celebrabantur*, ut habet *Fragmentum historicum Auctoris incerti*, *apud* QVERCETANVM, *tom.* 1. *hist. Franc. pag.* 784. nec in eam rem alia congerere mens est.

Sæpius haberi solebant in Campo. EGINARDVS *ad an.* 767. sic habet: *Pipinus Conventum more Francico in Campo egit*: quod quidam hodie vertunt, *à la Campagne*. Haberi solebant etiam mense Martio: unde *Campus Martius* apud GREGORIVM TVRON. *l.* 5. *c.* 29. & FREDEGARIVM *ad an.* 761. & *Campus Madius*, aut *Campus Majus*; quod illi Conventus habiti sint mense Martio, in Campo, & postmodum mense Majo. Sane aliquando aliis temporibus habebantur, nova quadam necessitate urgente; sed ea deficiente cessabant, nec unquam mutabatur, quod in iis ordinatum fuerat, ut jam diximus. Ad ea vocabantur *omnes regni Optimates*, ait *Chronicon* S. ARNVLPHI, *ad ann.* 767. *Duces*, *Comites*, *tam Episcopi*, *quam Sacerdotes*, ut est in quadam *Collectione historica*, quam exscribit HEINR. CANISIVS *lib.* 6. *in fine*. Generalitas majorum & minorum tam Clericorum, quam Laicorum, ut supra HINCMARVS *c.* 29.

Secundo meminit alterius singularis Conventus, qui *privatum Placitum* dicitur in *epigraphe Capitularis tertii a* LVDOVICO PIO *editi*, apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 463. & colloquium cum regni Proceribus, ut in *quibusdam* CAROLI CALVI *Capitulis* occurrit. Huic aderant tantum Seniores & præcipui Consiliarii, ait ibidem HINCMARVS *cap.* 30. In eo tractabantur ea negotia, quæ post generale Placitum emerserant, nec ullam dilationem aut moram patiebantur. Ex *Capitulis* CAROLI CALVI pleraque quibusdam hujusmodi Conventibus adscribuntur. Generales totius regni Conventus fere abierunt in desuetudinem, & hodie remansit sacrum aut regale illud Placitum, quod constat tantum ex Senioribus, & præcipuis Consiliariis, quodque nobis hodie dicitur *le Conseil Privé*.

Denique in utroque illo Conventu, & publico & privato, interrogabantur Missi Dominici de statu suorum Missaticorum, & ad eam interrogationem Capitula seu Edicta & Constitutiones fiebant, quæ Missis Dominicis dabantur, ut publicarentur & observarentur in Provinciis. CAROLVS M. *lib.* 5. *cap.* 254. *Si quid vero fuerit, unde dubitetur, ad proximum Placitum nostrum, quod cum ipsis Missis habituri sumus, interrogetur*. SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 467. quædam Capitula LVDOVICI PII exscribit, quæ considerata, & scripta, vel ordinata sunt ad interrogationem aliquorum Missorum, quæque fere omnia occurrunt etiam *lib.* 5. *Capitularium*. *Vita* LVDOVICI

VICI PII apud QVERCETANVM *tom.* 2. *Hiſt. Gall.* paſſim habet, eum in publico Conventu Miſſos Dominicos de ſtatu regni renuntiantes audiiſſe. HINCMARVS *in admonitione* 14. *ad Proceres regni, cap.* 25. *& 36. Cumque hujuſmodi Miſſi ad Patatium redierant, Rex eos interrogabat, quid dignum relatu ex provinciis adferrent*, &, ut diximus, ad eas interrogationes & reſponſiones fiebant Capitula, quæ a Miſſis Dominicis ferebantur in Miſſatica.

CAPVT III.

De Placitis Miſſorum Dominicorum.

ERant etiam Conventus aut Placita Miſſorum Dominicorum, & quidem diverſi generis. De primo actum eſt, quo nempe ſub oculis omnium Legationem ſuam referebant in acta publica. Poſtea quolibet anno generalem Conventum indicere & habere tenebantur, de omnibus negotiis in eo tractaturi, quæ quoquomodo ad publicum Miſſatici, aut Provinciæ ſtatum pertinerent. De eo CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 28. *Itaque volumus, ut medio menſe Majo conveniant ſidem Miſſi, unuſquiſque in ſua Legatione, cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Vaſſis noſtris, Advocatis noſtris, ac Vicedominis Abbatiſſarum, nec non & eorum, qui propter aliquam inevitabilem neceſſitatem ipſi venire non poſſunt ad locum unum. Et ſi neceſſe fuerit propter opportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maxime propter pauperes, populi, idem Conventus habeatur, qui omnibus congruat: & habeat unuſquiſque Comes Vicarios & Centenarios ſuos ſecum, nec non & de primis Scabineis ſuis tres aut quatuor. Et in eo Conventu primum Chriſtianæ Religionis & Eccleſiaſtici Collatio fiat. Deinde inquirant Miſſi noſtri ab univerſis, qualiter unuſquiſque illorum, qui ad hoc a nobis conſtituti ſunt, officium ſibi commiſſum ſecundum Dei voluntatem ac juſſionem noſtram adminiſtret in populo.* Et paulo poſt: *Si aliqua talis cauſa ad eorum notitiam perlata fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, tunc volumus, ut ex noſtra auctoritate illud corrigere ſtudeant.* IDEM *lib.* 4. *cap.* 71. *Vt omnis Epiſcopus, Abbas & Comes, excepta infirmitate, vel noſtra juſſione, nullam excuſationem habeat, quin ad Placitum Miſſorum noſtrorum veniat: aut talem Vicarium ſuum mittat, qui in omni cauſa pro illo reddere rationem poſſit.* Iis omnibus præerat Miſſus Dominicus, *c'étoit l'homme du Roy.* Ac tandem in eo generali Conventu Miſſi Dominici juramentum fidelitatis a populo exigebant, *lib.* 3. *cap.* 88. ejuſque rei exemplum exſtat *in Mallo Remis habito*, quod exſcribit SIRMONDVS *poſt Capitula* CAROLI CALVI *apud Attiniacum.* Et illi ſunt cujuslibet provinciæ Conventus, nobis hodie *les Etats de la province*, qui pertinebant tantum ad publicum illius ſtatum, & publicam illius ordinationem; quæque in iis ordinata fuerant, Regi a Miſſis renuntiabantur.

Alii adhuc Conventus ab iis habebantur ad jus ſuum unicuique tribuendum. De iis CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 83. *Volumus, ut propter juſtitias, quæ uſque modo de parte Comitum remanſerunt, quatuor tantum menſibus in anno Miſſi Dominici Legationes ſuas exerceant, id eſt in Hieme Ianuario, in Verno Aprili, in Æſtate Iulio, in Autumno Octobrio.* Et hinc forte fluxit, quod hodie majores Aſſiſiæ regales quater in anno habeantur in multis Galliæ Conſuetudinibus, præſertim in noſtra *Andegav. artic.* 64. *Cæteris vero menſibus unuſquiſque Comitum Placitum ſuum habeat, & juſtitias faciat. Miſſi autem noſtri quater in uno menſe, & in quatuor locis habeant Placita ſua cum illis Comitibus, quibus congruum fuerit, ut ad eum locum poſſint convenire.* Illi ſolemnes erant ſeſſionum dies, quibus Miſſi Dominici pro tribunali ſedebant; & iis aderant aut adſidebant Scabini ſeu Iudices civitatis, ut videre eſt in ea *veteri Charta*, quam exſcribunt SAMMARTHANI FRATRES, *in Mauronto Maſſil. Epiſcopo.* Et forte quatuor illi Conventus, dies erant majorum Aſſiſiarum, ut hodie loquimur, quibus adeſſe tenebantur *omnes Reipublicæ aut Provinciæ Miniſtri, Vaſſi Dominici, Vaſſi Comitum, omnes quicumque, & quorumcumque homines*, (ſujets) *in iiſdem Parochiis, vel Comitatibus commanent ſine ulla perſonarum exceptione, vel excuſatione*, ait CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitulis, ex Synodo Cariſiaca cap.* 2. Epiſcopi admonere & demonſtrare debebant, ut quilibet ea Placita obſervare teneretur, IDEM *in Capitulis apud S. Quintinum.* Ita tamen, *ut Miſſi Dominici ſervos, colonos, & pauperes mallare non poſſent*, ut habet EIVSDEM *Edictum in Cariſiaco*, id eſt, ad eos Conventus vocare.

Liberi etiam homines (nobis forte *Gentils-hommes*) *tria tantum generalia Miſſorum Placita obſervare tenebantur, niſi aut accuſarent, aut accuſarentur, aut vocati eſſent ad dicendum teſtimonium*, ait LVDOVICVS PIVS *in ſuis Capitulis anno* 15. *Imperii ſui editis*, quæ totidem verbis exſcribuntur *lib.* 4. *Capitularium cap.* 57. Cumque ibi laudat genitoris ſui, nempe CAROLI M. Conſtitutionem, ea exſtat *in cap.* 51. *lib.* 3. *eorumdem Capitular.* ubi etiam excipitur de liberis hominibus, *niſi cauſam ſuam adquirere debeant, aut reſpondere.* Et Vaſſi Comitum & Scabinei adeſſe tenebantur, & Decani & Centenarii, ut in eodem *Remenſi Mallo*, & alibi paſſim, id eſt, minores Iudices, qui per Decanias aut Centenas jus dicebant ſub Comitibus. Eoque forſan referri poſſunt Septenæ Bituricenſes, & Quintenæ Andegavenſes ſub Præpoſitis, qui olim proprie Iudices erant Comitum.

Et ſacri Canones & Regum noſtrorum Capitula prohibent paſſim, ne Placita diebus Dominicis, vel feſtivis habeantur; nec in domibus & atriis Eccleſiarum, nec in ipſis Eccleſiis, nec in domibus Presbyterorum. Et CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 57. jubet, *ut in locis, ubi Mallos publicos habere ſolent, tectum tale conſtituatur, quod in hiberno, & in æſtate obſervatum eſſe poſſit.* Et hinc hodie in quibuslibet civitatibus exſtant Baſilicæ, nobis *Palatia*, in quibus quilibet Iudices jus dicere tenentur. Eligebant quidem in quibus Miſſatici ſui locis ſua vellent habere Placita, ſed tamen ab iis abſtinere debebant: & CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 68. addit, *ut ea non teneant in illius Comitis miniſterio ſeu territorio, qui in aliquod Miſſaticum directus eſt, donec ipſe reverſus fuerit, ut cauſa, quæ adhuc coram Comite non fuit, & is, qui ſe reclamat, propter ſuam ſtultitiam aut contumaciam Comitem inde appellare noluit, iterum Comiti commendetur.* Nec enim æquum erat, jure ſuo privari Comitem, qui ſacra vice alibi fungebatur: & ideo rationi conveniebat, *ut ſe ab eo Miſſatico excondiceret*, inquit HINCMARVS in *Epiſtola ad Nepotem*, id eſt, excuſaretur: juſta erat ea *ſunnis*, ut loquebantur auctores illius ævi, quod *patria lingua* exoniam *appellari*, ait idem HINCMARVS *in Epiſtola ad Carolum Regem*, nobis adhuc *Exoine*.

A judicis illis Miſſorum Dominicorum Conventibus omnes fere viri docti eos fluxiſſe volunt, qui poſtmodum appellari cœperunt *Eſchiquiers*,

quiers, a verbo Germanico *Schicken*, *mittere*, quod ita judices mitterentur in quasdam provincias. Sed ut ejus verbi notatio ad Missorum nostrorum tempora propius accedat, dici forte potest, ita illud appellari *a Scacbo*, quod *in Capitulis* CAROLI CALVI, & in LEGIBVS LONGOBARDORVM est *adsalitura*, *deprædatio*, *latrocinium*, unde *Scachcator* iisdem etiam est *latro*, *deprædator*. Ratio conjecturæ ea est: quod olim Missi Dominici præcipue mitterentur in provincias, ut latronibus eas purgarent, qua de re suo loco plus satis; & hinc a Francis hominibus, *des Gentilshommes*, & a Centenariis seu minoribus Iudicibus juramentum illud exigere solebant, *ut iis Missis non celarent, sed statim manifestarent ea Scachca, eos Scachcatores*: ejus juramenti formula exstat *in Capitulis* CAROLI CALVI *apud Sylvacum*: ita & postmodum in quibusdam provinciis Scachcaria illa, *ces Eschiquiers*, ad tempus instituta sunt, & quidem ei plane fini, ut eas malis hominibus purgarent: & hinc eidem bono publico fluxerunt tandem *les Grands jours*. Forte etiam *Scacarium* ab Anglis exportatum est in Normanniam (in qua frequentius occurrunt *de Eschiquiers*) pro fisco vel ærario Regio, pro tribunali fisci, apud MATTHÆVM PARIS passim, & in CHRONICO BECCENSI *ad ann.* 1281. ubi occurrunt *Præsidentes & Magistri Scacarii Paschæ apud Rothom.*

CAPVT IV.

Placita Comitum & minorum Iudicum.

DEnique *Placita Comitum*, *& minorum Iudicum*, pertinebant etiam ad curam Missorum Dominicorum. Olim Comites vel illi ipsi jus dicebant, ut jampridem diximus, nec pigeat insigne illud exemplum afferre de quodam Comite, cujus meminit AVCTOR VITÆ S. VVALARICI ABBATIS, apud QVERCETANVM *tom.* 1. *hist. Franc. pag.* 562. *Qui juxta sæculi morem concioni præsidebat, quod rustici Mallum vocabant, & ibi jus dicebat*. Vt plurimum iis adsidebant septem Consiliarii, qui eo tempore dicebantur *Racimburgii* (vox Germanica, quasi Iudices Burgenses, aut Iudices civitatis apud VOSSIVM *de vitiis sermonis lib.* 2. *c.* 16.) aut Scabini. Et erant *adjutores Comitum ad justitias faciendas*, ut est *in addit. quarta Capitular. c.* 106. *in fine*. Septem, inquam, sic enim habent LEGES SALICÆ *tit.* 52. §. 2. *Tunc Grafio* (id est Comes) *congreget secum septem Racimburgios*. Sic *Capitular. lib.* 3. *cap.* 40. *Vt nullus ad Placitum banniatur* (vocetur) *nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet, exceptis Scabineis septem, qui ad omnia Placita præesse debent*. Et ita hodie in Curiis Præsidialibus saltem adsidere debent *septem Consiliarii*, ut aliquid summo jure & appellatione remota definiant. Vel etiam Comites quosdam habebant Iudices, qui passim ab iis instituti eorum nomine juri dicundo præerant, *Scabini*, *Decani*, *Centenarii*, *Racemburgii*, de quibus passim *in Capitularibus*, *in veteribus formulis*, *& apud æquales Auctores*. Quodque observandum, uno tantum casu a Comitibus ad Regem provocatio erat, *si justitiam facere nollent*: LVDOVICVS PIVS *in additione quarta cap.* 115. *in fine*. *Pour déni de justice*.

Comites Placita sua iis tantum mensibus tenere poterant, quibus sua non habebant Missi Dominici, CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 83. Cumque sacri Canones, & ejusdem Capitularia prohibuissent, *ne Placita in atriis & exitibus Ecclesiarum & Presbyterorum mansionibus tenerentur, nec Dominicis & festivis diebus*, *Canon.* 39. *tertii Turon. Concilii*, *& Capitularium additione tertia cap.* 91. CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Suession. act.* 7. *cap.* 7. & *apud Carisiacum cap.* 12. jubet, *ut Missi Dominici Comitibus & Reip. Ministris præcipiant Capitulare illud perducere ad effectum*: Et *in cap.* 8. *ibid.* addit, *ut Comites sua Placita non teneant a quarta feria ante initium quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria usque post octavas Paschæ, nisi de concordia & pacificatione discordantium: similiter etiam a quarta feria ante Nativitatem Domini, usque post Consecratos dies: nec non in jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus*. REGINO ABBAS *lib.* 2. *de Eccles. discip. cap.* 318. Capitulare illud adscribit *Concilio apud S. Medardum*, sed idem est ac secundum Suessionense Concilium, quod in Suession. Monasterio S. Medardi habitum est sub Carolo Calvo. Quinam vero sint dies Consecrati post Nativitatem Domini, docet CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 35. nempe quatuor dies. Ita Imperatores in indiculis majorum feriarum, addunt sanctos dies, qui præcedunt & sequuntur, in *l.* 2. *Cod. Th. de feriis*. Et hinc observandum, ipsos etiam Principes constituisse olim, quinam dies festi colerentur: Et de rogationibus, de quibus supra, insigne exemplum exstat *in homilia* AVITI VIENNENSIS *de rogationibus apud* SIRMONDVM.

Quia vero sæpius eveniebat, ut Franci seu liberi homines, aut eorum Advocati varia variorum Comitum Malla & Placita observare tenerentur; quod forte in variis eorum Comitatibus haberent tenementa, nec ad ea omnia Malla concurrere possent, *Edicti Pistensis cap.* 32. cautum est sub CAROLO CALVO; *ut alter ex iis Comitibus Mallum haberet die Lunæ*, *alter die Iovis*, & ita distinctis sessionum diebus. *In fine* additur, *Missum Comitis debere ita Mallum suum tenere*, *ut ejus Barigildi* (*Huissiers*, *Sergens*) *& Advocati*, *qui in aliis Comitatibus rationes habent*, *ad suum Mallum concurrere possint*. Vult etiam *idem* CAROLVS, ut Missi Dominici meliores & veraciores eligant, qui adjutores sint Comitum ad justitias faciendas, *in Capitulis ad Carisiacum cap.* 11.

Observanda sunt autem ea LVDOVICI PII verba, *lib.* 4. *Capitular. cap.* 28. *Minora vero Placita Comes, sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat*. Intra suam potestatem, id est, intra sui territorii fines, vel ubi impetrare potuerit, nempe ab ipso Rege: & hinc hodie *obtenir en Chancellerie lettres d'abbreviation par emprunt de territoire*, cum nempe aliquis extra suum feudum Placita sua tenet. Additur: *Volumus utique*, *ut domus a Comite in loco*, *ubi Mallum tenere debet*, *constituatur*, *ut propter calorem solis*, *& pluviam publica utilitas non remaneat*. Ea exscribuntur & laudantur in *Capitulis* CAROLI CALVI *apud Carisiacum in fin.* ubi Mallum a Placito ita distinguitur, ut illud sit publicus majorum causarum Conventus, Placitum sit minorum. Et idem CAROLVS jubet, *in Capitulis post secundam Synodum Suessionensem c.* 7. *Vt Comes convenientem locum consideret & inveniat*, *ubi stationem ad Mallum tenendum constituat*. Locus ille appellatur *Mallobergium*, *in* LEGE SALICA *tit.* 56. quasi habitatio Malli: *Bergium*, habitatio, apud SPELMANNVM *in Glossario*. Ac tandem Remensis & Rothomag. provinciæ Clerici a CAROLO CALVO petunt, *ut Comites constituat*, *qui Placita non pro acquisitione lucri teneant*; ea Epistola exstat *in* EIVS *Capitulis tit.* 27. *cap.* 12. Ac nisi Placita sua observarent in suis Comitatibus, ab ipsomet Principe coercebantur;

tur; *niſi apud eum præſtito juramento probarent, ea ſibi tenere non licuiſſe propter ejus ſervitium*, ut eſt *in Appendice tertia ad lib. 4. Capitul. cap. 4.*

Ac tandem Decani, Centenarii, Vicarii, *Viguiers*, & alii quidam inferiores aut minores Iudices Placita ſua tenebant ſub Comitibus. Et paſſim dicebantur *Miniſtri Reipubl.* ut nominatim docent *Secundi Cabilonenſis Concilii Patres Can. 21.* ſub CAROLOMANNO *Miniſtri Comitis, qui habebant & Regis & Comitis auctoritatem*, ait CAROLOMANNVS *in Capitulis ad Vernum Palatium, cap. 9. in fin.* Et hinc juramentum præſtabant Miſſis Dominicis, CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Sylvacum cap. 13.* ſicut & hodie Iudices Comitum, aliorumve Seniorum jurant apud Judices regios, cum ab iis recipiuntur.

CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 79.* jubet, *ut nullus homo in Placito Centenarii, neque ad mortem, neque ad ſuam libertatem amittendam judicetur, aut ad res reddendas, vel mancipia; ſed in præſentia ſuorum Miſſorum*, ut jam olim diximus. IDEM fere *in Capitulis Aquenſibus Caroli M. anno decimo Imperii cap. 2. Vt ante Centenarium & Vicarium de proprietate, & libertate judicium non terminetur aut acquiratur, niſi ſemper in præſentia Miſſorum Imperialium, aut in præſentia Comitum.* Et ita minores illi Iudices vix de aliis rebus vel cauſis cognoſcebant, quam de actionibus perſonalibus. Petit quidem HINCMARVS REMENS. *in Epiſt. 15. cap. 15.* ut id genus Iudices plurima Placita conſtituant; ſed cum ſæpius ea tenerent propter cupiditatem & avaritiam potius, quam propter faciendam juſtitiam, LVDOVICVS PIVS *in Capitulis anno quinto ſui Imperii editis c. 12.* illud omnino prohibuit, & juſſit, *eos tantum manniri*, id eſt vocari ad ea Placita, *qui litem in iis peragendam haberent: Et ab iis, qui non venirent, manninas, aut bannos non exigerent, ſeu mulctas.* Hoc jam antea juſſerat CAROLVS M. *lib. 4. cap. 57. in fine. Vt ad ea Placita, quæ Centenarii tenent, non alius venire cogatur, niſi qui aut litigat, aut judicat, aut teſtificatur.* SIRMONDVS *tom. 2. Concil. Gall. pag. 473.* hoc refert inter Capitularia LVDOVICI PII, & in fine addit: *& quicunque hujus Conſtitutionis tranſgreſſor a Miſſis noſtris inventus fuerit, bannum noſtrum perſolvat*, id eſt mulctam regiam.

Cum ita olim minores illi Iudices Placita ſua ſæpius tenere non poſſent, & quidem propter eorum cupiditatem & avaritiam, atque etiam, ne ita ſuos homines vexarent: hinc omnino fluxit, quod ſcriptum legitur in noſtra CONSVETVDINE ANDEGAV. *articulo 64. Les Seigneurs Barons & Chatelains pourront faire tenir leurs Aſſiſes à quatre fois l'an: & les hauts, moyens, & bas Iuſticiers pourront faire ſemblablement tenir leurs Plaids quatre fois l'an, & non plus.*

CAPVT V.

De quibus rebus & cauſis cognoſcerent Miſſi Dominici.

EA tantum expendere juvat in hoc capite, de quibus ſingularia capita non dedimus. Miſſi Dominici, & in ſuis Placitis, & de plano multa poterant exequi; & Provinciales apud eos agere, vel per ſe, vel per procuratorem: ſi modo illud a Principe, aut forte etiam ab iis impetraſſent. Sæpius autem cognoſcebant de gravioribus negotiis, quæ apud minores Iudices expediri non poterant.

Primo igitur CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 79.* voluit, *ut nullus homo, vel ad mortem, vel ad libertatem amittendam, vel ad res reddendas, vel mancipia judicetur, ſed in præſentia Comitum, vel Miſſorum Dominicorum.* Hoc etiam legitur *in appendice 2. ad lib. 4. Capitular. cap. 27.* & *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib. 2. tit. 52. cap. 3.* & inter præcipua Legationis capita illud eſt, *ut juſtitiam faciant de rebus & libertatibus injuſte ablatis, lib. 4. Capitular. cap. 44.* Sicque cognoſcebant de criminibus capitalibus, de quæſtione ſtatus, & de reſtitutione ſpoliatorum: de qua ultima luculentum exemplum exſtat apud FLODOARDVM, *lib. 3. Rem. Hiſt. cap. 27. in princ.*

Secundo, de quibuſdam ex delegatione Principis, ſeu quorum definitio ad eos a Principe rejecta erat, *des renvois du Conſeil.* CAROLVS M. *lib. 2. cap. 26. Et quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos* (Miſſos Dominicos, de quibus ibi) *poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere.* Sic etiam ſi quis in præjudicium tertii præceptum Regium obtinuiſſet, illud examinare poterant, an juſtitiam impediret, necne, *Appendix tertia ad lib. 4. Capitular. cap. 2.*

Tertio, de judicio familiæ erciſcundæ, ſeu de diviſione hæreditatis: Vel enim ea exilis, aut minus locuples erat, vel opima. Primo caſu apud Comitem, aut ejus Miſſum facienda erat, *Capitularium lib. 4. cap. 19.* Sed ſi opima eſſet, cohæredes ipſum Principem adire poterant, qui vel ad eos exæquaret, vel inter eos divideret hæreditatem, aut eos rejiceret ad Miſſos Dominicos. Ejus diviſionis, exæquationis, & delegationis formulam exſcribit MARCVLFVS, *lib. 1. cap. 20.* & exemplum exſtat apud eundem FLODOARDVM, *lib. 2. cap. 4.* ubi Lupus, vir nobilis, frater Ducis, *multas poſſeſſiones inter liberos ſuos æqualiter dividendas reliquit*, de ea æquali hæreditatis diviſione inter nobiles locus elegans: & addit: *De qua diviſione pari jure regenda præceptum obtinuerat regale, Partages en juſtice:* quorum etiam vetus exemplum videre eſt apud GREGORIVM TVRON. *lib. 9. c. 33.*

Quarto, de alienatione bonorum pupillarium, ut non fiat niſi ſumma neceſſitate urgente, LEGES LONGOBARD. *lib. 2. tit. 29. cap. ult.* Et de venditione ſervorum, q^r liter fiat, *ibidem tit. 30.*

Quinto, de adoptionibus; ſic enim CAROLVS M. *earum Legum lib. 2. tit. 16. cap. un.* conſtituit, *ut qui legitimum filium non habeat, alium extraneum adoptare, & ſibi hæredem facere poſſit apud Miſſum Dominicum: eique adhuc in vivis agens bona ſua tradere ſub lege victus & veſtitus.* Ejus adoptionis formulam exſcribit MARCVLFVS, *lib. 2. cap. 13.*

Sexto, de iis litibus & negotiis, quæ in ſolis Parlamentis peraguntur hodie interpoſita appellatione tanquam ab abuſu, ut docet D. DE MARCA, *lib. 4. de Concord. Sacerd. & Imp. cap. 7. num. 6. & 8.*

Denique, quidam volunt, eos cognoviſſe de appellationibus a ſententiis Comitum. CIRONIVS *ad tit. de appellat. in fin. lib. 2. Decretal.*

CAPVT VI.

Secundum quam legem jus dicerent: & an appellatione remota.

VVlgare eſt illud EGINARDI, *in vita Caroli M. cap. 29. Nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diverſas.* Quænam illæ fuerint, anxie diſputatum eſt; ſed tandem omnibus fere placuit, aliam *Romanam*, aliam eſſe

esse legem *Salicam*. Hinc passim *in Capitularibus Regum nostrorum*, unicuique jus dicendum est secundum legem suam; atque etiam unicuique licitum erat, profiteri, sub qua lege vivere vellet, quamdiu esset in rebus humanis, ut fusius docet CIRONIVS *lib. Vi c. 9.* Sed potissimum personæ & res Ecclesiasticæ secundum legem Romanam judicandæ erant, nec quid frequentius in *Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ*, & in *Capitularibus*. Ac præterea quædam regiones solam hanc legem servabant; ideoque Missi Dominici utraque illa lege uti solebant in suis Missaticis. Luculentum ejus rei exemplum exstat apud ADREVALDVM Caroli M. σύγχρονον, *lib. 1. de miraculis S. Benedicti cap. 25.* Vbi cum Iudices legis Salicæ, res Ecclesiasticas sub lege Romana constitutas discernere non possent, *visum est Missis Dominicis, Placitum Aurelianis mutare, ubi adfuerunt legis (Romanæ) Doctores, cum quibus litem illam definierunt.*

Aliud exemplum exstat apud ANONYMVM, *in vita* LVDOVICI PII *ad An.* 837. ubi omnes Septimaniæ Nobiles ab eo Imperatore petierunt, ut tales Missos in suam terram dirigeret, qui & potestate, & prudentia de ablatis æquo libramine penderent, & avitam iis legem conservarent, id est, Romanam, ut pluribus probat DADINVS ALTASERRA, *lib. 3. rer. Aquitan. cap. 9.* Ac tandem cum CAROLVS CALVVS *in Edicto Pistensi cap. 20.* jussit, *in iis regionibus judicari secundum legem Romanam, in quibus ea observatur; in cap. 35.* subjicit, *se in eas directurum Missos Dominicos, qui curarent eam jussionem adimpleri.* Et *in Capitulis apud Tusiacum cap. 6.* jubet, *ut præcepta Regia de commutationibus rerum Ecclesiasticarum a Missis Dominicis ad eum mittantur signata, sicut lex Romana præcipit.*

Ea plus satis docent, legem Romanam a Missis Dominicis inter eos observatam esse, qui huic subditi erant: quod autem inter alios, & in aliis regionibus judicare tenerentur secundum legem Salicam, & Regia Capitula (*quæ Franci pro lege tenenda decreverunt in generali Placito*, ait CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Carisiacum cap. 8*) nemo sanus inficias ire potest: hoc passim in iis videre est; Vnum illud pro omnibus ad utramque legem. CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Carisiaca cap. 4. Missi quoque legales sententias, sicut eas cognitas habent, adnotent, & prædecessorum nostrorum Regum, atque Imperatorum, nostraque Capitula in unum collecta omnibus nota faciant.* Nec dubitaverim, eos etiam probe novisse sacros Canones, cum eos ad effectum perducere tenerentur, ut suis quibusque locis videbimus.

Denique videndum breviter, quibus lex illa Romana constaret iis temporibus. Sub prima stirpe Regia, atque etiam sub Carolo M. solus Codex Theodosianus in Gallia cognitus erat, & sic eo solo lex Romana continebatur. Sed sub CAROLO CALVO Codex & Novellæ Iustiniani prodierunt. Constat quidem, in Occidente ignotos fuisse Pandectarum libros usque ad Irnerium, sub tertia stirpe: sed a temporibus CAROLI CALVI Codex & Novellæ omnium manibus teri cœperunt. HINCMARVS REM. *in Epistolis & in Opusculis* eas laudat. In eam rem videndus ALTASERRA *ibidem*, CIRONIVS *in Observationibus Iuris Canonici*, & ANTONIVS DOMINICV *in libello de Prærogat. Allodiorum.* Imo & dici potest, jam sub LVDOVICO PIO cognitas fuisse Iustiniani Novellas ex versione Iuliani Antecessoris, cum ex iis quædam capita totidem verbis exscripta sint in ultimis Capitularium libris, qui fere toti sunt Ludovici Pii.

Nec omittendum, sæpius eos judicasse appellatione remota. LVDOVICVS PIVS *in tertio Capitulari, num. 7. cap. 14.* apud SIRMONDVM *tom. 2. Concil. Gall. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri aut Comites eis justitias facere noluerint.* Eadem etiam exstant *in addit. 4. cap. 115.* quod nobis est, *se pourvoir contre un deni de justice.* Et ab ipsis Comitibus appellabantur Missi Dominici, ut suo loco videbimus, & ita verius est, eos summo jure judicasse, cum ad vicem Regis mitterentur, ut est *in Appendice secunda ad lib. 4. Capitular. cap. 25.*

CAPVT VII.

Iudices, Scabinos, Advocatos, Notarios constituebant.

IVdices & Scabini promiscue usurpantur passim: cumque in provinciis constituendi essent, Missis demandata erat ea cura, ut eos eligerent, iis deferrent juramentum, eos coercerent, ac destituerent. CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 33.* præcipit, *ut Missi Dominici Scabinos, Advocatos & Notarios per singula loca eligant, & eorum nomina, quando reversi fuerint, secum scripta deferant.* LVDOVICVS PIVS *in addit. 4. cap. 105. & 106.* eandem Iudicum electionem imperat Missis Dominicis, sicut & CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Carisiacum cap. 9. & 11.* Sed quod etiam hodie observatur, diligentiorem inquisitionem faciebant in mores, in eruditionem, & in gentem. *In eod. cap. 106. Vt in omni Comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri possunt, eligantur a Missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & adjutores Comitum sint ad justitias faciendas.* Vtramque hanc additionem confirmat CAROLVS CALVVS *laudato loco*, & SIRMONDVS eam tribuit LVDOVICO PIO *in ejus Capitulari tertio.* LOTHARIVS IMP. IN LEGIBVS LONGOBARD. *lib. 2. tit. 53. cap. ult.* sic habet: *De Iudicibus ut inquirantur, si nobiles & sapientes, & Deum timentes constituti sint.* Nec multo post: *Vbi autem tales non sint, a Missis nostris constituantur: quod si viles personæ & minus idoneæ ad hoc constitutæ sint, ejiciantur.* Prudentissima lex, ut a judicandi munere vilioris conditionis homines arceantur; vix enim est, ut qualescumque tandem illi fuerint, generosos habeant eos spiritus, quos bonum Iudicem habere decet. Aliquando etiam Comes suos Iudices eligebat & instituebat; & hinc AGOBARDVS *Lugdun. Archiep. in Epistola ad Matfredum*, eo nomine laudat Bertmundum Comitem suum, quod optimos Iudices constitueret.

Cum electi erant illi Iudices, Missi Dominici juramentum ab iis exigere solebant; vix enim injurati Iudices juri dicundo præesse & sententiam dicere possunt. LVDOVICVS PIVS *in d. cap. 105. Vt Missi nostri, cum electi fuerint Iudices, jurare faciant, ut scienter injuste judicare non debeant.* LOTHARIVS IMPER. *in d. cap. ult. Et jurent*, (nempe Iudices) *ut juxta suorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus, vel humana gratia justitiam non pervertant, nec differant. Vbi autem tales non sint, a Missis nostris constituantur, & idem Sacramentum facere cogantur.*

Ac tandem Missi Dominici malos Scabinos ita coercent, ut eos ejiciant, & in eorum locum totius populi consensu bonos eligant, *d. cap. 105.*

vel eos ad præſentiam Regis venire compellant, *cap.* 107. *ibid.* eadem etiam CAROLVS CALVVS *laudato loco cap.* 10.

Advocatos etiam conſtituebant, *d. cap.* 33. Et hoc non tantum de iis intelligendum, qui protectores & defenſores erant Eccleſiarum, Epiſcoporum, & Abbatum, quique a Principe poſtulari ſolebant, de quibus olim ex profeſſo egimus, *ad titulum de jure patron.* ſed etiam de cauſidicis, qui aliorum cauſas aut lites in jure judicioque orarent. Sic in utroque illo ſenſu Advocati accipiuntur *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 47. & paſſim *in Capitularibus*. Quamvis autem ita in quolibet loco eligerent Advocatos, non ideo tamen dicendum eſt, ab iis certum eorum numerum in quolibet Comitatu inſtitutum fuiſſe; nam *in Edicto Piſtenſi cap.* 32. *in fin.* Advocati unius Comitatus in alio advocatione fungi poterant. Iis temporibus nemo cauſas alterius nomine in foro agere poterat, niſi ex permiſſu Principis: Sane quilibet Procuratorem ſibi conſtituere, quem vellet, eique mandatum dare poterat, ex quo apud omnes, vel etiam apud Miſſos Dominicos negotia ſua gereret, ejuſque mandati formula exſtat *inter veteres formulas* MARCVLFI *Lib. II. c.* 31. & 178. *apud* LINDEBROGIVM. Sed ut ille Procurator in jure judiciove agere poſſet, opus erat conceſſione Principis, cujus formulam exſcripſit MARCVLFVS *lib.* 1. *cap.* 21. ad quam doctiſſimus interpres H. BIGNONIVS plerasque notatu digniſſima congeſſit. Sed ſine plagio prætermittere non poſſumus legem primam, *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 52. *Si quis cauſam alterius agere aut cauſare præſumpſerit, in præſentia Regis aut Iudicis* (*excepto ſi Rex aut Iudex ei licentiam dederit*) *de viduis, aut de orphanis, aut de tali homine, qui cauſam ſuam agere non poteſt, componat Vvirgildum*, id eſt mulctam. *Et ſi forſitan aliquis per ſimplicitatem ſuam cauſam* (hæc etiam Marculfus) *agere neſcit, veniat ad Placitum; Et ſi Rex aut Iudex præviderit, quod veritas ſit, tunc debeat ei dare hominem, qui cauſam ipſius agat.*

Sicut vero inſignis ea lex non ita generaliter Iudicibus Longobardis concedit, ut omnibus permittat, quorumlibet cauſas in judicio agere, ſed miſerabilium tantummodo perſonarum, & eorum, qui per ſimplicitatem, ſeu imperitiam eas agere non poſſent: ita & cum noſtra CONSVETVDO ANDEGAV. *art.* 40. habet, *les moiens juſticiers peuvent donner procuratons par non puiſſance*, nec etiam generaliter accipienda eſt: nam quo tempore a Carolo VII. redacta eſt in ſcriptis, receptum jus illud erat in tota Gallia, *que nul en demandant eſt receu par procureur ſans grace du Roy noſtre Sire, dont il face apparoir par Lettres patentes*, ut eſt *in* SVMMA RVRALI *tit.* 10. Sed ab eo jure communi exceptio illa invaluit in Andegav. provincia, ut etiam Iudices, mediam juſtitiam habentes, iis Procuratorem dare poſſint, qui vel etiam cum præcepto Regio habere, aut invenire non poſſent. Sicque articulus ille ad eam Edicti partem referendus videtur, qua Prætor ait, ſe iis omnibus daturum eſſe Advocatum, qui vel ex certis cauſis, vel adverſarii potentia & ambitione, vel metu invenire non poſſint, *l.* 9. *in fin. D. de offic. Proconſ.* & *l.* 1. §. 4. *D. de poſtul.* Vnde in eo articulo illi Procuratores junguntur tutoribus & curatoribus, qui ab iis Iudicibus dantur ad tuendos eos, qui ſe defendere, & Procuratores conſtituere non poſſunt.

Denique Miſſi Dominici conſtituebant Notarios, *d. cap.* 33. id eſt, ſcribas, actuarios Iudicum, vel etiam hodie tabelliones, de quibus *in eod. cap. ult.* LEGVM LONGOBARD. *Similiter & Notarii legibus eruditi, & bonæ opinionis conſtituantur*, (a Miſſis Dominicis, de quibus ſtatim antea) *& juſjurandum præbeant, ut nullatenus falſitatem vel colludium ſcribant. Et qui hoc feciſſe præterito tempore inventus fuerit, præſentialiter damnetur.*

CAPVT VIII.

Cognoſcebant de rebus Eccleſiaſticis.

LVculentiſſimum iſtius rei exemplum occurrit apud ADREVALDVM Caroli M. æqualem, &, ut volunt, cognatum, *lib.* 1. *de miraculis S. Benedicti cap.* 25. ubi cum de ſervis Eccleſiaſticis lis orta eſſet inter Advocatum, *advoué*, Floriacenſis Monaſterii, & Advocatum S. Dionyſii, colliguntur ab utriuſque partibus plurimi legum Magiſtri & Iudices, qui pro partibus decertarent. Præterea huic Placito aderant Miſſi a latere Regis, Ionas Epiſcopus Aurelian. & Donatus Comes Milidunenſium: ſed cum litem in eo Placito finire nequirent, eo quod Salicæ legis Iudices eccleſiaſticas res, ſub lege Romana conſtitutas, diſcernere perfecte non poſſent, viſum eſt Miſſis Dominicis, Placitum Aurelianis mutare; ut nempe ibi Doctores & Magiſtros legis Romanæ invenirent, cum eo tempore nulli eſſent Pariſiis. Aliam fere ſimilem controverſiam apud Miſſos Caroli M. agitatam continet vetus quædam Charta, quam exſcribunt SAMMARTHANI FRATRES, *in Mauronto Maſſil. Epiſcopo* 12.

Sic etiam cum eodem tempore illi ipſi Monachi S. Dionyſii quaſdam poſſeſſiones in pago Pictavenſi, Andegavenſi, & Lemovicino ſibi reddi poſtularent; Carolus M. Miſſis Dominicis juſſit, ut de ea re cognoſcerent, & eam reſtitutionem curarent. Integrum diploma exſtat apud BELIVM, *inter Probationes hiſtoriæ Pictavenſis pag.* 227. Cumque ita Clerici res Eccleſiaſticas vindicare ſolerent apud Miſſos Dominicos, jam antea conſcripta erat vetus formula ejus vindicationis, quæ inſcribitur *Notitia de terra evindicata, inter veteres formulas in Appendice* MARCVLFI *cap.* 7. ubi nominatim de rebus Eccleſiaſticis, eaque vindicatio fiebat apud eos Miſſos.

Curabant, ne contra ſtatuta ſervitium de Manſis Eccleſiaſticis (*des terres bâties appartenantes à l'Egliſe*) exigeretur, *lib.* 5. *Capitular. cap.* 100. aut aliquis cenſus contra immunitatem, CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Sylvacum cap.* 2. Apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 244. exſtant *Capitula* quædam CAROLI M. quæ Miſſis Dominicis data dicuntur: In eorum *cap.* 5. ſic habet: *De Decimis & Nonis, atque Caſtitia Eccleſiarum Dei, ut omnes dare & emendare ſtudeant.* Nefas eſſet, ea relinquere intacta. Et primo quidem de Decimis.

In Capitularibus Regum noſtrorum, & in Conciliis eorum tempore habitis in Gallia, *Decimæ*, quantum etiam ad Miſſos Dominicos, aliquando in vulgari acceptione occurrunt pro his Decimis, quas quilibet Chriſtiani ex ſuis bonis Deo & Eccleſiæ ſolvant: Vt *lib.* 5. *Capitular. cap.* 101. ubi *Si populus Decimas dare nolit, niſi quolibet modo ab eo redimantur, nec Epiſcopum, nec Comitem audire velit, aut ad præſentiam venire compellendus eſt, aut diſtringendus*, nempe a Miſſis Dominicis: nam SIRMONDVS caput illud refert inter *Capitula* LVDOVICI PII *ad interrogationem Miſſorum edita, tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 468. ubi etiam Caput illud

illud sextum exscribitur, quod est de iis Decimis: *Quicunque Decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam dari debet, eamque ad alteram Ecclesiam dederit, a Comite, vel a Misso nostro distringatur, & ejusdem Decimæ quantitatem cum sua lege restituat:* quod etiam exscriptum est *in addit. Capitularium c.* 100.

Sed ut nihil nobis excidat de iis capitibus; cum *in d. cap.* 101. *Populus dare non vult Decimas, nisi ab eo redimantur*, ejus rei explicatio repetenda videtur *ex lib.* 2. *Capitular. cap.* 21. *in fine*, quod etiam laudat & exscribit LVDOVICVS PIVS *laudato loco: nisi ab eo redimantur*, id est, nisi Parochiales Presbyteri argumentum pro iis Decimis accipere compellantur; *si les Dîmes ne sont abournées & payables en argent:* Sed *dictum Capitulum* 21. manifeste ostendit, illud fieri non posse, nisi mutuo consensu & Episcopi aut Parochi, & ejus, qui eas dare debet. Sic enim habet eo loci: *Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit* (nempe pro Decimis, de quibus ibi agitur) *in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi, qui hoc persolvere debet, convenerit:* Et ita inviti Presbyteri Decimas accipere non tenentur in pecunia numerata.

Verum sæpius ac sæpius in iisdem Capitularibus & Conciliis Decimæ ad ipsam etiam Ecclesiam pertinentes aliter omnino accipiuntur: nempe pro censibus, quos rerum Ecclesiasticarum possessores ipsis Ecclesiis præstare tenebantur ad rationem Nonæ & Decimæ; quod quomodo evenerit, docet *Epistola Episcoporum Remensis & Rothomag. provinciæ, a Synodo apud Carisiacum missa ad* LVDOVICVM *Germaniæ Regem. cap.* 7. quam integram exscribit SIRMONDVS *tom.* 3. *Concil. Gal. pag.* 117. & inter *Capitularia* CAROLI CALVI *tit.* 27. Norunt omnes, sub finem primæ stirpis Regiæ, & initium secundæ gravissima bella, & civiles tumultus exarsisse per totam Galliam, & Reges multas possessiones Ecclesiasticas sibi vindicasse in opem & adjutorium: atque etiam Potentiores, & Milites multas usurpasse, ita ut sensim desererentur Ecclesiæ, & in iis divinum cessaret officium. De ea re sæpius conquesti sunt Ecclesiæ Gallicanæ Patres. In *Concilio Liptinensi sub* CHILDERICO *III. ad ann.* 743. *Can.* 2. *Placuit, ut qui res Ecclesiasticas tenerent* (quas nondum Ecclesiæ reddere poterant Principes, propter urgentia bella) *singulis annis de unaquaque casata, seu de quolibet prædio solidum, seu duodecim denarios ad Ecclesiam aut Monasterium solverent, unde res illæ erant beneficiatæ, seu in feudum acceptæ, easque res in precarium retinerent usque ad finem eorum bellorum:* quod etiam statuit CAROLVS M. *in quodam Capitulari, tit.* 1. apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 230.

Aliud Liptinense Concilium sub Pipino Rege voluit, ut præter eum solidum Nonæ & Decimæ quotannis præstarentur ipsi Ecclesiæ, ad quam olim pertinuerant ea prædia. *Concilium apud Saponarias sub* CAROLO CALVO, *an.* 859. *Can.* 13. Nonas & Decimas interpretari videtur, quintam esse partem redituum ex prædiis Ecclesiasticis, ut docet D. DE MARCA *in sua Bearnensi Historia, lib.* 1. *cap.* 28. De iis Nonis & Decimis sæpius agitur in *Capitularibus* & *veteribus Conciliis Galliæ*, nec omnino confundendæ sunt cum iis Decimis, quas hodie vocamus *infeodatas*.

Nostræ igitur Nonæ & Decimæ ex rebus Ecclesiasticis pertinebant etiam ad curam Missorum Dominicorum. CAROLVS M. *in iisdem Capitulis, quæ Missis Dominicis data sunt, in principio* jubet, *ut curent Nonas & Decimas ex rebus Ecclesiasticis præstari iis Ecclesiis, unde res illæ beneficiatæ fuerant.* In aliis *ibidem pag.* 245. *de Decimis & Nonis, ut omnes eas dare & emendare studeant.* In aliis *pag.* 467. *& seq. Vt qui eas solvere neglexerint, a Missis Dominicis ad Palatium venire compellantur.* Cumque Nonæ & Decimæ illæ essent potissimum ad reparationem Ecclesiarum, quibus debebantur, CAROLVS M. *lib.* 4. *Capitular. cap.* 40. jubet, *ut solvantur ex frugibus prædiorum Ecclesiasticorum, & ex nutrimine animalium, quæ ad Ecclesiam pertinebant, ut Missi Dominici cura impendantur ad opus & restaurationem ejus Ecclesiæ.* Et *tertii Turon. Concilii Patres, in Can.* 46. petunt a CAROLO M. *ut Nonæ & Decimæ illæ cura Missorum Dominicorum solvantur ad luminaria, & stipendia Clericorum* ejus Ecclesiæ, ad quam res beneficiatæ pertinuerant.

CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Suession. action. 7. cap. 6.* jubet: *Vt Missi Dominici cum omni diligentia inquirant in eas Nonas & Decimas, in earum debitores, & in eos, qui solvere nolint, ut ad suam præsentiam venire compellantur.* In *Capitulis apud Tusiacum cap.* 10. *Vt Missi Dominici Capitularia Caroli M. & Ludovici Pii de iis Nonis & Decimis exequantur.* Adde *secundum Suession. Concilium, Can. 6. tertium Valentinum, Can.* 10. *Compendiense Capitulare*, quod non ita pridem edidit BALVZIVS *ad calcem operis Lupi, Abbatis.* Denique Missi Dominici curabant, eas solvi non tantum ex prædiis rusticis, sed etiam ex animalibus, ex sylvis, & castitiis Ecclesiæ, quæ olim ab ea in precariam, aut in beneficium sub eo censu data fuerant, ad quem propius accedere videntur hodierni reditus agrarii, *rentes foncieres*. Et Missi Dominici alios census Ecclesiæ debitos curabant ei solvi, *in Capitulis ad Sylvacum cap.* 2. & *in Edicto Pistensi. cap.* 2.

Secundo *Castitia Ecclesiarum* quidam volunt esse quædam ædificia ipsis Ecclesiis adhærentia, SIRMONDVS, SPELMANNVS, & VOSSIVS, & hic putat, Castitia sic appellari a casa. Sed forte conjicerem, Castitiam nihil aliud esse, quam locum munitum, & custoditum, a verbo *castrum*. Sic enim in *Capitulis* CAROLI CALVI, *ex Synodo Suession. cap. 6. apud* SIRMONDVM, *pag.* 89. cavetur, *ut res Ecclesiasticæ in Castitiis, vel sylvis custoditis salvæ maneant.* Et apud EVNDEM *pag.* 127. Episcopi Remensis & Rothomag. provinciæ petunt, *ut Missi Dominici villas Regias moderatis Castitiis ædificent:* & passim in *Capitularibus* Castitiæ, vel Castitia villis & casis opponuntur, nec quid aliud videntur, quam castra, munitiones, aut ædes tutissimæ. Constat enim, Ecclesiam habuisse olim hujusmodi castra, & quidem contra infestationes paganorum, prædonum, & militum, in quibus Clerici tutius agerent, & reponerentur sacræ reliquiæ, sacra vasa, & ornamenta Ecclesiastica. Ad eas Castitias, ad ea castra pertinet *caput tertium Ex. de præb.* & receptam hanc consuetudinem probare juvat ex ENNODIO TICIN. *in Epigram.* 110. ex FORTVNATO PICTAV. *lib.* 3. *Carminum, cap.* 10. ex FLODOARDO, *lib.* 4. *Remens. Historiæ cap.* 1. 13. & 19. Ejusque rei pleraque vestigia exstant in hac etiam nostra civitate, ubi omnes fere Abbatiæ rurales quasdam habent ædes, in quas belli aut tumultus tempore olim confugiebant Monachi. Ea Castitia curabant etiam Missi Dominici, ut jam probavimus *ex cap.* 279. *lib.* 5. *Capitular.* quibus adde *Synodum Suession. act.* 7. *cap.* 6. apud SIRMONDVM *tom. III. Concil. Gall. pag.* 89.

In hoc etiam Capite agendum de beneficiis, de quibus adhuc acturi sumus, ubi de vectigalibus.

bus. Ea nihil aliud erant, quam feuda: cumque in Capitularibus Regum noſtrorum, in Conciliis eorum tempore habitis, συγχρόνως auctoribus, *beneficia Eccleſiæ*, *beneficia caſæ Dei*, *beneficia Eccleſiaſtica* occurrunt, hoc accipiendum non eſt de iis beneficiis, quæ Clerici hodie habent in titulum; ſed ea ſunt prædia Eccleſiaſtica, quæ vel etiam laicis data ſunt in feudum. Vnde cum in LEGIBVS ALEMANNICIS *tit.* 2. dicitur, *a Paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſcipere*, poſtea dicitur *ſuſcipere in feudum:* & iis temporibus non modo Paſtores aut Prælati, ſed etiam Reges, Principes Eccleſiaſtica prædia militibus dabant in beneficium, in feudum, propter operam bene navatam in regnum, in Eccleſiam, ut pluribus probant FILESACVS, BIGNONIVS *in notis ad* MARCVLFI *formul. lib.* 2. *c.* 5. & THOLOSANVS *Archiepiſc. in Syntag. Iur. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 3. Sed quia placuit tandem, ut illi beneficiarii quoſdam cenſus, puta Nonas aut Decimas, eorum prædiorum nomine præſtarent Eccleſiæ; vel etiam quia ejus intererat, eos habere & ſervare vaſſallos, ideo ſæpius cautum eſt, ut Miſſi Dominici ea beneficia curent, imbrevient, ſeu deſcribant, eorum inventaria faciant. CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 80. & 82. CAROLVS CALVVS *in Capitulis Synodi Sueſſion. act.* 7. *cap.* 3. jubet, *ut Miſſi Dominici diligenter requirant de caſis Dei in beneficium datis, atque etiam de Capellis & Abbatiolis in beneficium datis, qualis cenſus inde exeat, ut Eccleſia, de qua ſunt, exinde veſtituram habere poſſit.* In *Capitulis poſt reditum a Conſluentibus, in fin. Vt Miſſi Dominici admoneant de beneficiis deſtructis, tam ex Repub. quam ex rebus Eccleſiaſticis.* Sed tandem Eccleſiæ Gallic. Patres ſæpius ac ſæpius petierunt a Regibus, ne amplius Eccleſiæ aut eorum bona darentur in beneficium.

Cognoſcebant etiam de alienationibus rerum Eccleſiaſticarum. Primo igitur cum earum commutationes, aliæve quælibet alienationes abſque licentia & conſenſu Regis fieri non poſſent, CAROLVS CALVVS *in Capitulis Synodi Sueſſion. in fin.* mandat ſuis Miſſis, *ut per ſua Miſſatica illud denuntient.* Secundo LVDOVICVS PIVS *lib.* 5. *Capit. cap.* 110. ſic habet: *Vbicumque commutationes legitimæ & rationabiles, atque utiles Eccleſiis Dei factæ ſunt, permaneant; ubicumque vero inutiles, & incommodæ, atque irrationabiles factæ ſunt, diſſolvantur,* (nempe a Miſſis, ad quos ea Capitula miſſa fuiſſe docet SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall.*) *& recipiat unuſquiſque quod dedit. Vbi vero mortua manus interjacet,* (quales erant glebæ adſcripti, homines conditionales,) *aut alia quælibet cauſa, quæ rationabilis non eſſe videatur, inventa fuerit, diligenter deſcribatur,* (nempe a Miſſis,) *& ad noſtram notitiam perferatur.* Ea exſcripſit CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Tuſiacum cap.* 6.

Denique *in* 2. *Synodo Sueſſion. ſub* CAROLO CALVO exſtat ille titulus, *Mandata Miſſis Dominicis per regnum directis data*, & in iis fere omnibus cognitio de rebus Eccleſiaſticis nominatim Miſſis illis demandatur. Eaque omnia exſcribuntur etiam in *ejuſdem Capitulis*, *tit.* 9. & de iis adhuc *tit.* 15. nempe *in Capitulis apud Attiniacum cap.* 10. & 11. unde nihil omnino frequentius, quam ea cognitio. Quodque obſervandum, cognoſcebant tantum vel de bonis temporalibus Eccleſiarum, vel de diſciplina Eccleſiaſtica, cujus utriuſque cognitio ad Regios Iudices ſemper in Gallia pertinuit. Et ſic *Patres Synodi ad Teudonis villam*, *cap.* 4. ſcribunt, *Carolo Calvo commiſſas eſſe res Eccleſiæ ad tuendum, defenſandum, & propagandum: & ut curet de honore & cultu Dei, atque ſanctarum Eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione & tuitione Regii regiminis conſiſtunt.* Sicut & *ipſe* loquitur, *in Conventu in villa Colonia*, *cap.* 1.

CAPVT IX.

De reparationibus Eccleſiarum.

COnſtat, quartam partem redituum Eccleſiaſticorum ſartis tectis Eccleſiarum deputatam olim fuiſſe ab antiquis Eccleſiæ Gallicanæ Patribus; Hiſpanicæ vero tertiam: unde pars illa dicebatur aliquando *fabricalis*. Cum autem deſtructæ erant Eccleſiæ, ipſi quidem Epiſcopi in ſuis viſitationibus diligenter exquirere debebant, quibus unaquæque Eccleſia reparationibus indigeret, *Can. Decernimus & ſequentibus aliis*, 10. *q.* 1. in quibus potiſſimum ſequenda erat eorum voluntas, *lib.* 2. *Capitular. cap.* 22. Sed Chriſtianiſſimi Reges voluerunt, ut etiam Miſſi Dominici de iis inquirerent, ac cognoſcerent. In *lib.* 4. *Capitular. cap.* 40. *De opere vero vel reſtauratione Eccleſiarum Comes, & Epiſcopus cum Miſſo Dominico, quem ſibi ipſi ad hoc elegerint, conſiderationem faciant, ut unuſquiſque eorum tantum inde accipiat ad operandum & reſtaurandum, quantum ipſe de rebus Eccleſiarum habere cognoſcitur*; Tantum inde accipiat, id eſt, tantum illius operis & reſtaurationis in ſe avertat & ſuſcipiat. Addit: *Similiter & Vaſſi noſtri, aut in commune tantum operis accipiant,* (ſuis ſumptibus faciendum,) *quantum rerum Eccleſiaſticarum habent: vel unuſquiſque per ſe juxta quantitatem, quam ipſe tenet.* REGINO ABBAS, *lib.* 1. *de Eccleſ. diſcipl. cap.* 37. Capitulum illud adſcribit LVDOVICO PIO.

IDEM *Imperator*, *lib.* 5. *c.* 275. inſignem hanc diſtinctionem inducit de Eccleſiis deſtructis: *Vt Epiſcopi & Miſſi inquiſitionem faciant, utrum per negligentiam, aut per impoſſibilitatem deſtructæ ſint: & ubi negligentia inventa fuerit, cogantur hi, qui eas reſtaurare debuerant: ſi vero per impoſſibilitatem contigerit,* (puta quod propter vetuſtatem, aut aliam vim majorem earum ruina prævideri & impediri non potuerit,) *& aut plures ſint Eccleſiæ, quam neceſſe ſit, aut majoris magnitudinis, quam ex rebus ad eas pertinentibus reſtaurari poſſint, Epiſcopus modum inveniat, qualiter congrue emendari & conſiſtere poſſint.* Hoc SIRMONDVS refert inter Capitula LVDOVICI PII, *ad interrogationem quorundam Miſſorum edita*, *tom.* 2. *Concilior. Gallic. pag.* 467. & poſtea *cap.* 9. indicat, a quibus reparandæ ſunt Eccleſiæ, ab iis nempe, qui res Eccleſiarum habent in beneficium, ſeu in feudum, de frugibus terræ, & animalium Eccleſiæ, juxta quantitatem earum rerum, quas tenent: a Regiis etiam vaſſallis, qui aliquid earum rerum habent: & illi omnes aut fructus, aut pecuniam ſolvant ad arbitrium Epiſcopi, aut Abbatis, & Comitis cum Miſſo Dominico, *cum quo pretio Rector Eccleſiæ ad prædictam reſtaurationem operarios conducere, & materiamen emere poſſit.* Ea exſcribuntur *ex eod. lib.* 4. *cap.* 40. Quæ alibi occurrunt de beneficiis deſtructis, ad Eccleſias non pertinent, ſed ad feuda, ut olim diximus. Atque etiam Miſſi Dominici conſulebant deſtructis Monaſteriis, ut ſuo loco videbimus.

Ex iis duo breviter obſervanda ſunt: Alterum eſt BALVZII *ad eundem Reginonis locum*, ut qui hodie tenent Decimas infeodatas, quique conſtitutas penſiones habent ſuper Eccleſiaſtica beneficia, illi omnes pro ſua quiſque portione ad reparationes Eccleſiarum teneantur, ſaltem ad eas, quæ

quæ per impoſſibilitatem contigerint. Nec ab iis plurimum abeſt ſententia PROBI, *ad Proœmium Prag. ſanct.* ubi Parochus ad omnes Eccleſiæ ſuæ reparationes tenetur, ſi omnes illius obventiones percipiat. Sed ſi Procuratores fabricæ bona quædam habeant, ex iis faciendæ ſunt, quod ea detracta intelligantur ex bonis Parochi, & ad eas deputata: ac tandem ſi bona fabricæ non ſufficiant, & Parochus ſit locuples, ut eas ille ſupplere debeat ex Eccleſiæ ſuæ reditibus. Alterum eſt, quod ex iis Capitulis edita videatur vulgaris ea juris noſtri regula, cum de reparationibus Eccleſiarum agitur, *illud eſſe omnino Regiæ Iuriſdictionis:* & ratio ea eſt, quia ſemper ex earum temporalibus faciendæ præſumuntur, eaque ſæpius pignori capienda ſunt, quod a ſolis Iudicibus Regiis explicari poteſt, quippe qui ſoli de beneficiorum temporalitate cognoſcere poſſint. Et hinc cum *Tridentini Patres ſeſſ.* 21. *cap.* 8. cognitionem de reparationibus Eccleſiarum dediſſent Epiſcopis, hoc in Gallia nunquam admiſſum eſt: nam Carolus VI. jam olim decreverat, eam cognitionem ſuis Iudicibus ab antiquo competiiſſe, quod a Miſſis noſtris repeti jure poteſt.

CAPVT X.

De Cauſis Clericorum.

SÆpius variarunt Romanorum Principum Conſtitutiones, an, & quando publici ſeu ſæculares aut Regii Iudices de Clericorum cauſis cognoſcere poſſint. Omnes illas leges ſigillatim expendere non eſt iſtius loci; unumque illud obiter obſervare juvat, non aliter eas revocari poſſe in concordiam, quam ſi juris progreſſus, & varia mens eorum Principum exactiſſime attendatur. Videamus breviter, an & quatenus ad Miſſos Dominicos locus ille pertineat. Statim vero præmittenda eſt inſignis ea diſtinctio, quæ hodie adhuc obtinet, utrum Clericus conveniatur, aut agat actione in perſonam, aut actione in rem. Altius ea repetenda eſt ex celeberrima Conſtitutione CAROLI M. quæ exſtat *in* LEGIBVS LONGOBARDORVM *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 11. cujus ea ſunt verba:

Volumus primo, ut neque Abbates, neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque quilibet de Clero, de perſonis ſuis ad publica vel ſæcularia judicia trahantur vel diſtringantur, ſed a ſuis Epiſcopis judicati juſtitiam faciant: Si autem de poſſeſſionibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſuis propriis ſuper eos clamor ad Iudicem venerit, mittat Iudex clamantem cum Miſſo ſuo ad Epiſcopum, ut faciat ei per Advocatum juſtitiam percipere: Si vero aliqua inter eos fuerit orta intentio, quam per ſe pacificare non velint, aut non poſſint, tunc per Advocatum Epiſcopi, qualem jufſerit, cauſa ipſa ante Comitem veniat, vel Iudicem, & ibi ſecundum legem finiatur: antepoſito ſicut dictum eſt de perſona Clericorum.

Ex hac Conſtitutione ſtatim obſervanda eſt diſtinctio cauſarum perſonalium & realium, quam primus introduxit CAROLVS M. Ait, *Clericos de perſonis etc.* id eſt, ſi perſona Clerici obligata ſit ex ſuo delicto, vel contractu, apud ſolum Epiſcopum conveniatur: *ſi autem de poſſeſſionibus &c.* id eſt, ſi actione in rem, & clamor ſeu lis inſtituta ſit apud Iudicem, nempe ſæcularem, (ut jam pridem obſervarunt plures viri docti,) puta Comitem, qui ordinarius erat Iudex, ut ſuo loco diximus: Iudex ille clamantem, id eſt actorem, mittat cum Miſſo ſuo, id eſt, cum ſuo Legato, ad Epiſcopum; *ut faciat ei per Advocatum, &c.* id eſt, per Iudicem ab Epiſcopo conſtitutum ad temporalem juriſdictionem exercendam: *ſi vero aliqua &c.* hoc deſumptum videtur *ex Nov.* 83. *&* 123. *cap.* 21. ante Comitem veniat vel Iudicem, puta Miſſum Comitis: *Antepoſito &c.* id eſt, ita ut perſona Clericorum numquam ad ſæcularem Iudicem trahatur. Et ſic elegans ea Conſtitutio jubet, ut Clericus actione in perſonam ſemper conveniatur apud Iudicem Eccleſiaſticum; actione in rem, apud Laicum, ſed ab eo rejiciatur ad Epiſcopum. Et ultimum illud in minoribus Iudicibus obtinebat, non etiam in Miſſis Dominicis: eos enim de rebus Eccleſiaſticis omnino cognoviſſe, ſuperiori capite probatum eſt fuſius.

Eandem plane diſtinctionem probavit GVILLELMVS, Rex Siciliæ, *Conſtitutionum Sicularum lib.* 1. *tit.* 65. *Si quis Clericus de hæreditate vel aliquo tenemento, quod non ab Eccleſia, ſed ab aliis vel aliquo per patrimonium, ſive aliunde teneat, appellatus fuerit: volumus, ut de hoc in Curia illius, in cujus terra poſſeſſionem vel tenementum habuerit, reſpondeat, & quod juſtum fuerit, faciat: non tamen, ut perſona ſua exinde capiatur, vel incarceretur.* Iam antea *in tit.* 42. ſcripſerat: *De perſonis Clericorum totius Regni noſtri volumus & jubemus, quod ſi de aliquo foris facto, de quo perſona judicari vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non a nobis vel a Curia noſtra, ſed ab Eccleſia & in Curia Eccleſiæ, & eo quoad perſonam pertinet, judicetur.*

Duæ illæ Conſtitutiones CAROLI M. & GVILLELMI SICVLI hodiernum uſum valde illuſtrant, ex quo, juxta FRANCISCI I. Conſtitutionem, Clerici in actionibus in perſonam apud Eccleſiaſticos Iudices conveniuntur, in actionibus in rem, apud Sæculares.

CAPVT XI.

De Patronis, & de jure Patronatus.

CAROLI M. temporibus Patroni laici ſuo jure Patronatus valde abutebantur; alii Presbyteros in ſuis Eccleſiis inſtituebant & deſtituebant inconſulto Epiſcopo; aliorum hæredes Eccleſias ipſas earumque bona inter ſe dividebant, ut olim ſcripſimus ex profeſſo, *ad tit. de jure Patron.* Cumque CAROLVS M. utramque hanc perverſam conſuetudinem probe cognoſceret, palam teſtatus eſt, ſe illam exſtirpaturum; Sic enim *lib.* 1. *Capitul. cap.* 104. ait, *ſe aliquando Capitula quædam editurum de Eccleſiis, quæ inter hæredes dividuntur, & tali occaſione proprio honore carent; ſive de iis Eccleſiis, quæ nimium rebus propriis attenuatæ ſunt.* Capitula illa non exſtant, nam quod legitur *lib.* 5. *cap.* 99. non eſt CAROLI M. ſed LVDOVICI PII. Hoc elegantiſſime docet SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall.* ubi multa Regum noſtrorum Capitula per partes, & per ſua quæque tempora exſcribit, ac digerit.

In *Capitulari tertio* LVDOVICI III *pag.* 467. proponit eum titulum:

Hæc ſunt Capitula, quæ propter interrogationem aliquorum Miſſorum conſiderata & ſcripta & ordinata ſunt, ſive de Eccleſiaſticis cauſis, ſive de cæteris. &c.

Primo de eo, qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyterum de Eccleſia ejecerit, vel conſtituerit.

De his, qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteros in Eccleſiis ſuis conſtituunt, vel de Eccleſiis ejiciunt, & ab Epiſcopo, vel a quolibet Miſſo Dominico admoni-

moniti obedire noluerint, ut bannum noſtrum reuuadiare cogantur, & per fidejuſſores ad Palatium noſtrum venire jubeantur; & tunc nos decernemus, utrum nobis placeat, ut aut illum bannum perſolvant, aut aliam harmiſcaram ſuſtineant.

De iis Patronis, qui Clericos in ſuis Eccleſiis inſtituunt & deſtituunt inconſultis Epiſcopis egimus olim fuſius *ad cap.* 4. *Ex. de jur. Pat.* In hoc Capitulari *bannum reuuadiare*, eſt pro mulcta ordinaria pignus dare. *Harmiſcaram ſuſtinere*, eſt graviorem & extraordinariam mulctam ſolvere. Et ita Miſſi Dominici curabant, ut Patroni laici ſola præſentatione idonei Clerici uterentur, non etiam inſtitutione & deſtitutione. *Illud* etiam *Capitulare* repetitur, *in addit.* 4. *Capitular. cap.* 96.

De Eccleſiis inter hæredes diviſis.

De Eccleſiis, quæ inter cohæredes diviſæ ſunt, conſideratum eſt, quatenus ſi ſecundum providentiam & admonitionem Epiſcopi, ipſi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Epiſcopi poteſtate maneat, utrum eas ita conſiſtere permittat, aut reliquias exinde auferat: & ubi ad noſtrum beneficium Eccleſiæ pertinentes ita diviſæ inventæ fuerint, ut deſcribantur, & nobis renuntientur.

Ea BENEDICTVS LEVITA exſcripſit, *lib.* 5. *Capitul. cap.* 99. ſicut & LOTHARIVS *Imp.* in LEGIB. LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 44. & hinc deſumptus eſt *Can. conſiderandum* 16. *q.* 7. quamvis BVRCHARDVS, IVO, & GRATIANVS eum tribuant Gregorio Papæ, & quidem quarto, nam ille ſub LVDOVICO PIO ſedit: Sed melius REGINO ABBAS *lib.* 1. *de Eccleſiaſt. diſciplinis cap.* 243. eum Canonem tribuit *Capitularibus*, & *Legibus Longobardicis*, quem ſequuti ſunt Correctores Romani apud GRATIANVM.

Eo loci LVDOVICVS PIVS conſtituit, ut diſſidentes Patroni cohæredes *Eccleſias teneant, ſi voluerint*, id eſt, inquit *Hugutio* apud ARCHIDIACONVM, *in iis jus Patronatus habeant: ſecundum Regis & Epiſcopi providentiam*, REGINO, BVRCHARDVS, IVO, GRATIANVS, & poſt eos PETRVS PITHOEVS, & SIRMONDVS, regalis illius providentiæ non meminerunt, ut forte totum illud tribuant Epiſcopali. Sed LOTHARIVS Imp. Capitulare illud exſcribens *in* LEGIBVS LONGOBARD. ait: *Secundum noſtram providentiam & ammonitiones Epiſcopi*, apud BOERIVM & LINDEBROGIVM. Et quidem rectiſſime: nam illud conſideratum & ordinatum fuerat a LVDOVICO PIO in quibuſdam Capitulis, quæ ad Miſſorum Dominicorum interrogationem edita fuerant.

Additur, ut ſi cohæredes illi Eccleſias ſuas tenere velint ſecundum Regis & Epiſcopi providentiam, eas honorare faciant: BOERIVS *ad LL. Longobard. loc. cit.* legit, *honores faciant*, quæ verba duo forte continent, ut in iis divinum officium celebrari curent, & iis prædia reſtitui. Sic enim *honor* ſacrificium ſignificat, apud PLAVTVM, *in Aulul. Prol. v.* 16. VIRGILIVM, *Aeneid. l.* 3. *v.* 178. *l.* 8. *v.* 102. NONIVM: ſignificat etiam prædia, in iiſdem LEGIBVS LONGOB. & alibi paſſim: & Eccleſiæ deſeruntur a Clericis, ſicque carent officio divino, niſi habeant prædia, *Nov.* 67. Sequitur, *Si cohæredes illi contradixerint &c.* De ea re diximus *ad cap.* 2. *Ex. de jur. patr.*

Ac tandem Imperator agit de Eccleſiis ad ſuum beneficium pertinentibus, id eſt, ad ſuum prædium, quod fidelibus ſuis in beneficium, in feudum dederit. Ita enim Reges eo tempore fidelibus ſuis feuda, quædam dare ſolebant, & illi dicebantur Vaſſalli Dominici, ſeu Regii, apud CAROLVM M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 82. & *Can.* 20. *Meldenſis Concilii ſub* CAROLO CALVO. Antea quidem temporalia erant ejuſmodi feuda, ſed LVDOVICVS PIVS ea dare cœpit in perpetuum, ita ut vel etiam *Regias villas ſuis fidelibus traderet in poſſeſſiones ſempiternas*, ut ſcribit THEGANVS, *in lib. de geſtis Ludovici Pii cap.* 19. Si ergo jus Patronatus in quadam Eccleſia huic prædio annexum ſit, quod Princeps Titio dederit; & hæredes Titii Eccleſiam illam, & ejus bona dividant; jubet LVDOVICVS PIVS, ut Eccleſiæ illæ deſcribantur, nempe a Miſſis Dominicis, ut ſuo loco videbimus, & ipſi Principi renuntietur.

CAPVT XII.

Epiſcopos juvabant contra rebelles Clericos & Monachos.

CHriſtianiſſimi Reges in ſuis Capitularibus paſſim adjutorium iis impendunt, qui miniſterium Eccleſiaſticum adimplent, ut eſt *in cap.* 271. *lib.* 5. *Capitularium. Vt ſi quid Epiſcopus corrigere non poſſit, illud Regi intimet: ut qui Eccleſiaſticis regulis inobediens apparuerit, per poteſtates exteras corrigatur, lib.* 7. *cap.* 399. id eſt, per ſæculares & Regios Iudices, *ibidem cap.* 422. Nam omnipotens Deus Principes fecit eſſe *Cuſtodes Eccleſiaſticæ pacis*, ait GREGORIVS M. *ad Mauritium Imp.* ſcribens, *lib.* 6. *Reg. Ep.* 6. Nihil omnino frequentius, quam de invocando brachio ſæculari adverſus contumaces, rebelles, & incorrigibiles non tantum Clericos, ſed & Monachos; ut de iis SVLPITIVS SEVERVS *in Dialog. prim. cap.* 3. & ſuo loco fuſius.

CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 26. ſubditos ſuos monet, illud pertinere ad ſuos Miſſos, *ut ſi quilibet Epiſcopus miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat: Et ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit, per eos ad ſuam notitiam deferatur.* SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall' pag.* 457. caput illud exſcribit, *in Capitulari ſecundo* LVDOVICI PII *cap.* 26. Sic etiam, cum LVDOVICVS PIVS Miſſos Dominicos miſit per univerſum regnum, præcepit potiſſimum, ut ea corrigant & emendent, quæ ab Epiſcopis corrigi & emendari non poſſunt, iiſque mandat, ut ſuos Miſſos implorent contra rebelles.

Eadem quoque diſciplina CAROLI CALVI. Ab eo petunt Prælati, *apud Vernum Palatium, in Can.* 2. *Vt Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores a Miſſis Dominicis coerceantur, & ut Canonum reverenda auctoritas in omnibus debitum vigorem obtineat.* In ſuis *Capitulis, in Synodo Sueſſionenſi editis, act.* 7. *cap.* 10. jubet, *ut quos Epiſcopus per excommunicationem adducere non potuerit, Miſſi Dominici Regia auctoritate & poteſtate ad pœnitentiam, vel rationem atque ſatisfactionem adducant.* Ac tandem *in Can.* 13. *Synodi Pontigonenſis* jubet, *ut quos Epiſcopi per ſe ad emendationem conſtringere non potuerunt, Miſſis Dominicis renuntient, ut ipſorum judicio legaliter ſecundum Capitulare avi & genitoris ſui emendentur.* Sic etiam cum CAROLOMANNVS *in ſuis Capitulis ad Vernum Palatium* multa conſtituit ad regni & Eccleſiæ utilitatem, *in cap.* 9. ſic habet: *& quia ad tantum malum funditus eradicandum, & tantum bonum plantandum neceſſe habet Epiſcopalis auctoritas, judiciali poteſtate adjuvari: Placuit nobis noſtriſque fidelibus in commune, ut Miſſi Dominici ſuis in locis ex hoc fideliter adjuvent.* Nec multo poſt: *Quoties Epiſcopi aut mini-*

niſtri illorum, ſive etiam ipſi pauperes eos appellaverint. Pleraque alia Regum noſtrorum Capitula mutuum illud auxilium Epiſcopis & Miſſis Dominicis imperant, ut ſe invicem adjuvent ad animadverſionem facinoroſorum hominum.

CAPVT XIII.

Oppreſſi Clerici ad eos confugiebant & reclamabant.

CVm potentioribus pares eſſe non poſſimus, ſemper curarunt Principes, ne alios ſuo potentatu obruant, præcipue vero quos vocant *miſerabiles perſonas*; & hinc paſſim tot reclamationes ad Principem. PETRVS PITHOEVS *in Gloſſario, ad Capitularia* CAROLI M. in verbo *reclamare*, exſcribit veterem formulam Reclamationis ad Regem, qui Miſſis Dominicis jubet, ut de ea cognoſcant. LINDENBROGIVS, *in Gloſſario ad Cod. Legum Antiq.* in eodem verbo *reclamare*, aliam ſimilem formulam affert, in qua Miſſi Dominici judicaverunt. Cum enim ſæpius non ita facile Princeps adiri poſſit, voluerunt Chriſtianiſſimi Reges, ut oppreſſi ſubditi Miſſos Dominicos reclamare poſſent.

CAROLVS M. (aut forte LVDOVICVS PIVS, ut ſuperiori capite diximus) *lib. 2. Capitular. cap. 26. Vt omnis populus ſciat, ad hoc conſtitutos eſſe,* (Miſſos Dominicos) *ut quicumque per negligentiam, aut injuriam, vel impoſſibilitatem Comitis, juſtitiam ſuam acquirere non potuerit; ad eos primum querelam ſuam poſſit deferre, & per eorum auxilium juſtitiam acquirere; & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere.* Et hinc, *Les renvois du Conſeil. à Meſſieurs les Intendans.* IDEM *in Capitulis ad an. 789. editis cap. 11.* apud SIRMONDVM, *tom. 2. Concil. Gall. De eo, quod Miſſi noſtri providere debent, ne forte aliquis clamor ſuper Epiſcopum, vel Abbatem, vel Abbatiſſam, vel Comitem, ſeu ſuper qualemcumque gradum ſit, & nobis renuntiare.*

EGINARDVS *in ſuis Annalibus ad an. 814.* de LVDOVICO PIO: *Et habita Aquiſgrani generali populi ſui Conventu ad juſtitias faciendas, & oppreſſiones popularium relevandas, Legatos* (id eſt Miſſos Dominicos) *in omnes regni ſui fines miſit.* Idem omnino habent ANNALES FVLDENSES *ad eum ann.* De eo etiam THEGANVS *cap. 13. Miſit Legatos ſuos per omnia regna ſua, inquirere & inveſtigare, ſi alicui aliqua injuſtitia perpetrata eſſet: & ſi aliquem inveniſſent, qui hoc dicere vellet, & cum veriſſimis teſtibus probare potuiſſet, ſtatim cum eis in provinciam venire præcepit. Qui egreſſi invenerunt innumeram multitudinem oppreſſorum, aut ablatione patrimonii, aut exſpoliatione libertatis, quod iniqui Miniſtri, Comites, & loco poſiti, per malum ingenium exercebant.* ANDREAS QVERCETANVS *tom. 2. Hiſt. Franc. pag. 723. 724.* duas exſcribit Reclamatorias ad eundem LVDOVICVM & ejus Miſſum.

Vetus CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII, *ad annum* 815. de eodem LVDOVICO PIO: *Mandavit etiam Miſſis & Comitibus ſuis, ut juſtitias facerent in regno ſuo; & ſi aliqui homines injuſte privati fuiſſent de hæreditate parentum per cupiditatem Comitum aut divitum, ut reddere facerent. Nec non & ſi aliqui homines injuſte in ſervitute redacti erant, ut iterum acciperent libertatem.* ADO VIENNENSIS *in Chronico, ætate 6. ad an. 815. Hic* (LVDOVICVS PIVS,) *inter alia mirifica, & nimis bonoranda opera ſua, in omni Imperio ſuo, ſive in Gallia, ſive in Germania, ſive in Italia Legatos dedit, qui pauperum & oppreſſorum juſtitias diligenter quærentes, & ſingulorum neceſſitates ad plenum audirent.*

Sacrum illud auxilium ipſis etiam oppreſſis Clericis patebat. CAROLVS CALVVS *in ſuo Capitulari Tholoſano cap. 1. Vt Epiſcopi nullam inquietudinem ſive exprobrationem Presbyteris, aut aperte ingerendo, aut alia qualibet occaſione machinando, pro eo, quod ſe ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant: quia longa oppreſſio hujuſmodi itineris eo fecit ſubire laborem.* Sic inter reclamatorias litteras (de quibus ſupra) prior eſt Presbyteri cujuſdam ad LVDOVICVM PIVM. Cumque paſſim in ſacris Canonibus prohibitum eſt, ne Clerici adeant Imperatorem; CAROLVS CALVVS excipiendum indicat, niſi a potentioribus oppreſſi fuerint, ita ut a Iudicibus ordinariis liberari, & ad ſuum pervenire non poſſint.

HINCMARVS *Remenſis Archiep. in admonitione 14. ad Proceres regni cap. 25.* teſtatur, LVDOVICI PII temporibus ab eo Miſſos fuiſſe Legatos in omnes provincias, ut viduæ, orphani, deſolati, oppreſſi, injuſte ſuffocati, ſecundum ſuam indigentiam & qualitatem ſemper ad manum haberent, per quos ſinguli ad pias aures Principis perferre poſſent. Ac tandem, *in additione 4. cap. 115.* præcipit LVDOVICVS PIVS, populo dicendum, *ut caveat de aliis cauſis ſe ad eum reclamare, niſi de quibus Miſſi Dominici, aut Comites eis juſtitias facere noluerint.*

CAPVT XIV.

Animadvertebant in facinoroſos homines.

VLPIANVS *in l. 13. D. de off. Præſ.* ſic loquitur: *Congruit bono & gravi Præſidi, curare, ut pacata & quieta ſit ea provincia, quam regit: quod non difficile obtinebit, ſi ſollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat: nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere.* Iudæi Felicem, Syriæ Præſidem, eo nomine laudant, ACTORVM *cap. 24. v. 3.* & in eam rem elegantiſſima eſt *Epiſtola 1. lib. 1.* M. TVLII *ad Quintum Fratrem.* Sic in mandatis Chriſtianiſſimorum Principum illud erat præcipue, ut Miſſi Dominici malis hominibus provincias purgarent, & in eos ſevere animadverterent. CAROLVS M. *in præfatione Aquiſgran. Concilii* ait, *ſe Miſſos ſuos direxiſſe per ſuas omnes provincias, ut ex ſui nominis auctoritate corrigerent, quæ corrigenda eſſent.* Suos etiam Miſſos monet, *lib. 2. Capitular. cap. 26. Vt nihil in ſua legatione incorrectum remaneat.* Cumque *lib. 4. cap. 55.* egit *de falſa moneta, de puniendis latronibus, de homicidiis prohibendis;* ſtatim *in cap. 56.* jubet, *Vt Miſſi Dominici ea omnia emendare curent: ut ea, quæ emendaverint, diligenter in ſcriptis notent, & hoc ſic peragere, ut juſte reprehendi non poſſint.* Sicut ergo Præſides provinciarum habebant acta civilia & criminalia, *l. 2. Cod. de Eden. Greffes civils & criminels*, quæ diligenter aſſervari ſciebant; ita & Miſſi Dominici habebant jus actorum conficiendorum; & ut in animadvertendis facinoroſis hominibus juſte reprehendi non poſſent, ea crimina, quæ in ſuis Miſſaticis emendaverant, *in ſcriptis notare tenebantur*: quod nihil aliud eſſe putarem, quam in acta publica referre accuſationem, elogia, depoſitiones teſtium, & ipſas ſententias.

LVDOVICVS PIVS præcepit, ut Miſſi Dominici per ſingulos Comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerſerat, cohiberent: & ubi eorum major vis incu-

buerat, etiam Comites vicinos, & Episcoporum homines, ad tales evincendos & proferendos sibi adsciscerent; *Vita & actus* LVDOVICI PII apud QVERCETANVM *tom. 2. Hist. Franc.* Cumque sæpius accusatores non satis delata crimina probarent, & ita omnes fere Iudices ex vitio sæculi examen aquæ frigidæ sæpius adhiberent ad faciendam fidem, LVDOVICVS PIVS *in additione 4. ad Capitularia Caroli M. cap.* 113. sic habet: *Vt examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a Missis nostris omnibus interdicatur, ne ulterius fiat.* Ea erat vulgaris probatio iis temporibus usitatissima, ut si non omnino constaret, an accusatus revera reus esset objecti criminis, ligatus dejiceretur in vas maximum aqua plenum; & in eo culpabilis submergeretur, & supernataret innocens. De ea purgatione multi multa, sed præcipue IVRETVS *ad Epist. 74. Ivonis Carnot.* Quod autem iis temporibus usitatissima fuerit, docent LEGES SALICÆ, CAPITVLA REGVM NOSTRORVM, & HINCMARVS REMENS. *passim.* FLODOARDVS, *lib. 3. Remens. Historiæ cap. 23.* ait, *eum scripsisse libellum de judicio aquæ frigidæ ad Hildegarium, Meldensem Episcopum.* SIRMONDVS libellum hunc edidit inter opuscula HINCMARI *cap. 39.* Quodque observandum est, eo loci meminit *ejus capit.* 113. quod diximus esse LVDOVICI PII, nec forte inconveniens erit, ipsissima ejus verba exscribere: *Nec prætereundum, quia legimus in Capitulis Augustorum, fuisse vetitum judicium aquæ frigidæ: sed non in illis Synodalibus, quæ de cæteris accepimus Synodis, quod ut quidam insulse dicunt, propterea fuerat prohibitum, quoniam quasi rebaptisatur, qui in nomine Domini aquis immergitur; Sed hoc ibidem scriptum nequaquam reperimus.* Qui enim huic examini subjiciendus erat, multis precibus adhibitis a Sacerdote benedicebatur, & in nomine Domini projiciebatur in aquam, ut pluribus docet IVRETVS *ibidem.* Addit HINCMARVS *circa finem*: *Hæc autem dicimus, non quo quemquam reprehendamus, quia nec ibi scriptum est, cur hoc judicium non debeat fieri, sed tantummodo dictum, ne fieret.* Eadem exscripta leguntur *in ejus tractatu de divortio* LOTHARII *&* TETBERGÆ, *in responsione ad interrogationem sextam in fin.* Verisimilius est autem, LVDOVICVM PIVM eam purgationem prohibuisse ad petitionem *Agobardi* Lugdunensis Archiepiscopi, & ex iis rationibus, quas ille fusius affert *in libro de divinis sententiis, contra damnabilem opinionem putantium, divini judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri*, qua de re jampridem ad eumdem Ludovicum scripserat: ejus Epistola in eam rem inter ejus opera exstat. Sed nec illud AGOBARDI opus, nec illud LVDOVICI PII Capitulare pernicioſam hanc consuetudinem evellere potuit, ut passim videre est apud omnes sequentis ævi Scriptores: eaque illustrant valde Capitulum illud ejus Imperatoris. Denique HINCMARVS contra suum nepotem Hincmarum Laudunensem, *cap.* 43. indicat, eos tantum homines huic examini oblatos & subjectos fuisse, qui non erant liberæ conditionis: hoc etiam probat *Triburiense Concilium* non multum ab iis temporibus remotum, *in Can. nobilis 2. q. 5.* vulgarem hanc probationem apud Ethnicos observatam fuisse conjicerem, ex iis ACRONIS, *ad illud Horatii, lib. 1. Epist. 10. v. 10.*

Vique sacerdotis fugitivus liba recuso.

Cum in servis, inquit, *suspicio furti habetur, ducunt ad Sacerdotem, qui crustum panis carmine infectum dat singulis, quod cum aliquis ederit, manifestum furti reum asserit.* Redeamus ad facinorosos homines, de quibus cognoscebant Missi Dominici.

Inter eos recensebantur potissimum *latrones*, qui passim a furibus et prædonibus distinguuntur, *in Capitularibus* CAROLI CALVI; sicut et *in d. l. 13. D. de off. Præs.* Quilibet utique homines malæ rei generaliter aliquando dicuntur latrones, ut apud SIDONIVM APOLLIN. *lib. 5. Ep. 13. in fin.* sed proprie sunt viarum publicarum obsessores. SVETONIVS *in Octavio, cap. 32.* vocat eos grassatores: et *in Tiberio* grassaturas et latrocinia jungit, *in d. c. 32.* eos ita describit: *Nam & grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui causa, et rapti per agros viatores sine discrimine supprimebantur.* IVVENALIS *Sat. 3. v. 305.*

Interdum et ferro subitus grassator agit rem.

Eoque loci BRITANNICVS addit, *grassari dicitur supra modum sævire, unde grassari latrones dicuntur vias obsidentes.* Nec multo post: *Agit rem*, id est, *latrocinium exercet, et homines ferro cædit.* Vnde ALCVINVS, *in lib. de divinis officiis, c. 13.* ait, *eum esse latronem, qui furatur & occidit.* Ideo vero grassatores illi *latrones* appellati sunt, quod milites (quos constat dictos fuisse latrones, quasi laterones, quod latera Principum clauderent ac custodirent) id facere solerent; ut rectissime VOSSIVS *in Etymologico.* Ita enim post bella civilia, imo & iis adhuc flagrantibus, milites fugitivi aut desertores turmatim etiam vias obsidebant, ut *passim* videre est apud APPIANVM *in bellis civilibus:* ita ut sæpius militares stationes per provincias constituerentur vestigandis latronibus, ait TERTVLLIANVS *in Apologet. cap. 2.* ut hujusmodi grassatores inhiberentur, *d. cap. 32.* SVETONII, tuendæ pacis causa, *cap. 37. ibidem.* Et hinc qui stationibus illis præerat, dicebatur latrunculator, & Irenarcha, nobis hodie *le Prévôt des Maréchaux*, qui tum primum in Gallia institutus est, ut latronibus seu grassatoribus illis militibus purgaret provincias. Iis adde præstantissimum CVIACIVM, *lib. 19. observ. cap. 11.*

Cum ergo utriusque CAROLI & M. & CALVI, atque etiam LVDOVICI PII temporibus graviora bella exarsissent, & in ipsa Gallia & extra eam, multi etiam latrones grassari cœperunt: ideoque iis vestigandis, inhibendis, & coercendis edita sunt Capitula, ut de CAROLO M. & LVDOVICO PIO jampridem diximus. CAROLVS CALVVS, *in suis Capitulis ad Sylvacum c. 4.* præscribit, quibus modis vestigandi & intercipiendi sint, & jubet a Missis Dominicis ea publice denuntiari: primo, *ut nemo latronem celet aut recipiat, sed illum iis Missis manifestet, & ad accipiendum illum, adjutorium quantum potuerit quisque præstet, & per Sacramentum hoc Missi illorum firmare faciant: & si aliquis Missis illorum non obaudierit, & Regis homo fuerit, per fidejussores ad illius præsentiam perducatur*, id est datis vadibus aut fidejussoribus promittat, se iturum ad Regem: Frequentissima locutio *in Capitularibus* CAROLI M. & *apud* GREGORIVM TVRONENSEM. Subjicitur, *si autem alterius homo fuerit, Senior, cujus homo fuerit, illum Regi præsentet.*

Secundo, *c. 5. Si alicui denuntiatum fuerit, ut ad accipiendum latronem adjutorium præstet, ut aliquis sonum inde audierit, ut ad latronem accipiendum concurratur, & se inde retraxerit, ut ad hoc adjutorium non præstet: si liber homo fuerit, bannum Dominicum componat: & si colonus fuerit, sexaginta ictus accipiat: Et si latro ibi occisus fuerit, qui eum occiderit, leudem inde non solvat, & nullus illi inde faidam portare præsumat.* Quædam in iis desiderant interpretationem. *Denuntiatur*, nempe vicinis

nis *ex eadem Centena*, *in Decreto* CHILDEBERTI *Regis ad leges Salicas*, *cap.* 12. & 13. id est, ex eodem pago: Ac si quis admonitus ad latronem persequendum venire nollet, quinque solidis condemnatur, *in Decreto* CLOTHARII *Regis*, *cap.* 16. Aut si forte aliquid subreptum sit, *Capitale de præsenti Centena restituat*, in *eodem cap.* 12. id est, pagus aut rem ipsam furto ablatam, aut verum ejus pretium domino restituat: sic pagus *Centena* dicebatur, quod centum territoriis, aut maneriis constaret. Et hoc apud alias quoque gentes observatum fuisse, docet præstantissimus Anteccessor laudato loco, ut nempe Centena seu pagus latrones persequi teneatur, aut res ab iis subreptas earum dominis restituere, *ex* ARISTOTELE *in admirandis*, & IOSEPHO *lib.* 2. *de bello Iud. c.* 11.

Admonentur, inquam, vicini *per sonum*, ut *in d. Capitulari* CAROLI CALVI: quod mihi non aliud est, quam *par le tocsin*, ut etiam Regiæ Constitutiones hodie permittunt, sonum illum edi ad persequendos latrones, quidquid ibi SIRMONDVS. *Bannum Dominicum componat*, id est, mulctam Regiam solvat: *sexaginta ictus accipiat*, id est fustuario castigetur ad 60. ictus, ut in Legibus Salicis, & aliis id genus: Cætera non omisit SIRMONDVS. Sicque Missi Dominici jubebant, ut sonus (nempe campanarum) ederetur, vel, ut est *in Capitularibus* CAROLI M. signa pangerentur ad persequendos latrones; quique non veniebant, eos mulctare poterant.

Sed & Francos, & liberos homines, & Centenarios jurare compellebant, quod nec ipsi latrocinium facerent, nec malum illud, quod *Scock* vocant, vel *Tescejam*. Primum rectissime SIRMONDVS ait esse latrocinium, lingua Teutonica; & hinc ludum esse Scachorum, *des Eschets*, id est ludum lacrunculorum. *Testejam* aut *Tescejam* vossius vertit, raptum aut latrocinium, sic dictum *à tesquis*, aut *tescuis*, id est locis nemorosis, vel umbrosis. Sic enim PHILOXENVS *in Glossario*, *Tesqua vel tescua* κατάκρημνοι, καὶ βάτοις, καὶ ἔρημοι τόποι id est *loci præcipites*, *spinosi*, & *inaccessi*.

Tertio, prohibet CAROLVS CALVVS *loco cit. c.* 6. ne quis latronem recipiat, maxime autem illum, qui forbannitus fuerit, id est proscriptus; aut in exilium missus extra Missaticum, aut eam provinciam, in qua latrocinia exercebat. Hoc de latronum receptatoribus, qui perinde coercendi sunt ac ipsi latrones, cum hi absque illis diu latere non possint, *d. l.* 13. *D. de off. Præs.* Et hinc CAROLVS M. *in suis Capitularibus lib.* 7. *cap.* 344. *Receptores aggressorum*, *itemque latronum*, *eadem pœna afficiuntur*, *qua ipsi latrones*; *sublatis enim susceptoribus grassantium cupido conquiescit*. Addit CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Sylvacum c.* 6. *eum receptatorem judicandum esse quasi latronem*, & *infidelem*, *quia*, inquit, *latro infidelis est noster & Francorum*, & *qui illum suscepit*, *similis est illi*; Infidelis, id est non amplius habetur quasi vassallus Dominicus, seu Regis & Francorum; sicut fidelis vassallum, vel etiam, ut loquimur hodie, subjectum significat. GELASIVS I. *in Epist.* 4. sic loquitur: *Legibus certe vestris criminum conscios*, *latrocinantiumque susceptores par judiciorum pœna constringit*, *quamvis nihil fecerint*.

Quarto, sicut sacri Canones volunt, ut si alienus Episcopus fidelem a proprio Episcopo excommunicatum in communionem receperit, recipiens & receptus excommunicentur, *Can.* 6. *Antiochenæ Synodi*: & ut omnibus innotesceret, quinam a propriis Episcopis excommunicati essent, placuit, eorum nomina vicinis etiam Episcopis indicari, & foro foribus Ecclesiæ publicari, *Can. Curæ II. q.* 3.

Ita & CAROLVS CALVVS *ibidem c.* 7. cavit, ut cum Missi Dominici latrones forbannierunt, seu in exilium miserunt extra suum Missaticum, hoc & aliis Missis & Comitibus scire faciant: Quod jampridem cautum fuerat, *in Capitul.* CAROLI M. *lib.* 3. *cap.* 50. imo & CAROLVS CALVVS, *in Capitul. ad Sylvacum cap.* 7. jubet, *ut missi Dominici hoc ei & Comitibus scire faciant*. Addit: *Et si latro de uno Missatico in alium fugerit*, *si in vicinitatem venerit*, *pro hoc Missus*, *qui eum forbannivit*, *non dimittat*, *ut eum non persequatur*, & *comprehendat*. Et ita *latrunculator supra plantam non egreditur*, inquit AMMIANVS *l.* 28. *c.* 1. quamvis extra suum territorium latronem persequatur, & in vicinia apprehendat. Subjicitur: *Et si latro longius fuerit*, *Missus*, *in cujus Missaticum fugerit*, *eum reddere debet*, *ut ibi malum emendet*, *ubi illud perpetravit*, *ut cæteri metum habeant*, quod desumptum videtur *ex l.* 28. §. 15. *D. de pœn.*

Quinto, jubet CAROLVS CALVVS *c.* 6. *ut quilibet Francì seu liberi homines*, & *quilibet Centenarii*, *seu pagorum Iudices*, *jurent*, *se Missis Dominicis manifestaturos esse eos omnes*, *qui latrocinium faciunt*, *se illud non esse facturos*, *nec passuros*, *ut illud alii faciant*.

Sexto, in *iisdem Capitulis ad Sylvacum cap.* 2. *Missi Dominici cognoscere debent de raptoribus Puellarum*, & *Viduarum*, & *Monialium*, & *de his*, *qui Presbyteros flagellare præsumunt*. Iis enim temporibus in Gallia, & Germania, potentiores quidam tyranni grassabantur in Clericos, eosque inhoneste & crudeliter habebant ac vulnerabant (quod *in d. cap.* 2. est flagellare.) Ideoque *apud Theodonis villam*, *sub* LVDOVICO PIO, *habitus est Episcoporum Conventus contra Clericorum percussores*: & Imperator ille Canones in eo Conventu scriptos confirmavit in alio Conventu *Triburiæ* habito: utrumque hunc Conventum dedit SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 445. *seq.* Alia etiam Capitula jam antea ediderat LVDOVICVS PIVS, quæ generalibus Placitis reservata dicuntur, in quibus primum illud caput est *de Sacerdotibus a laicis vinctis & flagellatis*: apud *eumdem* SIRMONDVM *ibidem pag.* 473.

Septimo, *ut Missi Dominici eos animadvertant*, *qui collectas faciunt*, id est, qui collecta manu nefarie vim faciunt. Sic antea *in Capitular.* CAROLI M. *lib.* 3. *cap.* 64. graviter coercetur, *qui collecta & armis super Missum Dominicum venerit*. Et *l.* 5. *c.* 201. aliquem *per collectam adsallire*, quod adhuc occurrit *in capitularibus* CAROLI CALVI, & nobis hodie dicitur, *à trouppe & port d'armes*, Comiti vel Misso dominico collecta manu & armis resistere. Ejus cognitionis Misso Dominico demandatæ luculentum exemplum videre est in quadam veteri charta, quam exscribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ p.* 23.

Octavo, cognoscunt de iis, qui immunitates infrigunt, *in iisdem Capitulis ad Sylvacum cap.* 3. cumque ibi tantum agatur de gravioribus criminibus, existimarem, eos appellari immunitatum infractores, qui mansionatica, seu mansiones & paratas ab iis per violentiam exigunt, quibus competit Regia immunitas, qualis a MARCVLFO describitur, & nobis forte dici possunt, *infracteurs de sauvegarde*. Ibi etiam cognoscunt de incendiariis, ad quos pertinebat illud *Capitulare*, *lib.* 7. *cap* 345. *Si aliquis malitiæ studio incendium miserit*, *de hoc crimine convictus pœnis gravissimis jubetur interfici: quod si per negligentiam factum probetur*, *damnum*, *quod cuique illatum fuerit*, *res quæ incendio perierit*, *dupli satisfactione sarciatur*; ut ita omnes dupli metu innocentem ignem habere curent.

Adduntur voluntaria homicidia, quæ nempe voluntarie & per insidias admissa fuerint, ut *in Can.* 17. *Namnetensis Concilii*, nobis, *faits de guet à pens*, hoc est, *de gue pourpense*, ut est in CONSVETVDINE NORMAN. & homicidæ illi proprie sunt Sicarii, Arsacidæ, Assassini, quorum animadversio ad majores Iudices pertinet. Ac tandem Missi Dominici de iis cognoscunt, qui adsalituras in domos faciunt, qui aliquem in sua domo adsaliunt, ut est *in* LEGIBVS SALICIS, *tit.* 44. & ad eos pertinet *titulus Dig. de effractor. & expilat.* quorum animadversionem majoribus Magistratibus competere constat, ex *l.* 3. *D. de off. Præf. vig.* & ex *l.* 4. *Cod. de loc. cond.* Missi Dominici a Francis Centenariis de assalitura non facienda, & iis revelanda juramentum exigebant, cujus formula exstat in *iisdem Capitularibus* CAROLI CALVI *tit.* 14.

Pleraque Capitula ediderunt Christianissimi Reges de pace conservanda, & in pacis turbatores aut violatores, *contre les turbateurs du repos public. Capitular. II. & III. an.* 805. *cap.* 1. & *lib.* 3. *cap.* 1. CAROLVS CALVVS, *in Synodo Pistensi cap.* 4. constituit, ut sive coram eo, sive coram ejus Missis dignas pœnas persolvant, eumque Comitem, qui eos coercere, aut revelare neglexerit, honore suo privat; multum enim publice interest, paratam remanere provinciam.

Denique CAROLVS CALVVS *in Capitulis ad Carisiacum, cap.* 3. de iis agit, qui sint *clamodici & infames* (alibi, qui magnam habent *blasphemiam*, id est, qui gravi alicujus criminis infamia laborant) *de latrociniis & adsalituris, si jam vita iis perdonata est propter aliquod malefactum*, vel, ut apertius loquitur CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 47. *Si propter eas culpas ad mortem dijudicati fuerint, & postea vita iis fuerit concessa* (nempe ab ipso Rege, *cui soli licet revocare sententias, & reum mortis absolvere, & ipsi ignoscere*, ait S. AVGVSTINVS *in lib. de quæstionibus ex utroque mixtim, cap.* 115.) Et voluit CAROLVS CALVVS, ut in iis observetur, quod jam antea CAROLVS M. & LVDOVICVS PIVS ibidem statuerant, ut nempe, *de iis causis, pro quibus judicati fuerint ad mortem, nullam facere possint repetitionem; quia omnes res suæ secundum judicium Francorum in publico sunt revocatæ*: ea totidem verbis exscribuntur ab eodem CAROLO M. in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 1. *tit.* 35. *cap.* 1. Ex iis duobus locis dicendum videretur, jus illud commune fuisse olim, ut in Francia damnatorum bona confiscarentur: sed ab eo multæ Consuetudines recesserunt.

Additur: *Et si aliquid postmodum* (seu postquam iis vita concessa est) *cum justitia acquirere potuerint, in sua libertate teneant & defendant secundum legem:* nempe juxta legem Rom. ex qua sententiam passi, & restituti, omnia quidem bona amittunt, quæ ante sententiam acquisierant; sed per eam restitutionem jus quærendorum bonorum recipiunt, *tot. tit. Dig. & Cod. de sent. pass. & restit.* Ac tandem, *sequent. Capitul.* 48. si id genus homines malæ rei, postquam iis vita concessa est, *aliqua mala perpetraverint, & justitiam reddere nolint, dicendo, quod mortui sunt* (per tristem sententiam) *& ideo justitiam reddere non debeant, statutum est, ut superius judicium sustineant, quod antea sustinere debuerant.* Pleraque illa Capitula edidit CAROLVS CALVVS, a Missis Dominicis ad effectum perducenda contra prædones, contra raptores Virginum & Monialium, & alios quoslibet malefactores, *apud Valentinianas, apud S. Quintinum, apud Attiniacum, post reditum a Confluentibus*, & alibi passim, quæ omnia exscribere jam tædet.

Nec tamen illud prætermittendum, quod *sexti Parisiensis Concilii Patres, lib.* 3. *Can.* 16. petunt a LVDOVICO PIO, *ut ejus Missi per potestatem Imperialem radicitus evellant turpissimam & nefandissimam & ipso dictu fœdissimam rem, quæ admittebatur in quadam parte Parochiæ, seu Diœceseos Alitgarii Cameracensis Episcopi, & Rangarii Noviomensis.* Nec etiam, quod CAROLOMANNVS, *in suis Capitulis, apud Vernis Palatium, c.* 1. & 2. constituit, *ut sacrum Palatium in Dei cultu, regali honore, religionis habitu, & pacis ordine stabiliatur: ut omnes in sacro Palatio commorantes, & illud undique adeuntes pacifice vivant. Quod si aliquis ex Palatinis corrupta pace rapinam exercuerit, per Regiam auctoritatem, & Missi Dominici jussionem, ad Palatinam adducatur audientiam, u ibi coerceatur*, His forte Capitulis occasionem dedit HINCMARVS REMENS, qui non ita pridem CAROLVM CALVVM admonuerat, *ut militum rapinas coerceret, eas vero potissimum, quæ in sacro Palatio, intra & infra illud fierent, & ab ipsis Palatinorum Clericorum Ministris*, ut palam est ex ejus HINCMARI *Epist.* 5. & 6. *ad* CAROLVM CALVVM. Huic Palatinæ audientiæ præerat Comes Palatii, ut docet idem HINCMARVS, *in Epist.* 14. nobis hodie *le grand Prévôt de l' Hôtel.*

CAPVT XV.

Cognoscebant de criminibus Clericorum.

VT ex instituti mei ordine doceam, de criminibus Clericorum cognovisse Missos Dominicos, sane mihi nihil est, quod præcise afferam, Quia tamen constat, ea non fuisse omnino extra plantam, aut jurisdictionem laicorum judicum, quæ atrocitatem facinoris habent, & ad læsionem publicam spectant; verisimilius existimaverim, ea etiam pertinuisse ad cognitionem Missorum Dominicorum, quos supra vidimus rebelles ac seditiosos emendare Clericos; & ex quorum consilio CLOTARIVS II. Edictum edidit *ad quintum Parisiense Concilium*, in quo de facinorosis Clericis, ut mox videbimus. Duo igitur in hoc Capite observanda sunt, quæ in ipsis rebus agendis quotidie occurrunt.

Primum est, an eo jure, quod obtinebat sub Missis Dominicis, Iudex publicus Clericum in atrociori crimine deprehensum capere & in carcerem conjicere potuerit? quod mediæ ætatis auctores dicunt *distringere*, aut *constringere*. Primo quidem sub CHILDEBERTO Rege, *quarti Aurelian. Concilii Patres, in Can.* 20. prohibent, *Ne Iudex laicus prætermisso Pontifice, seu Præposito Ecclesiæ, quemquam Clericorum pro sua potestate constringere audeat*. Sed post quadraginta annos sub CHILPERICO, *Patres primi Matisconensis Concilii, Can.* 7. prohibent, *Ne quilibet Clericus custodiæ deputetur a sæculari Iudice absque causa criminali, id est*, inquiunt, *homicidio, furto, aut maleficio*. Et ita huic Iudici permittunt scelerati Clerici prehensionem, vel etiam prætermisso Pontifice, aut absque illius mandato, ut voluerunt postea summi Pontifices, *in c.* 35. *Ex. de sent. excom.* quod in Gallia non observari notat MOLINÆVS *ad dict. cap.* sicut nec *Glossam ad illud cap.* quæ vult huic prehensioni Clericos testes ab eo Iudice adhiberi: hoc facere potest pro imperio & officii sui prospectu, & quidem, ne fugiat reus, sicque impunitum sit ejus crimen, *cum Reip. interest, omnes puniri maleficos*, ait FVLBERTVS *in Epist.* 21.

Alterum est, an ex eo etiam jure Iudex laicus facinorosum Clericum damnare potuerit: in *d. Can.* 20. eum nec discutere, nec damnare potest prætermisso Pontifice: in *Can.* 4. *quinti Parisiensis*

Con-

Concilii, sub Clotario secundo, eum sine scientia Pontificis per se damnare prohibetur; canon ille quartus exstat *lib. 6. Capitular. cap.* 157. *in Decreto* GRATIANI *Can. nullus* 11. *q.* 1. & apud GREGORIVM *in cap.* 2. *de for. Comp.* Ex iis Canonibus Judex laicus adhibito, seu vocato & sciente Pontifice, Clericum illum damnare potest; sed, quod diligentissime observandum, CLOTARIVS II. Parisiensem hunc Canonem in multis temperavit, nam post illud Concilium statim Edictum promulgavit, in quo omnes fere istius Concilii Canones (suppresso ejus nomine) sigilatim examinat, adhibitis quibusdam temperamentis confirmat, & ipse alias quasdam Constitutiones addit: Edictum illud exscribit doctissimus SIRMONDVS *tom.* 1. *Concil. Gall. pag.* 474 Vnde non mirum, si CAROLVS VII. Biturigibus examinari, & in quibusdam ad Ecclesiæ Gallic. usum & disciplinam temperari curaverit Basileense Concilium; & HENRICVS II. Tridentinum in Comitiis Blesensibus.

In eo igitur *Canone* 4. sic habet: *Vt nullus Iudicum* (nempe sæcularium, ut jam olim diximus) *neque Presbyterum, neque Diaconum, vel Clericum ullum, aut Iuniores Ecclesiæ* (id est minores Clericos) *sine scientia Pontificis* (seu Episcopi) *per se distringat, aut damnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum corrigat & emendet.*

Ea sunt Edicti verba: *Vt nullus Iudicum de quolibet ordine Clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia, per se distringere aut damnare præsumat, nisi convincitur manifestus, excepto Presbytero aut Diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta Canones distrigantur, & cum Pontificibus examinentur.* Omnes ejus Edicti Constitutiones confirmant, & observari jubent Canones ex Synodo incerti loci, quos exscribit SIRMONDVS *in notis ad illud Edictum, tom.* 1. *p.* 618.

Ait CLOTARIVS, *de civilibus causis*, & ita ubi Concilium generaliter prohibet, ne quis Iudex laicus Clericum ullum distringat, hoc quidem generaliter etiam probat CLOTARIVS, *in civilibus causis*. Et hinc fluxisse videtur jus illud, quo utimur hodie, ut pro iis causis Clerici a Iudice laico non conjiciantur in carcerem.

Sed in criminalibus adhibita duplici distinctione Canonem illum temperat. Prima est, vel de crimine non capitali agitur, vel de capitali: ait enim, *qui vero convicti fuerint de crimine capitali*, ergo antea de non capitali actum est: Altera est, in crimine non capitali, vel de Presbytero & Diacono agitur, vel de inferioribus Clericis, ait enim, *excepto Presbytero aut Diacono*. Anteqnam Edicti mentem expendamus, ubi vulgo legitur, *nisi convincitur manifestus* (sic sane habent SIRMONDVS, PETRVS DE MARCA, & COINTEVS) affirmative legendum videtur, *si convincitur manifestus*: nam quid hoc est, Clericum criminis non capitalis reum a publico Iudice distringi posse, *nisi manifestus convincatur*; cum eo casu omnino & potiori jure ab eo Iudice distringendus sit, ne fugiat, & ita impunitum sit illius delictum, ut jam supra diximus.

Si ergo inferior aliquis Clericus cujusdam criminis non capitalis accusetur, vult CLOTARIVS, eum a sæculari Iudice ita demum distringi & damnari, *si convincatur manifestus*, seu quod idem est, si ἐπ' αὐτοφώρῳ, seu in admisso deprehensus fuerit. Additur *excepto Presbytero & Diacono*, ut nempe propter hujusmodi non capitale crimen a sæculari Iudice distringi & damnari nunquam possint. Et sic Edictum illud solis honoratioribus Clericis (qui in aliis Canonibus dicuntur *sacrati homines*) privilegium illud relinquit, quod non multum antea *secundi Matisconensis Concilii Patres* iis jampridem concesserant, in *Can.* 10. ita tamen, ut Edictum illud Subdiaconi non meminerit, quem Patres illi cum Presbytero & Diacono junxerant.

Si vero quilibet Clericus criminis capitalis reus sit, eodem Edicto cautum est, ut *secundum Canones* (a sæculi Iudice) *distringantur, & cum Pontificibus examinentur*. Et hoc valde pertinet ad hodiernum usum, nec eum antiquis Patribus incognitum fuisse arguit, quo in capitalibus illis criminibus Iudex laicus, & Iudex Ecclesiasticus accusationem simul instruunt; ut cum ea omnibus suis partibus præparata est, uterque recedat & seorsim ferat sententiam.

Denique cum in Gallia hodie contra vulgarem, & Iurisconsultis solemnem loquendi usum, crimen illud Clerici *commune* dicitur, de quo Ecclesiasticus cognoscit; & *privilegiarium*, de quo laicus: breviter aperienda est hujusce usus ratio. Quod nempe cum in toto regno jus illud commune esset, ut soli Iudices Ecclesiastici de criminibus Clericorum cognoscerent, & ab eo jure consuetudo *capitalia crimina* excepisset, ut nominatim IVO CARNOT. *in Epist.* 101. sensim invaluit crimen illud appellari *commune*, cujus cognitio jure communi ad Ecclesiasticos Iudices pertinebat? sed cum Consuetudo jus illud singulare introduxisset, ut de capitalibus Clericorum delictis Iudices laici cognoscerent; ab eo jure (quod nihil aliud est quam privilegium) crimina illa dicuntur *privilegiaria*, non modo si mortem irrogent ex legibus regni; sed etiam si exilium; nam & illud est sæcularis jurisdictionis, non Ecclesiasticæ, *cap.* 10. *in fin. Ex. de judic. cap.* 2. *Ex. de Cler. excom.*

CAPVT XVI.

Curabant Canonica judicia in laicos.

PRæstantissimus Parisiensis Archiepiscopus singularem exercitationem *de Canonicis Iudiciis in laicos* pollicitus olim fuerat *lib. secundo de concordia Sacerd. & Imp. cap.* 3. *num.* 7. illud ἀποτέλεσμα nobis invidit fati acerbitas. Insignem hanc quæstionem tractatus ille noster suggerit, & postulat, cum ea etiam judicia curarent Missi Dominici: sed antequam ad eos deveniamus, res ea paulo altius repetenda est.

Inter Canonistas anxie disputatum est olim, an & quomodo Iudices Ecclesiastici de criminibus laicorum cognoscere possint? Statim vero præmittendum est, de iis tantum Iudicibus fingendam esse speciem, qui a solo Christo, non etiam aliunde jurisdictionem habeant, puta ex concessione Principum, vel ex proprietate nobiliorum prædiorum: nam ita invaluit tandem, Ecclesiam habere posse jurisdictiones temporales, ex quibus deliquentes laicos animadvertere possit: hodie non nisi per laicos eas exercet. De iis Iudicibus non est quæstio, sed de iis tantum, qui solam & proprie dictam habent jurisdictionem Ecclesiasticam: nec ullatenus agitur de foro pœnitentiali, omnes enim Christianos huic subjacere constat. Ea igitur duplex constitui solet, ut alia sit *spiritalis* & *interior*, alia *exterior* & *judicialis*. Primam, eamque extrajudicialem, statim expendere juvat.

Rectissime autem *Canon* 12. *Synodi Narbon. an.* 1374. *habita p.* 323. (quam non ita pridem edidit eruditus BALVZIVS) generaliter ait, *Episcopum in qualibet parte suæ diœcesis spiritualem habere jurisdi-*

visditionem, ut absque forensi strepitu peccata fidelium corrigat. Vnde cum INNOCENTIVS III. *in cap. novit.* 13. *Ex. de judic.* scripsit: *Sed decernere intendimus de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus*: nec multo post: *Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatores revocemus a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem*: hoc omnino ad extrajudicialem peccati correctionem; vel, ut ibi addit MOLINÆVS, *hoc ita obtinet in foro pœnitentiali duntaxat*, ut peccatoribus digna pœnitentia imponatur, non etiam in foro fori: absurdum enim visum est tandem, Iudices Ecclesiasticos de quibuslibet criminibus judiciarie cognoscere *propter colligantiam peccati*, ut loquitur *miles*, *in* SOMNIO VIRIDARII *lib.* 1. *c.* 14.

Ad spiritualem hanc & extrajudicialem delictorum coercitionem referendum est *Capitulare* CAROLI M. quod REGINO ABBAS exscribit, *lib.* 1. *de Eccles. discipl. cap.* 10. *ex Synodalibus Capitulis* CAROLI AVGVSTI, *cap.* 10. id est ex iis, quæ CAROLVS M. edidit in Synodis, seu Conventibus publicis post adeptum imperium, ut videre est apud SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 244. qui caput illud reponit, *num.* 32. *Vt Episcopi circumeant Parochias sibi commissas, & ibi inquirendi studium habeant de Incestu, de Parricidiis, de Fratricidiis, Adulteriis, Cenodociis, & aliis.* Sic etiam *lib.* 5. *Capitular. cap.* 165. *Vt Episcopi incestuosos puriter* (id est forte absque ulla dilatione, sicut ICtis pure, id est sine die & conditione) *investigare studeant, omnino præcipimus, ac si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.* Eodem adhuc pertinet *c.* 1. *Ex. de off. Iud. ord.* quod hic attingere non tam forte inconveniens erit; & quod ad Missorum nostrorum tempora proprius accedat; & quod non minimam lucem accipiet *ex quodam Capitulari* CAROLI CALVI, de quo infra, quodque est de Missis Dominicis.

Illud ergo desumptum est *ex Can.* 12. *Synodi Ravennat. sub Ioanne IX. an. D.* 904. ad quem BARONIVS eam integram exscribit. In principio illius Canonis damnatur pernicioſa illa consuetudo, *ut Iudex publicus, vel minister, peccata populi, quæ ab Episcopis inquirenda sunt, quibus animarum sollicitudo commissa est, quasi inquirenda vendant; eaque occasione licenter scelesta vitia augmententur.* Ejus Consuetudinis vestigia exstant in *Synodo Suessionensi* (quinquaginta annis ante illum *Can.* 12.) quam mox dabimus: & *in capitulis* CAROLI CALVI, *ex Synodo Pontigonensi cap.* 6. triginta annis ante *d. Can.* 12. Eo tempore omnia fere crimina a publicis Iudicibus æstimabantur certa pecuniæ summa, quæ dicebatur *Fredum*, *Vvirgildus*, *Compositio* passim, *in Cod. leg. antiq.* & *redemptionis pretium*, apud HOVEDENVM *in legibus Anglicis*. Ideoque cum rei pretium illud solverant, non ita facile patiebantur publici Iudices, eos iterum inquisitioni Episcopali subjacere, quasi *non bis in id ipsum.* Sic etiam si Coloni (conditionales homines, seu adscriptitii) essent criminosi, eorum Seniores seu Domini eos sibi suæque jurisdictioni vindicare volebant; & ita impedire, quominus Episcopi de iis inquirerent, ut nominatim dicitur *in d. Synodo Suessionensi cap.* 9.

Ad exstirpandam hanc perversam Consuetudinem *Ravennat. Concilii Patres*, *in d. Can.* 12. jubent, *ut Episcopi singularum urbium in sua diœcesi liberam potestatem habeant, adulteria, & scelera inquirere, ulciſci & judicare secundum quod Canones censuerunt, absque impedimento alicujus*, puta Iudicis publici, vel Senioris, ut supra notavimus. Inquisitio illa est tantum extrajudicialis, secreta & absque forensi strepitu, cum ad eam pertineant etiam laici. De ea elegantissime *Canon tertius Vernensis Concilii sub* PIPINO *Rege; Vt unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de clero, quam de regularibus, vel sæcularibus ad corrigendum, & emendandum secundum ordinem Canonicum spiritualem, ut sic vivant, qualiter Deo placere possint.* Pontigonensis Canon 6. habet tantum, *Canonice dijudicare:* Ravennatensis, *secundum quod Canones censuerunt:* Sed Vernensis addit, *secundum ordinem Canonicum spiritualem*; ut ita doceat, secretam esse illam inquisitionem, quam in omnes diœcesanos, vel etiam laicos habent Episcopi.

Eodem fere tempore, aut utique non multum antea, LVDOVICVS PIVS, *lib.* 6. *Capitul. cap.* 88. jubet, *ut si quis sæcularium, tam majoris ordinis, quam inferioris, peccatum fecerit, & vocatus Episcopi sui auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire distulerit; tandiu ab Ecclesia sit extorris, & Catholicorum consortio sequestratus, quousque quod commisit, emendet, & reatum suum usque ad satisfactionem Canonice diluat.* Proculdubio Canonicum & Ecclesiasticum est illud Capitulare.

Secreta illa inquisitio, & extrajudicialis ea correptio fluxit a sanctissima illa nascentis Ecclesiæ disciplina, de qua ORIGENES, CONTRA CELSVM, *lib.* 3. *Instituti sunt aliquot, qui in mores ac vivendi rationem fidelium inquirant, & sceleratis interdicant sacri conventus aditum*: & TERTVLLIANVS, *in Apolog. cap.* 39. *Ibidem etiam* (in conventibus fidelium) *exhortationes, castigationes, censura divina: iisque præerant probati quique Seniores, puta Episcopi & Presbyteri.* Et ut illud in ipsis etiam pagis & vicis observaretur, placuit, in iis constitui περιοδεύτας, *circuitores, visitatores, Can.* 57. *Laodicenæ Synodi: qui delicta spiritualia observarent*, ut ibi addit BALSAMON. Et postmodum appellati sunt testes Synodales, *cap.* 7. *Extra. de test. cog.* quod Episcopus eos maturiores & honestiores viros in sua Synodo constitueret, ut in tota diœcesi observarent, eique renuntiarent delicta fidelium, *Can. Episcopus* 35. *q.* 6. Ac tandem addiderunt *Lateran. Concilii Patres*, eam observationem & inquisitionem faciendam esse simpliciter, de plano, absque ulla jurisdictione, seu strepitu forensi, *cap. sicut* 25. §. 1. *Ex. de accusat.*

Secretæ illius inquisitionis effectus ille est, ut Episcopus deprehensum reum etiam laicum judicet, *secundum ordinem Canonicum spiritualem*, *d. Can.* 3. *Vernens. Concilii*: puta eum increpare, & monere debet, ut faciat quæ Deo placita sunt, *d. cap.* 1. *in fin. Ex. de off. Iud. ord. Vt sic vivat, qualiter Deo placere possit*, *d. Can.* 3. id est, omnino recedat a peccato, & ad pœnitentiam veniat: ea omnia sedulo adhibere debet, quæ sacri Canones, & Sancti Patres de privata correptione sanxerunt. Reos autem rebelles & contumaces censuris Ecclesiasticis animadvertere potest, ex laudatis Canonibus: eos excommunicare, *Can.* 1. *Andegavensis Concilii*, *apud Lauriacum*, nec GRATIANVS accusatorem desiderat, passim *in quæst.* 1. *causa* 2. Cumque ultra excommunicationem non amplius habeat Ecclesia quod faciat, Episcopus publicum Placitum convocare potest, *d. Can.* 12. *Ravennat. Concilii*, id est, publicam eorum potestatem implorare, qui in sua Diœcesi publica Placita tenent: quales erant Missi Dominici, & Comites; ut olim diximus.

Sæculares illi Iudices eo casu non implorantur, *ad præjudicandum, sed ad ea, quæ Deo placita sunt, prosequendum*, ut est *in d. Can.* 12. & *d. cap.* 1. id est, non ut causa cognita videant, quid rei sit, & ordine judiciario reum peragant; nam in iis locis

cis agitur de ſola extrajudiciali correctione, in qua quæruntur tantum ea, quæ ſaluti conveniunt, *d. Can.* 12. ſed implorantur in auxilium juris, ut hodie loquimur: puta ut reum debitam Eccleſiæ obedientiam exhibere compellant comminatione ſeveritatis non defuturæ; vel etiam pignoribus captis, & prehenſione corporis: quod quomodo faciendum, aptiſſime ad hunc locum docet AVCTOR SVMMÆ RVRALIS, *lib.* 2. *tit.* 12. ubi de brachio ſæculari. Et ex iis forte fluxit, quod hodie in appellationibus tanquam ab abuſu in negotiis Eccleſiaſticis, ſæpius pronuntietur tantum de ipſo abuſu, non etiam de re principali.

Ea eſt igitur Canonica diſciplina, Epiſcopum in ſuos omnes diœceſanos, etiam laicos, ſpiritualem habere jurisdictionem, ut eorum delicta ſecundum ſpiritualem & Canonicum ordinem coerceat. Sed quæritur, an ordinariam, & exteriorem in illos habeat?

Cum ſacri Canones varia crimina variis quoque cenſuris percelunt, ad eos etiam facinoroſos laicos pertinere conſtat. Vnde ſicut Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium anathemate percuſſit: ita & paſſim Epiſcopi, juxta receptum judiciorum ordinem, quoslibet laicos animadvertunt, in Hiſtoriis & Annalibus Eccleſiaſticis, in Regeſtis & ſummorum Pontificum, & Sanctorum Patrum. Vnum illud luculentiſſimum exemplum pro omnibus. Cum Præſes quidam Lybiæ reus eſſet multorum criminum, & populum crudelius vexaret & opprimeret, S. Athanaſius, Alexandrinus Patriarcha, eum cauſa cognita, & ex ſolemni judiciorum ritu excommunicavit, & juxta *Canonem* 5. *Nicæni Concilii* eam excommunicationem denuntiavit vicinis Epiſcopis, ut palam eſt ex *Epiſtola* 61. S. BASILII. Ea eſt Eccleſiæ diſciplina, in *Can.* 6. *Antiochenæ Synodi*, & *Concilii Calchedon. Canon.* 4. quæ paſſim etiam alibi occurrit.

Et ut deveniamus tandem ad Miſſos Dominicos, hoc etiam probandum eſt ex *Capitulis* CAROLI CALVI, *in actione ſeptima Synodi Sueſſionenſis.* Ejus Conſtitutionis progreſſus ille fuit. Cum *ſecundi Sueſſion. Concilii Patres* ſub CAROLO CALVO, *Can.* 11. ita ſcripſiſſent: *Illud quoque cunctis volentibus confirmatum eſt, qui Eccleſiaſtica diſciplina noxii, ſive ingenui, ſive ſervi coercentur, nulli audeant eos tueri, & vindictam eorum in quoslibet pertinentium ad poteſtatem Epiſcoporum retorquere. Quod ſi qui deinceps præſumpſerint, & excommunicationem Eccleſiaſticam, & motum indignationis Regiæ perpeſſuros.* Ita Synodus laicos, vel ingenuos, vel ſervos ab Epiſcopis coerceri manifeſte indicat. CAROLVS CALVVS ejus Synodi Canones examinans, *in actione ſeptima* quædam Capitula propoſuit, & in eorum *Capite nono* aliquid ſuperiori Canoni addidiſſe videtur: *Vt Miſſi noſtri omnibus per ſingulas Parochias denuntient, quia ſi Epiſcopus, & miniſtri Epiſcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, & ut ipſi criminoſi corrigantur, cum tali diſcretione ſine ulla occaſione indebita, ſicut in Synodo collocutum eſt, ut vel inviti pœnitentiam corporaliter & temporaliter agant, ne æternaliter pereant: ſi Seniores ipſorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos, ne diſtringantur, contendere præſumpſerint, ſciant, quia & bannum noſtrum component, & ſimul cum excommunicatione Eccleſiaſtica noſtram armiſcaram duriſſime exſtinebunt.* SIRMONDVS ea exſcripſit *inter Capitularia* CAROLI CALVI *ex Synodo Sueſſion.* ſed REGINO ABBAS, *lib.* 2. *de diſciplinis Eccleſiaſt.* caput illud 24. tribuit *Conſilio ad S. Medardum*, ſeu quod idem eſt Sueſſionenſi; quia ut diximus, CAROLVS CALVVS ea propoſuit in eo ipſo concilio, ut ea reponeret inter mandata, quæ daturus erat Miſſis Dominicis. BVRCHARDVS, *lib.* 11. *Decreti*, *cap.* 67. & IVO CARNOT. *parte* 14 *Decreti*, *cap.* 115. noſtrum hunc Sueſſionenſem Canonem Eliberitano Concilio tribuunt; ſed quam falſo, rectiſſime docet FERDINANDVS DE MENDOZA, *in Commentariis ad Illiberitanum Concilium*, *lib.* 1. *cap.* 6.

In eo *cap.* 9. Epiſcopus colonos, nempe contumaces aut rebelles, cum virgis flagellare poteſt, quod tamen prohibet *Canon nonus circa finem*, *primæ ſecundæ Synodi*, apud ZONARAM. Sed nihili eſt ea Synodus, quam NICOLAVS I. *in Epiſt.* 8. *latrocinalem* vocat: & paſſim occurrit in ſacris Canonibus corporalis ea caſtigatio, atque etiam in veteribus Monacorum regulis. Hodie quidem ea Iudicibus Eccleſiaſticis non conceduntur, quia nec jus habent in bona, nec in corpora laicorum, ait ALMAINVS *de ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica cap.* 8. *quæſt.* 3. quidquid ſit, & dictus *Canon undecimus*, & *dictum* CAROLI CALVI *Capitulum* evincunt, facinoroſos laicos, puta colonos, ordinarie & judiciarie coerceri poſſe ab Epiſcopis; & quidem virgis, dummodo non crudeliter, ut addit GREGORIVS M. *lib.* 2. *reg. Epiſt.* 44. *Indict.* 2.

Quia vero Deus ſublimiores Poteſtates, publicosque Magiſtratus inſtituit, *qui non ſine cauſa gladium portant ad coercitionem malorum*, & præcipue laicorum, qui pleniſſime iis ſubjacent; ideo ſenſim in iis coercendis imminuta eſt Epiſcopalis poteſtas. Primo enim atrociora crimina publicis illis Iudicibus relicta ſunt; nam ut loquitur S. AVGVSTINVS *ad Prophetam Amos*, *Quædam ſunt peccata ita enormia, quod non veniant a Iudice Eccleſiaſtico punienda, ſed a ſæculari.* Secundo, veteres quidam Interpretes differentiam illam introduxerunt inter peccatum *ſpirituale*, & inter *ſæculare*, ut de priori (quod nempe ſit contra fidem aut Sacramenta) Iudex Eccleſiaſticus ordinarie cognoſcere poſſit: & ita FEVRETVS, *de appellatione* tanquam ab abuſu, *l.* 8. *c.* 2. pluribus probat, eum olim judiciarie cognoviſſe de hæreſi, ſacrilegio, & uſuris: ALMAINVS *quæſt.* 1. *cap.* 10. *ibidem* addit *adulterium*, *quod illud non ſit peccatum mere ſæculare*, *propter Sacramentum matrimonii.* Sed peccati pure ſæcularis (quod etiam in lege naturæ peccatum eſſet, non inſpecta divina) a laico admiſſi, cognitionem ad Eccleſiaſticum hunc Iudicem pertinere negant, niſi Iudex publicus pernicioſe negligat punire facinoroſum ejus criminis reum, ut excipit GERSON. *in tract. de poteſtate Eccleſiaſt.*

CAPVT XVII.

Emendabant. Non poterant dilatare juſtitiam.

SIcut in Iure Civili gravior coercitio & caſtigatio, quam emendatio; ut palam eſt ex *tit. de emend. ſerv. de emend. propin. & ex Epiſtola decima* PLINII, *lib.* 1. ita & Miſſi Dominici graviora delicta coercebant, leviora emendabant. Aliquando quidem *emendationis* verbum pro graviori animadverſione accipitur; ſæpius tamen pro mo derata correctione. Et hinc HOSTIENSIS, *ad cap.* 18. *Ex. de off. Iud. ord.* ait, *emendam*, *& emendare eſſe vocem Gallicam*, quæ ſignificat mulctam, nobis *amande*, quæ levis eſt delicti, & quidem pecunaria correctio. Et ita Chriſtianiſſimi Reges Auguſti exemplo legibus ſuis emendare curabant, quæ contra eos utcumque pugnare videbantur. Cum CAROLVS M. Conſtitutiones ſuas exſcribit, in earum præfatione ſtatim ait, *ſe Miſſos Dominicos mittere, qui nominis ſui auctoritate*

ritate corrigant quæ corrigenda sunt. Lib. 3. c. 84. jubet, *ut Missus Dominicus non solum illud emendet, quod contra suam jussionem factum invenerit, sed etiam ad eum ipsam rem referat, qualiter ab eo inventa est.* In præfatione *Capitularis Aquisgran.* ait, *se direxisse Missos Dominicos, qui corrigerent quæ corrigenda essent:* rogat Prælatos, ut æqui bonique consulant, *quod errata corrigere, superflua abscindere, & recta coarctare studeat.*

CAROLVS CALVVS, *in Synodo Carisiaca, cap. 4. & 5. Vt Missi Dominici pravos actus emendent secundum leges & Capitula regia, & de iis condictam vindictam suscipiant. In cap. 9. Vt emendent rapinas & deprædationes, quas iterantes* (les passans) *in regno fecerint, & curent deprædatores ea omnia, quæ mala egerint, legaliter emendare, & harmiscaram sustinere, id est graviorem multam.* Rectissime enim observat *Magnus* BIGNONIVS *in Not. ad* MARCVLFI *formul. lib. 1. cap.* 18. apud veteres Germanos, & eos omnes populos, qui ab iis prodierint, quælibet delicta, vel etiam graviora, æstimata & redempta fuisse certa quadam pecuniæ summa, cujus pars fisco cedebat, & dicebatur *Vvirgildus:* altera læso, vel ejus hæredibus, & dicebatur *Compositio.* Sicque delictum aliquod legaliter emendare, nihil aliud est, quam pro eo VVirgildum & Compositionem solvere, quod etiam dicitur *secundum legem emendare*, in *Capitulis* CAROLI CALVI *post reditum a Confluentibus*, & in *Synod. Pistensi cap.* 2. ubi additur, ut id genus homines *aut emendent, aut sibi impetrent per indulgentiam perdonari. Qu' ils obtiennent remission*, quæ passim in his Capitulis *Perdonatio* dicitur; & quidem ab ipso Principe, qui solus eam indulgentiam dare potest; aut etiam a Missis Dominicis ex auctoritate Principis, ut in iisdem CAROLI CALVI *Capitulis post eum reditum, cap. 6.* nisi forte dicamus, eo loci *Perdonationem* eam esse indulgentiam, quæ rebus post bella civilia pacificatis a Rege conceditur, nobis *une amnistie*; ut Missi Dominici eam ex auctoritate Regis quibusdam concedant, *faire joüir du bien fait de l' amnistie octroyée par le Roy.*

Ita vero Missi Dominici delicta emendare, & unicuique justitiam reddere tenebantur, ut eam dilatare non possent, id est judicare differre, ut palam est ex LEGIBVS LONGOBARD. *lib. 2. tit. 41.* in cujus epigraphe *Iudices judicare differunt*; et in *cap. 1.* dicuntur *dilatare justitiam.* CAROLVS M. *lib. 3. c. 53. Vt nullus quilibet Missus noster justitiam dilatare præsumat, si statim adimpleta esse potuerit secundum rectitudinem.* Eadem exscribuntur in *iisdem legibus lib. 2. tit. 52. cap. 5.* Regulariter quidem lites peragendæ sunt intra metas lege comprehensas, *l. 2. Cod. Th. de dilat.* & graviter olim coercebatur Iudex, qui malo more judicium differebat; ut nempe litis æstimationem fisco inferre teneretur, *l. 6. Cod. Theod. de jurisd.* aliquando tamen *differt vadimonia Prætor*, ait IVVENALIS, *sat. 3. v. 213.* dummodo iis dilationibus aut res ipsa, aut ipsum judicium non pereat. Sicut enim inter privatos *diei prolatio est donatio*, ait CÆSAR *lib. 3. cap. 32. de bello civili*; ita & sæpius evenire potest, ut dilatare aut differre justitiam, amittendæ rei occasionem præbeat: ideoque prudenter omnino constituitur, ne quilibet Iudices justitiam dilatare possint. Et aliud est, *denegare* jurisdictionem, aliud *dilatare* justitiam, ut suo loco videbimus, quod veteribus erat *comperendinare*, aut *diem diffindere.*

DE MISSIS DOMINICIS AD DISCIPLINAM PUBLICAM.

CAPVT PRIMVM.

Ad eorum curam pertinebat disciplina publica.

SIcut Præfectis Prætorio data est plenior licentia ad emendationem publicæ disciplinæ, *l.* 1. *D. de off. Præf. præt.* ita & certissime constat, datam illam fuisse Missis Dominicis: & hinc hodie dicitur *Intendans de la Police*, ejus nempe, quæ statum Reip. spectat. CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 11. ait, *pro qualicumque publica utilitate directos esse Missos Dominicos*. Idem habet LVDOVICVS PIVS *in* 2. *Capitulari cap.* 11. CAROLVS M. *in* c. 28. *ibidem*, eos admonet, *quantum pro communi salute curam susceperint*. CAROLVS CALVVS, *in primo Conventu ad Marsnam, in adnuntiatione D.* LVDOVICI, ait, *cum adjutorio & Missorum Dominicorum consilio inspiciendum esse, quomodo melius secundum communem profectum & utilitatem in ante esse possit*, id est deinceps, aut in posterum, nobis *dorénavant*. Ea quidem præcise docent, iis commissam, aut commendatam fuisse disciplinam publicam: sed si per partes omnia illius libelli capita accurate inspiciantur, non multa congerenda sunt, ut illud omnino evincatur. Ita enim mittebantur in provincias, ut Abbates, Episcopi, Comites aliive Proceres officio suo fungerentur, & unicuique jus suum redderent; ut compescerent violentias, & milites redigerent in ordinem: ut per eos leges perducerentur ad effectum: ut quod ordinarii Iudices bono publico facere aut exequi non possent, illud vice Regia exequerentur: ac tandem, ut personas, res, actiones, aut judicia revocarent ad receptas justitiæ regulas: nec quid aliud in suis Conventibus, aut Placitis aggrediebantur, quam ut disciplinam publicam foverent & curarent. Hoc elegantissime describit POETA SAXONICVS, *lib.* 4. *Annalium de gestis* CAROLI M. *ad an.* 801.

Italiæ linquens fines Augustus, Aquensem
Expetiit sedem, mansitque quietus hoc anno.
Perque sui partes regni direxerat omnes
Legatos, æquo legum moderamine mandans
Iustitias facere, & varias componere lites,
Reddere jus civile bonis, terrere malignos,
Divinas mundique pias ex ordine leges,
Tunc exerceri mandaverat, & renovari.

In iis omnibus constat proprie disciplina publica, ad cujus emendationem, & tutelam præcipue instituti fuerant Missi Dominici: unde & HINCMARVS eos vocat Missos *publicæ rei ministros*, *in Epistola ad Nicolaum I. apud* FLODOARDVM, *lib.* 3. *Rem. Hist. cap.* 12. *in fin.*

CAPVT II.

Ecclesiastica disciplina, & canonica obedientia.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis ad Teudonis Villam, cap.* 2. sic statim loquitur: *Quia bene nostis ab illo, qui solus merito & Rex, & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut Pontificali auctoritate, & regali potestate gubernetur*: quod etiam ipsissimis fere verbis exscribunt Remensis & Rothomagensis diœceseos Episcopi *in sua Epistola ad Ludovicum Regem cap.* 15. ex qua *titulus* 23. *Capitul. ejusdem* CAROLI. Ea ratione Christianissimi Reges Ecclesiasticam disciplinam semper curarunt impense: nihil frequentius in Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ sub secunda eorum stirpe habitis, quam ut Prælati ab iis petant Missos Dominicos, qui Ecclesiasticam disciplinam restituant: nihil etiam frequentius in eorum Capitularibus, quam ut suis illis Missis Ecclesiasticæ disciplinæ curam demandent.

SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall.* multa passim exscribit CAROLI M. Capitula Ecclesiastica; sed potissimum, *p.* 244. ea quæ Missis Dominicis dedit, *An.* 2. *Imperii*.

1.

De Episcopis & reliquis Sacerdotibus, si secundum Canonicam institutionem vivant: & si Canones bene intelligant & adimpleant.

2.

De Abbatibus, utrum secundum regulam, & Canonice vivant: & si regulam aut Canones bene intelligant.

3.

De Monasteriis virorum, ubi Monachi sunt, si secundum regulam vivant, ubi promissa est.

4.

De Monasteriis puellarum, utrum secundum regulam aut Canonice vivant, & de Clausuris earum.

Hæc potissimum ad Ecclesiasticam disciplinam, & ad eas personas, quæ huic observandæ mancipantur. In iis Capitulis pleraque alia subjiciuntur, quæ ad Ecclesiam omnino pertinent. Idem CAROLVS, aut utique LVDOVICVS PIVS, *lib.* 4. *Capitular. cap.* 48. *De honore Ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur: & ut hoc Missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant.*

Antequam vero a superioribus Capitulis ad alia transeamus, in iis jubet CAROLVS M. *quod si evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia quæcumque tribulatio; ut non expectetur Edictum suum, sed statim Dei misericordia deprecetur in loco*. Et hoc omnino de publicis precibus aut processionibus accipiendum, quibus nempe omnis populus adesse teneatur. Eas *popularem conventum* vocat ANASTASIVS Imp. *in l.* 10. *Cod. de hæret.* & IVSTINIANVS *in Novellis* δημοσίαν πρόοδον, *publicam processionem*. Sicut autem IVSTINIANVS earum processionum formam ab omnibus observandam suis etiam Iudicibus præscribit, *in Nov.* 123. *cap.* 32.

ita & CAROLVS M. indicat, sæpius eas suo Edicto præcedente haberi, quod tamen urgente necessitate remittit. Et ita etiam S. MAMERTVS, Viennensis Episcopus, rogationes instituere noluit, nisi prius adiisset Senatum Viennensem, *cui pandit dispositionem, indicit ordinem, exponit salubritatem; ut ita inter initia vinculum Consuetudinis assignaret*, sunt verba AVITI, *Viennensis Episcopi, in homilia de rogationibus*. Vnde repetenda illa rogationum solemnitas, quæ ab ea Viennensi Ecclesia in universam transiit.

LVDOVICVS PIVS generalem Conventum Aquisgrani habuit, *in quo fecit componi ordinarique librum Canonicæ vitæ normam gestantem*, & paulo post: *Quem librum per omnes Civitates, & Monasteria Canonici ordinis misit per manus Missorum prudentum, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi facerent*, ut est *in ejus vita* apud QVERCETANVM. Et SIRMONDVS, *tom. 2. Concil. Gall. p. 426. Epistolam* LVDOVICI PII exscribit, in qua *Missus Dominicus curare jubetur, librum illum ab omnibus Prælatis transcribi, ejus formulas lubenter suscipi, & devote adimpleri*.

Episcopi in *verno Palatio can. 2.* (quidam hodie vertunt *le Palais du Printems*, quasi Reges eo tempore haberent Palatia, in quibus vere manerent; sed meræ nugæ: nam occurrere deberent etiam æstiva & hyberna: & dicendum etiam esset *Vernense Concilium*, vere habitum: lubens tamen agnosco, non mihi constare, quis ille sit locus, seu fiscus Regius, ubinam Regia illa villa.) petunt a CAROLO CALVO, *ut ejus Legati seu Missi probatæ fidei coerceant Apostolicæ disciplinæ contemptores*. Ibidem CAROLVS, *in Capitulis ex Synodo Suession. actione 7. cap. 4.* jubet, *a Missis ordinari, ut omnes Ecclesiæ, & Presbyteri secundum auctoritatem Canonicam permaneant*.

Quodque observandum, Missi Dominici facinorosos homines ad pœnitentiam publicam cogebant, si quidem censuris Ecclesiasticis ad eam cogi non possent. CAROLVS CALVVS, *ibidem cap. 10. Vt Missi nostri Regia auctoritate & potestate ad penitentiam eos adducant, quos Episcopus per excommunicationem adducere non potuerit*. IDEM, *in Capitulis ex Synodo Pistensi cap. 2.* jubet, *ut Missi curent criminum reos fideliter exequi pœnitentiam publicam ab Episcopis indictam & impositam*. Imo & *in cap. 4. Vt Seniores & Potentes cogant homines suos Episcopis redire, ad agendam hanc pœnitentiam publicam*. Idem statuit CAROLOMANNVS, *in Vernensi Palatio, cap. 4. post Capitula* CAROLI CALVI. Ex iis illustratur & confirmatur eorum sententia, qui asserunt, contumaces pœnitentes octavo sæculo manu militari, vel Regia coactos fuisse ad pœnitentiam iis indictam.

Nec mussitent quidam Clerici & Monachi, quod Missis Dominicis, iisque ut plurimum laicis, tot tantaque concedantur in hoc tractatu, quæ omnino spiritualia videntur: Primo enim non illud gratis asserimus, sed præcise laudamus auctores probatæ fidei: Secundo, ea omnia pertinent ad Ecclesiasticam πολιτείαν, & disciplinam, cujus tuitio & custodia tota est in manu Regis, ut passim agnoscunt *Sacri Canones* & *Sancti Patres*.

CAPVT III.

Aderant Conciliis & Electionibus Episcoporum.

EPhesino & Chalcedon. Concilio Imperiales adfuere Iudices, imo & Magistratus municipales; non quidem ut judicarent, sed ut caverent, ne quid tumultuarie aut contra leges fieret. Ita & Christianissimi Reges non modo Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ sua auctoritate convocatis adfuerunt; sed etiam aliquando voluerunt iis adesse Missos Dominicos, ut in iis voluntatem suam & mandata sua exponerent. Duo exempla pro omnibus. Cum CAROLVS M. jussit *Moguntiaci Concilium haberi, an. 813.* in ejus præfatione statim occurrunt *Missi Dominici*. Sic etiam cum ejusdem jussu convocatum est *sextum Arelatense Concilium*, ejus etiam præfatio nominatim habet, ei adfuisse Missos Glorioissimi & Piissimi Imperatoris, qui dixerunt, *eum vigili instantia roborare velle statum Ecclesiæ, & ejus Concilii Patres observare, ut Ecclesias, quas susceperunt, pia prædicatione instruant, moribus sanctis exornent, & beatæ vitæ exemplis ædificent; ut pro eo & pro ejus familia preces & vota solvantur*. Nec semel occurrit, ut illi ipsi Reges in ipsis Conciliis Capitula, seu mandata sua in iis probata suis Missis tribuant. Iis temporibus Christianissimi Reges Synodos, & Concilia sæpius convocabant, & secundum sacros Canones ab Episcopis convocari patiebantur; quod ea ratione disciplinam Ecclesiasticam foveri probe noviissent, Vnde cum sub LVDOVICO PIO utcumque desiissent, *sexti Parisiensis Concilii Patres lib. 1. Can. 26.* scribunt, *eam esse causam, cur Ecclesiastica & Regia auctoritas dehonorationem, & detrimentum patiatur*.

Constat etiam, sæpius electioni' us Episcoporum adfuisse Missos Dominicos. ADRIANVS PAPA, *in epist. tertia ad Carolum M. Quia quando Sergius Archiepiscopus obiit, in electione Leonis Archiepisc. fuerint Missi vestri Hucbaldus, & Pares sui*; & *ibidem* conquestus videtur CAROLVS M. quod Missi sui non adfuerint electioni Ravennat. Archiepiscopi. Idem ADRIANVS, *in epist. ad Tilpinum Remens. Archiep.* apud FLODOARDVM, *lib. 2. Rem. hist. cap. 17.* ei mandat, *ut cum Missis* CAROLI M. *Francorum Regis inquirat de ordinatione Lulli Moguntini Episcopi, ejus fidem, doctrinam, conversationem, mores & vitam investiget*. Luculentissimum illud exemplum omnino evincit, olim etiam informationes *de fide, vita, & moribus Episcoporum* factas fuisse in Gallia coram Prælatis Ecclesiæ Gallicanæ, & Missis Dominicis, cum vel etiam Summus Pontifex de eorum ordinatione cognoscebat.

Cui bono electionibus illis adessent Missi Dominici, docet IOANNES VIII. in *epistola ad Hincmarum Rem.* apud FLODOARDVM *Sirmondi cura editum, pag. 412. Cui electioni volumus etiam Missum præfati piissimi Imperat. interesse, ut sine sæcularium strepitu, omni latere talis eligatur, qui aptus sacris Canonibus esse modis omnibus adprobetur*. Constat, iis adhuc temporibus populum electionibus Episcoporum adfuisse, & ideo sæpius eas fuisse dissensiones, ut ad eas sedandas aut compescendas a Regibus aut Imperatoribus mitterentur quidam Præfecti, ut testatur *Vita S. Evurtii Aurelian. Episcopi*: ad id Christianissimi Reges sub secunda stirpe Missos suos destinabant.

Sed & alia ratione Missi Dominici de electione & ordinatione Episcoporum cognoscebant, quia sæpius huic electioni accedere debebat consensus Regis, ut omnes norunt. Sæpius autem Missi Dominici sacra vice inquirebant in eas electiones, an rite factæ essent, an idoneus esset electus, ita ut eum rejicere & refutare possent: unde cum sub LVDOVICO PIO Senonensis Ecclesia suum elegisset Archiepiscopum, Missi Dominici eam electionem refutasse dicuntur, in *Epist. 15. 16. 17. inter Epistolas Frotharii Tullensis Episcopi*, apud QVERCETANVM, *tomo II. hist. Franc.* & hinc doctissimus SIRMONDVS, *in Appendice ad tom. 2. Concil. Gall.* inter *antiquas formulas promotionum Episcopalium*,

toti-

totidem verbis exſcribit tres illas Epiſtolas; & quidem ea mente, ut doceat, quænam Miſſorum Dominicorum poteſtas fuerit in electionibus Epiſcoporum.

CAPVT IV.

Regia vice aderant nuptiis regalium liberorum.

LOcus ille ſingularis pertinet valde ad dignitatem Miſſorum Dominicorum, & ad illuſtrationem celeberrimæ quæſtionis de nuptiis filiorumfam. ſine conſenſu parentum. Inſignis ea hiſtoria (quæ occaſionem dedit huic capiti) omnino repetenda eſt ex FLODOARDO, *lib.* 3. *Hiſt. Rem. cap.* 12. Ex *Capitularibus* CAROLI CALVI, *tit.* 35. *cap.* 5. Ex *Epiſtolis* NICOLAI I. *ad Carolum Calvum, & ad Hermentrudam Reginam, ejus uxorem, ad Epiſcopos Synod. Sylvanectenſis, ad Hincmar. Rem. & ex ejus Epiſtolis ad Nicolaum & alios.*

Iudith, CAROLI CALVI filia, tum primum nupſit Edelulfo, Regi Anglorum; ejus coronationem exſcribunt SIRMONDVS, & QVERCETANVS. Eo Rege mortuo, Iudith venditis, quas in Anglia obtinuerat, poſſeſſionibus, ad Patrem revertitur, quæ ab eo ſub Eccleſiaſtica tuitione, & regio Mundburdo, ſeu regali tutela manere decernitur, cum adhuc minor eſſet viginti quinque annis. Balduinus Comes, ignorante Carolo patre, viduam illam rapuit, & uxorem duxit, conſentiente Ludovico Caroli fratre, & aliis Proceribus conſciis. Carolus de ea re certior factus graviter commotus eſt ob atrocem illam a Vaſſallo ſuo acceptam injuriam; convocavit regni Proceres, ex eorum conſilio ſecundum mundanas leges damnavit Balduinum, (quod quid ſit, mox videbimus) & omnia ejus bona confiſcavit. Poſt illud legale judicium Eccleſiæ Gallicanæ Prælati in Synodo Sylvanectenſi eum & Iudith excommunicaverunt: Carolus illud denuntiavit Lothario, nepoti ſuo, & inter utrumque convenit ne quis in Regno ſuo Balduinum recipiat aut immorari patiatur. Nihilominus tamen Balduinus fugit in regnum Lotharii, & humaniter ab eo receptus eſt; ſed tandem tædio affectus adiit Nicolaum I. tunc temporis ſummum Pontificem, & ab eo petiit, ut ſuis precibus molliret Carolum. Pontifex de ea re ad Carolum, & ad Hermentrudam ſcripſit, ſed fruſtra: cumque negotium illud peragere, & ad bonum finem perducere haberet in votis, ejus curam demandavit Hincmaro Remenſi, ſagaciſſimo viro. Hincmarus vicit Carolum, ab eo veniam obtinuit pro Balduino & Iudith, ut ſimul matrimonio jungerentur, eamque patri & matri præſentavit; ſed non prius utrumque deſponſare voluit, quam peracta gravi pœnitentia ſatisfeciſſent Eccleſiæ, quam læſerant: ac tandem in Altiſſiodorenſi Eccleſia exequi ſtuduerunt jura legum ſæcularium, quæ elegerant, & ſecundum leges ſæculi uxoria conjunctione copulati ſunt. Carolus Calvus huic deſponſationi, & conjunctioni intereſſe noluit; ſed permiſit, ut præſentibus Miſſis Dominicis celebraretur illud matrimonium, & honores Balduino reddidit, ſeu majora feuda, dotis nomine dedit ei Flandriam, eumque Comitem Flandriæ appellavit, ut loquitur MVTIVS *in Chronico Germanico*, *lib.* 11. unde SIRMONDVS *ad Capitularia* CAROLI CALVI, contendit, *ab eo Balduino genus & originem eſſe veterum Flandriæ Comitum.* ANNALES FLANDRIÆ *lib.* 2. *ad an.* 837. eum vocant *Balduinum Ferreum.*

Ex iis pleraque obſervanda occurrunt. Primum eſt, errare omnino QVERCETANVM, qui in Nicolao I. ſcribit, ab eo Pontifice excommunicatum & abſolutum fuiſſe Balduinum; quod tamen conceptiſſimis verbis negat Pontifex NICOLAVS *in Epiſt. ſua ad Synodi Sylvanect. Epiſcopos*: & ille ipſe CAROLVS nominatim etiam ſcribit, a regni ſui Epiſcopis excommunicatum illum fuiſſe. Ac tandem *ex Epiſtola Hincmari apud* FLODOARDVM *l.* 3. *c.* 12. colligi poteſt, abſolutum illum fuiſſe ab Hincmaro.

Secundum eſt, quod Balduinus & Iudith exequi ſtuduerint jura legum ſæcularium, quæ elegerant. *Eo tempore Franci duas habebant leges in multis diverſas*, ait EGINARDVS: & jam fere omnibus placuit, eam eſſe Romanam, & Salicam, cum Decretis & Conſtitutionibus ad eam additis. Atque etiam tunc temporis unicuique liberum erat, profiteri, qua lege vivere vellet, ut paſſim videre eſt *in legibus Salicis, in Capitularibus, & aliis hujusmodi legibus antiquis*. Ejus electionis rationem hanc affert LINDENBROGIVS, *in Prolegomenis ad Cod. leg. antiq.* quia cum variæ gentes Imperio Romano ſubditæ, & a majoribus noſtris devictæ, non ita facile paterentur legum Romanarum mutationem, ſub quibus vivebant; ne forſan excandeſcerent, iis conceſſa eſt ea electio.

Tertium eſt, quod non ſatis conſtet, quænam fuerit ea lex *mundana* aut *ſæcularis*, (ad differentiam Eccleſiaſticæ) ſecundum quam Balduinus & Iudith uxoria conjunctione copulati ſunt: nam & leges Theodoſiani Codicis nullam plane ſpem relinquunt inter raptorem & raptam contrahendi matrimonii; ne quidem ex ſuperveniente conſenſu parentum, *l.* 1. *Cod. Th. de raptu virginum*; & hoc ſequuntur Iuſtinianeæ *in l. un. Cod. eod.* & *in Novellis*; atque etiam *Capitularia Regum* noſtrorum eas leges exſcribunt & probant: nec ad eas reſpicere potuit HINCMARVS, qui & ipſe, *in Epiſt.* 16. *ad Carolum Regem cap.* 5. eas etiam laudat & commendat. An ergo lex illa ſæcularis non alia eſt, quam vetus Ius civile, ex quo nuptiæ inter raptorem & raptam conſiſtere poterant, ſi quidem ea conſentiret, eumque maritum expoſceret, *d. l.* 1. *Cod. Th. de rap. virg.* qua de re fuſius antiqui Declamatores. Nec dicendum eſt, eo tempore incognitum fuiſſe jus illud vetus: nam & quidam viri docti obſervarunt, juris illius meminiſſe CAROLVM CALVVM, & HINCMARVM. Sed forte vix eſt, ut hic ad illud reſpexerit, qui non ita pridem, apud eum ipſum Carolum ipſiſſima verba IVSTINIANI laudaverit in *d. cap.* 5.

Dicendum exiſtimarem, illud de lege Salica intelligendum, quippe quæ raptum, ſicut & aliud quolibet crimen, pecunia tantum æſtimat, ut videre eſt in ejus *tit.* 14. Sed cum ex legibus Rom. & ex Capitularibus, ultimum ſupplicium immineret; invaluit, ut raptor quibusdam ſummæ dignationis hominibus adhibitis de vita ſua componeret in certam pecuniæ quantitatem, raptam uxorem duceret, eique aliquid donaret. Luculentiſſimum juris illius exemplum exſtat apud SIDONIVM APOLLIN. *lib.* 5. *Epiſt.* 19. ubi agit de hujusmodi *compoſitione ſeu ſatisfactione*, & addit, *ne conſtringat pœna raptorem*. Ex eo jure, quod ita obtinuit, MARCVLFVS *lib.* 2. *cap.* 16. de ea compoſitione formulam ſcribit, quam vocat *compoſitionalem Epiſtolam*, quæ ad vitandum mortis periculum fiat interpoſitis Sacerdotibus, aut bonis hominibus. Eadem etiam formula exſtat *inter veteres formulas juris Rom. cap.* 16. *poſt. Marculfianas*, apud SIRMONDVM: & utrumque caput illud exſcribit etiam LINDENBROGIVS *in form. cap.* 82. *et* 83. Ab eo jure non multum diſtat, quod habent Græci auctores BASILICON *lib.* 60. *tit.* 37. *cap.* 80. & BALSAMON, *ad Can.* 67. *Apoſt.* ubi raptor volen-

tem raptam uxorem ducere poteſt, ſi conſentiant parentes. Et ita cum Sacerdotes, nempe Nicolaus I. Hincmarus, & alii Proceres CAROLUM CALVVM rogarent, ut Balduino parceret, quem, teſte NICOLAO & FLODOARDO, volens Iudith ſequuta fuerat; rectiſſime NICOLAVS *in Epiſt. ad Epiſcopos Synodi Sylv.* dixit, CAROLVM CALVVM *Balduino parcere poſſe, & legaliter filiam ſuam ei dimittere in uxorem*. Cumque HINCMARVS, *Tit.* 17. ait, *permiſiſſe* CAROLVM, *ut ſecundum leges ſæculi uxoria conjunctione copularentur*, id eſt ſub conditione, (ut in ſimili loquitur Sidonius *laudato loco*) ſi ex lege Salica de vita componat; ſcribat compoſitionalem Epiſtolam, qua crimen et ejus pœnam agnoſcat; Iudith ducat uxorem, eique aliquid donet: illud ibi eſt *copulari ſecundum leges ſæculi*.

Quartum eſt, quod quamvis Balduinus raptam Iudith duxiſſet uxorem, poſtea tamen compoſitione facta, in Altiſſiodor. Eccleſia iterum uxoria conjunctione copulati fuerint. Vnde mihi conſtat, ſemper in Gallia ipſo jure nullum fuiſſe matrimonium illud, quod filiifam. ſine conſenſu parentum contrahunt, alioquin noſtrum illud male contraheretur. Simile aliud exemplum exſtat apud REGINONEM, *in Chronico ad an.* 888. ubi LVDOVICVS BALBVS absque conſenſu Patris Ansgardam duxit uxorem, & ex ea ſuſcepit Ludovicum & Carolomanum: ea adhuc vivente pater eum matrimonio junxit cum Adela, quam prægnantem reliquit: omnes agnoverunt quaſi Regem Franciæ, filium ex ea ſuſceptum, non etiam Ludovicum & Carolomannum; quod non eſſent legitimi, quippe qui ex ea ſuſcepti eſſent, quam Ludovicus Balbus non conſentiente patre duxerat. Et facile probaverim per ætates & tempora, ſemper eam fuiſſe diſciplinam Eccleſiæ Gallicanæ. Et hinc Regiæ Conſtitutiones, & SCta declarant eas nuptias *non valablement contractées*, nequidem in foro poli, quod in iis deſit legitimus conſenſus. Et ideo HINCMARVS, *in Epiſt. quam Sirmondus ſubjicit poſt Synodum ad Tuſiacum*, ait, *Eas nuptias in ſe habere Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, quæ adhibito patris conſenſu contractæ ſunt*: Sed de ea re alias.

Denique CAROLVS CALVVS nuptiis illis adeſſe noluit, ſed tantum Miſſos Dominicos deſtinavit, qui eas Regia vice comprobarent, aut utique ſuo nomine iis conſentirent. Nam non modo regales liberi absque Regio conſenſu matrimonium contrahere non poſſunt, ſed ne quidem Regis beneficiarii ſeu vaſſalli, ut *ex vita S. Godebertæ virginis* exſcribit QVERCETANVS, *tom. 2. Hiſt. Franc. pag.* 671.

CAPUT V.

Monachorum regulæ. Loca, in quibus Monaſteria ædificentur. Eorum clauſtra & officina.

CVm Imperatores Romani Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, non multum poſtea Monachos, eorum domus, bona, diſciplinam, & mores ad ſuam curam pertinere voluerunt: tum vero præcipue, quod fidei veritatem apud eos eſſe crederent, qui factis virtutem declarabant, SOZOMENVS, *lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap.* 20. & 27. Et ita VALENS, & VALENTINIANVS, *circa an.* 370. eorum moribus, converſationi & avaritiæ proſpiciunt, in *l.* 20. *Cod. Th. de Ep. & Cl.* Iidem *circa an.* 373. conſtituunt, Monachiſmo non evitatari curialem conditionem, *l.* 26. *Cod. de decur.* THEODOSIUS M. *circa an.* 390. Monachos deſerta loca & vaſtas ſolitudines habitare jubet, *in l.* 1. *Cod. Th. de Monach.* biennio poſt revocat eos ad urbes & civitates, *l. ibid.* ARCADIUS *ad an.* 398. conſtituit, ex Monachis ordinari poſſe Clericos, dummodo publicis aut etiam privatis rationibus obnoxii non ſint, *l.* 32. *Cod. Th. de Ep. & Cl.* Eodem anno eorum audaciam in ſceleratis de Iudicum manu eripiendis cohibet, *in l.* 16. *Cod. Th. de pœn.* & in *l.* 57. *eod. Cod. de appell.* HONORIVS *ad an.* 401. iis concedit immunitatem ab auraria penſione, *in l.* 36. *Cod. Th. de Ep. & Cl.* THEODOSIVS IVNIOR *ad an.* 434. legem tulit de *bonis Monachorum*, quam in ſuo Cod. *ſub. eo tit.* repoſuit. MAIORIANVS, *in Nov.* 8. *de Sanctimonialibus*, ætatem definit, qua Moniales conſecrari debeant. IVSTINIANVS multas Conſtitutiones edidit, *in libris Cod.* & *in ſuis Novellis*, de Monachis, de triennali eorum probatione, de eorum moribus, converſatione, victu, veſtitu, bonis, & hæreditatibus. Denique LEO SOPHVS, *in Nov.* 6. definit etiam, qua ætate Monaſtica profeſſio emittenda ſit, ejusque Novellæ meminit THEODORVS BALSAMON *ad Can.* 40. *ſextæ Synodi*.

Eorum Imperatorum pietati ſucceſſerunt, imo & non minimum addiderunt Chriſtianiſſimi Reges. Conſtat enim, eos innumera fere Monaſteria fundaſſe, multa recepiſſe in mundeburdum, ſeu Regiam tuitionem & protectionem, & multis ſanctiſſimas dediſſe regulas. CAROLVS M. *lib. 1. Capitul. cap.* 45. & 101. conſtituit, virgines non velari ante vigeſimum quintum ætatis annum: Monaſticæ probationis meminit, ut fiat ſecundum regulam, *lib.* 1. *cap.* 69. Monachis cantum dedit, *l.* 1. *c.* 74. Epiſcopis omnibus mandat, ut in ſuis Monaſteriis religionem aut regulam obſervari curent, & auxilium ſuum implorent, niſi ea obſervetur, *lib. 2. cap.* 4. LVDOVICVS PIVS *in addit.* 1. *Capit. cap.* 34. probationis annum indicit. CAROLVS M. LVDOVICVS PIVS, & CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitularibus*, Regulam S. Benedicti paſſim Monachis omnibus imperant, eorumque curam egerunt exactiſſime, & per ſemetipſos, & per Miſſos Dominicos. Quæ omnia ſigillatim expendere juvat, & forte longioris ſubſellii erit ea diſquiſitio.

Et primo quidem, cum olim in Gallia plures & variæ eſſent Monachorum regulæ, modo S. Columbani, modo S. Cæſarii, modo S. Aureliani, modo quædam ſingulares in ſingulis Monaſteriis; non immerito CAROLVS M. Epiſcopos & Abbates interrogat, qua regula Monachi vixerint in Gallia, priusquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuerit. Sed cum S. Benedictus Monachorum diſciplinam in Occidente fere collapſam reſtituit, ſolam ejus regulam in Gallia omnibus Monachis imperarunt Auguſtodunenſis Concilii Patres, *Can.* 15. *ad an.* 670. Liptinenſis, *Can.* 7. *ad an.* 743. Moguntiaci, *Can.* 11. *ad an.* 813. & alii plures. Vnde cum CAROLVS M. in quibusdam Capitulis Eccleſiaſticis, primo ejus imperii anno editis, *cap.* 2. 3. & 4. jubet, *ut Monachi & Moniales ſecundum regulam vivant*, hoc omnino referrem ad regulam S. Benedicti: & doctiſſimus SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. p.* 245. obſervat, ea Miſſis Dominicis data fuiſſe, ut perducerentur ad effectum.

LVDOVICVS PIVS *in* 2. *Aquiſgranenſi Concilio, cap. de vita & doctrina inferiorum ordinum, Can.* 15. ſic habet: *Hoc tamen ut non negligatur a Prælatis Congregationum, Miſſis Dominicis committatur, ut Monachi ſecundum traditam a S. Benedicto Regulam unanimiter regularem vitam in omnibus ſectentur.* Hoc mirum in modum illuſtrat *vita & actus* LVDOVICI PII, *ad an.* 817. *apud* QVERCETANVM: *Imperator generalem habuit Conventum Aquisgrani &c.*

fecit

fecit componi ordinarique librum Canonicæ vitæ regulam gestantem &c. *quem librum per omnes civitates & Monasteria Canonici ordinis sui Imperii misit per manus Missorum prudentum, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi facerent, debitaque & conscripta exigerent stipendia ministrari* &c. *qui uniformem traderent cunctis Monasteriis, tam viris, quam sanctimonialibus fœminis vivendi secundum regulam S. Benedicti incommutabilem morem.* Duas ejus Imperatoris in eam rem Epistolas exscribit SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 426. 675. & aliam AVBERTVS MIRÆVS, *in Cod. donat. piar. cap.* 13.

Secundo, cum S. BENEDICTVS cœnobitas duntaxat probaret, *cap.* 3. §. 1. *suæ regulæ*, qui nempe simul communem vitam agerent intra ejusdem Monasterii septa; ideo Christianissimi Reges cum eo Patriarcha diligenter curare voluerunt, in quibus locis ponerentur Monasteria. Et hinc *Concilii Moguntiaci* sub CAROLO M. *Canon* 20. præcipit, *Vt Missi Dominici cum Episcopis uniuscujusque diœcesis perspiciant loca Monasteriroum, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodum & necessarium possit acquiri, quo ad utilitatem pertinet Monasteriorum, sicut in sancta regula dicitur*, nempe S. Benedicti. Additur: *Similiter quoque ædificia Monasteriorum supradicti Missi, & cum iis Episcopi per diversa loca prævideant, si apta sint, & congruenter sanctæ professioni composita, vel si claustrum firmum habeant.* Ea exscripsit BENEDICTVS LEVITA, *lib.* 5. *Capitular. cap.* 143. & addidit: *Ab Episcopis locorum diligenter curandum, ut Monachi, Canonici, & Nonnanes, habeant condignam professioni custodiam, une clôture raisonnable*, clausura bene firmata, in quibusdam CAROLI M. *Capitulis, des Cloîtres bien formés.*

CAROLVS CALVVS, *in suis Capitulis Synodi Suessionensis, actione* 7. *cap.* 1. constituit, *Vt Missi Dominici congruas officinas in Monasteriis construi jubeant*; id est loca, in quibus Monachi quotidiano manuum operi vacare debent intra Monasterii septa, ut palam est *ex regula Cassiani*, apud S. BENEDICTVM, *Anianæ Abbatem, in Concordia regularum, cap.* 55. *de opere manuum cotidiano* §. 22. Ipsum quidem Monasterium est *spiritualis officina*, inquit MAGISTER *in sua regula cap.* 6. sed in eo sunt etiam destinata loca cotidiano manuum operi, quæ passim dicuntur officinæ. In eodem etiam *Can.* 15 *secundi Aquisgran. Concilii* committitur Missis Dominicis, *Vt Canonici, Monachi, Sanctimoniales, secundum regulam vivant in congruentibus claustris & domibus.*

CAPVT VI.

Receptio, Probatio, Votum seu Professio Monachorum.

SAnctus BENEDICTVS, *in regula sua* scripsit *cap.* 65. *de disciplina suscipiendorum Fratrum*, ad quod multi ejus ordinis Abbates multa etiam addiderunt, ut videre est *in Concordia regularum, quam edidit* S. BENEDICTVS, *Anianæ Abbas.* Eam impense curarunt Christianissimi Reges. CAROLVS M. secundo Imperii sui anno Capitula quædam Ecclesiastica edidit, & Sirmondus ea Missis Dominicis data fuisse notat, ut jam diximus. In eorum *cap.* 17. *apud* SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 246. jubet, *Vt quicunque liberi homines Monachismum induere velint, ab eo licentiam petant*: & rationem hanc subjicit: *quia quidem ex iis non tam causa devotionis, quam exercitum seu aliam functionem regalem fugiendo; quidam vero ab iis circumventi erant, qui res illorum concupiscunt.* ANSEGISVS ABBAS Capitulare illud excripsit, *lib.* 1. *Capitular. cap.* 114. Ius illud diu ante CAROLVM MAGNVM in Gallia obtinuisse, probatur eleganter *ex vita S. Mauri Abbatis*, quod valde pertinet ad nostram Andegav. historiam. Quo tempore S. Maurus Glannafolium venit (hodie *S. Maur sur Loire en Anjou*) sub THEODOEBERTO I. Clodovæi filio, Florus in ejus regno summam obtinebat potestatem, & *Vicecomitis*, (ut legit QVERCETANVS *tom.* 1. *pag.* 540.) velut BENEDICTINI *in vita S. Mauri*, ab iis non ita pridem edita, *vice Comitis* in Andegavensi pago fungebatur; sed cum THEODEBERTVS Metense regnum habuerit, quomodo Florus Andegavensem provinciam sub eo administrare, aut regere potuit? COINTEVS *ad an.* 526. *num.* 4. & DACHERIVS, *ad eamdem vitam S. Mauri* respondent, quod post mortem Clodomeris, Aureliæ regis, THEODEBERTO, Theodorici filio, Andegavia obvenerit. Quidquid sit, *Florus a Theodeberto rege licentiam petiit, ut ei regularem liceret suscipere habitum; quam cum Rex negare nequivisset*, &c. Constat, idem juris obtinuisse olim in Clericis absque præcepto Regio non ordinandis, *ex primi Aurelian. Concilii Can.* 4. & ex MARCVLFI *formula* 19. *lib.* 1. ad quam magnus *Bignonius*. Sed illud Capitulare CAROLI M. pertinet tantum ad Monachos, qui se ad servitium Dei tradunt: ac potissimum religionem, aut Monachismum induere non poterant olim sine permissu Principis; aut Judicis puta Regii, & forte Missi Dominici, quos publicus census spectat, ut est in *Synodo Remensi, apud* FLODOARDVM, *lib.* 2. *cap.* 5.

Eodem *libr.* 1. *Capitular. cap.* 69. CAROLVS M. agit de probatione & voto Monachorum, & ut pateat, eorum Capitularium executionem datam fuisse Missis Dominicis, observandum est, omnia fere istius libri Capitula ab Ansegiso desumpta esse, ex Aquisgranensi Capitulari CAROLI M. quod dicitur, *Edictum legationis in Palatio Aquisgrani datum Missis Dominicis, an.* 789. & hinc CAROLVS M. *in ejus Capitularis præfatione* ait, *se suos Missos direxisse, qui ea Capitula exequerentur, & corrigenda emendarent*: statim ergo jubet, *in cap.* 45. *Vt virgines non velentur ante* 25. *ætatis annum*, quod omnino desumpsit *ex Can.* 126. *Africani Concilii*; & illud adhuc exscribit, *in cap.* 101. Ac postmodum *in cap.* 69. *Vt ad Monasteria venientes secundum regularem ordinem primo in pulsatorio probentur, & sic recipiantur. Et ut qui ex sæculari habitu in Monasterium veniunt, non statim foras ad ministeria Monasterii mittantur; antequam intus bene erudiantur*, contra quam hodie mendicantes perperam faciunt. Ac tandem, *ut qui se voto vitæ Monasticæ constrinxerunt, modis omnibus secundum votum suum vivere compellantur.*

Eo plane pertinet *cap.* 2. *Ex. de regular.* quod diligentius excutiendum. Et primo quidem non satis constat, undenam desumptum sit. In antiqua & Gregoriana Compilatione simpliciter adscribitur Monguntino Concilio: BVRCHARDVS & IVO CARNOT. in suis Decretis *Part. VII. c.* 76. addunt: *Cui interfuit Carolus Imperator, & Riculphus Archiepiscopus in claustro S. Albani, Can.* 20. Sed ANT. AVGVSTINVS *lib.* 1. *Dial.* 12. asserit, nullibi eum Canonem reperiri, præterquam apud eos Compilatores. SIRMONDVS Concilium illud, & 55. illius Canones edidit, ac ne verbum quidem de hoc nostro *Can.* Sapit utique disciplinam ejus Concilii, nam & ex ejus *Can.* 23. *in fin.* regulam hanc Raymundus exscripsit, *in cap.* 1. *de regul. ibid. Nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate*: additur in integro *Can. Vel*

cum

cum licentia Domini sui. Ait ergo *d. cap.* 2. *Si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum, si parentes ipsius intra annum non reclamaverint ad Principem, aut proprium Episcopum, vel ad Missum Dominicum, in clericatu permaneat. Si vero post legitimos annos per vim Clericus factus est, & nec ipse nec parentes ejus intra annum ad memoratas personas reclamaverint, in clericatu permaneat*. Ex eo Canone unum illud observant forenses ICti, olim, seu Iure Canonico, Monachum contra suam professionem reclamare tantum potuisse intra annum: BRODÆVS *ad SCta Lovetii litt. C. num.* 8. Hodie ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 19. intra quinquenium. Sed miror, quomodo non invaluerit eam reclamationem fieri, aut apud Principem, aut apud Missum Dominicum, ut in hoc *cap.* ubi perperam HOSTIENSIS, & alii veteres volunt, Principem esse Papam, & Missum Dominicum esse Legatum a Papa missum: nam certo certius est, ibi Principem esse CAROLVM MAGNVM, qui adfuit huic Concilio; & Missum Dominicum esse Missum Domini Regis, nam & præfatione illius Concilii, & in ejus *Can.* 20. agitur de Missis regalibus: hoc, inquam, miror, cum status personarum sit omnino juris publici, & tam sæpe Reges constituerint, statum, vota, & professionem Monachorum, pertinere ad suam, suorumque Iudicum curam.

CAPVT VII.

Monasteriorum subjectio. Libertas seu exemptio. Reformatio. Victus & vestitus.

CVm olim Monachi ex primæva origine sua essent omnino liberi, & exempti a potestate & jurisdictione Diœcesanorum Episcoporum, eo tandem fluxit Ecclesiastica disciplina, ut iis jure communi subjaceant: eam quoque probarunt antiquiores Ecclesiæ Gallicanæ Canones, *Aurelianensis primi Concilii Can.* 19. *sub* CLODOVEO M. *Secundi Aurelian. Canon* 21. *sub* CHILDEBERTO. *Canon* 2. *quinti Arelatensis, sub eodem Rege, & alii passim*, qui fere omnes in Capitularibus Regum nostrorum exstant. Sed tamen eorum temporibus pleraque Monasteria erant prorsus in potestate Christianissimorum Principum, & ex eorum arbitrio sæpius pendebat Monasteriorum libertas: hoc asserit & fusius docet BALVZIVS, *passim ad Epistolas Lupi Ferrariensis Abbatis*. Vnde iidem Principes jus illud in iis Monasteriis sibi vindicarunt, ut ea, quibus vellent, subjicerent Episcopis; & ut ea subjectio vel assignatio perduceretur ad effectum, de ea litteras aut præcepta regia mitterent ad Missos Dominicos. Ejus rei luculentissimum exemplum exstat in Monasterio S. Columbæ Senonensis Diœcesis, cum enim illud exemptum esset a potestate Senonensis Archiepiscopi, Vuenilo Senon. Archiep. a LVDOVICO Burgundiæ Rege CAROLI CALVI fratre, & quidem insensissimo, litteras impetravit ad Missos Dominicos, ut eamdem Abbatiam revocarent in potestatem Senon. Archiepiscopi, ut testatur *libellus proclamationis Caroli Calvi adversus Vvenilonem cap.* 10. hoc etiam habet *epistola Synodalis ad eumdem Archip. Imputat præterea*, (nempe CAROLVS CALVVS) *quod Monasterium S. Columbæ a Ludovico impetraveritis, & de assignatione ejus litteras ad Missos Echardum & Thedoricum*. Et jure querebatur CAROLVS CALVVS, quia in divisione regni post Carolum M. placuit, ut singuli haberent certas quasdam provincias, & Episcopatus & Abbatias, quæ intra suas provincias consisterent, ait NITHARDVS. *lib.* 1. *histor. ad an.* 838.

Sic etiam Monasteriorum libertates, privilegia, exemptiones sui juris esse, suæve tutelæ voluerunt iidem Principes. Quamvis enim Abbates, Monachi, Monasteria Diœcesanis Episcopis jure communi subjaceant, ab ea tamen potestate & jurisdictione constat antiquissimas esse illas exemptiones, ut elegantissime probat *secunda sessio Carthag. Concilii sub Bonifacio Episcopo, ad an.* 535. quam exscribit DACHERIVS *tom.* 6. *Spicilegii*, expendit & adstruit LE COINTE, *in Annalibus Eccles. Francorum, tom.* 3. *p.* 345. Eas olim ab Episcopis & Regibus datas fuisse, probat *prima & secunda Marculfi formula*. Quæque a Regibus concedebantur, non tantum eas in temporalibus obtinuisse, sed etiam in spiritualibus, asserit FRANCISCVS FLORENS, *Aurelian. Antecessor, ad cap. auditis* 25. *Ex. de præscript.* & post eum BALVZIVS, *ad Epist.* 12. *Lupi Ferrarien.* Earum innumera fere occurrunt, & a multis congeruntur exempla: sed a Missis Dominicis non procul recedendum, de quibus præcipue institutus sermo.

Cum MARCVLFVS in *d. secunda formula* exscribit concessiones Regis ad hoc privilegium alicui monasterio concessum, scribit eam *viris Apostolicis*, id est Episcopis, *& omnibus agentibus*. Eoque generali nomine Missos etiam Dominicos contineri putarem, quippe qui iidem essent fere ac olim Agentes in rebus, ut jam diximus. *Patres Synodi Tullensis apud Saponarias, cap.* 11. CAROLVM CALVVM sic alloquuntur: *Vt privilegium S. Benedicti* (Floriacensis) *ratum & inconvulsum servare studeat. Quod si Abbas negligens, & sacris regulis inconveniens per directos Missos inventus fuerit, removeatur, & alius substituatur, & privilegii regularis auctoritas in eodem Monasterio non destituatur*. Ille idem CAROLVS, *in Præcepto pro Monasterio S. Gratæ Diœcesis Vrgellensis* jubet, *Vt illud in sua defensione atque tuitione semper consistat: & nullus Episcopus, aut Comes aut Missus discurrens ibi potestatem exerceat. Idem* CAROLOMANNVS *in Præcepto pro Pictavensi Monasterio S. Crucis*, quod exscribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ, pag.* 40. 41. Addendum est forte, nisi Missus Dominicus ideo directus sit, ut sacra vice Monasterium illud visitet.

Christianissimi Reges sæpius etiam aggressi sunt Monasteriorum reformationem, & quidem per Missos Dominicos. Cum S. Benedictus Monachorum disciplinam in Occidente pene collapsam restituit; ut de eo *Martyrologium Romanum*, in Gallia omnes fere Abbates & Monachi eam receperunt ad restaurandam normam regularis vitæ, *Capitularium* CAROLI M. *lib.* 5. *cap.* 3. Sed cum multa quotidie in variis Monasteriis emendanda & reformanda occurrerent, *cum Canonica professio a multis partim ignorantia, partim desidia dehonestaretur*, ait CAROLVS M. *lib.* 1. *Capitularium cap.* 79. Capitulare illud dedit Missis Dominicis, *Vt per singulas civitates, & Monasteria virorum & puellarum diligenter inquirant de conversatione singulorum; vel quomodo emendatum habent quod jusserat de eorum lectione & cantu, cæterisque disciplinis ad ordinem Ecclesiasticæ regulæ pertinentibus, lib.* 1. *cap.* 116. quod desumptum est *ex ejus Capitulis anno* 6. *ad Nivomagum editis, c.* 4. Sic etiam cum *in Concilio Moguntiaco, Can.* 20 *circa an.* 813. cautum fuit, *Vt Missi Dominici Monasteria Canonicorum, Monachorum, & Puellarum perspiciant, & curent animas in iis commorantium sub canonica, vel regulari disciplina salvari*. BENEDICTVS LEVITA canonem illum exscripsit, *lib.* 5. *Capitularium, cap.* 143. Idem etiam præstitit LVDOVICVS PIVS in Conventu

tu Aquisgran. ut habet *ejus vita;* & in eo multa potissimum ad Moniales pertinent, ut mox videbimus.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis, quæ in Synodo Suession. edidit, in 7. actione cap.* 1. jubet, *Vt Missi Dominici per civitates & singula Monasteria, tam Canonicorum, quam Monachorum, sive Sanctimonialium, una cum Episcopo Parochiæ uniuscujusque, in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius, qui Monasterium retinet, vitam ibi degentium, & conversationem inquirant; & ubi necesse est corrigant.* Ea ipsa verba recentavit *in Capitulari Compendiensi, ad an.* 868. *cap.* 1. quod exscribit BALVZIVS, *in appendice actorum veterum ad Lupum Ferrariensem.* In eam rem elegans est *Epistola* 63. *ejusdem* LVPI, *sub* CAROLO CALVO agentis; ex qua constat, eum fuisse Missum Dominicum, ut Monasteria visitaret, eaque Principi referret, quæ in iis emendanda essent.

Aliquando etiam in quibusdam Monasteriis ea erat corruptio, ut in alium ordinem transformanda essent; nec illud fieri poterat absque Principe, ut etiam in tertia stirpe Regum nostrorum indicat ARNVLFVS *Lexoniensis Episcopus, in Epist.* 43. *circa fin.* ex qua constat, in ea transformatione inspicienda esse *communia populorum vota*, & pietatis excitandæ, & in Monachos charitatis & benevolentiæ intuitu. Vnde cum *s.* ALDRICVS, Senon. Archiepiscopus, Monasterium S. Remigii reformare, & in alium locum transferre voluit, ait, *se illud facere cum consilio fratrum suorum, videlicet Canonicorum, & Monachorum, nec non & fidelium laicorum. in Senon. Concilio ad an.* 834. *apud acta Senon. Ecclesiæ.* Sed ad eam alicujus Monasterii reformationem superius exscriptæ Constitutiones volunt, ut Missis Dominicis adsit diœcesanus Episcopus; & is, qui Monasterium tenet, id est Abbas, sive sit laicus, sive Monachus, prout iis temporibus obtinebat: hodie sive sit regularis, sive commendatarius. *Vita* LVDOVICI PII *ad an.* 817. docet, ab eo constitutum fuisse quendam Abbatem, nomine Benedictum, & cum eo quosdam Monachos strenuæ vitæ, *qui per omnia Monasteria irent ac redirent, eaque reformarent ad regulam S. Benedicti.*

Denique *in utroque Capitulari Suession. act.* 7. *c.* 1. *& Compend. c.* 1. CAROLVS CALVVS jubet, *ut Missi Dominici victum, potum, & vestitum Monachorum ordinent, pro qualitate & possibilitate loci, & necessitate inhabitantium.* Ejus Capitularis ratio præcipua desumi potest *ex Can.* 3. *Concilii in Verno Palatio*, quod etiam exscripsit CAROLVS MAGNVS, *c.* 3. *In locis Sanctis, id est Monasteriis, multos necessitate victus & vestimenti a sua professione deviare comperimus, quod petimus a Missis Dominicis inquiri & corrigi.* In regula S. Benedicti aliud est caput *de mensura ciborum*, & aliud *de mensura potus*: de iis etiam, eorum mensura, & qualitate Capitula ediderunt Christianissimi Reges. Et hic forte agendi locus esset de libra & hemina Benedictina, nisi vel etiam spicilegium brasisset *doctissimus* AVCTOR *libri* non ita pridem editi, *de hemina.* Vnum tamen addiderim, utramque hanc ciborum & vini mensuram ab ipsius LVDOVICI PII temporibus auctam fuisse, ut palam est *ex additione prima Capitularium, cap.* 11. *in fin. & cap.* 22. *in fine. Vbi autem non est vinum, inde hemina detur, det duplicem mensuram de cerevisia bona. Et cap.* 27. *Abbas in refectorio iis omnem manducandi & bibendi humanitatem exhibeat: si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate.*

Quantum vero ad victum & vestitum, ac præcipue Monialium, diligenter observandi sunt duo Canones *secundi Aquisgran. Concilii*, sub LVDOVICO PIO, nempe 12. & 13. In 12. sic habet: *Illud namque necessarium visum est de Monasteriis puellarum, quæ in quibusdam locis lupanaria videntur potius esse, quam Monasteria, propter negligentiam stipendiorum, aut certe insolentiam Prælatorum. Vnde postulandum est, ut viri religiosi ad hoc dirigantur, & emendare studeant.* In 13. *Admonendæ sunt etiam Prælatæ Monasteriorum, ut subditas moribus probis & exemplis præcedant; de necessariis subditarum victualibus ad proprios usus subditis subtrahere non præsumant: ne & illæ inde, occasione videlicet minorationis victus atque vestimentorum, in laqueum incidant diaboli.*

Denique LVDOVICVS PIVS, *in tertio Capitulari, n.* 2. *cap.* 3. & 4. jubet, *Vt Missi Dominici de Monasteriolis puellarum inquirant, in quibus nullus ordo bonæ conversationis tenetur.* Iam antea CAROLVS M. in quibusdam Capitulis, apud SIRMONDVM. *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 157. (quæ videntur appendices Aquisgran. legationis) jubet, ut Missi Dominici, *de Minutis Monasteriis curent, ubi Nonnanes sine regula sedent ut in uno loco congregatio fiat regularis, & Episcopi prævideant, ubi fieri possit, &c*

CAPVT VIII.

Monasteriorum bona. Numerus Monachorum in quolibet Monasterio.

QVælibet bona Monasteriorum curæ semper fuerunt Christianissimis Regibus, non tantum quod plura ex iis donaverint, sed etiam quod cum eorum donationes ab ipsis etiam privatis factas Regia auctoritate confirmarunt, perinde esse putaverunt, ac si ea Monachi ex regia liberalitate possiderent, ut habet *Constitutio* ALEXII COMNENI, apud THEOD. BALSAMONEM, *ad Can.* 12. *septimæ Synodi.* Vnde tot præcepta Regia de bonis Monachorum, quæ inscribuntur sæpius *Missis Dominicis.* Vnum laudaverim, quod est CAROLI M. & ex tabulario *s.* DIONYSII Paris. exscribitur a BELIO, *p.* 227. Et hinc in *Can.* 20. *Vernensis Concilii sub* PIPINO *Rege, Abbas & Abbatissa rationes bonorum sui regalis Monasterii facere debent ad Dominum Regem;* cum nempe sit plus quam patronus, ut loquuntur MOLINÆVS, D. LOVETIVS, & alii. Sic CAROLVS M. *an. sexto Imperii*, Missis Dominicis dedit ea Capitula, in quibus jubet *cap.* 4. & 5. *Vt cum Abbatibus & Abbatissis curent & observent thesauros, & ornamenta Ecclesiarum & Monasteriorum*, quod exscribitur, *lib.* 1. *Capitular. cap.* 116. 117. Ille idem, *lib.* 3. *cap.* 82. jubet, *ut a Missis Dominicis beneficia*, id est feuda *Episcoporum, vel Abbatum, & Abbatissarum describantur in breve.*

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis ex Synodo Suession.* mandata illa Missis Dominicis dedit, in quorum *cap.* 1. sic habet: *Inbrevient etiam*, (nempe Missi Dominici) *quid unusquisque Prælatus, quando Ecclesiæ prælationem suscepit, ibi invenerit; & quid modo exinde ibi minus sit, vel quid & quantum sit superadditum.* Hoc ab eodem recentatum est in *Capitulari Compendiensi c.* 1. ejusque descriptionis exemplum videre est *apud* FLODOARDVM, *lib.* 3. *Rem. Hist. cap.* 28. ubi HINCMARVS Anselmo cuidam Monacho præcipit, *ut describat omnia, quæ in Monasterio suo ante ipsius Præsulis ordinationem facta & collata fuerint, & quæve postea: numerum quoque fratrum & famulorum iis servientium, & si qua exinde suo tempore dispensata fuerint, & in*

quos

quos usus, vel per quas personas: & ita veraciter omnia describantur, ut Missi Dominici nihil ibi falsum possint invenire. Et hinc cum LUPUS *Abbas Ferrar.* esset Missus Dominicus sub CAROLO CALVO, jubet, in *Ep.* 80. *in fin.* ut quidam Abbas ad se mittat *breves de facultate sui Monasterii.*

Ad bona Monachorum pertinent adhuc pleraque alia Capitularia: sed potissimum illud CAROLI CALVI, *ex Synodo Suession. actione 7. cap. 2. 3. & 5.* in quibus statim jubet, *Ut Missi Dominici curent, ne Monasteria in proprietatibus fundatorum ædificata, ab eorum hæredibus dividantur*: De ea divisione jam olim diximus, *in Commentario nostro ad cap. 1. Ex. de jur. Pat.* Additur *in iisdem Capitulis, c. 2. de iis Monasteriis, quæ in alodem data sunt*, id est *in proprietatem*, ut ibidem subjicitur, ut & fusius suo loco videbimus. Iis vero temporibus Reges & Principes Ecclesias & Monasteria laicis dabant, aut in beneficium, aut in alodem. De iis, quæ beneficiario jure tenebantur, PILESACUS *in querela Ecclesiæ Gall.* passim D. DE MARCA *in historia Bearn. lib. 1. cap. 28.* AUCTOR *libri du Franc. alleu, pag. 279.* & plures alii. Ejus rei luculentissimum exemplum videre est, *in* CHRON. *Attrebat. & Camerac. lib. 3. cap. 6.* quædam addidimus etiam in *Proleg. ad eumdem tit. de jur. patron. cap. 17.* ubi ostendimus, quomodo laici illi Abbates in iis Monasteriis habere cœperunt jus Patronatus. De iis, quæ in alodem, agitur *in hoc Suession. Capitulari, cap. 2. & 5.* & in *Concilio Meldensi, Can. 41. sub eod.* CAROLO CALVO, ubi sic habet: *Providendum est Regiæ Majestati, ut Monasteria, &c. & nunc in allodium data sunt, quapropter omnis exinde religio funditus est eversa.* In Can. 42. *Monenda est solertia Regia, ut strenuos & fideles Missos dirigat, & investigent, ac diligenter inbrevient res Ecclesiasticas, quæ in allodium datæ sunt. In cap. 5. ejusdem Capitularis: Ut Missi diligenter describant, eique renuntient, a quibus, & quibus res ad Monasteria pertinentes in alodem datæ sint, & quantum exinde sit.* Eaque ratione descriptio illa Missis Dominicis demandari solebat, quia sæpius Monachi ad egestatem redacti ostiatim mendicare tenebantur; cum Magnates beneficiarii, aut allodiarii omnia eorum bona sibi vindicarent, nec quid iis præstare vellent, ut docet LUPUS *Abbas Ferrar. in Epist. 42.*

Iubet præterea *c. 3. Ut Missi Dominici per singulas parochias, una cum Episcopo parochiæ ipsius, requirant de Abbatiolis ex casis Dei*, seu Monasteriis *in beneficium datis, qualis census inde exeat; ut Ecclesia, de qua sunt, exinde vestituram habere possit.* Abbatiolæ sunt prædia Monasteriorum laicis data in beneficium, in feudum; ut probari potest ex AIMOINO FLORIAC. *lib. 5. cap. 34.* Nihil frequentius, quam ut pro terris Ecclesiasticis in beneficium datis, census quidam huic Ecclesiæ solverentur, unde exierant: CAROLUS M. *lib. 5. cap. 198.* CAROLUS CALVUS, *in suis Capitulis apud Sylvacum, cap. 2. In Edicto Pistensi, cap. 2. Concilii Francfordiensis Can. 25. Synodi Liptinensis* sub CAROLOMANNO, *Can. 2.* & alibi passim. Et ideo Missi Dominici requirebant, qualis census exiret, ut ita *Ecclesia vestituram haberet*, id est possessionem illius census acquireret. Vnde duo fluxisse videntur hodie: primum est, quod monasteria tot reditus fundiales, aut prædiales habeant: alterum est, quod de eorum possessione cognoscant Iudices Regii.

Ea potissimum ratione volebant Christianissimi Reges a Missis dominicis describi bona Monasteriorum; ut viderent, ne amplius in iis reciperentur Monachi, quam ratio permittebat, & in iis degere possent absque necessariarum rerum penuria; ut est in *Can. 8. Sexti Arelat. Concilii* sub CAROLO M. ex quo Can. desumptum est *cap. 1. Ex. de institut.* ne plures mitterentur in Monasteria Canonicorum vel Monachorum, aut etiam puellarum, quam sufferri possit. *Moguntiaci Concilii Can. 19. sub eod.* CAROLO M. Nihil omnino frequentius in sacris Canonibus, & in Constitutionibus veterum Imperatorum, quam ut in quibuslibet Ecclesiis certus sit & determinatus Clericorum & Monachorum numerus, & quidem juxta earum vires aut facultates: ne si plures in iis instituantur, incidant *in causam mutuorum*, ait Iustinianus, *in Nov. 3. Præf.* id est, ne magnam pecuniæ quantitatem quotidie mutuo accipere teneantur ad eos omnes exhibendos; & ita tandem ad inopiam redigantur in opprobrium Cleri. Singularis forte occurrit ratio in Monachis, quam afferunt *Moguntiaci Concilii Patres in Can. 20. Ut iis non sit necessitas vagandi foras ad quærenda necessaria, quod omnino non expedit animabus eorum; ne propter necessitatem victus aut vestimenti, a sua professione deviare teneantur.* Eoque pertinet etiam *Canon tertius secundi Vernensis Concilii.*

Et hinc CAROLUS CALVUS jubet, *in iisdem Capitulis ex Synodo Suession. cap. 1. Ut Missi Dominici præcipiant victum, potum, & vestitum Monachis ordinari pro qualitate & possibilitate loci: ut describant numerum Monachorum & Sanctimonialium uniuscujusque loci:* & ut addit, *secundum qualitatem & quantitatem loci, cum consilio Episcoporum & fidelium nostrorum, ubi minor numerus fuerit, nostra auctoritate addamus: ubi vero indiscretione Prælatorum superfuerit, ad mensuram redigamus.* Et sic antea CAROLUS M. *lib. 1. Capitular. cap. 106.* & 107. prohibuerat, *ne superfluæ congregationes fierent; sed ut quilibet Abbas tantos congregare posset, quantis consilium dare poterat; & ut in monasteriis non amplius essent servi, aut ancillæ, nisi secundum mensuram.*

CAPUT IX.

Monasteriorum reparationes, & bonorum ad ea pertinentium. Lites, causæ, negotia.

DUo supersunt excutienda de Monasteriis. Primum est de eorum instaurationibus & reparationibus. CAROLUS M. *lib. 4. cap. 4.* sic loquitur: *De opere vero, & restauratione Ecclesiarum Episcopus & Abbas, atque Comes una cum Misso nostro, quem sibi ipsi ad hoc elegerint, considerationem faciant.* In *lib. 5. cap. 143.* sic habet: *Dignum ac necessarium est, ut Missi nostri per quæque loca directi simul cum Episcopis prospiciant loca Monasteriorum Canonicorum pariter, ac Monachorum, similiterque Puellarum &c. similiter quoque ædificationes Monasteriorum supradicti Missi, & cum iis Episcopi per diversa loca prævideant, &c. ubi autem aliter inventa fuerint, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari.* CAROLUS CALVUS, *in suis Capitulis ex Synodo Suession. act. 7. cap. 1.* jubet, *Ut Missi Dominici congruas officinas construi jubeant, ubi desunt; & ubi sunt factæ, & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant,* & addit, *cum consilio etiam & consensu ipsius, qui Monasterium tenet:* & in ipsa Synodo adduntur ea verba, *quem volumus, & expresse præcipimus, ut præsens sit:* quia cum Abbas non minimam reditum & obventionum partem capiat, æquius est, ut ejus etiam impensis Monasteria restaurentur, & sarta sint eorum tecta,

Ecclesiæ Gallic. Prælati, *in Synodo ad Teudonis villam,*

villam, *cap.* 5. petunt a CAROLO CALVO, *Vt in Monaſteriis locorum reſtauratio fiat Diœceſani Epiſcopi providentia, adhibito quodam Abbate viro religioſo; ut in iis proviſores inſtituantur, qui ad Regis notitiam referant, quæ corrigenda ſunt.* Caput illud conceptiſſimis verbis docet, eo tempore Chriſtianiſſimos Reges propter imminentem Reipub. neceſſitatem laicis commiſiſſe Monaſteria, ut ex eorum reditibus militaria ſtipendia perciperent, ejusque rei exempla occurrunt paſſim, apud auctores ejus ſæculi.

Alterum eſt de cognitione cauſarum, aut litium ad Monaſteria pertinentium. Sub CAROLO M. Miſſi Dominici cognoſcunt de lite inter Monachos Farfenſis Monaſterii, & Guiniſchiſum Ducem, de quibusdam piſcariis, ut videre eſt *in Chronico Farfenſi cap.* 57. *apud* QVERCETANVM, *tom.* 3. *Hiſt. Franc.* Et *ibidem* non multo poſt ſimile aliud exemplum exſtat, *pag.* 656. *ejusdem tomi*. Sub eodem Miſſi Dominici cognoſcunt de Cella S. Goaris Treverenſis, an ea pertineret ad Trevirenſem Epiſcopum, an vero ad Prumienſem Abbatem, ut videre eſt *in miraculis S. Goaris, poſt alteram ejus vitam editis*; *tom.* 2. *SCtorum Benedictin.* Sic etiam cum ſub EVDOVICO PIO lis quædam orta eſſet inter Monachos S. Benedicti Floriacenſis, & inter Monachos S. Dionyſii, de ea cognoverunt Miſſi Dominici, apud ADREVALDVM, *lib.* 1. *de miraculis S. Benedicti*, *cap.* 25.

Sub eodem etiam Imperatore, Miſſus Dominicus cognoſcit de lite inter Monachos S. Vincentii de Vvlturno, & quosdam Magnates, de ſtatu quorumdam vaſſallorum, *in Chronico ejus Monaſterii*. Ac tandem, ſi Abbas prædium aliquod ſui Monaſterii evindicare vellet, hoc fieri ſolebat apud Miſſos Dominicos: ut palam eſt, *ex formula incerti auctoris*, *cap.* 6. apud *magnum* BIGNONIVM. Si damnum alicui Monaſterio, aut ejus ſervis datum fuerit, ejus Advocatus de eo agebat, apud Miſſum Dominicum: ut videre eſt, *in quadam veteri charta Nobiliacenſis Monaſterii*, quam exſcribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ*, *pag.* 23.

CAPVT X.

Curam habebant pauperum.

OMnia Regum noſtrorum Capitula docent plus ſatis, quanta fuerit eorum charitas in pauperes, quanta eorum cura de bonis ad eos pertinentibus, quomodo iis factas donationes in protectionem ſuam ſuſceperint. Sed & huic etiam fini utebantur Miſſorum ſuorum induſtria: CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 28. jubet, *ut Miſſi Dominici ita ſuos Conventus agant ſuaque Placita, ut pauperes populi opportunitatem conveniendi habeant*: cumque in eo, & in tribus præcedentibus multa de Miſſis Dominicis propoſuit, ſtatim *in cap.* 31. jubet, *Vt orphanis ſubveniant, qui paternam aut maternam hæreditatem amiſerint, quive perperam a ſuis parentibus exhæredati fuerint*. Iampridem illud ipſum caverat, *lib.* 1. *cap.* 115. *Ne a potentioribus opprimantur pauperes aut contra juſtitiam exhæredentur*. Sed poſtea hujus Capitularis executionem ſuis Miſſis demandat, *in d. cap.* 31. & 32. ubi addit, illud etiam pertinere ad eorum curam, *Ne quilibet potentiores ſub mala occaſione, vel malo ingenio res pauperum emere, aut vi tollere audeant: ſed qui ex iis aliquid comparare voluerit, in publico Placito coram idoneis teſtibus, & cum ratione hoc faciat. In cap. ſequ. de cauſis viduarum, pupillorum, orphanorum, vel reliquorum pauperum; ut in primo Conventu ante medium diem* (avant midy) *illorum ratio, vel querela audiatur & deſiniatur: & poſt mediam diem cauſa Regia, & Eccleſiarum & potentum.*

Sic etiam cum *lib.* 4. *cap.* 44. Miſſis Dominicis mandavit, de quibus cauſis agere debeant, *in cap.* 46. ſubjicit *de pauperibus, viduis, & pupillis injuſte oppreſſis, ut adjuventur & releventur*. Ac tandem, *in addit.* 4. *cap.* 115. *Comites autem, aut Miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur*, quod SIRMONDVS referet inter Capitularia LVDOVICI PII, *tom.* 2. *Concil. Gall.* in geſtis LVDOVICI PII, *ad an.* 814. *Ad juſtitias faciendas, & oppreſſiones popularium relevandas, legatos in omnes regni ſui partes miſit*. Quod etiam ad eum annum habent EGINARDVS, ANNALES FVLDENSES, & BERTINIANI; ſed vetus CHRONICON MOISSIASENSE illud rejicit *ad an* 815. THEGANVS, *in geſtis ejusdem*, *cap.* 13. *Miſit legatos ſuos ſupra omnia regna ſua, qui egreſſi invenerunt innumeram multitudinem oppreſſorum, aut ablatione patrimonii, aut exſpoliatione libertatis*; *quod iniqui miniſtri, Comites, & loco poſiti, per malum ingenium exercebant.*

CAROLVS CALVVS, *in Conventu ad Marsnam*, *cap.* 7. ait: *Vt in ſingulis partibus regni Miſſi idonei conſtituantur, qui querelas pauperum & oppreſſiones definire valeant*. In Capitulis ad Valentianas, in adnuntiatione CAROLI Regis, *cap.* 4. *De cavenda rapacitate, & oppreſſione rerum Eccleſiaſticarum & pauperum*. HINCMARVS *in admonitione* 14. *ad Proceres regni*, *cap.* 25. *Proceres & Conſiliarii mittebantur in provincias, ut quilibet miſeri, pauperes, & oppreſſi ad manum haberent, per quem juſtitiam acciperent*, & quos appellare ſeu implorare poſſent, ut eſt *in Capitulis* CAROLOMANI II. *ad Vernum Palatium*, *cap.* 9.

Denique non omittendum, quod SIRMONDVS refert inter quædam Capitula CAROLI MAGNI, *ad an.* 789 *tom.* 2. *Concil. Gall. cap.* 16. *De pauperibus in plateis, vel quadruviis jacentibus, ut ad Eccleſiam veniant, & eorum confeſſiones donentur:* quæ ultima verba ſic forte accipienda ſunt, ut pauperes ad Eccleſiam accedentes ei offerant litteras commendatitias, quæ olim peregrinis pauperibus dari ſolebant, ut ab aliis fidelibus eorum inopia ſublevaretur: earum meminerunt GREGORIVS NAZIANZENVS *in Orat.* 1. *contra Iulianum*, SOZOMENVS, & NICEPHORVS. Cumque peregrini illi commendatitias illas litteras afferebant, *Diaconus inquirebat, an eſſent fideles, an Eccleſiaſtici, an hæreſi quadam contaminati: & deducebantur ad locum iis accommodatum*, ut habet *auctor Conſtitutionum Apoſtolic. lib.* 2. *cap.* 58. Et ideo forte in hoc noſtro Capitulari litteræ illæ dicuntur *litteræ confeſſionis*, quod cum iis temporibus exoleviſſent confeſſores, qui olim eas confeſſionis litteras dabant lapſis; litteræ commendatitiæ dici cœperunt *litteræ confeſſionis*, quod peregrinorum veram & catholicam fidem conteſtarentur & probarent: Vnde cum pauperes in aliquam civitatem veniebant, jubebat CAROLVS M. ut ad Eccleſiam accederent, & illius Prælato, vel Diacono litteras commendatitias, litteras confeſſionis donarent ſeu offerrent; ac ſi eſſent orthodoxæ fidei, deducerentur in xenodochium, in quo recipiebantur tantum probatæ fidei pauperes ac peregrini: CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis tit.* 27.

Ac tandem CAROLVS M. *in quibusdam Capitulis*, quæ Miſſis data dicuntur, *apud* SIRMONDVM, *eod. tom.* 2. *pag.* 246. jubet, *in cap.* 16. *Vt in anno de famis inopia, unusquisque ſuos adjuvet, & ſuam non nimis annonam care vendat; & ne foris imperium vendantur alimoniæ. In cap.* 24. *a Sacerdotibus admo-*

admoneri populum, ut eleemosynas dent. Easque taxant aut definiunt quidam Episcopi secundum personarum conditionem: semper tamen addunt, *juxta quod possibilitas est in Decretali precum, ibidem, pag.* 159 quod etiam exscribitur, & Regia auctoritate confirmatur, *lib.* 5. *Capitul. cap.* 136.

CAPUT XI.

Scholæ publicæ.

IAm fusius olim docui, *ad Can. Ego Berengarius*, in Gallia diu ante Carolum M. receptam fuisse sanctissimam hanc consuetudinem, ut in omnibus fere majoribus Ecclesiis institutæ essent Scholæ publicæ, & divinæ, & humanæ literaturæ, ut loquuntur veteres Ecclesiæ Gallicanæ Canones: & ALEXANDRVM III. in suo *Lateran. concilio*, institutum illud produxisse ad universalem Ecclesiam, Nunc docendum breviter, Scholas illas pertinuisse ad curam Missorum Dominicorum. CAROLVS M. *in Edicto legationis, quod in Aquisgrani Palatio datum est Missis Dominicis* (ut palam est ex præfatione) *cap.* 70. *in fin.* sic habet: *Et ut Scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per singula Monasteria, vel Episcopia discant, sed & libros catholicos bene emendatos habeant*. Si minorum hujusmodi Scholarum cura iis demandata fuerit, verisimilius est, eos etiam curasse majores.

LVDOVICVS PIVS, *in secundo Capitulari cum institutione Missorum Dominicorum, cap.* 5. *in fin. Scholæ sane ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos, vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur*. BENEDICTVS LEVITA constitutionem illam exscripsit, *lib.* 2. *Capitular. cap.* 5. Sexti Parisiens. Concilii Patres, *lib.* 3. *Can.* 12. ab eo Imperatore petunt, ut circa eas Scholas CAROLI M. Capitula exequatur, & saltem in tribus Imperii sui congruentissimis locis Scholas publicas instituat, *quoniam*, inquiunt, *ex hoc facto, & magna utilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis* (ipsi Imperatori) *magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet*. Ac tandem locus ille ADREVALDI, de quo jam toties, eleganter docet, Aureliis fuisse Doctores legis Romanæ, quod utique Scholas importat & arguit, in quibus palam ea doceretur, testatur etiam, eos legis Doctores notissimos fuisse Missis Dominicis.

CAPVT XII.

Pacatum Missaticum.

VLPIANVS *in l.* 13. *D. de off. Præs.* ait, *congruere gravi & bono Præsidi, ut pacata & quieta sit ea provincia, quam regit*. & hinc Tertullus, Iudæorum orator, Felicem, Syriæ Præsidem, ab ea laude aucupatur, quod Iudæi per eum in multa pace agerent, ACTORVM *cap.* 24. *v.* 3. Sic etiam Missi Dominici unum illud præcipue habebant in mandatis, ut apprime curarent, quietum & pacatum esse suum Missaticum. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capit. cap.* 11. generaliter omnes admonet, *Vt charitatem & pacem invicem habeant*, eique fini, *honorem exhibeant Missis Dominicis*: quod etiam postea exscripsit LVDOVICVS PIVS, *in suo Capitulari secundo ad Missos Dominicos cap.* 11. Idem CAROLVS M. *ibidem, cap.* 28. jubet, *Vt Missi Dominici diligenter inquirant, quam concordes & unanimes sint omnes fideles, ut officio suo rite fungantur*. Idem *in Capitulari Aquisgranensi* (quod dicitur legationis Edictum Missis Dominicis ab eo datum) *cap.* 60. *Vt pax sit, & concordia, & unanimitas, cum omni populo Christiano inter Episcopos, Abbates, Comites, Iudices, & omnes ubique, seu majores, seu minores personas*. Ea exscribuntur etiam, *lib.* 1. *Capit.* 59. In aliis Capitulis, quæ anno duodecimo Imperii dedit iisdem Missis, *cap.* 33. *Vt Ecclesiæ, viduæ, & pupilli per bannum* (seu Edictum) *Regis pacem habeant, & illud quomodo gestum sit, investigent Missi Dominici*: apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 248. Ac tandem, cum in sexto Arelat. Concilio cautum est, *ut pax sit & concordia inter Episcopos, & Comites, & reliquos Clericos & Monachos, & Laicos*; hoc exscripsit in suo Capitulari, quod iisdem Missis dedit, *anno* 13. *sui Imperii*,

LVDOVICVS PIVS, *in eod. Capitulari, cap.* 2. unum illud præ cæteris ad suam suorumque Missorum curam pertinere putat, *ut pax & justitia in omni generalitate populi sui conservetur*. Et in *cap.* 10. *Episcopi vero, vel Comites* (quos Iudices fuisse probavimus olim) *& ad invicem, & cum cæteris fidelibus corcorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adjutorium ferant*; quod etiam videre est, *lib.* 2. *Capitul. cap.* 10. Patres sexti Paris. Concilii *lib.* 3. *Can.* 24. rogant eum Imperatorem, *Vt ejus Consiliarii, aliique Ministri concordiam inter se habeant*. Canonis illius ipsissima verba exscribere non tam forte inconveniens erit.

Rogamus etiam vestram pietatem (nempe LVDOVICI PII) &c. *quatenus Consiliarii, & dignitatis vestræ Ministri, qui debent esse intra regnum, aliis decus, & bonitatis exemplum, & in cæteris nationibus bonæ opinionis condimentum, caritatem, pacem, atque concordiam, omni simulatione, & calliditate postposita, ad invicem habeant; ut secundum Dei voluntatem, & vestram honestatem, atque totius regni profectum communiter decertent, & veri vobis adjutores in omnibus concorditer existant: verique adjutores vestri & totius regni salubriter esse tunc poterunt, si unanimes exstiterint, & invicem dilectionem habuerint*. Et paulo post: *Vbi igitur omnes dissensiones ac discordiæ dirimendæ, & omnis malitia Imperiali auctoritate est comprimenda, necesse est, ut quod in aliis corrigere decernit, minime ibi reperiatur*. Hoc etiam relatum est, *in cap.* 3. *secundi Aquisgran. Concilii sub eodem* LVDOVICO PIO *Can.* 12. *& in Additione secunda Capitul. cap.* 28.

Singularis utique locus de discordia Iudicum, quæ sæpius oritur ex contestatione vel controversia jurisdictionis, ut hodie loquimur, cum nempe non servant jurisdictionis suæ formam, *in l.* 2. *Cod. Th. de re jud.* & in *l.* 31. *D. ad leg. Corn. de falsi.* cum supra plantam evagantur, ut de iis AMMIANVS MARCELLINVS, *lib.* 28. *c.* 1. & inter se simultatibus ortis colliduntur ad urbis naufragium, ut est in CHRONICO CAMERACENSI, *lib.* 1. *cap.* 70. adde & in ordinis opprobrium. Vnde CAROLVS M. sapientissime imperat supra *lib.* 2. *cap.* 28. Missis Dominicis, ut eas dissensiones compescant, ut pax sit, concordia, & unanimitas inter judices; & quidem ea potissimum ratione, quam ipse affert, *ut officio suo rite fungantur*: nam *pax & justitia se invicem osculari debent, ut sit gloria in terra nostra, Psal.* 85 *v.* 11.

CAROLVS CALVVS, *in suis Capitulis ad Valentianas, in adnuntiatione Domini* LOTHARII, *cap.* 1. *de Missis directis per regnum: Vt populus pacem & justitiam habeat. In adnuntiat.* CAROLI *Regis cap.* 4. *de observatione pacis. Et cap.* 6. *de concordia & mutuo adjutorio Episcopi & Comitum ad justitias faciendas.*

ciendas. In *Capitulis post reditum a Confluentibus, cap.* 1. *&* 3. jubet, *Vt Missi discurrentes firmitatem cum fratre habitam observari curent*. In cap. 8. *Vt pax omnibus modis in toto regno per eorum Missaticum observetur*. In Capitulis *in Synodo Pistensi* editis *cap.* 4. *Vt pacis violator juxta facinoris qualitatem, sive coram eo ipso Rege, sive coram Misso Dominico dignas pœnas persolvat*.

HINCMARVS REM. *in admonitione* 14. *cap.* 36. ait, institutos esse Missos Dominicos, *Vt viderent, si populus in qualibet regni parte, regione, seu angulo turbatus sit, quæ causa turbationis, si murmur populi obstrepat, vel tale aliquid inæquale resonet, ut Regem interrogantem de iis certiorem faciant*.

CAPVT XIII.

Fidelitas populorum.

CVrabant Christianissimi Reges, ut populus iterum atque iterum fidelitatem iis juraret, seu adhibito solemni juramento promitteret: Istius juramenti formula passim exstat in eorum Capitularibus; & apud LINDENBROGIVM, *in Glossario*, in verbo *Fidelis*. Ejus exigendi cura demandari solebat Missis Dominicis. CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 88. *Vt Missi nostri populum nostrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant secundum consuetudinem jamdudum ordinatam: & ipsi aperiant & interpretentur illis hominibus, qualiter ipsum Sacramentum, & fidelitatem erga nos servare debeant*. Quid illud sit, explicat HINCMARVS, *in opusculis, cap.* 61. ubi etiam subjicit quasdam animadversiones in illud juramentum, quæ omnia sunt plane longioris subsellii. Eleganter FVLBERTVS CARNOT. *in Epist.* 45. docet, jurantem vassallum ea sex in memoria semper habere debere, *incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile; & dominum fideli suo in iis omnibus vicem reddere*.

Idem CAROLVS, in quibusdam Capitulis, quæ Missis Dominicis data dicuntur, *apud* SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 157. *De Sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis nostris jurare debent, quod his verbis contestari debet: Sic promitto ego ille partibus domini mei Caroli Regis, & filiorum ejus, quia fidelis sum, & ero diebus vitæ meæ sine fraude & malo ingenio*. Et aliquando volebat, ut coram Missis sibi filiisque juraretur fidelitas per corpora Sanctorum, ut est *in veteribus Francorum Annalibus, apud* QVERCETANVM, *tom.* 2. *Hist. Franc. pag.* 5. per S. Martinum, per S. Germanum; ut *in aliis Annalibus ibidem*, ubi de Dasilone: super corpus S. Dionysii, *apud* EGINARDVM.

LVDOVICVS PIVS *in Capitulari tertio circa fin. Volumus & jubemus, ut Missi nostri diligenter inquirant, qui necdum fidelitatem nobis promiserunt, ut cum juramento nobis fidelitatem promittere faciant*. In aliis ejusdem Capitulis *cap.* 4. eadem ipsa exscribuntur.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Attiniacum* (ubi jubet, ut quilibet Missus Dominicus ea exequi procuret) *cap.* 13. *De fidelitate Regi promittenda, id est omnes per regnum illius Franci fidelitatem illi promittant; & qui dicunt, se illam promisisse, aut certis testibus hoc adprobent, aut jurent, se illam antea juravisse, aut illam ipsam fidelitatem promittant*. Idem in *Capitulis ad Tusiacum, cap.* 2. & *apud Carisiacum, cap.* 4. ubi ait, se jam illud *scaviisse*, id est constituisse.

Denique apud MARCVLFVM *in formulis, lib.* 1. *cap.* 40. quod ita inscribitur, *ut leude Samio promittatur Regi*, præsente Misso Dominico, ut est *in eo cap.* Quis dicatur *Samius*, subsistit etiam vir magnus eo loci. Forte legerem, *Spioni Regis*, id est, exploratori Regis, ut apud PAPIAM legunt eruditi viri, unde procul dubio nostrum illud *Espion*.

CAPVT XIV.

Regias litteras accipiebant, & denuntiabant Comitibus, & populis.

CVm Christianissimi Reges quasdam Constitutiones ediderant, eas cum instructione mittere solebant ad Missos Dominicos, ut eas omnibus notas facerent; eo pertinet totum fere *Capitulare secundum* LVDOVICI PII, *tom.* 2. *Concil. Gall.* Eleganter etiam SIRMONDVS eo loci pleraque Capitula exscribit passim, quæ Missis Dominicis data fuerant, ut ea Provincialibus denuntiarent. Cum enim ad Palatium reversi erant Missi Dominici, eos interrogare solebant Principes, ut jam olim diximus; & ad eas interrogationes pleraque faciebant Capitula, quæ vel iis ipsis in Missaticum profecturis dabant, vel ad eos mittebant, ut publicarentur; nihil frequentius in eorum Capitulis. QVERCETANVS *tom.* 2. *Hist. Franc.* inter *Epistolas* EGINARDI quasdam interserit LVDOVICI PII ad Missos Dominicos, nempe 19. 20. 21 22. In 19. cuidam Comiti præcipit, *ut facere studeat, quod Missus Dominicus in verbo regio faciendum injunxerit cum aliis Comitibus & fidelibus*.

Idem antea CAROLVS M. nam *lib.* 2. *Capitul. cap.* 11. generaliter omnes admonet, *ut Missis Dominicis honorem exhibeant, & ea, quæ per eos injungit, agere non negligant*. In cap. 27. *Vt per eos Capitula sua omnibus nota fiant*. In *cap.* 28. ait, *se suis Missis dare Capitula, ut secundum voluntatem Dei, & jussionem suam adimpleantur*, nempe a fidelibus & subditis, quibus ea denuntiaverint. Idem fere habet *lib.* 2. *cap.* 27. cujus ea est epigraphe: *De hoc, quod per Missos Dominicos ea, quæ per Capitula statuta sunt, omnibus nota fieri debeant*. & *lib.* 4. *cap.* 72. *Vt Missi Dominici, & unusquisque in suo Ministerio hæc Capitula relegi faciant coram populo, & omnibus nota sint, ne aliquis excusationem habere possit*.

Ac tandem CAROLVS CALVVS, *in Capitulari Compendiensi* (quod non ita pridem edidit clarissimus BALVZIVS *ad calcem operum Lupi Ferrar.*) jubet sæpius, *Vt Missi Dominici suas Constitutiones omnibus subditis denuntient*. Et ut plurimum eas in suis Conventibus aut Placitis palam recitari & publicari curabant, in præsentia Comitum, Procerum, Iudicum & populi, ne quis earum ignorantiam obtenderet. IDEM *Capitula sua in Carisiaca Synodo edita*, ad Missos Dominicos dirigit, *ut per eos populo denuntientur, & perducantur ad effectum*. In *Capitulis post reditum a Confluentibus cap.* 1. *&* 3. jubet, *ut Missi discurrentes firmitatem, id est pacem cum fratre suo factam, Capitula Confluentibus edita, quæque antea fecerat, omnibus innotescant*, seu nota faciant. In iisdem *Capitulis post reditum cap.* 3. addit: *Vt antiqua Capitula servent, donec alia iis annuntianda & observanda dederint*.

CAPVT XV.

Milites. Heribannus.

QVamvis Missi Dominici non essent militares Magistratus, curam tamen habebant militum, & eorum fere omnium, quæ ad militiam, aut utique militarem disciplinam pertinebant. Vnde in *Capitulis* LAMBERTI *Imperat. an.* 904. *editis, cap.* 7. apud BARONIVM *ad eum an.* occurrunt *Missi exercitus Imperialis*, hodie *Intendants de justice dans les armées*. Hinc etiam *lib.* 2. *Capitular. cap.* 14. sic statim habet: *De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni sibi anno præterito illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat & accipiat.* In *cap.* 15. *Vt cognoscat unusquisque omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni; ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum, & quidquid ipsi in pace violandæ deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere: ea conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram Misso nostro dignas pœnas persolvat.* SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 454. utramque hanc æquissimam legem LVDOVICO PIO adscribit *in Capitulari secundo*, quod continebat instructionem Missorum Dominicorum.

In tertio Capitulari pag. 464. *Iubemus, ut Missi nostri diligenter inquirant, quanti homines liberi in singulis Comitatibus maneant, qui per se possunt expeditionem facere: vel quanti de his, quibus unum alium adjuvet, quanti etiam de his, qui a duobus tertius adjuvetur & præparetur, ut eamdem expeditionem exercitalem facere possint, & eorum summam ad nostram notitiam deferant.* quod etiam reperitur *in fine ejusdem Capitularis*. Additur *in ejus c.* 7. *pag.* 473. *Hinc vero ea diligentia, & hæc ratio examinetur per singulas centenas, ut veraciter sciant illos, atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem: ac videlicet secundus ordo de his, qui per se ire non possunt, ut duo tertio adjutorium præparent.* Ac tandem *lib.* 5. *Capitular. cap.* 341. *Si quis in exercitu infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, aut pecora majora vel minora, domosque infringere, vel incendere, hæc ne fiant, omnino probibemus;* & statim pœna in eos constituitur, qui huic Constitutioni non paruerint.

Ea fere omnia exscribunt Patres Concilii ad S. Marcam Remensis Diœcesis, *an.* 881. *post Can.* 6. sicut & CAROLVS CALVVS *in Capitulis Synodi Carisiacæ an.* 857. quæ Missis Dominicis diriguntur. Et *in Edicto Pistensi cap.* 27. post exscriptam legem de iis describendis, qui exercitalem expeditionem facere possunt, vel non, addit: *Vt Missi curent eos, qui non possunt, ad civitates novas, & pontes, ac transitus paludium operari; & in civitate, atque in Marcha vuactas*, id est excubias, *facere ad defensionem patriæ*. Ac tandem HINCMARVS REMENSIS *in opusculis cap.* 5. Carolum Calvum hortatur & orat, *ut eos mittat per singulas Provincias, qui militum rapinas coerceant*, & satis indicat, non alios eos esse, quam Missos Dominicos.

Curabant etiam *heribannum*, id est, mulctam non ambulantis in exercitum, vel etiam dominicam vocationem ad bellum, unde hodie *l'arriere Ban.* CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 14. *De heribanno volumus, ut Missi nostri fideliter exactare debeant absque ullius personæ gratia, vel blanditia, seu terrore secundum jussionem nostram.* In *cap.* 18. *Vt Missi nostri æquiliter faciant de singulis causis, sive de heribanno.* In *cap.* 68. *Vt non per aliquam occasionem, nec pro Vuacta, nec de Scarra* (Escadron) *neque de Vuarda, neque pro heribergare, nec pro alio banno heribannum Comes exactare præsumat, nisi Missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, & ei suam partem tertiam exinde per jussionem nostram donet. Ipse vero heribannus non exactetur, neque in terris, neque in mancipiis, sed in auro & in argento, pallis atque armis, & animalibus atque pecudibus, sive talibus speciebus, quæ ad utilitatem pertinent.* Ille idem CAROLVS M. *in Capitul.* 3. *ad an.* 805. *cap.* 19. eadem fere exscribit, & *in fin.* addit: *Vt Missi nostri caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram justitiam, alteri tradendo aut commendando.*

IDEM, *lib.* 4. *cap.* 70. *Vt Vassi nostri, & Vassi Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, & Comitum, qui anno præsente in hoste non fuerunt, heribannum reuvadient*, (idest pro banni mulcta uvadium dent seu pignus); *exceptis his, qui ab heribanno immunes sunt, aut excusati*, ut puta qui Missi erant ad recipiendos Missos Dominicos. In secunda appendice *ad eum lib.* 4. *cap.* 29. *De heribanno, ut diligenter inquirant Missi nostri, qui hostem seu expeditionem facere potuit, & non fecit, ut bannum nostrum ipse componat, si habet unde componere possit. In cap.* 36. *ejusdem Append. Quicumque liber homo inventus fuerit anno præsente cum Seniore suo in hoste non fuisse, plerumque heribannum persolvere cogatur. Et Seniores aut Comites tot heribannos solvant, quot homines domi dimiserunt*, additur: *Et quia nos anno præsente unicuique Seniori duos homines concessimus, quos domi dimitteret ad suam custodiam, volumus, ut eos Missis nostris ostendat.*

Heribannus igitur est mulcta non euntis in exercitum ad jussionem Principis: sed tamen si quis ex ejus præcepto aliquid aliud præstiterit, ab heribanno excusari potest. Et hinc EGINARDVS *in Epist.* 22. *ad quemdam Missum Dominicum*, apud QVERCETANVM *tom.* 2. *hist. Franc.* asserit, eum solvere non teneri heribannum, qui secundum ordinationem D. Imperatoris ad custodiam maritimam fuit. Sic etiam licet Missi Dominici ex regiis Capitulis heribannum exigere deberent, absque ulla personarum acceptione & gratia, attamen ille idem EGINARDVS *ibidem, in epist.* 33. quibusdam Missis Dominicis gratias agit, quod suis hominibus parceret in ipsis etiam heribannis.

Ac tandem CAROLVS CALVVS, *in Edicto Pistensi, cap.* 27. jubet, *Vt Missi Dominici ab iis heribannum exigant, qui hostem dimiserint, aut non venerint ad defensionem patriæ.* Et ita non illi tantum mulctam hanc solvere tenebantur, qui ad Regis jussionem ad expeditionem exercitalem proficisci contempserant; sed etiam desertores, quique hostem dimiserant, id est exercitum, aut exercitalem expeditionem, veteribus *l'host.* Nec omittendum, quod CAROLVS CALVVS habet, *in Capitulis apud Tusiacum, cap.* 13. ubi agens de iis, qui regnum suum devastare velint, addit: *Missi nostri de ipso Missatico providentiam habeant, qualiter unusquisque Episcopus, vel Abbas, seu Abbatissa, cum omni plenitudine & necessario hostili apparatu, & ad tempus suos homines illuc transmiserit cum Guntfanonario* (vexilli præfecto) *qui de suis Paribus cum Missis nostris rationem habeat.* Et ita olim Episcopi, jubente Rege, homines suos in militarem expeditionem mittere tenebantur; eamque generalem regni consuetudinem vo-

cat

cat RIGORDVS, *in gestis Philippi Augusti*. Ac si detrectarent, eorum regalia confiscari solebant; ut de Aurelianensi & Altissiodor. occurrit, apud INNOCENTIVM III. *lib.* 1. *Regest.* 3. *Ep.* 190.

CAPVT XVI.

Violentiæ Potentiorum, & eorum lites.

MVlta sacinora sub uno *violentiæ* nomine continentur; quique manifestam detegitur commisisse violentiam, non jam relegatione aut deportatione insulæ plectitur (ut obtinebat olim ex lege Iulia *de vi publ. & priv.*) sed capitale supplicium excipit, *l.* 1. *Cod. Th. ad leg. Iul. de vi publ. & priv.* Vnde BENEDICTVS LEVITA exscripsit *caput* 386. *lib.* 6. *Capitular.* non etiam *ex l.* 6. *Cod. tod.* quippe qui nondum haberet eum Codicem Iustinianeum. Et *lib.* 7. *cap.* 232. *Convictus in judicio de evidenti violentiæ crimine reus capite puniatur*. Proprie quidem crimen illud ad vim publicam & privatam pertinet; sed in hoc capite continet maxime inferiorum oppressionem per potentatum, & concussionem Potentiorum, dum nempe ab illis multa per vim exigunt & extorquent, eosque bonis suis spoliant. De ea re jampridem quædam diximus, ubi egimus de reclamatione ad Missos Dominicos, & de eorum cura circa pauperes.

Tertii Turon. Concilii Patres in Can. 44. petunt a CAROLO M. *sublevari pauperes, qui a Potentioribus opprimuntur*. In *Can.* 49. *subditorum dominos admoneri, ut circa eos pie ac misericorditer agant, nec eos vi opprimant, nec illorum substantiolas injuste tollant*. Et hoc totidem verbis constituit piissimus ille Princeps, *lib.* 2. *cap.* 44. Et in Capitul. *lib.* 1. *cap.* 115. *lib.* 5. *cap.* 256. *lib.* 6. *cap.* 252. *De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiat a Potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam*. Cumque Capitula daret Missis Dominicis *lib.* 4. *cap.* 46. scripsit, *de pauperibus, viduis, & pupillis injuste oppressis, ut ab iis adjuventur & releventur*.

Huic potissimum fini mittebantur in provincias, *ut oppressiones pauperum examinarent*. CAROLVS CALVVS *in Conventu primo ad Marsnam, c.* 7. *Vt iis ablata æquo libramine iis restitui curarent*. ANONYMVS *in vita* LVDOVICI PII *ad an.* 824. *Ne miserabiles personæ Procerum potentatu opprimerentur*. HINCMARVS, EGINARDVS, THEGANVS, ANNALES FVLDENSES, *& alii*. Idem CAROLVS CALVVS *ad Valentianas, de cavenda rapacitate & oppressione Ecclesiarum & pauperum*. Curabant etiam, ne pauperes a quolibet Reipub. Ministro, id est, inferiori aut minori Iudice, quamcumque violentiam, vel oppressionem, aut exactionem paterentur; quod CAROLVS CALVVS populo adnuntiari præcipit a Missis Dominicis, *in Capitulis apud Sylvacum, cap.* 9. & alibi passim.

Ac tandem si Proceres querelam, litem, aut controversiam inter se haberent, Missi Dominici eam secundum justitiam & æquitatem definiebant; ut *in appendice tertia, ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 9. Ita et si lis quædam mota esset inter Comitem & ejus pagenses (seu homines aut vassallos, qui manerent in eo pago, cui præerat Comes) de quibusdam juribus aut censibus, inter eos Missi Dominici sedebant judices, *ut in eadem appendice, cap. ult.*

CAPVT XVII.

Nundinæ. Mercatus. Pondera. Mensuræ.

COnstat omnino, commercia, nundinas, mercatus valde pertinere ad utilitatem publicam. Vnde Imperatores Rom. multos hinc inde instituebant, qui eorum curam agerent; sed præcipue Comites commerciorum, sub Comite sacrarum largitionum, *in Notitia Imperii, & passim in utroque Cod.* Sic etiam Christianissimi Reges sæpius ac sæpius leges ediderunt de commercio, ejusque curam commiserunt Missis Dominicis. Inter veteres formulas incerti auctoris, *cap.* 45. *apud* MARCVLFVM *in append.* exstat indiculus regalis, ex quo manifeste colligitur, vectigalia, telonea, tributa, quæ in mercatis præstantur, eorumque immunitatem quibusdam concessam pertinuisse ad curam Missorum Dominicorum. CAROLVS M. *in Capitulis in Aquensi Palatio datis, c.* 18. jubet, *Vt mercata in die dominica non agantur, sed in diebus, quibus homines ad opus dominorum suorum operari debent. Aux jours ouvriers*. Et SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall.* ait, *ea Capitula Missis Dominicis data fuisse*. Idem *lib.* 3. *Capitular. c.* 6. definit, ad quas usque provincias procedere debeant negotiatores: & *in fine* addit: *Vt arma & brunias* (seu loricas) *non ducant ad venumdandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab iis: dimidia quidem pars partibus Palatii, alia vero medietas inter jam dictos Missos, & inventorem dividatur*: quod etiam exscribit CAROLVS CALVVS *in Edicto Pistensi, c.* 25. & pro *dictos Missos*, scribit *Missos Regios*. Idem CAROLVS M. *in Capit.* 3. *an.* 805. *c.* 6. *Et in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet, & suam non nimis annonam care vendat: & ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ*. Ea Missis data sunt, ut diximus.

AGOBARDVS, Lugdun. Archiepiscopus, *de Insolentia Iudæorum* agens, apud LVDOVICVM PIVM queritur, *quod Missi Dominici mercata transmutari præceperint, quæ in sabbathis Iudæorum fieri solebant, & quibus diebus deinceps frequentari debeant, in eorum optione posuerint*. Sic etiam CAROLVS CALVVS *in Edicto ad Carisiacum*, & *in Edicto Pistensi* suis Missis mandat, *Vt curent bonos tantum denarios in mercatis exponi, & solvi, nec eos recusari*. Iubet etiam, *ut Missus Reip. curam rei monetariæ habeat in mercatis*. In eodem *Edicto ad Carisiacum*, jubet, *a Missis Dominicis constitutionem suam in mercatis relegi, adcognitari, & observari. In Pistensi, cap.* 19. *Vt unusquisque Comes de Comitatu omnia mercata in breviari faciat, & sciat nobis dicere, quæ mercata tempore avi nostri fuerint, & quæ tempore Domini & genitoris esse cœperunt, vel quæ illius auctoritate constituta fuerunt, vel quæ sine illius auctoritate facta fuerunt, vel quæ tempore nostro convenire cœperunt; ut decernere possimus, quatenus necessaria, & utilia, & quæ per auctoritatem sunt, maneant*. Et ita etiam hodie nullus mercatum, aut nundinas habere potest, nisi ex consensu & auctoritate Regis: quod a jure Civili desumptum esse constat.

Cum autem & sacræ paginæ & sacri Canones sæpius ac sæpius jubeant, justas & æquales esse mensuras, æqualia pondera, de iis quædam Capitula ediderunt Christianissimi Reges. CAROLVS M. *in Aquisgran. Capitulari*, seu in Edicto legationis, quod & dedit Missis Dominicis, *cap.* 74. *apud* SIRMONDVM: *Vt æquales mensuras & rectas, & pondera justa & æqualia omnes habeant, sive in Civi-*

Civitatibus, ſive in Monaſteriis, ſive ad dandum in illis, ſive ad accipiendum. Idem fere *in alio Capitulari Aquiſgran. cap.* 72.

Sexti Pariſienſis Concilii Patres, lib. 1. *Can.* 51. LVDOVICO PIO indicant elegantiſſime, quanta mala pauperibus pa ant injuſtæ menſuræ, injuſta pondera, doloſæ . eræ, dum Clerici & Laici minorem modium & ſextarium in vendendo atque commodando habent, & majorem in recipiendo. Et *in fin.* addunt: *Quamquam perverſæ conſuetudines non facile corrigantur, hæc tamen conſuetudo inæqualium modiorum, & injuſtorum ſextariorum, atque ponderum doloſorum, neceſſe eſt ut principali metu corrigatur.* Et *lib.* 3. *Can.* 3. agnoſcunt, *menſuras modiorum & ſextariorum vix unquam perduci poſſe ad certam correctionem, quod in diverſis provinciis diverſæ ab omnibus pene habeantur: ſed tamen ab eodem Imperatore nullus duplices menſuras in ſua dominatione habeat, aut habere poſſit.*

CAROLVS CALVVS *in Capitulis ad Tholoſam cap.* 2. vult: *Vt menſura ſit publica, probata, generalis, legitima, per civitatem, pagum, & vicinitatem.* In *Edicto Piſtenſi cap.* 20. jubet: *Vt Comites ac Miniſtri Reip. curent, quatenus juſtus ſit modius, & æquus ſextarius; & ut menſuram ſecundum antiquam conſuetudinem de Palatio Regis accipiant.* Vnde & in Gallia omnes fere menſuræ ad Regiam referuntur, a qua etiam omnes illæ prodierunt & conceſſæ ſunt. Et ibidem CAROLVS CALVVS in eos multa conſtituit, *qui menſuras adulterant, vel minuunt.*

CAPVT XVIII.

Aggeres fluminum. Pontes. Naves. Viæ publicæ.

CVm Reip. interſit, itinerantes & ripas habere munitas, & illæſos pontes; ea etiam ad ſuam, ſuorumque Miſſorum curam pertinere putarunt Chriſtianiſſimi Reges. CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 10. *De aggeribus juxta Ligerim faciendis, ut bonus Miſſus eidem operi præponatur,* (hodie, l'Intendant des Turſies & Levées:) *& hoc Pipino per noſtrum Miſſum mandetur, ut & ille ad hoc Miſſum ordinet, quatenus prædictum opus perficiatur,* & hinc etiam hodie, *les Levées de la riviere de Loire.* CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis apud Attiniacum, cap.* 3. quæ ſuis Miſſis dedit, *de viis per aquas, videlicet, ut ubi noviter clauſæ erant, aperirentur, ſicut antiquitus fuerunt apertæ;* & hinc hodie non ita paſſim licet in publicis fluminibus clauſas facere, ſic dicuntur *lib.* 5. *cap.* 279. nobis *des Eſcluſes.*

LVDOVICVS PIVS, *in ſecundo Capitulari, cap.* 20. *apud* SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. Vt ubi Pontes antiquitus fuerunt, & in iis locis, ubi tempore genitoris noſtri, ipſo jubente, diverſarum neceſſitatum cauſa facti ſunt, omnino abſque ulla dilatione ab his, qui eos tunc fecerunt, reſtituantur & renoventur: ita ut ad Miſſam* (id eſt ad diem feſtum) *S. Andreæ reſtaurati fiant; niſi forte aut ipſa operis magnitudo, aut aquarum in quolibet inundatio hoc prohibeat: & volumus, ut Miſſi noſtri nobis illud renuntient.* Hoc exſcriptum legitur *lib.* 2. *Capitularium, cap.* 20. Idem *in cap.* 11. *lib. quarti, De duodecim pontibus ſuper Sequanam volumus, ut hi pagenſes, qui eos facere debent, a Miſſis noſtris admoneantur, ut eos celeriter reſtaurent; & ut eorum vanæ contentioni non conſentiant, quando dicunt, ſe non aliubi eosdem pontes facere debere, niſi ubi antiquitus fuerant: ſed ibi, ubi nunc neceſſe eſt, eoſdem pontes facere jubeantur.* In *cap.* 12. *De omnibus pontibus per regnum noſtrum faciendis, in commune Miſſi noſtri admoneant, ut ab ipſis reſtaurentur, qui eos facere ſolebant.* In *cap.* 43. *Volumus, ut Miſſi noſtri per ſingulas civitates una cum Epiſcopo, vel Comite Miſſos, vel noſtros homines ibidem commanentes eligant, quorum curæ ſit, pontes per diverſa loca emendare, & eos, qui illos emendare debent, ex noſtra juſſione admonere, ut unuſquiſque juxta ſuam poſſibilitatem, & quantitatem eos emendare ſtudeat,* quod etiam a CAROLO M. *in* LEGES LONGOBARDORVM, *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 32. relatum eſt. In *cap.* 60. *Vt pontes publici, qui per bannum* (ſeu per Edictum regium) *fieri ſolebant, anno præſente in omni loco reſtaurentur.* Ac tandem *in tertio Capitulari, cap.* 11. ad Miſſos Dominicos jubet. *Vt qui publicos pontes reparare aggreſſi fuerint & neglexerint, ad præſentiam ſuam venire teneantur, reddituri rationem, cur eos non reparaverint.* Ea etiam cura Comiti aliquando demandabatur; ac ſi negligens eſſet, a Rege vel a Miſſo Regis judicandus erat, LEGVM LONGOBARDORVM *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 42. *in fine.*

CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis apud Attiniacum, ad Miſſos, cap.* 4. *De pontibus reſtaurandis: videlicet, ut ſecundum Capitularia avi & patris ſui, ubi antiquitus fuerunt, reficiantur ab his, qui honores illos* (ſeu feuda illa, majora illa prædia) *tenent, de quibus ante pontes facti, vel reſtaurati fuerant:* quia in eorum præcipue utilitatem &commodum exſtructi tum primum intelliguntur, quod ſumme notandum: ſicut & curam pontium Miſſis Dominicis demandari cum Epiſcopo; nam Eccleſiaſtici homines cum reliquo populo pontes reſtaurare tenentur, ut eſt in LEGIBVS LONGOBARDORVM *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 42. quia pontium reſtauratio eſt munus reale, quod Clerici etiam agnoſcunt. *In Edicto Piſtenſi cap.* 27. *Vt qui ad pontes operantur, a Miſſis Dominicis heribannum ſolvere, aut in expeditionem militarem proficiſci non compellantur.*

In *Capitulis apud Attiniacum,* quæ Miſſis data ſunt, ut ea in ſuis Miſſaticis exequi procurarent. *cap.* 2. *De maritima cuſtodia, ut ſecundum conſuetudinem vigilanter diſponeretur.* In *Capitulis apud Tuſiacum, cap.* 14. *Vt Miſſi noſtri cum Epiſcopis, & Comitibus, & vaſſis noſtris, qui ſuper aquas commanent, per quas infideles noſtri ad regnum noſtrum tranſeant; ordinent, qualiter illæ naves cuſtodiantur: & per jus neglectum naves poſtea bene cuſtoditæ non fuerunt, nobis renuntietur.* Cumque ad navium compoſitione indicta erat quædam exactio pro regni ſalvamento, mandabatur Miſſis Dominicis, ut ea moderata eſſet, *in Edicto, in Cariſiaco.*

Ac tandem viæ publicæ ad eorum curam pertinebant. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 17. jubet, *Vt Miſſi Dominici locos illos curent, ubi modo via ordinata eſt.* Et *lib.* 5. *cap.* 353. *Ne quis viam publicam, aut lithoſtrotum, claudat contra legem;* id eſt viam lapidibus ſtratam, ut interpretatur PITHOEVS, quales in Imperio Rom. plures fuiſſe conſtat, ex doctiſſimo libro *des grands chemins de l'Empire.* Curabant etiam vias per aquas, apud CAROLVM CALVVM, *in Capitulis apud Attiniacum, cap.* 3. Viam exercitalem ſeu militarem. In Capitulis ex *Synodo Cariſiaca,* quod deſumptum eſt ex *lib.* 2. *Capitul.* CAROLI M. *cap.* 14. tranſitus paludium, in *Edicto Piſtenſi, cap.* 27.

CAPVT XIX.

Pascua. Sylvæ.

SIcut Imperatores Romani curabant diligenter, ne pascua publica & privata illicite depascerentur, ac ne in iis possessores aut domini vexarentur, aut paterentur molestiam, ut videre est *in tit. utriusque Cod. de pascuis;* ita & Christianissimi Reges eadem ad curam suam pertinere putarunt. CAROLVS M. aut utique LVDOVICVS PIVS, *lib.* 5. *cap.* 201. prohibet, *ne quis defensionis tempore herbam tollere præsumat, nisi in hostem pergat, aut sit Missus Dominicus.* Eadem exscribuntur in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. defensionis tempore, id est, eo tempore, quo pratum defenditur, ut est *in* LEGIBVS VVISIGOTHORVM, *lib.* 8. *tit.* 3. *cap.* 12. CAROLVS CALVVS *in Capitulis ad Sylvacum, cap.* 13. (quod exscribit nominatim *post reditum a Confluentibus*) jubet, *Vt Missi Dominici curam habeant, ne quilibet vicinos suos majores & minores ætatis tempore deprædentur, quando ad herbam caballos mittunt: vel tempore hiemis, quando Marascalcos illorum ad fodrum dirigunt.* Præterea sicut VALENTINIANVS in *l.* 3. *Cod. Theod. quibus equor. usus conc. est*, curat, ut regiones Vrbicariæ ab assiduis abactorum rapinis quietæ sint: ita & CAROLVS CALVVS *in d. cap.* 13. curat, ut elapso defensionis tempore, puta æstate, caballi seu equi tuto & secure ducantur ad pascua, & hieme cum Marascalci ad fodrum mittuntur: seu cum equorum servi (ut ita loquar) illud enim verbum deducitur a verbo *Marach*, quod Germanis est equus, & a verbo *Schalk*, quod iisdem est servus, mittuntur ad fodrum, *au fourage*, ad quærenda equorum pabula.

Sic etiam cum veteres Galliæ Reges forestas, ut majores sylvas maxime curarent & haberent in deliciis, quædam de iis mandarunt Missis Dominicis. CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 65. *De forestibus nostris, ut ubicumque fuerint, diligentissime inquirant* (Missi Dominici) *quomodo salvæ sint & defensæ; & ut Comitibus denuntient, ne ullam forestem noviter instituant: & ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere præcipiant.* Sit ita hodie in Gallia non omnes habere possunt forestam, *Foreſt ou breil de Foreſt.* LVDOVICVS PIVS *in Appendice* 3. *ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 3. *de Foreste, quam Autharius Comes habere vult, ubi ea prius non fuisse dicitur; volumus, ut Missi nostri rei veritatem inquirant, & juxta quod justum invenerint, ex nostra auctoritate definiant.* Imo & CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Suession. Act.* 6. *cap.* 6. voluit, *ut Missi Dominici custoditas sylvas ad Ecclesiam pertinentes curarent.* Et in *Capitulis post reditum a Confluentibus in fine, Vt eum admoneant de sylvis venditis.*

CAPVT XX.

Moneta.

CErtissime constat, *cudendæ jura Monetæ* inter regalia recenseri; ideoque quilibet Principes semper existimarunt, eam pertinere ad suam curam. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitul. cap.* 18. constituit in toto regno unam esse Monetam, & alias omnes cessare, hoc singulis Comitibus primo dedit in mandatis, & addidit, *se per singulos Comitatus missurum esse suos Missos, qui diligenter inquirerent, an Comites in ea re functi essent officio:* SIRMONDVS eam Constitutionem reponit inter Capitula LVDOVICI PII, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 455. Idem LVDOVICVS, *lib.* 4. *cap.* 32. jubet, *Vt quilibet homo denarium merum* (id est, ex solo argento), *& bene pensantem recipere nolit, mulctetur:* ac *si sit servus, Misso Dominico repræsentetur ab eo puniendus.* Hoc SIRMONDVS reponit in Capitulari tertio ejusdem LVDOVICI, & addit, *vel in emptione, vel in debiti solutione fiat.* In *cap.* 55. ejusdem libri, *ut Missi Dominici observent, & cognoscant de nova & falsa Moneta:* ac *si Comites eam Constitutionem neglexerint, Missi Dominici hoc ad Regiam notitiam perferant.*

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Attiniacum, cap.* 9. *De monetis, & falsariis fabris; videlicet, ut diligenter inquirantur & emendentur:* nempe a Missis Dominicis, quibus data sunt ea Capitula. Cumque illius temporibus Nortmanni Galliam infestarent, & ideo certam pecuniæ quantitatem iis dare vellet, ut regno recederent; ejus exactionem & Clericis & Laicis imposuit, ut quilibet tot denarios præstare teneretur. Ejus exactionis formulam ac definitionem exscribit SIRMONDVS *in Notis ad Capitul.* CAROLI CALVI, *tit.* 52. & ex eo QVERCETANVS, *tom.* 2. *Hist. Franc. pag.* 460. Sed cum quidam exactores bonos denarios, id est meros & bene pensantes, rejicerent, iisque aliquando faverent Missi Dominici; contra eos omnes *Edictum* edidit *in Carisiaco*, ubi gravissimas pœnas instituit adversus eos, *qui vel in civitatibus, vel in mercatis denarios illos rejicerent.* Sic enim & vexabant populum, cui alia moneta non suppetebat, & impediebant *conjectionem* seu *contributionem*, quam singuli facere tenebantur in eam rem.

In *Edicto Pistensi* rem monetariam fere totam aggreditur, & multa ejus Capitula Missis Dominicis demandat. In *cap.* 8. jubet, *Vt denarii ex omnibus monetis meri ac bene pensantes in omni regno non rejiciantur: & ut non nisi meri ac bene pensantes accipiantur usque ad missam,* (*seu diem festum*) *S. Martini: & ab ea die per totum regnum non accipiantur alii denarii, quam meri & pensantes, & quidem novæ illius monetæ, quam cudi curaverit.* In cap. 15. *Vt qui ab eo tempore novos illos denarios non acceperint, mulctentur, ac si sint servi, offerantur Missis Dominicis.* In cap. 21. *Vt bannum solvatur, quod pro rejectione bonorum denariorum reuuadiatum erat*, seu pro cujus solutione datum erat pignus.

DE MISSIS DOMINICIS AD VECTIGALIA.

CAPVT PRIMVM.

Missi Fiscalini. Vectigalia.

NOn minimum erat munus Missorum Dominicorum, ut vectigalia curarent; cumque fisco debeantur, ac præstentur, ideo dicebantur *Missi Fiscalini*. Olim spectabiles Iudæorum Patriarchæ sub primis etiam Imperatoribus Christianis habebant Apostolos, qui nempe ab iis mittebantur in varias Imperii Romani provincias, ut tributa quædam exigi, & ad eos exportari curarent, *l.* 4. *Cod. Th. de Iudæis*, Apostolos, id est Missos ad rem tributariam, quales fuerunt Missi Fiscalini. Sane in veteribus libris, atque etiam in regiis Capitularibus occurrunt *Fiscalini homines*, qui nempe sunt de familia dominica vel fiscali; nec alii sunt quam Vassalli Dominici, seu regales. Sed ideo Missi Dominici dicebantur Fiscalini, quod rem tributariam curarent, quæ fisco defertur: eo inquam sensu dicebantur Fiscalini, ut in LEGIBVS LONGOBARDORVM *lib.* 2. *tit.* 52. *cap.* 9. ubi sic loquitur CAROLVS M. *Vt Missi nostri Fiscalini de qualibet causa non exigat fredam*, id est compositionem, aut mulctam fisco debitam, quod vectigalia curarent. Ejus rei antiquissimum exemplum videre est apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 5. *cap.* 29. ubi cum CHILPERICVS Rex descriptiones novas & graves in omni regno suo fieri jussit, & Lemovicinus populus in Calendis Martiis congregatus eum interficere voluit, quia ea vectigalia exigebat CHILPERICVS de latere suo personas misit, qui rem illam curarent, & GREGORIVS TVRON. eos vocat *Missos regales*.

CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 19. jubet, *Vt Missi Dominici de injustis Theloneis inquisitionem faciant. lib.* 3. *cap.* 12. *de Theloneis: Placet nobis, ut antiqua & justa a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam de navigiis, seu mercatis. Nova vero seu injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, ut non exigantur. Similiter etiam nec de iis, qui sine negotiandi causa substantiam suam de una domo ad aliam, aut ad Palatium, aut in exercitum ducunt, thelonium nullatenus ab iis exigatur*, & *lib.* 5. *cap.* 254. *Si quid vero fuerit, unde dubitetur, ad proximum Palatium nostrum, quod cum Missis habituri sumus, interrogetur*. Sic etiam cum *lib.* 4. *cap.* 44. præmisit *de legatione Missorum Dominicorum, de quibus causis agere debeant*; *in cap.* 47. subjicit: *De injustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa, & Thelonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde injuste census exigi possit; vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obstaculum est, ut auferantur: antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur*. Sicque Missi Dominici antiqua potissimum vectigalia curabant, nec ita favebant novis.

LVDOVICVS PIVS *in Capitulari* 2. *cap.* 19. exscribit patris sui Constitutionem, quam retulimus ex ejus *lib.* 2. *cap.* 19. Et *in Capitulari* 3. *cap.* 15. prohibet, ne tributum, quod *inferenda* vocatur, majoris pretii exigatur, quam a Missis Dominicis constitutum fuerit: Illud alibi vocatur *illatio*, ut apud AIMOINVM, & FREDEGARIVM. In additione quarta, cap. 116. *Quicumque Vicarii, vel alii Ministri, tributum, quod inferenda vocatur, majoris pretii a populo exigere præsumpserint, quam a Missis genitoris nostri constitutum fuerit, hoc est duos solidos pro una Vacca: hoc, quod injuste superposuit, & abstulit, sibique retinuit, his, quibus hoc tulit, cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium amittat*.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis, apud Attiniacum ad Missos Dominicos cap.* 5. *De navibus, quæ vadunt sub pontibus, videlicet, ut inde Theloneum non exigatur*. In *Bertinianis Francorum Annalibus, ad an.* 877. vectigalia quædam Clericis indicit & imponit, quæ accipiantur ab Episcopis, & Missis Dominicis reddantur: non dissimiles hodiernæ decimæ Clericis impositæ. Iis temporibus erant Assessores *in vita S. Sulpitii Pii Bituricensis Episcopi, num.* 24. *tom.* 2. *SCtorum Benedictin.* qui nempe tributorum impositionem & collectam curabant, unde nobis *les Asseeurs*. Nec sine plagio prætermittendum est sanctissimum ejusdem CAROLI *Edictum in Carisiaco*; ubi pro regni salvamento, ad navium compositionem; & propter Nortmannorum infestationem indixisset aliquam exactionem, & quidam Missi Dominici quasdam adinventiones intromitterent ad populi perniciem; *Cum*, inquit, *in eo, quod ad regni utilitatem jubetur & agitur, non privata contra generalem utilitatem commoditas, neque aliquod turpe lucrum, quod in Christiana Religione, & in Regia dignitate, aut in Missorum fidelium sinceritate non condecet, se debet ullo modo miscere*. Vnde commendationem scribit ad suos illos Missos, *Vt moderate & misericorditer cum populo agant, ut omnes cognoscant; quia non quæstum inhonestum, sed publicam regni utilitatem quærit*. Aurea & omnino Evangelica Christianissimi Regis verba, quorum meminerint velim omnes πρακτ. ἐφ. exactionibus publicis profecti.

CAPVT II.

Census. Beneficia. Casata. Regiæ Villæ.

COnstat ex *utroque Cod.* ex *Notitia Imperii*, & ex *Historiæ Augustæ Scriptoribus*, Romanos Imperatores habuisse olim res privatas, res sacri patrimonii, & res sacrarum largitionum, & earum omnium singulos habuisse Comites: ad ultimas pertinent tributa & vectigalia, de quibus *superiori cap.* Nunc ad alias, quæ forsan hodie genera appellatione *domanii* veniunt, quod *indominicatum suum* vocat CAROLVS CALVVS, *in suis Capitulis Tusiacum, cap.* 3. & alibi *proprium dominicum*

Sta-

Statim a cenſibus incipiendum. Illi dicuntur *cenſus regii*, in *Edicto Piſtenſi*, *cap.* 34. ubi etiam *Regi debentur a Francis, vel ex capite ſuo, vel ex ſuis reſcellis*, in *cap.* 28. ex *ſuis rebus:* unde *terra tributaria*, *terra cenſalis*, *lib.* 4. *Capitul. cap.* 37. & 39. & omnes illi cenſus pertinebant ad curam Miſſorum Dominicorum.

CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 85. *Vt Miſſi noſtri cenſus noſtros perquirant diligenter, undecumque ad partem Regis exire ſolebant; ſimiliter & freda: & nobis renuntient, ut nos ordinemus, quid de his in futurum fieri debeat.* CAROLVS CALVVS *in iisdem Capitulis ad Tuſiacum*, *cap.* 8. *Vt miſſi noſtri de omnibus cenſibus, vel paraveredis*, (ſeu equis) *quos Franci homines ad Regiam poteſtatem exſolvere debent, inquirant; & ubi per negligentiam dimiſſum eſt, exſolvi faciant: & diligenter de ſingulis Comitatibus cuncta deſcribant, & nobis renuntient. Similiter & de cæteris cenſalibus, & de rebus ad caſas Dei traditis, unde cenſus ad partem Regis exivit antiquitus. Et ſi aliquis auctoritatem Regiam inde oſtenderit, ad noſtram præſentiam ipſam auctoritatem deferri faciant.* Et cenſus illi nobis hodie dicuntur *Cens*, *Rentes*, *& Devoirs du Domaine.*

Miſſi etiam Dominici curabant *Beneficia.* In Capitulis Regum noſtrorum, & in Conciliis eo tempore habitis, paſſim occurrunt beneficia regalia, beneficia fiſci, Comitum, Vaſſorum Dominicorum; atque etiam beneficia Eccleſiarum, Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum; nec aliud erant, quam feuda. Olim erant beneficia regalia tam de rebus Eccleſiæ, quam de cæteris rebus, *Capitularium lib.* 1. *cap.* 126. Et Reges noſtri prædia ſua, atque etiam Eccleſiaſtica militibus dabant in beneficium, ſeu in feudum, ut fuſius probat Magnus BIGNONIVS *ad Marculfum*, *lib.* 2. *cap.* 5. Hic tantum de beneficiis regalibus, quæ nempe ſint ex regalibus prædiis: cum autem Principes ſæpius amitterent eorum proprietatem, ut innuit CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 19. & 20. ſæpius in eorum Capitulis cautum eſt, ut Miſſi Dominici ea beneficia deſcribant.

CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 80. *Miſſi noſtri diligenter inquirant, & deſcribere faciant, unusquisque in ſuo Miſſatico, quid unusquisque de beneficio habeat.* In *cap.* 81. *Quomodo eadem beneficia condricta ſint*, vel ut legit SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 158. *condirecta*, a condirgere, ut *in veteribus formulis*, *cap.* 147. pro condirigere: quomodo condricta nobis forte, *comme ils ſe pourſuivent & comportent.* In *cap.* 82. *Vt non ſolum beneficia Epiſcoporum, vel Abbatum, Abbatiſſarum atque Comitum, ſive vaſſorum noſtrorum, ſed etiam fiſci noſtri deſcribantur in breve: ut ſcire poſſimus; quantum etiam de noſtro in uniuscujusque legatione ſeu Miſſatico habeamus.*

LVDOVICVS PIVS, *lib.* 4. *Capitular. cap.* 2. jubet, *Vt Miſſi Dominici ſine Sacramento per veraciores homines inquiſitionem faciant de rebus, aut mancipiis, quæ dicuntur a ſuo fiſco fuiſſe occcupata, ſur le fisque*: mancipia, quæ nempe fundi partem faciunt, ut de ſervis ruſticis apud Iuſtinianum, *cap.* 38. *ibid. quicumque ſuum beneficium occaſione proprii deſertum habuerit, & intra annum, poſtquam & a Comite vel Miſſo Dominico notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipſum beneficium amittat.* Eaque nominatim exſcribuntur *ex Capitulari tertio* LVDOVICI PII.

Iis temporibus propria, & beneficia plurimum differebant: *propria* erant perpetuo & hæreditario jure; *beneficia* autem ad tempus: Ita vero beneficia deſerebantur & amittebantur occaſione proprii, quod beneficiarii de ſuo beneficio acquirebant quasdam proprietates; & ipſi beneficio regali ſervientes, ipſis proprietatibus ſervire faciebant, ut *in d. cap.* 19. *lib.* 3. *Capitular.* vel etiam regale beneficium ad alios homines reddebant in proprietatem, ut *in d. cap.* 20. *ibid.* quod a Miſſis Dominicis cavendum dicitur in iis duobus locis; ne ſcilicet beneficiarii Principis ex rebus beneficiariis proprium hæreditarium, allodium ſibi facerent; quod ſæpius aut neceſſitate cogente, aut per obreptionem eveniſſe docet CAROLVS CALVVS *in Capitulis in villa Sparnaco*, *cap.* 20. Ac tandem LVDOVICVS PIVS, *in Appendice* 2. *ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 31. agit *de beneficiis deſtructis.* Et CAROLVS CALVVS, *in Edicto poſt reditum a Confluentibus*, *in fin.* jubet, *Vt Miſſi Dominici eum admoneant de beneficiis deſtructis, ut qui ea habent, emendare procurent.* Sic etiam *Meldenſis Concilii Patres in can.* 20. petunt a CAROLO CALVO, *ut ejus Miſſi omnia inbrevient, ſeu deſcribant, quæ in Vaſſallorum Dominicorum beneficiis fuerunt*: quod etiam exſcriptum legitur, *in ejusdem Capitulis in Villa Sparnaco*, *cap.* 20. Sicque Miſſi Dominici diligenter curare tenebantur beneficia ſeu feuda regia eorumque inventaria, brevia, deſcriptiones diligenter facere, ne amitterentur. De beneficiis Eccleſiaſticis egimus ſupra, ubi de rebus Eccleſiaſticis.

Denique Miſſi Dominici curabant regales Caſatos, & Regias Villas. *Caſati* ſunt homines, ſeu Vaſſalli inſervientes adhuc intra caſam ſeu villam regiam, *lib.* 3. *Capitular. cap.* 37. CAROLVS M. *ibidem cap.* 80. jubet, *Vt Miſſi Dominici diligenter inquirant, & deſcribere faciant, unusquisque in ſuo Miſſatico, quos Caſatos homines in ipſo beneficio habeant.* Villæ Regiæ ſunt prædia ſacri patrimonii, *terres du Domaine*: plures huiusmodi Villæ occurrunt in Capitulis CAROLI CALVI, quæ hodie non exſtant, & in quibus olim plures habiti ſunt Conventus, multæ Synodi. Epiſcopi Remenſis ac Rothomag. Provinciæ a LVDOVICO Rege petunt, ut *bonos Iudices, ſeu Proviſores villarum regiarum conſtituat, & illud Miſſi Dominici curent.* In *Edicto Piſtenſi cap.* 5. *Vt Miſſi Dominici curent ſuas villas indominicatas, ſeu ſui dominicatus, ſuæ dominicaturæ.* Et obiter obſervanda eſt ratio eorum Epiſcoporum, *in Capit.* CAROLI CALVI *tit.* 27. *c.* 14. *ut habeatis, unde ſufficienter & honeſte cum domeſtica corte veſtra poſſitis vivere, & legationes Palatium veſtrum adeuntes recipere.*

CAPVT III.

Regia Servitia. Allodia. Nonæ & Decimæ.

CVm *Synodi Belvacenſis*, & poſtea *Meldenſis Patres Can.* 20. a CAROLO CALVO petiiſſent, ut Miſſi Dominici per ſingulos Comitatus ab eo mitterentur, *qui omnia diligenter inbreviarent, quæ eſſent ſpecialiter in regio ſervitio, & in Vaſſalorum Dominicorum beneficiis*: CAROLVS CALVVS *eodem anno* 846. *in Capitulis in villa Sparnaco*, *cap.* 20. in eam rem edidit ſpecialem Conſtitutionem eorum Patrum petitioni congruam. Regia illa ſervitia nihil aliud erant quam feuda. Cum enim feudis impoſita ſint multa, & quidem diverſa ſervitiorum genera, cum iis promiſcue uſurpari cœperunt, quamvis ea eſſent omnino contra naturam feudorum, ut pluribus docet doctiſſimus ALTESERRA *in origine feudorum*, *cap.* 9. Et ſic dominica ſeu regia feuda pertinebant ad curam Miſſorum Dominicorum, qui ea inbreviarent & conſervarent, ne ſenſim amitterentur aut perirent.

Idem etiam de Allodiis; ea ſunt bona hæreditaria & libera, ſeu quæ ad hæredes tranſeunt, & ab omni cenſu, canone, vel præſtatione libera ſunt. Olim quidem ea dicebantur *Allodialia*, quæ erant hæreditaria; & quidem ad differentiam feudorum, quæ cum perſona ipſa expirabant: ſed cum feuda cœperunt etiam eſſe hæreditaria, ea prædia cœperunt appellari Allodia, quæ libera erant, nec ulli cenſui, aut qualicumque præſtationi obnoxia. Sicut vero Imp. Romani ſuos patrimoniales fundos vendebant aut donabant certo canone impoſito, ut obſervare licet ex *tit. Cod. de fund. patrim.* & *ex tit. de om. ag. deſer.* ita & poſtmodum Chriſtianiſſimi Reges quoſdam ex ſuis patrimonialibus fundis dabant, aut in beneficium ſeu feudum, aut in cenſum, aut etiam in allodium, ut paſſim videre eſt apud ſcriptores mediæ ætatis. Sic etiam & Eccleſiæ & Eccleſiaſtica bona militibus aut Monaſteriis in allodium dari cœperunt ſub ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum: imo & ea ipſa Monaſteria potentioribus laicis dabantur in allodium, ita ut ſenſim Religio in iis periret. *Can.* 41. *Meldenſis Concilii:* ſicut & apud eos auctores, qui utroque idiomate ſcripſerunt de allodiis, ubi multa ejus rei exempla congerunt.

Quia vero plurimum intererat Chriſtianiſſimorum Principum, ne patrimoniales fundi etiam in allodium dati, aut deſtruerentur, aut non amplius dignoſcerentur; intererat, inquam, propter fidelitatem & militiam: jubet CAROLVS CALVVS *in Capitulis in villa Sparnaco, cap.* 20. *Vt Miſſi Dominici eos omnes diligenter imbrevient ſeu deſcribant.* In *Capitulis apud Tuſiacum, cap.* 7. *Vt Miſſi Dominici diligenter eos omnes inquirant & deſcribant, qui plus in Allodiis a Rege acceperint, quam iis datum fuerit.* In *Capitulis poſt reditum a Confluentibus, cap.* 4. & 5. *Vt Miſſi Dominici curent præcepta regia exhiberi, les lettres patentes*, quibus olim data aut facta ſunt allodia.

Erant etiam *allodia privata*, quæ nec erant ex rebus aut bonis Principum, nec ex bonis Eccleſiæ: & tamen Miſſi Dominici habebant in mandatis, ut eam inquirerent, ac deſcriberent; & quidem huic fini, vel ut ſi quid eorum domini peccarent in Principem, ſi ab eo vocati venire nollent, pignori caperentur a Miſſis Dominicis, *in Capitulis* CAROLI CALVI *ad Valentianas, cap.* 3. *apud Sylvacum, cap.*2. & *apud Cariſiacum cap.* 4. vel ſi quid contra fidem ac fidelitatem Principi debitam facerent, vel in aliquam mulctam inciderent: ut iis captis coercerentur, & bannum dominicum, id eſt mulctam aut compoſitionem a Rege indictam ſolvere compellerentur, *in Edicto Piſtenſi cap.* 22. ac ſi forte inter privatos de allodio privato lis mota eſſet, de ea cognoſcebant Miſſi Dominici, ut docet vetus quædam Charta apud BELIVM, *in Regibus Aquitaniæ*, ſtatim *in principio*.

Ac tandem erant *nonæ* & *decimæ dominicatæ* ſeu regales, quæ a Parochialibus diſtinguuntur, *in Can.* 75. *Meldenſis Concilii ſub* CAROLO CALVO: ſolvebantur ex Dominicis ſeu regalibus prædiis, quæ olim ad eum cenſum data fuerant. Quod ſi quis agros dominicatos habens ad eum cenſum, eas nonas & decimas non ſolviſſet, cura Comitis aut Miſſorum Dominicorum per fidejuſſores ad Palatium venire compellebatur, ut eſt in quibuſdam *Capitulis* LVDOVICI PII, *cap. ult.* apud SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 469. quod etiam exſcriptum eſt *lib.* 5. *Capitular. cap.* 278. ubi legitur, *contemptor aut Comitum*, *aut Vaſſallorum noſtrorum*, ſeu melius forte SIRMONDVS habet, *aut Miſſorum noſtrorum*, ad quos ea Capitula mittuntur. Aliquando Reges decimas illas dabant Eccleſiis aut Monaſteriis, ut palam eſt *ex Epiſtola* 60. EGINARDI *Abbatis*. Ac ſi forte quidam eas, aut non ſolverent, aut eriperent Eccleſiis, ſub præſentia Miſſorum Dominicorum iis reſtituere jubentur, *in præcepto* CAROLI CALVI apud FLODOARDVM, *lib.* 3. *Rem. Hiſt. cap.* 4. *C'étoient rentes foncieres deues au Domaine*. De aliis decimis ad Eccleſiam pertinentibus jam ſupra egimus, ubi de rebus Eccleſiaſticis.

CAPVT IV.

Advenæ.

ADvenæ pertinebant etiam ad curam Miſſorum Dominicorum: cumque bona aut hæreditates eorum ſæpius fiſco manciparentur, non tam forte inconveniens erit, ſi de iis caput illud interſeratur, inter alia de vectigalibus, & aliis ad fiſcum pertinentibus. *Advenarum* nomine aliquando ſignificabantur illi omnes peregrini, qui a patria ſua fugerant in Galliam, & quidem ad tempus, & ad ſuos lares reverſuri poſt oppreſſionem, ut in *Capitularibus* CAROLI CALVI *ad Sylvacum*, *cap.* 9. poſt afflictionem in patria ſua graſſantem, ut *in ejuſdem Capitularibus apud Attiniacum*, *cap.* 6. Sæpius etiam pro iis accipiebantur, qui a patria egreſſi Galliam inhabitabant, in eam transferebant ſtationem rerum ſuarum, in ea conjugati erant, & nobis hodie dicuntur *Aubains:* undenam multi multis jampridem docuerunt.

CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 18. agens de Miſſis Dominicis, addit, *de advenis volumus jamdiu conjugatis per ſinguła loca, ut ibi maneant; & ſine cauſa, & ſine aliqua culpa non fiant ejecti:* quæque ibi ſequuntur, docent, eos tantum haberi tanquam advenas, qui ſint liberi homines, & integræ frontis, ſeu nullorum criminum rei: *fugitivi vero, ſervi, & latrones redeant ad propria loca*. In appendice ſecunda ad *lib.* 4. *Capitular. cap.*2. ſic habet *de adventitiis* (idem eſt ac de advenis) *ut cum Miſſi noſtri ad placitum venerint, habeant ſcriptum, quanti adventitii ſunt in ſuo Miſſatico, aut de quo pago ſunt, & nomina eorum, & qui ſunt eorum Seniores*.

CAROLVS CALVS *in allatis Capitulis*, & *in Edicto Piſtenſi cap.* 31. jubet, *Vt benignius excipiantur, ut nullam violentiam, vel oppreſſionem, aut exactionem patiantur, & ut iis liceat redire ad ſuos*. Ideoque forſan advenæ apud Miſſos Dominicos nomina ſua profiteri, & edere cogebantur, ne in numerum civium irreperent abſque auctoritate Principis: atque etiam propter eorum hæreditatem, quæ fiſco deferebatur deficientibus legitimis hæredibus, ut jam ſuis temporibus obtinuiſſe docet CASSIODORVS *lib.* 9. *variarum*, *cap.* 14. Illud hodie in quibuſdam Conſuetudinibus immutatum eſt, ut in *noſtra Andegavenſi cap.* 41. Ac tandem ex dictis CAROLI CALVI Capitulis conſtat, eos proprie haberi advenas, qui de alio regno in regnum Galliæ venerint, non etiam de uno Comitatu in alium.

FINIS APPENDIX TOMI XVII.

SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS DECIMUS OCTAVUS.

REPRODUCTION

EN FAC-SIMILÉ

TIRÉE A 250 EXEMPLAIRES SEULEMENT

PAR LES PROCÉDÉS ANASTATIQUES

DE

C. REINECKE, A BERLIN

POUR

H. WELTER, ÉDITEUR

RUE BERNARD-PALISSY, N° 4, A PARIS

ET A LEIPZIG, SALOMONSTRASSE, 16

1902

SACRORUM CONCILIORUM

NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA QUÆ

PHIL. LABBEUS ET GABR. COSSARTIUS S. J.

Et noviſſime NICOLAUS COLETI *in lucem edidere,*

EA OMNIA INSUPER SUIS IN LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI,

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.^MO CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS, CURATA,
Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,
Ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

TOMUS DECIMUS OCTAVUS.

Ab anno DCCCLXXXV. uſque ad ann. DCCCCLXVII. jam incæptum.

VENETIIS MDCCLXXIII.
APUD ANTONIUM ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.
(Editio iterata ad Editionis principis exemplum ab Huberto Welter, Bibliopola, Via dicta Bernard Palissy 4, Pariſiis M.D.CCCCII).

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. D. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Sacrorum Conciliorum &c. Auctore P. Philippo Labbeo Soc. Jeſu curante Nicolao Coleti, & Joanne Dominico Manſi &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 20. Dicembre 1767.

(Sebaſtian Zuſtinian Riform.
(Alviſe Vallareſſo Riform.
(Franceſco Moroſini ſec. Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 335. al N. 2304.

Davidde Marcheſini Segr.

SYLLABUS
EORUM, QUÆ IN TOMO XVIII.
CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata ſunt, noſtræ Editioni noviter acceſſere *P. Joannis Dominici Manſi* cura, qui ad Archiepiſcopatum Lucenſem evectus, glorioſe obiit; omiſſis iis, quæ forte tipothetarum vitio notari non potuerunt.

ANNO CHRISTI

885 *CONCILIUM INCERTI LOCI IN ITALIA AB ADRIANO III.* Pontifice celebratum. *pag.* 1.
☞ Ad Concilium Italum Additio. *ibid.*
Vita & Epiſtolæ Stephani Papæ V. 6
Nota Severini Binii. 10
Epiſtola I. Stephani Papæ V. ad Baſilium Imperatorem. 11
Nota Severini Binii. 13
Epiſtola Styliani ad Stephanum Papam V. 14
Epiſtola II. Stephani Papæ V. 18
Epiſtola III. ejuſdem. 19
—— ad Selvam, Ermemirum, & Frodoinum. *ibid.*
Fragmentum Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Fulconem Remenſem. 23
Nota Severini Binii. ibid.
☞ Fragmentum Epiſtolæ Sigeberto Corſicæ Ep. 24
☞ Præceptum Caroli Craſſi, quo eccleſiæ Cabilonenſi canonica Epiſcoporum ſuorum electio conceſſa eſt. *ibid.*
☞ Epiſtolarum ejuſdem Pontificis alia Fragmenta. *ibid. & ſeq.*
☞ Præfatio, ſeu apparatus Regis Aluredi Magni ad Leges ſuas. 27. *& ſeq.*
☞ Leges Eccleſiaſticæ Ælfredi M. regis Anglorum e civilibus ſuis aliis depromptæ. 32
Leges eccleſiaſticæ ab eodem rege, & Guthurno rege Anglodanorum in concilio, quo fœdus inierunt, ſancitæ. 35
Tituli earundem. *ibid.*
Præfatio. 36
Synodus Landavenſis ſub Guruan Ep. 38
—— *Eadem ſub Berthguino XIV. Ep.* ibid
—— *Alia ſub eodem.* 39
—— *Alia ſub Cerenbir XVIII. Ep.* 40
—— *Item ſub eodem.* 41
—— *Item ſub Gulfrido XX. Ep.* ibid.
—— *Item ſub Civelliauc XXII. Ep.* 42
☞ —— *Item ſub eodem.* ibid.
886 *CONCILIUM INCERTI LOCI IN ITALIA.* 43
—— *NEMAUSENSE.* *ibid.*
887 —— *COLONIENSE.* 45
Præfatio, & Capitula. *ibid.*
886 *CONCILIUM CABILONENSE.* 49
Nota Jacobi Sirmondi. 50
887 *CONCILIUM CABILONENSE APUD S. MARCELLUM.* 51
☞ —— *FIRMANUM IN TERRITORIO S. ELPIDII.* 53
☞ Diploma Theodoſii Firmani Ep. 53
888 *Synodus Landavenſis in Anglia.* 57
☞ Admonitio Collectoris. *ibid*
☞ —— *Landavenſis item alia.* 60
☞ *Synodus Turonenſis.* ibid.
☞ Ad Synodum Turonenſem Adnotatio. *ibid.*
☞ Conventus in Monaſterio S. Mauricii in loco Agauno. *ibid.*
Obſervatio Philippi Labbe. ibid.
CONCILIUM MOGUNTIENSE. 61
Tituli Capitulorum. 62

ANNO CHRISTI

888 Capitula. 63
Nota Severini Binii. 72
Obſervatio PP. Martene & Durand ibid.
☞ Ad idem Concilium Additio. 73
☞ Decretum ejuſdem. *ibid.*
CONCILIUM METENSE. 77
Tituli Canonum. *ibid.*
Præfatio & Canones. *ibid. & ſeq.*
☞ Ad eandem Synodum Adnotatio Chronologica. 81
889 Conſtitutio Riculfi Sueſſionum Ep. *ibid.*
Placitum apud Varennas. 89
Synodus Ticinenſis. 91
Tituli Capitulorum. *ibid.*
Præfatio & Canones. *ibid. & ſeq.*
Notæ Editorum Mediolanenſium. 94
890 *CONCILIUM VALENTINUM.* 95
—— *VVORMATIENSE.* ibid.
Synodus Foracheimenſis. 97
Vita Epiſtolæ, & Decreta Formoſi Papæ. 99
Epiſtola I. ejuſdem ad Stylianum Neocæſareæ. 101
—— II. ad Adalgarium Archiep. Hammaburgenſem. 102
☞ In Formoſi Papæ Epiſtolam, ſeu Diploma
891 Dominici Georgii Rhodigini Admonitio. 103
☞ Formoſi P. Bulla pro Eccleſia Gerundenſi. *ibid.*
—— Ad Monachos S. Theuderii. 104
☞ Aliarum quarundam Epiſtolarum Formoſi argumenta; nempe Formoſi ad Fulconem. 105
☞ Ejuſdem ad Fulconem Remenſem. 106
—— ad Eundem. 107
☞ Ejuſdem Epiſtolæ argumentum Carmine expreſſum. *ibid.*
☞ —— ad Eundem. *ibid.*
☞ Ejuſdem Epiſtolæ Argumentum metricum. 108
☞ —— ad eundem metricum. *ibid.*
☞ —— ad Odonem Regem. *ibid.*
☞ Ejuſdem argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad Archiep. & Ep. Galliarum. 109
☞ —— Ad Carolum Regem. *ibid.*
☞ Ejuſdem argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad Fulconem. *ibid.*
☞ Ejuſdem argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad eumdem. 110
☞ —— ad eundem. *ibid.*
☞ Ejuſdem argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad Anſcherium Pariſ. Ep. Argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad Eccleſiam Senonenſem argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— Ad Ramponem argumentum metricum. 111
☞ —— ad Odonem Regem argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad Waltarium Senonenſem Archiep. argumentum metricum. *ibid.*
☞ —— ad Fulconem. 112
☞ *FRANCFURTENSE CONCILIUM.* ibid.
892 aut *Synodus ab Eduardo Seniore Rege Anglorum congregata.* ibid.

Nar-

ANNO CHRISTI

893 *Narratio ejuſdem Synodi ex tabulario Cantuarienſis Eccleſiæ.* 113
☞ Formoſi Papæ Epiſtola ad Epiſcopos Angliæ. 114
☞ *In eandem Admonitio.* ibid.
☞ *Notæ Davidis VVilkins.* 115
—— *Gabrielis Coſſartii in Synodum Anglicanam.* ibid.
Obſervatio P. Antonii Pagi. ibid.
891 *Synodus Magduni ad Ligerim.* 119
CONCILIUM VIENNENSE. 121
Tituli canonum, *ibid.*
Præfatio & canones. *ibid. & ſeq.*
Obſervatio Philippi Labbe S. J. 122
892 *CONCILIUM REMENSE.* 123
ſeu *Notæ Jacobi Sirmondi S. J.* ibid.
893 *Obſervatio Philippi Labbe.* ibid
Notæ Severini Binii. ibid. & ſeq.
893 *CONCILIUM ROMANUM.* 125
☞ *Catalaunenſis Synodus.* ibid.
☞ Epiſtola Mantionis Epiſc. Catalaunenſis. *ibid.*
894 *Synodus Cabilonenſis.* 127
☞ *Synodus Conſtantinopolitana duplex.* 129
893 *CONCILIUM TRIBURIENSE.* ibid.
& Tituli Capitularum, *ibid.*
896 Præfatio. 131. *& ſeq.*
Canones LVIII. 134. *& ſeq.*
Subſcriptiones Epiſcoporum, 157
Notæ Severini Binii. 158
☞ *Obſervatio P. Antonii Pagi.* 159
Ad Concilium Triburienſe Additio. *ibid.*
CONCILIUM NAMNETENSE. 165
Tituli & Canones XX. *ibid. & ſeq.*
☞ Canones additi ex Ivone. 173
Vita Stephani Papæ VI. ibid
Ejuſdem Epiſtola ad Arnuſtum Narbonenſem Archiepiſcopum. 175
—— ad Aribertum Narbonenſem Archiepiſc. 177
Obſervatio Gabr. Coſſartii S. J. 178
☞ Ad Epiſtolas ejuſdem Appendix, *ibid*
☞ *Synodus Gallicana.* ibid
897 *Conciliabulum Romanum.* 179
898 *CONCILIUM PORTUENSE.* ibid
Obſervatio Gabr. Coſſartii. 182
☞ *Synodus Romana.* ibid.
900 *CONCILIUM REMENSE.* ibid
—— *Compoſtellanum.* 183
Obſervatio P. Antonii Pagi. ibid. & ſeqa
Vita Romuni Papæ. 185
Ejuſdem Epiſtola I. ad Riculfum Epiſc. Helenenſem. *ibid*
—— II. ad Epiſc. Gerundenſem. 188
Vita Theodori Papæ II. 189
Vita & Epiſtolæ Papæ Joannis IX. ibid.
Ejuſdem Epiſtola I. ad Heriveum Archiepiſc Remenſem. *ibid.*
Nota Jacobi Sirmondi. 191
Herivei Remenſis Archiep. ad VVidonem Rotomagenſem Archiep. *ibid.*
Epiſtola II. Joannis Papæ IX. ad Styllianum Epiſc. Neocæſarienſem. 201
—— III. ad Clerum & Populum Lingonienſem. *ibid.*
—— IV. ad Carolum Simplicem Francorum Regem. 202
Epiſtola Hattonis Archiep. Moguntini ad Joannem IX. Papam. 203
Obſervatio Gabr. Coſſartii. 205
Epiſtola Theotmari Juvanenſis Eccleſiæ Archiep. ad Joannem Pap. *ibid.*
Obſervatio Gabr. Coſſartii. 208
☞ *CONCILIUM ROMANUM I.* 209
Synodus Romana. 209
☞ *Synodus Neſtorianorum.* 211
☞ Canones Joannis Patriarchæ de Altari & Euchariſtia. 213
901 *CONCILIUM OVETENSE.* 219
Obſervatio P. Antonii Pagi. 220
902 *CONCILIUM NARBONENSE.* ibid.
904 —— *ROMANUM* quo contra Formoſum acta reſcinduntur. 221
Capitula XII. 223
☞ Canon ex Mabillonio ſuppletus. 226
Adnotatio P. Antonii Pagi. 227

ANNO CHRISTI

904 *Notæ Severini Binii.* 228
Canones XII. Concilii Anonymi ex Antonii Auguſtini Codice. *ibid.*
Adnotatio P. Antonii Pagi. 230
CONCILIUM RAVENNATENSE. 229
Prælocutio Pontificis. *ibid.*
Capitula X. 230. *& ſeq.*
Obſervatio Philippi Labbe. 233
Notæ Severini Binii. 234
Adnotatio P. Antonii Pagi. ibid.
899 *Synodus Saliſburgenſis.* ibid.
905 *Vita & Epiſtolæ Benedicti Papæ IV.* ibid.
Ejuſdem Epiſtola I. ad Galliarum Epiſcopos &c. *ibid.*
—— II. ad Clerum & Populum Lingonenſem. 236
Leges Eccleſiaſticæ Eduardi Junioris Regis Angliæ &c. 237
Tituli Legum. *ibid.*
☞ Procœmium & Leges XII. *ibid. & ſeq.*
906 *CONCILIUM ROMANUM* in Lateranenſi Baſilica. 239
☞ *ROMANUM I.* coram Ludovico IV. Imper. *ibid.*
901 *Synodus Conſtantinopolitana ſuper quartis nuptiis Leonis Sapientis Imper.* 241
906 *Vita Leonis Papæ V.* 247
Vita Chriſtophori Papæ. ibid.
Vita Sergii Papæ III. 249
☞ *Ad Sergii III. Papæ Epiſtolas.* ibid.
Ejuſdem Epiſtola ad Adalgarium Hamburgenſem. 251
☞ *CONCILIUM ROMANUM.* ibid.
☞ —— *SCOANNENSE IN SCOTIA.* ibid.
☞ Judicium Epiſcoporum. 253
CONCILIA DUO NARBONENSIS PROVINCIÆ. ibid.
906 *CONCILIUM BARCHINONENSE, ET AGATHENSE.* ibid.
& Ad Synodum Barchinonenſem Additio. 257
907 ☞ *CONCILIUM BARCHINONENSE.* ibid.
☞ *Synodus Viennenſis.* 259
☞ *Synodus Bergomenſis Diœceſana.* ibid.
908 *CONCILIUM MAGALONENSE.* 261
909 *Obſervatio Gabr. Coſſartii.* 263
CONCILIUM TROSLEJANUM. ibid.
Tituli Capitulorum & Præfatio. *ibid.*
Capitula. 267. *& ſeq.*
Subſcriptiones Epiſcoporum. 308
Notæ Jacobi Sirmondi. ibid.
☞ *CONCILIUM ROMANUM.* 309
910 Teſtamentum Guillelmi Comitis Arvernorum, & Ducis Aquitaniæ. *ibid.*
Subſcriptiones ejuſdem. 312
Vita Anaſtaſii Papæ. ibid.
911 *CONCILIUM NARBONENSE* ad fontem coopertum. 313
912 *Vita Landonis Papæ.* ibid.
CONCILIUM TURONENSE. ibid.
Vita & Epiſtolæ Joannis Papæ X. 315
Epiſtola Caroli III. Regis ad Epiſcopos Regni ſui. 317
Notæ Jacobi Sirmondi. 319
—— Herimanni Archiep. Colonienſis ad Richarium Abbatem. 320
—— I. Joannis Papæ X. ad Herimannum Archiep. Colonienſem. *ibid.*
Notæ Jacobi Sirmondi. ibid.
—— II. ejuſdem ad Carolum III. Regem. *ibid.*
—— III. ad Epiſcopos Narbonenſis Primæ. 322
Conſtitutiones ex Concilio Galteri Archiep. Senonenſis. 323
915 *CONCILIUM CABILONENSE.* 325
916 —— *ALTHEIMENSE.* ibid.
Præfatio ejuſdem. 326
Capitula. 327. *& ſeq.*
☞ Concilia Altheimenſia duo. 329
☞ Canones. 332
920 *Synodus Conſtantinopolitana.* 331
☞ *Præfatio Collectoris,* ibid.
☞ Argumentum G. L. 333
☞ Tomus Unionis G. L. 335
☞ Petri Lamberti Commentarius. 341

Epi-

ANNO CHRISTI

920 Epilogus ejuſdem G. L. 342
☞ Acclamationes Synodales G. L. *ibid.*
921 *CONCILIUM APUD TROSLEJUM.* 343
922 *IN CONCILIUM CONFLUENTUM.* ibid.
Capitula VIII. *ibid. & ſeq.*
Obſervatio Gabrielis Coſſartii. 346
923 *CONCILIUM REMENSE.* ibid.
924 —— apud Troslejum. *ibid.*
Nota Severini Binii. 347
925☞ —— *TURONENSE.* ibid.
926 —— *APUD CARILOCUM.* ibid.
927 —— *TREVIRENSE.* 349
☞ —— *APUD TROSLEJUM.* ibid.
—— *DUISBERGENSE.* ibid.
Ad idem Concilium additio. ibid.
928 *Vita Leonis Papæ VI.* 351
CONCILIUM GRATELEANUM. ibid.
Tituli Capitulorum. *ibid.*
☞ Æthelſtani Regis Conſtitutio. *ibid.*
Legum Æthelſtani Regis priſca Verſio. 354
Tituli earumdem. *ibid.*
Capitula XIII. *ibid. & ſeq.*
929 *Vita Stephani Papæ VII.* 359
931 *Vita Joannis Papæ XI.* ibid.
CONCILIUM ALTHEIMENSE. ibid.
☞ Capitula duo addita eidem Concilio. 362
932 *Synodus Dingolvingenſis.* ibid.
CONCILIUM ERPFORDIENSE. ibid.
Præfatio. *ibid.*
Capitula V. 363
☞ *Ad idem Concilium additio.* ibid.
☞ *CONCILIUM RATISPONENSE.* 365
☞ Acta ejuſdem ex Martenio. *ibid.*
Ratherii Veronenſis Epiſcopi Synodica. *ibid.*
933☞ *CONCILIUM PAPIENSE.* 374
CONCILIUM AD CASTELLUM THEODERICI. ibid.
935 *APUD S. MACRAM.* ibid.
Nota Severini Binii. ibid.
936 *Vita & Epiſtolæ Leonis Papæ VII.* ibid.
Ejuſdem Epiſtola I. ad Hugonem Francorum Principem. 375
—— II. ad Gerhardum Laureacenſem. 376
—— III. ad Gallos & Germanos. 378
CONCILIUM RHEMENSE. 379
☞ —— *PICTAVENSE.* 381
Vita Stephani Papæ VIII. ibid.
339 Ejus confirmatio fundationis Abbatiæ Bronienſis. *ibid.*
☞ Subſcriptiones Epiſcoporum. 883
940 Leges Eccleſiaſticæ Hoeli-Dha Regis ſeu Principis VValliæ. *ibid.*
Capitula Legum XL. 385
941 *CONCILIUM SUESSIONENSE.* 391
Nota Severini Binii. ibid.
Præceptum Adalberonis Epiſcopi Metenſis. *ibid.*
Nota Jacobi Sirmondi. 394
942 *CONCILIUM BONNENSE.* ibid.
943 *Vita Marini Papæ II.* ibid.
Conſtitutiones Odonis Archiepiſc. Cantuariæ. *ibid.*
Tituli Capitulorum. *ibid.*
Præfatio, & Capitula X. 395
Epiſtola Synodalis ejuſdem Odonis. 398
CONCILIUM BUNDENSE. ibid.
944 Leges Eccleſiaſticæ Edmundi Regis Angliæ. 397
Tituli Capitulorum. *ibid.*
Partis I. Proœmium & Capitula IX. 399
Partis III. Proœmium & Capitula. *ibid.*
Legum earundem priſca Verſio. 401
☞ Leges Eccleſiaſticæ de Nuptiis. 403
✠ *Animadvertendum eſt, quod omittitur Pars II. quia nihil confert.*
CONCILIUM TRENORCHIANUM. ibid.
Conciliabulum Conſtantinopolitanum. ibid.
☞ *Ad idem Conciliabulum Adnotatio Chronologica.* 405
946 *Vita & Epiſtolæ Agapiti Papæ II.* ibid.
Ejuſdem Epiſtola I. ad Gerardum Archiepiſc. Laureacenſem. *ibid.*
—— II. ad Aymardum Abbatem Cluniacenſem. 408
☞ Ad Epiſtolas Agapiti II. Appendix. 409

ANNO CHRISTI

946 *Admonitio Collectoris.* ibid.
☞ Epiſtola ad Adalgarium Archiep. Hamburgenſem. *ibid.*
☞ Ejuſdem Privilegium Maibodo Epiſcopo Matiſconenſi conceſſum. 411
☞ Ejuſdem Epiſtola ad Leonem, & Benedictum, in Eccleſias Triventinam, & Trimolenſem incluſos. 412
☞ *CONCILIUM APUD MONTEM TRAGO.* 413
947☞ *CONCILIUM NARBONENSE.* 415
—— *HELENENSE.* ibid.
—— *VIRDUNENSE.* 417
948 —— *NOSOMENSE.* ibid.
☞ *Synodus Colonienſis.* ibid.
CONCILIUM ENGILENHEIMENSE. 419
Tituli Canonum. *ibid.*
Præfatio. *ibid.*
Canones ejuſdem X. 421
Altera ejuſdem Synodi narratio. 422
Conventus Epiſcoporum in Eccleſia S. Vincentii Laudunenſis. 427
CONCILIUM TREVIRENSE. 429
Nota Severini Binii. 430
CONCILIUM LONDONIENSE. ibid.
949 —— *ROMANUM.* 431
950 —— *LANDAVENSE.* ibid.
—— *INCERTI LOCI ET TEMPORIS.* ibid. & ſeq.
Notæ. 434
952☞ Conventus Francofurdenſis. 435
Synodus Auguſtana. ibid.
Ejuſdem Capitula XI. 437
954 *CONCILIUM APUD S. THEODERICUM.* 438
—— *RAVENNENSE.* 439
☞ —— *RAVENNATENSE* in cauſa jurium quorumdam ejuſdem Eccleſiæ. *ibid.*
☞ Subſcriptiones. 442
955 *Synodus Patavina.* ibid.
. . . —— *Landavenſis.* 445
—— *Incerti loci.* ibid.
Vita & Epiſtola Joannis Papæ XII. 447
Ejuſdem Epiſtola ad S. Dunſtanum Cantuarienſem Epiſcopum. 449
959 Reſcriptum ejuſdem Pontificis pro excommunicatione Iſuardi & Sociorum. 450
962 Diploma Ottonis Imp. de confirmatione Jurium Romanæ Eccleſiæ. 451
956☞ Appendix Epiſtolarum Joannis XII. 455
☞ Privilegium monachi Cœnobii SS. Petri, & Pauli Ædredo Anglorum Regi conceſſum. ibid.
—— ejuſdem ad eundem Regem. 456
957☞ *CONCILIUM INCERTI LOCI.* 457
958☞ *CONCILIUM INGELENHEIMENSE.* ibid.
961☞ —— *APUD MONTEM S. MARIÆ IN PAGO TARDENSI.* ibid.
962 —— *AD MATRONAM IN PAGO MELDENSI.* 459
Nota Severini Binii. 460
☞ *ROMANUM CONCILIUM.* ibid.
☞ Joannis XII. Bulla pro erectione Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, & Epiſcopatus Merſeburgenſis. 461
☞ Canones VI. 463
☞ Ottonis I. Diploma. *ibid.*
☞ *Joannis Dominici Manſi adnotatio.* 464
963 *Conciliabulum Romanum.* 465
CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM. 469
964 —— *ROMANUM.* 471
Actio Prima. *ibid.*
Actio Secunda. 473
Actio Tertia. 474
Nota Severini Binii. ibid.
CONCILIUM BRANDANFORDIÆ. 475
Vita Benedicti Papæ V. ibid.
Charta Edgari Anglorum Regis de ejiciendis clericis uxoratis &c. 479
965 *Vita & Epiſtola Joannis Papæ VIII.* ibid.
Ejuſdem Epiſtola I. ad Epiſcopos Citerioris Britanniæ. 482
Nota Jacobi Sirmondi. ibid.
Epiſtola II. ad Edgarum Anglorum Regem. 483
—— III. ad Berengarium Virdunenſem Epiſcopum. 484

ANNO CHRISTI		
965	—— IV. ad Adalberonem Remenſem Archiepiſc.	485
	—— Cæſarii Abbatis ad Joannem Papam.	486
	Notæ Severini Binii.	488
☞	Appendix ad Epiſtolas Joannis Papæ XIII.	489
☞	Conventus Epiſcoporum apud Coloniam.	490
☞	Subſcriptiones.	492
966	Charta Edgari confecta Novo VVintoniæ Monaſterio.	*ibid.*
	Capitula.	*ibid.*
	Alia Charta Edgari Regis.	498
967	*CONCILIUM RAVENNATENSE.*	499
	Inſtitutio Archiep. Mardeburg.	501
	Bulla Joannis Papæ XIII. pro Aſceterio Quinteleimburgenſi.	505
☞	*Joannis Dominici Manſi Præmonitio.*	ibid.
	Obſervatio P. Pagi.	508
☞	Ad Synodum Ravennatenſem Additio.	509

ANNO CHRISTI		
967	Bulla ejuſdem Pontificis in Synodo Ravennatenſi.	*ibid.*
☞	Decretum ejuſdem.	*ibid.*
☞	*CONCILIUM VERONENSE DIOECESANUM.*	511
	Epiſtola Ratherii Epiſcopi Veronenſis ad Ambroſium.	*ibid.*
	Leges Eccleſiaſticæ Edgardi Regis.	*ibid.*
	Earundem priſca Verſio.	513
	Canones editi ſub eodem Rege.	514
☞	Canon additus eiſdem.	527
	Oratio ipſius Regis ad Dunſtanum Epiſc. Cantuariæ.	*ibid.*
☞	*CONCILIUM ROMANUM.*	529
☞	Bulla Joannis Papæ XIII.	*ibid.*
☞	Ejuſdem Bulla altera.	531
☞	Ejuſdem Bulla Tertia.	532
	Additio ex Brovvero.	534
☞	*Typographi Præmonitio.*	535

CONCILIUM

ANNO CHRISTI 885.

INCERTI LOCI

In Italia ab Hadriano III. Pontifice

celebratum anno Chriſti DCCCLXXXV.

CONcilium ab Hadriano III. anno Chriſti 855. 15. Kalendas Majas fuiſſe celebratum teſtatur privilegium quoddam ab eo Angilbergæ Imperatrici collatum pro Monaſterio S. Sixti Placentini, *datum 15. Kalend. Maji imperante domno piiſſimo Auguſto Carolo a Deo coronato magno Imperatore, anno ejus quinto, Indictione* III. quod affertur a Petro Maria Campo in Hiſtor. Placent. par. 1. Regiſt. num. 25. in quo legitur: *Inter hæc Ravennate Archiepiſcopo cum Ticinenſi & Placentino, & Regienſe, & Mutinenſe cum Mantuano, & Veronenſe cum Laudenſe, & Vercellenſe, aliiſque Coepiſcopis nobiſcum ſanctam Synodum celebrantibus, & tuæ voluntati aſſenſum præbentibus volumus, atque inſtituimus* &c. Quid in hac Synodo actum ſit, & ubi celebrata, ignoratur. Hadrianus quidem hoc anno deceſſit in itinere, dum ad Carolum Imperatorem properaret.

AD CONCILIUM ITALUM

Ab Adriano III. papa anno 885. *coactum*

ADDITIO.

QUanquam concilium iſtud Venetus Labbei editor diligenter adnotavit, erutum ex bulla quadam Adriani III. pro monaſterio S. Sixti Placentiæ, quod Angilberga Auguſta, Ludovici II. imperatoris olim conjux, extruxerat; bullam tamen ipſam omiſit. Hanc ergo hic ſupplendam cenſui, ut quæ pars eſt rerum in hoc concilio, de quo nihil alibi reperitur, geſtarum. Recitatur vero ex Campi Hiſt. Eccleſ. Placent. tom. I. in Regeſt. num. 25.

A

ADRIANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Angilbergæ dilectæ filiæ Imperatrici Auguſtæ, & per te tuo venerabili monaſterio Placentiæ noviter conſtructo, in perpetuum.

OMnibus quidem juſta petentibus apoſtolica ſollicitudine, præcipiente Domino, favere debemus; præcipue tamen devotioni tuæ, dulciſſima ac ſpiritalis filia noſtra Angilberga, olim imperatrix Auguſta, quam merito honore atque reverentia ſancta mater noſtra Romana eccleſia, ut dilectiſſimam & principalem prolem, amplectitur ſemper & refovet. Quapropter monaſterium & xenodochium, quod ad honorem Dominicæ re-

resurrectionis & BB. Apostolorum, & martyrum
ANNO CHRISTI 885. Bartholomæi, Sixti, & Fabiani prudenti provisione a fundamentis nuper Placentiæ ædificare voluisti, laudabili complectimur desiderio paternoque affectu..... Apostolica illud auctoritate ratum ac stabilitum perenniter instituentes, & ut ab omni impulsione, atque inquietudine quorumlibet infestantium beatissimi Petri tuitione illæsum semper, & inconcussum, Domino protegente, permaneat; hoc etiam omnimodo providemus, & stabiliter decernimus, ut universa, quæ ibidem in rebus mobilibus & immobilibus, intus, foriſque in familiis utriusque sexus cunctoque ornatu ecclesiastico, atque omni suppellectili semel Domino a vobis distributæ sunt, futuris temporibus inconvulsa in eodem sacrato loco persi B stant, omnium penitus diminutione, vel invasione sopita; in eis etiam familiis, quas ob redemptionem animæ vestræ prudenti respectu libertate donastis, vel in reliquum donaveritis, simili modo nos vobis favemus, aspiramus, & Apostolicum præbemus assensum, quatenus & illi secura libertate potiti, gratia Dei duce sempiternæ fuscipiant gaudia vitæ. Consecrationem porro abbatissæ loci ipsius, ut filia devota petisti, secundum quod in tuo testamento a te prudentissime ex eodem monasterio tuo coaptato continetur, modis omnibus fieri concedimus: scilicet cum ordinanda ibidem fuerit abbatissa, Mediolanensis archiepiscopus, qui in eo tempore fuerit, vocatus ab illis personis, quas ex progenie tua ipsi C loco præfeceris, quibusque cutam potiorem dimiseris, ad eligendam, & consecrandam abbatissam simpliciter ibidem adveniat, & non ultra, quam a te statutum est, in eodem moretur loco, aut amplius exigendo stipendia, præterquam præfixum est, idem monasterium gravet. Similiter quoque, si ortum fuerit discordiæ aut cujuscumque dissensionis malum, veniens sedare illud, & formare pacem studeat cum moderamine disciplinæ. Si autem qualibet occasione, aut tuæ institutionis prævaricatione Mediolanensis archiepiscopus neglexerit hanc habere curam & sollicitudinem, ut præposuimus; Aquilejensis patriarcha, similiter, ut supra, vocatus, hæc omnia fideliter prosequatur. Et si aliquando aut pro D præscriptis negotiis, aut pro aliqua temporis necessitate, aut etiam pro malignantium hominum gravedine uportuerit hanc nostram Apostolicam sedem appellare, obsecramus & obtestamur omnes successores nostros per merita BB. Apostolorum, quatenes ad sublevationem & defensionem loci ipsius operam viriliter usque ad effectum dare, donec omnes ejus sopiantur controversiæ, studeant.

Inter hæc Ravennate archiepiscopo cum Ticinense, & Placentino, & Regiense, & Mutinense cum Mantuano, & Veronense cum Laudense, & Vercellense, aliisque coepiscopis no- E bisque sanctam Synodum celebrantibus, & tuæ voluntati assensum præbentibus, volumus atque instituimus, ut cujuscumque ordinis clericos, qui in eodem sacrato loco missarum solemnia celebrantes deserviunt, & eos qui in ejusdem monasterii capellis ubicumque divina jugiter offi-

Acia faciunt, liceat præcipue Mediolanensi archiepiscopo, aut patriarchæ supradicto promovere, & consecrare, vel alii etiam cuilibet episcopo, quem abbatissa loci illius voluerit rogare. Hæc & alia ecclesiastici officii ministeria sint in abbatissæ voluntate, ut possit videlicet chrisma, & ecclesiarum suarum consecrationem, a quocumque ei libitum fuerit, omni tempore impetrare: ita tamen, ut si aliquando ad hæc forte rogabitur Placentinus episcopus, in prædicto cœnobio, & xenodochio rebusque ipsorum nullum se noverit amodo, & deinceps jus potestatis habere, neque etiam ad missas celebrandas juxta Patrum instituta, nisi invitatus, adveniat.

Decimas vero universi fundi pertinentis ad ipsum monasterium, quas episcopi qui.....esto sunt, & in quorum quidem adjacent parochiis, pro Dei amore, vestrorumque bonorum recordatione, devote atque libenter supradicto venerabili loco largiti sunt: volumus, & apostolica corroboramus auctoritate, & absque refragatione, tam ipsorum, quam & successorum eorum, velut ipsa instituisti, sacro xenodochio, & capellis perpetualiter habeantur. Insuper statuimus, & apostolica auctoritate stabilimus, ut juxta quod nostri præcessores tam Adrianus, quam Joannes & Marinus præsules suis tibi privilegiis concessisse, & roborasse noscuntur, universa, quæ olim divæ memoriæ Hludovicus serenissimus imperator, dominus & vir tuus per suam magnificentiam augustalibus apicibus tibi dum adviveret contulisse probatur, seu etiam & ea quæ ipsa postmodum imperialibus largitionibus, vel etiam quibuslibet justis acquisitionibus, emptionibus, vel commutationibus in proprios, sive jam dicti Monasterii tui usus acquisisti, seu in posterum acquisitura es; simulque & ea, quæ ad supplementum ejusdem sacrati loci, & tam Regum, quam aliorum quorumlibet fidelium donatione, vel liberalitate nunc, vel postmodum addita fuisse comprobantur: eodem tenore & ordine, quo tibi, vel tuo prænominato cœnobio advenerunt, illibata & inviolata, atque inconcussa permaneant, & secundum tuæ ordinationis statuta persistiant. Et si quis, quod non optamus, contra hæc statuta in Dei omnipotentis oblata, vel concessa servitium agere tentaverit, vel quippiam horum infringere temerario ausu voluerit, excommunicationi submissus omni ecclesiastico consortio careat, & nisi se continuo a tali nequitia corrigat & resipiscat, S. Petri nostrique apostolatus auctoritate anathematis vinculo innodatus, reus in futuro judicio permaneat, & pro excessu suæ tantæ transgressionis cum Juda traditore infrunitus, atque rebellis sancti Spiritus sententia, qui semper fictum, & mendacem effugit, noverit se habiturum portionem in gehenna ignisæterni. Scriptum per manum Leonis Scrinarii S. R. E. in mense Aprili, indictione tertia. Bene valete, Dat. 15. Kal. Maji per manum Gregorii nomenclatoris, missi, & apocrisarii sanctæ Sedis Apostolicæ, imperante Domno piissimo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore, anno ejus quinto, indictione tertia.

ANNO CHRISTI 885.

VITA

ET EPISTOLÆ STEPHANI PAPÆ V.

STephanus, natione Romanus, ex patre Hadriano, de regione Via lata, sedit annos quatuor, menses septem, dies quatuordecim. Iste siquidem beatissimus pontifex nobilium parentum, Romanorum quoque, prosapia ortus, dum per Dei gratiam crescceret, sacris est edoctus dogmatibus, studio & sollicitudine Zachariæ sanctissimi episcopi consanguinei sui, & sedis apostolicæ bibliothecarii. Cumque conspiceret piæ memoriæ Hadrianus junior pontifex moribus bonis pollentem, & literarum studiis ferventem, a prædicto inclyto genitore suo eum auferens, ad subdiaconatus, Deo favente, gradum provexit; statuens eum inter alios sibi familiarem, & in patriarchio Lateranensi ecclesiasticum peragentem officium, & hoc honore percepto vitam ipse duxit mirabilem.

Erat enim corpore castus, animo benevolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus, mœrentium consolator, pupillorum & inopum enutritor, & ut generaliter comprehendam, omnium virtutum floribus adornatus. Quamobrem hic idem eminentissimus præsul in sanctæ Romanæ ecclesiæ servitio perdurans, & magis ac magis specialibus studiis vacans, a reverendæ memoriæ Marino summo pontifice bene notus & amatus familiaribus ejus potius est ascitus obsequiis. Hujus namque cum castimoniam, & prudentiam, atque fidelitatem idem Marinus summus papa per omnia intueretur, ob suæ fidei & prudentiæ meritum manipularem sibi delegavit: & scita sua spiritali conversatione, tituli beatorum quatuor Coronatorum presbyterum consecravit, & in nullo a se, dum vixit, separari permisit. Igitur defuncto recordandæ memoriæ Hadriano papa, qui eidem beatissimo papæ Marino successerat, super fluvium * Scultiuna, in villa, quæ Viulza cara nuncupatur: cujus tempore Romani cives multa, tam locustarum devastatione, quam & pluviæ sterilitate seu famis inopia perpessi fuerant incommoda, credentes se posse hujus venerabilis viri sanctitate relevari, per Dei misericordiam facto conventu sanctissimorum episcoporum & totius clericalis ordinis, nec non nobilium senatorum, & virorum illustrium cœtu, acclamantibus omnibus una cum omni populo, & utriusque sexus vulgi multitudine, dixere: Dominum Stephanum presbyterum Deo dignum omnes volumus, omnes quærimus, & petimus nobis præesse pontificem: quia procul dubio credimus ejus sanctitate nos posse liberari ab imminentibus periculis. Tunc quia jam nominatus Hadrianus pontifex Romanus reliquerat Joannem venerabilem Ticinensem episcopum, ut missum Caroli excellentissimi imperatoris pro tuitione Urbis, omnes cum eodem legato imperiali juncti unanimes venerunt ad domum, ubi cum patre ipse almificus Stephanus sancto meditabatur colloquio. Et ecce fractis foribus tenetur, & ducitur electus Dei pontifex ad eumdem titulum sanctorum quatuor Coronatorum sibi creditum, reluctans plurimum, simul cum patre, acclamantibus utrisque, & indignos se tanto honore profitentibus. Ubi & omnes sanctæ Romanæ ecclesiæ scholæ gaudentes conjunctæ eumdem venerandum electum trahentes, ad Lateranense Christo præduce perduxerunt palatium cum omni honore, & debita reverentia. Prius quidem quam ad sacrum pervenerit palatium, tanta pluviarum cælitus facta est inundatio, quæ sua ubertate terram a multo retro tempore aridam reficeret, ut aperto indicio Deus ostenderet tanti almigeri viri meritis, ac precibus omnibus se velle propitiari. Quo scilicet in eodem residente palatio gaudent utriusque ordinis proceres, & debitam fidelitatem cœperunt exhibere. Adveniente autem proximo die dominico ad beati Petri apostolorum principis limina omnis Romana ecclesia eum honorabiliter detulit, ubi & consecratus pontifex missarum ex more celebravit solemnia. Et rediens cum debito honore, ac honorificentia ad Lateranense palatium suum ministerium miris cœpit decorare operibus.

Consecratus pontifex.

Deinde cum venerabilibus episcopis, & augustali legato, ac honorabili senatu per omnia sacri palatii perrexit vestiaria, quæ in tantum devastata reperit, ut de sacratis vasis, quibus mensas tenere festis diebus pontifices consueverant, pauciissima invenirentur: de reliquis vero opibus nihil omnino. Sed quid mirum si vestiariorum gazas ablatas reperit, qui sacraria perquirens de pluribus donariis, ac ecclesiarum ornamentis pene nihil invenit? Crux tamen antea illa famosissima, quam Belisarius patricius ad honorem beati principis Petri apostolorum instituit, & plurimæ sacratissimorum altarium aureæ vestes cum reliquis pretiosis ornamentis non defuerunt. Nam ideo ipse beatissimus papa coram tantis testibus ea requirere providit, ut cuncti cognoscerent nil tale suis temporibus esse attentatum.

Vestiaria & sacraria reperit spoliata donis.

Idcirco gravi mœrore affectus est, quia devastatis vestiariis, horrea simul, & cellaria vacua inventa sunt, & quid erogaret clero & scholis non habebat, vel unde captivos redimeret, orphanos, & viduas pasceret in tam validissima, quæ instabat, fame carebat. Quid faceret? Conversus ad patrias facultates, quas inclyti sui parentes possederant, abstulit, & larga dextra prout posset pauperibus erogavit: & ita Deo miserante factum est, ut famis inopiam suo studio mitigaret. Ministros itaque, & familiares hinc inde perquirens, tales suis obsequiis aggregavit, qui & vitæ sanctitate, & fidei sinceritate, & sapientiæ doctrina, & eloquentiæ facunditate, & morum probitate pollerent. Cum autem ad prandium sedebat, orphanos quotidie advocabat, quos ut filios alebat. Convocatos vero nobiles cum corporeis pasceret cibis, spiritualibus epulis refovebat. Et tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, & in divinis laudibus insistebat, ut ad ejus prandium sacra per singulos dies lectio recitaretur. Missarum autem solemnia quotidie celebrabat: nocte ac die orationi insistebat, & nunquam a psalmodiis cessabat, nisi cum utilitates populi ad se reclamantis perficere cupiebat, ut oppressos sublevaret, & afflictis subveniret. Intuitus vero insolentiam populi, & cæcitatem cordis sui, vaniloquis, & nefariis fabulis, & otiosis sermonibus vacantis in ecclesia; & audiens quosdam vulgante fama maleficiis, & incan-

Horrea quoque & cellaria.

Sua erogatio in pauperes.

Orphanos quotidie ad mensam vocat.

Lectio sacra in mensa. Quotidie missam celebrat.

Concionatur ad populum, cantationibus uti, hac allocutione missam celebrans populum admonuit: Filiationem vestram, carissimi, commonemus, ut convenientes ad sacratissimum Dei templum id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter templum Dei esse creditis illud ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis quod ei placet, cujus templum est ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placeat debet expeti. Est igitur misericors Deus, ita tamen suam misericordiam unicuique disponit impertiri, ut rogantibus eam tribuat, non ingratis; & tanto largiori illam tribuat unicuique pietate, quanto majoribus gemitibus & ardentiori animo fuerit a quolibet deprecatus, sicut ipse dicit: *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Est namque templum Dei locus orationis, sicut ipse alicubi dicit: *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus.* Et psalmista: *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Quippe si orationis domus est, id oportet agere quod vocatur, id est orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, & mentibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures perferunt Domini sabaoth. Qua rogo fronte in sacratissimo Dei templo assistit, qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit? Nam si de omni verbo otioso in die judicii ratio est reddenda, de his maxime reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solum peccata sua negligit abluere, sed potius contendit augere? Pavescite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes & ementes de templo. Remissius scilicet est utiliter negotiari, quam inaniter & otiose confabulari. Cum convenitis ad locum orationis, cum silentio state, intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem Dominum, & dicentem: *Cum statis ad orationem, dimittite si quid habetis adversus alterum, ut & pater vester cælestis dimittat vobis peccata vestra.* Hæc meditantes, & divina gratia inspirante facientes, & evangelicis & apostolicis documentis imbuti, impetrata ab omnipotenti Deo misericordia, cum fructu bonorum operum quasi lampadibus illuminati cum gaudio, & Christo repræsentari, & cum sanctis coronari merebimini. De cetero carissimi nosse vos volumus, quod legem Dominus populo suo instituens Moyse teste intulit dicens: *Maleficum ne patiaris vivere.* In hac itaque urbe, quod dolens dico, inveniuntur quidam qui non solum maleficos non impetunt, sed potius tuentur & fovent: per quos incantationes quibusdam dæmones consulere non perhorrescunt, & apostolicæ doctrinæ immemores, quæ intonat dicens: *Quæ participatio luci ad tenebras, aut conventus Christo & Belial?* In hoc enim quod Christo contempto dæmones gentium more consulunt, Christianos se omnimodis non esse fatentur. Quod quam horribile, quamque sit profanum, ut Christo contempto dæmones Christianus adoret, unusquisque perpendat, ut tale facinus fieri perhorrescat. Quamobrem quisquis deinceps tali contagio se polluere tentaverit, alienum vivifici fieri corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi Spiritus sancti judicio, donec a tanta resipiscat ignavia, judicamus. Qui vero tam salubribus interdictis contemptor extiterit, & in eadem pestifera pertinacia perseverans resipiscere neglexerit, perpetuum a Deo Patre, & Jesu Christo filio ejus sit anathema. Cumque talis iste præstantissimus præsul existeret, & in his quæ divino cultui conveniunt fine tenus perseveraret, tanta illi est divinitus gratia concessa, ut quidquid habere potuerat, sacris donaret ecclesiis, captivos redimeret, sollicitus existens pro salute omnium, quia cum fama sui nominis, atque actuum tam per orientales, quam occidentales partes diffamaretur, pene omnes ad eum accurrebant, ut ejus benedictionem perciperent. Nam inter alia de donariis, quæ ecclesiis diversis contulit, longum est enarrare: verum ut de multis pauca dicamus: Cum in basilica beati Petri apostolorum principis, ubi sacro ipse corpore requiescit, cerneret nocturnis laudibus vix semel thymiamatis incensum offerri, instituit, ut per singulas lectiones, & responsoria adoleatur. Et in pergula ipsius basilicæ ipse reverendus papa ob amorem beati Petri nutritoris sui posuit cantharam auream unam cum pretiosis margaritis, & gemmis, ac smalto cum perpendiculo ad pendendum. Nec non & in eadem venerabili basilica sancti Petri obtulit regnum aureum unum cum diversis margaritis, spatham cum vagina de auro & gemmis, cum balteo unam. Contulit etiam & in eadem basilica vestem unam cum auro, & albis gemmis. Vela serica in circuitu altaris quatuor, sed & homilias beati Gregorii numero quadraginta. In qua supradicta venerabili basilica cum idem sanctissimus papa & omnium vitiorum fortissimus exstirpator malam consuetudinem invenisset, ut presbyteri, qui ibidem Domino sacrificium quotidie offerebant omni anno unam mulctam consuetudinaliter darent, (quam consuetudinem sanctæ memoriæ dominus Marinus papa antecessor ejus fregerat, sed subreptionibus quorumdam hominum tempore Hadriani III. papæ repullulaverat,) sub forti obtestatione præcepit, ut nullus unquam ab eis non solum hoc, verum etiam aliquod tributum acciperet. Sed cum omni honore, sicut sacerdotes oportet, suum peragere officium eis liceret. Idem autem sacratissimus præsul pro sui sempiterna memoria cum conspiceret nocturnis vigiliis in ecclesia majori, quæ vocatur sanctæ & superexaltatæ Dei genitricis Mariæ ad præsepe, lampadas consuetudinarie deesse, gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit. Necnon idem mitissimus pontifex fecit in eadem prædicta basilica vela quatuor in circuitu altaris majoris, quorum duo sunt de serico pigacio, tertium pavonatile, quartum de Alexandrino ornatum totum in circuitu de olovero. Denique sæpedictus a Deo protectus sanctissimus papa, ob retributionem animæ suæ fecit in ecclesia beati Pauli apostoli doctoris gentium regnum ex auro purissimo unum cum diversis gemmis albis, prasinis, hyacinthinis, & in medio regni cruciculam auream pendentem unam cum catenulis suis, & vestem sericam supra altare majus unam cum auro & gemmis. Fecit etiam in eadem basilica egregii doctoris gentium belotera quatuor, ex quibus unum auro textum. Præfatus vero venerabilis & præclarus pontifex fecit in ecclesia Domini salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, vestem supra altare majus auro textam unam cum diversis margaritis. Pari modo & in eadem basilica contulit jam fatus reverendissimus præsul vela serica de blattin byzantea quatuor in cir-

Quid in templo agendum.

Luc. 7.

Isai. 37. Marc. 11. Psalm. 92.

Orationes cur in templo facilius exaudiantur?

Matth. 12.

Joan. 2.

Matth. 6.

Exod. 22. Concio papæ in maleficos.

2. Cor. 6.

Christiani non sunt qui dæmones consulunt.

Mirajuli beatus.

Donis ecclesiis collatis.

S. Petro.

S. Mariæ.

S. Paulo.

Constantiniana

circuitu altaris majoris, duo ex his aquilata, & duo de basiliſci ornata in circuitu de olovero: & per ſingulos arcus presbyterii vela ſerica leonata nonaginta: & pro futuro animæ ſuæ remedio contulit ibidem cantharam exauratam unam, lib. comment. 1. prophetarum lib. 1. geſtarum rerum lib. 2. Cum autem eſſet ſollicitus pro ſtatu eccleſiarum Dei, ne ſuis temporibus, quæ in ruinis poſitæ erant caderent, eccleſiam beatorum apoſtolorum Jacobi & Philippi, quæ nimio ſenio conſumpta ruinæ proxima erat, a fundamento renovavit. Quam collato calice & patena exaurata nomine Græcis Latiniſque literis inſcripto, adornavit. Et inſuper pro ſua perpetua ſalute contulit in eadem baſilica apoſtolorum cortinam lineam unam, velotera ſerica tria in circuitu altaris. Et oratorio ſancti Thomæ ſito in monaſterio ſancti Andreæ apoſtoli juxta baſilicam apoſtolorum fecit veſtem unam. Ipſe vero egregius, & prudentiſſimus papa cum ſciret baſilicam ſanctorum quatuor Coronatorum, in qua ſacerdotii fungebatur officio, modico uti ornatu; pro reverentia & amore eorumdem ſanctorum obtulit in ea crucem auream ſuper altare cum gemmis, & ſmalto: & ſagulum ad pendendum in regno, & ceroſtata veſtita de argento paria duo. Atque præ nimio amore illorum idem benigniſſimus papa contulit ibidem cantharam exauratam unam, Salomonem unum, regnum aureum unum cum gemmis pretioſiſſimis, & veſtem unam cum auro & gemmis albis: atque ſermonum librum unum, geſtorum librum unum, evangeliorum librum unum cum epiſtolis. Hic ipſe præcipuus præſul magis & magis divino zelo ductus in eorumdem ſanctorum motus amore fecit in baſilica eorum caniſtra de argento puriſſimo miræ pulchritudinis operata numero quindecim penſantia ſimul libras triginta, & tribuit codicem unum beati Joannis Chryſoſtomi. Fecit autem idem almificus papa in titulo ſancti Marcelli martyris atque pontificis caniſtrum argenteum unum penſans libras tres, crucem de auro unam, vela linea ſex & viginti, cortinam lineam unam; ſimulque & hiſtoriarum librum unum, homilias ſancti Gregorii numero viginti. Miſit quoque in eccleſiam ſanctæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ ſitam in Manturiano, librum regum unum, veſtem ſericam ſuper altare unam. Jam memoratus mitiſſimus papa fecit in monaſterio ad clivum Scauri, crucem auream unam; nec non omnium eccleſiarum ſollicitudinem habens ipſe piiſſimus pater contulit in monaſterio ſancti Silveſtri in monte Soracte thymiamaterium de argento unum, cantullam argenteam unam. Et magis ac magis divino amore ſuccenſus fecit in titulo ſanctæ Pudentianæ ſermonum librum unum. Et in titulo beatæ Anaſtaſiæ ſermonum & epiſtolarum librum unum. Et in eccleſia quæ vocatur Jeruſalem ſuburbio obtulit librum regum, & Salomonis unum. Et reverentiam beati Gregorii prædeceſſoris ſui præ oculis cordis habens tribuit idem ſummus pontifex in hoſpitali ipſius beati Gregorii in porticu beati Petri apoſtoli ſermonum ſanctorum librum unum. Et in ſchola cantorum, quæ quidem orphanotrophium vocabatur, heptateuchum unum. Idem autem elegantiſſimus præſul, atque fortiſſimus rectæ fidei prædicator in eccleſiam Ravennatem auri libras duodecim, argenti libras.... remiſit pro animæ ſuæ remedio, quæ quorumdam ſubreptionibus inde fuerant ablatæ. Similiter & in eccleſia Imolenſi auri libras ſeptem, argenti libras..... ablatas reſtituit. Item Deum præ oculis habens in Bononienſi eccleſia patenam de argento unam æque reddidit. Immo & pro perenni mercede in eccleſia, alias ſanctorum reliquias per diverſos cardinales titulos, alias etiam circumquaque per diverſa largitus eſt monaſteria, ubi plurimis coruſcant miraculis: maximam vero partem digna honorificentia collocavit apud eccleſiam, quæ Ad apoſtolos dicitur. Hanc ſenio conſumptam & ruinæ proximam iſdem ſanctiſſimus papa a fundamentis renovavit, & plurimis donariis compſit & ornamentis. Erat quippe omnis ejus intentio, ut ea ſemper ageret, quæ Deo ſunt acceptabilia. Cum clades itaque locuſtarum, quæ prædeceſſoris ſui Hadriani videlicet tempore totam patriam pene conſumpſerat male, multiplicato germine naſci cœpiſſent, & omnia repleviſſent, miſertus idem ſanctiſſimus papa afflicto populo, primum quidem divulgavit, ut ſi quis de eis unum ſextarium caperet, & ſibi attuliſſet, quinque aut ſex denarios ab ea perciperet. Hoc autem populi audientes cœperunt huc atque illuc diſcurrere, eaſque capere, & miſericordiſſimo patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequiviſſet, ad Domini miſericordiam confugiens, in oratorium beati Gregorii ubi ejus lectus habetur, juxta eccleſiam principis apoſtolorum veniens, ſeſe cum lacrymis in orationem dedit, cumque diutius oraret, ſurrexit, & aquam propriis manibus benedicens, manſionariis præcepit, dicens: Tollite & ſingulis diſtribuite, monentes ut in nomine Domini agros ſuos circumeant, & hanc aquam ſpargant per ſata & vineas, petentes divinum ſibi ſuffragium & ſubſidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei ſubſecuta eſt miſericordia, ut ubicumque ipſa aqua conſperſa eſt, nulla penitus locuſta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes ad urbem confluunt, ſubveniri ſibi depoſcunt, omnem terram in pulveris modum locuſtis coopertam clamitant, quos piiſſimus papa benigne commonuit, eos de cælo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta. *Cætera deſiderantur.*

Apoſtolorum eccleſiam reſtaurat.

Mira ratio locuſtarum plagam avertendi.

Aqua a ſe benedicta jubet aſpergi agros ad plagam locuſtarum avertendam.

Nota Severini Binii.

a *Stephanus*) Anno redemptoris DCCCLXXXV. imperantibus Carolo tertio, & Baſilio, & poſt eum Leone, in locum Hadriani III. omnium votis ſurrogatus eſt Stephanus ejus nominis quintus, quem alii ſextum vocant, quippe qui Stephanum quemdam, quem paucis diebus ſedem pontificiam tenuiſſe dicunt, inter Romanos pontifices annumerent. Quomodo poſt expilatum tempore interregni patriarchium ſedis apoſtolicæ, de paterna ſubſtantia pauperibus & eccleſiis intra & extra urbem ſubvenerit, & qua ratione idem a Deo in ſui electione pluviam impetraverit, locuſtas pariter ingruentes aqua benedicta diſſipaverit, refert Anaſtaſius ſupra, ſicut etiam ſermonem illum, quem habuit contra eos, qui in templis fabulantur, & ab orationibus vacant, alioſque qui maleficiis & incantationibus dediti erant. Eas Baſilii imperatoris literas, quas ipſe plenas blaſphemiis & conviciis propter Photium a Marino & Hadriano excommunicatum ſcripſerat ad Hadrianum, poſt obitum Hadriani ſucceſſor illius Stephanus accepit & legit; perſtanſque exemplo ſuorum prædeceſſorum in ejuſdem Photii deteſtatione & execratione, reſcripſit ad imperatorem epiſtolam, qua eum redarguit, quod pro Photio homine penitus laico juſtaque de cauſa excommunicato tantopere defendendo, Marinum pontificem, totamque Romanam eccleſiam contumeliis afficeret. Reddita eſt epiſtola poſt obitum Baſilii filio & ſucceſſori ejuſdem Leoni; quam cum ille accepiſſet, Photium tanto lubentius & citius e throno depoſitum in monaſterium Armenorum relegavit, eique Stephanum germanum ſuum ſurrogari curavit, quanto Photius de ſuo cognato in imperatorem eligendo cum Santabareno pejus conſilium iniverat. Cumque Stephanus in locum Photii ſubſtituendus a Photio ordinatus eſſet, Stylianus epiſcopus Neocæſarienſis cum Leone imperatore per literas Stephanum pontificem Romanum rogarunt, ut hac in re apoſtolica auctoritate cum delignato Stephano patriarcha Conſtantinopoleos Photii ſucceſſore diſpenſare non dedignetur: quam gratiam a ſede apoſtoli-

Stephanus V. Hadriano III. ſucceſſit quando.

Miraculoſa Stephani electio.

Epiſtola Baſilii ad Hadrianum, & Stephani ad Baſiliam, cujus argumenti?

Leo Photium depoſuit, & Stephanum germanum ſuum eidem ſurrogavit.

lica poſt cauſæ diligentem cognitionem impetratam eſſe, communio utriuſque ſedis deinceps uſurpata & frequentata ſatis aperte teſtari videtur. Ejectus ſub hoc pontifice & relegatus Photius, quando obierit, & quomodo diem extremum clauſerit, dolo ſchiſmaticorum & ſectariorum ejuſdem Photii in obſcuro eſt. Nam cum ſcirent omnibus illis monumentis, quæ pro Ignatio adverſus Photium poſteritati relicta erant, magiſtrum ſuum valde perſtringi, puderetque eos talem ſchiſmatis auctorem ſequi, ea omnia, quæ inter Ignatium & Photium tranſacta erant, ſilentio obruenda eſſe non tantum putarunt, verum etiam anathematis ſententia, quæ extat ſeſſione 6. concilii Florentini, de facto execrati fuerunt. Hunc pontificem divinitus admonitum fuiſſe, ut Diodori, Mariani, aliorumque martyrum ſub Stephano I. occiſorum corpora quæreret, inventaque in urbem transferret, refert Surius tom. 1. die 17. Januarii.

Cur de obitu Photii nihil conſtet?

Hujus temporibus Pariſiorum civitas Northmannorum obſidione preſſa, precibus Dei genitricis cui dedicata eſt, & ſancti Germani, aliorumque ſanctorum ejus urbis patronorum liberata fuit. Carolus Craſſus jam ante a ſuis regno ad filium Carolomanni Arnulphum delato exutus, & in conventu Triburienſi juſto Dei judicio plane repudiatus, utpote qui ex levibus ſuſpicionibus tantum Auguſtam Richardam adhuc virginem intactam prout per juramentum in prædicto conventu depoſuerat, contra jus & æquitatem omnem repudiaſſet, poſt ſummam paupertatem, victumque ab Arnulpho, regni ſucceſſore, ſuppliciter quæſitum, moritur anno imperii ſui * quarto, qui eſt Chriſti redemptoris 888. Poſt obitum ejus ſciſſum eſt imperium, ſucceſſitque illi in imperio Vvido dux Spoletinus a Formoſo pontifice anno Domini 891. coronatus. Errant igitur recentiores chronographi, qui in ſerie occidentalium imperatorum eodem anno, quo Carolus Craſſus mortuus ponitur, Arnulphum collocant, quem nemo veterum imperatorem nominavit, niſi poſtquam octavo ab hinc anno Romæ coronationem per vim & metum a Formoſo papa extorſiſſet.

Res ſub Stephano geſtæ.

* ſeptimo,

Quis fuerit ſucceſſor Caroli?

Error chronographorum.

Poſt obitum Stephani Conſtantinopolitani patriarchæ, qui Leonis imperatoris frater erat, ſecundo legatio ab oriente miſſa eſt ad Stephanum papam cum literis Styliani, quibus poſt mortem Stephani papæ Romani acceptis, ſucceſſor ejus Formoſus reſpondit. Nam cum Stephanus papa ſex annis ſediſſet, mortuus eſt indictione 9. anno Domini 891. Sepultuſque eſt in baſilica ſancti Petri, ut ex ejus epitaphio conſtat. Ab hoc ſanctiſſimo pontifice maxime alienum eſt ſacrilegum illud factum Sergii papæ ſchiſmatici, quod Leo Oſtenſis adſcribit ei imprudenter, niſi per Stephanum, hujus nominis ſextum intelligat.

a EPISTOLA I. STEPHANI PAPÆ V.
AD BASILIUM IMPERATOREM.

Eum ob defenſionem Photii redarguit, & contumelias Marino pontifici objectas refellit.

Literas ſerenitatis veſtræ ad Hadrianum prædeceſſorem noſtrum miſſas accepimus: & mirati ſumus magnificentiam tuam, quomodo talia ſcribere potuiſti, cum ſis juſtitiæ æquilibrium, præſertim cum recte noverit pia potentia tua, quod manui regiæ non ſubjiciatur ſacerdotalis & apoſtolica noſtra dignitas. Licet enim ipſius Chriſti imperatoris ſimilitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum & civilium tantum curam gerere debes: quod etiam precamur ut ad multos annos præſtare valeas. Quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus præeſſe, ita etiam nos per principem Petrum ſpiritualibus rebus Deus præfecit. Accipe, quæſo te, benigna fronte quæ ſequuntur. Datum eſt tibi curare, ut tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentiæ concidas, ut juſtitiam miniſtres ſubditis tuis, ut leges condas, ut terra marique militares copias diſponas. Hæc eſt præcipua cura potentiæ & principatus tui. Gregis cura vero nobis commiſſa eſt tanto præſtantior, quantum diſtant a cælo ea quæ in terris ſunt. Audi Dominum dicentem Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* De poteſtate vero & imperio tuo quid ait? *Nolite timere illos qui occidunt corpus, animam vero non poſſunt occidere.* Et iterum de miniſterio nobis commiſſo ait: *Tibi dabo claves regni cælorum*, & quæ ſequuntur. Oro itaque pietatem tuam, ut inhæreas decretis principum apoſtolorum, ut nomen eorum honores, & dignitatem. Inſtitutio enim & ſacerdotium omnium quæ in orbe ſunt eccleſiarum, a principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos ſinceriſſima & puriſſima doctrina monemus omnes & docemus. Regnum vero tuum non minimarum rerum argumento ad ea quæ præſtantiora ſunt ſcrutanda ſe erigat, ſed animadvertat, qua auctoritate hæc facere aggreditur. Ille quidem qui adverſus ſanctiſſimum Marinum ſacras aures tuas contumeliis maculavit: adverſus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui nutu ſuo univerſum orbem regit, blaſphemias effutire procul dubio non dubitavit. Quis, inquam, ille fuit qui adverſus immaculatum ejus ſponſum & ſacerdotem, & adverſus matrem omnium eccleſiarum talia dicere eſt auſus? Decipitur profecto quicumque putat, quod diſcipulus ſit ſupra magiſtrum, & ſervus ſupra dominum ſuum. Obſtupeſcimus ſane, dum quam perfectam & illuſtratam prudentiam ſeductam videmus, ut talia contra ſanctum illum virum cogitaverit. Qualis enim ille fuerit, licet nos ſilentio prætereamus, lapides iſti clamabunt: *Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus Deum iniquitatem, vel adverſus juſtum.* Si ovis Dei exiſtis (quod votis habemus) ne tranſgrediaris limites principum apoſtolorum. Dic quæſo te: Quis te ſeduxit, ut pontificem œcumenicum comico more ſcommatibus laceſſeres, & ſacram Romanorum eccleſiam maledictis inceſſeres, cui cum omni veneratione ſubditus eſſe debes? An ignoras, quod hæc omnium eccleſiarum princeps exiſtit? Quis te pontificum judicem conſtituit, quorum ſacris doctrinis dirigi debes, & a quibus preces pro te Deo offeruntur? Scis ſacrum illud elogium, quod ait: *Nolite tangere chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari?* Hæc de omnibus ſacerdotibus dicta ſunt. Deo te æqualem facis, qui ejus angelos judicare audes. Dicit enim propheta: *Labia ſacerdotis loquentur judicium, & legem exquirent de ore ejus: angelus enim eſt Domini omnipotentis.* Quomodo judicabis ſacerdotes, qui ſolius Dei ſententiæ ſubjiciuntur, & qui ſoli facultatem habent ligandi atque ſolvendi? Vide ad quodnam profundum te præcipitem dediſti. Audio in te, magnificentiſſime imperator, laudari manſuetudinem, & patientiam Job: quapropter mirari ſatis non poſſum, quomodo ita turpiter lapſus ſis. Scripſiſti illum non eſſe epiſcopum. Quomodo id noſti? Si vero id ignoras, quomodo ita præceps in eum ſententiam tuliſti? Magna quidem eſt pontificum potentia. Non te latent res beati Ambroſii, & quid ipſe fecerit adverſus Theodoſium imperatorem. Quicumque dicunt, Marinum fuiſſe antea epiſcopum, ac proinde non potuiſſe ad aliam ſedem transferri, oſtendant illi id aperte. Scito dilecte & omni honore digne imperator, quod objicitur de canone, cum tamen id nunquam fuerit: multitudo tamen ſanctorum patrum & illorum auctoritas & judicium potuit illum conſtituere in primo gradu. Et divina providentia prænoſcens eccleſiæ Dei utilitatem, in ſede principis apoſtolorum Petri illum collocavit. Quid vero magnus ille Gregorius cognomento theologus? nonne Nazianzo tranſlatus eſt, & Meletius Sebaſte Antiochiam, & Doſitheus Seleucia Tarſum Ciliciæ, & Reverentius Archiphœnice Tyrum, Joannes Gordolia Proconneſum, Theodorus Apamea Selymbriam, Alexander Cappadocia Hierapolim? & multi alii diverſis in locis tranſlati ſunt e ſuis ſedibus ad alienas?

Extat ſupra in fine Concilii Conſtantinop. IV. diverſæ tranſlationis.

Matth. 18.

Ibid. 10.

Matth. 16.

Reda... Papa... torem

Matt. 10.

Pſal. 1.

Juſta digni... reprehenſio

Pſal. 104.

Malach. 2.

Qu... objiciunt ... Ma... um ... diluitur.

nas? Dicat celsitudo tua, quibus accusatoribus, & quibus testibus affirmantibus, beatum Marinum fecisse quæ tu dicis, illum condemnasti? An ignoras, in prima Nicæna synodo quod beatus Silvester papa proclamaverit per legatos, præsente ibidem sancto Constantino; Ut prima sedes a nemine judicetur? Quid deliquit sancta Romanorum ecclesia, ut adversus eam linguam tuam vibrare, & concitare seductor iste induxerit? Num juxta antiquum morem, de synodo Constantinopoli habenda, ad te literas non dedit? Num pro eadem synodo curam non gessit? Peto a te: Cuinam scriberet Romanorum ecclesia? laico scilicet Photio? Si enim haberes patriarcham, frequentius nostra ecclesia illum literis visitaret. Sed hei mihi, quod ista glorioſa & a Deo custodita civitas Constantinopolis, pastoris solatio est orbata, & sola regia tua potentia illustratur: & nisi amor quo te prosequimur cohibuisset ut ferremus injuriam nostræ ecclesiæ illatam, coacti fuissemus adversus prævaricatorem Photium, qui contra nos impura evomuit verba, graviores pœnas infligere quam prædecessores nostri. Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam: te enim in universo orbe Deo dilectum prædicamus; sed tantum ad nostram defensionem, & Marini majorem gloriam, qui eadem sensit & sapuit cum prædecessore & doctore nostro sanctissimo papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere quæ illi ante visa fuerant, in maximum devenit * apud vos contemptum & ludibrium divinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum iis qui aliena sentiebant, & quæ ipse coram tua majestate synodice gesserat, dissolvere & annullare ac irrita reddere, propterea triginta diebus carcere fuit detentus: id sibi gloriæ potius tribuens quam contumeliæ, pro veritate pati. Sed, o junior Constantine, quomodo non es illum magnum imitatus Constantinum, qui sacerdotum libellos acceptos in ignem projecit, affirmans se non esse dignum, ut sacerdotes judicaret? Te itaque monemus, spiritualis noster fili, ne adversus sanctam Romanam ecclesiam insurgas. Cum vero audivimus, quod ex semine tuo filium ad sacerdotium dedicasses, magno hac de causa repleti sumus gaudio. Oramus etiam ut chelandrium munias, & omnia quæ in eo sunt necessaria adhibeas a mense videlicet Aprili ad Septembrem mensem; mittas præterea qui mœnia nostra custodiant ab Agarenorum incursionibus. Reliqua vero silentio præterimus, cum neque oleum sit nobis pro luminaribus ecclesiæ juxta debitum Dei honorem. Cui gloria sit in sæcula sæculorum. Amen.

Nota Severini Binii.

a *Epistola.*) In codice Græco post hanc epistolam Stephani papæ hæc subjiciuntur: *Hæc epistola ad Basilium imperatorem missa fuit, sed illam accepit Leo ejus filius, cum jam pater vita defunctus esset. Qui cum epistolæ vim intellexisset, & omnia Photii facinora cognovisset, quamprimum revocavit omnes sacerdotes veritatis, qui a Photio anathemate damnato graves passi fuerant persecutiones; & ejecto tyranno & invasore Photio, fratrem suum germanum introduxit, advocato etiam Styliano Neocæsareæ metropolita, cognomento Mapa, & aliis ejus in persecutione commilitonibus, episcopis, præpositis, presbyteris, diaconis, et aliis pietatis sectatoribus, ait illis: Nostrum ex Deo imperium perpensa veritate iniquum illum hominem Photium a sede patriarchali ejecit, & vestram persecutionem sedavit. Nec ullo pacto cogam quemquam vestrum, ut inviti cum illo communicetis; quin potius pietatem vestram, ut communicetis cum fratre meo, & fiat unum ovile. Sin autem inconsultis Romanis, qui Photium damnavorunt, nolueritis fratri meo convenire, quoniam videlicet a Photio diaconus fuit ordinatus, venite, scribamus & mittamus una Romam ad pontificem, ut dispensetur absolutionem anathematis iis, qui a Photio fuerunt ordinati. Scripsit igitur propterea imperator epistolam ad pontificem, similiter etiam Mapa metropolita Cæsareæ & ejus socii. Epistola vero metropolitæ ita se habet.*

EPISTOLA STYLIANI AD STEPHANUM PAPAM V.

Sanctissimo ac beatissimo Stephano, domino ac œcumenico papæ Stylianus episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ provinciæ servus servorum Dei, & qui mecum sunt episcopi, nec non omnes episcopi & presbyteri & diaconi sanctissimæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, & omnes præpositi per occidentem & orientem constituti, & presbyteri monachi quietam vitam agentes.

Extat supra in fine concilii IV. CPi sub alia versione.

Dei catholica & apostolica ecclesia semper prævalet adversus eos qui illi bellum concitant. Scriptum est enim, quod Dominus imbecilles reddit ejus hostes. Et qui adversus ecclesiam bellum gerit, Dei se hostem constituit. Variæ igitur, o sacrum & venerandum caput, humani generis hostis sunt fraudes, diversis temporibus alios aliis rationibus recta via ad vias obliquas homines subtrahentis. Hoc vero præcipue in Dei ecclesia ille facere consuevit, ubi recta quidem agere, laude dignum est, sicut e contra a recto recedere, formidabile existit. Cum itaque in Dei ecclesia multa iniquitatis vasa inveniisset, venerationem quæ sacris imaginibus exhibetur, tum Christi, tum purissimæ ejus matris & servorum ejus, ab ecclesiastica disciplina removere conatus est; sed divina favente gratia, nostrorum piorum imperatorum auxilio, nostra ecclesia suum decorem nunc recepit, & abominabilem illum errorem hæresis circa imagines procul abjecit. Quid vero dæmon bonorum operum osor? Novam iterum concitat tempestatem. Iterum enim Gregorium suscitat cognomento Asbestam, id est, inextinguibilem, & Eulampium, & Petrum, & eorum socios, ac per eos Christi membra ad invicem divellere, & a sanctissimo Ignatio patriarcha abalienare non dubitavit. Hos itaque patriarcha sæpius synodice advocatos, & qua decebat humanitate tractans, ut nullo pacto a Dei ecclesia segregati, præda dæmonis fierent, efficere non potuit. Quapropter privatione tandem & anathemate ipsos damnavit. Illi vero literas miserunt, & legatos ad sanctissimum tunc temporis pontificem Romanum beatum Leonem, petentes ut ab ipso, quasi injuriam passi, vindicarentur. Pontifex vero ad patriarcham Ignatium scripsit, rogans eum, ut aliquem mitteret suo nomine in urbem Romam, ut per eum discere posset, quomodo res se haberet de schismaticis illis. Quod patriarcha Ignatius facere non tardavit, sed misit Lazarum monachum & confessorem una cum literis, qui rem omnem de Gregorio recte noverat, & pontificem de singulis edocuit. Quapropter pontifex & ipse damnavit eodem modo quos Ignatius damnaverat, tanquam schismaticos. Sed beato papa Leone vita functo, iterum illi Benedicto papæ successori molestias intulerunt. At Benedictus sanctissimus, re iterum diligenter examinata, eorum damnationem cum Ignatio confirmavit. Qui deinde Photio cuidam schismatico ab ecclesia Constantinopolitana, & in dignitate constituto inhærentes, & ejus favore utentes apud Bardam principem & avunculum Michaelis imperatoris (qui & ipse arguebatur a patriarcha Ignatio turpis incestus gratia) Ignatium ipsum e patriarchali sede violenter ejiciunt, multas calumnias adversus eum fingentes, ut imperatorem ipsum ita subduxerint, ut Photium pro Ignatio in patriarchali sede collocarit, a schismaticis electum, & a damnato Gregorio eo die ordinatum. Quando pontifices ipsi, & insigniores ex sacerdotibus, & quicumque

que in ecclesia potiores erant, segregati sunt propter illegitimam intrusionem schismatici Photii, inter quos etiam ipse sui minimus omnium. Deinde vero multos ille ad se convulsit, alios quidem perterrefaciens, alios vero male tractans, alios muneribus decipiens. Chirographum præterea propria scripsit manu, nunquam se adversus Ignatium, nec eos qui ab illo fuerant ordinati, aliquid mali tentaturum. Nec deinde magnum temporis spatium interceſſit, & nulla habita ratione proprii chirographi, in celebri templo sanctorum apostolorum Conciliabulo congregato, depositione & anathemate patriarcham Ignatium damnat mœchus ipse & adulter Photius. Deinde vero suam iniquitatem ex superabundanti confirmare volens, ad vestram urbem Romam, & tunc temporis pontificem Nicolaum misit episcopos cum literis imperatoris, & petiit ab illo legatos mitti ad Constantinopolitanam ecclesiam, qui perpenderent quæ ipse contra Ignatium gesserat: quod factum est. Missi enim sunt Rhadoaldus & Zacharias cum commendatitiis literis ad Michaelem imperatorem & Photium. Legati itaque cum Constantinopolim veniſſent, congregata est synodus, & legati subducti quidem a Photio muneribus, minis vero ab imperatore, nihil fecerunt eorum quæ ipsis fuerant mandata, sed potius Ignatium damnarunt, Photium vero contra, præter pontificis mandatum, in patriarchali sede confirmarunt; & ita ad apostolicam sedem cum literis imperatoris & Photii sunt reversi. Quando scilicet zelo quodam motus monachus ille Theognostus, qui & archimandrita, clam etiam ipse sub mentita laicali veste Romam proficiscitur, & sanctissimum Nicolaum papam de his omnibus docet, quæ adversus Ignatium gesta fuerant. Quapropter pontifex, congregata synodo, suos legatos Rhadoaldum & Zachariam damnavit, quod feciſſent præter illa quæ sibi fuerant demandata. Aliam item synodum congregat, & Photium mœchum & invasorem anathemate damnat; Ignatium vero contra, patriarcham Constantinopolitanum literis suis declarat, necnon quæcumque gesta fuerant, tum Michaeli imperatori, tum Photio aperte significavit. Cum vero post Michaelem ad Basilium imperii sceptrum deveniſſet, divino zelo motus ille, acta quæ in urbe Roma a papa Nicolao gesta sunt, de Photii ejectione, & de Ignatii restitutione confirmavit, & Ignatium ab exilio revocavit, & Photium patriarchali sede ejecit, & ab utraque parte, Ignatii videlicet & Photii, legatos una cum literis suis ad apostolicam sedem destinavit, mittens præterea figmentum illud Photii Pseudosynodi adversus Nicolaum papam, qui inventus est a legatis vita functus. Hadrianus vero Nicolao cum succeſſiſſet, ostensa sunt illi quæ missa fuerant. Iterum igitur Hadrianus papa localem synodum congregavit; & eadem quæ beatus papa Nicolaus, adversus Photium decrevit. Et cum elegiſſet pios viros Constantinopolim misit, & œcumenica synodo congregata, præsentibus etiam legatis orientalium sedium, iterum sententia promulgatur adversus Photium quod ut mœchus & adulter ecclesiam Constantinopolitanam invaserit. Quapropter deponitur, & anathemate damnatur, & Ignatius restituitur. Nec tamen propterea Photius quietem habuit, sed iniquos homines & maleficos & deceptores congregavit, & calumnias falsas fingendo non destitit, quousque beatissimum Ignatium vitam misere relinquere procuravit. Neque hoc solum, sed etiam dum jam Ignatius in propria sede resideret, Photius ab œcumenica synodo damnatus & anathematizatus, in Constantinopolitana diœcesi varias habuit ordinationes. Quin etiam cum militari manu, sicut quondam impius ille Macedonius, in sanctam Dei ecclesiam prosiliit, dum nos comministri sacrum in celebri templo sanctæ Sophiæ faceremus. Qui cum vidiſſemus Photium ita impudenter in Dei tabernaculum ingredientem, relicto imperfecto sacro aufugimus; Photius vero sacerdotes Domini & comministros nostros magna vi & multis verberibus vel invitos ad se convulsit. Ego vero, & qui mecum erant episcopi, presbyteri, & diaconi, & omnes per occidentem & orientem præpositi monachorum & quietam vitam agentes, infinitus videlicet numerus, divina gratia inconcussi permansimus, quamvis neque antea neque postea Photio communicavimus. Qui cum illegitime (ut dictum est) ecclesiam invasiſſet, dubitationem multis injecit dicentibus, quod hunc Photium videlicet non recipimus, nisi illum confirmaverit Romæ apostolica sedes: quod cum ille didiciſſet, simpliciores ita decepit: Paulum enim & Eugenium episcopos a Ioanne papa ad Ignatium patriarcham missos, ut cum illo de rebus Bulgarorum provinciæ agerent. Qui cum inveniſſent quod beatus Ignatius jam demortuus erat, Photius illos muneribus corruptos decepit, & imperatoris minis coegit, ut dicerent coram omni clero & episcopis, & reliquo populo quod contra Ignatium a Joanne papa essent missi, ut illum anathemate damnarent, & Photium patriarcham promulgarent. Quopropter plerique comministrorum nostrorum sunt decepti. Ille vero etiam vestram apostolicam sedem fraudibus eludere volens, literas composuit nomine Ignatii patriarchæ & comministrorum ejus, quibus orabat beatitudinem apostolicæ sedis, ut Photium reciperet; & has literas ad nos miserunt. Quapropter Petrus Presbyter a vobis in urbem regiam cum veniſſet cum Paulo & Eugenio, Photium ab apostolica sede receptum promulgarunt. Hinc capta occasione etiam politicas curas in se suscepit, & ita regiam potestatem usurpare contendebat. Abbatulum enim quemdam ignobilem & humilem atque maleficum sibi familiaritate conjunxit, cujus pater Santabarenus cognomento dicebatur, Manichæus quidem secta, & veneficus professione, qui cum agnitus esset, & capi dubitaret, ad Bulgaros confugit, adhuc impietatis morbo laborantes, ubi ille Christianorum fidei abrenunciavit. Hujus itaque filius abbatulus prædictus Constantinopoli adhuc juvenis manens traditur Studitarum monasterio a Barda Cæsare, & ibi alitur. Cum vero ad perfectam veniſſet ætatem, & omnem iniquitatem calleret, adhæret Photio suo simili, quem Photius sacerdotem ordinavit in priori illa sua intrusione ad patriarchalem dignitatem. Cum vero Photius a patriarchali sede fuiſſet ejectus, post œcumenicæ Synodi promulgationem, Santabareni filius prædictus abbatulus suggerit Photio ut aliquem inveniret domesticorum imperatoris: affirmabat enim per hunc iterum Photium se posse restituere. Inventus itaque Nicetas cognomento Plorans, qui multis muneribus deceptus, quæ a Santabareno venefico magica pocula & esculenta fuerant parata, apponens imperatori, fecit, ut Photius ille exosus, amicus videretur: & sanctissimo Ignatio patriarchalem sedem tenente, Photium ad palatium revocavit ex eo loco, qui Augustus dicitur, & in palatio contubernalem Photium habebat, ut Photius magis esset patriarcha quam Ignatius ipse, licet in patriarchali sede ipse Ignatius resideret. Quapropter, ut supra diximus, ordinationes habebat

bebat, & ita imperatorem adversus Ignatium irritavit, ut ei vitam male abstulerit. Qui cum ita male fuisset mortuus, statim Photius ejusdem sedem occupavit, secum habens Santabarenum illum, quem imperatori familiarissimum reddidit, & Euchaitarum episcopum constituit; insignia etiam monasteria in aliis diœcesibus constituta, & aliis episcopis subdita, ab illis abstulit, eaque tradita Santabareno, ut illa Euchaitarum ecclesiæ aggregarentur, & episcopi in illis a Santabareno ordinarentur. Santabarenus præterea iste una cum Photio adversus piissimum imperatorem nostrum Leonem, qui nunc rerum potitur, malum consilium iniit, & ejus patrem Basilium adversus eum irritant, affirmantes Leonem insidiari & adversari paternæ voluntati. Cum vero insanabili morbo laboraret Basilius, & jam morti propinquus esset, putaverunt quod illo volente, & filio jam procul absente, facile ipsi imperium obtinerent, ut per se, vel per alium quem vellent, illud administrarent. Sed Dei providentia non permisit eorum iniquitatem impleri. Licet enim Leo filius a patre Basilio inter privatos homines haberetur, quinimmo carcere detineretur custoditus, post patris obitum ad imperia lesolium evectus est. Qui Photium quamprimum ejecit, tanquam multarum iniquitatum auctorem. Nos vero qui illi non obediebamus, & præterea multa mala passi sumus, illis miseriis idem Leo imperator liberavit. Quoniam vero scimus, quod a vestra apostolica sede corrigi, & juxta Canones corripi debemus: hac de causa humilibus his nostris literis tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet, qui non sine rationabili causa Photii ordinationem recepit, ut ne qui apostolicæ sedis legatos Rhadoaldum & Zachariam, qui initio Photium confirmarunt in Constantinopolitana sede, deinde Eugenium & Paulum, qui secunda vice cum Photio communicarunt, excepit, una cum Photio interitu damnetur, nec alius infinitus numerus ab ecclesia pellatur; hoc enim facere consuevit ecclesia. Oecumenica enim Synodus quarta Dioscorum iniquitatis principem & actorem, Flaviani interfectorem, beati videlicet patriarchæ Constantinopolitani, damnavit & homicidam & hæreticum, ut qui ausus est sanctissimo papæ Leoni excommunicationem irrogare: eos vero qui a Dioscoro fuerant ordinati, vel lapsi fuerant, cum tamen pietatis sectatores fuissent, per pœnitentiam illos suscepit. Nicæna etiam septima Synodus auctores hæresis Iconomachorum damnavit, illorum vero sequaces per pœnitentiam admisit. Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tanquam ab initio schismaticum, & a schismaticis illegitime ordinatum, & propter alia multa, quæ operatus est mala, expellere: eos vero qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut ecclesiæ Constantinopolitanæ pax & tranquillitas ita restituatur, & non alii quidem Apollo, alii Cephæ sint, & alii Pauli, & sic unum corpus ecclesiæ dividatur, sed omnes unanimes, tanquam unum caput habentes Christum Deum & Salvatorem omnium nostrum, omnes communiter illi laudes offeramus, & ejus præcepta similiter prædicemus: neque propter unum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Nos enim, ut diximus, imperatorum Christo dilectorum nutu Constantinopolim venientes, dum multi nos ad communionem impellunt, & juramento affirmant se ab apostolica sede dispensationis indultum obtinuisse, ut absque impedimento sacerdotalem dignitatem exercitare possent, nullo tamen pacto illis fidem adhibuimus, a tua sanctitate expectantes aliquid firmi & certi. Hoc autem ausim affirmare, o venerandum caput, Deum adhibens testem, quod nullus eorum, qui cum Photio communicarunt, propria id fecerit voluntate, sed potius principum violentia. Quapropter tuam rogamus beatitudinem, ut populum, parum abest, desperatum misericorditer *Matth. 18.* suscipias. Rogat te Petrus, cujus sedem administrandam obtines, qui ab omnium Domino edoctus fuit, ut septuagies septies ignosceret, etiam iis qui scienter deliquerint. Exaudi nos, ut etiam tu a Deo benignitatem desuper obtineas, & longo tempore ecclesiam apostolicam regere valeas precibus sanctis. Dei genitricis, cælestium potestatum, apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum, & omnium sanctorum. Amen.

EPISTOLA II. STEPHANI PAPÆ V.
AD EPISCOPOS ORIENTALES.

Ipsis pro ordinatione Stephani patriarchæ Constantinopolitani dispensationem petentibus, eo quod a Photio diaconus ordinatus fuisset, respondet, & ulteriorem informationem petit.

Stephanus episcopus servus servorum Dei, universis episcopis & reliquis clericis, &c.

CAtholica Christi & Dei nostri ecclesia fundata super firmam petram, apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus & fluctibus agitetur, nihilominus confirmatur & augetur. Nec mirum si humani generis hostis membra ecclesiæ tentare aggreditur, qui caput ipsum Dominum nostrum Jesum Christum tentare non dubitavit. Nec igitur mirum si Photium satis exosum ab ecclesia damnatum ejecistis, qui salutiferam Domini crucem ita delusit, per quam videlicet venerandam crucem omnia dona sacerdotalis ministerii perficiuntur, & sancti baptismatis lavacrum sanctificatur. Prædictus itaque Photius laicus homo, si regiam viam ambulasset, & decretis sanctorum patrum inhæsisset, ad tantam insaniam nunquam deveniisset. Quapropter qui Christi humilitatem, venerandam scilicet crucem contemnunt, percussi sunt tanquam primogenita Ægypti: tunc enim Israelitarum primogeniti cum essent signati, servati sunt ac custoditi. Quid vero erat ille sanguis agni in limine Israelitarum, nisi crux passionis Christi, quæ in frontibus fidelium imprimitur? Quicumque igitur salutarem crucem parvipendit, evangelico ense interimitur. Sed de Photio quidem ita vos scripsistis: illas vero imperatoris literas cum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant, Quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versamur. Multum enim interest, abrenunciasse, & expulsum esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecumque judicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogavimus: & opus est, utriusque partis religiosissimos episcopos mitti, ut perpensa omni dubitatione, & veritate utrimque manifestata, dicere possimus quod Deus voluerit. Romana enim ecclesia instar speculi & exemplaris reliquis ecclesiis constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum, & hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.

Extat supra in fine Concil. Constantinop. IV. *Exod. 12.*

EPISTOLA III. STEPHANI PAPÆ V. AD ROTBERTUM METENSEM EPISCOPUM.

Respondet qua ratione ad ordines ecclesiasticos promovendus sit clericus, cui digitus abscissus est.

Stephanus episcopus servus servorum Dei Rotberto Metensi episcopo.

* Gratianus Dist. I.V. can. Lator.

LAtor * præsentium Flavinus, scilicet clericus ad sanctam sedem apostolicam veniens, detulit a te nobis directam epistolam, qua indagare studuisti, eum a Normannis nuperrime captum sinistræ manus digitum habere abscissum, scisci- B tans, si ob hoc ad ecclesiasticum ordinem valeret promoveri, an non. Quod & nos reperientes, quia solertia tua magis super hoc sollicita a sede apostolica edoceri flagitat, normam justitiæ semper sequi exoptans, studium tuæ sanctitatis merito collaudamus, reverentiam tuam scire volentes, quoniam si ita est quod a Normannis digitum ipsum habeat abscissum, ad promovendum, si alias dignus fuerit, nihil ei nocebit, eo quod quid de his, qui a dominis, vel medicis, sive a paganis, non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus, quam ei obviare debere, si ita est, minime reperimus, monentes religionem tuam, ut circa illum ita peragat, quatenus ut mercedem pro C eo magnam incurrat, & desiderium illius, canonica auctoritate ei in aliis non obviante, Deo adjuvante perficiat.

EIDEM STEPHANO V. PAPÆ TRIBUTA EPISTOLA AD SELVAM, Ermemirum & Frodoinum.

Inscribitur in VV. CC. *Privilegium de archiepiscopatu de Terragona*, cum potius dicenda sit declamatio quæpiam aut sententia lata in gratiam Narbonensis archiepiscopi concinnata in Tarraconensem aliosque præsules Hispanos.

Stephanus servus servorum Dei, Selvæ & Ermemiro, atque Frodoino Barchinonensi. D

NOveris, inquam, noveris, Selva frater, si fas est fraterno te vocari debere vocabulo, quod ex præcepto glorioſissimi & Catholici Imperatoris * Odonis nuper venerim Trecas, concilium inibi de multis ac diversis celebraturus negotiis, cum reliquis coepiscopis & consacerdotibus pontificalibus insulis insignitis quinquaginta duobus, qui eidem nobiscum interfuerunt concilio. Nam cum de quibusdam ecclesiasticis causis a nobis sollicite tractaretur, riteque qualiter se habere deberent, disponeretur, inter cætera quæ a nobis justo decernebantur, atque statuebantur judicio, ventum est ad tuæ insolentissimæ, nimisque præ E sumptuosæ arrogantiæ indecentissimum dedecorum dedecus, quo inflato elationis tuæ stomacho rebellare, immo resistere præsumpsisti Dei omnipotentis perpetuæ dispositioni, volens ipsius, sanctorumque apostolorum ejus instituta, specialiter vero beati Petri apostoli convellere, ac penitus evacuare. Denique ut ejusdem rei causam tibi exponam diligenter: Ipsi olim a Domino nostro Jesu Christo universalis ecclesia, non solum generaliter ut ceteris, sed etiam specialiter præ omnibus coapostolis ejus commissa, & illius sedi credita est, sicut habes scriptum: *Tu es Petrus; & super hanc*

* Quid Trecæ conc. cum Odone, & quorsum Imperator? Hæc omnia valde suspecta.

Matth. 16.

A petram ædificabo ecclesiam meam. Et item eum interrogaretur ab eo post resurrectionem ejus, an eum amaret, tertio confessatus est ab eodem Domino, ut pasceret oves ejus. Qua auctoritate *Joan.* idem fultus, & successores illius post eum, semper ecclesiastica negotia disponunt, atque determinant. Tu autem adhuc perseverans in malitia tua, plenus insania, non ut sapiens sed desipientis more existimas Dei æterni constitutionem, qui, ut scriptum est, mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit, atque etiam priscorum decreta convellere patrum, dum Terraconensis ecclesiæ archiepiscopatum in tuum jus, ecclesiæque tuæ subripere moliris, qui dominica dispositione in Narbonensis ecclesiæ transit ditionem, non subreptione, vel violentia qualibet, sed voluntate & electione: atque contradictione omnium ejusdem terræ indigenarum, tam nobilium quam & ignobilium; præcipue quoque episcoporum ac comitum, atque etiam regum Francorum, ad quos celsitudo principatus ejusdem terræ specialiter pertinet. Adeo enim & hac conditione jus ecclesiæ Terraconensis in obsequium ditionis Narbonensis ecclesiæ transit, ut nunquam a subjectione illius ullo pacto, ullave ratione recedere queat, etiam si Terraconensis provinciæ metropolis ecclesia in pristinam reformetur staturam, eo quod Narbonensis ecclesia tutoris loco semper fuerit ecclesiis prædictis diœceseos, quæ vastationem paganorum evadere vix potuerunt. Porro jam dicta metropolis in antiquum redeat statum, & cunctæ ejusdem diœcesis ecclesiæ, quæ prius illi paruerant, revertantur ad mancipatum obsequelæ illius juxta Catholicorum patrum determinationem: ipsa tamen metropolis, secundum Romanæ ecclesiæ pontificum instituta, atque apostolica privilegia, in hac semper Narbonensis ecclesiæ ditione ac perpetuo famulatu succumbat, ut omnis qui pontificatus illius arcem sortitus erit, electione totius ecclesiæ ejusdem cleri & populi, non prius ulla ratione ordinetur, vel * conferatur, donec præ- * *confe-rantur.* dictæ Narbonensis ecclesiæ pontifex veniens, consecret eundem qui electus fuerit in archipræsulatus honorem. Quod si aliqua difficultate compulsus, venire nequiverit ad consecrandum prælibatæ metropoleos episcopum, mittat vice sua aliquem ex suffraganeis suis episcopis, qui diligenter eandem rem peragat, qui in solio pontificali collocare, & inthronizare solemniter satagat. Unde & idem qui consecratus fuerit, minus debitæ obedientiæ Narbonensi ecclesiæ semper in omnibus cedat, tantum ut a Romano pontifice pallium cum privilegii auctoritate suscipiat. Semper enim Terraconensis pontifex, clerus quoque, & populus omnis, si res ipsa effectum capiat, reminiscí debebunt, quod illarum parochiarum ecclesiæ, quæ de potestate & jure Narbonensis ditionis, sub qua diutina educatione nutricis more alitæ fuerant, postquam in maternum transierunt sinum, si res eadem quandoque capiat illud agendi effectum, nutricatus ejusdem gratia rependere largifluas gratiarum actiones debet, & insuper educationis prædictæ causa, ac si matri mercedem impenderet subjectionis, atque honoris. Quod si redeamus ad antiquas priscarum institutionum a primatibus sanctæ ecclesiæ: haud dubium quin Petro & Paulo, causas divino nutu patratas, non solum Terraconensis metropolis, verum & Hispania omnis, in quantum ad jus ecclesiasticum spectat, Narbonensi semper debet prælationi subjici, ejusque patrocinio, ac si materno lacte ali: nam sacræ sedis documenta primum ab eadem accepit, & fidei lumine illustrata, ac si de mortis

per-

perpetuæ ſomno excitata, in æternæ vitæ evigilavit ſplendorem, prout hactenus in beati Petri armario diligenter ſervantur repoſita: quemadmodum & illa quæ a diſcipulo apoſtolorum Petri & Pauli Sergio, nihilominus paulo poſt geſta fuiſſe memorantur, quæ, ut videris, prorſus ignoras. Nam ſi ea profecto noſſes, æſtimo quod non ad tam turgidæ inflationis vecordiam, animatus ſuſpirare unquam auderes. Nunc quoque quia huc uſque te latuerunt, a nobis tibi, licet brevi & compendioſo ſermone, veridico tamen, intimanda ſunt, ut non deinceps talia agere præſumas. Ut enim quomodo eadem res ſe habeat, evidenter oſtendam: cum beatus apoſtolus, & Doctor Gentium Paulus Roma egreſſus, Hiſpaniam prædicationis cauſa proficiſceretur, juxta quod idem in epiſtola ſua prius Romanis qui crediderant, ſignificaverat, aſſumptis ſecum Trophimo Epheſino, necnon & prudentiſſimo viro Sergio Paulo, quos idem antea lucratus fuerat Chriſto; Torquato quoque, Secundo, & * Endalatio, & quibuſdam aliis, Ciſalpinam Eccleſiam poſtquam devenit, Arelatem, quæ eſt metropolis provincia, quantocius adiit: cumque in eadem civitate aliquandiu moraretur, prædicans, & annuntians regnum Dei, & multi per ejus doctrinam converterentur ad Chriſtum, reliquit ibi ad confirmandas eorum qui crediderant animas menteſque, Trophimum a Petro apoſtolo prius ordinatum epiſcopum. Ipſe vero cum cæteris Narbonam uſque pergens, inde prædictum Torquatum, ſexque alios illius comites & condiſcipulos Galliciam ad prædicandum, juxta Petri apoſtoli præceptum, illico deſtinavit. Ipſe vero poſtquam multos non ſolum ex eadem urbe, ſed etiam ex nonnullis civitatibus undique ad eum confluentibus, una cum prædicto Sergio evangelizans ſedule docuit, & egregie convertit ad Chriſtum. Cum autem jam fortes in fide, ac penitus immobiles quos docuerat, agnoviſſet, miſit ex eis quoſdam prædicare per diverſas Galliarum regiones Dominum Jeſum Chriſtum. Poſt hæc autem profectus inde una cum Sergio Paulo, ad ulteriorem ambo uſque pervenerunt Hiſpaniam, evangelizantes per ſingulas urbes, ut prædiximus, futuri gloriam regni Dei. Peracto itaque prædicationis ſuæ non modico tempore, conteſtabantur eos qui crediderant; ut quam acceperant fidem, fideliter conſervarent, & cæteris quibus nondum prædicata fuerat, magnopere eam erogare ſtuderent. Igitur poſt hæc Romam deliberavit reverti prædictus apoſtolus, atque in conſolationem confirmationemque credentium, ſe cum eis & coevangeliſtam ſuum Sergium Paulum miſſurum denuo repromiſit: quibus & præcepit, dicens, ut illi in omnibus & per omnia obſequium præberent, & monitis illius libentiſſime parerent. Cumque his ac talibus per ſingulas civitates Apoſtolus fratres qui crediderant, hortaretur, commendans eos Domino, & valefaciens eis, Romam redire ſollicite ſatagebat. Qui rediens, cum veniſſet iterum Narbonam diſpoſitis omnibus quæ agi oportebat, reliquit ibi collegam ſuum nihilominus Paulus, præcipiens ei ut quos jam Domino per fidei gratiam ac ſi parturientes genuerant in diverſis regionibus Hiſpaniæ, lacte eos conſolationis tamdiu nutrire ſtuderet, donec cibo ſolido perfectæ credulitatis veſci indubitanter cognoſcerent. Unde & totam regionem illam in Apoſtolatus ejus officium, Domino cooperante, ipſi commiſit. Galliarum autem populos idcirco prædicandos illi credidit, quoniam ad hoc ipſum agendum beatus Petrus eum miſerat, & vice ſua hujus rei gratia * Eccleſiam conſecraverat, atque etiam prædictam Narbonam inſignem Metropolim Galliarum ſpecialiter ad docendos, evangelizandoſque tradiderat populos. Namque poſt hæc conſummatis omnibus quæ communi utriuſque egregii prædicatoris intentione agenda erant, a ſe mutuo dilectionis * cum receſſiſſent, alternis exhortationibus atque amplexibus Domino commendare ſe ſtuduerunt, atque ſibi valefacientes, poſt oſcula & fletus ab invicem diviſi, Apoſtolus Romam profectus eſt, Sergius vero Narbonæ reſedit. * Neque enim officium prædicationis ſibi injunctum adeo ſtrenue exercuit, ut nullis terroribus vel pœnis illud relinqueret, quoadusque per martyrium quiſque eorum ad ſe vocantem Chriſtum intrepidus accederet, ut talentum ſibi creditum quinquies duplicatum offerret, & ab eo centies multiplicatum, perpetuæ mercedis recompenſationem perciperet. Si autem noſſe vis quid poſt diſceſſum Apoſtoli Sergius Paulus commendato ſibi gregi, quem cum Apoſtolo Chriſto adquiſierat, Domino fecerit, notum ſit tibi & univerſis Hiſpaniarum utriuſque ſexus indigenis, quoniam tam per ſe ipſum quam etiam per ſuos, quos in fide Chriſti jam nutrierat, docueratque diſcipulos, omnes Hiſpaniarum regiones peragrando, earumque habitatores indefinenter docendo, adeo quoſdam eorum in Chriſtianæ fidei culmen, cultumque ſubvexit, quatenus nullius, præterquam ſui, indigerent, vel ipſi, vel quidam ſucceſſorum eorum ſanæ doctrinæ. Lege igitur beati Leandri, Iſidori quoque, nec ne Braulionis, itemque Juliani, ac veterum ejuſdem provinciæ doctorum catholicorum libros, & ſic forſan me vera dicere comprobabis. Quod ſi nec ita ſatis tibi factum eſſe credideris, geſtorum illius volumina, ab ejuſdem Pauli diſcipulis tribus voluminibus comprehenſa diligentiſſima curioſitate recenſe; & tunc quæ prius, niſi fallor, penitus ignorabas, patulo poſtmodum recognoſces ejuſdem rei effectu. Quod ſi nec ita conſultum tibi probare volueris, ſed ſemper obſtinatione perverſa, Romanorum pontificum cenſuram, quorum decreto divina auctoritate firmata, * omnis Chriſti eccleſia toto orbe regitur ſemper, atque diſponitur, plenus inſania, contemptibilem duxeris, in tantum ut ab injuria, quam impudenti facie, & immoderata capacitate * prædicto archipræſuli Theodardo irroges, recedere nullatenus patiaris: notum ſit tibi, & univerſis, qui aliquod ſuffragium adjutoriumve præbent tibi ſuper his, quibus a nobis jure impeteris, quod anathematis vinculis jugiter colligati eritis, atque inſolubiliter innodati. Quocirca, ne injuriam tibi facere videamur, conſtituimus ego & qui mecum ſunt, quinquaginta & duo epiſcopi, terminum tibi ſatisfaciendi ei, cui injuriam facis, jugiter Narbonenſis eccleſiæ pontifici, uſque in feſtivitatem ſancti Michaelis archangeli. Quod ſi uſque ad prædictam proximam memorati archangeli ſolemnitatem non ei ſatisfeceris, ita ut in ejus proprium eccleſiæque ipſius, totum quod abſtuliſti ab ejuſdem pontificis jure ac ditione, integerrime, & ſine qualibet reſervatione vel redhibitione reſtituas, Dei omnipotentis auctoritate, ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, necne cunctorum Romanæ eccleſiæ pontificum, mea quoque & omnium qui huic Trecaſinæ ſynodo interſunt epiſcoporum, excommunicando excommunicamus, & maledicendo maledicimus, ac perpetuo anathematis vinculo inſolubiliter colligamus, & te & maledictum tuum Ermemirum, & Frodoinum perjurum, & apoſtatam antiepiſcopum, &

* Leg. epiſcopum, ut in edit. Card. de Aguirre.

* Adde, affectu, ex ead. edit.

* Lege, Uterque enim ex eadem edit.

* cor. firmato

* cor. rapacitate.

omnes qui aliquod tibi adjutorium contra tam injustam præsumptionem præbent, ut a statuto vel præfinito a nobis tempore ab omni cœtu Christiano semper extorres habeamini & exortes.

FRAGMENTUM a EPISTOLÆ STEPHANI PAPÆ V, AD FULCONEM REMENSEM archiepiscopum.

*Pro * Teutboldo Lingonensi episcopo.*

* Ediderunt jam olim Sirmundus, Colvenerius, Binius, collector regius, aliique, neque opus erat expungere particulam *autem* aut præfigere *Stephanus Fulconi archiepiscopo Remensi*, cum sit fragmentum dumtaxat epistolæ.

Nos autem, qui omnium ecclesiarum in beato Petro apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter episcopos non haberi eum qui neque a clero electus, neque a populo est expetitus: sæpe dictum Teutboldum venerabilem diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensis ecclesiæ episcopum consecravimus, condigna sententia prævaricatoribus illata, licet & aliis prævaricatoribus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus sanctimoniæ, ut his nostris apostolicis literis perceptis, postposita dilatione ad Lingonensem accedas ecclesiam, & eumdem Teutboldum a nobis solemniter consecratum episcopum exinde revestias, omnibusque archiepiscopis & episcopis innotescas, pro tantæ contumaciæ ultione nos ejusdem ecclesiæ specialem solicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione & oppressionis illatæ relevatione. Quidquid autem idem venerabilis episcopus Teutboldus vobis ex nostra parte retulerit, credite, & effectui mancipare nullo modo ambigite: utpote tuam reverentiam circa nos devotam consistere credimus.

NOTA SEVERINI BINII.

1 Anno circiter 880.
2 Roberto, Sammarthanis, Vignerio nostro, aliisq; dicitur Geilo seu Gerlo, quem ajunt nominari in Chartulario 3 Stephani Divionensia anno 4. Carlomanni die Lunæ 8. Idus Julias anno 889. & ann. 884. interfuisse synodo Cabilonensi 15. Kalend. Jun & 18. Kalend. Febr. obtinuisse confirmationem juris cudendæ monetæ apud Lingonenses, & Dabonenses.
3 Circa finem anni 888.

a *Epistola*. Hujus contenta recensens Flodoardus l. 4. cap. hist. Remensis, ista scribit: *Stephanus papa ad Fulconem Remensem archiepiscopum scribit pro Teutboldo Lingonensi episcopo, significans ad se hujus Lingonensis ecclesiæ querimoniam pervenisse, quod obeunte Isaac 1 episcopo inconsulto clero & populo, 2 Egilonem quemdam monachum nuper de sæculo venientem in episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinaverit, eisque vi illata præposuerit nolentibus, quo divina vocatione hominem excedente, 3 ne in idipsum incurrerent, concordi voto clerus & populus Teutboldum ipsius ecclesiæ diaconum eligentes, ab ipso papa sibimet in episcopum consecrari petierint: sed ille uniuscujusque ecclesiæ privilegium incontussum servare volens id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit. scribens ad eum, ut si cleri populique vota in eum concordarent, & sacri canones illi non obviarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, & idipsum sibi reseriberet, interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo se inconsulto præsumeret. Simulque & * Oirannum Senogalliensem episcopum a suo latere direxerit executorem. Quem deludens Aurelianus ad Pingonensem præmiserit urbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quo cum diu expectaretur, nec ipse advenerit, nec moræ suæ causam innotescere, vel papæ remandare præviderit. Quocirca iterato clerus & populus cum decreto manu omnium roborato præfatum electum Romam remiserint obnixe sibimet illum consecrari petentes: sed nec tunc id agere acquieverit volens Lugdunensi ecclesiæ collatum privilegium immutilatum confistere: ideoque jam dicto Aureliano iterato rescribens manaverit, ut quia concordi voto clerus & populus jam dictum diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile judicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile judicaret sibi rescribere contemserit, verum etiam contra interdicta, & sacrorum canonum statuta, quemdam 4 extraneum, & eidem ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere præsumpserit. At hi potius laborem subire, quam subitici ignoto eligentes, ad se redierunt, imploranteſ ne paterentur ecclesiastica jura violari.*

* Otran m 4 is hal dubie Arimus sive grimus tem alt Vigiur in Chr. ngonensi dedisse zuensibi monach privilegm 12. Apr. no 889.

☞ STEPHANI V. EPISTOLÆ FRAGMENTUM Sigeberto Corsicæ Episcopo.

Quia te quasi obnoxium judicas eo quod a Saracenis captus hominem interfeciſſe videris, bene facis; sed quoniam non tua sponte id feciſſe cognosceris vim (sic) canonico nullo modo judicaberis. ☜

Ex Dec. Laborat. MS.

PRÆCEPTUM CAROLI CRASSI regis & imperatoris, quo ecclesiæ Cabilonensi canonica episcoporum suorum electio concessa est.

Edidit Sirmondus ad ann. 885.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus divina favente clementia imperator Augustus.

SI ea quæ divinis conveniunt auctoritatibus præcepto nostræ altitudinis confirmamus, supernam ob id gratiam promereri nullo modo dubitamus. Quocirca omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus & futuris, notum esse volumus, quod venerabilis Agilmarus Arvenorum præsul, adiens genua serenitatis nostræ, innotuit quoniam Girboldus Cabilonensis ecclesiæ venerabilis antistes & reverendus, infirmitate jam simulque senio confectus, non modicum metu sui obitus civibus & filiis ecclesiæ suæ inferret dolorem. Itaque nostram humiliter deprecatus est dominationem, ut præfatæ ecclesiæ canonicam electionem concedere deberemus. Placuit ergo nobis saluberrimæ acquiescere postulationi. Decernimus igitur & pro Dei amore hoc eidem concedimus, ut obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem. Hoc denique, quod divino amore concessimus, nostro imperiali præcepto confirmavimus, & annulo nostro insigniri jussimus.

Signum Caroli serenissimi Augusti.

Salomon notarius ad vicem Liutvardi archicancellarii recognovi, & subsignavi. Datum pridie Idus Junii, anno ab incarnatione dom. DCCCLXXXV. anno vero regni domini Caroli imperatoris VIII. imperii vero V. Actum apud Gundulfi villam, in Dei nomine feliciter. Amen.

ANNO CHRISTI 885. Ex Suppl. Manſi To. I. pag. 1043.

☞ EPISTOLARUM STEPHANI V. PAPÆ FRAGMENTA.

STEPHANUS PAPA V. LEONI SCIANENSI EPISCOPO.

Affert Gerhous de ædif. Dei in Anecdot. Pezii to. 11. par. 11. pag. 374.

DE manifesta, & nota pluribus causa non sunt quærendi testes; ut S. Ambrosius in epistolam ad Corinthios dicit, de fornicatione sententiam exponens apostoli. *Judicis*, inquam, *non est sine accusatore damnare; quia Dominus Judam, cum fuisset fur, quia non accusatus, minime abjecit. Cognito autem opere isto, pellendum illum de cœtu fraternitatis censuit. Omnes enim crimen ejus sciebant, & non arguebant. Publice enim novercam suam lo-*

co

ANO CHRI 88

co uxoris habebat. In qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiverſationi aliqua poterat tegi crimen. Et paulo poſt: *abſens facie, præſens autem auctoritate ſpiritus, qui nuſquam abeſt, jam judicavi ut præſens eum, qui hoc admiſit, tradi Sathanæ in interitum carnis.*

IN HOC FRAGMENTUM COLLECTORIS ADNOTATIO.

HOc ipſum fragmentum paucis mutatis legitur in can. *De manifeſta* 2. q. 1. recitaturque ex epiſtola Stephani papæ V. ad Leonem Theanenſem. Notant vero Romani canonis hujus correctores hanc epiſtolam integram extare in Collectione quadam canonum Vaticana ab anonymo digeſta.

STEPHANUS PAPA V. LEONI THEANENSI EPISCOPO.

DE crimine ſibi illato diaconus tuus veriſſime fatebatur ſe eſſe immunem. Verumtamen ſi ſuſpicio ſuper * viaculum habetur, & accuſatores idonei reperiuntur & teſtes, quales ſacri canones ſanciunt, cum fuerit legitimis teſtibus approbatus canonica ſententia feriatur. Quod ſi ne ſponte confitetur, neque legitimi accuſatores, vel teſtes reperti fuerint, & mala fama crebeſcit, non publico examine, ſed coram te & coram reverendiſſimis presbyteris & diaconis ſecreto juramento ſe purget, & tu deinceps boni teſtimonii eum annuntia, & compeſce, & commone eccleſiæ tuæ filios, ne ſacerdotem Dei ulterius infamare præſumant, timentes quod Cham maledictus eſt, quod patris verenda deriſit.

STEPHANUS V. PAPA VVALBERTO PATRIARCHÆ. *

MIramur prudentiam veſtram Cumenſi eccleſiæ denegare paſtorem, cum te etiam ad hoc provocatum noveris apoſtolica exhortatione. Nunc vero iterato tibi ſcribimus, nolentes alicujus eccleſiæ privilegium infringere, licet apoſtolica prærogativa de qualibet eccleſia clericum ordinare &c.

STEPHANUS V. PAPA.

*Leutberto * Moguntino epiſcopo.*

CONſuluiſti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente, aut aqua fervente, ſeu alio quolibet examine parentes ſe purificare debeant eos non oppreſſiſſe. Monendi ſunt namque, & proteſtandi parentes, ne tam tenellos ſecum in uno lecto collocent: ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur, vel opprimantur, unde ipſi homicidii rei inveniantur *. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet, ſacri non cenſent canones; & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa, ſunt regimini noſtro judicare; occulta vero, & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum. Hi autem qui probantur, vel confitentur tali reatu ſe noxios, tua eos caſtiget moderatio: quia ſi ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida eſt; quanto magis qui unius ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam ſe eſſe excuſare nequibit?

STEPHANUS PAPA V. PAULO PLACENTINO EPISCOPO.

ANNO CHRISTI 885.

LOci noſtri confideratio nos admonet, rationis auctoritate, quæ a prædeceſſoribus noſtris utiliter deciſa fuerint, roborare; & quæ a temerariis præſumpta fuerint in promptu nihilominus ulciſci, Reum quippe ante conſpectum divini Judicis ſe noverit eſſe, qui nititur utiliter finita reſcindere, ac roborata quolibet auſu violare. Eccleſiaſtici quippe vigoris ordo confunditur, ſi aut temere illicita præſumantur, aut non conceſſa impune tenentur. Proinde ſi negligenter ea, quæ male uſurpantur, omittimus, exceſſus viam proculdubio aliis aperimus.

Ca. Loci noſtri 35. q. 9.

STEPHANUS PAPA V. ITALIANO.

NUnquid non omnia chriſmata Sacerdotalis myſterii Crucis figura perficiuntur? Numquid baptiſmatis unda, niſi Cruce ſanctificata, peccata relaxantur? Et, ut cætera prætereamus, ſine crucis ſignaculo quis ſacerdotii gradus aſcendit.

* iſtud *Stiliano* datur ex Cod. Vatic. apud Correctorer Romanos. Ca. Nunquid 10. de Conſ. diſt. V.

STEPHANUS PAPA V. GIRARDO LEODIENSI *.

OPortet ut primum vos tam de invaſis civitatibus & monaſteriis, & manſis, quam de reliquis generaliter rebus redinveſtiri faciatis; quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos debemus opponere.

* In MS. codice meo per compendium ſcribitur *Gigdo Leodicenſi*. Sed quocumque modo hæc accipiantur, vix cohærent Epiſcopo alicui, qui tunc Leodienſem cathedram teneret.

STEPHANUS PAPA V. SICHIBERIO * CORSICÆ EPISCOPO.

QUia te quaſi obnoxium judicas, eo quod a Saracenis captus, homines interfeciſſe videris; bene facis. Sed quoniam non tua ſponte id feciſſe cognoſceris; inde canonice nullo modo judicaris.

Can. Oportet ut 3. q 2. * Codex meus MS *Sigiberto*.

STEPHANUS PAPA DOMINICO RAVENNATI ARCHIEPISCOPO.

Significat ſe conſecraſſe Placentinis epiſcopum; in nihilo tamen velle ſe juri Ravennatenſis metropolitani officere.

Stephanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rev. ſanctiſſimo confratri noſtro Dominico archiepiſcopo S. Rave. Eccleſiæ.

Can. Quia te. 38. diſt. 50.

DIvina Majeſtas, paſtorale miniſterium nobis .... ſolitudinem gerentes, cura pervigili, noſtrum Apoſtolicum impendere ſuffragium; idcirco omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium agnoſcat notitia, quia cum Ravennas Eccleſia, per obitum Romani quondam Archiepiſcopi ejuſdem Eccleſiæ viduata, ſine paſtore conſiſteret, repente, & ſancta Placentina Eccleſia, illius ſuffraganea, a ſuo paſtore quondam Paulo epiſcopo extitit denudata. Quapropter diverſis Italici Regni fluctuantibus procellis, quia per eamdem Sanctam Ravennatem Eccleſiam, proprio deſtitutam paſtore, ipſa ſancta Placentina eccleſia de paſtore proprio remedium recuperandi minime adipiſci valebat; ad Apoſtolicam Sedem, noſtrumque Apoſtolicum; utpote ad caput omnium Eccleſiarum, & matrem; refugium viſi ſunt..... feciſſe, offerentes nobis proprium electum, Bernar-

Ex Rubeo Hiſt. Rav.

nardum nomine, diaconatus officio utentem, & A
ANNO CHRISTI 885. ſuggerentes, una cum decreto ab eis in eum facto, hunc a nobis ſibi conſecrari Antiſtitem, ne ipſa Eccleſia diu ſine paſtore annichilaretur, & eligentes, atque petentes acephali, & vagabundi incederent. Nos autem, ut diximus, cum proprius Metropolitanus deeſſet, ſatis ab eis rogati, prædictum Bernardum in eadem Placentina Eccleſia prævidimus conſecrare epiſcopum, dantes illi in mandatis, atque jubentes expreſſe, ut in omni ſubjectione, & fidelitate ſe ſub jure ſanctæ Ravennatis Eccleſiæ obſervaret, quia ſic nobis placuit; ita ſcilicet, ut omnem obedientiam, omnemque devotionem atque conſuetudinem & uſum, anteceſſores feciſſe probantur, & ipſe devote adimplere ſatagat, in ſancta Ravennate Eccle- B
ſia. Unde volumus, & a præſenti octava indictione decernimus, eandem ſanctam Ravennatem eccleſiam nullam deinceps pro eadem a nobis conſecratione conceſſa.... perpeti; ſed a nobis, noſtriſque ſucceſſoribus Pontificibus ſit..... omnimodis; quinimmo eadem prædicta ſancta Placentina eccleſia in jus, & conſecrationem, atque debitam obedientiam, ejuſdem ſæpe dictæ ſanctæ Ravennatis eccleſiæ, quemadmodum antiquitus fuiſſe recolitur, omnibus conſiſtat temporibus: Volentes uniuſcujuſque jus, & privilegium Eccleſiæ indiminutum haberi, & inrefragabiliter cuſtodiri Script. per manum Benedicti Notarii, & ſcriniarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ in menſe Martio, in- C
dictione ſupraſcripta octava. Bene valete. Dat. octav. Kal. April. per manum Zachariæ Dei pietate primicerii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, anno, Deo propitio, Pontificatus Domini Stephani ſummi Pontificis, & univerſalis Papæ, in ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli ſede, quinto, Ind. VIII. ſupraſcripta.

IDEM CLERO ET POPULO PLACENTINO.

ANNO CHRISTI 885.

Dat illis pontificem Bernardum, commendat ſubmiſſionem Metropolitano Ravennati.

Stephanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Sacerdotibus, atque Judicibus, clero, & populo, ſeu univerſæ generalitati Placentiæ commorantibus, ſalutem.

QUaliter ſancta Ravennas eccleſia, privata proprio paſtore, in obitum veſtri Epiſcopi, viduata exiſteret, vos noſſe per omnia ſcimus; ſed ad ſupplementum, & ſublevationem veſtræ Eccleſiæ noſtrum Apoſtolicum ſubſidium viſi fuimus impartiri, ita ut Bernardum diaconum, paſtorem veſtrum, per noſtram conſecrationem inſtitueremus: & ideo fidelitati omnium veſtrum injungimus, & decernentes ſancimus, ut tam ipſe Bernardus, quamque omnes deceſſores ſui in perpetuum ſub Ravennatis Eccleſiæ Pontificatu plenam obſervantiam, totamque fidelitatem viriliter cuſtodiat, & more anteceſſorum ejus, devotiſſimus tam ipſe, quam ſucceſſores ſui exiſtant, obſervando in omnibus omnium obedientiam, omnemque conſuetudinem ſanctæ Ravennatis eccleſiæ, ſuiſque Archiepiſcopis, abſque omni contradictione, vel moleſtia, prout inrefragabiliter pollicitus eſt. Nam ſi ipſe, vel aliquis deceſſor ejus, aut aliquis veſtrum, tam de ſacerdotali ordine, quam de laicali cœtu, contemptor, vel tranſgreſſor apparuerit per inobedientiam, ſacerdos, qui extiterit, ex Dei omnipotentis, ſanctorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra Apoſtolica auctoritate, maneat ſuſpenſus a proprio miniſterio, quouſque ſolutionis gratiam a Ravennate Archiepiſcopo perceperit. Laicus vero, qui contradictor apparuerit, a vino, & cocto ſuſpenſus exiſtat, quouſque ad prædictæ ſolutionis gratiam pervenerit. Inſuper noſcat ſe noſtro Lateranenſi palatio quinque libras auri obrizi eſſe compoſiturum, & anathematis vinculo innodatus, in ævum permaneat. Hanc noſtram epiſtolam vel teſtificationem ſanctam Ravennatem Eccleſiam habere decernimus.

PRÆFATIO, SEU APPARATUS REGIS

*ALUREDI MAGNI AD LEGES SUAS

Tam eccleſiaſticas, quam civiles, e ſacra pagina deſumptas.

Ex Collectione Concil. Britanniæ. * Nonnulli Ælfredum, Alfredum & Alfridum nominant. Filius erat Ethelvulphi regis Anglo-Saxonum.

Hæc ſunt leges, quas Aelfredus rex conſtituit.

I. DOminus locutus eſt verbum ad Moyſen, & ita dixit: Ego ſum Dominus Deus tuus: Ego te eduxi ex terra Ægypti, & ex ſervitute ejus. Non diligas alios Deos alienos præter me.

Exod. 20. Verſio Guil. Lombard. e Saxonico. Ex WILKINS Concil. M. Britan. to. 1. p. 186. ex MS. Cod. II. Coll. Corp. Chri. Cantabr. III. §. XI.

II. Non adhibeas nomen meum ad vanitatem; quoniam tu non es innocens apud me, ſi nomen meum ad vanitatem adhibeas.

III. Recordare diem ſabbathi ſanctificare; operamini ſex dies, & ſeptimo quieſcite, tu & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, & jumenta tua, & qui ingreditur inter portas tuas. Quoniam ſex diebus Chriſtus creavit cælos, & terram, & maria & omnes creaturas, quæ in eis ſunt, & quievit ſeptimo die. Et propterea Dominus illum ſanctificavit.

IV. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quos Dominus dedit tibi, ut ſis longævus in terris.

V. Non occidas.

VI. Non fureris.

VII. Non adultereris.

VIII. Non dicas falſum teſtimonium contra proximos tuos.

IX. Non deſideres proximi tui hæreditatem injuſte.

X. Non facias tibi aureos vel argenteos Deos.

XI. Hæ ſunt leges, quas ipſis proponere debes. Si quis emat chriſtianum ſervum; ſex annos ſerviat, ſeptimo ſit liber gratis. Cum quali veſtimento intraverit, cum tali exeat; ſi ipſe uxorem habeat, exeat cum eo. Si Dominus autem illi uxorem dederit, ſit ipſa & liberi ejus domini. Si ſervus autem dixerit: nolo abire a domino meo,

meo, nec ab uxore mea, nec a liberis meis, nec ab hæreditate mea: tunc dominus ejus ipsum ad templi officium adducat, & perforet autem illius subula, in signum, quod sit semper inposterum servus.

XII. Licet quis vendiderit filiam suam in famulatum, non sit serva in omnibus, uti aliæ famulæ. Non habeat potestatem eam extraneo meo populo vendendi; sed si illa non placeat ei, qui ipsam emit, dimittat eam liberam ad extraneam gentem. Si autem permiserit filio suo rem cum ea habere, det ei donum; videat ut illa habeat vestitum, & pretium pudicitiæ ejus, hoc est, dotem ei suam largiatur. Si ei nihil horum præstiterit, tunc sit libera.

XIII. Si quis sponte hominem occiderit, moriatur morte. Si autem eum coactus occiderit, vel B invitus, vel non sponte, quasi Deus eum ita in manum suam tradiderit, & illi nunquam sit insidiatus; sit dignus privilegio suo, & justa gentium compensatione, si asylum quærat. Si quis autem de industria, & sponte occidat proximum suum per insidias, abstrahas eum ab ara mea ad morte moriendum.

XIV. Qui patrem suum vel matrem suam percusserit, morte moriatur.

XV. Qui hominem liberum furetur, illumque vendat, & obreptus sit, ut ipsum recipere nequeat, morte moriatur. Qui patri suo, vel matri suæ maledixerit, morte moriatur.

XVI. Si quis proximum suum percusserit lapide, vel pugno, & ille tamen egredi possit baculo innixus, adhibeat ei medicum, & opus ipsius operetur, quamdiu ille non potest.

XVII. Si quis servum suum proprium, vel ancillam percusserit, & ille eodem die non moriatur, attamen vixerit duos vel tres dies, non sit in omnibus æqualiter reus, quoniam pecunia ejus erat. Si autem eodem die mortuus sit, tunc culpa in eo quiescat.

XVIII. Si quis inter pugnandum gravidæ uxori nocuerit, compensat damnum, sicut leges judicant. Si illa moriatur, det vitam pro vita.

XIX. Si quis alterius oculum effoderit, compensat proprio: dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, vimen pro vimine.

XX. Si quis servi sui, vel ancillæ suæ oculum excusserit, & ipse post factum hoc monoculus sit, D manumittat ipsum statim. Si dentem ei excusserit, faciat idem.

XXI. Si bos cornu petierit virum, vel fœminam ut moriantur, lapidibus obruatur, & caro ejus non edatur; & dominus sit innocens, si bos petulcus antea fuerit biduum vel triduum, & dominus hoc nesciverit: si autem ille hoc sciverit, & eum intus asservare noluerit, atque is tunc virum vel fœminam occiderit, lapidibus obruatur, & dominus occidatur, vel vita pretio redimatur, prout sapientes justum invenerint. Si filium, vel E filiam confoderit, eidem legi sit obnoxius. Si autem servum vel ancillam confoderit, solvat domino triginta solidos argenti, & bos lapidibus obruatur.

XXII. Si quis foderit aquæ puteum, vel clausum aperuerit, & eum deinde non claudat, compensat omne jumentum, quod ibi inciderit, & illud mortuum retineat.

XXIII. Si bos alterius bovem vulneraverit, & ille postea moriatur, vendatur bos ille (vivus) & dividatur pretium, ac caro etiam ejus, sicuti & mortui. Si dominus autem sciverit, quod bos petulcus esset, & illum asservare noluerit, det ei A alium bovem illius loco, & ipse omnem carnem (mortui) retineat.

XXIV. Si quis alterius bovem furetur, & eum occidat vel vendat, compensat ipsum duobus, & quatuor ovibus unam. Si non habeat quo compensat, ipse vendatur pro pecunia illa.

XXV. Si fur domum alicujus noctu effringat, & ibi occidatur, ille qui eum occidit, non sit homicidii reus: si deinde post ortum solis hoc fecerit, sit homicidii reus; & tunc ipse moriatur, nisi necessitate impulsus fuerit. Si apud eum, vivum aliquid quod antea furatus erat, inveniatur, dupliciter illud compensat.

XXVI. Si quis damnum intulerit alterius vineæ, vel agro ejus, vel alicui ejus terræ, compensat, sicut quis illud æstimaverit.

XXVII. Si ignis immissus sit ad comburendam segetem, compensat detrimentum illud ille qui ignem immisit.

XXVIII. Si quis apud amicum deponat pecuniam, si ille eam furetur, dupliciter compensat. Si autem nesciat, quis eam furtim subduxerit, excusat seipsum, quod nullam fraudem in hoc commiserit. Si hoc vivum animal esset, & ipse dixerit, quod exercitus illud sumpserit, vel quod a seipso mortuum sit, & testes habeat, non necesse est, ut illud compensat. Si autem testes non habeat, & ille ei non credat, tunc juramentum præstet.

XXIX. Si quis fœminam non maritatam deceperit, & cum ea coiverit, compensat ei, & postea illam in uxorem ducat. Si pater fœminæ eam illi dare noluerit, solvat pecuniam illam pro C dote.

XXX. Fœminam, quæ consuevit excipere incantatores, & magos, & sagas, ne sinas vivere.

XXXI. Et si quis rem habeat cum bestia, morte moriatur.

XXXII. Et si quis sacrificium immolaverit præter Deo soli, morte moriatur.

XXXIII. Advenam, & peregrinum ne affligas, quoniam fuistis peregrini in terra Ægypti.

XXXIV. Viduis & orphanis ne noceatis, neque affligatis eos; si horum aliquid feceritis, vociferabunt ad me, & ego illos audiam, & ego vos gladio meo occidam, & ego faciam uxores vestras viduas, & liberos vestros orphanos.

XXXV. Si tu pecuniam mutuo dederis socio tuo, qui tecum habitare velit, ne præbeas te illi exactorem, neque humilia illum usura tua.

XXXVI. Si quis habeat tantum simplex vestimentum ad se eo operiendum & defendendum, & si illud pignoris loco dederit, ante solis occasum ei reddatur. Si tu ita non feceris, tunc clamabit ad me, & ego ipsum audiam, quoniam ego sum valde misericors.

XXXVII. Ne calumnieris dominum tuum, ne maledicas principi populi tui.

XXXVIII. Decimas tuas & primitias tuas ambulantes & crescentes des Deo.

XXXIX. Omnem carnem quam feræ relinquunt, non edatis, sed detis illam canibus.

XL. Falsi hominis verbum ne cures, nec eum auscultes, neque ipsius juri faveas, nec ullum testimonium post eum dicas.

XLI. Ne sequaris populi consilium pravum, & injustitiam amantem discursum ejus, & clamorem contra jus tuum, nec in maxime insipienti doctrina ei faveas.

XLII. Si offenderis alicujus pecus errans, licet sit adversarii tui, reducas illud ipsi.

XLIII. Judica semper justum judicium, neque fa-

facias aliud jus diviti, aliud pauperi, nec aliud jus amico, & aliud inimico facias.

XLIV. Semper evites mendacium.

XLV. Inſontem & innocentem hominem ne affligas unquam.

XLVI. Ne accipias unquam dona, quoniam cæcant ſæpiſſime ſapientum virorum conſilium, & verba eorum pervertunt.

XLVII. Peregrinum & extraneum ne patiaris inſcium ulla aliqua injuria affici.

XLVIII. Ne uretis unquam per deos gentilium, neque propter ullam rem invocetis eos.

XLIX. Hæ ſunt leges, quas omnipotens Deus ipſe loquebatur ad Moyſem, & juſſit ei, ut cuſtodiret. Et poſtquam unigenitus Dei filius Deus noſter, hoc eſt, ſalvator Chriſtus in orbem terrarum veniſſet, dicebat, quod non venerit præcepta illa violare, aut interdicere, ſed cum omni bonitate implere. Docebat etiam miſericordiam & humilitatem. Tum poſt paſſionem ſuam, antequam apoſtoli ipſius abiiſſent in omnes terras docere, & cum adhuc congregati eſſent, multos gentiles ad Deum converterunt. Cum hi omnes congregati eſſent, miſerunt legatos in Antiochiam, & Syriam, & Ciliciam, Chriſti leges docere. Cum hi reſciſcerent, quid illis acciderit, tunc miſerunt epiſtolam ad illos. Hæc eſt autem epiſtola, quam apoſtoli mittebant omnibus Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, qui nunc a gentibus ethnicis ad Chriſtum erant converſi.

Apoſtoli & ſeniores fratres ſalutem vobis optant, & nos vobis nuntiamus, quod nos audiverimus, noſtrorum ſociorum aliquos cum noſtris ſermonibus ad vos veniſſe, & vos triſtibus modis juſſiſſe obſervare ea, quæ eos haud juſſimus, & vos ſeduxiſſe variis præceptis, & animas veſtras magis labefactaviſſe, quam inſtruxiſſe. Tunc congregati ſumus propter hoc, & nobis omnibus placuit mittere Paulum & Barnabam, viros, qui parati ſunt vitam ſuam linquere pro nomine Domini. Cum illis mittimus Judam & Silam, ut vobis idem dicant. Spiritui ſancto videbatur & nobis, nullum onus vobis imponere, præter id quod vobis neceſſarium erat obſervatu; videlicet hoc, ut caveatis ne illud, quod diabolo immolatum eſt, adoretis, & ſanguinem ac ſuffocatum ne edatis, & (caveatis) ab occulto concubitu, & quod vultis, ut alii homines vobis non faciant, ne faciatis aliis. Hujus unicæ legis homo meminiſſe poteſt, ut quemlibet juſte judicet, nec opus habeat alio ſtatuorum libro. Caveat ut nullum hominem judicet quia non vult, ut ipſum judicet ille, ſi jus aliquod in eum quæreret. Poſtquam hoc accidiſſet, quod multæ gentes Chriſti fidem amplexæ ſunt, tunc multæ ſynodi per totum terrarum orbem congregabantur, & ſimiliter etiam per Anglicam gentem, poſtquam ea Chriſti fidem accepiſſet, ſanctorum epiſcoporum ac aliorum etiam illuſtrium ſapientum. Illi conſtituerunt ex miſericordia, quam Chriſtus docuit pro eo, qui maxime peccabat, quod principes mundi debeant bona cum eorum venia abſque crimine, pro graviſſimo delicto compenſationem pecuniariam facere, quam illi conſtituunt; excepta proditione domini, cui nullam miſericordiam audebant aſſignare, quoniam Deus omnipotens nullam unquam conſtituit ei, qui eum contempſerit, neque Chriſtus Dei filius ullam unquam exhibebit ei, qui ipſum in mortem tradidit. Et juſſit Dominum amare ſicut ſeipſum. Hi igitur in multis ſynodis multis humanis ſceleribus pœnas conſtituerunt, & in multis ſynodalibus libris ſcribi juſſerunt, ubi una lex, ubi altera (obtineret).

Ego Ælfredus rex in unum colligi, & literis conſignari juſſi multa eorum, quæ parentes noſtri obſervabant, quæ mihi placebant; & multa eorum quæ mihi non placebant, rejeci cum ſapientum meorum conſilio, & alio modo juſſi obſervari; quoniam non audebam tentare meorum (ſtatuorum) aliqua ſcriptis conſignare. Porro etiam me latuit, quid eorum placuerit illis, qui nobis ſuccederent. Aſt cum deprehenderim ſive in diebus Inæ cognati mei, vel in Offæ Merciorum regis, vel Æthelberti, qui primus baptiſma accepit in natione Anglica, ea, quæ mihi juſtiſſima videbantur exinde collegi, & reliqua neglexi. Ego Ælfredus occiduorum Saxonum rex, omnibus meis ſapientibus hic uſus ſum; & illi dicebant, quod ipſis omnibus bene placuerint, ea ut obſervarentur.

Leges eccleſiaſticæ Ælfredi M. regis Anglorum, e civilibus ſuis aliis decerptæ.

I. *De juramentis & vadiis.*

IMprimis docemus, quod maxime neceſſarium eſt, ut quilibet homo juramentum ſuum & pactum ſuum caute obſervet. Si quis in contrarium hujus coactus ſit per errorem vel ad proditionem domini, vel ad aliqua injuſta auxilia, tunc rectius eſt hoc ementiri, quam implere. Si autem paciſcatur id, quod ei juſtum eſt præſtandi, & illud tranſgrediatur, det humiliter arma ſua & poſſeſſionem ſuam amicis ſuis tenenda, & ſit quadraginta dies in carcere in regis urbe, ubi paſſurus ſicuti epiſcopus ei impoſuerit, & cognati ejus nutriant ipſum, ſi ipſe victum non habeat; ſi cognatos non habeat, vel tunc cibum non habeat; regis præpoſitus eum nutriat. Si ad id cogi oporteat, & aliter nolit, ſi vinciatur, perdat arma ſua, & hæreditatem ſuam. Si occidatur, jaceat inultus. Si aufugiat ante terminum, & apprehendatur, ſit quadraginta dies in carcere, ut ante debuerat. Si autem evaſerit, ſit exul & excommunicatus ab omnibus Chriſti eccleſiis. Si tunc alterius hominis fidejuſſor ſit, emendet violatam fidem, ſicuti ei juſtum viſum erit, & pacti fractionem, ſicuti confeſſor ejus ei indicaverit.

II. *De refugiis ad templa* LL. Sax. c. II.

Si quis ad eccleſiæ manſionem pro qualicumque culpa confugerit, quæ ad regis firmam, vel aliam liberam familiam honoratam non pertinet, habeat trium dierum terminum ſe ibi abſcondendi, niſi reconciliari voluerit. Si quis ipſum in hoc termino infirmaverit verberibus, vel vinculis, vel vulneribus, emendet quodlibet eorum ſecundum jus patriæ, tum capitis æſtimatione, quam pœna; & eccleſiæ miniſtris centum viginti ſolidos pro infractione pacis eccleſiaſticæ compenſet, & bona ejus apprehendantur.

III. *De violatione vadimonii.* LL. Sax. c. III.

Si quis fidejuſſionem regi factam violaverit, compenſet injuriam hanc, ſicut ei (regi ſc.) rectum videbitur, & violationem fidejuſſionis quinque libris bonæ monetæ. Violationem fidei archiepiſcopo factam, vel pacis violationem emendet (ille) III. libris. Alterius epiſcopi, vel ſenatoris fidem, vel pacem violatam emendet II. libris.

IV. *De*

A

IV. *De pace eccleſiaſtica* LL. c. V.

Ordinamus etiam cuilibet eccleſiæ ab epiſcopo conſecratæ pacem hanc. Si quis facinoroſus (ad eam) currat, vel confugiat, ut nemo ipſum intra ſeptem dies inde extrahat. Si quis hoc fecerit, reus ſit violationis pacis regiæ & eccleſiæ (majoris criminis, ſi plures exinde rapuerit) ſi præ fame vivere poſſit, niſi ipſe viam vi aperuerit. Si æditui magis opus habeant eccleſia ſua, cuſtodiant eum in alio domo, quæ non habeat plura oſtia quam eccleſia. Caveat eccleſiæ illius ſenior, ut ei intra hoc ſpatium cibum non præbeat. Si quis capientibus eum arma ſua extradere vellet, cuſtodiant ipſum triginta dies, & illum cognatis B ſuis offerant. Pax eccleſiæ etiam eſt, ſi quis ad eccleſiam confugerit pro delicto, quod antea tamen patefactum non erat, & illud ibi in Dei nomine fateatur, dimidium (pœnæ) ei condonetur.

V. *De ſacrilegio*. LL. Sax. c. VI.

Si quis in templo aliquid furetur, ſolvat valorem, & mulctam, quæ ad valorem pertinere poteſt, & manus ei abſcindatur, quacum hoc commiſit. Si manum redimere velit, & hoc ei permittatur, ſolvat id quod ad capitis ejus æſtimationem pertinet. Si quis furetur die Dominico, vel feſto nativitatis Chriſti, vel Paſchate, vel feſto aſcenſionis Domini, vel diebus luſtrationis, C volumus, ut eodem modo duplum ſolvat, ac feſtis quadrageſimæ.

VI. *De eo qui monialem e templo eduxerit*. LL. Sax. c. VIII.

Si quis monialem e templo educit abſque venia regis, vel epiſcopi, ſolvat centum viginti ſolidos; dimidium regi, dimidium epiſcopo, ac præpoſito templi, qui monialem habet. Si ipſa diutius vivat, quam ille, qui ipſam eduxit, nihil ea de hæreditate ejus habeat. Si infantem procreaverit, non habeat plus de hereditate ipſius, quam mater ejus. Si infans illius occidatur, ſolvatur regi pars pœnæ, quæ maternæ cognationi debetur, D patris parentibus pars detur altera.

VII. *De fornicatoribus*. LL. Sax. c. X.

Si quis rem habeat cum duodecies centum (ſolidorum) hominis uxore, centum viginti ſolidos ſolvat pro æſtimatione capitis. Sexcentum ſolidorum hominis centum ſolidis emendet. Coloni quadraginta ſolidis. Et hoc in viventi poſſeſſione pecunia componatur, & nullus homo propterea vendatur.

VIII.

Si quis coloni uxoris mamillas attrectaverit, E quinque ſolidis ei emendetur. Si proſternat eam, nec rem cum illa habeat, decem ſolidis emendet. Si rem cum illa habeat, ſexaginta ſolidis compenſet. Si alius vir cum ipſa prius coivit, dimidium hujus ſit emendatio. Si quis illum accuſet, excuſet hoc ſexaginta hydis, vel perdat dimidium emendationis. Si illuſtris familiæ marito hoc accidat, emendatio pro capitis æſtimatione creſcat.

IX. *De pugnis*. LL. Sax. c. XV.

Si quis coram archiepiſcopo pugnet, vel arma ſtringat, centum quinquaginta ſolidis emendet. Si coram alio epiſcopo vel ſenatore hoc accidat, centum ſolidis emendet.

X. *De contrectatione monialis*. LL. Sax. c. XVIII.

Si quis monialem fornicationis cauſa, vel veſtem ejus, vel ubera ejus, abſque ipſius licentia contrectaverit, duplum compenſet, ſicut antea de laicis injunximus.

XI. *De eo qui monachis nummum concredit*. LL. Sax. c. XX.

Si quis alterius monacho pecuniam concredat, abſque præpoſiti monaſterii venia, & eam ipſi amiſerit, nihil inde recipiat, qui eam prius poſſedit.

XII. *De ſacerdotum pugna* LL. Sax. c. XXI.

Si ſacerdos aliquem occidat, capiatur omne, quo manſionem ſibi emit, & epiſcopus ipſum ſacris ordinibus exuat, tunc ab eccleſia extradatur, niſi dominus capitis æſtimatione veniam illi impetrare voluerit.

XIII. *De ſtupro* LL. Sax. c. XXV.

Si quis coloni mancipium ad ſtuprum comminetur, quinque ſolidis colono emendet, & ſexaginta ſolidis mulctæ loco. Si ſervus ſervam ad ſtuprum coegerit, compenſet hoc virga ſua virili. Si quis puellam teneræ ætatis ad illicitum concubitum comminetur, eodem modo puniatur, quo ille, qui adultæ ſervæ hoc fecerit.

XIV. *De eo, qui de aliqua re Deo præſtanda pro altero fidejuſſerit*, LL. Sax. c. XXIX.

Si quis fidejuſſionis Deo pro altero præſtandæ accuſatus fuerit, & compellare voluerit, quod aliquid eorum, quæ ipſi debebat, non præſtiterit, faciat tunc antejuramentum in quatuor eccleſiis, & ſi alter ipſum culpa eximere voluerit, in duodecim eccleſiis hoc faciat.

XV. *De pugna coram ſenatore*. LL. Sax. c. XXXIV.

Si quis coram regis ſenatore in concurſu plebis pugnet, compenſet capitis æſtimationem & pœnam, prouti juſtum eſt, & inprimis ſenatori cxx. ſolidos pœnæ loco. Si quis concurſum populi extractione armorum concitaverit, ſolvat ſenatori cxx. ſolidos pœnæ loco. Si hoc coram regii ſenatoris ſubſtituto, vel regis presbytero accidat, ſit pœna xxx. ſolidi.

XVI. *De violatione pacis in urbe*. LL. Sax. c. XXXVI.

Violatæ pacis in urbe regia (compenſatio) ſit cxx. ſolidorum; in archiepiſcopali urbe violatio pacis nonaginta ſolidorum; alterius epiſcopi & ſenatoris LX. ſolidorum; hominis MCC. ſolidorum, triginta; ſexcentorum ſolidorum hominis, quindecim; coloni violatio ſepti, quinque ſolidorum.

Si horum aliquid accidat, cum exercitus vagatur, vel tempore jejunii quadrageſimalis, compenſatio ſit duplex. Si quis tempore quadrageſimæ velamen ſacrum coram populo abſque venia deponat, cxx. ſolidis compenſet.

XVII. *De terra hæreditaria.* LL. Sax. c. XXXVII.

Si quis terram hæreditariam habeat, quam parentes ejus ipſi reliquerunt, tunc ſtatuimus ut eam non vendat a cognatis hæredibus ſuis, ſi adſit ſcriptura vel teſtis, quod illi viro prohibitum ſit, qui eam ab initio acquiſivit, & illi qui eam vendidit, ut ita facere nequeat; & hoc tunc in regis vel in epiſcopi teſtimonio recitetur coram cognatis ſuis.

XVIII. *De ſolemnitate diei feſti,* LL. Sax. c. XXXIX.

Omnibus ingenuis hominibus dies hi ſint remiſſi, exceptis ſervis & operariis. Duodecim dies in natale Domini, & dies ille, in quo Chriſtus diabolum ſuperavit, & S. Gregorii dies memorialis, & ſeptem dies ante paſcha, & ſeptem poſt, & unus dies in feſto S. Petri & S. Pauli, & in autumno plena ſeptimana ante feſtum B. Mariæ, & unus dies ante celebrationem omnium ſanctorum, & quatuor dies mercurii in quatuor ſeptimanis jejunialibus, omnibus hominibus ſunt remiſſi, pro beneplacito cujuslibet, illi, qui aliquid in Dei nomine bene fecerit, vel illi qui cum aliquo ſuo opere (aliquid) promereri poterit.

Ex eodem Tomo 1. Concil. Britanniæ.

LEGES ECCLESIASTICÆ AB ALVREDO magno rege Anglorum, & Guthurno rege Anglodanorum in concilio quo fœdus inierunt ſancitæ.

Deſiderantur in Lambardi ἀρχαιονομίᾳ, ſed hic addidimus ex hiſtoria Jornalenſi ſeu Jerlanenſi manuſcripto.

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. *De dilectione Dei & pace eccleſiæ.* Ll. Sax. cap. 1.
II. *De negligentibus legem Chriſti & paganiſmum venerantibus.* Ll. Sax. cap. 2.
III. *De ornatis male viventibus.* Ll. Sax. cap. 3.
IV. *De presbyteris falſo pronunciantibus feſtum vel jejunium.* Ll. Sax. cap. 3.
V. *De presbyteris rectis terminis chriſma non perquirentibus, vel baptiſmum negantibus.* Ll. Sax. cap. 3.
VI. *De fratribus vel cognatis in una fornicantibus.* Ll. Sax. cap. 4.
VII. *De ordinato qui vitam foriſfaciat.* Deſideratur in Sax.
VIII. *De reo mortis qui confiteri deſiderat ſacerdoti.* Ll. Sax. cap. 5.
IX. *De decimis Dei retentis, & aliis eccleſiæ rectitudinibus.* Ll. Sax. cap. 6.
X. *De illis qui mercandiſant diebus dominicis.* Ll. Sax. cap. 7.
XI. *De operantibus diebus dominicis.* Ll. Sax. cap. 7.
XII. *De jejuniis infractis.* Ll. Sax. cap. 8.
XIII. *De diebus in quibus ordalium & jusjurandum prohibeantur.* Ll. Sax. cap. 9.
XIV. *Ne die dominica homo foriſfactus occidatur.* Ll. Sax. cap. 10.
XV..... Ll. Sax. cap. 10.
XVI. *De ſortilegis, incantatoribus, veneficis, perjuris, & his ſimilibus.* Ll. Sax. cap. 11.
XVII. *De ordinatis vel alienigenis in aliquo de pecunia vel vita ſeductis.* Ll. Sax. cap. 12.

PRÆFATIO.

Hoc eſt 1 concilium quod Aluredus rex & Godrun rex elegerunt & condixerunt, cum Angli & Dani ad pacem & concordiam plene convenerunt, & ſapientes, & qui poſtea ſucceſſerunt, ſæpius hoc & aſſidue renovantes in bonum ſemper adduxerunt.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALVREDI ET GUTHURINI REGUM.

I.

In primis eſt ut unum Deum diligere velint, & omni paganiſmo ſedulo renunciare. Et inſtituerunt ſæcularem juſtitiam pro eo quod ſciebant, quod non poterant multi aliter caſtigari, plures vero nolebant ad Dei cultum, ſicut deberent, aliter inclinare. Et ſæcularem emendationem inſtituerunt communem Chriſto & regi, ubicumque recuſabitur lex Dei juſte ſervari ſecundum dictionem epiſcopi. Et hoc eſt primum edictum eccleſiæ, pax inter parietes ſuos, & regis *Hangrid* ſemper inconvulſa permaneat.

Si quis Chriſtianitatem ſuam male mutat, ut paganiſmum veneretur verbis vel operibus, reddat ſic vveram, ſic vvitam, ſic lashlite ſecundum quod factum ſit.

III.

Et ſi quis ordinatus furetur, vel prælietur, vel perjuret, vel fornicetur, emendet ſicut factum erit ſic vveram, ſic vvitam, ſic lashlite, & erga Deum ſaltem emendet juxta ſanctorum Canonum doctrinam, & plegium faciat inde, vel mittatur in carcerem.

IV.

Et ſi presbyter populum ſuum miſdoceat de feſto vel jejunio, reddat 30. ſolidos cum Anglis, & cum Dacis 3. dimidias marcas.

V

Si presbyter ad rectum terminum ſanctum chriſma non perquirat, vel baptiſmum perneget ei cui neceſſe ſit, reddat vvitam cum Anglis & cum Dacis lashlite, id eſt 12. oras. Et de ſublegereis ſapientes inſtituerunt, ut rex habeat ſuperiorem, & epiſcopus inferiorem, niſi dignius emendetur pro Deo & pro ſæculo juxta modum facti, ſicut epiſcopus docebit.

VI.

Si duo fratres vel duo cognati cum una aliqua fornicentur, emendent in omni manſuetudine, ſicut eis permittetur; ſit vvita, ſit lashlite, ſecundum modum facti.

* Et

---

1 Alfredus Angliæ rex capto an. Ch. 866. Londino Synodum ibi celebravit, cujus mentio in VVintonienſibus Annalibus. *Rex devotiſſimus Alfredus*, inquit Annaliſta, *ut viri Dei Grimbaldi ſanctitatem, & ſapientiam cunctis notificaret, Concilium ex tota Anglia, Præſulum & Abbatum, & Nobilium virorum in Londoniam, quæ eſt metropolis totius Inſulæ, coadunat.* Meminit etiam hujus Synodi Harpesfeldius Sæc. 9. c. 7. *Pagius ad An. Ch.* 886. *n.* 11.

VII.

* Et ſi ordinatus homo ſe forisfaciat, in morte plectendus actibus exſuperetur, & epiſcopi judicio reſervetur.

VIII.

Et ſi quis reus mortis profiteri deſideret ſacerdoti, nunquam negetur ei, & omnes rectitudines Dei pacificentur ſedulo per Dei miſericordiam, & per vvitam quam ſapientes addicent.

IX.

Et ſi quis decimam contra teneat, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si quis Rofeih * ſuperteneat, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si quis non reddat ſymbolum luminis, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si quis Dei rectitudines aliquas disforciet, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si contra ſtet, ut hominem vulneret, de vvita componat. Si aliquem dejiciat in mortem, ſit utlaga ut exlex, & perſequetur eum cum clamore omnis qui rectum amat. Et ſi faciat ut occidatur pro eo quod contra rectum, & regis imperium ſtet, ſi hoc *probetur* jaciat egilde.

X.

Si quis in die dominica negotiationem facere præſumat, perdat ipſum capitale, & 12. oras cum Dacis, & 30. ſolidos cum Anglis.

XI.

Si liber diebus feſtis operetur, perdat libertatem ſuam, vvitam vel lashlite, ſervus corium perdat vel hidgildum. Si dominus ſervum ſuum cogat feſtis diebus operari, reddat idem dominus lashlite cum Dacis, & vvitam cum Anglis.

XII.

Si liber homo rectum jejunium frangat, reddat vvitam vel lashlite: ſi ſervus hoc faciat, perdat corium ſuum vel hidgildum.

XIII.

Ordalium & jusjurandum feſtis diebus & legitimis jejuniis legibus eſt interdictum. Et qui hoc fregerit, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis.

XIV.

Si fieri poſſit, nunquam occidatur aliquis in feſto dominicæ diei, quidquid peccaverit, ſed capiatur & ſervetur donec tranſeat feſta dies.

XV.

Si quis foris factus, & de membris disfactus dimittatur, & idem poſt afflictionem per quatuor noctes vivat, poteſt ei deinceps per epiſcopi licentiam ſubveniri, ſi quis ejus doloribus & animæ condeſcendat.

XVI.

Si ſortilegæ vel incantatrices, perjuri & venefici, ſœdæ, fœtidæ, vel meretrices alicubi compereant, relegentur de patria, deſperent omnia, niſi ceſſent, & profundius emendent.

XVII.

Si ordinatus vel alienigena ſeducatur in aliquo de pecunia, vel vita, tunc debet ei adeſſe rex vel comes illius terræ, & epiſcopus gentis illius pro cognatione & advocato, ſi penitus alium non habeat, & emendet ſedulo juxta modum facti Chriſto, & regi, ſicut docebit, vel illud factum profunde nimis vindicet, qui rex ſit in populo.

A

SYNODUS LANDAVENSIS

ſub Guruan X. Landaviæ epiſcopo,

In qua Teudur rex Brechemaniæ ob homicidium & perjurium excommunicatur.

De annis quibus habitæ ſunt ſequentes ſynodi non conſtat, propter regum & antiſtitum qui in eiſdem nominantur obſcuritatem.

REGES Teudur filius Rein & Elgiſtel filius Auguſt, reges Brechemanc, juraverunt ſuper altare S. Dubricii per ſancta ſanctorum, antepoſitis ſacris voluminibus & reliquiis, quod nullus alteri inſidiaſſet, & quod firmam pacem inter ſe tenerent ſine dolo, & præſente Gurvanno epiſcopo cum clericis ſuis, & tali pacto inſuper, quod B ſi unus alteri dolum faceret, totam ſuam hæreditatem quietam clamaret, & iret in peregrinationem viduato regno ſuo, & manſurus ſemper in exilio. Poſt hæc diabolus, qui patrem noſtrum Adam primum parentem noſtrum ſubdola admonitione ſua projecit de paradiſo, id eſt, de ſede deliciarum cum pace quieta; ille idem fecit fraude ſua quod Teudur rex rupta pace occidit Elgiſt filium Auguſt, utrumque faciens homicidium ſimul & perjurium.

Quo facto audito epiſcopus Gurvan, ſimul cum clero ſuo, homicidium ſimul & perjurium excommunicavit denudando altaria Dei, & proſternendo cruces ad terram, ſimul & reliquias ſanctorum, ablata ſibi tota communione Chriſtiana. C Poſt hæc videns rex Teudur pati non poſſe maledictionem & juſtitiæ rigorem, quæſivit veniam compuncto corde cum effuſis lacrymis: & impoſito ſibi jugo pœnitentiæ ad modum qualitatis & quantitatis, ne terra ſua deſpoliata fieret carens principe, conſilio fratrum totius parochiæ, illum fecit remanere in regno, emendaturum in omnibus ſuum ſcelus eleemoſyna, & oratione, & jejunio. Rex Teudur in primis offert Deo, data ſibi tanta remiſſione, & ſancto Dubricio, & Gurvanno, & ſuis omnibus ſucceſſoribus in eccleſia Landaviæ & ſanctorum Dubricii & Teliavi, *Lan Michael tre fcerian* cum ſua tota terra, & cum omni ſua libertate, & tota communione in campo & in ſilvis, in aqua & in paſcuis, ſine ullo cenſu homini terreno, niſi eccleſiæ Landaviæ & paſtoribus ejus. De clericis teſtes ſunt Gurvan epiſcopus, Eliud, Cuan, Concu. De laicis Teudur rex, Conurit filius Concolen, Petran, Elviu, Bacuc. Quicumque cuſtodierit, benedicatur: qui autem ab eccleſia Landaviæ ſeparaverit, anathema ſit. Finis illius eſt de via magna quæ eſt ab Auſtro per ſpincum rubum inde uſque ad rivulum *Tanguel*, qui eſt ab Aquilone, *&c.*

SYNODUS LANDAVENSIS
SUB BERTHGUINO XIV.
ibidem epiſcopo,

In qua Clotri regem cauſa homicidii & perjurii excommunicat, &c.

SESSIO DUPLEX.

REGES Clotri & Lundguallaun antepoſitis evangeliis ſacris, & reliquiis ſuper altare Gartbenni coram epiſcopo Berthguino, ſimul cum clero juraverunt ut ſimul inter ſe firmam pacem tenerent, ſine dolo & damno in omnibus. Et tali pacto, ut quiſquis illorum rumperet, totum regnum ſuum quietum clamaret, pergens in peregrinationem uſque ad finem (vitæ) in exilio, nec poſſet redimere ſe, neque regnum auro nec

argento. Poſt intervallum occidit rex Clotri rupta pace ſua Lundguallaun, utrumque faciens homicidium & perjurium fraude ſubdola.

Audito tam grandi facinore, & violata pace ſurrexit epiſcopus, & fecit convenire ad ſacram ſynodum Landaviæ omnes clericos totius parochiæ ab oſtio *Taratyr* ſuper Gui uſque ad ripam *Tyvi*, & plena ſynodo excommunicavit regem cum ſua progenie ſimul & regnum, denudando altaria Dei, & deponendo cruces ad terram, & dimiſit patriam ſine baptiſmo & communione. Poſt hæc rex non potuit pati tantam excommunicationem, quæſivitque veniam cum magna devotione; & advocavit epiſcopum Berthguinum cum tribus abbatibus ſuis, Sulgen abbate Carbani vallis, Saturn abbate Docunni, Gurhaval abbate Ilduti, ut venirent obviam ad eccleſiam Gartbenni; ut ſicut eam violaverat, & ejus refugium, faciens homicidium & perjurium, ex alia parte faceret eam emendatam, ſufferens divinum judicium cum emendatione, tam corpore, quam anima, cum jejunio, & oratione, & eleemoſyna. Qui poſtquam venerunt ad eccleſiam Gartbenni, judicaverunt illum tranſgreſſorem mandatorum Dei, ut quod promiſerat jurando, & ſimul voverat, ſacramento faceret ſine aliquo obſtaculo. Et obtemperans Deo, & mandatis Dei, & epiſcopi, reliquit patriam, & ivit in peregrinationem. Et poſt multum temporis rediit ad patriam ſuam, & quæſivit veniam apud epiſcopum per Morcant regem interceſſorem ſuum; & audita ejus prece dimiſit eum in patriam emendaturum ſe in omnibus, & facturum condignam juſtitiam. Et accepto ſibi jugo pœnitentiæ in omnibus, immolavit Deo & ſanctis Dubricio, Teliavo, Oudoceo, & Berthguino epiſcopo, & omnibus ſibi ſuccedentibus in eccleſia Landaviæ agrum *Helic*.... cum tribus unciis agri, & agrum Tencu cum duabus unciis agri, cum omni libertate ſua & tota communione pervia incolis in campo & in ſilvis, in aqua & in paſcuis. De clericis teſtes Berthguinus epiſcopus cum tribus abbatibus ſuis prædictis. De laicis, Clotri, Morcant, Jaco, Guednerth, *&c.* Qui cuſtodierit, cuſtodiat eum Deus: qui hæc ab eccleſia Landaviæ ſeparaverit, anathema ſit. *Amen.*

SYNODUS ALIA LANDAVENSIS SUB BERTHGUINO XIV. ibidem epiſcopo.

In qua Gurcan ob inceſtum cum noverca ſua excommunicatur, &c.

POST obitum Guinan, tenuit Gurcan regionem patris ſui, ſimul & novercam inceſtuoſe, propter quam excommunicatus eſt a Berthguino epiſcopo, & a plena ſynodo congregata in unum Landaviæ ab oſtio *Taratyr* uſque ad oſtium *Tyvi*. Et facta excommunicatione, & depoſitis crucibus ad terram cum ſanctis reliquiis, & verſis cymbalis, requiſivit veniam, & reſolutionem, dimiſſa noverca cum ſatisfactione, per regem Judhailum interceſſorem ſuum. Et data ei venia cum emendatione vitæ, jejunio, & oratione, & eleemoſyna, dedit terram *Machinis* agrum ſex modiorum Deo & Petro apoſtolo, & ſanctis Dubricio, Teliavo. & Oudoceo, & epiſcopo Berthguino, & omnibus ſucceſſoribus ſuis in eccleſia Landaviæ in perpetuo, cum tota ſua libertate, & omni communione, in campo & in aquis, in ſilva & in paſcuis, & ita quod ipſe juravit nunquam retracturus hanc eleemoſynam, & ita ſuper altare ſancti Petri, & ſanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei Landaviæ: & facta ſibi excommunicatione, quicumque de linea ſua, aut de alia origine ab eccleſia Landaviæ ſeparaverit. Et recepit uxorem propriam filiam Elfin. De clericis teſtes ſunt Berthguinus epiſcopus, *&c.* De laicis, Judhail rex, Gurcan, Gabran, Elfin, Elguarvi. Quicumque cuſtodierit, cuſtodiat illum Deus: qui hæc ab eccleſia Landaviæ ſeparaverit, anathema ſit. *Amen.*

SYNODUS LANDAVENSIS SUB CERENHIR XVIII. ibidem epiſcopo.

In qua Hovel rex Gleviſſicg homicidii & perjurii cauſa excommunicatur &c.

COGNITUM ſit omnibus Chriſtianis regibus & principibus, & catholicis viris utriuſque ordinis, tum clericalis, tum laicalis, in dextra parte Britanniæ maxime habitantibus, quod Gallum filius Cidrich motus ira & furore ſurrexit contra dominum ſuum elevato ſuo capite, Hovel videlicet regem Gleviſſicg filium Ris, rupta ſua pace, & voluit ei auferre terram *Lan Tivei* vi ſua & fortitudine. Et audita lite & contentione inter regem & principem per totam regionem, hortatus eſt Derenhir epiſcopus Landaviæ eos concordari facta pace. Et ei obtemperantes, audita pace venerunt ad Landaviam cum magno milite, & ſuper altare ſanctorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, antepoſitis ſacris evangeliis, juraverunt pacem amplius ſine aliqua fraude & inſidiis, præſentibus tribus abbatibus, Eliſael abbate Catoci, Eliſæo abbate Ilduti .... abbate Docunni, Civaret lectore, Guergern, Rind, Eſne, Paſcen: præſentibus laicis Mor, Morchitir, Judeant, Embreſel.

Poſt hæc rex Hovel rupta ſua pace, faciens utrumque homicidium ſimul & perjurium, occidit Gallum per dolum. Et occiſo eo, congregavit epiſcopus totam ſynodum apud Landaviam, congregatis in unum clericis totius parochiæ ab oſtio *Taratyr in guy* ad oſtium *Tyvi*, omnibus & una voce depoſitis crucibus ad terram, & verſis cymbalis ſimul cum reliquiis ſanctorum ablatis altari, & projectis in terram, excommunicavit regem, auferens ei totam Chriſtianam communionem: & in eadem excommunicatione manſit fere per annum integrum.

Poſt hæc rex non ſuſtinens tantam excommunicationem, meritis ſuis exigentibus, quæſivit veniam apud Landaviam nudis pedibus cum effuſis lacrymis. Et data venia ei cum juncta pœnitentia publica, homicidii ſimul & adulterii, conſilio patruelis ſui Mourici, promittens emendationem tam animæ quam corporis amplius in jejunio, & oratione, & eleemoſyna, largitus eſt Deo & ſanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & in manu Cerenhir epiſcopi, & omnibus epiſcopis Landaviæ in perpetuo, coram prædictis & atteſtantibus illis omnibus *Merthirbuceil*, & *Merthir Mivor*, cum 4. modiis terræ circa ſe, & ſemimodium *Tircullou*.... cum ſuanota libertate, ſine ullo cenſu ulli homini terreno, & niſi eccleſiæ Landaviæ & paſtoribus ejus, & tota communione in campo, & in ſilvis, in aqua, & in paſcuis. Quicunque cuſtodierit, benedictus ſit: quicumque violaverit, maledictus ſit. *Amen.*

SY-

SYNODUS ALIA LANDAVENSIS
SUB CERENHIRO XVIII.
ibidem episcopo.

Ili filius Conbli homicidii & perjurii causa excommunicatur, &c.

REGNANTE rege Mourico Glevissicg filio Judhail, convenerunt Ili filius Conblus simul & Camauc ad monasterium Landaviæ, & præsente Cerenhiro episcopo cum suo clero firmaverunt pacem suam, deleta & oblita veterrima inimicitia, jurantes ambo super altare Petri apostoli, & sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei, antepositis sacris evangeliis, & sanctorum reliquiis. Post intervallum, ille qui stabat in præsentia Dei cum gaudio in cælesti paradiso, & per semetipsum præsumendo, dicens: *Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo*, & candens livore & superbia traxit secum de summo throno partem ad barathrum de consentientibus sibi immundis spiritibus, partem misit in aera; & qui Adam protoparentem nostrum factum verbo Dei æternum, & sanctum positum in sede deliciarum cum summa felicitate & gaudio, decepit fraude sua subdola, & projectum de paradiso cum uxore, egentem & tristem amisso suo gaudio: ille idem antiquus hostis, stimulo invidiæ suæ adhuc remanente, & in prole fecit prædictis discordari rupta pace sua; in tantum quod Ili membrum antichristi, occidit Camauc insidiose, utrumque faciens homicidium simul & perjurium.

Post hæc, audita fama nequitiæ & impietatis per totum regnum, episcopus Cerenhir adunavit totum cleram totius parochiæ infra *Taratyr* super ripam *Guy* & ostium *Tyvi*, apud Landaviam, & consilio totius synodi abstulit prædicto Ili homicidæ & perjuro, depositis crucibus ad terram, simul & reliquiis sanctorum cum cymbalis, totam Christianorum communionem, & participationem: & ita per aliquantulum temporis remansit excommunicatus, & vi & rigore justitiæ compulsus, non valens amplius sustinere sarcinam nequitiæ & facinus, requisivit veniam effusis lacrimis cum nudis pedibus apud episcopum Cerenhir in Landavia. Et data sibi venia & pœnitentia, ad modum utriusque culpæ homicidii & adulterii, simul & excommunicationis, stans in medio ecclesiæ promisit emendaturum se in omnibus jejunio, & oratione, & eleemosyna, & verbo Mourici regis & consensu largitus est Deo pro salute animæ suæ, & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & in manu Cerenhir episcopi, & omnibus episcopis Landaviæ in perpetuo, villam *Guliple* minorem cum sua tota libertate, & omni communione, in campo & in silvis in aqua & in pascuis. De clericis testes sunt Cerenhir episcopus, Clisael abbas Catoci, Elised abbas Ilduti, ... abbas Docunni, *&c.* De laicis, Mouric, Iluc, Alexander Ili filius, *&c.* Quicumque custodierit, custodiat illum Deus: qui hoc ab ecclesia Landaviæ separaverit, anathema sit.

SYNODUS LANDAVENSIS
SUB GULFRIDO XX.
ibidem episcopo

Ob violatum ecclesiæ patrimonium habita.

LOUMARCH filius Catguocaun deprædatus est Aperguenfrut, & cepit Eicolf filium Cinhor cum omnibus rebus suis supellectilibus. Et facta illa iniquitate cum nimia ira & fervore in territorio sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei, & refugio: mandavit episcopus Gulfrid clericos ecclesiastici ordinis de omni parochia infra ostium Taratyr super ripam Gui & ripam Tyvi apud Lannoudocui. Et audita congregatione, simul & adunata pro tanta transgressione, Loumarch requisivit veniam, inclinans se ad terram flexis genibus, & effusis lacrymis coram episcopo & coram antepositis sacris reliquiis, crucibus & cymbalis, offerens se passurum & accepturum, recognoscendo delictum, canonicam sententiam & judicium.

Inito consilio cum synodo, & cum quibusdam parochiæ optimis viris laicalis ordinis & catholicæ fidei, condonavit ei episcopus, redditis sibi & suis omnibus rebus suæ vastationis, data sibi remissione, & injuncta pœnitentia ad modum culpæ; & post datam veniam Loumarch largitus est in eleemosyna villam *Trefioarn pont* cum tribus modiis terræ Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo in manu Gulfridi episcopi, & omnibus episcopis Landaviæ in perpetuo, cum tota sua libertate, & cum omni communione in campo, & in silvis, in aqua & pascuis, verbo & consensu Catell regis Guenti filii Artmail. De clericis testes sunt Gulfridus episcopus, Duun sacerdos, Divungual Laun abbas Lan Euniatun, id est, Lan Oudocui, Dissaith lector, Aircoit doctor, *&c.* De laicis Catell rex, *&c.* Quicumque custodierit, *&c.*

SYNODUS LANDAVENSIS
SUB CIVELLIAUC XXII.
Landaviæ episcopo

Adversus Brochvail regem congregata.

SCIENDUM est, quod discordia facta est inter utramque familiam Civeilliauc episcopi & Brochvail filii Mouric aqud Landaviam: & facta injuria & incœpta a familia Brochvailli, motus est episcopus, & congregavit omnes clericos usque ad inferiores gradus, missis legatis per totam parochiam infra ostium Taratyr in Gui usque ad ostium Tyvi. Et adunatis illis, voluit Brochvaillum & totam familiam suam sibi foris factam, & Deo exosam, propter suam nequitiam & injuriam excommunicare coram omni populo in plena synodo.

Et audiens Brochavil tantam summonitionem super se, quæsivit veniam & indulgentiam apud Landaviam: nec aliter habere potuit nisi sufferret canonicum judicium. Et discusso judicio, judicatum est episcopo pretium faciei suæ longitudine & latitudine in puro auro, cum emendatione faciendæ familiæ suæ ad condignum honorem suum, & nobilitatem parentelæ suæ. Et rex Brochavil judicium sufferre non potuit; & alio modo aurum redemit, largiendo Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & in manu Cuncilliauc episcopi villam *Tref Peren* cum sex modiis terræ, *&c.*

☞ SYNODUS ALIA LANDAVENSIS
SUB EODEM CIVEILLIAUC;
in qua controversia inter regem Brochvail, & ipsum dirimitur.

POST hæc facta est contentio de ecclesia illa & ejus territorio inter Brochvail & episcopum Civeillauc; congregatis omnibus clericis & omnibus sapientibus, qui erant a Tyvi usque Guy, ut judicarent inter episcopum & Brochvail; & vero judicio totius Synodi ecclesia prædicta cum tota tellure dirationata est episcopo Civeilliauc & ecclesiæ Landaviæ in perpetuo. (*a*)

Eruit VVilkins ex eodem MS. Cod. eque & superiores.

SY-

(*a*) Qui in his Synodis reges nominantur, reguli erant & toparchæ VValliæ Anglorum regibus subjecti. *VVilkins.*

ANNO CHRISTI 886. Ex Thesauro Anecdot. P. Martene. tom. 4.

CONCILIUM INCERTI LOCI,

Sed in Italia anno DCCCLXXXVI. celebratum villas Solarium & Vallem Caumoniam Turonensi S. Martini ecclesiæ confirmat,

Ex autographo in archivis S. Martini Turonensis asservato.

UTilitas ecclesiasticæ doctrinæ, licet fluctuoso procellarum turbine feriatur, tamen strenua pontificum sollertia optabile salutis percipit remedium, sicque pacis nutritur incrementum, justitiæ decus floreſcit. Ideoque anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXVI. anno siquidem piissimi imperatoris CAROLI in Italia VI. in Francia IV. in Gallia II. cum unanimiter sacrosanctum concilium pontificum ageretur, ex imperio magni orthodoxi imperatoris CAROLI, inter aliqua canonici profectus commoda, spirituali aptissima lucro, contigit GUALTARIUM alumnum almi cœnobii S. Martini, & venerabilem sanctæ Aurelianensis ecclesiæ episcopum, interventu quidem clarissimi ADALALDI Turonicæ sedis archiepiscopi, causas necessitudinis fratrum in monasterio ejusdem beatissimi & pretiosissimi confessoris Christi Martini sancte viventium pandere, qualiter prædictus locus lamentabile devastationis insolitæ malum a perfida gente Normannorum pertulerit, & quomodo metu classici exercitus periculosa pessimi decursus damna perpessus fuerit, & qualiter ODO insignis abbas ejusdem congregationis ob tanti discriminis immania damna, quasdam villas, Solarium scilicet, & Vallem Caumoniam, cum omnibus earum appenditiis fratribus prædicti loci reddidit, ad eorum scilicet confugium pariterque necessitatem supplendam. Manifestavit etiam sicut pius alumnus prædictus pontifex GUALTARIUS interventu ADALDI prædictæ ecclesiæ præsulis, solitam clementiæ magnitudinem imperatoriæ dignitatis: qualiter concesserit magnus & augustus imperator CAROLUS eisdem fratribus prædictas villas Solarium scilicet, & Vallem Caumoniam, cum omnibus earum appenditiis, & quomodo prædictus abbas præfati monasterii eisdem fratribus reddiderit, ad quas confugium faciant, & ex quibus eorum inopia quantulumcumque sublevetur: qui etiam nunc idcirco, quia necessarium duxit idem episcopus prænominatus, scilicet GUALTARIUS, vice ADALALDI ejusdem ecclesiæ episcopi, nobis intimare imperatoriæ clementiæ opus, concessionem scilicet supradictarum villarum, ne forte causa varii perfugii sanctitatis culmine pollens, fratrum ovile a tramite rectæ operationis deviaret. Placuit nostræ auctoritatis inviolabili privilegio imperatoriæ munificentiæ largitatem annotare. Statuimus igitur una cum consultu ODONIS ejusdem monasterii præstantissimi abbatis, censuræ nostræ edicto, communi rationis consilio, atque decreto, ut prænominatæ villæ stipendiis & necessitatibus fratrum jam dicti monasterii S. Martini cum universitate appenditiorum suorum integerrime perpetuo deserviant; ita ut nullius potestatis vir easdem villas de eorum dominatione auferat: quibus misericordiæ suæ beneficium in hoc munere imperatoria potestas, simulque consensus ODONIS abbatis, fratribus in eodem cœnobio commorantibus largiri voluit. Qui autem hoc edictum a sanctis Patribus institutum irrumpere aut qualibet præsumptione vel occasione conatus fuerit evertere, æternæ damnationis malum cum prævaricatoribus legis sanctæ perferat. Potestatem autem nobis a Domino ligandi & solvendi cælitus contributam, dicente *quæcumque ligaveritis*, &c. hac virtutis confidentia nitentes, cæligenæ salvationis aditum claudimus, obice malitiæ suæ objecto sub anathematis vinculo, qui huic necessario beneficio in subtractione prædictarum villarum consentiens aut operator extiterit, nisi divino fultus suffragio correctionis honore ditatus extiterit. Harum itaque censurarum statuta inconvulsa, & inviolabiliter a nobis facta, in cælo & in terra confirmata manuum subscriptione censuimus corroborare; absentium quoque confratrum voluntatem simul & consensus disponimus vigere libramine.

CONCILIUM NEMAUSENSE

IN VILLA PORTU.

* Tarraconensem. * 17. Nov. Indictione quinta.

Adversus Selvam clericum Hispanum, qui archiepiscopum * Narbonensem affectabat, a Theodardo archiepiscopo celebratum * XV. Kalendas Decembris, sub annum Christi DCCCXXCVI.

Ex editione P. Sirmondi. * l. VI.

EX monumentis ecclesiæ Narbonensis constat, Theodardum post susceptum anno DCCCXXCV. *pontificatum, Romam mox adiisse ad Stephanum V.* * *papam, ab eoque pallium impetrasse, & literas contra Selvam quemdam, genere hispanum, qui pro episcopo se gerebat. Quæ autem cogendæ adversus illum synodi causa fuerit, & quinam eo antistites convenerunt, docent ex iisdem monumentis excerpta quæ sequuntur.* Selva clericus Hispanus, qui se archiepiscopum fecerat, ejecto Ingoberto Urgellitano episcopo, qui a Sigebodo fuerat consecratus, in Gerundensi etiam ecclesia pro Servo Dei, quem Theodardus ordinarat, alium constituit nomine Ermemirum, quem ordinarunt cum Selva Frodoinus Barchinonensis, & Gotmarus Ausonensis episcopi. Ergo ordinatores ad se venire jussit B. Theodardus. Cum venire detrectarent, synodum suæ provinciæ ad XV. Kal. Decembris indixit in villa quæ Portus dicitur, sita

sita inter Magalonem & Nemausum. Advocavit & Provinciæ episcopos. Adfuere autem Rostagnus Arelatensis, Matfridus Aquensis Ermaldus Ebredunensis archiepiscopi; & cum eis Paulus Aptensis Berengarius Masilienſis, & alii. Adfuit & venerabilis Theodardus habens secum Guilbertum Nemausensem, Gislerannum Carcasonensem, Elegium Albiensem, Amelium Ucetiensem, Abbonem Magalonensem, Bosonem Agathensem, Agilbertum Biterrensem, Riculfum Helenensem, Gotmarum Ausonensem, Ingobertum Urgellensem, Servum Dei Gerundensem, Bernardum Tolosanum, & Macarium Lutovensem. In hoc concilio Gotmarus veniam petiit, a Sinuario comite se inductum causatus. *Et post alia*. Contra Selvam vero & socios, episcopi, qui concilio adesse A rant, Stephani papæ anathema renovarunt, nisi ante quadragesimam satisfacerent. Ad Sinuarium quoque comitem missa legatio, Gotmaro deferente, & benigne suscepta est. Cum enim omnia quæ gesta fuerant audiisset, regionis primarios convocavit, adfuit etiam accitus Theodardus cum aliquot episcopis in ecclesia sanctæ Mariæ Urgellæ. Ibi Selvam juxta canones, quia se extra metropolitani sui consensum ordinari fecerat, & Ermemirum degradarunt, scissis episcopalibus indumentis, baculis eorum super eorum capita confractis, annulis cum dedecore a digitis evulsis; Frodoino Barcinonensi venia, quam humiliter postulabat, concessa. Ita Narbonem reversus est victor Theodardus.

ANNO CHRISTI 886.

ANNO CHRISTI 887.

CONCILIUM COLONIENSE

CONTRA RAPTORES RERUM ECCLESIASTICARUM,

Oppressores pauperum, & incestas nuptias, celebratum anno Domini DCCCLXXXVII. tempore Stephani papæ V.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De Drogone Episcopo electo episcopo Mimidonensi, nunc confirmato.*
II. *Anathema in schismaticos & raptores ecclesiarum, ni resipiscant.*
III. *Standum esse antiquis patrum decretis.*
IV. *Ne quis res ante jura ecclesiæ usurpet.*
V. *De æquitate horum decretorum.*
VI. *De adulteris, & incestis. Tum de monialibus vitiatis.*

PRÆFATIO.

ANNO incarnationis Domini nostri Jesu Christi, octingentesimo octogesimo septimo, in ecclesia beati Petri apostolorum principis, indictione tertia, Kalendis Aprilis convenerunt in urbe Agrippinensi una cum consensu gloriosissimi imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luidberti archiepiscopi, Vvillibertus humilis ejusdem præfatæ urbis archiepiscopus, Franco Tugrensis sedis episcopus, Odibaldus Trajectensis sedis episcopus, Vvulfelinus Mimigarnafurdensis * ecclesiæ episcopus, Drogo Mimidonensis ecclesiæ episcopus, cum consensu venerabilis Rimberti episcopi, præsentibus etiam bonæ devotionis abbatibus, Neovolongo Indensis monasterii abbate, Andulfo Vverdinensis monasterii abbate, Folcario Aquisgrani palatii abbate, cum præfatarum sedium presbyteris & diaconis, & laicis quibusdam religiosis, celebrata synodo, ea quæ subjecta sunt divini amoris instinctu de negotiis ecclesiasticis promulgaverunt.

CAPITULA.

I.

Quod clerus Mimidonensis ecclesiæ presbyterum nomine Drogonem vocatum, episcopum unanimi consensu ad episcopalem promoveri ordinem petierunt, quorum petitioni effectum præbentes, ad pastorale eum promovimus officium.

II.

Quod Franco venerabilis Tungrensis sedis episcopus, cura pastorali permotus, & divini amoris zelo succensus suggessit, sanctam Dei ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, a schismaticis & raptoribus, qui neque Deum præ oculis habent, neque ullius verentur occursum, neque divina humanave lege a malo coercentur, sed ad omne malum præcipites feruntur, graviter vexari. Cujus suggestioni valde condolentes, illiusque zelo secundum canonicæ institutionis decreta compatientes, decrevimus, eos qui tam pertinaci stimulo irretiti sunt, ut ea mala sanctæ matri ecclesiæ inferrent, aut statuto tempore pia consideratione illorum saluti consulentes, videlicet in festivitate sancti Joannis Baptistæ, octavo Kalendas Julii in Foro Julii, quando iterum Deo annuente synodus celebranda erit, pœnitentiæ & emendationi secundum priscorum statuta patrum se summittant, aut si instigante diabolo, cujus instinctu ad tam nefandum pervenerunt flagitium, hoc contempserint, perpetuo & irrevocabili eos anathemate feriendos esse denunciamus. Eos vero, qui crebra admonitione & diuturna conventi sunt ut resipiscerent, & ad pœnitentiæ remedia confugerent, more canum ad vomitum rapacitatis absque Dei respectu reversi sunt, statuimus sine dilatione gladio anathematis esse puniendos.

III. Quod

ANNO CHRISTI 887.

III.

Hæc ita ſtatuimus, quoniam neceſſe eſt, non tranſgredi terminos patrum, ſed magis aſſenſum præbere diffinitioni eorum. In decretis namque Anacleti papæ capite ſecundo legimus, quod omnis oppreſſus liberum ſacerdotum, ſi voluerit, appellet judicium, & a nullo prohibeatur, ſed ab his fulciatur, & liberetur. Ex concilio Toletano quarto, capite trigeſimo ſecundo: Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam ſibi a Deo curam non ambigant. Ideoque dum conſpiciunt judices ac potentes, pauperum oppreſſores exiſtere, ſacerdotali eos commonitione redarguant. Item ex Concilio Toletano I. Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperiorum, aut religioſum expoliaverit, & mandaverit eum ad ſe venire epiſcopus ut audiatur, & contempſerit, mox invicem ſcripta percurrant per omnes provinciæ epiſcopos, & quoſcumque adire potuerint, excommunicatus habeatur ipſe, donec audiat, & reddat aliena. Talium enim ſcelerum patratoribus, ſicut in capitularibus glorioſiſſimorum imperatorum Caroli & Ludovici continetur, niſi poſt puram & publicam pœnitentiam, & per eccleſiæ ſatisfactionem, & per impoſitionem manus epiſcoporum, nec vivis, nec mortuis communicare debemus.

In prima decret. Et 2. q. 6. Omnis oppreſſus. Tol. 4. c. 32.

Tol. c. 11.

IV.

Ut nullus laicus, quamvis religioſus, præſumat aliquid de rebus Deo dicatis, vel eccleſiæ facultatibus, id eſt, nec dandi baſilicas, nec auferendi ſine conſenſu epiſcopi habeat poteſtatem: neque ex dote eccleſiæ, id eſt, ex uno manſo, & quatuor mancipiis cenſus exigatur, ſed juxta Concilium Aurelianenſe primum, capite decimonono, omnes baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructa ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundum priorum Canonum regulam, ut in ejus ordinatione & poteſtate perſiſtant, in cujus territorio poſitæ ſunt. Si quis vero contra hæc venire præſumpſerit, anathemate feriatur.

Aurel. 3. c. 19.

V.

Omnibus conſtat manifeſtum fore, nos nil temeritatis neque novitatis in hac ſynodo, ubi in Jeſu nomine, qui eſt ſalus omnium, congregati ſumus, ſtatuiſſe. Sed cauſa veſtræ ſalutis divino admoniti inſtinctu ferventes, immo paſtorali cura permoniti, vobiſmetipſis conſulentes ſecundum divinæ inſtitutionis normam, & juxta nobis a Deo datam ſapientiam, pie & juſte vivere unumquemque admonemus, quatenus Deo reddentes, quæ Dei ſunt, & vos nobis, prout oportet, auxilium ferentes, noſque vobis ſecundum apoſtolum ſpiritalia ſeminantes, ad vitam pariter perveniamus æternam.

1. Cor. 9.

VI.

De inceſtis autem conjunctionibus, unde multimodis fines regionis noſtræ circumquaque, inſtigante diabolo, polluuntur, ſecundum Agathenſe concilium capite ſexageſimo primo, nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Ex concilio Ilerdenſi capite quarto, de his, qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverent, uſque ad Miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet. Quod ſi conventi fuerint, & ad pœnitentiæ remedia convolaverint, ſeque ſacramento conſtrixerint, ulterius tam neſanda & prorſus abominanda pollutione non eſſe polluendos, iterumque ad recidiva malitiæ, & vitæ priſtinæ ſordes relapſi fuerint, ab epiſcopo civitatis comprehenſi, ſicut in concilio Toletano capite ſeptimo reperitur, in cujus territorio ſunt, rurſum legibus pœnitentiæ in monaſteriis ſubdantur inviti. Quod ſi facere per aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit, tunc ſicuti priſcorum Canonum ſtatuerunt decreta, quouſque iterum reſipuerint, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur: ſed & hi, qui poſt excommunicationem vel interdictum, cum eis communicaverint. De virginibus autem ſacratis in concilio Illiberitano capite decimotertio ſcriptum eſt: Si mœchaverint virgines, quæ ſe Deo dedicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem ſervierint libidini, non intelligentes quid amiſerint, placuit, nec in fine dandam eis eſſe communionem. Quod ſi ſemel perſuaſæ, ad infirmi corporis vitia lapſæ, toto tempore vitæ ſuæ ejuſmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abſtineant ſe a coitu, placuit, eas in finem communionem accipere debere. Ex concilio Chalcedonenſi capite decimoſexto, virginem, quæ ſe Domino Deo conſecravit, non licere nuptialia juria contrahere. Quod ſi hoc inventa fuerit perpetrans, excommunicetur. Confitenti autem decrevimus ut habeat auctoritatem ejuſdem loci epiſcopus miſericordiam humanitatemque largiri.

Agath. c. 61.

1. Cor. 9.

Illib. c. 27. [illegible] Virg. quæ [illegible] Mog. [illegible] conc. [illegible] temp. Caro. c.

Chalcedon. c. 16.

CON-

ANNO CHRISTI 886.

CONCILIUM CABILONENSE

IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI IN SUBURBIO

Cabilonensi celebratum XX. Kalendas Junias anno Christi [1] DCCCXXCVI.

Hujus synodi mentio est in chronico monasterii Besnensis, cujus auctor ex synodis actis profert quæ sequuntur.

Anno, incarnationis dominicæ DCCCXXCVI. quoque domni & serenissimi Caroli imperatoris Augusti in Gallia imperantis II. indictione * V. XV. Kalendas Junii, sacer episcoporum conventus, ob pacem, & tranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ statuendam, & ecclesiastica negotia decernenda, apud ecclesiam sancti Marcelli martyris in suburbio Cabilonensi in Christi nomine coadunatus est, ubi fuerunt domni & sanctissimi archiepiscopi Aurelianus, Bernoinus, nec non & reverendissimi episcopi, Adalgarius, Geylo, Stephanus, Giraldus, Adalbaldus, Isaac, & Leboinus. Geylo denique supra memoratus Lingonensis ecclesiæ reverendus antistes, una cum suprascriptis patribus in hoc sacrosancto residens conventu, eorum auribus intimavit, qualiter domnus Isaac antecessor suus res ecclesiæ in Luco, in honore sancti Martini in sua S. synodo, a partibus sancti Martini de Luco superiore, capellæ videlicet sancti Marcellini, contra Adalardum ejusdem capellæ presbyterum, juste & legaliter evindicavit de rebus & decimis. Tunc omnes episcopi hoc audientes in commune, relationem Geylonis venerabilis episcopi, & notitiam evindicationis domni Isaac, simul consenserunt, & consentiendo roboraverunt, ut si quis temeraria sacrilegaque præsumptione convictus, atque cæca cupiditate cæcatus, hoc quod Dei & domini Isaac & nostra confirmamus auctoritate, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciens damnatione multandum, & cum diabolo & angelis ejus sempiterno incendio concremandum, atque cum Juda traditore Domini, & cum Dathan & Abiron perpetuali pœna cruciandum, insuper a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ & cœtu omnium fidelium Christianorum tamdiu habeatur extorris, donec de illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia sublevetur.

Præterea iidem episcopi confirmarunt donationes rerum, quas monasterium S. Stephani possidet in pagis Diovionensi & Oscarensi, simileque anathema contra violatores pronunciarunt.

PRIVILEGIUM QUOQUE

Carilocensi cœnobio in eadem synodo, hac forma concessum.

Anno incarnationis DCCCLXXXVI. Indictione * V. cum sancta episcoporum synodus apud monasterium sancti Marcelli, de statu, honore, ac utilitate sanctæ ecclesiæ tractatura convenisset, atque inibi salubria quæque decreta sanxisset: accessit venerabilis Ingelarius abbas ex Cœnobio quod dicitur Carus-locus, estque situm in comitatu Matisconensi. Is humiliter sanctos præsules efflagitavit, ut super rebus suo monasterio delegatis, atque usibus & stipendiis chorum Deo servientium deputatis, suæ auctoritatis privilegium fieri decernerent. Sacri igitur pontifices devotis ejus precibus pium adhibentes auditum, eidem abbati, suisque successoribus, necnon & fratribus in præfato Cœnobio Deo famulaturis, quidquid hactenus condonatum est, aut acquisitum, & quidquid deinceps juste ac legaliter donatum fuerit, vel quæsitum, perpetuo habendum sanxerunt, & hoc decreto inviolabiliter firmaverunt. Statuerunt etiam, ut obeunte abbate, nullus inibi alius qualibet subreptionis astutia subrogetur, nisi quem fratrum unanimitas secundum Dei voluntatem & regulam sancti Benedicti elegerit. Nulli vero liceat res, aut possessiones ejusdem Cœnobii sinistro quolibet ingenio distrahere, vel præsumere. Si quis autem (quod non optamus) hujus privilegii destructor, aut in ejus destructione fraudulentus machinator imposterum fuerit & emerserit, salutem propriam negligens; secundum potestatem ligandi atque solvendi a Domino Jesu Christo nobis traditam, æterno vinculo damnationis extra beatorum sortem eliminamus.

Aurelianus sanctæ Lugdunensis ecclesiæ humilis archiepiscopus, in Christi nomine roboravi & subscripsi.

Bernoinus humilis sanctæ Dei Viennensis ecclesiæ archiepiscopus.

Geylo sanctæ Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus.

Adalgarius Æduorum episcopus.

Stephanus dignatione divina Cabilonensis ecclesiæ episcopus.

Adabaldus Bellicensis ecclesiæ episcopus.

Geraldus sanctæ Matisconensis ecclesiæ episcopus.

Isaac humilis Valentinensis ecclesiæ episcopus.

Leboinus chorepiscopus Lugdunensis.

Ego Brantio indignus presbyter & cancellarius sancti Mammetis scripsi, datavique.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

In codice Bosuensi annus adscriptus est DCCCXXCVI. indictione V. quæ duo minime cohærent. Sed castiganda potius indictio, ut indictio IV. scribatur, & notandus Christi annus ut in autographo. Ita fiet ut concilium hoc superioribus anteponi debeat.

CON-

1 Cum Annus Christi 886. cum Indictione V. non cohæreat, censuit Syrmondus castigandam esse potius Indictionem, & reponendam Indict. IV. sed castigandum potius fuisse annum, & scribendum ann. 887. nos docet Cabilonense concilium mox ex Martenes Thesaur. Anecd. offerendum.

ANNO CHRISTI 887.
Ex Martene Thesauro Anecdot. tom. 4 p. 67.

CONCILIUM CABILONENSE

Apud S. Marcellum anno DCCCLXXXVII. congregatum confirmat possessiones, privilegia & immunitates ecclesiæ Lingonensis.

Ex autographo Lingonensi.

ANno dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII. anno quoque domni & serenissimi CAROLI imperatoris augusti in Gallia imperantis II. indictione V. XV. cal. Junii, Sacer episcoporum conventus ob pacem & tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ statuenda & ecclesiastica negotia decernenda, apud ecclesiam sancti Marcelli martyris in suburbio Cabilonensi in Christi nomine coadunatus est: ubi interfuerunt domini & sanctissimi archiepiscopi AURELIANUS, BERNUINUS, TEOTRANNUS, necnon & reverendissimi episcopi ADALGARIUS, GEYLO, STEPHANUS, GERALDUS, ADDALBOLDUS, & ISAAC. Supra scriptus denique GEYLO reverendus episcopus ecclesiæ Lingonensis una cum suprадictis patribus in hoc sacrosancto residens conventu eorum obtutibus præcepti edictum obtulit a supra memorato domno, & excellentissimo Imperatore CAROLO semper augusto, sibi collato super omnes videlicet res ecclesiæ sibi a Deo commissæ, tam illas, quas antiquis temporibus prædictæ suæ ecclesiæ imperatores vel reges condonaverunt atque præceptis suæ auctoritatis restituerunt, vel quas sui antecessores quocumque commento adepti fuerunt, quam etiam & illas quas ipse suo tempore per præcepta apud eumdem dominum & gloriosissimum imperatorem acquisivit. Quatenus per hoc prænominatum edictum, non solum ipse, sed & omnes sui successores, absque alicujus inquietudine eas legitimo ordine obtinere in Dei nomine perpetuo valerent: earum namque rerum nomina sunt hæc, castrum videlicet Divionense, ubi habetur ecclesia in honore beati Stephani protomartyris, & juxta eumdem castrum monasterium sancti Benigni martyris; & in pago Tornotrensi monasterium sancti Petri Melundensis, & ipsum castrum Tornodorum, ubi habetur ecclesia in honore beati Aniani cum omni re sibi competenti; necnon in eodem pago abbatialem sancti Symphoriani loco qui Ladiniacus dicitur; & aliæ quamplurimæ res in eodem comitatu consistentes. Infra muros denique jam dictæ civitatis Lingonicæ est abbatiola sancti Petri, & juxta in suburbio ejusdem civitatis, abbatiolæ duæ sancti scilicet Amatoris & sancti Ferreoli, & monasterium sanctorum Geminorum. In pago etiam Atoariorum monasterium sancti Petri Bezuensis. Sunt & aliæ quamplurimæ res, abbatiolæ diversarumque rerum possessiones, quas hæc eadem Lingonensis ecclesia legitimo ordine juste & rationabiliter obtinere videtur. Obtulit etiam & in hoc eodem edicto qualiter ipse supramemoratus Præsul apud sæpe memoratum domnum & serenissimum Imperatorem, abbatias, villas, aliasque res suæ ecclesiæ competentes ex castellis, monetis, mercatis, ac immunitatibus per præcepta suo tempore acquisivit, hoc est in pago Tornotrensi abbatiam sancti Johannis confessoris; & in pago Magnimontensi abbatiam sancti Sequani; & in pago Atoariorum villas his nominibus, Gradicum, Pontiliacum, Montaniacum, necnon & Rocunnacum, & in pago Latiscensi in ipso pago Latiscono abbatiolam sancti Marcelli, & in pago Trecassinensi villam quam Ulmos vocant. Postea vero idem venerabilis GEYLO episcopus supra memoratus dominos & sanctissimos fratres episcopos cum quantis precibus potuit humiliter deprecatus est, quatenus hoc præcepti edictum, ut firmius & certius haberetur, & ne alicujus temeraria præsumptione infringi valeret, privilegio suæ auctoritatis corroborare dignarentur: hujus piissimis & laudabilibus efflagitationibus, supra memorati domini & sanctissimi fratres aurem suæ mansuetudinis accommodantes, præscriptum edictum super omnibus rebus ecclesiæ Lingonensis statutum per hoc suæ auctoritatis privilegium eo firmaverunt tenore; atque confirmando sua episcopali sanctione statuerunt, ut quemadmodum sæpe nominatus imperator augustus sua imperiali institutione illas res præfatas ad ecclesiam Lingonensem confirmavit. Ita & nos nostra canonica & episcopali confirmamus auctoritate. Ea scilicet ratione, & nullus deinceps princeps, aut aliqua judiciaria potestas, seu aliqua præsumtrix persona eas impedire, inquietare, sacrilegoque more invadere præsumat; sed uti jam sæpefatæ ecclesiæ Lingonensi coadunatæ & stabilitæ sunt; ita cum omni integritate inviolabiliter perpetuo teneantur. Si quis autem temeraria sacrilegaque præsumptione convictus atque inrefragabili cupiditate cæcatus, hoc quod Dei & nostra confirmamus auctoritate, in aliquo infringere præsumserit, æterna se sciens damnatione multandum, & cum diabolo & angelis ejus sempiterno incendio concremandum, atque cum Juda traditore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, & cum Datan & Abiron perpetuali pœna cruciandum, & insuper a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ, & a cœtu omnium fidelium Christianorum tamdiu habeatur extorris, donec ab inlicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia & satisfactione, necnon & emendatione iram omnipotentis Dei, quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem manibus nostris subter subscribendo adnotavimus; absentium quoque sacerdotum, nec minus idoneis subscriptionibus per Christum & in Christo similiter corroborari postulamus.

AURELIANUS sanctæ Lugdunensis ecclesiæ episcopus Dei nomine roboravi.

BARNOINUS sanctæ Viennensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

ADALGARIUS Æduorum episcopus subscripsi.

ADALBALDUS ecclesiæ Bellicensis episc. subscr.

GERALDUS sanctæ Matisconensis ecclesiæ episc. subscr.

ISAAC humilis Valentinensis ecclesiæ episc. subscr.

GEYLO sanctæ Lingonensis ecclesiæ episcopus hoc privilegium relegi, consensi & subscripsi.

STEPHANUS sanctæ Cabilonensis ecclesiæ humilis episcopus subscripsi. *

FIR-

* In eodem etiam concilio donationem Divionensi S. Stephani monasterio factæ confirmatæ sunt ex Spicil. tom. 1. pag. 320. atque privilegia Carilocensi in pago Matisconensi cœnobio concessa sunt ex Severtio hist. episc. Matiscon. pag. 50.

☞ FIRMANUM CONCILIUM

ANNO CHRISTI 887.

In dedicatione Monaſterii S. Crucis in territorio S. Elpidii,

Anno 887. a Theodoſio Firmano epiſcopo & Picentinis ac Spoletani ducatus epiſcopis celebratum.

EN alium epiſcoporum conventum, cui nomen concilii ideo tribuerim, quod occaſione dedicationis novi cujuſdam monaſterii in Diœceſi Firmana decreta quædam in commune ſtatuerint ad ejuſdem eccleſiæ, & monaſterii illi adjuncti commodum. Porro ſolemne erat epiſcopis, in dedicatione novi alicujus templi convenientibus, occaſionem illam captare ad habendas ſynodos, in quibus ea, quæ occurrebant, eccleſiaſtica negotia, quæque ad communem eccleſiarum utilitatem conferre judicarent, expediebantur. Extat diploma, vel ſanctio ab epiſcopis illis conſtituta apud Ughellium tom. II. in Firmanis col. 683. ex quo huc transfertur; correcto tamen anno imperii Caroli, qui hic ſextus notatur, cum ſeptimus reponendus fuerit; nam ſexto imperii ſui anno Carolus menſe ſeptembris præſens adeſſe Firmi, quemadmodum diplomatis fides exigit, nequaquam poterat, cum a Northmannis in Gallia occuparetur. Niſi forte ſphalma hoc chronologicum unum eſſe reputaverimus ex nonnullis argumentis, quibus documenti hujus ſinceritas oppugnari poſſet. Multas enim offert phraſes ſæculo illo plane ignotas. Indulgentiarum uſus, qualis nunc obtinet, quique in fine hujus diplomatis non ambigue affertur, non ante ſæculum XI. in eccleſia cœpit, ut probat Papebrochius in Conatu ad vitas Romanorum Pontificum pag. 133.

DIPLOMA THEODOSII FIRMANI EPISCOPI

Pro dotando cœnobio quodam a ſe conſtructo.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

DOminis venerabilibus, ſanctiſſimiſque ſucceſſoribus noſtris epiſcopis, ſeu Chriſticolis omnibus, & qui Deum metuere, ac venerari penitus noſcuntur. Notum facimus, quoniam conſenſu, conſilioque omnium vener. epiſcoporum in Ducatu Spoletano degentium, ego Theodoſius divina gratia S. Firmanæ eccleſiæ epiſcopus in rebus ſancti Maronis martyris Chriſti, in quadam inſula, a domino meo Carolo invictiſſimo imperatore auguſto, & a me ipſo olim inventa, fluminibus circumdata, Etha videlicet, & Clento, plena cupribus, atque fruticis, ſolita ante Domini gratia, ob amorem D. noſtri Jeſu Chriſti, & ejus vivificæ crucis, Baſilicam ibidem a fundamentis conſtrui præcepi, & ædificari, & per me primum, ac per alios epiſcopos conſecrare volui, & monaſterium in ea fieri decrevi. Accerſitis itaque conſacerdotibus meis communi conſilio Sancto Spiritu inſpirante eam in honorem Divi Salvatoris, ſanctæque ejus vivificæ crucis conſecrare curavi; & quoniam olim tenebatur habitatio cavernaque vulpium, nunc autem videtur, Domini adminiculante gratia, domus Dei, Dei, & habitatio Sanctorum, fervore zeli Dei ſuccenſus, monaſterium ibidem ordinavi. Ego vero hoc peracto cœpi contriſtari, & mœſtus eſſe, & quanto levior de conſtructione, & conſecratione hujus monaſterii, tanto quia illic ſolitarii congregati, unde vivere non habebant, effectus mœſtior fueram. Quia licet D. Carolus imperator invictiſſimus, ob animæ ſuæ ſalutem, quaſdam res publicalia ſuæ proprietatis, ac parentum ſuorum patrimonii ſupradicto almo loco conceſſiſſet, ac imperiali dono locum ipſum augmentaſſet, ut in decreto ipſi loco per eumdem facto continetur; non tamen res ipſæ prænominato loco, & famulis ibidem ſervientibus ſufficere videntur. Ideoque idem ipſe imperator noſter eſt largitus, ut quantas cum conſenſu meorum ſcilicet Sacerdotum S. Firmanæ eccleſiæ res jam dicto loco donare voluiſſem, nec ad præſens, nec in futuro ulla contradicente perſona, ſecundum quod Dominus inſpiraret, præſentialiter facerem. His itaque peractis, conſilio ejuſdem imperatoris, & conſenſu omnium ſacerdotum, & diaconorum, totiuſque meæ eccleſiæ familiæ conceſſi perenniter ad monachorum ſumptus aliquantas ex rebus eccleſiæ mihi commiſſæ eidem monaſterio, ut copulatæ uterque inſimul, illis, qui Domino ibi famulantur, in victu, & veſtitu abundanter ſufficiatur. Porro, quod reticere non convenit, de rebus Firmanæ eccleſiæ mihi commiſſæ, videlicet quas eidem monaſterio, Firmana plebe aſſentiente, contuli, nequaquam de nomine per ſingula quæque notabo. Detuli jam dicto venerabili monaſterio omnes poſſeſſiones, res, atque ſubſtantias, cum terris, vineis, atque arboribus fructiferis, & infructiferis, cum caſis, domibus, & plateis omnibus, atque colonitiis, culta bona, & inculta, mobilia, & ſtabilia, quæ fuere olim de plebe S. Maſonis, ex iſta parte fluminis Clenti, & quæ pene ipſi monaſterio adjacere cernuntur, & quæ circumdantur montibus & caſtris dicti monaſterii ex uno latere, & ex aliis adjacet flumen Clenti a capite uſque ad litus maris, Etha jam dicta mediante, & per ipſum litus uſque ad curtes S. Martii a mare; a latere autem ſuperiori poſſeſſiones dicti monaſterii, quæ ipſo loco conceſſæ fuerunt per Divum Carolum, villas autem, ſeu Caſalia, & cum eccleſia noſtra S. Bartholomæi, curtes Caſtelli Roccii, curtes terræ Tallitæ, curtes S. Martii ad mare cum ipſa eccleſia, infraſcriptas antedictans adjacentes cum hominibus, ſervis, & ancillis, & cum omnibus pertinentiis ſuis, in integrum uſque ad rivum Putri, dum ipſi monaſterio nihilominus detuli, & conceſſi. Inſuper contuli eidem gruptas Heremitarum, a quibus baſilicam ad honorem Dei altiſſimi, & S. Ægydii conſecrare curavi, & cum omnibus ad dictas gruptas pertinentibus adjacentiis, exceptum tantummodo, & pro Firmana eccleſia conſervanda teloneum de ipſo portu Clenti, ut ſolitum eſt partes noſtræ deferre epiſcopi. Conceſſi præterea ipſi jam dicto monaſterio, & Dei fa-

famulis ibidem congregatis, & congregandis ecclesiam S. Laurentii sitam, sive positam in castello civitatis Firmanæ juxta episcopatum, cum casis, terris, vineis, arboribus, libris, campanis, & paramentis, & cum omnibus rebus dictæ ecclesiæ prædictæ pertinentibus, & cum oblationibus vivorum & mortuorum; ut cum abbas, monachi, & familiares dicti monasterii ad nos, sive ad civitatem Firmanam pro aliqua utilitate dicti monasterii accedere voluerint ad dictam ecclesiam, tanquam ad monasterium habeant regressum, & de bonis dictæ ecclesiæ percipiatur, sic ut necesse fuerit ad eorum voluntatem: & curtem sanctæ Resurrectionis in hominibus, & eorum libertatibus, & servitiis, camberiis, vineis, arboribus, mobilibus, stabilibus, cultis, & incultis in integrum, cum ecclesia S. Mariæ de Salliano, cum oblationibus vivorum, & mortuorum, & cum omnibus utensilibus suis, curtem S. Agathæ de Muccillis, cum pertinentiis & adjacentiis suis, & cum oblationibus vivorum & mortuorum. Eodem modo curtem S. Patritii cum pertinentiis suis, servos quoque & ancillas, qui nunc in præfatis locis, vel in villa S. Marii, & cum ipsa ecclesia S. Marii, & cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis, & cum oblationibus vivorum & mortuorum ipsi monasterio dedi, & concessi, ut amodo, & deinceps perpetualiter & perenniter hæreditario more habeat & teneat, & possideat ad usum, & commodum dicti monasterii. Item abbas, qui pro tempore fuerit illic ordinatus, potestatem habeat de rebus a nobis, & regio munere ipsi loco concessis, seu ab aliis hominibus collatis, & concedendis dare, concedere, contracambiare, & commutare de consensu suorum monachorum, cui vult sine contradictione, & cui sibi placuerit. Concedimus etiam eisdem potestatem locandi, & disponendi, & ordinandi suas ecclesias parochiales, quas ipsi loco concessimus, vel quas in futurum habebit, capellanos, sive clericos mittendi, & extrahendi ad eorum voluntatem; & non alicui ex successoribus meis (quod fieri non credo) avaritiæ spiritu instigato, quod absit, durum esse videatur, quod divina favente gratia in Christo famulis ad necessarium usum ex nostra ecclesia concedimus, comperiat quia plurima (Domino annuente) meo certamine, in sancta Firmana ecclesia, vel acquisivi, quamquam eo pro Christi, & ejus vivificæ crucis amore in præfata ecclesia ad usum servorum Dei concessisse curtes de S. Petronella, campum Sanignanum, curtem de Columnella, & de terris quandam partem cujusdam mansus, sodalia, cæteraque quamplurimas in montibus res, quæ idcirco commemorare decrevi, ne aliquis detrahendo authum, & episcopatus mei in aliquorum facere diminutionem, quæ pro animarum studio agere conatus sim. Quod vero abbas, vel monachi in prædicto cœnobio, Sancto mandante Spiritu deinceps custodiatur: immo & nos, & posteri, successoresque nostri debeant adimplere, huic paginæ credimus inferendum. Hoc est, ut de ipsa congregatione, quæ in præfato monasterio sancta debeant celebrare officia, & quæ Abbas poposcerit a nobis, vel successoribus nostris sacros percipiantur gradus, nullum per ipsorum honorem præmium percepturi. Altare in ipso monasterio, vel ubicumque in rebus ipsius monasterii ecclesiarum facere voluerit, vocati ab abbate consecremus, & sanctum chrisma annis singulis voluerit postulare pro reverentia loci sine præmio concedimus, & juxta dispensationem divinam. Cum abbas de ipso almo loco ad Dominum migraverit, quem monachorum congregatio unanimiter eligere, a semetipsis, vel aliunde regulæ compertum, & vitæ mentis congruentem sine quolibet præmio nos, & successores nostri promoveamus abbatem, & abbas vel monachi, qui eo quod ipsum monasterium a Firmana ecclesia subtrahere non valeant, dummodo episcopi, vel clerici Firmanæ ecclesiæ contra prædicta aut hoc decreto inferta non venerint, annis singulis, mense Augusto, denariorum solidos decem nobis, & successoribus nostris reddere debeat, aut eos ponere super altare S. Mariæ sitæ in civitate Firmana potestatem habeant; ita dumtaxat, ut nullam penitus aliorum potestatem in prænominato monasterio, neque in rebus sibi concessis, vel concedendis, neque in villis, seu possessionibus, & rebus aliis a regio munere, vel a nobis collatis, vel deinceps ab aliis conferendis, tam in morte, vel in fine alicujus, quam etiam in vita, nos successoresque nostri episcopi, archidiaconi, seu cæteri ordinatores, aut quælibet persona in nullis rebus mobilibus, & immobilibus, & stabilibus dicti monasterii habere præsumat, ne de hoc, quod a Deo timentibus transmissum fuerit, seu relictum, datum, aut in altare oblatum, aut sacris voluminibus, vel quibuscumque speciebus ad ornatum divini cultus pertineat, ad præsens collata, vel deinceps conferenda fuerint, aliquo modo, vel ingenio extorquere audeat, vel auferre; & nisi rogatus ab abbate ipsius monasterii pro lucranda occasione, nulli liceat adire secreta, aut finium ingredi sepia pro aliqua invasione, vel immutatione ipsius loci, vel rerum suarum facienda, ut si ad eos nullus pontifex pro tempore fuerit, pro lucranda occasione, vel monasterii utilitate ab abbate vocatus accesserit, celebrato, ac peracto misterio simplici, ac sobria benedictione percepta, absque ullo requisito dono, studeat habere ingressum, ut quatenus monachi, qui solitarii nuncupantur, de perfecta quiete, duce Deo, per tempora exaltare, ac sub facta regula .... & beatorum patrum vitam sectari, pro statu ecclesiæ, ex salute regionis, vel patriæ, seu & pro nostra, ac prædecessorum & successorum nostrorum animabus, valeant, & possint Dominum plenius exorare. Et si aliqui ex dictis monachis de eorum religione, tepidi, & otiosi erunt, secundum eorum regulam ab abbate, si prævalet, corrigantur; sin autem temere egerint, & abbati noluerint obedire, regulariter nos, & successores nostri ab abbate vocati secundum qualitatem delicti corrigere debeamus. Si quis autem episcoporum, vel alia quælibet persona (quod Deus avertat) calliditate, aut commoditate commotus, vel præventus, ea quæ sunt supra comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit, a divina ultione prostratus iram summi Dei incurrat, & nisi resipuerit, & emendaverit, anathematis vinculo perpetim feriatur, & insuper componat, & der ipsi monasterio Ambroci libras centum. Et hoc nostrum constitutum, seu decretum perpetuam teneat firmitatem; & monasterium antedictum, sicut ex regularibus rebus initium sumpsit & augmentum, ita deinceps cum rebus suis omnibus habitis, & habendis sub regia maneat potestate, & ab episcopo ultra jura remotum, nihilominus hoc privilegium perpetim maneat incorruptum. Quam institutionem nostram, ut firmis subsistat vigoribus, & nos, & fratres nostri domini episcopi, cæterique meæ ecclesiæ sacerdotes, clerici, & religiosi, laici, nostrisque nominibus subscriptis, decrevimus corroborari, & D. Inquirinum, D. Casoli publicum notarium, publicari jussimus, & complere. Præter-

ANNO CHRISTI 887. Ibid.

ANNO CHRISTI 88

terea nos episcopi inferius subscripti, de Dei misericordia, & benignitate omnibus, qui dictum monasterium de suis bonis dotabunt, & in monasterio præfati cœnobii sui corporis sepulturam elegerint, tertiam partem suorum peccatorum, de quibus veram sumpserint pœnitentiam, misericorditer in Domino relaxamus; offendentes autem, & res, & personas ipsius loci, & non emendantes, maledictionem habeant sempiternam.

Actum est hoc apud dictum monasterium in consecratione ejusdem, D. Carolo Serenissimo imperatore præsente cum multis Principibus, clericis, & laicis mense Septemb. die 14. intrante anno Dom. Incarn. 887. Ind. 5. anno Imperii D. Caroli in Italia 6.

D. Theodosius S. Firmanæ ecclesiæ episcopus consultu venerab. episcoporum in hoc decreto a se divinitus facto, ut perpetualiter validum fore nosceretur, suum nomen fecit subscribi & apponi.

D. Joannes Esculanus episcopus decreto consensit, & suum nomen fecit subscribi, ex suggestione D. Theodosii venerab. S. Firmanæ ecclesiæ episcopi.

Bnolerigus Anconitanus episcopus nomen fecit subscribi, & in præfato decreto consensit.

Celus Camerinensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen fecit subscribi.

Benventus Senogalliensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen fecit subscribi.

Americus Spoletanus episcopus consensit, & suum nomen subscribi fecit.

Romanus Fanensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen subscribi fecit.

Laurentius Pisaurensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen fecit subscribi.

Robertus Humanensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen fecit subscribi.

Debaldus Perusinus episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen subscribi jussit.

Petrus Auximanus episcopus in hoc decreto consensit, & nomen suum subscribi jussit.

Ricardus Reatinus episcopus in hoc decreto consensit, & nomen suum subscribi jussit.

Adolardus Callensis episcopus, in hoc decreto consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Albertus Lodonensis episcopus, in hoc decreto consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Albertus Urbinensis episcopus in hoc decreto consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Severinus Nucerinensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen subscribi fecit.

Bartholomæus Forolivensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen subscribi fecit.

Ruggerius Teramnensis episcopus in hoc decreto consensit, & suum nomen subscribi fecit.

Valerianus presb. & canonicus consensit, & nomen suum fecit subscribi.

Rodegarius presbyt. canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

ANNO CHRISTI 887.

Theobaldus presb. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Rodericus presb. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Joannes presb. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Jonatan presb. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Pertodias presb. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Idprardus presb. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Rolandus diaconus, & Firmanæ ecclesiæ canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Lupus diaconus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Adericus diaconus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Transerus diaconus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Rodilandus diaconus & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Theodoradus subdiac. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Valprandus subdiac. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Albertus subdiac. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Domitius subdiac. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Firmius subdiac. & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Trasmundus acolythus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Treavinus acolythus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Tosso acolythus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Toto acolythus, & canonicus consensit, & nomen suum subscribi fecit.

Hi omnes tam episcopi, & sacerdotes diaconi & subdiaconi, quam etiam acolythi, & religiosi laici voluntate D. Theodosii venerab. ejusdem ecclesiæ episcopi, in hoc decreto consenserunt, sua nomina apponi voluerunt &c.

Albertus Comes
Manseus Comes

Herfebertus guastaldus Trapaldoni in hoc decreto consenserunt, & sua nomina subscribi jusserunt, &c.

Ego Inquilinus D. Caroli invictissimi imperatoris Notarius, ejusque Cameræ custos, mandato D. Theodosii venerab. episcopi, atque omnium venerabilium episcoporum, & canonicorum suprascriptorum rogatus, publicavi, & signavi feliciter, &c.

ANNO CHRISTI 887. 888.

SYNODUS LANDAVENSIS IN ANGLIA

ANNO CHRISTI 887. 888.

De controversia inter regem, & episcopum suum.

ADMONITIO COLLECTORIS.

SYnodos Landavenses plures, vario collectas tempore, hic simul omnes dedit Spelmannus, & ex eo Labbeus, quippe qui ignoraverint quo singulæ anno convenerint. Eodem consilio Cl. VVilkins in novissima conciliorum magnæ Britanniæ, & Hiberniæ editione, alteram, quam ex MS. Landavensi codice nactus est, synodum hic cum prioribus repræsentavit, ex quo nos acceptam exhibemus. Ejus historiam ex synodis præcedentibus, in collectione Labbeana legendis repetas.

Rex

☞ Rex Brochvvil, quem unum esse ex regulis VVal-
liæ regi totius Angliæ subjecti admonet VVilkins,
ANNO CHRISTI 887. 888. res episcopi sui per injuriam invaserat, quam of-
Ibid. fensam propulsaturus episcopus, concilium coegit, in quo rex multæ subjectus est. Hæc in synodo apud Labbeum postrema. In hoc vero judicio idem rex de occupato latifundio quodam ecclesiæ sistitur, & reus repetundarum tenetur.

SYNODUS LANDAVENSIS.

ANNO CHRISTI 887 888.

POst hæc facta est contentio de ecclesia illa, & ejus territorio inter Brochvail, & episcopum Civeilliauc, congregatis omnibus clericis, & omnibus sapientibus, qui erant a Tivi usque Guy, ut judicarent inter episcopum & Brochvail: & vero judicio clericorum totius Synodi ecclesia prædicta, cum tota tellure dirationata est episcopo Civelliauc, & ecclesiæ Landaviæ in perpetuo.

SYNODUS TURONENSIS

Ob Translationem corporis S. Martini congregatæ Anno Christi DCCCLXXXVII.

Ex PPagi ad an. Chr. 887. 1.

DE ea S. Odo Abbas Cluniacensis in Tractatu de reversione B. Martini Turonensis a Burgundia hæc habet: Sancto Martino Turonas ingrediente tota civitas obviam ruit, & ab Adalaudo Archipræsule Turonensi, & fratre ejus Raimone Aurelianensi, & Rainoldo Cenomannensi, & sancto Lupo Andegavensi, & a suffraganeis totius provinciæ Episcopis, ei congratulanter occurritur, & omnis sexus indifferenter desiderato diu Domino suo lætabundus occurrens, lacrymis, quas gaudium extorserat, perfunditur &c. Hæc est igitur B glorioſa solemnisque exceptio, qua Archipræsul Turonensis Martinus ab exilio revertens, ab alumnis suis officiose adeo excipitur, & in propria sede residens, omni petenti se, ut sui moris est, plurimum suffragatur. Hoc exceptionis celebre festum anno ab Incarnatione Domini octingentesimo octogesimo septimo, a transvectione tricesimo primo (*corrige* tricesimo sexto) Id. decembris celebriter agi ab Adalaudo Archiepiscopo Turonensi, & a comprovincialibus Episcopis celebrata synodalis sancivit auctoritas.

Ex Supplem. Mansi pag. 1055.

☞ AD CONCILIUM TURONENSE

Anni, ut Labbeus censet, 912. de celebranda die festa translationis S. Martini

ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

AViris doctis jamdudum animadversum est erraſſe S. Odonem in historia de translatione corporis S. Martini Turonum, cum transvectionem istam usque post tempus, quo Rollo sacris christianis initiatus fuit, differt. Id enim gestum anno 887. constat inter omnes, ut Pagius ad eundem annum num. VI. demonstrat. Cum igitur Turonicum istud concilium occasione translatio- C nis illius coiverit, ex anno 912. quo a Labbeo consignatur, in annum 887. retrahendum est. Qui vero concilio huic interfuerunt, episcopos hos nominat Albericus abbas Triumfontium in chronico ad annum 913. Adalaudus Turonensis, Ranno Aurelianensis, Mammolus Cenomanensis, S. Lupus Andegavensis, Siagrius Eudensis, & Domulus Trecensis.

CONVENTUS IN MONASTERIO

S. MAURICII MARTYRIS IN LOCO AGAUNO,

In quo primores & episcopi Rodolphum Conradi II. filium, regem Burgundiæ Jurensis elegerunt anno Christi DCCCLXXXVIII. electoque coronam imposuerunt.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

IN nostra conciliorum synopsi historica ad annum 888. meminimus celeberrimi conventus episcoporum procerumque Gallorum apud sanctum Mauricium Agaunensem ad Rhodanum fluvium, in quo Rodulfus Conradi junioris filius, & Hugonis abbatis nepos, coronatus fuit rex superioris, sive Transiuranæ Burgundiæ & Alpium Rhæticarum, ut pluribus Regino Prumiensis, Annales Metenses, aliique quos per otium consules. Neque enim quod sciam extant illius electionis ac coronatiònis publica monumenta, ut Mantalense, Valentinum, ac similia quæ suis locis inseruimus. Ne cui vero videamur nostro defuisse muneri, hæc paucis accipe.

REGINO *Prumiensis abbas, qui tum vivebat, hæc* D *in chronico memorat ad annum* DCCCLXXVIII. Per id tempus Rudolfus filius Chunradi, nepos Hugonis abbatis, provinciam inter Juram & Alpes Penninas occupat, & apud sanctum Mauricium accitis secum quibusdam primoribus & nonnullis sacerdotibus, coronam sibi imposuit, regemque se appellare jussit. Post hæc mittit legatos per universum regnum Lotharii, & suasionibus pollicitationibusque, episcoporum ac nobilium virorum mentes in sui favorem demulcet.

ANNO CHRISTI 888.

CONCILIUM MOGUNTIACENSE

OCCASIONE ARNULPHI NOVI REGIS

Et disciplinæ ecclesiasticæ propter incursiones Northmannorum reformandæ anno Dominî DCCCLXXXVIII. celebratum, tempore Stephani papæ V. anno I. regis Arnulphi.

Prælocutio synodi Moguntiacensis.

FRATRES, nosse & animadvertere sanctitatis vestræ prudentiam oportet, quia omnipotentis Dei nutu omnia providentis, & secundum interni consilii sui judicum cuncta dispensantis, hic congregati sumus. Cujus conventus causam perpendere, & diligenti solicitudine considerare debemus. Omnipotens namque Deus occulto dispensationis suæ examine rectores pariterque pastores ecclesiæ suæ præfecit: quam sibi suo sanguine acquisivit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Quæ quot malis oppressa, quot ventis tribulationum illisa, plus jam in nostris tribulationibus videmus, quam in codicibus legimus. Tamen quia causa illius, nostrique insuper officii cura convenimus, tractare & considerare nos condecet, qua ex causa, cujusque peccato talia nobis acciderunt, qualia hactenus passi sumus, & quotidie sine cessatione patimur. Cujus considerationis vim recolentes, nos peccasse, nosque reos esse, secundum prophetæ exemplum profiteamur. Non enim tanta vis tribulationum, neque tot tempestatum impetus ecclesiam Dei impeterent, si juxta alterius prophetæ dictum, ascenderemus ex adverso, & opponeremus nos murum pro domo Israel, ut staremus in prælio in die Domini. Ideoque, carissimi & reverendissimi fratres, ascendat unusquisque nostrum tribunal cordis sui: & quid hic agendum, qualiterve consulendum sit, divina instigante gratia, communi consensu, & concordi caritatis affectu decernamus, & secundum divinæ institutionis normam perscrutemur. Mirum quippe non est, quia omnes in communi peccavimus, talia nobis contigisse. Sed quia nos, qui cæteris ferre ducatum debuimus, nostri officii curam postponentes, ad exteriora dilapsi sumus, specialiter nos hæc causa petit, reosque fore notat, quorum inertia, nobis per abrupta gradientibus, omnis grex divinitus nobis commissus præcipitio patuit. Qua de re, humiliter ac devote præveniamus faciem ejus in confessione; *mundantes nos*, secundum apostolicum dictum, *ab omni inquinamento carnis & spiritus*; patet namque quia juxta veridicæ rationis assertionem, *cæcus cæco ducatum præstans, ambo in foveam cadunt*. Quo enim animo, quave fronte divinam pietatem pro peccatis populi nobis commissi exorare poterimus, quos funibus peccatorum constat fore irretitos? Ecce labentibus tot annorum curriculis, nunquam nec generali, nec etiam provinciali synodo coadunati sumus, ut aliquid dignum necessarium ecclesiæ, cui annuente Deo præsumus, mutuis collationum sermonibus conferremus. Sed quia nunc auxiliante Domino, & imperante serenissimo seniore nostro Arnulpho rege, convenimus, divinam suppliciter imploremus misericordiam, quatenus ea præveniente & sequente conventum & actionem istius synodi sibi acceptabilem facere dignetur, & Christiano proficiente populo ad salutem & vitam perpetuam, nobisque ad æternæ remunerationis felicitatem & gloriam. His vero breviter prælibatis, ponamus ante oculos adhuc peccatorum nostrorum vulnera, & congrua eis quæramus medicamina.

Lugeamus ergo, secundum prophetam, & quæramus capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem lacrymarum, ut plangamus interfectos filiæ populi nostri. Quis enim siccis oculorum luminibus valeat enumerare mala gentis nostræ & sanctorum? Videte & considerate quam præclara nobilia servorum Dei ædificia destructa & incensa sint, & funditus ad nihilum redacta. Altaria detossa, & penitus conculcata, ornamenta ecclesiarum Dei valde pretiosa & mirifica direpta & igni exusta. Episcopi & sacerdotes & cæteri ordinis ecclesiæ viri, gladio truncati, & diversis pœnarum generibus morti addicti. Omnis ætas utriusque sexus, gladio & igne, diverso mortium genere consumpti. Quid ergo amplius his dici possit? Omnia desiderabilia & pretiosa nobis ablata sunt, veluti olim sub comminatione & eversione Judaici templi illis dictum est: *Ecce ego tollam a vobis desiderabile oculorum vestrorum, super quo pavet anima vestra*. Multi ergo nostrum quibus hoc malum contigit, nobilium ædificio templorum, gregique sibi commisso metuebant, quæ omnia ut oculis intuentium patent, ablata sunt & penitus subversa. Cujus subversionis periculum incolæ monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc illucque vagantur incerti: penitusque omni solatio destituti, quid agendum, quove declinandum, errabundi cum periculo suæ professionis, & sine pastore, ignorant. Sed his in terea malis amaricati, & pene usque ad mortem afflicti, aliud e vicino malum nos coangustat & opprimit, quod quanto vicinius, tanto gravius, nobisque, qui pastores dicimur, periculosius. Ecce enim e latere turba raptorum & schismaticorum sævit, qui pauperes & humiles Christi opprimunt & interimunt, neque Dei respectum habentes, nec ullam hominis personam verentes. Ab his namque, si deesset Paganorum sævitia, redigeretur in solitudinem terra: quia nec sexui, nec ætati, neque pauperati parcere sciunt, sed omnes, quos possunt, absque Dei respectu & misericordia despoliant, & crudeliter, sui immemores, aut igne, aut gladio, aut quocumque mortis genere interimunt, hocque nihil putant & parvipendunt. Nec etiam pœnitentiæ colla submittere volunt. Quibus omnibus circumsepti malis, illius apostoli non immemores sumus sententiæ, qua ait: *Foris pugnæ, intus timores*. Unde quia Dei providentia hoc spatium nobis concessum est, quo mutuis frueremur aspectibus, & alternis relevaremur collationibus, quid de his & cæteris rebus emendatione dignis agendum sit, decernere studeamus,

Jerem. 9. Dicit de Northmannorum populationibus.

Ezech. 24.

2. Cor. 7.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut fiant orationes pro rege.*
II. *De officio regis.*
III. *Quid sit proprie ministerium regis.*
IV. *In synodo Toletana, ut ecclesiæ cum rebus ad ordinationem episcopi pertineant, præcipitur.*
V. *Ne presbyteri sine consensu episcoporum per ecclesias constituantur, vel ab eis reiiciantur*
VI. *Ut nullus ecclesiasticas res invadere præsumat.*
VII. *De*

VII. *De varia vexatione ſacerdotum.*
ANNO CHRISTI 888. VIII. *Decretum in nonnullos qui ſacerdoti Virtzburgenſi nares capilloſque abſciderant, verberibuſque male affecerant.*
IX. *Ubi Miſſarum ſolemnia peragi liceat.*
X. *De mulieribus, quod in domo clericorum ſimul cum clericis non debeant habitare.*
XI. *Ne invadantur prædia eccleſiæ.*
XII. *Quot teſtibus clerici convinci debeant.*
XIII. *De decimis ab antiquis eccleſiis non ſubtrahendis, & ut antiquæ eccleſiæ honorem ſuum habeant.*
XIV. *Quod nullus epiſcopus alterius parochianum præſumat retinere aut ordinare.*
XV. *Item de eodem.*
XVI. *De his qui ſacerdotem ſponte occiderint.*
XVII. *De decimis dandis.*
XVIII. *De quodam Altmano, qui ſibi commatrem ſpiritualem in conjugium habet ſociatam.*
XIX. *De presbyteris, qui crimine fornicationis, ſive aliquo capitali flagitio accuſantur, & non habent collegas, cum quibus ſe excuſare poſſint; aut ſi forte lapſi fuerint, quomodo ſatisfaciant.*
XX. *De precariis injuſte & irrationabiliter factis.*
XXI. *De his qui in eccleſiis ſeu atriis eccleſiæ rixas moverint, & mutuo inter ſe confligunt.*
XXII. *De his qui decimas ſuas dare nolunt aut injuſte ſubtrahunt.*
XXIII. *De viris & fœminis ſi adulterii reatu, ſive alicujus flagittii crimine accuſati fuerint, qualiter purgari debeant.*
XXIV. *De pace fruenda.*
XXV. *De præpoſitis & proviſoribus monaſteriorum.*
XXVI. *De viduis velandis.*

ANNO incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo octogeſimo octavo, anno etiam primo regni domini Arnulphi glorioſiſſimi regis, hæc capitula apud Moguntiam civitatem a Luitberto ejuſdem civitatis archiepiſcopo, necnon & a VVilliberto ſacræ ſedis Colonienſis, ſeu etiam Ratbodo Trevirenſis eccleſiæ venerabilibus archiepiſcopis, cum ſuis ſuffraganeis, cæteraque non modica multitudine, abbatum ſcilicet & aliorum ſacerdotum, tenenda, obſervanda, ac firmiter habenda conſtituta ſunt.

CAPITULA

I.

Statuimus, ut oratio ab omnibus nobis tam pro glorioſo rege Arnulpho, ceu etiam & pro glorioſa conjuge ſua, necnon & pro ſtatu totius Chriſtianitatis, prout nos debitores eſſe cognoſcimus, in eccleſiis noſtris aſſidue celebretur.

II.

Iſidori ſunt hæc.

Ut annuncietur glorioſo regi noſtro domino Arnulpho, quid ſit rex, quidve vocari debeat: Rex a recte regendo vocatur. Si enim pie & juſte & miſericorditer regit, merito rex appellatur; ſi his caruerit, non rex, ſed tyrannus eſt. Antiqui autem, omnes reges tyrannos vocabant. Sed poſtea pie & juſte & miſericorditer regentes, regis nomen adepti: impie vero, injuſte, crudeliterque principantibus, non regis, ſed tyrannicum aptatum eſt nomen. Quia rex a regendo dicitur, primo ei ſtudendum eſt, ut ſemetipſum, ſuamque domum, Chriſti adjuvante gratia, ab operibus nequam emaculet, boniſque operibus exuberare faciat, ut ab eo cæteri bonum exemplum ſemper capiant. Ipſe & ſalutiferis Chriſti præceptis fideliter atque obedienter obſecundet, & recte agendo, eos quibus temporaliter imperat, in pace & concordia atque caritate, cæterorumque bonorum operum exhibitione, quantum ſibi divinitus datur, conſiſtere faciat, & dictis atque exemplis ad opus pietatis & juſtitiæ & miſericordiæ ſolerter excitet, attendens quod pro his Deo rationem redditurus ſit, quatenus ita agendo, ſanctorum regum, qui Deo ſincere ſerviendo placuerunt, poſt hanc peregrinationem conſors efficiatur. De rege autem, qualis eſſe debeat, ita in Deuteronomio legitur: *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes; eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Deut. Et poſt pauca: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus: neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a ſacerdotibus Leviticæ tribus, habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec extollatur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnent ipſe & filii ejus ſuper Iſrael.* Ibid. Attende, quod timor Dei, & cuſtodia præceptorum ejus, & humilitas, quæ non patitur eum extolli ſuper fratres ſuos, & juſtitiæ rectitudo, non ſolum regem, ſed & filios ejus longo faciat regnare tempore. Ut ergo princeps extollentiam cavere debeat, eccleſiaſticus admonens ait: *Principem te conſtituerunt? noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex illis.* Eccli. 32. In Proverbiis: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Prov. 29. Item: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus.* Prov. 20. Iſidorus: qui recte utitur poteſtate regni, ita præſtare ſe omnibus debet, quanto magis honoris celſitudine claret, tanto ſemetipſum mente humiliet, proponens ſibi exemplum humilitatis David, qui de ſuis meritis non tumuit, ſed humiliter ſeſe dejiciens, dixit: *Vilis incedam, & vilis apparebo ante Deum qui elegit me.* 2. Reg. 6. Fulgentius in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ: Clementiſſimus quoque imperator non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem

ter-

reni principatus accepit : sed si imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat : si magis in timore Deo servire, quam in tumore dominari populo delectetur : si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem : si se magis diligendum, quam metuendum cunctis exhibeat : si subiectis salubriter consulat : si justitiam sic teneat, ut misericordiam non derelinquat : si præ omnibus ita se sanctæ matris ecclesiæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum, prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

III.

Regale ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, & ut pacem & concordiam habeant, studere. Ipse enim primo debet defensor esse ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, in quantum possibile est, esse debet, primo ut nulla injustitia fiat : deinde si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi sive audaciam male agendi cuiquam relinquat. Sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem, erit & modus justæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad judicia recta peragenda, ut ipse per se provideat & perquirat, ne in judicio aliquis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod causa, quam juxta ministerium sibi commissum administrat, non hominum, sed Dei causa existit, cui pro ministerio, quod suscepit, in die tremendi examinis rationem redditurus est. Et ideo oportet, ut ipse, qui judex est judicum, causas pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt, & vices ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Plura igitur sunt ex auctoritate sanctarum scripturarum de ministerio regis quæ scribere potuimus : sed ne onerosa glorioso principi nostro hæc admonitio nostra existat, hæc perpauca scripta sufficiant.

IV.

Multi contra Canonum constituta, sic ecclesias, quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futurum prohibetur. Sed & omnia, secundum constitutionem antiquam, ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant. ANNO CHRISTI 888.

V.

Quicumque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur : quoniam contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit. Quod vitium late diffusum, summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur clericis sive laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia & consensu episcopi sui. Turonense concilium tempore Caroli c. 9.

VI.

Ne cui liceat res vel facultates ecclesiis aut monasteriis, vel xenodochiis, pro quacumque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quisquis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum sententiis constrictus, ab ecclesiæ liminibus excludatur, donec ab ipso quæ sunt ablata vel retenta reddantur. Ex eodem concilio capite * quindecimo : Si quis quolibet tempore, cujuslibet potestatis aut ordinis persona, contra institutionem sancti concilii venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine, vel facultate xenodochiorum vel ecclesiarum abstulerit, (quod Deus avertat) ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur. Aurelian concil. V. c. 25. vel 19. Aurelianense Concilium V. can. 16. * *Pro*, quindecimo. *Harduinus*.

VII.

Relatum est sanctæ synodo, quod a malis Christianis plurimæ vexationes sacerdotibus Christi, seu cæteris clericis inferioris gradus, sæpissime inferantur. Unde visum est sancto concilio, ne inantea talia existant, jaculo spiritali eos percutere, ut si quis clerico aliquam injuriam, seu calumniam ingesserit, a liminibus sanctæ ecclesiæ arceatur usque ad condignam satisfactionem.

VIII.

Ad aures sanctæ synodi Arno venerabilis Vvirtzburgensis ecclesiæ * se reclamavit, quod quidam scelesti quemdam honorabilem presbyterum suum comprehendissent, eique nares abscidissent, & capillos capitis incidissent, nec non & sævis verberibus cruciatum semivivum reliquerant. Unde tanto scelere inaudito peracto, sancta synodus visceribus misericordiæ erga eumdem commota, statuit communi consensu, ut iidem temerarii, Deique contemptores, qui tale scelus ausi sunt perpetrare, anathematis vinculo constringantur, quousque a proprio episcopo post dignam pœni- * *f. deest* episcopus.

ANNO CHRISTI 888.

tentiam absoluti sanctæ matri ecclesiæ sociari mereantur, nullusque cum eis in aliquo communicet, nisi in hoc, ut eos ad dignam satisfactionem peragendam hortetur. Si quis autem post hanc sententiam a nobis prolatam, sciens cum eis communicaverit, uno eodemque mucrone cum ipsis sciat se a nobis esse percussum.

IX.

De consecr. dist. 1. Missarum solemnia, &c. concedimus.

Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, ut sicubi (quod nostris exigentibus culpis perplurimum est factum a Northmannis, seu alio qualicumque modo) ecclesiæ fuerint incensæ, in capellis Missas interim liceat celebrare, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis, si ecclesia defuerit, sub divo, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt, Missarum solemnia celebrari permittimus.

X.

Ut clericis interdicatur, mulieres in domo sua habere, omnimodis decernimus. Quamvis enim sacri canones quasdam personas fœminarum simul cum clericis in una domo habitare permittant: tamen, quod multum dolendum est, sæpe audivimus, per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita ut quidam sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes, filios ex eis generassent. Et idcirco constituit hæc sancta synodus, ut nullus presbyter ullam fœminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis vel facti iniqui penitus auferatur.

XI.

Urbani papæ I. in epist. & in decretis 27 q. 2. Attendendum.

Attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum cælestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, & infernali carceri tradatur, aut exilii perpetua deportatione feriatur: quoniam juxta apostolum, oportet hujusmodi hominem tradere satanæ, ut spiritus salvus fiat in die Domini,

1. Cor. 5.

XII.

Rom. concilium sub Silvestro papa, in decret. 2. q 7. Nullus laicus.

Presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non condemnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus: neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum.* Presbyter autem in cardine constitutus, nonnisi in quadraginta duobus testibus damnabitur: diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, nonnisi in vigintisex condemnabitur: subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes.

XIII.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

XIV.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare, quia sicut ejus irrita erit ordinario, ita & judicatio; quoniam censemus alterius nullum judicis, nisi sui, sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus potest.

XV.

Si quis episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius parochianum sine consensu, & voluntate sui episcopi, oportet non sine increpatione in communi concilio admitti, ita ut ecclesiasticum ultra non solvat canonem.

XVI.

Qui sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Jejunet autem usque ad vesperam, exceptis diebus festis atque dominicis. Arma non sumat, & ubicumque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrarum orationum officia, aut missarum solemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret, orans ac deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus ingrediatur ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel dum facultas conceditur, fedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

XVII.

Admonemus atque præcipimus, ut decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse dari sibi constituit. Timendum est enim, quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua.

Qui

Qui vero decimas post crebras admoniA tiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur.

XVIII.

Perlatum est ad nos, quod quidam Altmannus nomine, sibi commatrem spiritualem, ex parochia Arnonis episcopi, scelesto conjugio associasset: sed postea per sacramenta ab ea separatus, modo iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam. Quem, quia tale scelus perpetratum habere audivimus, secundum constitutionem sancti Gregorii papæ, gladio spirituali percutimus, eumque anathematiB vinculo innodamus.

XIX.

De presbyteris, qui crimine fornicationis sive aliquo capitali flagitio accusantur: & non habent collegas cum quibus se excusare possint: aut si forte lapsi fuerint, quomodo satisfaciant: in quorum judicio, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est: sed regia via gradiendum. In concilio Neocæsareensi capite primo scriptum est: Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraveC rit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Item in concilio Carthaginensi, capitulo vicesimoquinto scriptum est: Aurelius episcopus dixit: Præterea cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referatur, placuit, quod & in diversis conciliis firmatum est, ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & diaconi & presbyteri, sed & episcopi, secundum priorum statuta, etiam ab uxoribus se abstineant, ut tanquam non habentes esse videantur. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio.D Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.

XX.

De precariis injuste & irrationabiliter factis, easque cum vi & sine nostræ voluntatis consensu habere volunt, sicut in Remensi concilio statutum est capite trigesimoseptimo. Si quilibet hominum res ecclesiæ per mendacia vel mala ingenia in precariam sibi acquirere voluerit, & post factas precarias eadem mendacia ad aures ejusdem ecclesiæ rectoris delata fuerint, E ipsa ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstractæ fuerunt, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille vero, qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

XXI.

De his qui in ecclesiis seu atriis ecclesiæ rixas moverint, & mutuo inter se confligunt, ex concilio Moguntiacensi tempore Caroli capite vigesimoquarto, præcipimus, ut in ecclesiis sive atriis ecclesiarum vel domibus, placita sæcularia minime fiant, quanto minus rixæ & contentiones? Item capitulo trigesimonono: De honore ecclesiarum, & his qui ad ecclesias confugiunt, & quod ecclesia cum magna reverentia adeunda sit, sicut in capitulari dominico continetur, & in Moguntiacensi, & Turonensi, ac Arelatensi, tempore glorioši imperatoris Caroli conventibus decretum est. Turon. & Arelatense concilium tempore Caroli M.

ANNO CHRISTI 888.

XXII.

De his qui decimas suas dare nolunt, & injuste subtrahunt, ita ut qui quinque aut eo amplius aratra habuerint, juxta æstimationem unius aratri persolvant: & qui hæreditatem ecclesiæ nostræ sibi vindicant: & de servis, qui decimas, dominis consentientibus, dare nolunt, concilio Arelatensi capitulo 9. scriptum est: Ut unusquisque de propriis laboribus suis decimas & primitias Deo offerat: sicut scriptum est: *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo*. Ubi nec liber, nec servus excipitur, qui omnes unum sumus C in Christo, apud quem nulla habetur personarum acceptio. Item in concilio Arelatensi, capitulo vigesimo: Ut ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla alia possessione priventur. Arelat. c. 9. Exod. 22. Arelat. c. 20

XXIII.

Multi sunt, qui secundum humanas leges divina spernentes judicia, testes ac conjuratores sibimet producere volunt. Quos minime admittentes, sicut unum confitemur Deum, unam fidem, unum baptisma, ita etiam una per totum mundum ecclesia uniformiter pari lege & simili religione excolenda est. Itaque decernimus, ut juxta divinæ legis sanctionem, & secundum ipsius sedem civitatis, in qua ratio ventilatur, unaquæque gens, & cuncta adjacens parochia subjaceat, ita ut auctoritate episcopi, aut judicii examine, aut sacramenti protestatione se expurget. Et non minus quam quatuordecim annos ætatis habeat, qui ad testimonium admittendus est secundum censuram canonicæ institutionis, sicut in Africano concilio capite nonagesimo octavo scriptum est: Testes ad testimonium non admittendos, qui nec ad acculationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur. Concilium Africanum c. 98.

XXIV.

Decrevimus etiam, ut pacis bonum & concordiæ ab omnibus indisrupte teneatur: quia si inter nos fideles, ut in capitularibus domini Caroli legitur, pax & concordia habenda est, dicente apostolo: Arelatense concilium tempore Caroli M. c. 12. Sententialiter, Cabilonense concil. tempore

ANNO CHRISTI 888. Caroli M. c. 20. In forma. Hebr. 12.

Pacem ſequimini & ſanctitatem, ſine quæ nemo videbit Deum: multo magis inter epiſcopos & comites eſſe debet, qui poſt imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter ſe concordare debent, ut alterutrum ſibi ad Dei ſervitium peragendum, & miniſterium ſuum explendum, non ſolum non noceant, quin potius adminiculo ſint. Comitibus quippe & judicibus, reliquoque populo expedit, ut in Turonenſi concilio legimus temporibus præfati principis acto, ut ſuis ſint epiſcopis conſentientes & obedientes, propter Dei amorem, & ſemper ab eis utile quærant conſilium, illorumque ſalubria non ſpernant monita, ſed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & epiſcopi prædictas perſonas ſimiliter ſuſcipiant, honorificeque erga eas in omnibus agant, & ſic ſeſe mutuis ſtudeant ſublevare conſolationibus.

Turonenſe concilium tempore Caroli c. 33.

XXV.

Cabilonenſe concilium tempore Caroli c. 52. & 54.

De monaſteriis clericorum, monachorum, atque puellarum, quæ clericis ſive laicis beneficii jure donata ſunt, placuit ut tales eis præficiant proviſores & præpoſitos, ſicut in Cabilonenſi concilio ſcriptum eſt, qui & præeſſe noverint & prodeſſe, & qui ad epiſcopum recurrant, & ſecundum ejus ordinationem ad conventum ſynodi occurrant, & commiſſum ſibi gregem canonice & cum magna religione cuſtodiant, quaſi rationem de animabus eorum reddituri.

XXVI.

De viduis præcipimus, ut nequaquam cito velentur, ſed in poteſtate earum maneat, conſentiente epiſcopo, utrum nubant, an profeſſionem caſtitatis aſſumant, uſque dum probetur earum converſatio, ne forte de eiſdem dici poſſit, quod ab apoſtolo dicitur: *Quæ autem in deliciis ſunt, viventes mortuæ ſunt*. Si autem propoſitum caſtitatis aſſumpſerint, aut monaſterii clauſtris regulariter conſtringantur, aut domi manentes caſtitatem ſuæ profeſſionis integerrime cuſtodiant. Quod ſi a propoſito deviaverint, canonicæ inſtitutionis cenſura corrigantur. Quod & de virginibus, ſi mœchatæ fuerint, ſtatuimus, ſicut in concilio Eliberitano capite decimotertio ſcriptum eſt: Virgines quæ ſe Deo dedicaverunt, ſi pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint, non intelligentes quid amiſerint; placuit, nec in fine dandam eis eſſe communionem. Quod ſi ſemel perſuaſæ, ad infirmi corporis vitia * lapſæ, toto tempore vitæ ſuæ ejuſmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abſtineant ſe a coitu, placuit eas in fine communione accipere debere.

1. Tim. 5.

* lapſus vitiatæ.

Nota Severini Binii.

In hac ſynodo hoc unum in primis obſervatu dignum eſt: quod ſicut hic, ita etiam apud omnes alios ſcriptores antiquos, Arnulphus non imperator, ſed rex dumtaxat nominatus reperiatur; eo quod nefas eſſet imperatoris nomen aſſumere, niſi illud a ſede apoſtolica prius collatum eſſet. Quamobrem perperam agere convincuntur, qui ſtatim poſt obitum Caroli Arnulphum tanquam hæredem imperii imperatorem nominant. Hanc ſynodum propter infelicem ſtatum eccleſiarum Germanicarum congregatam eſſe, indicant patres in præfatione hujus ſynodi; cumque tribus prioribus canonibus Arnulphus rex inſtruatur & admoneatur quomodo ſe in regimine regni bene diſponendo gerere debeat, patet novam regis Arnulphi electionem huic ſynodo congregandæ occaſionem aliquam præbuiſſe. De Luitberto archiepiſcopo qui concilio præfuit, de ejuſque rebus præclare geſtis, plurima ſcribit Serarius libro quarto hiſtoriæ Moguntinæ.

Observatio PP. Martene et Durand

Ex Præfat. in ampliſs. Collectionis Veterum Scriptorum Tom. I.

Anno 888. celebrata fuit Moguntiæ Synodus, tempore Arnulphi imperatoris, cujus quidem canones protulere doctiſſimi Soc. Jeſu editores: at de numero, & nomine Epiſcoporum illam celebrantium altum apud eos ſilentium. Verum ex diplomate Friderici Colonienſis Archiep. pro Corbejæ novæ Monaſterio hic edito p. 661. diſcimus Præſules ſaltem 19. cum vigeſimo Williberto archiep. Colonienſi huic concilio interfuiſſe; quorum omnium nomina profert ſolemne decretum, quo ſua Corbejenſi & Herivordenſi Monaſteriis privilegia aſſeruntur, relatum in annalibus Paderbornenſibus hoc ordine: Fulco Remenſis, Willibertus Agrippinenſis, Thiadmorus Salzburgenſis, Rabbodo Trevirenſis, Joannes Rothomagenſis archiepiſc. Hildegrimus Alberſtadenſis Epiſcopus, Adalgarius Hamaburgenſis archiepiſcopus, Arn Virtzburgenſis, Liavvardus Vercellenſis, Rodbertus Metenſis, Adalelmus Vurmatienſis, Godefridus Spirenſis, Wicbertus Hildenesheimenſis, Der. Virdunenſis, Dodilo Cameracenſis, Honoratus Belvacenſis, Herdilo Noviomagenſis, Beltramnus Stratzburgenſis, Waldo Friſingenſis, Thiadulfus Curacenſis Epiſcopi.

Eo in Concilio præter 26. canones, qui editi ſunt, auditæ fuerunt duorum Saxonicorum antiſtitum querelæ, Osnabrugenſis & Paderbornenſis, teſtante Analiſta Paderbornenſi. Osnabrugenſis querebatur ſublatas Eccleſiæ ſuæ decimas, quas Cobbo ob debitum Goſvvini Epiſcopi averterat ad Corbejenſe & Herivordenſe cœnobia. Biſo Paderbonenſis recens, ordinatus Epiſcopus cauſabatur ſubtracta ſuæ eſſe juriſdictioni eadem cœnobia, quorum immunitates, ſive, ut vulgari ſermone utar, exemtionis jura eo excreverant, ut poteſtati Epiſcopali, vel in ordinatione horum Monaſteriorum, vel in Eccleſias monaſteriis ſubjectas, vel in Sacerdotes & clericos earumdem Eccleſiarum relinqueretur nihil, præter facultatem ordinandi ſacros miniſtros, templa & altaria conſecrandi, conficiendi chriſma, ſacramentumque confirmationis impertiendi. Utraquo cauſa diu multumque agitata. Biſo cauſa cecidit, judicatumque eſt ſecundum Corbejenſes, & Herivordenſes, edito ſolemni decreto, quo utrique monaſterio ſua confirmata eſt immunitas 20. antiſtum chirographo. Osnabrugenſis cauſam indeciſam remanſiſſe, remque affectam magis, quam confectam ſcribit prædictus Annaliſta Paderbornenſis, donec tandem Arnulfus Imp. an. 895. in Wormatienſibus comitiis, lite abrupta, Osnabrugenſibus decimas reddi juberet. Unde id acceperit vir eruditus non tradit, ſed nec ullam affert auctoritatem, qua id comprobari valeat. Nos vero haud abſimile exiſtimamus, quæſtionem de decimis agitatam aliquo eccleſiaſtico judicio terminatam fuiſſe in concilio Moguntino; ſi quod vero diverſum in comitiis Wormatienſibus decretum fuit, ſervatum non eſſe. Primum probat Williberti archiep. Colonienſis privilegium 19. Epiſcoporum chirographo ſubſcriptum, quo decimæ in Epiſcopatu Colonienſi hactenus poſſeſſæ aſſeruntur Corbejenſibus: quod privilegium ſubſequentes archiepiſcopi ratum habuere, ac noviſſime anno 1120. Fridericus, qui viſo concilii Moguntini decreto anteceſſorum ſuorum ſubſcriptionibus roborato, eidem aſſenſit, uti videre eſt in ipſius diplomate a nobis edito pag. 661. Probabile autem videtur aliis ejuſdem concilii Præſules ad inſtar Williberti decimas in ſuis diœceſibus voluiſſe ratas perpetuaſque eſſe Monachis Corbejenſibus. Quod autem ſtatuta in Comitiis Wormatienſibus de reddendis Osnabrugenſi Eccleſiæ decimis, ſi tamen quid ſtatutum ea de re fuerit, nullum ſortita fuerint

Arnulphus an fuit perat.

Cauſa concilii ha

rint effectum, constat ex Friderici Imp. ad capitulum Osnabrugense Epistola, quæ inter Willibaldi abbatis Epistolas est 44). Ex ea quippe discimus, decimas illas Osnabrugenses Corbejensibus Monachis solutas semper fuisse ad usque tempora Henrici IV. Imp. qui cum sedi Apostolicæ bellum indixisset atrocissimum, videretque Corbejenses Monachos legitimo Christi Vicario, spreto Antipapa, adhærere, *pro quadam indignatione* faventi sibi Episcopo Osnabrugensi decimas illas concessit. ANNO CHRISTI 888.

AD CONCILIUM MOGUNTINUM

OCCASIONE ARNULPHI NOVI REGIS

Anno 888. celebratum

ADDITIO.

VEnetus Labbei editor episcoporum, qui concilio huic adfuerunt, nomina ex Martene Veter. Monum. tom. I. col. 661. recitat. Scriptor vero ille hæc accepit ex charta privilegii in ea synodo lati pro Corbejensibus & Herivordiensibus monachis. Privilegium vero illud neuter recitat, quanquam ipsum referre ad editorem Venetum maxime spectabat, cum gestorum ejus concilii pars sit. Supplendus est igitur mihi defectus, integrum privilegium afferendo, quod ex Mabillonii annalib. Benedictinis tom. III. in appendice num. XXXI. repræsento: Juvat tamen prius mensem, quo concilium hoc haberi potuit, a me in adnotationibus ad Pagium ad A. 888. num. XI. investigatum, hic indicare. Ita vero ego ibidem. Interfuit concilio Hadalgarius Hamburgensis, qui successit in episcopatu S. Remberto, idemque anno eodem, quo habitum est concil. 888. die XI. Junii decesserat, ut Bollandistæ ad diem V. Februarii adstruunt. Fit inde ut concilium hoc citius quam labente Junio haberi minime potuerit.

DECRETUM SYNODI MOGUNTINÆ

De libertate monasteriorum Corbejæ-novæ & Herifordensis.

COnvenit episcopali auctoritati pie solliciteque semper cogitare, quatenus ita ecclesiarum Dei sollicitudinem habeant, ut sacris locis, in quibus jugi Deus famulantium sedulitate placatur, opportuna conferre suffragia non detrectent. Unde ego Liudbertus, licet indignus, Mogontiacensis archiepiscopus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ suggero, quia venerabilis frater noster Bovo abbas monasterii, quod vocatur Nova-Corbeja, attulit nobis quamplurima chirographa gloriosissimorum principum ad confirmationem privilegiorum ejusdem monasterii promulgata, inter quæ proxime ei collatum, communiter & ipsius, & Herivordensis monasterii statum confirmabat, datum scilicet a glorioso rege Arnulfo his ipsis diebus noviter ad regnum provecto. Super hæc etiam chartas duas ostendit Romanorum pontificum, Adriani, atque Stephani, in ipsis chartis concedentium, ut in tuitione sanctæ sedis Apostolicæ præfatum Novæ-Corbejæ monasterium perpetualiter haberetur, simulque apostolica auctoritate decernentium, ut idem monasterium plenissimam habeat immunitatem ab omnibus quoquo modo foris, vel intus monasterium in res ad illud pertinentes sese præter voluntatem abbatum loci ipsius permiscere cupientibus. His igitur omnibus apud nos relictis, * petiit præfatus venerabilis abbas, quo & ea, quæ sacris litteris piissimorum principum confirmata fuerant, nostra quoque auctoritate roboraremus, & his, quæ ab Apostolica sede decreta sunt, nostræ subscriptionis cartulam adjungeremus. Nos itaque considerantes religiosam ejus esse petitionem, pastoralisque esse officii servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere, decernimus, ut præfata duo monasteria, Corbejense videlicet monachorum, atque Herisordiense sanctimonialium, de omnibus rebus, quæ vel in communi supra memorati principis charta, vel specialibus aliorum principum præceptis confirmata eis esse noscuntur, nihilominus talem ex ecclesiastica, & episcopali sanctione obtineat firmitatem, ut nihil habeant, unde se tueri possent, quicumque sibi promittunt hæc aliquo modo se posse immutare vel infringere. Habeant igitur præfata monasteria rerum suarum liberam in omnibus disponendi regulariter potestatem, ut quæcumque eisdem monasteriis in auro, vel argento, in agris, & famulis, seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in dispositione maneant eorum, qui eisdem locis prælati sunt, ut quidquid secundum Dei timorem regulariter, & canonice disposuerint ad ecclesiæ ipsius utilitatem, liberam in omnibus cum consilio fratrum, sororumve faciendi habeant potestatem. Et ut plenius prosequamur, quod sanctos apostolicos jam dictos intendisse sentimus, atque ante eos beatum Gregorium, atque reverendæ memoriæ Nicolaum sanxisse de statibus monasteriorum invenimus, nos humiliter tantis auctoritatibus subscribendo, confirmamus: ut nullus episcopus Paderbrunnensis aliquam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem; neque vel in his qui regiminis locum tenent, vel in ipsis congregationibus, aut in ipsis cœnobiis potestatem obtineat; neque ipsorum dominatione potietur ulla, neque in clericis, neque in famulis, & in omnibus, quæcumque ad monasteria ipsa videntur habere possessionis respectum, sicut ab omnibus eis hactenus servatum, & consensum est episcopis, in quorum parochiis res eorumdem monasteriorum conjacere videntur. Nec ad ipsa monasteria, vel cellas eorumdem, vel ipse per se episcopus vel œconomus ejus, vel archipresbyter, aut archidiaconus illius, seu quælibet ex ejus agentibus persona potestatem habeat accedendi; nisi forte necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit; ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquietudine sacris locis fiat molestia, neque in ecclesiis præfatis monasteriis subjectis, vel in presbyteris eisdem ecclesiis ordinatis aliquam tentet facere perturbationem, novam constituendo, & antiquam constitutionem violando; sed sicut regulariter canonice disposita sunt, & longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa. Ordinationes, quæ contrariæ non fuerint ipsis monasteriis,

agere

agere non differat. Altaris quoque, & basilicarum benedictiones, sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipsis monasteriis, vel in agris eorum libenter concedat. Chrisma quoque, oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat, & pro his omnibus nullum munus exigat, ne Spiritus Sancti gratiam vendere conatus, Simonis, quod absit, damnationem incurrat. Hoc constitutum non solum Paderbrunnensem, verum etiam omnium locorum episcopos, ubicumque præfata monasteria, vel ecclesias, vel agros, vel familias habere noscuntur, observare sine cunctatione, seu contradictione oportet; ut nullus potestatis jure rebus eorumdem monasteriorum abutatur; sed maneant omnia in potestate eis Prælatorum, & regulari dispositione quæcumque, ut diximus, vel in agris, vel in familiis, vel in decimis eis constant esse collata; sicut & apostolica, & imperialia præcepta, partim simul, partim singillatim eis confirmaverunt. Abbatem vero, vel abbatissam in his locis eligendi semper habeant potestatem, & eam personam eligant, quæ propositum conversationis in utrolibet monasterio, & moribus, & habitu profiteatur; non canonicum, aut laicum, neque alterius monasterii monachum; in quo specialiter nos audire dignetur regia dominatio, ut nullam eisdem monasteriis præponant personam, quæ non ab ipsis congregationibus fuerit regulariter electa. Debent enim mundi principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari a Deo, videlicet, ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet, neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant, & quod de republica sua retribuere debent, reddere velint de his, quæ collata sunt Deo. Qua de re noverit clementia, vel nunc consistentium, vel successionis jure omnium futurorum principum a sede apostolica sancitum, nostraque subscriptione roboratum, necnon & antecedentium regum præceptis cautum, ut prædictis monasteriis nullas præficiant personas de quocumque ordine, nisi quæ per electionem probabilem sumatur. Quia vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, & necesse est semper adversarii tela clypeo protectionis repellere: quod apostolica decrevit auctoritas nos quoque approbamus, ut qui ordinati fuerint ad regimen sæpe dictorum monasteriorum, nulla potestate prævalente dejiciantur, nisi criminis causa fuerint deprehensi, cujus merito rectorum non debeant administrare officia. Infamiæ vero maculis, sive criminis alicujus denotatione si fuerint appetiti, non præter canonicam & regularem deponantur examinationem. Si quis ergo apostolicæ sedis decretum, cui nos hanc confirmationis cartulam veneranter subscripsimus, contempserit, proculdubio damnationis censuram suscipiet, quam credimus divino spiritu per apostolicam linguam prolatam. Nos igitur nostram subscriptionem anuli nostri impressione signantes, obsecramus fratres, & coepiscopos nostros omnes, in quorum manus ista devenerint, ut sua etiam auctoritate, & subscriptione hæc confirmare velint: ut quicumque hæc temerare præsumpserit, generalitatis nostræ sententiis ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, de cujus favore sibi blandiatur, aut se tueri posse putet a sententia damnationis. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ quietis inveniant. Et quia apostolicæ auctoritati subscribentes ista edidimus, justum est, ut illam sacram sedem etiam in hoc honoremus, ut appellationes ad eam fieri liceat a prædictis locis cum necessitas fuerit: eo videlicet tenore, ut si hoc constitutum ab aliquo fuerit prævaricatum, Metropolitanus eorum episcopus, quo ego nunc licet indignus fungor officio, personam hujus sanctionis violatricem conveniant, & hujus nostri decreti testificationem innotescat: utque ab eo, quod prave gessit, recedere non meretur, ex communi omnium episcoporum auctoritate contestetur: at si ille contumaciter in sui facti perpetratione perstiterit, licentia eis sit Romanam, apostolicamque sedem adire, & necessitatis suæ causas ante Papam, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, ut per eum a prædicta causa reus justæ damnationis sententia multetur.

ANNO CHRISTI 888. Ibid.

Folco munere divino metropolitanus ecclesiæ Remensis episcopus, tenorem hujus sanctionis perlegens, & diligenter pertractans, in omnibus eam probandam, & corroborandam esse judicavi, tam propter antiquum jus monasteriorum, etiam his cœnobiis conservandum, quam ad præcavendas nihilominus molestias hic summatim prohibitas, quæ modernis temporibus contra sacra monasteria per quosdam episcopos recenter ordinatos, nec non etiam per quorumdam laicorum infestationem grassari cœperunt; ad quas inhibendas, rationabilis ordo servatus est, ut & glorioforum principum hic concessiones, & pontificum Romanorum privilegia, & archiepiscoporum ejusdem monasterii his omnibus astipulatio, & ut cæteri velint episcopi assensum præbere, nequaquam spernenda, hic contineatur petitio; cujus gratia illectus simul, & præsentialiter ab eodem venerabili archiepiscopo Liudberto, necnon a Bovone religioso ejusdem monasterii abbate rogatus, hoc decretum episcopali auctoritate ratum esse decernens, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confirmavi, & subscripsi.

Vvilliberthus Aggripinensis ecclesiæ archiepiscopus huic decreto meæ mediocritatis recitato attestationem, & assensum præbens, quod necessario ac rite promulgandum sit, sub attestatione nominis Domini nostri illud confirmavi & subscripsi. Thiadmarus ecclesiæ Salzburgensis archiepiscopus huic decreto consensi, & subscripsi. Radbodo Trevirensis archiepiscopus approbavi & subscripsi. Joannes Rotomagensis archiepiscopus consensi, & subscripsi. Hildegrimus Halberstadiensis episcopus consensi & subscripsi. Adalgarius ecclesiæ Hamaburgensis archiepiscopus consensi, & sub. Liuvardus Vercellensis ecclesiæ episcopus con. & subs. Arnoldus Vvirtziburgensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Hrodbertus Mettensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Adalhelmus Vvurmacensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Godelhancus Spirensis ecclesiæ episcopus cons. & subsc. Vvichbertus Hildeneshemensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Dethmarus Virdinensis ecclesiæ episcopus cons. & subscr. Dodilo Cameracensis ecclesiæ episcopus cons. & subsc. Honoratus Belvacensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Herdilo Noviomagensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Belthramnus Stratzburgensis ecclesiæ episcopus cons. & subscripsi. Vvaldo Frisingensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Thiadulfus Curacensis ecclesiæ episcopus consensi & subs. Hæc sacra continuante, & consumante anno Dominicæ Incarnationis DCCC. supra LXXXVIII. in unitate Sancti Spiritus.

ANNO CHRISTI 88.

CON-

CONCILIUM METENSE

IN REGNO LOTHARII A BELGICÆ PRIMÆ

Episcopis sub Arnulpho rege celebratum Kalendis Maii, anno Christi, ut conjectura est, DCCCXXCVIII. Stephani papæ V. anno III. Odonis regis primo.

TITULI CANONUM.

I. *Quod pax a paganis, & contumacibus Christianis per emendationem morum a Deo imploranda sit.*

II. *Ut decimas ecclesiæ solus sacerdos accipiat: ut nullam illarum partem laici seniores usurpent.*

III. *Unus presbyter unam solummodo habeat ecclesiam.*

IV. *Ut de manso ecclesiæ nullus census exigatur: & ne pro sepultura pretium detur.*

V. *Ut nullam in domo sua fœminam habeant sacerdotes.*

VI. *Ut presbyteri libros & vestimenta sacerdotalia ostendant episcopo, & chrisma sub sera custodiant: clerici armis, aut laicorum indumentis non utantur: & de iis qui infantes in baptismo suscipiunt.*

VII. *Ut nemo cum Judæis edat, aut bibat.*

VIII. *Ut missæ in locis non consecratis non fiant: & basilicæ a chorepiscopis consecratæ, ab episcopis consecrentur.*

IX. *De duabus sanctimonialibus ob facinus in ergastulum retrusis: & de diacono sacrilegium confesso.*

X. *Excommunicati qui Folcardum presbyterum evitarent.*

XI. *Excommunicati provinciæ vastatores: item Theodricus & Lantbertus.*

XII. *Excommunicati qui communionem habebant cum excommunicatis.*

XIII. *Preces cum triduano jejunio indictæ pro rege.*

PRÆFATIO.

ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCXXCVIII. regni domini Arnulphi glorioſissimi regis primo, die Kalendarum * Majarum acta est synodus in suburbio Metensis civitatis, in ecclesia sancti Arnulphi, ab archiepiscopo venerabili Ratbodo Trevirensi, & a Rotberto prædictæ civitatis præsule. Dado quoque Virdunensis ecclesiæ reverentissimus episcopus, & Arnoldus Tullensium episcopus, & Stephanus venerabilis abbas, & multi sacerdotes cum comitibus, & pluribus nobilibus, & Deum timentibus viris adfuerunt. Ubi pari voto, parique consensu, pro vera caritate & tranquillitate sanctæ Dei ecclesiæ, quam redemit Christus sanguine suo, sibi invicem occurrentes, hæc in commune præsules locuti sunt.

CANONES.

I.

Episcopi, & presbyteri, & fideles laici, qui ante nos fuerunt juxta sacram canonum auctoritatem, sæpius in Christi nomine convenientes, justitiam Dei statuerunt, & idcirco pacem suis diebus habuerunt, & juxta illud quod scriptum est: A *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine,* *Psal. 118. Luc. 2.* *& hominibus bonæ voluntatis.* Nos autem, qui tanto tempore transacto comprovincialem synodum non habuimus, & invicem quærere misericordiam Dei negleximus, videmus in nobis completum esse, quod per prophetam Dominus dicit: *Ter-* *Psal. 93.* *ram vestram in conspectu vestro alieni devorant, & erit in vastitate hostili.* Ergo qualiter a Northmannis hæc omnia in nobis completa sint, nemo dubitat: quomodo etiam a perversis Christianis undique atteramur, omnes in commune sentimus, B sicut scriptum est: *Populum tuum, Domine, humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt.* Quærenda est igitur pietas Christi, qua Pagani arceantur, & statuenda est lex Dei, qua crudelissimi nostræ gentis homines a vastatione pauperum repellantur. Idcirco quidquid in nobis pravæ voluntatis est, abjiciamus, & de Paganis Christo auxiliante pacem obtinere valebimus. Auctoritatem sanctorum patrum contumacibus nostris imponamus, & velint nolint, pro timore etiam glorioſissimi nostri senioris Arnulphi regis, ad C satisfactionem venire faciemus. Et sic justitiam Dei statuendo, poterimus ejus misericordiam invenire, quem nos cognoscimus pravis actibus graviter offendisse.

II.

Dominus loquitur per prophetam, dicens: *Afferte omnem decimum in borreis meis,* *Malach 3.* *& probate me in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli; & dedero vobis* D *fructus usque ad abundantiam.* Scimus enim, quoniam peccatis exigentibus clauditur cælum, & fit nostris diebus sæpissime fames. Ideo statuimus, ut deinceps nemo seniorum de ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem, sed solummodo sacerdos qui eo loco servit, ubi antiquitus decimæ fuerant consecratæ, ipse eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & basilicæ ædificia, vestimenta quoque sacerdotalia, & cætera utensilia suo ministerio congrua obtinenda. Hæc omnia E episcopi de suis ecclesiis, & cæteri attendere decreverunt.

III.

Unusquisque presbyter unam solummodo habeat ecclesiam: nisi forte antiquitus habuerit capellam, vel membrum aliquod

adja-

ANNO CHRISTI 888.

adjacens sibi, quod non expedit separari. Est enim multum laudabile coram Deo & hominibus, si unus presbyter unam ecclesiam salubriter providerit, & utiliter rexerit: quoniam non est nobis cura animarum adhibenda pro temporali commoditate: sed cunctis sacerdotibus est optandum, ut cum suis ovibus a Christo recipiant pascua vitæ æternæ.

IV.

De uno manso, & de terris pro sepultura datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione, nullus census deinceps exigatur; & pro sepultura nullum pretium detur.

V.

Exod. 32. Sacerdotes, qui vice Mosis iram Domini super populum sævientem precibus suis debent mitigare, attendentes etiam, ne illud fiat quod scriptum est: *3. Esdr. 9.* *Maxima ruina populi in culpa sacerdotum fuit*: nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam habeant, nec matrem, nec sororem: sed auferentes omnem occasionem satanæ, angelicam vitam ducant, & Domino Deo casto corpore & mundo corde fine tenus serviant. Nam licet hoc sacris litteris crebrius inhibitum esse videatur: tamen quia hoc nefas in quibusdam oriri videbatur, idcirco communi decreto statutum est, & hoc interdictum a sancta synodo nimium laudatum est.

VI.

Cuncti presbyteri ut libros & sacerdotalia vestimenta suo episcopo in proxima synodo ostendant, & ut chrisma suum sub sigillo & sera semper custodiant, a prædictis episcopis expresse commendatum est. Et ut nemo clericorum arma portet, vel indumenta laica induat, id est cottos vel mantellos sine cappa non portet, & laici cappas non portent. Et nullus alteri suscipiat a fonte infantem, nisi qui apprime signaculum, id est abrenunciationem diaboli & professionem catholicæ fidei tenuerit: & infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat, quia in hujuscemodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit. Nam unus Deus, unum baptisma, unus, qui a fonte suscipit, debet esse pater vel mater infantis. Hæc omnia generaliter interdicta sunt, quia & grandis levitas erat, & gravitas vel religio clericalis nimis in talibus vilis efficiebatur.

VII.

Guntbertus Metensis ecclesiæ primicerius obtulit libellum proclamationis super Judæos qui habitant Metis. Quapropter interdictum est, juxta capitula sanctorum patrum, ut nemo Christianorum cum eis manducet & bibat, vel quidquid comedi aut potari potest, a Judæis accipiat. Nimis enim, juxta quod ait Cæsarius Arelatensis ecclesiæ episcopus, indignum est atque sacrilegum, eorum cibos a Christianis sumi, cum ea, quibus non fruimur, ab illis judicentur immunda, ac si inferiores incipiant esse Christiani quam Judæi. Et omnes eorum convivas ipse, & sanctus Syagrius Æduorum episcopus, cum aliis multis, excommunicaverunt.

VIII.

In locis vero non consecratis, id est in solariis, sive in cubiculis, propter infirmos vel longius iter, a quibusdam presbyteris sacrificium offerebatur: quod omnimodis interdictum est. Et ut basilicæ a chorepiscopis consecratæ, ab episcopis consecrentur roboratum est: quia juxta decreta Damasi papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est atque inane quidquid in summi sacerdotii chorepiscopi egerunt ministerio: & quod ipsi iidem sint qui & presbyteri, sufficienter invenitur.

IX.

Duæ sanctimoniales propter suum facinus de monasterio sancti Petri fine velamine erant ejectæ: sed juxta canones sancta constituit synodus, ut velamina illis redderentur, & intra monasterium in ergastulo ponerentur, parvo pane, & aqua brevi, cum abundantia divini verbi, usque ad satisfactionem fruerentur. Quidam etiam diaconus, qui de sacrilegio confessus & convictus fuit, pro misericordia in carcere poni jussus est, interdicto ministerio, & ut pro eo omnes generaliter orarent injunctum est.

X.

Quædam fœmina, nomine Ava, cum sui fratris consilio & auxilio, qui vocatur Folcrius, & cum aliis consanguineis suis, suum maritum dimisit, & ad eum redire noluit. Unde illorum sacerdos servus Dei, vocabulo Folcardus, & ad suam dominam & ad ejus fratrem veniens, ut eos a tanto scelere traheret, confestim ab eodem & suis complicibus castratus est. Pro his omnibus ad synodum vocati venire noluerunt: & idcirco ad satisfactionem excommunicati sunt.

XI.

Viri pestilentes vastabant miserabiliter istam provinciam. Pro quo scelere ad synodum vocati (sicut scriptum est: *Eripite pauperem & egenum*) alii venerunt, alii venire noluerunt. Illi qui adfuerunt, synodo satisfecerunt: cæteri autem canonice excommunicati sunt. Pari etiam tenore excommunicatus est quidam homo, vocabulo Theodricus, cum complicibus suis, quia quamdam viduam fugiendo prostratam super corpus sancti Eventii rapuit; & de monasterio traxit, & in uxorem

—rem sibi eam taliter sociavit. Quidam vir nomine Lantbertus interficiens consanguineum suum, & ducens ejus uxorem nomine Waldradam, juravit coram archiepiscopo, quod tale conjugium dimitteret, & iterum ei se sociavit, & adhuc eam habet: idcirco excommunicatus est. ANNO CHRISTI 888.

XII.

Quæsitum est a sancta synodo, quid de iis sacra fieri auctoritas juberet, qui cum prædictis excommunicatis communionem habeant. Nam non tantum laici, verum etiam presbyteri in celebratione Missæ excommunicatos recipiunt: & quid de his, B qui in eadem excommunicatione mortui fuerint. Verum ad hæc tanta auctoritas prolata est. Sanctus Petrus apostolus in ordinatione sancti Clementis ita plebes alloquitur: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos cum illo nolite amici esse: & prudenter observare debetis, avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum: sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur. Istius transgressores sanctus Petrus & omnis auctoritas excommunicat. Servis autem, ac propriis libertis, sive beneficiatis, venerabiles episcopi in communio- C ne dominorum absolutionem dederunt. Sanctus Leo papa de excommunicatis, & ita defunctis, taliter decrevit: Horum causa judicio Dei est servanda, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

XIII.

Precando rogaverunt prædicti episcopi, orare pro domino rege Arnulpho, & triduanum in proximo celebrare jejunium, ubi cum litaniis & magna corporis afflictione precemur Deum, ut faciat nos converti ad se in toto corde & animo volenti, adaperiat cor nostrum in lege sua & in præceptis suis, & faciat pacem, & placeat Redemptori nostro eripere oppressos, revocare in angustiis constitutos: & sic talia agendo mereamur obtinere hic indulgentiam, & in futuro pacem sine fine mansuram. Amen.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

Irrepsit in contextum nota annorum Christi, & Arnulphi, quæ abest a vulgatis, nec constare de illa potest nisi ope veteris alicujus exemplaris. Si conjecturæ indulgendum est, possit fortasse concilium hoc ad annum DCCCXCIII. non inepte referri, quo anno, ut auctor est Regino, Arnulphus in Lotharii regnum venit, & præcipua ejus urbes lustravit, post bella Northmannorum, quæ proximis duobus annis antecesserant.

Nota Severini Binii.

Propter mendum actorum sciri nequit quoto anno Christi, quove pontifice præcise hæc synodus congregata fuerit. Quia tamen idem Ratbodus Treverensis huic & præcedenti Moguntinæ interfuit, & propter Northmannorum incursiones, tempore Arnulphi regis celebratam esse constat, ex cap. 1. & ultimo, nulla mihi ratio occurrit, ob quam ego hanc synodum hactenus Moguntinæ statim postpositam, nunc ab ea disjungerem.

AD METENSEM SYNODUM

Anni 888.

ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

METensem Synodum anno 888. adscribit Pagius cum omnibus hucusque conciliorum Collectoribus, eamdemque post Moguntinam collocant. Qua tamen in re præposterе ab illis agi, certum est; cum Moguntinam synodum post Junium mensem habitam fuisse oporteat, ut in nota superiori ostendi. Hæc autem celebrata dicitur die Kalendarum Maii, vel ut legit Sirmondus *Kalendarum Martii*. Verum nec Martio, nec Majo mense anni 888. celebratam fuisse suspicor; cum synodo huic interfuisse legatur Dodo Virdunensis, qui etiam subscribit concilio Tribu- D rensi anni 895. Ex sententia autem concilii Moguntini habiti post Junium anni 888. constat, Virdunensibus tunc præfuisse *Dithmarum*. Igitur Metensis synodus haberi non potuit eodem anno ante Junium, quippe cui interfuit Dodo, qui toto hoc temporis spatio usque ad exitum sæculi IX. Virdunensem ecclesiam administravit; quare Dithmari successor statuendus est. Forte ergo melius cum Sirmondo concilium istud initum statueretur die Kalendarum Martii, ac referretur in annum 890. quo Martii exordium in Dominicam diem incidebat.

CONSTITUTIO RICULFI

ANNO CHRISTI 889.

SUESSIONUM EPISCOPI. *

Anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXIX. *indictione* VII.

EGO Riculfus humilis Suessionum episcopus, E consideratis parœciæ divinitus nobis commissæ necessitatibus, atque comministris nostris competenti habita ratione, inspirante pariter & opitulante Domino, quædam, quæ ad sacerdotum nostrorum commonitionem, vel vulgaris populi eruditionem pertinere videbantur, modeste & utiliter pro viribus tractare disposui. Et quamvis to-

tius Christianæ vitæ regula divinæ scripturæ paginis satis superque teneatur inserta: non incongruum tamen fore putavi, quædam ex his, quæ simplicium observationi conveniunt, brevibus & lucidis capitulis annotare, vobisque consacerdotibus, & cooperatoribus nostris habenda simul & crebrius legenda committere, ut si tanta divinæ & canonicæ auctoritatis volumina revolvere non sufficitis, hæc saltem brevissima & apertissima manualiter frequentetis, & commissis vobis plebibus salubrem vivendi normam his admonitiunculis præmonstretis. Ita enim cooperante Domino, & periculo ministerii vestri vos poteritis exuere, & cum subjectis populis ad cælestis regni gaudia properare.

I.

Attendite ergo, quia nobiscum solicitudinem gregis dominici percepistis, & in sacerdotali ministerio, secundi ordinis & dignitatis locum possidetis. Et sicut nos, licet immeriti, apostolorum vices in hac ecclesia agere debemus: ita & vos quoque septuaginta duorum discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe dominica exercere oportet. Nam & in veteri lege Moyses & Aron locum summi pontificis tenuerunt, & filii quoque Aaron officium sacerdotale in secundo gradu sortiti sunt. Ad vos enim plebium pertinet cura & solicitudo, & ex vobis pendet eorum salus, utilitas, atque animarum profectus. Scriptum namque est de vo- *Malach. 2.* bis: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est.* Angelus namque latino eloquio nuncius dicitur: & vos quidem angelorum ministerium expletis, quando vestras plebes instruitis atque docetis. Sed primo necessarium est, ut ipsi diligenti meditatione literarum sacrarum lectionem discatis, quam postmodum alios docere debetis: quia nemo, quæ nescit, aliis insinuare valet. Enimvero nec latere vos volumus, quod de illis presbyteris, qui desides & ad discendum tardi sunt, regum & imperatorum capitula non sine consensu plurimorum epi- „ scoporum sanxerunt, scilicet hoc: Ut quicumque „ presbyter, a suo episcopo frequenter admonitus „ de sua scientia, ut discere curet, facere neglexe- „ rit, procul dubio & ab officio removeatur, & „ ecclesiam, quam tenet, amittat. Quia ignoran- „ tes legem Dei, eam aliis annunciare & prædi- „ care non possunt. Hoc ne alicui vestrum eveniat, fraterno affectu præmonemus.

II.

Oportet igitur unumquemque sacerdotem, vita, & moribus, & actibus bonis, cum Dei auxilio, populo sibi commisso, cæterisque subditis excellere, ut in eo videant quid imitari & sequi bene operando possint, castitatis videlicet, humilitatis, modestiæ, aliarumque virtutum, divina gratia largiente, exemplum præbeat, ut juxta *Tit. 2.* Apostoli vocem, *doctrinam Dei nostri in omnibus ornet.*

III.

Habete, quæsumus, studium in psalmos cantando, in divinos libros legendo, in canonicas horas custodiendo, id est, primam, tertiam, sextam; Missarum quoque quotidiana celebratione, nonam, vesperas, & completorium, atque matutinale officium decantando. Et invitate parochianos vestros, ut si ad alios cursus venire non sufficiunt, saltem Missas frequentius audire studeant, & dominicis, atque aliis diebus festis vesperas, matutinas, & missas frequentare non prætermittant.

IV.

Isa. 52. Ad vos ergo dictum esse scitote: *Mundamini qui fertis vasa Domini*: ubi non tantum intelligendum esse putetis, quod de calice & patena, ubi corpus & sanguis Domini conficitur, dictum sit; sed de corporis munditia, & mentium puritate. Ut enim beatus Gregorius dicit, cum de parabola decem virginum tractaret: Vascula nostra sunt corda, *Matt.* in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Habemus itaque fragile vas, id est corpus nostrum, quod semper summopere mundum servare debemus, ut dum oblationes mundas Deo porrigimus, ipsi quoque sanctum altare illius hostiæ acceptabiles efficiamur.

V.

Item monemus, ut unusquisque vestrum psalmos & sermonem fidei catholicæ, cujus initium: Quicumque vult salvus esse: & Canonem Missæ, ac cantum, vel compotum memoriter, & veraciter, ac correcte tenere studeat. Consignationem vero infantum, tam masculorum, quam fœminarum, unius, vel plurium, & consecrationem fontis, & aquæ per domos spargendæ, & animæ commendationem, & orationes ad mortuum sepeliendum habeatis descripta distincte & veraciter, & frequenti usu ea meditemini, ut correcte & irreprehensibiliter ea, tam super masculum, quam super fœminam proferre sciatis. Supradictam vero consignationem infantum volumus ut quadrifarie scribendo dividatis, super singularem scilicet masculum, & singularem fœminam, itemque super plures masculos, & plures fœminas, sicut nos vobis, Christo propitio, descripta trademus.

VI.

Item præmonemus, ut unusquisque vestrum, missalem, lectionarium, evangelium, martyrologium, antiphonarium, psalterium, & librum quadraginta homiliarum beati Gregorii correctum atque distinctum per nostros codices, quibus in sancta matre ecclesia utimur, habere laboret. Et libros quidem divinos, & ecclesiasticos, quoscumque potestis habere, non emittite, ex ipsis enim cibos & condimentum animarum percipietis, dicente Domino: *Non in solo pane vivit homo, sed* *Matth. 4.* *in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Si quis autem omnes veteris testamenti libros habere nequiverit, saltem hoc studiosius elaboret, ut primum totius divinæ historiæ librum, Genesin videlicet, sibi correcte transcribat, cujus lectione totius mundi creationem dignoscere valeat.

VII.

Studere etiam debetis, ut digne atque honeste vestra ecclesiastica vestimenta præparata habeatis, albam videlicet ad divinum mysterium uuam, vel duas nitidas, cum orariis, id est, stolis duabus nitidis, & amictis duobus nitidis, corporalibus quoque totidem nitidis, item zonis duabus, id est, cinctoriis, ac mappulis totidem nitidis; ac linteamina altaris habeatis nitida, & casulam fericam, cum qua Missa celebretur. Hoc autem omnimodis prohibemus, ut nemo illa alba utatur in sacris mysteriis, qua in quotidiano vel exteriori usu induitur. Loca quoque munda & congrue composita habeatis, ubi post sumpta sancta mysteria, manus & ora vestra lavetis; & si possibile fuerit, unusquisque calicem cum patena argentea, sive cujuslibet metalli purissimi habeat; ut cum ad nostram Synodum unumquemque vestrum eadem vasa, vel cætera, quæ ad ministerium sacerdotale pertinent, deferre jusserimus, vel per vestras parochias transitum fecerimus, nostram exinde offensionem minime incurratis, si hæc præparata inhonestius viderimus. Ad Missam quoque, & vesperas, si sufficitis, thus vel incensum in thuribulo Deo offerte. Illud etiam expresse præcipimus,

ut

ut domos vestras nitidas, & sine sordibus, & fœtoribus habeatis, ut exinde puriores ad altare Domini procedatis.

VIII.

Instanter quoque monemus, ut scrutinia per baptismales ecclesias statuto intra quadragesimam tempore generaliter fiant: & ut baptizati mox post baptismum eucharistiam, id est, communionem sanctam percipiant, solicite vos studere præcipimus. Quoniam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum:* ipse dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

IX.

Solerter studendum est presbyteris, ut curam publice pœnitentium habeant, & orationes ad visitandos infirmos vel infirmas correcte proferre sciant, & maximam curam adhibeant, ut sicut nemo sine baptismo, ita etiam nemo absque viatici munere moriatur; sed neque publice pœnitens, si fuerit infirmus: & sedulo considerent, atque diligenter caveant, ne pro hujusmodi negligentia grave periculum incurrant. Videant quoque ne Simoni mago & Judæ traditori efficiantur similes, si pro pretio, aut pro familiaritate, vel propinquitate, pœnitentes ante tempus ad reconciliationem adduxerint, & eis pro reconciliatione testimonium dederint, vel si cum fervore & diligentia pœnitentes aliqua amaritudine, vel, quod absit, odio, aut quia nihil ab eis accipiunt, a reconciliatione suspendi fecerint: quia ut comministri, ita etiam cooperatores presbyteri in ministerio divino a Deo sunt constituti episcopis. Si vero publice pœnitentes pro certa necessitate, vel ratione, ante præfixos a Canonibus annos fuerint reconciliati: sicut ante reconciliationem, secundum pœnitentium possibilitatem & qualitatem, de eorum pœnitentia solicitudinem habuerunt; ita & post reconciliationem, vitam eorum & conversationem, donec præfixum pœnitentiæ tempus expleatur, non negligant, sed solerter discutiant & attendant, scientes non solum episcopis, sed etiam secundum modum suum presbyteris convenire quod dicitur: *Speculatorem dedi te domui Israel:* & de unoquoque sibi commisso, rursus per prophetam dicitur: *Sanguinem ejus de manu tua requiram.*

X.

Item oportet ut presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem, oleo sancto perungant, & tunc eos communicent. Quod si ante adventum eorum infirmus obmutuerit, & certi testes sint, quod ipse infirmus tale signum ostenderit, quia pœnitentiam petiit, quam mora sacerdotis ab eo exclusit, viatici ei subsidium præbeant.

XI.

His exceptis, scire debetis quia facultates ecclesiæ in quatuor partes, canonica auctoritate, sunt divisæ. Ex quibus una est, si voluerit, episcopi; alia ad luminaria, & sarta tecta, id est, restaurationem ecclesiæ; tertia presbytero & suis; quarta hospitibus deputata. Quapropter ex ipsa parte, quæ fabricis debetur ecclesiæ, volumus aut per nos, aut per nostros comministros, rescire quid annuatim tam in luminaribus olei vel ceræ, quam etiam in restauratione tectorum, vel in ornamentis inde in ecclesia pareat. Convenit etiam vobis, unum, vel duos, vel tres clericos habere, qui vobiscum Missas celebrent, quos salutetis, & a quibus resalutemini, quia Dominus in evangelio dicit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Solus autem nemo vestrum Missas celebrare præsumat. In ratione vestrorum sacrorum, hoc omnibus modis observare debetis, ut in calice aquam vino misceatis, quia panis corpus, vinum sanguis intelligitur, aqua quæ in cruce de latere Domini manavit, certissime fidelem designat populum junctum capiti suo, quod est Christus. Quibus devotissime observatis, verum Domini corpus procul dubio in veritate conficitur. Et quisquis ex eo, corde & corpore purificatus, cum fide fuerit recreatus, remissionem peccatorum in illo sine dubio operatur. *Joan. 19.*

XII.

Hospites, secundum quod possibile est, excipere, & illis, juxta vires, ea quibus indigent, hilariter administrare studete: & plebes vestras, ut idipsum faciant, & pedes pauperum lavent, instantius admonete: scientes, quia si aliquis pauperum hospitium postulaverit, & impetrare non meruerit, & extra domum jacens vel a bestiis fuerit comestus, vel frigore, aut aliqua aeris asperitate mortuus, ab illo requirendus erit qui humanitatis subsidium ei negaverit. Et sacerdos immunis ab hac culpa non erit, qui auditores suos, ut hospitalitatem diligerent, non admonuit. Scimus enim quia magna est hospitalitatis virtus, per quam plurimi Deo placuerunt, & angelos hospitio recipere meruerunt, ut Abrahæ, Lot, Tobiæ, & aliis quamplurimis legimus contigisse. Semperque meminisse debetis quanta sit merces hospitalitatis, dicente Domino: *Hospes fui, & * suscepistis me.* Verba quoque Apostoli ad memoriam frequentius revocate dicentis: *Hospitalitatem noli te oblivisci.* Et ut cum B. Job possitis dicere: *Hospitium meum viatori patuit.* Sententiam quoque S. Gregorii in expositione evangelica frequenter revolvite, dicentis, quia hospites non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Susceptis autem hospitibus, secundum possibilitatem vestram officium humanitatis impendite, juxta hoc quod legitur: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si vero exiguum, & illud libentissime impertire.* Recogitantes quoque & illud evangelicum: *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et quoniam contingere solet, ut susceptæ personæ, illis a quibus suscipiuntur, damnum aliquod inferant: si quos tales suscipitis, de quorum persona dubitetis, in remota eos domo collocate, ne locum inveniant, aut ipsi peccandi, aut vobis dispendium inferendi. *Matth. 25. * alias collegistis. Hebr. 13. Job 31. Tob. 4. Matth. 10.*

XIII.

Illud quoque summopere cavendum monemus, ut presbyteri, vel clerici, tabernas causa convivandi non adeant: neque in ecclesiis vinum, excepta causa necessitatis, vendere concedant; sed neque vendentes aut ementes in ipsis ecclesiis more convivantium immorari permittant, quod in Concilio Chartaginensi ita inhibetur: Nulli episcopi, vel clerici in ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitii necessitate illic reficiant; populi autem ab hujusmodi conviviis, quantum possunt, prohibeantur. *Concilium Chart. III. Can. 30.*

XIV.

Observandum quoque monemus, ut presbyteri vel clerici fœminis non cohabitent, neque detrahendi se locum donent. De qua re Clemens sanctæ sedis Romanæ ecclesiæ præsul ita edocet: *Clericus*, inquiens, *ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet.* Nec presbyter solus cum sola fœmina fabulas misceat, definiente sancto Nicæno Concilio, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ullo clerico omnino licere habere secum mulierem extraneam. Nos vero etiam a matribus, amitis, sororibus, vel propinquis cavendum

dum dicimus, ne forte illud eveniat quod in ſancta
2. Reg 13. ſcriptura legitur de Thamar ſorore Abſalon, quam Amnon frater ſuus male concupiſcendo violavit; de Lot etiam, qui filias ſuas per ebrietatis vitium
Geneſ. 19. ſimiliter corrupit. Quod ſi aliquis veſtrum matrem, ſororem, vel amitam ad conveſcendum vocaverit, expleto convivio, ad domos ſuas vel ad hoſpitia a domo presbyteri remota, cum luce diei eas faciat remeare: periculoſum quippe eſt, ut vobiſcum habitent, & ideo inhibitum eſt a ſanctis patribus; quoniam excepta ſupradicta occaſione peccandi, fœmina quæ cum matre, ſorore, vel amita, aut nepte ingreditur, non eſt propinqua: ex quo niſi caute actum fuerit, in laqueum diaboli ſacerdotalis ordo incurrere poterit. Invitati etiam presbyteri a religioſis quibuſque pro carorum ſuorum memoriis, non ſe inebrient, neque inter pocula cantare præſumant: ſed neque precationes bibendi ſub nominibus ſanctorum exerceant: ſed potius cum religione prandeant, & cum ſobrietate bibant, & quæ ad ædificationem pertinent, loquantur, & ad tempus cum luce diei ad eccleſias ſuas redeant.

XV.

Ut presbyteri, villici, id eſt, proviſores villarum non fiant, & procuratores viduarum non exiſtant: & ut conductores agrorum ſæcularium non ſint, neque ulli turpi negotio & inhoneſto victum vel lucrum quærant. Nec etiam de viduarum converſatione ſic curam habeant, quatenus opinionem ſuam infament, nec de ſe locum detractioni donent. Et ut curam habeant, ne miniſtri reipublicæ, id eſt, vicarii, & centenarii, ſeu reliqui exactores, advenas, & pauperes affligant. Quod ſi per ſe emendare non potuerint, nobis vel commiſtris noſtris innoteſcant.

XVI.

Monemus præterea, ut presbyteri ſic ruralibus, id eſt, terreſtribus, & ceteris occupationibus inſerviant, quatenus divinum officium non negligant, & ſcholarios ſuos modeſte diſtringant, caſte nutriant, & ſic literis imbuant, ut mala converſatione non deſtruant: & puellas ad diſcendum cum ſcholariis ſuis in ſchola ſua nequaquam recipiant; & ut turpi lucro & negotiationibus non inſerviant.

XVII.

Illud quoque admonendum cenſemus, ut ab uſuris omnes ſe ſubtrahant. Si enim juxta præceptum Domini, amicos in Deo & inimicos debemus diligere propter Deum; & eis noſtra bona, quæ ipſe nobis immeritis contulit gratis largiri: qua ratione poſſumus ab eis, qui noſtri in Chriſto ſunt fra-
Matth 23. tres (ut idem ait: *Unus eſt enim pater veſter, omnes autem vos fratres eſtis*) exigere quæ non accommodavimus, & repetere quæ non præſtitimus? Unuſquiſque igitur quantum præſtiterit, tantum recipiat, & eamdem ſpeciem & menſuram annonæ, aut vini, aut argenti, aut certe alicujus pretii convalentis, prout inter eos convenerit: ita tamen ut non multiplicetur, neque ſuperaugeatur. De iter agentibus, ſimiliter obſervandum decernimus, ut nulla eis alia menſura in venumdando tribuatur, niſi illa, qua vobis veſtra vel accipitis,
1. Theſſ. 4. Luc. 6 Deut 25. vel comparatis; quia ſcriptum eſt: *Neque circumvenias in negotio fratrem tuum.* Et: *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Et: *Non habebis diverſa pondera, majus aut minus, ſed ſit tibi juſtus modius, æquuſque ſextarius.*

XVIII.

Mercationes vero, quæ divinis & humanis legibus prohibitæ ſunt, & nunc denuo diebus dominicis a quibuſdam improbis exercentur; modis omnibus inhibemus, & vobis inhibendas omni ſtudio canonica auctoritate decernimus. Ineptum namque eſt, ut Chriſtianus quilibet ea die, qua reſurrectionis dominicæ, noſtræque redemptionis memoria recenſetur, lucra ſæcularia vel mercationes exerceat, quam totam debet in divinis laudibus & officiis, atque oblationibus, pro ſua & cunctorum ad ſe pertinentium ſalute, atque totius eccleſiæ ſtabilitate occupare.

XIX.

Sepulturas mortuorum eccleſiaſtica honeſtate & pietate unuſquiſque presbyter diſponat, & ne pro ſepeliendis mortuis xenia exquirat. Unde beatus Gregorius ita præſumentibus talia loquitur: Grave nimis, iniquit, & procul eſt a ſacerdotis officio, pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium, & nos poſtquam Deo auctore ad epiſcopatus honorem Romanæ ſedis acceſſimus, de eccleſia noſtra omnino exſtirpare decrevimus, & pravam denuo conſuetudinem nequaquam uſurpari permittimus. Si autem a devotis pro ſuis mortuis quiddam eccleſiæ vel presbyteris ſponte offertur, a preſbyteris accipi non prohibemus. Quod autem infra eccleſiam neminem ſepelire debetis, multis auctoritatibus perdocemur, & maxime beati Gregorii S. Romanæ ſedis antiſtitis. Interrogatus enim a Petro diſcipulo ſuo, utrum animabus aliquid prodeſſet, ſi mortuorum corpora in eccleſiis ſepelirentur, his verbis reſpondit: Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis ſi in eccleſiis ſepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem ſacra loca conveniunt, ſuorum, quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad ſolutionem potius quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in eccleſiis ponuntur. Quod melius, inquit, oſtendemus, ſi ea, quæ diebus noſtris geſta ſunt, breviter enarremus. Vir namque vitæ venerabilis Felix Portuenſis epiſcopus in Sabinenſi provincia ortus atque enutritus eſt, qui quamdam ſanctimonialem fœminam in loco eodem fuiſſe teſtatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, ſed linguæ procacitatem atque ſtultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta, atque in eccleſia ſepulta eſt. Nocte autem eadem ejuſdem eccleſiæ cuſtos per revelationem vidit, quia deducta ante ſacrum altare per medium ſecabatur, & pars una illius igne cremabatur, pars autem altera intacta remanebat. Cumque hoc ſurgens mane fratribus narraret, & locum vellet oſtendere, in qua fuerat igne conſumpta: ipſa flammæ combuſtio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac ſi illic eadem fœmina corpore fuiſſet igne concremata. Ex qua re aperte datur intelligi, quia in quibus hic dimiſſa peccata non fuerint, ad evadendum judicium ſacris locis poſt mortem non valent adjuvari. Joannes quoque vir magnificus in hac urbe locum præfectorum ſervans, cujus veritatis atque gravitatis ſit, novimus; qui mihi teſtatus eſt Valerianum Patricium in civitate, quæ Brixia dicitur, fuiſſe defunctum. Cui ejuſdem civitatis epiſcopus accepto pretio, locum in eccleſia præbuit, in quo ſepeliri debuiſſet. Qui videlicet Valerianus uſque ad ætatem decrepitam levis ac lubricus extitit, modumque ſuis pravitatibus ponere contempſit. Eadem vero nocte, qua ſepultus eſt, beatus Fauſtinus martyr, in cujus eccleſia corpus illius fuerat humatum, cuſtodi ſuo apparuit, dicens: Vade, & dic epiſcopo, projiciat hinc has fœtentes carnes, quas hic poſuit, quia ſi non fecerit, die trigeſimo ipſe morietur. Quam viſionem cuſtos epiſcopo timuit confiteri. Et rurſus admonitus declinavit. Die autem trigeſimo ejuſdem civitatis epiſcopus cum veſpertina ho-

ra sanus atque incolumis ad lectum rediisset, subita & inopinata morte defunctus est. Ex qua re Petre, collige, quia hi, quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. His auctoritatibus roborati, ut a vobis quoque hujusmodi præsumptio caveatur, instanter judicavimus admonendum; & ut talia irrationabiliter postulantibus, rationabiliter, his prolatis auctoritatibus, denegare curetis.

XX.

Rationi quoque proximum esse sanximus, ut in unoquoque mense, statuta die, id est, in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas decanias presbyteri simul conveniant, & convenientes non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio & religiosa conversatione, atque de his, quæ in eorum parochiis accidunt, sermonem habeant, & qualiter pro rege, vel rectoribus ecclesiæ, atque pro suis familiaribus, tam vivis quam & defunctis orare debeant, simul considerent.

XXI.

Docete etiam parochianos vestros, ut quando ad ecclesiam conveniunt, orare pro se, proque aliis cum gemitibus & lacrymis studeant, & a verbis otiosis se subtrahant: quia Salvator noster, quando ingressus est templum, & vendentes in illo & ementes eliminavit, protinus dixit: *Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur.* Et si ibidem aliqui sunt discordes, pia admonitione & sacerdotali exhortatione eos ad concordiam revocate: si vero semel & bis a vobis admoniti, audire refugerint, secundum auctoritatem Agathensis Concilii ab ecclesia excommunicantur. Ita enim in præfato Concilio de his, qui per odium ad pacem non revertuntur, capite trigesimoprimo scriptum continetur: Quod si inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. Item in Concilio Carthaginensi, capite nonagesimotertio: Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

Matth. 21.

Concilium Agath.

Concilium Carth. IV.

XXII.

Quando * autem vobis a nostra parvitate, vel a comministris nostris, jejunium faciendum injungitur, plebes ad ecclesiam venire rogate, & facta litania, & Missis celebratis..... *Cetera desiderantur.*

* Et hoc quoque caput licet mutilum non omisit publicare Cordesius.

ANNO CHRISTI 889.

PLACITUM APUD VARENNAS

In quo jussu Ermengardis Reginæ, Bosonis relictæ, ac Ludovici II. imperatoris filiæ, primorumque regni Arelatensis, Bernardus quidam Vassallus dimittere coactus fuit Balmam cellam quam monasterio Gigniacensi ereptam per donum Ludovici, Bosonis atque Ermengardis filii se possidere affirmabat.

Anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXIX. indictione VIII. cum convenissent Ermengardis regina, & cuncti principes Ludovici filii Bosonis, in loco qui dicitur Varennas ad placitum: accesserunt ad ejus præsentiam monachi de Gigniaco monasterio, Berno videlicet abbas, aliique sub ejus regimine positi, conquerentes, & monachali humilitate conclamantes, quod Bernardus ejusdem reginæ vassallus, eorum res injusto ordine invadendo possedisset; hoc est Balmam cellam, quam olim Rodulpho rege per præceptum acquisierant. Quod tam benignissima & venerabilis regina, quam omnes undecumque confluentium locorum principes diligenter attendentes, diligentiusque audientes, prædictum Bernardum in medium vocaverunt, & cur easdem res teneret, interrogaverunt. Ipse autem respondit, per donum Ludovici prædictas res se tenere credere. Cujus responsionibus nec regina consensit, nec alii consentire dignum fore dijudicaverunt: & nunc ipse per jussionem reginæ, jam dictum locum in præsentia omnium inverpivit; & ut ultra easdem res non invaderet, spopondit. Tunc his ita expletis, jussit dominatrix regina tam abbatibus, quam ceteris fratribus, hanc firmitatis scribere notitiam, ut nullo deinceps contradicente, præscriptum locum quieto teneant ordine. Et ut hæc notitia manere valeat firma per multorum temporum curricula manu propria, manibus tam episcoporum, quam procerum undique confluentium firmavit, affirmarique rogavit, & Bernardi, qui inverpituram istam fecit.

Signum Ermengardis reginæ, quæ fieri jussit, & firmari rogavit.

S. Rostagnus archiepiscopus Arelatensis.

S. Andradus sanctæ Cabilonensis ecclesiæ episcopus.

S. Isaac Gratianopolitensis episcopus.

Richardus gloriosus comes firmavit.

Ragenardus comes firmavit.

Vindo comes firmavit.

Vigo comes firmavit.

Ratterius comes firmavit.

Teubertus comes firmavit.

Signum Bernardi, qui inverpituram istam fecit.

Nota Petri de la Lande.

Quod hic Ludovicus Bosonis filius non appelletur rex, hoc ipsum adstruit epocham hujus Placiti huic anno 889. affixam, jam incepta indictione VIII. more Gallorum, scilicet ab VIII. Kalendas Octobr. ejusdem anni. Siquidem illi regis nomen, anno sequente dumtaxat, in synodo Valentina ab Arelatensis regni episcopis ac proceribus delatum est.

TICI-

ANNO CHRISTI 889.

TICINENSIS SYNODUS

Pro electione, seu confirmatione Vvidonis in Regem Italiæ anno DCCCLXXXIX. celebrata.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De Romanæ Ecclesiæ reverentia, & immunitate servanda.*
II. *De obsequio præstando summo Pontifici.*
III. *De privilegiis & possessionibus Episcopalium Ecclesiarum non minuendis.*
IV. *De episcoporum potestate super Ecclesiasticis negotiis libere exercenda.*
V. *De nulla violentia, aut gravamine Episcopatibus, Abbatiis, & Xenodochiis inferendo.*
VI. *De honore & quiete Clericalis ordinis non violanda.*
VII. *De non exigendo aliquid supra leges a plebeis hominibus, & de eorumdem recursu ad comitem & Episcopum loci, indicta etiam pœna excommunicationis contra oppressores.*
VIII. *De Palatinis, ut pacifice vivant sine depræ-datione.*
IX. *De rapinis non exercendis a transeuntibus per loca, tempore Placiti.*
X. *De excommunicationis pœna infligenda in adventantes ab exteris Provinciis, & eorum fautores, si rapinas exercuerint.*
XI. *De electione Vvidonis in Regem Italiæ, & ejusdem promissis.*
XII. *De causa hujus Synodi, & electionis.*
XIII. *De Vvidonis in Regem Italiæ declaratione.*

PRÆFATIO.

POST bella horribilia, cladesque nefandissimas quæ meritis facinorum nostrorum acciderunt huic provinciæ, disponente jura regni hujus cum tranquillitate sopitis hostibus suis insigni rege & seniore nostro Vvidone in aula Ticinensi nos humiles Episcopos ex diversis partibus Papiæ convenientibus, pro Ecclesiarum nostrarum ereptione &..... christianitatis salvatione, quæ pene jam ad interitum desolationis inclinata erat, annuente nobis eodem principe in uno congregati sumus collegio, ea videlicet ratione, ut his per quos homicidia, sacrilegia, rapinæ, & cætera facinora perpetrata erant, dignam pœnitentiam ad capiendam salutem subtractis eis a male cœpto negotio per veram confessionem Deo adjuvante imponeremus: ac ne ulterius tantum nefas excrescere, aut vires sumere valeret, pastorali provisione, & auxilio regio compescendum decrevimus.

CAPITULA.

I.

In primis oramus, optamus, operamque damus, ut mater nostra sancta Romana ecclesia in statu & honore suo cum omnibus privilegiis & auctoritatibus, sicut ab antiquis & modernis Imperatoribus atque Regibus sublimata est, ita habeatur, teneatur, & perenniter custodiatur illæsa. Nefas est enim, ut hæc, quæ A totius corporis Ecclesiæ caput est, & confugium atque relevatio infirmantium, a quoquam temere propulsari, vexarive permittatur; præsertim cum sanitas ipsius nostrorum omnium sit salubritas.

II.

Ipse quoque summus Pontifex a cunctis Principibus & christiani nominis cultoribus digno semper veneretur honore, debitaque præcellat reverentia.

III.

B Singulorum Episcoporum Ecclesiæ cum suis privilegiis & possessionibus tam interioribus, quam exterioribus inconvulse & incorrupte absque aliqua sui deminoratione, vel quorumlibet pravorum hominum injusta vexatione permaneant, sicut præcepta regum & imperatorum sibi collata continent.

IV.

Rectoresque eorum libere pontificalem exerceant potestatem tam in disponendis C Ecclesiasticis negotiis, quam in comprimendis legis Dei transgressoribus universis.

V.

Sancimus etiam, ut neque in Episcopatibus, neque in abbatiis, vel xenodochiis, aut ullis Deo sacratis locis ulla violentia, aut novæ conditionis gravamina imponantur, sed secundum antiquam consuetudinem omnes in suo statu suoque privilegio perpetuo maneant. D

VI.

Ut Sacerdotum omnium & ministrorum Christi unusquisque in suo ordine condigno veneretur honore, & reverentia, & cum omnibus rebus Ecclesiasticis ac familiis ad se pertinentibus sub potestate proprii Episcopi quietus & inconcussus permaneat, salva Ecclesiastica disciplina.

VII.

Plebei homines & universi Ecclesiæ filii libere suis utantur legibus; ex parte E publica ultra quam legibus sancitum est ab eis non exigatur, nec violenter opprimantur: quod si factum fuerit, legaliter per comitem ipsius loci emendetur, si suo voluerit deinceps potiri honore: si vero ipse neglexerit, vel fecerit, aut facienti assensum præbuerit, a loci Episcopo usque dignam satisfactionem excommunicatus habeatur.

VIII.

Palatini, qui in regio morantur obsequio,

quio, pacifice ſine deprædatione regi deſerviant, ſuis contenti ſtipendiis.

IX.

Hi vero, qui tempore placiti diverſis ex partibus conveniunt, nullam pertranſeuntes in villis, ſeu civitatibus rapinam exerceant, ſibi neceſſaria antiqua conſuetudine digno pretio ementes.

X.

Quicumque ab exteris provinciis adventantes deprædationes atque rapinas infra regnum hoc exercere præſumunt, hi cum quibus morantur, aut ad audientiam eos adducant, aut pro eis emendent, neque eos ulterius in talibus auſis ſua poteſtate defendere audeant; quod ſi fecetint, inter excommunicatos habeantur, quouſque reſipiſcunt.

XI.

Præterea quia glorioſus rex Vvido dignatus eſt nobis promittere conſervaturum ſe præſcripta capitula neceſſitate non minima confecta, & quæ in eis continentur, curam habens Deo inſpirante ſuæ noſtræque ſalutis, ſicut apertis indiciis jam demonſtrat. Ideo nobis omnibus complacuit eligere illum in regem & ſeniorem atque defenſorem, quatenus amodo & deinceps illo nos ſecundum regale miniſterium gubernante ſinguli noſtrum in ſuo ordine obedientes & adjutores pro poſſe exiſtamus illi ad ſuam regnique ſui ſalvationem.

XII.

Poſt obitum recordandæ memoriæ domini Karoli glorioſi Imperatoris & ſenioris noſtri quot quantaque pericula huic Italico regno uſque in præſens tempus ſupervenerint, nec lingua poteſt evolvere, nec calamus explicare: ipſis denique diebus quaſi ad certum ſignum ſupervenerunt qui pro hoc regno ut ſibi volentes nolenteſque adſentiremus, minis diverſis & ſuaſionibus inlectos furtive ac fraudulenter adtraxerunt. Sed quia illi ſuperveniente perſpicuo Principe Vvidone bis jam fuga lapſi ut fumus evanuerunt, noſque in ambiguo reliquerunt, tanquam oves non habentes paſtorem, neceſſarium duximus ad mutuum colloquium Papiæ in aula regia convenire, ibique de communi ſalute & ſtatu hujus regni ſolicite pertractantes decrevimus uno animo eademque ſententia præfatum magnanimum principem Vvidonem ad protegendum & regaliter gubernandum nos in regem & ſeniorem nobis eligere, & in regni faſtigium Deo miſerante præligere pro eo quod iſdem magnificus Rex divino, ut credimus, protectus auxilio de hoſtibus potenter triumphavit, & hoc non ſuæ virtutis, ſed totum divinæ miſerationis providentia adtribuit. Inſuper etiam ſanctam Romanam Eccleſiam ex corde ſe diligere, & exaltare, & eccleſiaſtica jura in omnibus obſervare, & leges proprias ſingulis quibuſque ſub ſua ditione poſitis concedere, & rapinas de ſuo regno penitus extirpare, & pacem reformare, & cuſtodire ſe velle Deo teſte profeſſus eſt. ANNO CHRISTI 889.

XIII.

Pro his ergo & aliis multis ejus bonæ voluntatis indiciis ipſum, ut prælibavimus, ad regni hujus gubernacula aſcivimus, eique toto mentis niſu adhæſimus, ſeniorem piiſſimum & regem excellentiſſimum pari conſenſu ex hinc & in poſterum decernentes.

NOTÆ EDITORUM MEDIOLANENSIUM.

1 *Ticinenſis Synodus.*) In Bobienſis Monaſterii charta e qua hoc documentum edimus, non alium titulum præfert hæc Synodus, quam ſequentem: *Synodus Epiſcoporum Papiæ*: eum autem parumper immutare non dubitavimus, opportunum rati, ut ea, quæ in ipſa Synodo continentur, primo ipſius tituli aſpectu Lectoribus paterent, præcipue cum ex hoc nihil circa rei ſubſtantiam innovaretur.

2 *Anno 889.*) Quo tempore celebrata ſit hæc Synodus, facile innoteſceret, niſi Scribarum incuria hoc Documentum Chronicis notis deſtitutum ad nos perveniſſet. Cum igitur neque ex ipſo, neque ex ejus ævi Scriptoribus, apud quos nullam hujus Synodi mentionem offendimus, aliquid certi deducere liceat, conjecturis potius, quam argumentis innitendum erit. Ex ejus ævi Chronicorum Scriptoribus patet Vvidonem circa initium anni 889. Italici Regni dominium obtinuiſſe; verum an eorum ſententiæ acquieſcendum ſit, dubitamus. Sigonii auctoritate permoti, qui Papiam a Vvidone, exeunte tantum anno prædicto, in poteſtatem receptam, ſequenti vero anno 890. *Lombardiam* in ſuam ditionem facili negotio redactam tradit. Sigonii autem auctoritatem tanti facimus, ut non immerito ambigendi locum nobis eſſe putemus de illis rebus, quas alii Chroniſtæ ſecus quam ipſe referunt: ille enim ea quæ ſcriptis conſignavit, plerumque ex authographis documentis hauſit, anilibus fabulis, atque credulæ nimis plebeculæ figmentis poſtpoſitis, quibus tamen antiqua Chronica ſcatere notum eſt; in illis inſuper res ipſæ, nulla ſervata temporum ratione, ſed præpoſtero ſæpius ordine occurrunt, cui errori Sigonius quantum potuit obviam ire ſtuduit, accerſitis in rem ſuam Imperatorum, atque Regum Diplomatibus, Pontificum Bullis, atque Epiſcoporum Synodis, quorum ope præcipuos rerum eventus certis temporibus alligare curavit. Cum ergo juxta prædictos Scriptores Vvidonem anno 889. ad Regni dominium, fuſo fugatoque Berengario, perveniſſe appareat, ac Sigonio etiam annuente circa ejuſdem anni finem Papienſem urbem obtinuerit, quamvis ſequenti tantum, totius Regni poſſeſſionem adeptum eſſe dicat, eodem pariter tempore hanc Synodum celebratam fuiſſe credere licebit; maxime cum in ipſa legamus, quod Vvidonis hoſtes *bis jam fuga lapſi, ut fumus evanuerunt*; quod de duplici prælio eum inter ac Berengarium conſerto intelligendum videtur, ac valde veroſimile ſit Vvidoni ab Epiſcopis Regium titulum tunc temporis ſolum collatum fuiſſe, quando Berengarius, qui illum Papiæ pariter acceperat, dejectus, eidem ſuſtinendo prorſus impar fuit, quod ſtatim poſt ſecundum prælium contigiſſe probabile eſt. Neque hanc Synodum poſt annum ſaltem 890. retrahendam eſſe, illud nos perſuadet, quod ſequenti anno 891. 9. Kal. Martii Vvido imperiali dignitate auctus fuerit, cujus rei mentionem nullam in ea legimus, cum tamen ejus momenti res ſit, ut inibi omittendam fuiſſe nullo pacto credamus. Cæterum Vvido Regis titulum, atque munus ante hoc tempus uſurpavit: quapropter confitmatam potius, quam collatam illi fuiſſe Regiam dignitatem in ea Synodo, dicendum eſt.

CON-

ANNO CHRISTI 890.

CONCILIUM VALENTINUM,

In quo regis nomen Ludovico Boſonis regis filio ab Arelatenſis regni epiſcopis, proceribuſque delatum eſt, anno Chriſti DCCCXC. Stephani papæ V. anno V. Odonis regis anno III.

ANNO incarnationis dominicæ DCCCXC. indictione VIII. religioſus, atque ſatis venerabilis Bernoinus, ſacræ ſedis Viennenſis archiepiſcopus, pro quibuſdam eccleſiæ ſuæ, ſive generalibus totius regni neceſſitatibus, ſedem adiens apoſtolicam, conſultu ipſius domni apoſtolici, cui cura & ſolicitudo inſtat omnium eccleſiarum, digno quoque ſuo relatu de perturbatione hujus regni retulit, quomodo poſt glorioſiſſimi Caroli imperatoris obitum, aliquandiu ſine rege & principe exiſtens, valde undique afflictaretur, non modo a propriis incolis, quos nulla dominationis virga coercebat, ſed etiam a Paganis: quoniam ex una parte Northmanni cuncta penitus devaſtantes inſiſtebant, ex alia vero Saraceni provinciam depopulantes terram in ſolitudinem redigebant. His & aliis hujuſmodi cauſis ab eo auditis, reverendus dominus Stephanus apoſtolicus, ad lacrymas uſque compunctus, tam verbis quam ſcriptis generaliter ad omnes Galliarum ciſalpinarum tam archiepiſcopos, quam & reliquos venerabiles antiſtites directis, ſuo ſanctiſſimo commonuit hortatu, ut unanimes atque concordes omnes in Ludovico, nepote quondam Ludovici glorioſiſſimi imperatoris, conſentientes, hunc ſuper populum Dei regem conſtituerent. Cum igitur diligenter comperiſſemus, quod aſſenſus ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ matris noſtræ huic faveret electioni, ſimul convenimus in civitatem Valentiam, domnus ſcilicet Aurelianus Lugdunenſis ſedis archiepiſcopus, nec non & domnus Roſtagnus urbis Arelatenſis archiepiſcopus, venerabilis quoque Arnaldus Ebrodunenſis archiepiſcopus, ipſe quoque domnus Bernoinus Viennenſis archiepiſcopus, cujus relatu voluntatem domni apoſtolici venerabiliter accepimus, cum aliis compluribus coepiſcopis tractaturi, atque ſecundum Dei voluntatem quæſituri exploravimus, ſi hunc digne & rationabiliter ſecundum monita domni apoſtolici, cujus ſcripta præ manibus habebantur, ſuper nos regem conſtituere deberemus. Aſſenſus itaque in eo omnium fuit, ut nullus melius rex fieri debuiſſet quam ille, qui ex proſapia imperiali prodiens, bonæ puer indolis jam coadoleſcebat. Cujus etſi ætas idonea ad reprimendam barbarorum ſævitiam minus ſufficere videretur: tamen nobilium principum iſtius regni, quorum non parvus eſt numerus, conſilio & fortitudine, Deo juvante, comprimerentur, maxime inclyti Richardi ducis, eximiique principis fulta juvamine, quin etiam dominæ Hirmengardis glorioſiſſimæ reginæ. Utilitas regni, inſita ſibi acutiſſima atque profundiſſima a Deo prudentia, adjuncto ſibi ſupradictorum epiſcoporum digno hortatu, proceruмque totius regni conſilio, ſecundum Dei timorem decentiſſime adminiſtrabitur. Denique freti & tanta ſublevati fiducia, per Dei, ut credimus, voluntatem, ſupradictum Ludovicum excellentiſſimi Boſonis regis filium elegimus, atque in regem ungendum decrevimus, judicantes illum ad hoc dignum, cui præſtantiſſimus Carolus imperator jam regiam conceſſerat dignitatem, & Arnulphus, qui ſucceſſor ejus exiſtit, per ſuum ſceptrum, perque ſuos ſagaciſſimos legatos, Reoculfum videlicet epiſcopum, & Bertaldum comitem, fautor regni, auctorque in omnibus eſſe comprobatur. Hac tanta talique fulti auctoritatis licentia, communi omnes in jam dictam civitatem advenientes conſenſu, hanc regiam fieri decrevimus conſcriptionem, manibuſque inſuper propriis ratam, perennibuſque eam temporibus felicem vigere præoptantes, roboravimus, ſingulique ſubſcripſimus.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

Ludovici, Boſonis filii, qui poſtea etiam Romæ imperium eſt adeptus, varia extant diplomata, Viennæ ut plurimum exarata, & Alexandri archicancellarii, qui archiepiſcopus fuit Viennenſis, nomine ſubnotata. Cujuſmodi eſt illud Arelati Kalendis Februarii anno XX. editum, quo Manaſſi archiepiſcopo propinquo ſuo confirmat res omnes eccleſiæ Arelatenſis, quas Boſo ipſius pater Roſtagno Manaſſis deceſſori conceſſerit.

CONCILIUM * VVORMATIENSE

ſive Vagionenſe. Nam idem eſt.

In cauſa Hermanni Colonienſis, & Adalgarii Hamburgenſis epiſcoporum de Bremenſi eccleſia contendentium, celebratum circa annum Domini DCCCXC. tempore Stephani papæ V.

DE hac ſynodo in libello de vitis pontificum, quem ſub titulo Luitprandi in lucem emiſit Nicolaus Serarius, in vita ſancti Stephani V. iſta ſcribuntur: *Hic Hermannum Colonienſem archiepiſcopum, & Adalgarium Hamburgenſem archiepiſcopum, de Bremenſi eccleſia contendentes, Vvormatiam ad ſynodum venire juſſit, ubi Fulconi Remenſi epiſcopo vice ſua commiſſa, cauſam eorum examinari mandavit.* Hermannus Colonienſis archiepiſcopus interfuit & ſubſcripſit Triburienſi concilio, quinto anno poſt hæc tempora celebrato; Adalgarius nominatur Bremenſis archiepiſcopus in concilio Triburienſi, quo eadem hæc controverſia agitata, Colonienſi archiepiſcopo conſenſu Formoſi pontificis adjudicata fuit. Adamus Bremenſis in ſua hiſtoria eccleſiaſtica lib. 1. cap. 41. Albertus Stadenſis anno 896.

De hac eadem ſynodo Flodoardus lib. 4. cap. 1. iſta: *Stephanus papa ſcribit Fulconi Remenſi pro altercatione quæ verſabatur inter Hermannum Colonienſem archiepiſcopum, & Adalgarium Hamburgenſem & Bremenſem epiſcopum, pro qua Hermannus eidem papæ ſuam direxerat querimoniam. Adalgarius autem & ſuam direxerat, & poſtmodum per ſe-*

semetipsum accesserat, proclamans ab Hermanno ecclesiæ suæ privilegia violari. Ideoque in suam præsentiam commonuerat utrumque venire. Sed quoniam Adalgario veniente Hermannus defuit, tantæ liti finem imponere papa distulit, ne quidpiam præpropere judicare videretur, unde rediviva contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca injungit hanc præsuli nostro sua ipsius papæ vice synodum convocare apud Vangionum civitatem cum vicinis suffraganeis limitaneisque episcopis, ad quam Hermannum Agrippinæ Coloniæ, & Senderoldum Moguntinum cum suis suffraganeis, necnon & eumdem Adalgarium occurrere jusserat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet. ANNO CHRISTI 890.

Super his quoque, subjungit idem Flodoardus, *successori hujus Formoso dominus Fulco literas mittens, qualiter hæc a præfato Stephano papa sibi sunt injuncta significavit: & ut sibi auctoritatis suæ in his exequendis scripta dirigeret, expetiit.* Nec plura ille in eam rem.

SYNODUS FORACHEIMENSIS,

IN QUA HERISIENSIS PARTHENONIS

Bona confirmantur Anno Christi DCCCXC.

QUoniam omnibus, qui curæ Pontificialis funguntur officio, id maxime convenit, ut ad divinæ laudis augmentum Monasteriorum conservationibus, & Deo ibidem famulantium utilitatibus provectibusque prospiciant. Idcirco ego Sunderholdus humilis Moguntiacensis sedis Archiepiscopus, una cum venerabili Colonienſis civitatis Archiepiscopo Herimanno, necnon & aliis Coepiscopis ac Consacerdotibus nostris, qui nobiscum ad præsentem synodum convenere, petitionem fratris nostri Bisonis Paderbrunnensis Episcopi, qua nos statum Herisiensis cœnobii unanimitatis nostræ scriptis confirmare, & corroborare postulat, censeo gratanter accipiendam. Nam nobis ostendit Cartulam quamdam continentem synodalis decreti consensum, quo venerandæ memoriæ decessor meus Liutbertus Archiepiscopus, & alii quamplures Episcopi una cum illo in synodo apud VVormatiam habita congregati, rogatu Luithardi, tunc ejusdem Paderbrunnensis sedis episcopi, qui prædictum puellare cœnobium simul cum sorore sua, nomine VValburg, primum inchoaverat, ipsum cum omnibus rebus suis tam decimis ad usus ancillarum Dei ibidem deputatis, quam possessionibus mutuatis firmum ac stabile mansurum fore decreverunt, eandemque cartulam subscriptionibus propriis corroboraverunt: alteram quoque affereus cartam, quam sæpe jam dictæ Paderbrunnensis Ecclesiæ Sacerdotes & universus pariter clerus nuper fieri postulavit, suisque subscriptionibus confirmavit, de consensu videlicet suo super statu ejusdem monasterii primites in illa parochia construendi, & de rebus omnibus, quas nunc habere videtur, illuc juste legitimeque collatis. Quapropter juxta petitionem præfati fratris & Coepiscopi nostri justum & utile satis esse credimus antecessorum nostrorum salubre decretum, quo Christi famulabus quietam & tranquillam in ejus servitio securitatem auctoritatis suæ unanimi sententia providere studuerunt, nostris quoque sanctionibus confirmare, ne quis futuris temporibus ex his, quæ vel hujus Episcopi Bisonis, vel antecessoris sui diebus illuc collata noscuntur, sive in decimis a præfata generali synodo concessis; seu possessionibus undecunque mutuatis, aut quorumlibet fidelium largitione traditis, aut deinceps tradendis, omnino aliquid auferre, vel dispositionem Monasterii destruere præsumat, nisi sese velit vinculo perpetui anathematis condemnari. Ergo ut hoc nostræ unanimitatis decretum firmiorem in Dei gratia teneat stabilitatem, nostris id subscriptionibus corroborare curemus. Idipsum Coepiscopos & suffraganeos nostros, qui modo absentes sunt, cum primum hæc in eorum manus scripta devenerint, facere postulantes, sicut eos in nullo penitus a nostræ unanimitatis consensu dissentire velle confidimus.

Actum Foracheim palatio Regio, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXC. Regni vero piissimi Regis Arnulfi anno III. Indictione VIII.

Signum Sunderholdi Moguntiacensis Archiepiscopi.
Signum Herimanni Colonienſis Archiepiscopi.
Signum Arn. Episcopi (VVirtzb.)
Signum Uniberti Episcopi. (Ferdensis.)
Signum Hrodberti Mediomatricæ sedis episcopi. (Metensis.)
Signum Godethanki Episcopi (Spirensis.)
Signum Egilmari Episcopi. (Osnabrug.)
Signum Erkanboldi Episcopi. (Aschstad.)
Signum Adalgarii Episcopi. (Bremensis.)
Signum Dadonis Episcopi. (Virdunen.)
Signum Pisonis Episcopi. (Paderborn.)
Signum Ailmari Episcopi.
Signum Agiulfi Episcopi. (Halberst.)
Signum Drogonis Episcopi. (Mindensis.)
Signum VVitberti Episcopi. (Hildesiensis.)
Signum VVolfhelmi Episcopi. (Mimigard.)
Signum Lihardi Abbatis.
Signum Faraberthi Abbatis.
Signum Halhthonis Abbatis.
Signum Gerhardi Abbatis.
Signum Godescalci Abbatis.

VITA
ET EPISTOLÆ
FORMOSI PAPÆ.

An & quando Formosus Stephano successerit?

FOrmosus religione, morum integritate, atque doctrina laudatissimus, electione tumultuaria, elevante se contra eum Sergio diacono, anno Domini DCCXCI. creatus est pontifex, vere optimus, ut constat ex Luitprando. Eumdem Stephano V. immediate surrogatum fuisse, præter Luitprandum & Flodoardum libro quarto capite primo, asserunt omnes antiqui Romanorum pontificum scriptores, omniaque veterum Græcorum antiqua monumenta. Nam in codice Columnensi Græco supra sæpius citato, ubi redarguitur pseudosynodus Photiana, successorumque Nicolai & Hadriani Romanorum pontificum series texitur, hæc habentur: Post Hadrianum hunc Joannes; post Joannem Marinus; post Marinum Hadrianus; alter deinde Stephanus V. deinde Formosus: post hunc alii quatuor, videlicet Bonifacius, Stephanus, Romanus, & Theodorus: & post hos Joannes, qui hæc scripsit. Quod igitur Leo Ostiensis historiæ Cassinatis libro primo capite quadragesimo octavo Formosum Hadriano subjungit, & Stephano V. anteponit, nisi fortasse intermediis omissis de Stephano VII. qui vulgo sextus nuncupatur, intelligi velit, erroneum est. Marianus & Sigebertus redarguunt. Marianus vero & Sigebertus, eorumque imitatores recentiores historici, nonnisi per somnum excogitasse videntur, quod Agapetum & Basilium duos imaginarios pontifices nunquam visos vel auditos Stephano ejusque posteris anteponunt. Hunc Anastasius in Nicolao magnæ sanctitatis episcopum nominat. Hincmarus Remensis archiepiscopus, teste Flodoardo libro tertio historiæ Remensis capite 20. eidem scripsit, collaudans ejus quam audierat sanctitatis & scientiæ famam, quærensque ejus habere familiaritatem: & ut ipse pro se dignaretur orare, vicem rependere spondens, & quædam ei munera mittens, ut sui memoriam in orationibus habeat. Episcopatum Portuensem multo tempore pie & sancte administravit, adeo ut judicio sanctissimi Nicolai papæ I. dignus habitus fuerit, qui ad Bulgaros fide orthodoxa imbuendos apostolus mitteretur: cumque ibidem annis plurimis degisset, gentemque illam ad Christi fidem convertisset, majorem sibi inde gloriam comparavit. Hunc Joannes papa VIII. qui magno suo dedecore res suorum prædecessorum bene dispositas visus est aversari: (nam Photium Constantinopolitanum & Zachariam Anagniæ episcopum, quos Nicolaus & Hadrianus prædecessores Joannis sæpius damnaverant, vixque ad pœnitentiam vel laicam communionem recipiendos esse juste statuerant, ille non tantum restituit, verum etiam ipsum Zachariam Anagninum honorifico munere bibliothecarii apostolicæ sedis auctum, consiliarium suum fecit, eique legationes plures credidit,) episcopatu depositum, degradatum, & ad sortem laicorum redactum ab urbe relegavit, jurareque coegit, se nunquam episcopatum suum repetiturum; sed laica communione contentum deinceps quieturum. Qua de causa Joannes in eum hac ratione animadverterit, non constat: nisi quod fortasse ob res male gestas, a Formoso correptus, & admonitus, ipsum velut rebellem ex albo episcoporum eradendum esse putaverit. Marinus Joannis papæ successor, virum meritis supra recensitis insignem apostolatus honore, condecoratum, hac ignominia obrutum, ut par erat, erexit, erectumque haud dubie a juramento per vim & metum extorto absolvit, & pristinæ dignitati restituit. Obtemperans & sententiæ & mandato pontificis Formosus, episcopatum resumpsit. Cumque hoc potissimum tempore pessimorum tyrannorum invasione Romana ecclesia gravissime affligeretur, ipse vero Formosus Portuensis episcopus toto terrarum orbe, ut supra ex Flodoardo & Luitprando ostendimus, sanctissimus simul & doctissimus haberetur & coleretur: bono totius ecclesiæ catholicæ, prout sæpius factum fuerat, ex episcopo Portuensi ad moderandas habenas totius orbis catholici translatus est ad episcopatum & pontificatum Romanæ ecclesiæ: cujus initio, epistolam illam, quam Stylianus destinaverat ad Stephanum V. priusquam Romam afferretur defunctum, accepit, aliamque infra extantem reddidit. Valde solicitus fuit, ut Carolum Simplicem filium Ludovici Balbi legitimum Galliarum regni hæredem in regno stabiliret, ut videre est ex epistolis, quas hac de re apud Fulconem. VVidonem qui ante 15. annos sibi nomen imperatoris usurpaverat, ut ex quodam antiquo diplomate docet Baronius, anno pontificatus sui 2. filium vero ejusdem VVidonis Lambertum sequente anno, Occidentis imperatores legitime creavit, unxit & coronavit. Quare non aliter quam per surreptionem, ut acta concilii Romani sub Joanne IX. testantur, accidisse potuit, quod idem pontifex Formosus anno pontificatus sui sexto & ultimo Arnulphum vocaverit, eique coronam imperii occidentalis imposuerit. Corrigendus est igitur communis error chronographorum, qui contra præscriptum sacrorum Canonum, & auctoritatem sedis apostolicæ, post Carolum Calvum, VVidone & Lamberto omissis, in serie occidentalium imperatorum enumerant Arnulphum, qui legitime nunquam electus & coronatus, imperatoris titulo nunquam condecorandus erat. Per electiones & coronationes supra enarratas civium Romanorum invidiam & odium maximum incurrit; eorumque vivens simul & mortuus gravissimas injurias, contumelias ac sacrilegia sustinuit. De iis quæ a Romanis civibus passus est vivens, Luitprandus lib. 1. cap. 8. his verbis enarrat; Hoc in tempore Formosus papa religiosus a Romanis vehementer afflictabatur, cujus & hortatu rex Arnulphus Romam advenerat. In cujus ingressu ulciscendo papæ injuriam multos Romanorum principes obviam sibi properantes decollari præcepit. Quas injurias, quæve probra successores illius Stephanus VI. & Sergius III. vel per facti ignorantiam, vel per summum sacrilegium eidem pontifici intulerit, quomodo exhumatus & tribus digitis

Marinus Formosi restituit

Formosi cur ponens factus e Portuen episcopo

Quos imperatores coronavera

Arnulphi chronolo imperato Romanor eximendi est.

Formosus quid in passus?

Formosi post mo judicatu exhumat

Quid a Joanne VIII. passus?

gitis mutilatus sit, iteratis & repetitis ordinibus eorum, quos Formosus ordinaverat, dicam infra in vita Stephani VI.

Anno Domini 896. pontificem a scriptoribus hujus temporis valde commendatum obiisse, postquam 6. annis sedem pontificiam tenuisset, testantur Regino, Luitprandus, & Adamus Bremensis. Errant ergo recentiores, qui anno 895. anno pontificatus sui quinto, eumdem ex hac vita decessisse scribunt. *Hæc Baronius tom. X. annalium.*

EPISTOLA I. FORMOSI PAPÆ AD STYLIANUM NEOCÆSAREÆ

Euphratesiæ provinciæ episcopum.

Respondet literis a Styliano ad Stephanum papam V. missis, quas supra descripsimus.

LIteras sanctitatis tuæ ad apostolicam sedem missas, *&c. Ita decurtata in codice habentur, & post multa brevitatis causa omissa hæc sequuntur*: Petis misericordiam, & non scribis quomodo sit exhibenda, neque cui, sæculari, videlicet, vel sacerdoti. Si enim sæcularem dixeris, venia dignus is erit, tanquam a sæculari dignitatem adeptus: si vero sacerdotem dicas, non adhibes mentem quod dignitatem præbere non potuit qui dignitatem non habebat. Nihil potuit dare Photius præter damnationem quam habuit, per impositionem obliquæ manus, & damnationem præbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere qui particeps factus est condemnato? Quoniam pro ordinato misericordiam obtinere petis, animadverte quod ordinatorem potius foves, juxta Domini sacrum eloquium: *Vel facite arborem bonam & fructus ejus bonos: vel facite arborem malam, & fructus ejus malos. Numquid potest ficus uvam producere, vel vitis ficus?* Oportebat igitur istam ecclesiam, in qua talia deprehenduntur facta; gravissimas dare pœnas, ut hujusmodi pœnis vestra ecclesia purgaretur. Continet autem nos benignitas & fratrum dilectio, quæ nobis persuadet ut alia quidem toleremus, alia vero omnino e medio tollamus. Quapropter misimus e latere nostro religiosissimos episcopos Landenulphum Capuanum, & Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hortamur convenire, nec non Theophylactum metropolitanum Ancyræ, & Petrum fidelem nostrum: ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem & legum eversorem sententia a prædecessoribus œcumenicis pontificibus synodice prolata, necnon a nostra humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum iis vero qui a Photio fuerunt ordinati misericorditer nos gerentes, decernimus ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentia veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris literis mandata conspiciuntur, una cum prædictis viris sanctitas tua peragat, nec aliquid addendo, nec diminuendo aut commutando. Ita enim & a nobis, & a reverentia tua in communionem fidelium receptis ut laicis, scandalum delebitur. His vero peractis, si quis ipsorum communicare renuerit, noverit seipsum a communione nostra alienum fore. In Domino valete.

EPISTOLA II. AD ADALGARIUM ARCHIEPISCOPUM HAMMABURGENSEM.

Decernit, ut Hammaburgensis Ecclesia Bremensem ad subsidium habeat, donec suffraganeos instituere valeat.

Formosus servus servorum Dei Reverendissimo & sanctissimo Adalgario Archiepiscopo Hammaburgensi.

ARbitramur tuam sanctimoniam, prout injunctum fuerat, ad Apostolicam sedem festinare, quatenus disceptatio, quæ inter te & Hermannum Agrippinæ Coloniæ reverendissimum archiepiscopum ventilatur, de Bremensi ecclesia finem acciperet. Sed ipso per suos vicarios insistente, & querimoniam multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam, saltem per defensorem vicarium, non modicum miramur. In quo suspicare tribuitur summopere, contentionem non odire, qui judicii æquitatem conatur subterfugere: præsertim cum & Maguntiæ sanctissimus Archiepiscopus, cui de hac re, ut veritatem inquireret per confratres & conlimitaneos episcopos injunctum fuerat, ad nos scribens significaverit; quatenus venientibus reverendissimis episcopis ad Frankenford, de hac eadem re diligentissima facta fuerit inquisitio, omnesque Diœcesani ejusdem Colonienses Episcopi, Francho videlicet Tungrensis, Vodelbaldus Trajectensis, VVofelmus Mimigardevordensis, Druogo Mimidomensis, Egilmarus Osnabrugensis, sub testificationis prætextu testificati sunt, usque ad te nullum Brumensis Ecclesiæ Præsulem modum subjectionis Colonienſi Antistiti contempsisse, sed semper decessores tuos, qui eidem Bremensi Ecclesiæ præfuerunt a temporibus suæ Christianitatis, sedi Colonienſi fuisse subjectos. Verum quia tantorum virorum testimonium frustrari non expedit, & ad statutum veniendi tempus festinare vel delegare vicarium distulisti, tanti temporis querimoniam, ac Legatorum constantem instantiam nihili pendere inhumanum videbatur. Quapropter artati, hinc ne Colonienſis Ecclesia justitiam perderet, inde ne Hammaburgensis Ecclesia, quæ ad Gentium vocationem instituta fuerat, subsidio destituta deficeret; dispensative censuimus, quatenus quoadusque divina suffragante gratia, prælibata Hammaburgensis Ecclesia intantum dilatetur, ut Episcopiam instituere valeat, jam memoratam Bremensem Ecclesiam ad subsidium habeat; & quoties in magnis ac præneceſſariis canonicis negotiis oportuerit, non subjectione aliqua, sed affectu fraternæ caritatis Hammaburgensis Archiepiscopus, qui ejusdem Bremensis Ecclesiæ regimen obtinet, per se aut vicarium suam vicem gerentem, in adjutorium Colonienſis Archiepiscopi invitatus accedat. Dilatata autem Hammaburgensi Ecclesia, largitore omnium bonorum amminiculante, & fundatis Episcopiis, sæpe memorata Coloniæ sedes Bremensem recipiat ecclesiam. Inhumanum quippe est inter sæculares, aliena jura pervadere: quanto magis sanctissimos Episcopos statutos a Patribus transgredi terminos, & eos litigare, qui pacis debent subditis exempla præbere? Hæc autem ad hoc decreta est dispensatio, ut pax vigeat, cesset contentio, & justitiæ vigorem misericordiæ compassio temperet, scientes sine pacis bono nullum Deo munus fore acceptabile.

Ex Henschen. Act. SS. Mens. Febr. die 3. in Comment. prævio ad Vitam S. Anscharii.

ANNO CHRISTI 891. Ex Suppl. Manſi pag. 1066.

☞ IN FORMOSI PAPÆ EPISTOLAM, *ſeu Diploma*, V. CL. DOMINICI GEORGII RHODIGINI ADMONITIO.

In adnotat. ad Pagium ſubjectis noviſſimæ edit. Baronii, & Pagii ad hunc annum edit. Lucenſis.

IN eccleſia Gerundenſi aſſervatur diploma Formoſi Romani pontificis papyraceum, Servo Dei Gerundenſi epiſcopo datum. Nuper hoc diploma edidit Martenius in collectione ampliſſima Anecdot. tom. I. pag. 239. Ego vero illius exemplar ex autographo Gerundenſi deſcriptum anno 1736. accepi, & cum edito contuli, atque inveni exemplar Martenii ad ea verba *; in perpetuum ſtabilimus* deſinere; reliqua deeſſe. Deſiderantur autem in autographo pontificiæ datæ; in contextu tamen habetur *Indictio decima*, ex quo colligitur, hoc diploma anno Chriſti 892. datum fuiſſe. Petrus de Marca in appendice Marcæ Hiſpanicæ pag. 384. ex chartulario eccleſiæ Gerundenſis profert diploma Romani ſummi pontificis Servo Dei epiſcopo Gerundenſi, quod iiſdem ferme verbis conceptum eſt ac illud Formoſi, ſi pauca excipias; aliud item exhibet ejuſdem Romani pro eccleſia Helenenſi, & lib. III. Marcæ Hiſpanicæ pag. 370. de epochis horum diplomatum diſſerit, quas ad examen vocat Pagius ad annum 897. num. VI. Interim Formoſi diploma pro Eccleſia Gerundenſi ad fidem prototypi hic dandum cenſemus.

FORMOSI PAPÆ BULLA PRO ECCLESIA GERUNDENSI.

Formoſus epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. & S. ServoDei ſanctæ Gerundenſis eccleſiæ epiſcopo, & per te in eadem venerabili eccleſia in perpetuum.

Ibid.

SIcut per donum ſancti Spiritus beato apoſtolorum principi Petro, & cæleſtis regni clavigero ligandi atque ſolvendi ab ipſo Domino tradita eſt poteſtas Evangelica, ſubſequente lectione, quæ ita inter cætera ait: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam* *, & reliqua &c. Ita ſedes apoſtolica, canonica, legalique auctoritate ſuffulta, omnibus eccleſiis Dei per univerſum orbem diffuſis ſuffragia, & juſta poſtulationis ſubſidia ut præbeat, tam divini, quam humani juris ratio poſtulat. Igitur veniens jam dicte Serve Dei venerabilis epiſcope cauſa orationis ad eorumdem ſanctiſſima beatorum apoſtolorum limina ſubjeciſti nobis, quatenus apoſtolicæ noſtræ confirmationis privilegia confirmare deberemus, omnes res mobiles ejuſdem Gerundenſis eccleſiæ, in honorem Sanctæ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, ubi beatus Felix Chriſti martyr corpore requieſcit, hoc eſt domos, pleves, cellas, eccleſias, villas, & inſulas, Majoricam ſcilicet, Minoricam, curtes, parochias, terras, vineas, prata, ſylvas, una cum familiis utriuſque ſexus, cum omnibus adjacentiis ſuis, quæ a piis imperatoribus, regibus, vel aliis Deum timentibus in eadem Gerundenſi eccleſia collata ſunt, ſicut ipſe nunc uſque legali ordine tenere videris. Unde ſalubribus petitionibus tuis inclinati decernimus, & a præſenti hac decima indict. per hoc apoſtolicum noſtrum privilegium roboramus, confirmamus, & in perpetuum ſtabilimus, in uſu, & utilitate ejuſdem eccleſiæ Gerundenſis, cui præeſſe dignoſceris, id eſt, omnes domos, cellas, eccleſias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, ſylvas una cum famulis, & alia omnia, quæ ab imperatoribus, regibus & aliis Deum timentibus in eadem eccleſia collata ſunt, ſeu conferenda erunt, ſimul cum Raſicum, ſeu Paſchuarium ſub tua tuorumque ſucceſſorum ditione poteſtate omnimodis confirmamus; ſtatuentes ſub apoſtolica cenſura, ſeu divini judicii proteſtatione, & anathematis interdicti, ut nulli unquam magno, vel parvo homini liceat quamlibet fortiam, vel oppreſſionem in omnibus rebus ejus facere, aut poteſtatem aliquam habere, vel aliquam diſtringere, aut qualitercumque toloneum ab eis exigere, ſive ..... ubicumque eos pro quibuslibet cauſis provocare præſumat; ſed a providentia ſui epiſcopi cauſa illorum audiatur, & canonice terminetur. Si quis autem, quod non optamus, contra hoc privilegium a nobis ſtatutum temerario auſu agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculis omnodatum, & niſi ſe arripuerit a te ..... *Cætera deſiderantur.*

Matth 16.

III.

AD MONACHOS S. THEUDERII

Immunitatem & bonorum ſuorum firmum & ſtabile jus concedit.

Formoſus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerandæ congregationi monachorum venerabilis monaſterii S. Theuderii confeſſoris Chriſti, ſiti in territorio Viennenſi, in perpetuum.

QUanto nos piorum locorum, juxta quod nobis divinitus eſt commiſſum, ſtudioſius curam gerimus, tanto nobis copiam mercedis acquirimus, & ſtatus illorum potiori vigebit regimine; & ideo vera devotio per Barnoinum reverentiſſimum archiepiſcopum Viennenſem noſtro ſuggeſſit apoſtolatui, ut ipſum venerabile monaſterium una vobiſcum apoſtolica muniremus auctoritate. Unde nos omnium ſolicitudinem gerentes, & maxime audientes vos de Trecaſſino Comitatu ex Monaſterio Dervo a facie paganorum elapſos, & quod ab eodem venerabili archiepiſcopo miſericordirer ſuſcepti eſtis; inclinati precibus veſtris, per hujus Apoſtolicæ noſtræ auctoritatis privilegium vos inibi firmiter, & quiete Deo militare confirmamus, & quæ neceſſaria eſſe videntur loco, & monaſterio diu noctuque inſtantiſſime operari, & canonicæ, immo B. Benedicti regulæ obedire, tam in eccleſiæ reſtauratione, quam ubi & ubi expedit, ea ſcilicet ratione, ut neque eidem venerabili archiepiſcopo, neque cuilibet ſucceſſorum ſuorum licitum ſit illis durum ſervitium imponere, neque longiſſimi itineris profectionem; ſed neque manſionaticos oneroſos, neque cenſum, præter id quod impoſitum eſt, in feſtivitate prædicti ſancti Theuderii in fine anni libram argenti. Et præterea decernimus & ordinamus & conſtituimus & conteſtamur, ut decedente, more humano, prædictæ congregationis Abbate, neque præſens præfatus epiſcopus, nec quiſquam ſucceſſorum illius aliquo typo & faſtu ſuperbiæ, aut avaritiæ, & cupiditatis, & iracundiæ alium abbatem aliquo tempore & aliquo modo ipſi congregationi imponere præſumat, niſi quem ipſi monachi, libera electione, & devotione, ſecundum regulam S. Benedicti ſibi elegerint.

Ex Acher. Spicil. to. III. edit. 1.

Sed

Sed neque ex his omnibus, quæ præsentialiter A obtinent, mobilibus, & immobilibus, & quæ deinceps a senioribus & aliquo modo juste promereri potuerint, ullo modo exinde aliquid auferatur ab aliquo, neque minuatur; sed neque commutetur, nisi per voluntatem Monachorum: quin etiam si contra hanc auctoritatem quis agere tentaverit, nullatenus a quolibet nostram abeundi præsentiam, successorumque nostrorum abbati, & monachis denegetur & prohibeatur, sive insidietur facultas: & propter adjutorium omnipotentis Dei impetrandum, & intercessionem sancti Petri, & nostræ caritatis auxilium, Abba illorum, nomine Adalricus, taliter cum reverentissimo archiepiscopo Barnoino limina sancti Petri acceleravit. Qua dilectione, & apostolatus nostri auctoritate commoti rogamus & petimus, & ex Deo, & per Deum, & per sancti Petri meritum, nostrique ministerii reverentiam adjuramus, & contestamur, ut nullus nobilium & potentium vicinorum, & extra advenientium, & circumquaque degentium, aliquatenus mala illis inferre præsumat, & absque lege inquietare, & mobilia, & immobilia usurpare; sed neque servientes illorum destruere quisquam pertentet; & amodo volumus eos securos, & quietos permanere, Apostolica protectione tutos, atque munitos, cum omnibus rebus immobilibus, & mobilibus ad ipsum venerabile monasterium pertinentibus. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc privilegii nostri statutum (quod ad laudem Dei C omnipotentis, & ejusdem pii loci stabilitatem fieri decrevimus) in toto, & ex parte agere præsumserit, & in omnibus non observaverit, sciat se auctoritate B. Petri apostoli, atque nostra anathematis vinculis innodandum, & a regno Dei, nisi resipuerit, alienandum: qui autem verus custos, & observator extiterit, benedictionem, & gratiam a Domino consequi mereatur. Scriptum per manum Anastasii Scrinarii S. R. E. in mense Novembrio, indictione x. Bene valete. Data VII. Kal. Decembris per manum Sergii primicerii, Defensoris sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo PP. Augusto Vidone a Deo coronato magno imperatore anno I. & post consulatum ejus anno I. Indictione x. D

ALIARUM QUARUMDAM FORMOSI EPISTOLARUM ARGUMENTA

Ex Flodoardi Historia Remensi lib. IV. cap. II. & III. ejusdemque de Romanis pontificibus Carmine.

FORMOSUS AD FULCONEM.

Flod. de Pontif. Formoso.

ILle rependit ad hæc, studeant moderamina summi
Rectoris pariter verbis attollere & actis,
Juxta quod collata sibi fert gratia cuique:
Ne vacui sub ea servi culpentur haberi.
Quin aptos per eam fructus afferre laborent.
Illicita inhibeant, infandaque germina vellant,
Et cunctis Christi famulis suffragia præstent.
Cujus opis causa cupit hujus noscere curam,
Deplorans miseras clades hominumque labores,
Hostis & antiqui captantia retia fraudis,
Qui genus humanum crudeli pellicit æstu.
Hinc hæreses, hinc bella movens, & crimine gaudens,
Sanguine ferveſcens odiorum litibus ardens,
Atque orientales hæreseum schismate rumpens.
Unde Sacerdotes suadendo commonet, arma
Corripiant, arcamque levent discrimine sævo.
Conveniant igitur medium sibi poscere Christum,
Qui consulta ferat, det opem, faciatque salutem. ANNO CHRISTI 891.
Ad quod pontificem rogitat contendere nostrum,
Accingi, properare, moras disrumpere cunctas,
Auxiliumque malis mundo conferre ruenti.
Christus sit via, dux Christus, victoria Christus.
Nec satis est monuisse semel, monitusque paternos
Haud iterare piget, Matris succedere cladi,
Disponi Synodi generali jure gerendam,
Ad quam festinet nullo impediente relentus
Pondere desidiæ, uberius simul omnia tractent,
Quæ tractanda fient: oracula clarius edant.
Barbaricæ gentis quis Francia regna procellis
Turbantur, nimium dolet; atque ut dextera summa
Has reprimat, procerum Christi suffragia poscit.
Privatæ legis munimine jura petita
Remensi fert ecclesiæ retinenda, docendo
Ac proibendo nefas, ne quis præsumat inique
Attrectare sacris possessa, aut demere cessa.
Nullaque Pontificum, Regum, Comitumve potestas,
Illicite usurpans, proprio inflectat in usus,
Quæ sunt ecclesiæ. Quam præsul forte vacantem
Nullus, ut invadat, violentum adspiret in ausum;
Nec nisi condigno præsul statuatur honore,
Pontifices, Reges, Clerus, subjectaque plebes
Provideant, operante Deo, ut bene tradita servent,
Amplificent, decorent, supera mercede propagent.
Dispositum digne præmisso præsule quisquam
Non mutilare decus, non immutare subintret:
Usibus at maneant servorum dedita Christi
Integra pontifici, dignis tractanda ministris.
Hæc contra quisquis præsumserit acta venire
His se multarum scitis anathemate norit:
Servator vitam mereatur habere perennem.

FORMOSUS AD FULCONEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

MOnet eum compati debere Romanæ ecclesiæ, atque imminenti ejus subvenire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare: adjungens hæreses undique ac schismata pullulare, nec, qui ad resistendum occurreret, esse. Dicitque longo retroacto tempore pernicioſas hæreses Orientem confundere, & Constantinopolitanam ecclesiam nociva schismata; simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter episcopos ipsarum provinciarum schismate. Diversarum quoque partium legationes diversa responsa petentes instare. Cujus rei gratia generalem synodum die Kalendarum Martiarum, indictionis XI. se inchoare disposuisse, ad quam eumdem, remota omni dilatione, admonet festinare, ut colloquendo, largius de his valeant pertractare, & affluentius ad cōsulta singula respondere. Normannicæ gentis procellas, quibus asserebat se perturbari, plurimum dolere, ut eos excelsi dextera reprimat, Apostolorum principum suffragiis intervenientibus, implorare. Literas vero, quas significaverat ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime perveniſſe. Miserat alias etiam, pro

Ex Flodoardi Hist. Remensi.

☞ pro hac eadem ſynodo celebranda, pridem huic quoque Præſuli noſtro literas, quam decreviſſe ſe aſſerit incipere mediante Majo menſe, indictionis x. In quibus literis fatetur Italiam tunc ſemel, & ſecundo horrida bella perpeſſam, & pene conſumptam. Orientalium vero partium ſe deflere veſanam hæreſim, in Chriſtum Jeſum blaſphemiam continentem. Mittit ei præterea petitum ſuper quibuſdam præſtariis privilegium, commemorans beatum Remigium genti Francorum, Romanæ ſedis auctoritate, cum gratia Dei apoſtolum conſtitutum. Bernam quoque villam, quæ inique dudum ſubtracta fuerat, Remenſi eccleſiæ reſtitutam. Duodeciacum quoque, ſed & ea, quæ domnus idem Fulco per precarias obtinuerat, Rodemiam videlicet, & Margolium., Laſtemnam, & Guiglejum, atque Virtudem, nec non abbatiam, quæ dicitur Campellis, Attejas etiam, & Maniacum aliaſque res, quæ dudum ablatæ, tunc redditæ fuerant eccleſiæ Remenſi, reſtitutas auctoritate confirmat apoſtolica: ut eas vel cæteras ejuſdem eccleſiæ poſſeſſiones nemo præſumat auferre, vel invadere. Sanciens inſuper auctoritate beati Petri, ut nemo regum, nullus antiſtitum, nemo quilibet chriſtianus, decedente Remorum epiſcopo, ipſum epiſcopatum, vel res ipſius eccleſiæ ſuis compendiis applicet, neque ſub ſuo dominio teneat, præter ipſius civitatis epiſcopum. Sed & eamdem metropolim non ultra conſtitutionem canonicam ſine regulis eccleſiaſticis conveniente paſtore manere cogat, neque aliter ibidem epiſcopum, niſi ut ſacri canones jubent, conſtitui faciat. Promulgans etiam, ac ſtatuens, ut per ea, quæ idem venerabilis præſul Fulco de villis hujus eccleſiæ ac facultatibus earum, uſibus eccleſiaſticorum ornamentorum, vel luminarium, ſeu ſub ſtipendiis canonicorum, ac monachorum, atque ſanctimonialium, ſeu matriculariorum, & hoſpitum, vel pauperum conſtituerat, perpetuo inconvulſa permaneant, hanc auctoritatem ſui decreti ſub anathematis vinculo violatoribus innodatis, corroboraus. Imperatorem quoque Vvidonem coronatum eodem anno ſignificans, indictione decima.

ANNO CHRISTI 891.

AD EUMDEM FULCONEM.

ALiud privilegium pro monaſterio Avennaco, atque pro eo monaſterio, quod Rodulfus abbas in honore S. Calixti Martyris & papæ ex hæreditario proprietatis ſuæ jure conſtructum, huic Remenſi conceſſerat eccleſiæ, tam eadem cœnobia, quam omnes poſſeſſiones liberalitate regali, vel aliorum Chriſticolarum munificentia Remenſi collatas eccleſiæ, ſive quas idem præſul adquiſierat, aut deinceps adquiſiturus erat, eidem eccleſiæ apoſtolica corroborans, & ſtabiliens poteſtate. Hic quoque Lantbertum filium Vvidonis anno ſecundo imperii patris ipſius novum imperatorem factum fuiſſe deſignat.

EJUSDEM EPISTOLÆ ARGUMENTUM

Carmine expreſſum.

REbus Avennaci ſuper almi, & jure Caliſti.
Tum decreta paci provexit, & robore fulta.

AD EUMDEM.

PRo diœceſanis provinciæ Remenſis epiſcopis, quod audierat, eorum quoſdam hujus archiepiſcopi ſui audientiam contemnere, ſcribens eidem, ut ſuos conveniat ecepiſcopos, cæterorum quoque, quos ipſum viſum fuerit epiſcoporum collegium convenire denunciet, ut de tanto neglectu ſynodali ſimul actione perquirant, & quidquid oportuerit canonica, atque apoſtolica muniti auctoritate decernant: ſubjiciens, ut nemo a tam Deo digno ſe ſubtrahat opere, qui Apoſtolicæ ipſius particeps voluerit communioni exiſtere. Item pro evectione Karoli ad regimen regni, quem domnus idem Fulco ad regium culmen adhuc puerum provexerat, & de criminibus Odonis regis, vel correptione ipſius qualiter eſſet agenda: pro quibus rebus idem archiepiſcopus huic papæ ſcripta ſua conſilium, & auxilium ab eo petendo direxerat.

ANNO CHRISTI 1.

EJUSDEM EPISTOLÆ ARGUMENTUM METRICUM.

PRæterea quod compererat per devia quoſdam
Pontificum ferri, populiſque exempla ruinæ
Dedere, & increpitos non digna rependere ſuaſis;
Quin & deteriora ſequi, nec dira cavere:
Non ſine mœrore gravi tolerare fatetur.
Ad pacem invitans, extinguere ſcandala quærit,
Pontificum faſtu Chriſtus quia temnitur atro.
Noſter & antiſtes dolet, arguit, increpat, angit.
Unde monens mandat junctos hunc cogere Patres,
Atque alios accire probos, decretaque legis
Pandere divinæ, ſynodum celebrare vigore
Ceſſo juris apoſtolici munimine fultam,
Noxia vellendo gregibus, profutura ſerendo.
At ſi quid fuerit perverſæ litis obortum;
Præſulis eximii ſervetur cognitioni,
Dante Deo dignum valeant ut fumere finem:
Cui ſe concilio tentet ſubducere nemo,
Quiſquis apoſtolici conſors cupit eſſe favoris,

AD EUMDEM

Metricum.

PAce laborantis congaudens præſulis actis,
Admonet his cauto Folconem inſiſtere niſu,
Pax odiis ne inconſulte quæſita faceſſat,
Regia neu celſi generis ſcintilla teratur.
Crimina ſceptrigeri prudenti arcenda medela,
Regmine pro regni ne peſſima ſcandala ſurgant.

AD ODONEM REGEM.

UT ab illicitis recederet, nec eundem regem Karolum, vel quæque ipſius eſſent, infeſtaret, induciaſque belli differendo daret, donec idem præſul, Fulco ſcilicet, Apoſtolicam ſedem adire ſtuderet.

IDEM ARGUMENTUM METRICUM.

HÆc eadem exhortans ad pacem ſcribit Odoni,
Ne Carolum contra bellum moveatur iniquum,
Ne vetitos ineat fines invadere nitens.
Externi quæ ſunt juris cupiduſque, rapinis
Abſtineat, vitans rectos traſcendere calles.
Quæ Domino placeant ſolerti mente retractet,
Ante oculos ſtatuens ejus ſub amore timorem.

AD

A

AD ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS GALLIARUM.

UT conveniant atque commoneant eundem regem Odonem, ne illicita perpetrentur, & ne aliena usurpentur: sed bellum sedetur, & omnis hostilis commotio sopiatur, vel induciæ belli, donec Fulco Romam, ceu dictum est, adeat, edicantur; ipsique studeant interim cuncta differre, & pacem ac unanimitatis concordiam recreare.

AD CAROLUM REGEM.

EJus congratulatur eminentiæ atque devotioni, quam rex idem se significaverat erga sedem apostolicam gerere; qualiter ei sit in regno agendum, succincte lucideque demonstrat: quem petierat, ei panem benedictum pro pignore mittens, & de itinere præfati præsulis nostri ad sedem apostolicam monens.

IDEM ARGUMENTUM METRICE.

HOrtatu Carolum solers gratanter honorat,
Gaudens hunc patriæ provectum culmine sedis,
Atque petens Christo placitum per tempora longa
Crescere justitia, pietate, & luce sophiæ,
Ac monet, ut Dominum cordis præ lumine ponat,
Jussibus ipsius totis conatibus hærens.
Diligat, & servet quæ justa, ac recta probarit.
Admoveat justis aurem, divertat iniquis.
Sit virtute animi, carnis præstantior usu,
Corporis ac mentis hostes ut sternere possit,
Se quoque quæ valeat spondens argumenta daturum.
Panem pro grato benedictum munere legat,
Quæsierat geminæ quem rex sub dote salutis.
Solertes cum quis tractentur commoda mandat,
Immo Sacerdotem Folconem ad talia mittat,
Cujus consiliis utillima quæque decori
Edantur, Regis cumulandi, & culminis apta.

AD FULCONEM.

HÆc supradicta ad præmissas personas se destinasse scripta commemorat, ipsius videlicet suggestione de pace vel induciis belli inter Odonem & Karolum differendi.

IDEM ARGUMENTUM METRICE.

QUorumdam querulo nimium clamore petitus,
Urbem indigna pati queritur, metuitque clientes,
Sedandis quibus exhibeat se Folco reposcit.
Comperto tandem is veri moderamine præsul,
Quam sit apostolicis fidus, quam jussibus ardens;
Parere æthereis gaudet, grateque rependit,
Spondens se in quibus expediat præbere benignum:
Hujus & ad votum Regum prestisse duellum.
Præsulibus, regique ideo mandata dedisse,
Totius ipse Petri valeat quo visere sedem.

AD EUMDEM.

ANNO CHRISTI 891.

SCribit pro discordia sedanda, quam audierat insurrexisse pro Maniguldi ab Alberico perpetrata interemptione. Item petens eumdem pro cujusdam Grimlaici, dilecti sibi Sacerdotis, ad episcopatum, ubi se locus obtulisset, promotione.

AD EUMDEM.

LAudibus attollit eumdem, congratulans ejus dilectioni atque sollicitudini, quam gerebat erga Lantbertum imperatorem, de cujus fidelitate & stabilitate monet eum semper fieri solici-
B tum, veluti consanguinitatis propinquum: asserens se cum ipso tantam pacis, & dilectionis habere concordiam, ut nequeant aliqua jam ab invicem pravitate sejungi. Notificat quoque Richardum, Manasem, atque Ramponem excommunicatos a se, atque perpetuo ligatos anathemate, pro eo quod tam nefandissima perpetraverint, ut Teutboldo Lingonensi episcopo oculos eruerint; Waltarium Senonensem, propria depulsum sede, custodiæ mancipaverint: mandans ut secum de his sentiat convocatis omnibus suffraganeis suis episcopis, canonicum super eis, quod exercuerat, judicium pari modo determinet.

IDEM ARGUMENTUM METRICE.

C

HUnc quoque fratris honore colens, specialia legat
Munia carorum, tutandum poscit honorem,
Scandala proterere, & pacis connectere vincula:
Frænare implacidos, & ad almam cogere pacem,
Idque Petri latum fidat sibi munere donum.
Lambertum Augustum, Folconis carne propinquum,
Ut proprium se tutari solamine natum
Significans, nostri gratissima præsulis effert
Vota, quibus Petri veneratur honore cathedram.

D

AD ANSCHERIUM PARISIENSEM EPISCOPUM

Argumentum metricum.

SAcrilegos quosdam sacrati culminis atros
Carptores, summi capitis clarissima membra
Attemerare ausos, anathematis ense recisos
Notificans, monet hunc nodos dignæ addere multæ.
Sceptrigeri quoque cognati pro culmine certet.
Sicque Parisiaco legans mandata patrono
Hos Anscherio notat esse omnino cavendos,
Ac vitanda nigri consortia dira furoris.

E

AD ECCLESIAM SENONENSEM

Argumentum metricum.

ECclesiam solans Senonum pastore gementem
Addicto latebris, damnando criminis ausu:
In Domino sperare monet; patienter acerba
Spe decoris ferre ætherei virtute Tonantis.
Fidere se proprio solandam Præsule viso.
Se damnasse feros; patribusque notasse terendos
Flamine divino, ne quis dein talia tentet.
Missurum se legatos, ubi tempora digna
Se tulerint, quis sedentur hujusce procellæ.

AD

ANNO CHRISTI 891.

AD RAMPONEM
Argumentum metricum.

LIngonigi sævo raptori præsulis orsa
Dirigit, ut tandem gestis resipiscat amaris,
Pontificem reddat, damnet quæ dira patrarit.
Sin secus, æternæ plectetur tormine culpæ.

AD ODONEM REGEM
Argumentum metricum.

SAcrilegii super his patrios delegat Odoni
Sceptrigero monitus, ut sciat hos anathemate plexos,
Quos nec suscipiat, nec eis affamina jungat
Ipsorum sese maculari crimine vitet;
Quinimmo ecclesiæ præstans solamina tritæ,
Protegat, auxilium impendens, ubi viderit aptum.

AD CAROLUM REGEM.

HÆC eadem Carolo mandata tenenda relegat.

AD VVALTARIUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM
Argumentum metricum.

VValtarium Senonum, temerantem oracula legum,
Corripit increpitans; Trecassinæ intulit urbi
Regmina non lecti cur Præsulis, atque recepti.
Ex alia ecclesia contra decreta paterna.
Quem removens, lectum statuit, moderamina tradit,
Sacratoque sacrum Ricueo impertit honorem:
Nullus ut obsistat scitis, comitatur euntem.

AD FULCONEM.

PRO Berthario quodam presbytero, quem clerus, & plebs ecclesiæ Catalaunensis consensu regis Odonis ad episcopatum dicebatur elegisse, succensens, quod hunc vocatum canonice noluerit consecrare; sed in transitu defuncti episcopi ecclesiam ipsam Herilando Tarvvanensi episcopo beneficiali more ferebatur contulisse. Postea quemdam Mancionem, nonnullis criminibus irretitum, in eadem ecclesia, quasi episcopum ordinaverit; cumque prænominatus Bertharius apostolicam præsentiam vellet adire, comprehensus sit a quodam Conrado hujus domni Fulconis vassallo, de ecclesia tractus, & in exilium per unum mensem delegatus. Unde & evocans hunc nostrum præsulem, mandat expresse, sed fraterne, ut suam denominato tempore non differat ei exhibere præsentiam, habens secum præfatum Mancionem, & jam dictum Conradum cum quibusdam denominatis coepiscopis suis &c.

ANNO CHRISTI 892. 893.

FRANCOFURTENSE CONCILIUM

Pro discutiendo jure archiepiscopi Colonienſis in Bremenſem episcopatum

Sub Formoso papa celebratum.

MEminit concilii hujus Formosus papa in sua epistola ad Adalgarium Hamburgensem archiepiscopum, relata in editione Veneto-Labbeana tom. XI. col. 613. Queritur pontifex de eodem ipso Adalgario, quod pro tuendo jure suo in Bremensem episcopatum, adversus Coloniensis archiepiscopi querimonias, vel ipse per se, vel alium vice sua Romam non miserit. Cum præsertim, addit, *venientibus reverendissimis episcopis ad Frankenford de hac re diligentissima facta fuerit inquisitio; omnesque diœcesani ejusdem Colonienſis episcopi, Francho videlicet Tungrensis, Vodelbartus Trajectensis, Vvofelmus Mimigardevordensis, Druogo Mimidomensis, Egilmarus Osnabrugensis sub testificationis prætextu testificati sunt, usque ad te nullum Bremensis ecclesiæ præsulem modum subjectionis Colonienſi antistiti contempsisse &c.* Hæc de concilio ipso Francfordiensi, ac de rebus in eo actis, ex una Formosi epistola notis.

ANNO CHRISTI .....

SYNODUS AB EDUARDO SENIORE

REGE ANGLORUM CONGREGATA,

præsidente Pleigmundo archiepiscopo Doroberniæ.

Cum Formosus papa regem & Angliam totam interdixisset, quod multi in ea episcopatus per annos multos suis viduarentur episcopis, jam ad impetrandam absolutionem, septem simul ad episcopatus totidem episcopi eliguntur.

De tempore hujus Synodi non plane constat: ideo annum ejus incertum reliquimus.

SED ut ad nostrum, *inquit Malmesburius*, Edvvardum revertar, quid ejus tempore de renovandis episcopatibus a papa Formoso præceptum sit, jucundum puto memoratu: itaque verbis eisdem quibus inveni scriptum interseram.

Anno, quo a nativitate Domini transacti sunt anni nongenti quatuor, misit papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem, & maledictionem regi Edvvardo, & omnibus subjectis ejus, pro benedictione, quam dederat beatus Gregorius genti Anglorum a sede sancti Petri. Nam per septem annos plenos destituta fuerat episcopis omnis regio Gevissorum, id est, Vvestsaxonum. Quo audito, congregavit rex Edvvardus Synodum senatorum gentis Anglorum, cui præsidebat Pleigmundus archiepiscopus

pus Cantuariensis interpretans districte verba apostolicæ legationis. Tunc rex & episcopi elegere sibi suisque salubre consilium, & juxta vocem dominicam: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*: elegerunt & constituerunt singulos episcopos singulis provinciis Gevissorum; & quod olim duo habuerunt, in quinque divisserunt.

Acto concilio Archiepiscopus Romam cum honorificis muneribus adiit, papam cum magna humilitate placavit, decretum regis recitavit, quod apostolico maxime placuit. Rediens in patriam, in urbe Cantuariæ uno die septem episcopos septem ecclesiis ordinavit: * Frideslanum ad Vvintonienscm, Adelstanum ad Cornurbensem, Vverstanum ad Schirebornensem, Athelelmum ad Vvellensem, Eidulfum ad Cridiensem in Devonia.

Sed & aliis provinciis constituit duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum Bernegum, & Merciis Cenulphum, ad civitatem Dorcestriæ in pago Oxoniæ: hoc etiam totum papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.

Eadem narratio ex tabulario Cantuariensis ecclesiæ.

Anno dominicæ incarnationis 905. Formosus papa misit in terram Anglorum ad regem Edvvardum cum magna iracundia & devotione, eique mandavit cum suis omnibus maledictionem contra benedictionem quam beatus papa Gregorius per sanctum Augustinum genti Anglorum miserat, nisi cum episcopis restituisset destitutas parochias episcoporum, secundum antiquam traditionem, quæ tradita est genti Anglorum a sede beati Petri. Nam septem annos plene destituta est regio Gevissorum ab omni episcopo. Quo audito, congregavit Edvvardus rex Synodum senatorum gentis Anglorum, in qua præsidebat Plegemundus archiepiscopus, regi recitans & disputans districta verba apostolicæ legationis, quæ misit beatus papa Formosus. Tunc sibi rex cum suis, & Plegemundus archiepiscopus, salubre consilium invenerunt, assumentes dominicam sententiam: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*. Singulis tribubus Gevissorum singulos constituerunt episcopos, & singulis episcopia constituerunt; & quod dudum duo habuerunt, in quinque divisserunt. Acto illo concilio, cum honorificis muneribus Plegemundus archiepiscopus Romam rediit, apostolicum Formosum cum magna humilitate placavit, & regis decreta & seniorum regionis enunciavit: quod apostolico maxime placuit. Rediens ad patriam, in urbe Dorobernia septem episcopos septem ecclesiis in uno die ordinavit. Frithavum videlicet ad ecclesiam Vvintonienscm: Ethelstanum ad ecclesiam * Corvvienscm: Vverstanum ad ecclesiam Sareburnensem: Ethelelinum ad ecclesiam Fontanienscm: Eadulfum ad ecclesiam Cridienscm: cui etiam addiderunt tres villas in Cornubia, quarum nomina sunt hæc, Paltun, Celling, Laudintham: ut inde singulis annis visitaret gentem Cornubienscm, ad extirpandos eorum errores. Nam antea in quantum potuerunt, veritati resistebant, & non decretis apostolicis obediebant. Sed & aliis provinciis constituit Plegemundus archiepiscopus duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum Bernodum ordinavit, & Mercionibus Cenulphum ad civitatem quæ dicitur Dorkeceslre. Hoc autem totum papa Formosus in Synodo sancti Petri sic concluslit, ut damnaretur in perpetuum qui hoc salubre mutaret Concilium. Misit etiam in Britanniam literas, quarum exemplar hoc est.

ANNO CHRISTI .....

☞ IN SEQUENTEM FORMOSI PAPÆ EPISTOLAM

ADMONITIO.

Sequens Formosi papæ epistola argumentum præbuit disceptationi inter eruditos, cujus definitio certa nunc etiam expectatur. Cum vero Cl. Vvilkins suam ea de re exhibere conjecturam in novissima conciliorum magna Britanniæ, & Scotiæ collectione voluerit, quam huc transferre, & res ipsa poscebat, & lectoribus non ingratum fore putavi; ideo ut controversiæ argumentum melius teneatur veluti sub aspectu, tum epistolam ipsam, cum & doctissimi illius Angli dissertationem exhibendam duxi.

Ex Suppl. Mansi pag. 1061.

EPISTOLA FORMOSI PAPÆ AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

Fratribus & filiis in Christo omnibus episcopis Angliæ, Formosus.

(a) AUdito, nefandos ritus paganorum (b) partibus in vestris repullulasse, & vos tenuisse silentium, ut canes non valentes latrare; gladio separationis a corpore Dei (c) ecclesia vos ferire deliberavimus. Sed quia, ut nobis dilectus frater noster Plemundus (d) intimavit, tandem evigilastis, & semina verbi Dei olim venerabiliter jacta in terra Anglorum cœpistis renovare; mucronem (e) devorationis retrahentes, Dei omnipotentis, & beati Petri apostolorum principis benedictionem vobis mittimus, orantes ut in bene cœptis perseverantiam habeatis. Vos enim estis fratres, de quibus loquens Dominus, inter alia inquit: *Vos estis sal terræ; & si sal evanuerit, in quo salietur?* * & iterum: *Vos estis lux mundi*: * significare volens per verbi sapientiam condiri mentes hominum a vobis debere; & in moribus, & (f) in vita vestra bonæ actionis studium, quasi lumen apparere fidei, per quod (g) gradientes ad vitam, quomodo caute ambulent, videant, ut ad promissionem æternæ beatitudinis sine offensa currentes valeant pervenire.

* Matth. 5.
* Ibid.

Nunc (h) accingimini ergo, & vigilate contra leonem, qui (i) circuit, quærens quem devoret; & non patiamini ulterius in regione vestra penuria pastorum christianam (k) fidem violari, gregem Dei vagari, dispergi, dissipari. Sed cum unus obierit, alter, qui idoneus fuerit, canonice protinus subrogetur. Nam secundum legem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte (l) prohiberentur permanere. Quod David considerans (m) ait: *Pro patribus tuis (n) nascentur tibi filii, constitues eos principes (o) super omnem terram*. * Nulla itaque mora sit subrogandi alium, cum quilibet Sacerdotum ex hac vita migraverit; sed mox ut illi, qui primæ sedis principatum gerens, inter vos cæteris episcopis

* Psal. 44.

(a) MS. Cant. *auditis nefandorum ritibus paganorum.* (b) *vestris in partibus* MS. (c) *ecclesiæ* MS.
(d) *Plegemundus* MS. (e) MS. *Devotationis.* (f) *in* deest in MS. (g) MS. *gradientibus.*
(h) *Ergo accingimini* MS. (i) MS. *circumit.* (k) MS. *religionem.* (l) *prohibebantur* MS.
(m) *Et in spiritu Christi ecclesiam futuram fore permansuram ad finem usque sæculi prospiciens.*
(n) *nati sunt* MS. (o) *super omnem terram* desunt in MS.

☞ scopis præesse dignoscitur, fratris obitus fuerit denunciatus, facta electione canonica alter consecratus succedat. Quis autem inter vos principatum tenere debeat, quæve sedes episcopalis cæteris præpolleat habeatque primatum, abolitanis (*a*) temporibus notissimum est. Nam, ut ex scriptis beati Gregorii, ejusque successorum tenemus, in (*b*) Doroberniæ civitate metropolim sedemque (*c*) primam episcopalem constat esse (*d*) regni Anglorum, cui venerabilis frater noster Pleimundus (*e*) nunc præesse dignoscitur; cujus honorem dignitatis nos ullo pacto imminui permittimus, sed ei vices apostolicas per omnia gerere mandamus.

ANNO CHRISTI 891.

Et sicut beatus Gregorius (*f*) papa primo vestræ gentis episcopo Augustino omnes Anglorum episcopos esse subjectos constituit; sic nos prænominato fratri Doroberniæ, sive Canterberiæ (*g*) archiepiscopo ejusque successoribus legitimis eandem dignitatem confirmamus; mandantes, & auctoritate Dei, & beati Petri apostolorum principis præcipientes, ut ejus canonicis dispositionibus omnes obediant, & nullus eorum, quæ ei, suisque successoribus apostolica auctoritate concessa sunt, violator existat. Si autem quivis hominum contra hæc aliquando niti, ac imminuere tentaverit (*h*), sciat se proculdubio multandum fore gravi anathemate, & a corpore S. Ecclesiæ, quam inquietare molitur, perpetuo, nisi resipuerit, separandum.

Nota Davidis VVilkins.

Error hic inextricabilis. Deprehendit Baronius, & medetur, uti opinatus est; sed interea non minorem ingerit. *Anno* (inquit Malmesburgius) *quo a nativitate Domini transacti sunt nongenti quatuor, misit papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem, & interdictionem regi Edvvardo &c.* Ad hoc Baronius Vvillielmus (inquit) Malmesburiensis, sed puto vitio scriptoris, quod factum est hoc anno octingentesimo nonagesimo quarto, scriptum legi anno nongentesimo quarto, ad quod tempus certum est, non potuisse pervenire Formosum, sed longo ante esse defunctum. Recte quoad Formosum papam; sed non minus jam erratice quoad Edvvardum regem. Uti enim Formosus mortuus est per novennium ante annum Domini DCCCCIV. sic Edvvardus non est salutatus rex in anno DCCCCIV. nec per sexennium postea, si de nostris nostri non cæcutiant. Verum igitur si fuerit, quod Formosus hoc promulgaverit interdictum, fieri necesse est in tempore Aluredi magni, qui licet regis fruebatur titulo, ditione tamen pulsus est a Danis, nec hanc satis integre readeptus, cum Formosus pene pontificatum iniit.

Erasse igitur videatur Malmesburius, aut scriptor aliquis, vel in regem interdictioni subiiciendo, vel Edvvardum forte pro Aluredo. Sed nec hoc errorem tollit: nam septem illi quos in una die factos dicit episcopos, non electi sunt ante an. Dom. DCCCCIV. nec consecrati postmodum, donec Plegmundus archiepiscopus iter Romam expediverat, & epistolam (quam a papa ad episcopos hic dedimus) una cum absolutione detulisset, anno scilicet DCCCCV. vel hunc circiter. Inscribitur etiam epistola illa solis episcopis Angliæ, & de rege illic ne verbum quidem; adeo ut in dubio sit, an rex sub interdicto ponebatur. Certe si cum Malmesburio hujus interdicti, & epistolæ auctorem susceperimus Formosum papam, in historiis nostris ingens error est, & ne ab Oedipo extricabilis; sed si Formosum subrepisse censeam pro Leone papa V. non ego video, quin sana fiant omnia. Hæc Spelmannus.

Quibus Spelmanni notis stricturas addidit Gabr. Gossartius in edit. concil. vol. IX. pag. 431. Synodum Anglicanam modo relatam attribuit Malmesburiensis non anno DCCCCIV. ut ait Baronius; sed DCCCCV. anno, inquit, quo a Nativitate transacti sunt anni DCCCCIV. Quem annum quis neget esse nongentesimum quintum? Et consentiunt, ut vides, acta Cantuariensis ecclesiæ. Sed nodus hic se offert vindice dignus, quem post Baronium animadvertit collector Anglicanus. Qui enim concilium hoc haberi anno nongentesimo quinto potuerit sub Formoso papa, qui annis ante decem obierat? quo pacto pontificias literas ad Edvvardum seniorem dederit Formosus, qui pontifex Edvvardo regnante non fuit; nam Formosus anno DCCCXCVI. obiit, Edvvardus anno DCCCCI. regnare cœpit?

Huic reparandæ labi conjecturam Spelmannus affert parum felicem. Si Formosum, inquit, irrepsisse censeam pro Leone papa V. non video, quin sana sint omnia. Atqui non minus certe desperata erunt. Primum enim Leo V. anno tantum DCCCCVI. pontifex creatus est, & sunt qui ad DCCCCVII. reiiciant. * Itaque si quis esset Spelmanni divinationi locus, error esset non in Formosi tantum nomine, sed in anni ipsius nota. Deinde diebus tantum quadraginta pontificatum Leo V. tenuit. Nemini autem persuadebit Spelmannus, tantillo spatio temporis dedisse ipsum ad Anglos literas, iis perlectis coactum in Anglia concilium fuisse, legatum a concilio Plegmundum Romam appulisse, placasse pontificem, literas ab eo retulisse.

Itaque si expungendum est Formosi nomen, longe profecto commodius substituetur ejus in locum Joannes IX. qui anno nongentesimo quinto, regnante in Anglia Edvvardo, ecclesiæ præfuit. Certe Polydorus Virgilius libro historiæ suæ VI. eo pontifice id totum contigisse narrat, sive Malmesburiensis errorem emendavit ipse per sese, sive aliis ex actis rem didicit. Quanquam Joannes X. pro IX. perperam in Polydori libro scriptus est; ut & in historia Anglicana Andreæ Ducheſnii, qui Polydorum, nimia fortasse fide, secutus est. Hanc enim ab eo perspectam, & discussam esse difficultatem vix persuadere mihi possum, cum in sua Romanorum pontificum historia, secundæ etiam editionis, narret anno DCCCCIV. Formosi papæ, & Edvvardi regis tempore hæc omnia gesta esse.

Baronii conjectura errorem omnem librario tribuit, qui annum nongentesimum quintum scripserit pro octingentesimo nonagesimo quinto. Sed animadvertere par erat pontificem quidem eo anno Formosum fuisse, Edvvardum autem minime in Anglia regnasse.

Quod si ad Baronianam hanc emendationem addatur altera, & pro Edvvardo rege scribatur Alfredus ejus pater, qui & Alvredus, & Ælfredus nuncupatur, difficultas nulla supererit, nisi quod septem illi episcopi, quorum hic mentio, creati non fuerint, nisi anno DCCCCV. At leve istud; cum id qui scripserunt, Malmesburiensem sint secuti; ac proinde, eodem, quo Malmesburiensis modo, emendandi.

Erunt forte quibus hæc conjectura non displiceat; erunt qui alteram præferant, quæ Joannis nomen substituit. Nos rem in medio relinquimus. Hæc Gossartius.

Ad bellum tot strenuis historiarum propugnatoribus, qui in palestra chronologica paparum Romanorum egregie satis decertaverunt, indicendum, aperteque cum iis marte congrediendum, ingenium vireſque mihi haud suppetere libere fateor. Quia autem nullus athletarum illorum palmam sibi vindicare ausus est, pace tot illustrium in republica literaria nominum, si non manus conferere, opinionem tamen meam porrecta fronte explicare liceat.

Si Platinæ, si Onuphrio Panvino, si Laertio Cherubino, si aliis celebribus viris horum sequacibus fides, Formosus papa anno DCCCXCI. VI. Kal. Junii creatus, obiit anno DCCCXCV. XIX. Kal. Januar. regnante in Anglia Aelfredo: & Sergius III. anno DCCCCIII. VIII. Kal. Januar. regnante Edvvardo seniore, sublato schismate papali inter Leonem V. & Christophorum I. & ipsum hunc Sergium (tres ejusdem anni papas) ad cathedram Romanam evectus est; qui antipapa fuit Formosi III. & Johannis IX. ac contra illum in schismate sedit A. DCCCXCI. & contra hunc A. DCCCXCVII. ast ab utrisque fautoribus coactus abdicavit, & in exilium actus est.

Cum igitur facies ecclesiæ Romanæ, ineunte sæculo 10. tot antipapis defœdata, tot discordiis quasi distracta fuerit; quid mirum si Malmesburio falsum vel mentitum papæ nomen, ex tam dissitis regionibus annunciatum fuerit, aut ex relatione aliorum, quibus Sergius exosus, innotuerit? Quid mirum si monachi Cantuarienses ex ore Malmesburii nomen Formosi pro Sergii hauserint? Quid mirum si hac opinione decepti scribæ Romani initialem epistolæ vocem, papæ nomen exprimentem, perperam legerint, lectamque, reclamantibus licet omnibus paparum chronologiis hodiernis, in commentarios suos retulerint? Quapropter ante omnia nomen Formosi ex Malmesburio, primo erroris hujus auctore (quo oscitante, multi alii oscitare cœperunt) expungendum, ejusque loco Sergii III. substituendum censeo; quia hoc pacto historia, chronologiaque, & papæ & regis Edvvardi & Plegmundi archiepisc. Cantuar. & septem episcoporum

recto

(a) *ab olitanis* MS. (b) *Dorobernia* MS. (c) *primamque sedem* MS.
(d) *esse* deest in MS. (e) *Plegemundus* MS. (f) *Papa Gregorius* MS.
(g) *Cantuburiæ* MS. (h) *tempiaveris* MS.

recto constabit calculo. Omnes alii, magni licet nominis auctores, qui Leoni V. vel Johanni IX. vel X. vel regi Aelfredo, vel anno DCCCXCV. epistolam hanc assignant, a scopo valde aberratunt, chronologiæque, ac historiæ hodie, & olim receptæ prorsus contradicunt. Si ergo cum Baronio error librario tribuendus est, non in anno, sed nomine papæ determinando constat necesse est.

Nota Gabr. Cossartii S. J.

Synodum Anglicanam modo relatam attribuit Malbesburiensis, non anno 904. ut ait Baronius; sed 905. *Anno*, inquit, *quo a nativitate transacti sunt anni* 904. Quem annum quis neget esse nongentesimum quintum? Et consentiunt, ut vides, acta Cantuariensis ecclesiæ. Sed nodus hic se offert vindice dignus, quem post Baronium animadvertit collector Anglicanus. Qui enim concilium hoc haberi anno nongentesimo quinto potuerit sub Formoso Papa, qui annis ante decem objerat? quo pacto pontificias literas ad Eduardum seniorem dederit Formosus, qui pontifex Eduardo regnante non fuit? Nam Formosus anno 896. obiit: Eduardus anno 901. regnare cœpit.

Huic reparandæ labi conjecturam Spelmannus affert parum felicem. *Si Formosum*, (inquit) *surrepsisse censeam pro Leone papa* V. *non video quin sana sint omnia*. Atqui non minus certe desperata erunt. Primum enim Leo V. anno tantum 906. pontifex creatus est: & sunt qui ad 907. rejiciant. Itaque si quis esset Spelmanni divinationi locus, error esset non in Formosi tantum nomine, sed in anni ipsius nota. Deinde diebus tantum quadraginta pontificatum Leo V. tenuit. Nemini autem persuadebit Spelmannus, tantillo spatio temporis dedisse ipsum ad Anglos literas, iis perlectis coactum in Anglia concilium fuisse, legatum a concilio Plegmundum Romam appuliſſe, placasse pontificem, literas ab eo retuliſſe.

Itaque si expungendum est Formosi nomen, longe profecto commodius substituetur ejus in locum Joannes IX. qui anno nongentesimo quinto, regnante in Anglia Eduardo ecclesiæ præfuit. Certe Polydorus Virgilius libro historiæ suæ VI. eo pontifice id tantum contigisse narrat, sive Malmesburiensis errorem emendavit ipse per sese, sive aliis ex actis rem didicit. Quamquam Joannes X. pro IX. perperam in Polydori libro scriptus est: ut & in historia Anglicana Andreæ Ducheſnii, qui Polydorum nimia fortasse fide secutus est. Hanc enim ab eo perspectam & discussam esse difficultatem vix persuadere mihi possum, cum in sua Romanorum pontificum historia, secundæ etiam editionis, narret anno 904. Formosi papæ & Eduardi regis tempore hæc omnia gesta esse.

Baronii conjectura errorem omnem librario tribuit, qui annum nongentesimum quintum scripserit pro octingentesimo nonagesimo quinto. Sed animadvertere par erat, Pontificem quidem eo anno Formosum fuisse, Eduardum autem minime in Anglia regnasse.

Quod si ad Baronianam hanc emendationem addatur altera, & pro Eduardo rege scribatur Alfredus ejus pater, qui & Alvredus, & Ælfredus nuncupatur, difficultas nulla supererit: nisi quod septem illi episcopi quorum hic mentio, creati non fuerint nisi anno 905. At leve istud est, cum id qui scripserunt, Malmesburiensem sint secuti: ac proinde, eodem quo Malmesburiensi modo, emendandi.

Erunt forte quibus hæc conjectura non displiceat: erunt qui alteram præferant, quæ Joannis nomen substituit. Nos rem in medio relinquimus.

Observatio P. Antonii Pagi ad an. Ch. 894. n. 9. & seq.

Wartonus par. 1. Angliæ sacræ pag. 554. & seq. in Episcopis Barthonienſibus & Wellenſibus agit de hac Synodo, aitque se incidisse in Excerpta quædam historiæ a Monacho quopiam Abendonienſi ante exitum sæculi x. conscriptæ, in quibus habetur: *Anno* 904. *qui per annos plene septem tota Weſtſaxonia vacasset Episcopis, Auſtralium etiam Saxonum provinciæ, & Auſtralium Mercionum; Rex cum Archiepiſcopo Plegmundo ſingulis provinciis Geviſſorum ſingulos Epiſcopos ordinari conſtituit, in quinque ſcilicet Parochias ſedem diſtribuens, quod antea duo poſſederant. Ordinati ſunt ergo ſeptem una die. Frithebſtanus ad VVintonienſem, Æthelſtanus ad Cornubienſem primus, VVerſthanus ad Schireburnenſem, Æthelhelmus ad Fontanenſam primus, Eadulfus ad Cridiatunenſem primus, Suthſaxonibus quoque Beornotus, & Suthmerciis Cenulfus apud Dorcaceſtram noſtram.* Nullum hujus Synodi antiquius documentum supereſt, cum Malmesburiensis ad medium circiter sæculum XII. pervenerit, & hæc exeunte sæculo X. a Monacho illo literis mandata fuerint.

Verum magna controversia est de epocha hujus concilii. Opinio quidem Baronii anno 894. Synodum illam consignantis, ab omnibus rejicitur: sed alii eam cum anno 904. alii, ut Alfordus in Annal. Britan. & Cossartius cum anno 905. Vvartonus adhærens Radulpho de Diceto cum anno 909. connectunt. Apud me tamen pene certum, Concilium anno 904. congregatum, annoque 905. episcopos illos VII. juxta decretum ejusdem Concilii a Plegmundo Cantuariæ consecratos fuisse. Hæc diversis annis contigisse Alfordus recte vidit; sed ordinationem illam male in annum 906. distulit. At, inquit Cossartius, Malmesburiensis annum diserte indicavit, cum scripsit: *Anno quo a Nativitate tranſacti ſunt anni* 904. quem annum *quis neget eſſe* 905. Verum jam alibi tamquam certam Chronologiæ regulam statui, Historicos annum currentem, vel tantum incœptum, sæpe appellare annum transactum, & apud eosdem idem sæpius esse *poſt annum quartum*, ac *anno quarto*, & sic de aliis. Innititur etiam vir doctissimus narratione quadam hujus Synodi ex tabulario Cantuariensis Ecclesiæ desumpta, quæ his verbis inchoatur: *Anno Dom. Incarnat.* 905. *Formoſus Papa miſit in terram Anglorum ad Regem Eduardum &c.* At Anonymus ille respicit ad ordinationem septem Episcoporum, quam refert postea factam esse, postquam *acto illo Concilio* Plegmundus Roma rediit, & *rediens*, ait, *ad patriam in urbe Dorobernia ſeptem Epiſcopos ſeptem Eccleſiis in uno die ordinavit*. Certe Malmesburiensis, quem sequitur, satis indicat ordinationem illam ann. 905. contigisse, ut legenti patet.

VVartonus tam loco citato, quam pag. 209. & seq. ait se arbitrari, non solum Formosi Epistolam, sed & integram de consecratione septem Episcoporum a Plegmundo facta, & de septennali vocatione Episcopatuum, quam Malmesburiensis & Florilegus narrant, historiam commentitiam esse. Verum non tantum Malmesburiensis, & VVigornienſis, sed etiam Ingulphus, Gervasius Doroberneniſis, VVestmonasterienſis, & potiores Angliæ Historici eam referunt; neque mirum si in aliqua circumstantia peccarint, cum hoc eis non solum hoc in capite & diversis aliis, sed etiam oculatissimis Historicis non raro acciderit. Primum suppositionis argumentum vir pereruditus deducit ab Assero Schirebornenſi epiſc. quem dicit ab Ælfredo Rege episcopum Schireburnenſem renunciatum, anno 903 adhuc sedisse, & vitam produxisse usque ad an. 969. Sed ex iis, quæ anno 884. in medium attulimus, ac ex mox dicendis constat, Asserum illum, qui ab Ælfredo rege Episcopus Schireburnenſis constitutus est, obiisse anno 883. & plane diversum fuisse ab Assero vitæ hujus regis scriptore, quem Eduardus rex Episcopum Schireburnenſem dixit post VVerstani, qui anno tantum 904. Episcopatum illum adeptus est, mortem, ideoque tam VVerstanum, quam Asserum II. brevi tempore ecclesiam illam rexisse. Confirmantur hæc ex VVestmonasterienſi ad ann. 899. ubi loquens de Ethelvvaldo Asseri I. & Sighelmi successore ait: *Eodem anno defuncto Ethelvvaldo Schireburnenſi Epiſcopo, remanſit provincia Occidentalium Saxonum ſine Epiſcopi & cura paſtorali, vi hoſtilitatis, ſeptem annis*, Danis tam mari, quam terra provinciam illam affligentibus. Magno ergo errore duo Asseri Episcopi Schireburnenses in unum conflati a VVartono, aliisque.

Ait secundo VVartonus Deneulphum Episc. Vintonienſem creatum juxta aliquos rerum Britannicarum Historicos an. 879. & vita functum an. 909. indeque infert ante an. 904. vel 905. sedem Vintonienſem per annos septem non vacasse, ideoque Concilium Anglicanum, de quo agitur, vel commentitium, vel alio anno congregatum esse. Respondeo I. negari non posse, quin Deneulphi Episcopi Vintonienſis obitus in utraque Chronologia Saxonica cum ann. 909. connectatur; sed inde tantum consequens, utriusque Auctorem in eo consignando errasse, sicuti & quando Fritheſtani ejus successoris ordinationem in an. 910. conferunt. Errarunt itaque uterque Chronologus tam in anno emortuali Deneulphi, quam in anno consecrationis S. Fritheſtani; cum Scriptores utroque illo Chronologo longe vetustiores, & multo plures ac potiores fidem faciant, Fritheſtanum electum fuisse Episcopum Vintonienſem cum sex aliis Episcopis ad alias ecclesias promotis; postquam per septennium Ecclesia Vintonienſis aliæque vacassent.

Ait tertio VVartonus sedem Vintonienſem plenam fuisse anno 900. & seqq. & Deneulphum rebus gerendis toto illo septennio interfuisse, quod probat chartis eo tempore datis pro novo Monasterio Vintonienſi, & in regiſtro Hidenſi, ut vocant, recitatis. Illas non exhibet Vvartonus, sed extant apud Alfordum, qui ann. 901. n. 1. & seqq. refert donationem Eduardi regis factam novo Monasterio Vintoniæ, cui inter alios Episcopos subscribunt Asser Episcopus & Denulf Episcopus. Sed recte respondet Alfordus, cum omnis VVestsaxonia Episcopo caruerit, e subscribentium hoc anno Episcoporum serie obliterandos esse Asserum & Deneulphum. Neque dubitari potest, quin subscriptiones illæ additiciæ sint, & forsan tota charta commentitia; cum Asserus primus Schinburniæ Episcopus, immo & Sigelmus successor ejus eo anno jam mortui fuerint, & Asserus II. successerit VVerstano anno tantum 904. Episcopo Schireburnenſi dicto. Laudat etiam VVartonus donationem regis Eduardi eidem monasterio factam anno 904. cui inter alios subscribunt, Deneulf Episcopus & Asser Episcopus. Eam integram refert Alfordus eo anno num. 6. & seq. ac scite respondet, imperite admodum fin-

gi Deneulphum Vintonienſem & Aſſerum Schireburnenſem (hujus ſcilicet nominis primum, quem ſolum agnoſcit) ſuperſtites eſſe, & anno 904. ſubſcripſiſſe.

Sed non ſolum Schireburniam & Vintoniam ante an. 904. paſtoribus viduatas fuiſſe conſtat; verum etiam Dorceſtriam, cui eo anno Cenulphus Epiſcopus præfectus eſt; in utraque enim Chronologia Saxonica anno 897. dicitur Ealhardum Epiſcopum Dorceſtrenſem obiiſſe; quare Cenulphus ſeu Kenulphus nonniſi poſt ſeptennalem vacationem ad Dorceſtriæ præſulatum evectus fuit. Reſtat quarta ſedes, quæ ante Concilium iſtud per annos ſeptem vacavit; aliæ enim tres ex Vintonienſi, & ex Schireburnenſi evulſæ. Ea eſt Seclſienſis, vulgo *Selſey*, qui locus peninſula tunc erat, nunc marinis fluctibus hauſta, ſedeſque ſub an. 1070. Ciceſtriam translata. Auſtralium Saxonum, apud quos Selſeya poſita, Bernegus ſeu Beornocus anno 904. Epiſcopus deſignatus; ſed cum Seolſejenſium, ſeu, ut nunc loquimur, Ciceſtrenſium Epiſcoporum per hæc tempora ſucceſſio in obſcuro ſit, ex tempore, quo aliæ tres ſedes ſine Epiſcopis fuere, facile eſt intelligere Seolſejenſem ante annum 904. ſine Epiſcopo etiam fuiſſe, idcoque & Concilium hoc Anglicanum ab eo Chriſti anno removeri non poſſe. Animadvertens VVartonus traditionem ſeptennalis vacationis Epiſcopatuum præfatorum ab Hiſtoricis Anglicis conſtanter affirmari, concludit ſe ei fidem tamen abrogare nolle, ſed ſeptem illorum Epiſcoporum ordinationem uno die a Plegmundo factam ad an. 909. uti jam monui, rejecit. At hoc pacto ipſemet evertit, quod jam adſtruxerat, cum antea aſſeruerit, Deneulphum Vintonienſem, & Aſſerum Schireburnenſem (primum ſciliset hujus nominis, quem ſolum, uti Alſordus, aliique, agnoſcit) uſque ad ann. 909. ſuperſtites fuiſſe, quo caſu ſedes Vintonienſis & Schireburnenſis ante annum 909. per ſeptennium non vacaſſent. Certum itaque manere debet, Plegmundum in Concilio anno 904 celebrato ſeptem uno die Epiſcopos conſtituiſſe, poſtquam ſeptem ante annos in regno VVeſtſaxonum nulli Epiſcopi fuiſſent.

Neque aliquem movere debet, quod ait VVartonus, annum nempe 905. novorum Epiſcopatuum fundationi & Parochiarum diſtributioni minus fuiſſe accommodum, quod Dani Northumbriam & Eaſtangliam tunc inſederint; Mercii ad Eduardi regis nutum adhuc non ſpectarint; utroſque Eduardus frequentibus præliis illo ipſo anno debellarit; ſequentique pace facta in ditionem acceperit, Eduardus enim, qui omnes illas ditiones ſibi ſubjicere decreverat, Epiſcopos in anteceſſum inſtituere voluit, eo fere modo, quo Gelaſius II. anno 1118. Cæſarauguſtæ adhuc in Saracenorum poteſtate exiſtenti Epiſcopum dedit, cujus rei alia non deſunt exempla. Hujus Concilii epocha tot controverſiis implicata, nunc tandem indubitata eſſe debet, ſolutis quæcumque adverſus eam adduci poſſunt rationibus.

Coſſartius uno tenore refert Synodum laudatam, & Epiſtolam Formoſi Papæ ad Epiſcopos Angliæ, quæ eſt de Eccleſia Anglicana bene ordinanda, quaſi hæc illius Concilii pars fuerit. Ea revera a Formoſo papa data, ideoque ab anno 894. non removenda, cum annus, quo ſcripta fuerit, ignoretur. In illa Formoſus ait: *Audito, nefandos ritus Paganorum partibus in veſtris repullulaſſe, & vos tenuiſſe ſilentium &c.* Quare hæc Epiſtola data a Formoſo Papa poſt an. 891. quo hic Pontifex Romanus ordinatus eſt, & poſtquam Fulco Archiepiſcopus Remenſis duas mox memoratas literas, quarum meminit Flodoardus ad Alfredum Regem, & ad Plegmundum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſiſſet; cum in iis verba faciat *de perverſiſſima ſecta Paganicis erroribus exorta*, memoretque *inceſtuoſa luxuriæ fomenta*, uti ab Alfordo citato obſervetum, qui addit Eadmerum Monachum Cantuarienſem Auctorem accuratum & Malmesburienſi antiquiorem Formoſi nomen his literis præfixiſſe in lib. 5. Novorum. Hinc non male ſcripſit Parkerus vir e ſecta Proteſtantium in Antiq. Britan. dum de Plegmundo loquitur: *Tempus effeminatum hoc fuiſſe Warnerus in faſciculo Temporum pronunciat: fides*, inquit, *tum valde deficere cœpit, & Clerici maleficiis erant dediti, conſurgentibus ſectis.* Sacerdotes enim aliqui fœminarum commercio uſi, & abuſi ſunt; quod ab Epiſcopis moniti obſtinate defendere perrexerunt. Porro hæc ad Anglicanos Epiſcopos Epiſtola, non in libris Regum a Malmesburienſi recitata, uti laudata Synodus, ſed lib. 1. de geſtis Pontif. pag. 221. dum de primatu Archiepiſcopi Cantuarienſis diſſerit, ideoque Formoſi Papæ tempore dari potuit, ſed inter eam & Synodum Anglicanam nulla eſt connexio; poſt mortem enim Formoſi, bellis in Anglia omnia turbantibus, Regnum VVeſtſaxonum per annos ſeptem ſine Epiſcopo fuit, & poſt illud ſeptennium Concilium Anglicanum coactum.

ANNO CHRISTI 891.

SYNODUS MAGDUNI AD LIGERIM IN ECCLESIA B. LIFARDI CONFESSORIS,

ANN CHRI 89

In qua VValterio Senonenſi archiepiſcopo deprecante ſancitum eſt anno DCCCXCI. Indict. IX. ne quis in poſterum abbas ordinetur in cœnobio S. Petri Senonenſis, niſi quem ipſi monachi ſua diſpoſitione ex ſuis elegerint.

Ex Chronico S. Petri Vivi Senonenſis, edito à D. Luca Dacherio Tomo II. Spicilegii.

ANno Dominicæ incarnationis DCCCXCI. Indictione nona, celebrata eſt ſynodus in Magduno ſuper fluvium Ligeris, in eccleſia beati Lifardi confeſſoris Chriſti, regia juſſione glorioſi regis Odonis diverſis eccleſiarum epiſcopis confluentibus: ubi cum de diverſis eccleſiæ utilitatibus & negotiis tractaretur, expoſita eſt in omnium præſentia ratio Fratrum beati Petri apoſtolorum principis cœnobii Senonenſis eccleſiæ in ejus ſuburbio conſtituti: dicentes ſe plurimum ex revolutis temporibus diſcriminis jacturam toleraſſe enormiter, idcirco quod eis a ſuis pontificibus, Senonenſis videlicet eccleſiæ præſidibus, multi ex aliis cœnobiis in prælaturam regiminis abbates conſtituerentur. Quod utique quia præter regulam beati Benedicti & inſtitutionem ſanctorum canonum eſſe videbatur, ſancitum eſt a beatiſſimis pontificibus, monente, immo & deprecante ejuſdem loci venerabili pontifice Gualterio Senonenſis eccleſiæ, ut nullus deinceps ordinaretur vel conſtitueretur pater Monaſterii, niſi quem ipſi ſua diſpoſitione & libitu voluntatis ex ſuis eligerent. Quocirca præſenti privilegio ſolemniter a prædictis decretum eſt præſulibus, ut quicumque temerarius hanc tantorum auctoritatem Patrum præſumpſerit violare, ſub vinculo anathematis habeatur, & auctoritate qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus poteſtatem contulit Diſcipulis ſuis ligandi & ſolvendi dicens: *Quodcumque ligaveritis, &c.* Omnium igitur manibus roboretur quod omnium conſenſu firmatur.

Et ſubſcripſerunt omnes, qui ibi aderant, epiſcopi videlicet, & archiepiſcopi, quorum hæc ſunt nomina.

Gualterius immerito ſanctæ Senonenſis eccleſiæ archiepiſcopus confirmavit.

Edacius Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus.
Hebernus Turonorum archiepiſcopus.
Herfridus epiſcopus.
Teodardus Narbonenſis eccleſiæ archiepiſc.
Adalgarius Æduorum epiſcopus.
Herfredus epiſcopus.
Semper Agilmari maneat ſub nomine * firma.
Eumenus Nivernenſis epiſcopus.
Climerius Carnotum epiſcopus.
Addolenus Albiæ epiſcopus confirmavi.
Agilbertus gratia Dei Bituricenſis epiſcopus.
Vvalterius epiſcopus Aurelianenſis.
Servus Dei humilis epiſcopus Gerondenſis.
Guarinus * Coroacenſis epiſcopus.
Adaldus humilis Archipræſul.

* hoc eſt firmatio ſubſcrip.

* f. Cavenſis.

CON-

ANNO CHRISTI 891.

CONCILIUM VIENNENSE,

Ab Episcopis regni Arelatensis, præsentibus Formosi papæ legatis, Viennæ celebratum in basilica Salvatoris, anno Christi DCCCXCII. Formosi ejusdem papæ anno II. Odonis regis V.

TITULI CANONUM.

A

I. *Ut sæculares, qui res ecclesiasticas detinent, nisi admoniti se correxerint, excommunicentur.*

II. *Ut sæculares, qui clericum aliquem occiderint, vel dehonestarint, nisi ecclesiæ satisfaciant, excommunicentur.*

III. *Ut qui ægrotantis seu defuncti episcopi vel presbyteri eleemosynam fraudat, excommunicetur.*

IV. *Ut sæculares, ecclesias inconsultis episcopis non dent; neque census ullos introitus causa exigant.*

B

PRÆFATIO.

HÆc capitula facta sunt anno Dominicæ incarnationis DCCCXCII. indictione X. jussu domni Formosi apostolici congregata Synodo apud Viennam metropolim Galliæ, præsentibus legatis sanctæ apostolicæ sedis venerabilibus episcopis Paschali & Joanne, & aliis coepiscopis ejusdem regni, quorum nomina subter habentur adscripta, in basilica urbis, ipsius S. Salvatoris nomine consecrata.

C

CANONES.

I.

Ut ab injusta invasione & possessione ecclesiasticarum rerum, sæculares abstineant, & qui hactenus hoc fecisse noscuntur, emendare cogantur: & si admoniti non se correxerint, tunc congruo tempore virtute Spiritus sancti, ex auctoritate beati Petri apostoli, habeantur excommunicati.

D

II.

Ut sæculares, qui de catalogo clericorum aliquem occiderint, vel castraverint, vel aliquo membro detruncaverint, seu temere dehonestaverint; & de præteritis pœnitendo ecclesiæ satisfaciant, & emendare studeant: Quod si non fecerint, supradicto tempore excommunicentur.

III.

Ut eleemosynam episcopi, vel presbyteri, ægrotantis, seu defuncti, nemo qualibet fraude violare præsumat. Quod si quis fecerit, nisi emendaverit, simili sententia feriatur.

IV.

Ut nemo sæcularium ecclesias dare, vel offerre, absque consilio, & voluntate episcoporum, ad quos ipsæ ecclesiæ pertinent, præsumat. Et ut nulli census a presbyteris loco muneris ad introitum, ut dicunt, ecclesiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur.

E

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

Editum a Baronio in appendice tomi XII. ex codice Massoniano, qui nunc est in bibliotheca archiepiscopi Tolosani. Visuntur & alia eorumdem canonum quædam exemplaria.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

Joannes le Maire, in libello Gallico de differentia schismatum & conciliorum ecclesiæ, narrat, se in codice MS. monasterii Athanacensis ad confluentes Araris ac Rhodani prope Lugdunum exstructi, legisse, celebratum fuisse Viennæ concilium in ecclesia S. Salvatoris: cui præsidebant legati Paschalis ac Joannes; subscripserunt vero Barmon (legendum haud dubie Barnoin, isque ipse est qui paullo ante in Cabilonensi ad an. 887. in Valentino ad an. 890. & alibi, dicitur Bernoinus sive Barnuinus) Viennensis Archiepiscopus, Aurelianus Lugdunensis Archiepiscopus, Isaac Valentinus episcopus, Isaac alter Gratianopolitanus episcopus, & alii multi. Ex eo autem hunc citat canonem, qui non reperitur in Baronianis annalibus, nec in Binii Sirmondive conciliis.

Ut presbyteri non in villis, sicut quibusdam consuetudinis est, morentur; & fœminas secum in domibus suis habitare non permittant, exceptis illis quas canonica permittit authoritas.

Monendos vero hic lectores arbitror barbare a nonnullis vocari abbatiam Desneæ Lugduni, quæ dicenda erat Athanacensis, Gallice, *l' Abbaye d' Aisnay*.

CON-

ANNO CHRISTI 892. seu 893. ex Romana an. Christi supputatione.

CONCILIUM REMENSE,

In quo Carolus Simplex, filius Ludovici Balbi Francorum regni legitimus succeſſor, a Fulcone Remenſi epiſcopo, Odone comite qui tyrannice regnum invaſerat rejecto, rex Francorum ungitur, & datæ ſunt comminatoriæ literæ ad Balduinum comitem Flandrenſem rerum eccleſiaſticarum invaſorem, anno Domini DCCCXCII. tempore Formoſi papæ.

Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

Arguebatur Balduinus, quod presbyterum flagellarat, quod baſilicas presbyteris quibuſdam abſtulerat, aliiſque dederat inconſulto epiſcopo; quod Noviomenſis eccleſiæ res invaſerat, & monaſterium quoddam ſibi uſurparat; quod denique contra regem inſurrexerat. Hæc enim Flodoardo teſte, capita ſunt epiſtolæ, quam Fulco Balduino eidem poſt ſynodum ſcripſit.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Carolum ſimplicem a Fulcone inunctum fuiſſe in regem Francorum die 28. Januarii, plurima docent ejuſdem principis aliorumque diplomata, quæ non eſt opus hic pluribus recenſere. Quod vero ad annum Chriſti ſpectat, rectius ex vulgari Julianæ correctionis numeratione, dixeris fuiſſe 893. licet tum noſtrates Galli labentem adhuc numerarent annum 892. uſque ad Incarnationis Dominicæ feſtum aut Paſchales ferias; quod pauci ex Chronologis advertunt, dum Romanam Gallicamque ſupputationes perperam inter ſe permiſcent.

Nota Severini Binii.

Cum Odo comes Pariſienſis titulum regni Franciæ ab obitu Caroli Craſſi imperatoris, qui teſte Reginone anno Domini 888. ex hac vita migravit, hucuſque tyrannice uſurpaſſet, regiaque poteſtate abuſus fuiſſet, neque ante hæc tempora Carolus Simplex hæres unicus regni hæreditarii ſuperſtes, per ætatem ad clavum imperii tenendum ſatis aptus fuiſſet: juſſu Fulconis convenerunt epiſcopi & proceres regni, atque unanimi conſenſu definiverunt, regnum Galliæ hactenus per ſucceſſionem ad proximos hæredes agnatos devolutum fuiſſe, ideoque non alii quam Carolo Simplici filio Ludovici Balbi de jure & conſuetudine antiquiſſima deberi. Poſt exauroratum ergo Odonem Pariſienſem Comitem, Carolum Fulconi inungendum tradiderunt. Cumque hac de cauſa Fulco Arnulphum contra ſe valde commotum eſſe intellexiſſet: ſcribens ad eum litteras (quas ſummatim recenſet Flodoardus hujus temporis ſcriptor probatiſſimus) cauſas rejecti Odonis & electi Caroli Simplicis, aliaque, quæ ſupra recenſita ſunt, commemorat. Verba Flodoardi libro 4. capite 1. & ſequentibus iſta ſunt: *Quod Fulco Arnulpho regi tranſrhenenſi litteras mittens pro cauſa regis Caroli, quem parvulum adhuc unxerat regem, reddit cauſas ejus provectionis, eo quod audierat, motum fuiſſe animum ipſius Arnulphi contra ſe pro hac perpetratione: commemorans quod decedente Carolo imperatore hujus Arnulphi avunculo, in ipſius Arnulphi ſervitium fuerit profectus, cupiens ejus ſuſcipere dominium & gubernationem: ſed ipſe rex eum ſine ullo conſilio vel conſolatione dimiſerit. Unde cum nec in eo ſibi ſpes ulla remanſiſſet, coactus ſit ejus hominis, videlicet Odonis, dominatum ſuſcipere, qui a ſtirpe regia exiſtens alienus, regali tyrannice abuſus fuerat poteſtate, cujus & invitus hactenus dominium ſuſtinuit. Et quoniam hujus Arnulphi dominium deſideravit, idcirco ad ipſius ſervitium profectus fuerit. At poſtquam nullum conſilium in eo reperire valuit, hoc ſolum quod reſtabat egit, eligens eum regem habere, quem ſolum poſt ipſum de regia habebant progenie, & cujus prædeceſſores & fratres extiterant reges.*

De hoc etiam, quod idem rex Arnulphus in culpam trahebat, quare non id ante feciſſent, reddit rationem: Quod quando Carolus imperator deceſſit, & idem Arnulphus regimen hujus regni ſuſcipere noluit, hic Carolus adhuc admodum corpore ſimul & ſcientia parvulus exiſtebat, ac regni gubernaculis inidoneus erat, & inſtante immaniſſima Northmannorum perſecutione, periculoſum erat tunc teneros eligere. Ut vero ad eam viderunt illum perductum ætatem, in qua ſalubre ſibi conſilium dantibus aſſenſum præbere noverat, ſuſceperint eum ſecundum Dei honorem, ut regno conſuleret, volentes eum ita inſtituere, quatenus huic regno & ipſi Arnulpho proficuus valeret exiſtere. De eo quoque quod ſine ipſius Arnulphi conſilio præſumpſerint hoc agere, morem Francorum gentis aſſerit ſecutos ſe fuiſſe: quorum mos ſemper fuit, ut rege decedente, alium de regia ſtirpe vel ſucceſſione, ſine reſpectu vel interrogatione cujuſquam majoris aut potentioris regis, eligerent. Hoc more hunc regem factum ipſius fidelitati & conſilio committere voluerunt, ut ipſius adjutorio & conſilio uteretur in omnibus, & ejus ſubderetur tam rex quam univerſum regnum præceptis & ordinationibus.

Præterea quod audierat huic regi ſuggeſtum, quia contra fidelitatem ipſius, & propter privatum hoc egit commodum: infert, quod clericus ipſe, qui hæc jactaſſe videbatur, antequam de re hujuſcemodi aliquid idem archiepiſcopus agere conaretur, venerit ad ſe, præſentibus Hereberto & Elfrido comitibus, & conſilium ſimulque auxilium quæſierit, quid agere deberet de juſſionibus Odonis, qui res importabiles ei præcipiebat. Ex parte quoque filiorum Goffredi conſilium petierit de malo, quod Odo eis facere conabatur: rogare itaque, ut tale caput communi conſilio ſtatueretur, per quod ſecuri poſſent eſſe ſubditi, intendentes vel in Vvidonem, vel in hunc regiæ proſapiæ Carolum: & ſimul conſiderantes quotquot fuerant, ad quem melius attendere deberent, viſum illis eſt propter acquirendi regis utilitatem, & ipſius Arnulphi cavendam contrarietatem, propterque rectum congruumque regii generis principatum, ut ad hunc Carolum ſe converterent, credentes quia Arnulphus hoc de propinquo ſuo gratum haberet, ipſique & regno præſidium ferret. Quod autem jactatum audierat cauſa Vvidonis hoc eum feciſſe, ut hac arte illum ſubintroduceret in regnum, & dimiſſo parvo Carolo ſe verteret ad Vvidonem: aſſeris livore invidiæ contra ſe ſcienter hæc falſa fuiſſe jactata. Ait etiam quod qualis erat ipſe, qui talia diffamabat, talem eumdem poſſe fieri ſentiebat: ipſe vero non ſe talem fore, nec talibus ortum natalibus recognoſcat: prædeceſſores quoque ipſius regis nequaquam talia ingenia a progenitoribus ſuis experti fuerant, quos in omni fidelitate & regni utilitate probatos habuerint, ideoque honorifice illos ſublimaverint: quapropter erubeſcendum eidem regi fuiſſet, ut hoc de ſe crederet, vel infamia ſe tali notaret.

Denique de hoc quod audierat ipſi Arnulpho dictum fuiſſe, quod hic Carolus filius Ludovici non fuerit: aſſeverat, neminem ſe poſſe credere fore, qui eum ſi videris, & parentem ipſius agnoverit, non agnoſcat illum de regali proceſſiſſe progenie: quædam etiam ſigna Ludovici patris ſui geſtare, quibus agnoſcatur filius illius fuiſſe. Poposcit ergo Arnulphi regiam majeſtatem, ut hæc vera dignanter accipiat, nullujque animum ipſius contra regem innocentem, propinquum ſuum, commovere valeat: ſed utrum hæc quæ aſſeris ita ſe habeant, in ſua præſentia fideliumque ſuorum examinari faciat, & ad debitum finem perdutat: cogitans qualiter anteceſſores ſui, regni ſtatum gubernaverint, & quo modo regalis culminis ſucceſſio ſemper hucuſque viguerit. Cum vero ille tantum princeps Carolus de tota regali ſtirpe remanſerit, perpendat quid contingere poſſit, ſi eum debitus cunctis caſus repoposcerit: cum tot jam alieni a ſtirpe reges exiſtant, & adhuc ſint plures qui ſibi regium nomen affectent. Quis poſt ipſius deceſſum juvabit ejus filium, ut ad debitam ſibi regni conſcendat hæreditatem, ſi comigerit hunc ſibi propinquum cadere Carolum?

Annectit etiam quod in omnibus pene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges ex ſucceſſione habere conſuevisse, proferens ſuper hoc teſtimonium beati Gregorii. Subiicit etiam ex libris Teutonicis de rege quodam Hermenrico nomine, qui omnem progeniem ſuam morti deſtinaverat impiis conſiliis cujuſdam conſiliarii ſui. Supplicatque ne ſceleratis his rex acquieſcat conſiliis, ſed miſereatur gentis hujus, & regio generi ſubveniat decidenti, ſatagens ut in diebus ſuis dignitas ſucceſſionis ſuæ roboretur: & ii qui ex alieno genere reges extabant, vel exiſtere cupiebant, non prævalerent contra eos, quibus ex genere honos regius debebatur. Aſſeritque ſe miſiſſe Aleranum ad eumdem Arnulphum, ſuggerendo, ut quoſcumque ſibi placeret, ex iis qui Carolum regem conſtituerant, in ſuum ſervitium pergere præciperet, qui coram ſublimitate ipſius hoc ita eſſe rationabiliter oſtenderent. Flagitans etiam erat, ut hæc præmiſſa benigno rex tractet animo, & hanc ſciat ipſius eſſe devotionem, vel intentionem erga ipſius fidelitatem, ut Carolus ad ipſius conſilium in omnibus quæ acturus eſt, reſpiciat, & ipſius pietate tutus conſiſtat, & ut nemo regis animum ab auxilio iſtius regni, vel ejuſdem Caroli, deflectere valeat.

Por-

Concilii cauſa.

Carolus a Fulcone Remenſi epiſcopo ungitur rex.

Porro ex hac eadem Remensi Synodo scriptum fuisse ad Balduinum comitem Flandrensem invadentem res ecclesiasticas liquet: ad quem etiam, Fulconem antea scripsisse idem Flodoardus affirmat, cum subdit: *Scripsit post Hincmarum Fulco Baldvino comiti Flandrensi, redarguens eum pro eo quod monasterium monachorum sibi usurpaverat, & insurrexerat contra regem infidelitate & perjurio. Item ad eumdem scribens cum coepiscopis suis ex synodo Remis habita anno octingentesimo nonagesimo secundo, arguit eum quod ecclesiastica simul & legalia jura contemneret, locum sacri monastici ordinis pervadens, & abbatis sibi nomen usurpans. Unde communi decreto episcoporum judicatum fuerat, eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendum. Sed quoniam ecclesiæ & publicis utilitatibus regni videbatur accommodus: censura suspenditur, & emendandi spatium reservatur, & obsecratur per misericordiam Dei ut ab hac præsumptione animum revocet, nec amplius iram Dei contra se provocet, ne illi quodammodo gladium præbeat.*

ANNO CHRISTI 892.

ANNO CHRISTI 893.

CONCILIUM ROMANUM

Ob graves perturbationes, quibus affligebatur Dei ecclesia, celebratum Kalendis Martiis indictione XI. anno Domini DCCCXCIII. tempore Formosi papæ.

RErum in hac synodo gestarum nihil aliud supereſſe videtur, nisi quod Flodoard. scribit l. 4. c. 2. ubi epist. Formosi de hac synodo congreganda ad Fulconem transmissam summatim recensetur his verbis: *Cui Fulconi rescribens idem papa Formosus, monet eum compati debere Rom. ecclesiæ, atque imminenti ejus subvenire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare: adjungens hæreses undique ac schismata pullulare, nec qui ad resistendum occurrent, esse. Dicitque longo retro acto tempore perniciosas hæreses orientem confundere, & Constantinopolitanam ecclesiam nociva schismata perturbare: simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter episcopos ipsarum provinciarum schismate: diversarum quoque partium legationes diversa responsa petentes instare. Cujus rei gratia generalem synodum die Kal. Mart. indict. XI. se inchoare disposuisse, ad quam eumdem remota omni dilatione admonet festinare, ut colloquendo largius de his valeant pertractare, & affluentius ad consulta singula respondere. Northmannicæ gentis procellis, quibus asserebat se perturbari, plurimum dolere; & ut eos excelsi dextera reprimat, apostolorum principum suffragiis intervenientibus implorare; literas vero quas significaverat ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime pervenisse. Miserat etiam alias pro hac eadem synodo celebranda pridem hinc mense indictionis decimæ; in quibus literis fatetur Italiam tunc semel & secundo horrida bella perpessam & pene consumptam. Orientalium vero partium se deflere vesanam hæresim in Christum Jesum blasphemiam continentem.*

CATALAUNENSIS SYNODUS

In qua presbyter quidam conjugii initi reus sistitur,

Intra annum 893. & 900. habita.

COncilii hujus diœcesani a Mantione Catalaunensi episcopo habiti mentio extat in epistola ejusdem Mantionis ad Fulconem Remensem archiepiscopum, quas literas ex eadem synodo datas constat, vulgavitque Mabillonius in analectis pag. 429. edit. in fol. Cum vero assumptus sit Mantio ad episcopatum eo fere tempore, quo Fulco, Odone destituto, Carolum Simplicem regem agnovit, & coronavit, quod anno 893. præstitum; id enim produnt ejusdem Fulconis literæ ad Honorium Beloacensem apud Flodoardum lib. 4. cap. VI. deducere hinc licet concilium hoc diœcesanum intra annum 893. & 900. quo Fulco obiit, collocandum esse.

MANTIONIS EPISCOPI CATALAUNENSIS EPISTOLA

Ad Fulconem Remensem archiepiscopum,

De quodam Presbytero, qui uxorem ducere tentaverat.

Domino Patri Folconi venerabili archiepiscopo, & omnibus episcopis ejus suffraganeis, & cuncto clero eorum, presbyteris, diaconibus, & cunctis ordinibus, tam canonicis, quam & monachis, Mantio humilis Catalaunicus episcopus, fidele obsequium, & devotas orationes.

NOtum sanctimoniæ vestræ precamur, quia presbyter quidam, nomine Angelricus, de villa VValnau, de ecclesia S. Lupi, venit ante præsentiam nostram coram Synodo nostra, Catalaunis nonis maii habita, & convictus proprio est ore confessus, qualiter cum parochianis suis desponderit, vel desponsaverit quamdam fœminam, nomine Grimmam, consentientibus propinquis ejus, quam cum ducere cum illis pergeret, respectu clementiæ Dei restiterunt nequissimo conatui ejus boni & pii, fideleſque homines alii. Quam actionem cum diu omnes pariter doleremus, contulimus super hoc nihil deliberare, priusquam ad vestram paternitatem per eumdem presbyterum scriberemus, supplicantes instrui quid nobis agendum foret, nec correctione ulciſci malam præsumptionem, quam per vos quærimus insinuandam. Omnes ergo nos sanctam paternitatem vestram oramus, ut eumdem fratrem has literas ferentem in Domino humane susciſpiatis, & per eum literis desiderabilibus vestris insipientiam nostram instruatis, & qualiter hæc præsumptio ab ecclesia pellatur, solicite perpendatis. Constitit itaque inter nos a nostro seorsum esse collegio, quousque vestro consolemur rescripto. Valete, pro nobis obsecramus orantes.

SY-

ANNO CHRISTI 894.

SYNODUS CABILONENSIS IN ECCLESIA

B. Joannis Baptistæ in suburbio,

Cujus decreto Gerfredi Monachi, qui Adalgarium Æduorum episcopum veneno necasse dicebatur, facta est purgatio per corpus Domini, anno Christi DCCCXCIV. in synodo diœcesana apud Flaviniacum monasterium & castrum publicum in primore ecclesia S. Petri.

Ex editione P. Sirmondi.

Anno DCCCXCIV. indictione XII. invidiæ instinctu, malorum hortatu, oborta est infamis fama Flaviniaco monasterio & castro publico, in quemdam loci illius Levitam & monachum *Gyrfredum Gerfredum, officio prælationis functum, quod piissimum patrem, & reverendum præsulem, domnum Adalgarium Æduorum episcopum lethali extinxerat veneficio. Hujus criminis iniquissimum objectum, Deo simul & hominibus horrendum, non modo ipsius ecclesiæ, verum etiam totius Galliæ aures pulsavit, & infami satis elogio notavit. Præfatus vero Levita & monachus super illatione tanti facinoris nimium exhorruit: utpote qui tanta tamque prævalida ab ipso dulcissimo patre perfenserat beneficia, uti omnibus satis abundeque claret. Super quo primitus consilium glorioſi præsulis domini *f. Vvalonis Gualonis ipsius successoris expetiit, seque a tam nefandissimo scelere, non minus cogitatu quam facto, præsentiæ illius, Deo teste & judice omnium ac inspectore cordium, immunem firmavit. Denique tantus, tamque præcelsus pontifex, divinorum necnon & humanorum scius, filiorum ecclesiæ consilio fultus, ovem sibi creditam perire noluit: sed insuper fomenta adhortationum, & medicamenta divinorum eloquiorum pie & misericorditer adhibuit: ut si forte diaboli pellacia quid simile cordis illius injecerat, saltem suggestione Spiritus sancti, & infusione ipsius verbi, ecclesiastica institutione professus salubriter curari posset, & ablui. Verum jam dictus Levita & monachus, in nullo penitus tanti flagitii conscius, judicium sibi sancti Spiritus proposuit, & se, ad quodcumque examen ecclesiastico more censeretur, modis omnibus promptissime deliberavit. Quocirca prænominatus præsul, tantum & tam inauditum facinus proprio cunctatus deliberare judicio, ad sanctam & comprovincialem synodum Aureliani nominandi archiepiscopi, & cæterorum coepiscoporum præsentia discutiendum & diffiniendum censuit. Quod & ipse, utpote immunis, haudquaquam distulit. Proinde Deo propitio, præfixo Kalendarum Majarum die convenere sacri pontifices, Aurelianus primas totius Galliæ, cum illustrissimis Gualone Æduensi, Ardrado Cabilonensi, Geraldo *Gerardo Matisconensi, coepiscopis, simul & legatis memorandi *Teutboldi Teutbaldi Lingonensis episcopi, apud Cabilonensem urbem in ecclesia beati præcursoris Christi Joannis, quæ est in prospectu ejusdem urbis. Ubi instituta sanctorum patrum canonice & regulariter promulgantes, & ecclesiastica negotia diligentius pertractantes, infamia notatum crebro dictum monachum coram positum subtili indagine & multo examine discutere laborarunt. Quo isdem monachus omni *omnium judicio more ecclesiastico, & humani juris experimento instructus, nec hujus infamiæ evidentem accusatorem, nec alicujus certitudinis proclamatorem reperire potuit. Quod tertio sub testificatione sancti Spiritus clamari jubentes, & nihil prorsus verisimile reperientes, sanciverunt communi consilio, ut quia nec convictum, nec etiam confessum experiebantur, tamen quia ventilatum & usque locorum erat divulgatum, ut ab omni suspicione liberrimus redderetur, in viciniori synodo, quam omni reverentia dignus Gualo antistes erga filios ecclesiæ celebraret, corporis Christi & sanguinis illo examine, quod solum verius probatur & terribilius, immo salubrius creditur, a flagitio divulgato publice expiaretur; eo scilicet tenore eumdem prius testificantes, ut si in aliquo conscius tanti piaculi foret, nullo modo ad sacra sumenda accederet. Et si forte temerarie præsumeret, censura sancti Spiritus, & auctoritate apostolorum principis, ab ipso vivifico redemptionis nostræ pretio extorris fieret, & cum Juda Domini proditore damnatus æternis irremediabiliter suppliciis addiceretur. Sin vero immunem se esse per omnia prænosceret, fisus misericordiæ Dei, tanti muneris donum ad salutis suæ remedium saluberrime percipere non diffideret. Quod omnibus usquequaque satis fuit. Inde igitur pastor piissimus misericordia motus, illius causa apud Flaviniacum cœnobium & castrum publicum sanctam synodum propriæ ecclesiæ colligens, juxta statuta supradictorum antistitum, missarum solemniis deducti, omnibus qui adfuere in primore ecclesia sancti Petri collectis, jam supra fatum prænomonuit virum, ut sicut sibi ipsi conscientia dictaret, ad sacra sumenda, aut etiam refugienda, quoquo vellet modo seipsum præfigeret. Quique in nullo hæsitans, Deum sibi, & ipsum, quod percepturus erat, redemptionis pretium in testimonium & judicium invocans, fidissime, omnibus in prospectu positis, quæ supra fuerant præfixa, votis omnibus peregit. Hoc igitur tanto donatus munere, ne unquam ulterius tam æmuloso sauciaretur vulnere, hoc scriptum a præfato seniore & subter notatis suis coepiscopis petiit relegendum, & manibus corroborandum.

D Vvalo humilis sanctæ Æduensis ecclesiæ episcopus relegi & subscripsi.

Ardradus humilis Cabilonensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Geraldus rector & humilis episcopus Matisconensis ecclesiæ subscripsi.

His minus appositæ præfigitur a nonnullis Aurelianus sanctæ Dei Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus relegi & subscripsi. *Per seniorem quippe auctor illius instrumenti Gualonem Augustodunensem episcopum haud dubie intelligit.*

CONSTANTINOPOLITANA SYNODUS DUPLEX,

Altera quidem pro eligendo S. Antonio Caulea in archiepiſcopum CPtanum; alia vero pro Photiano ſchiſmate abolendo,

Leone Sapiente imperatore celebrata.

ANno 893. Stephanus, Leonis VI. qui ſapiens cognominabatur, imperatoris frater cathedram CPtanæ eccleſiæ morte ſua vacuam reliquit. Huic implendæ Leo monachum quemdam, vitæ ſanctimonia inſignem, Antonium, cognomento Cauleam, deſtinavit, quem ſynodus ea de re coacta adprobans, & admittens, conſecrandum ſtatuit. Porro ſynodum hanc, nonniſi ex epiſcopis, qui forte aderant CPoli, & reliquo ejuſdem eccleſiæ clero conſtitiſſe arbitror. Indicat eam ſynodum Menologium Baſilii imperatoris ab Ughellio in appendice Italiæ ſacræ tom. XI. nov. edit. ex verſione Cardin. Sirleti vulgatum ad diem pridie Idus Februar. his verbis: *Imperatoris, & concilii ſuffragio creatus patriarcha CPtanus &c.* Viri hujus ſancti aſſumptionem ad annum 893. pertinere Pagius in critic. Baronii ad an. 886. num. 13. demonſtrat.

Eo vero ſacrorum præſide Leo Sapiens imperator luctuoſo tandem ſchiſmati, quo CPtana eccleſia occaſione Photii patriarchæ, quamquam jamdudum amoti, dilacerabatur, finem imponendum ſtatuit. *Quare in unum cogit Orientalia, & Occidentalia*, ait Nicephorus philoſophus in encomio ejuſdem S. Antonii vulgato a Bollandianis ad diem XII. Februarii. Quibus verbis ſynodum ex epiſcopis occidentalibus & Europeis collectam deſignari Pagius in critica Baronii ad an. 893. num. 13. recte ſtatuit, qui & opportune animadvertit, vivente adhuc Photio, eccleſiarum vulnus illud jam coaluiſſe.

CONCILIUM TRIBURIENSE

Pro reformanda diſciplina eccleſiaſtica, celebratum anno Domini [1] DCCCXCV. tempore Formoſi papæ.

CElebratum eſt ſub imperatore Arnulpho a viginti duobus epiſcopis Germanorum Triburiæ concilium anno incarnationis Domini DCCCXCV. tam ſancta ſane intentione & diligentia, ad reſecandum omnem palmitem inutilem, ad extirpandam cujuslibet hæreſeos radicem, ad tollendam ſchiſmatis occaſionem, ad corrigenda clericorum vitia, ad præcavenda populorum ſcandala, breviter, ad reformandos mores & ſtatus, non modo clericorum, ſed & laicorum, ut Gratianus poſtea pleraque ejus capitula diligenti ſtudio recitaverit in volumine decretorum.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Communis oratio pro concordia tam cleri quam populi.*
II. *De quodam presbytero excæcato, & de excommunicatis interrogatio ſynodalis.*
III. *Reſponſio regis, & de excommunicatis ſententia univerſalis.*
IV. *De injuria & contumelia, quod abſit, presbyterorum.*
V. *Quali pœnitentiæ ſubjacere debeat qui presbyterum voluntarie morti tradiderit.*
VI. *De eo, qui evaginato gladio atrium eccleſiæ intraverit.*
VII. *De his, qui res eccleſiæ ſive interiores, ſive exteriores, rapiunt.*
VIII. *De his, qui contemnunt bannum ab epiſcopis impoſitum.*
IX. *De eo, ſi epiſcopus eccleſiaſticum, & comes ſæculare complacitum, una die condixerint.*
X. *Ut epiſcopus non deponatur, niſi a duodecim epiſcopis, presbyter a ſex, diaconus a tribus.*
XI. *Si quis clericus homicidium fecerit, ab ordine ceſſare debebit.*
XII. *Ut præter paſcha & pentecoſten baptiſma non celebretur, excepta neceſſitate periclitantium.*
XIII. *De decimis.*
XIV. *De decimis antiquarum & noviter conſecratarum eccleſiarum.*
XV. *De ſepultura mortuorum.*
XVI. *Ut ſepulturam morientium nemo vendat.*
XVII. *Ut nullus laicus in eccleſia ſepeliatur.*
XVIII. *De vaſculis, quibus myſteria ſacra conficiuntur.*
XIX. *Ne in calice aut vinum ſolum, aut aqua ſola offeratur.*
XX. *De injuria clericorum.*
XXI. *De querimonia inter presbyterum & laicum.*
XXII. *De eo, ſi quis liber aliquo crimine infamatur.*
XXIII. *De his, qui velatas Deo conſecratas in conjugium duxerint.*
XXIV. *De virgine ante duodecim annos velata non conſentiente patrono ſub cujus erat patrocinio.*
XXV. *De viduis velatis.*
XXVI. *De monachis regulariter exeuntibus, ſive fuga regularis diſciplinæ elapſis.*
XXVII. *De clericis, qui ſemel in clero deputati ſunt.*
XXVIII. *Ut nullus epiſcopus alterius miniſtrum eccleſiaſticum ſolicitet.*
XXIX. *Ut nullum ſervum ante perfectam libertatem epiſcopus ordinare præſumat.*
XXX. *De eo, ſi quis ab apoſtolico falſam detulerit epiſtolam.*
XXXI. *De furibus & latronibus.*
XXXII. *De eccleſia a compluribus cohæredibus obſeſſa.*
XXXIII.

[1] Ad annum 897. hoc Concilium referunt Annales Fuldenſes. *Harduinus.*

ANNO CHRISTI 895.

XXXIII. *De claudis & aliqua parte corporis minutis, ſi ſacro ordini poſſint adjungi.*

XXXIV. *De eo, ſi quis in hoſte contra Paganos interficit captivos Chriſtianos.*

XXXV. *Ut nullus comes, nulluſque judex, diebus feſtis vel dominicis, ſeu jejuniorum aut quadrageſimæ, placitum habere præſumat, & ut nullus pœnitens illo veniat.*

XXXVI. *De eo, ſi duo fratres ſimul arborem ſuecciderint, & cadente arbore unus eorum interfectus fuerit.*

XXXVII. *De muliere, cujus infans aliquo caſu propter negligentiam ejus moritur.*

XXXVIII. *Si quis liber libertam duxerit, ulterius habere debebit.*

XXXIX. *Si quis alienigenam in matrimonium duxerit, habere debebit.*

XL. *De eo, quod quidam uxorem alterius, vivente eo, conſtupravit, & inſuper juramento confirmavit, eo moriente conjugem eam accipere.*

XLI. *De eo, ſi quis duxerit uxorem, & concumbere non valens cum ea, frater ejus clam violaverit illam.*

XLII. *Si quis de uno in alium tranſmigrat epiſcopatum, & conſanguineam ſuam polluerit, vel aliquod crimen commiſerit.*

XLIII. *Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo neſciente filius ejus vel frater inſcius violaverit illam.*

XLIV. *Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater ejus ignarus duxerit illam uxorem.*

XLV. *Si quis cum duabus ſororibus fuerit pollutus.*

XLVI. *Si cujus uxor conſtuprata fuerit, & propterea maritus perdere illam machinaverit.*

XLVII. *Si quis ſpiritalem habet compatrem, cujus uxor commater non eſt, eo defuncto, ejus viduam licet ei ducere uxorem.*

XLVIII. *De eo, ſi quis ſpiritalis ſuæ commatris filiam duxerit uxorem.*

XLIX. *De his, qui in adulterio filios genuerunt, ut omnino ſeparentur.*

L. *De eo, ſi quis aliquem per illuſionem a recta fide ſubverterit, vel perdiderit, ut dupliciter puniatur.*

LI. *De eo, ſi quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit.*

LII. *De homicidiis non ſponte commiſſis.*

LIII. *De eo, ſi quis filium ſuum non ſponte, ſed caſu contingente occiderit.*

LIV. *De his, qui voluntarie homicidium fecerunt.*

LV. *De pœnitentia quadraginta dierum.*

LVI. *Poſt quadraginta dies pœnitentia primi anni.*

LVII. *Pœnitentia ſecundi & tertii anni.*

LVIII. *Pœnitentia quarti, quinti, ſexti & ſeptimi anni.*

PRÆFATIO.

CUM conſtet omnibus, divinam legem tractantibus, poſt evangelia & limpidiſſima novi teſtamenti fluenta, beatorum canonibus apoſtolorum, & ſanctorum patrum apud Nicæam Bithyniæ congregatorum conſtitutis, necnon & apoſtolicorum Romanæ ſedis pontificum decretis, ſatis occurriſſe, reſtitiſſe, & oppugnaſſe, ſive hæreticis, ſive ſchiſmaticis, & omnibus veræ fidei oppugnantibus regulas; ſed antiquus ſerpens, qui dicitur diabolus & ſatanas, inimicus humani generis, nova venena malitiæ ſuæ dulci poculo ſancti Spiritus admiſcere, & bono ſemini ſancti evangelii zizania ſuæ pravitatis & profanæ iniquitatis ſubſeminare non deſinit, ſicut in Matthæo, cum bonæ meſſi zizania fuiſſent inſerta, ſcriptum eſt: *Inimicus homo hoc fecit:* & de ejus ſatellitibus ſub ſquamarum ſpecie in Job prohibetur: *Una uni conjungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas:* unde neceſſe eſt, ejus perverſiſſimis machinationibus, & ſatellitum ſuorum inſecutionibus ex authentica poteſtate contraire, & novum paradigma veræ aſſertionis opponere. Quapropter Rex regum, cujus regnum, ut Pſalmiſta canit, regnum eſt omnium ſæculorum, omnibus eccleſiaſticæ ſublimitatis ordinibus, necnon & ſæcularis potentiæ dignitatibus, novum principem Arnulphum, regem pacifico ordine perpetuæ tranquillitatis proferre dignatus eſt. Cujus cor ſancti Spiritus ardore inflammare, & zelo divini amoris voluit accendere, ut totus cognoſcat mundus, non ab homine, neque per hominem, ſed per ipſum Dominum eum eſſe electum. Conſiderans enim idem ſapientiſſimus rex profundæ mentis intuitu abundantem in ſe ſancti Spiritus gratiam, quia quos repleverit, ardentes in ſe pariter & loquentes facit de ſe, anno incarnationis Jeſu Chriſti Domini noſtri 895. regni vero ſui octavo, indictione 13. menſe Majo, ejuſdem ſancti Spiritus inſtinctu & primatuum ſuorum conſultu venit in villam regiam, videlicet Triburiam, in terra Francorum conſiſtentem, cum epiſcopis infra conſcriptis, abbatibus, & omnibus regni principibus, necnon convenientibus eccleſiaſticorum & ſæcularium innumeris turbis: quatenus infatigabili perſeverantia divina & humana tractarentur, atque emergentia mala comprimerentur, ut eo liberius ſancta Dei eccleſia ſuo potiretur honore. Cum autem ſapientiſſimus rex concilium ſacrum continuari decreviſſet, placuit ſibi & univerſo clero, ut peracto triduano jejunio, litaniis & orationibus ſuper ſe de cælis promiſſum invitarent adjutorium, ſicut ipſe Salvator aſcendens in cælum diſcipulis ſuis promiſit, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; ut futura concilia in ipſo inchoarentur, & per ipſum finirentur, qui eſt initium & finis, & ſupplementum legis, ut apoſtolus Romanis ſcribens ait: *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* Quo peracto, pergens ad palatium, regale ſedit ſolium, indutus veſte ſplendidiſſima, quam * texit ſapientia, repletus eſt prudentia, erectus * & potentia, pro ſua magnitudine ſtipatus multitudine, tractans practice de ſtatu regni, & theorice de ordine & ſtabilitate eccleſiarum Chriſti, & qualiter boni quiete viverent, & mali inulte non peccarent. Interim epiſcoporum ſacer conventus in baſilica prædictæ villæ, poſt communes orationes & preces finitas, honorificentiſſime infulati, pontificalibus ſedibus ſuffulti, mentibus ſerenati, prudentia prædíti, ſacroſanctum ingreſſi ſunt ſynodale colloquium. Inter alia namque, quibus divina & humana tractaturi erant, communi voto & pari conſenſu, de collegio ſanctorum ſacerdotum gnaros & idoneos direxerunt mediatores ad præfatum pium regem, inquirentes quo ſtudio, vel quali benignitate, ſecundum ſapientiam & poſſibilitatem ab ipſo Deo ſibi datam, eccleſiam Chriſti, illi per regalem poteſtatem, & ipſis per ſacerdotalem eminentiam, defendere, & miniſterium illorum amplificare & ſublimare dignaretur, proponentes ei propriam regis eminentiam, id eſt, ut miſericordia & modeſtia omnes præcellat, & non ſecundum perſonam judicet: atque juxta Salomonem, juſtitiam, judicium & æquitatem diligat: addentes inſuper exempla ſacrarum literarum, quibus Sapientia

alum.

ANNO CHRISTI 895.

A

B

C

D

E

Tribur villa reg.

Matth. 13.

Pſal. 14.

Rom. 1.

* texuit

* eſt.

ANNO CHRISTI 8..

Matt. 13. Job 1. 7.

alumnos suis laboribus educatos instruens, ait : *Meum est consilium & æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt : per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Et item : *Rex qui judicat in veritate, thronus ejus in æternum firmabitur.* Præferentes etiam ei institutiones Martini episcopi ad Mironem regem, quibus eum ad honestatem vitæ, & pietatem morum, ordine rationis instituens, ait : Prudentis proprium est examinare consilia, atque subjunxit : Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur : præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Et sermo tuus non sit inanis, sed suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Quibus rex theologiam quasi ab alto differentibus, ab augusta mentis suæ sede, (quia ut Sapientia ait : *Cor regum inscrutabile est*) arcanum mysterii sui revelans, in hæc verba prorupit : O pastores ecclesiarum Christi, & clarissima lumina mundi, agite quæ vobis imposita est curam pastoralem : & juxta Apostolum, instate opportune, importune : arguite, obsecrate, increpate in omni patientia & doctrina, ut vigili cura & admonitione sedula oves Christi ad caulas æternæ vitæ introducere mereamini. Habetis me omnibus ecclesiæ Christi adversantibus, & vestro sacerdotali ministerio renitentibus oppositissimum bellatorem : quia, ut Apostolus Romanis scribit : *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Et item : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura potevit nos separare a caritate Dei*, & unanimitate sancta, beatissimi patres. Gratulantes igitur beati, qui missi sunt, sacerdotes, congredientibus quibusdam optimatibus de throno regis, causa justæ legationis & veræ unanimitatis, ad sanctam synodum directis, reversi sunt ad eos qui miserant illos. Perambulantes igitur, & sacrum Conventum irrumpentes, rite & laudabiliter quæ injuncta sunt exponentes, & ecclesiam illic congregatam consolatoria responsione lætificantes, siluerunt, & quid deinceps acturi essent, taciti expectare cœperunt. Exurgentes igitur de sedibus suis reverendissimi patres, cum astanti clero ter quaterque proclamantes, & divinæ majestati supplicantes, Exaudi Christe, Arnulpho magno regi vita; & sonantibus campanis, *Te Deum laudamus* concinentibus cunctis, glorificantes & Jesum Christum collaudantes, qui in fervis suis consolabitur, qui ecclesiæ suæ sanctæ tam pium & mitem consolatorem, tamque strenuum adjutorem, ad honorem nominis suis condonare dignatus est. Et peractis divinæ majestati precibus, inclinantes se coram pii principis adstantibus missis, gratificantes & magno principi laudes persolventes, deinde recto ordine consederunt, & prævio sancto Spiritu, quædam capitula magis necessaria ex canonicis institutionibus subscripserunt, errata corrigere, superflua abscindere, recta via regia coarctare. Post hæc prudentissimus rex regnorum, sacrosanctis divinæ religionis interfuit mysteriis, & sancti patres secretis palatinis. Et concordia erat in cunctis ad laudem Jesu Christi Domini nostri, cui sit laus & gloria per infinita sæculorum sæcula.

CANONES.

ANNO CHRISTI 895.

I.

Post ingressum sancti & synodalis colloquii, e cælis divinum implorabant auxilium, ut Deus omnipotens, qui, David canente, inhabitare facit unanimes in domo, & dabit virtutem & fortitudinem plebi, in domo sua, in sancta videlicet ecclesia, clerum, & populum unanimes dignaretur cohibere, virtutem & fortitudinem dare, ut in nullo diffiderent; quatenus rationabilia meditantes, & dictis concordarent & factis. *Psal 67.*

II.

Cum hæc pro unitate tam cleri quam populi tractarentur, quidam presbyter venit medius, a quodam laico excæcatus, ejusdem criminis, propter quod cæcus fuerat effectus, liberrimus, ut testatur episcopus, in cujus sancta synodo post excæcationem coram positus, securus est factus. Quopropter idem episcopus præcepit, ut veniret laicus, & de tam nefando scelere satisfactionem procuraret agere. Qui nequaquam consensit, sed communem episcoporum synodum appellavit. Perpendentes Episcopi lamentationem Jeremiæ impleri, aurum obscurari, lapides sanctuarii ab hostibus destrui, & iterum in membris suis Christum crucifigi, suspirantes & compassibiliter ingemiscentes, vicariis pro se & sancto clero transmissis, proclamantes, & pium ecclesiarum defensorem appellantes, & consilium postulantes quid statuere dignaretur pro talibus & similibus, qui pro diversis erratibus & certis criminibus sunt incorrigibiles, & justo anathemate mucrone apostolici sermonis abscinduntur, quo ait : *Tradite hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Et iterum : *Cum hujusmodi nec cibum sumere.* Sed tamen indurante diabolo, quamvis excommunicentur, ad pœnitendum non emolliuntur, sed sicut scriptum est : *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit* : profundum peccatorum intuentes, & in desperationem proruentes. *Et erit novissimus error pejor priore.* Mittentes etiam ei contra eos scripta instituta canonica, in Canonibus sanctorum apostolorum capitulo undecimo : Quod cum excommunicatis non sit orandum. In Nicæno magno concilio, capitulo quinto : Qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur. In Antiocheno sancto concilio, capitulo secundo : Ut si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, seu quilibet ex clero, communicare deprehensus fuerit cum excommunicatis, etiam iste com- *Thren 4.* *1. Cor. 5.* *Prov. 18.* *Matth. 27.*

communione privetur, tanquam qui regulam confundat ecclesiæ. In epistola Callisti papæ: Ut nemo cum eis in oratione, aut cibo vel potu, aut osculo communicet, nec eis Ave dicat. ANNO CHRISTI 895.

III.

Nos igitur quibus regni cura, & solicitudo ecclesiarum Christi commissa est, aliter regnum & imperium jure ecclesiastico regere & gubernare non possumus, nisi hos qui ecclesiam Christi, non habentem, ut apostolus ait, maculam, neque rugam, conturbant, zelo fidei persequamur, de quo rex David testatur: *Nonne qui oderunt te Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Et cum evangelium legeretur, audivimus: *Si * te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et alibi: *Qui percutit malos in eo quod mali sunt, minister Domini est.* Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes, præcipimus, & auctoritate nostra injungimus omnibus regni nostri comitibus, postquam ab episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur, & ante nos perferantur: ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur. Unde per quemdam sapientem dictum est: *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Si enim tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, judicio episcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia: & præcepto nostro, * Vveregeldi nulla ab eis extorqueatur compositio. Constringanturque proximi & eorum cognati cum juramento, ne in illis eos vindicent, sed pacem ad eos & concordiam servent.

Ephes. 5. *Psal.* 138. *Matth.* 18. * ecclesiam *Rom.* 13. *Prov.* 20. * Vveregeld defensionis pecuniam Germanice significat, & ita hic videtur accipi.

IV.

Si quis presbyter, (quod absit, quia sacerdos altissimi Dei est) vulneratus, vel quibuslibet injuriis, & contumeliis dehonestatus, evaserit & supervixerit, tota compositio persolvatur presbytero. Si autem articulo mortis præventus obierit, pretium Vveregeldi tripartita partiatur divisione, idest, altari cui ordinatus fuerat, pars una; episcopo in cujus diœcesi erat, altera: tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si vero in atrio ecclesiæ aliquid ex istis presbytero factum fuerit, supradicto modo presbytero & pro presbytero solvatur. Sed quia, ut Hilarus papa omnibus episcopis per diversas provincias in epistola sua scribit, injuria sacerdotum & ecclesiarum, sacrilegium est: sacrilegium in atrio factum, altari & domino ejusdem loci persolvatur. Sacerdotes enim non sunt lacerandi, sed potius coronandi: quia de his Ecclesiasticus liber loquitur, dicens: *In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica, & ministros ejus non derelinquas, & honorifica sacerdotem.* Et Isidorus: His enim, sicut & episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est: præsunt enim ecclesiæ Christi, & in consecratione divini corporis & sanguinis consortes sunt episcopis: similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. ANNO CHRISTI 8. *Eccli.* 7.

V.

Si quis sacerdotem, non coactus, sed propria voluntate seductus, morti tradiderit, secundum sententiam apostolicorum & nostrorum moderni temporis sacerdotum, quinquennio plenissimæ castigationi pœnitentiæ substernatur: ita ut carnem non manducet, nec vinum bibat, jejunet autem usque ad vesperam, exceptis dominicis & diebus festis. Arma non portet: & ubicumque eat, pedibus incedat: ecclesiam non intret, sed ante fores stet, orans Dominum puro corde, ut abluatur tanto crimine. Expleto vero quinquennio, introducente episcopo ingrediatur ecclesiam: nondum tamen communicans, sed * intra audientes stans. Et aliquid quinquennium indulgentius introeat indultum. Quo vero expleto, cum decimi anni cursus fuerit finitus, gratia communicandi & licentia concedatur ei equitandi. Maneat autem in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut purificationis mereatur culmen. Rigor pœnitentiæ. * inter

VI.

Si quis temerarius atrium ecclesiæ evaginato gladio præsumptuose intraverit, sacrilegium facit. Et idcirco sacrilegium in atrio Domini factum, sacrilegii more altari & Domino persolvatur. Dominus dicit in evangelio: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*: id est, qui seipsos vice talionis per peccatum in præsenti ulcisci desiderant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur. Quanto magis is, qui * secundum atrium, quod Dominus sibi præ cæteris segregavit locis, & suæ sanctæ ecclesiæ ad honorem, polluerit, & temerarius irruperit, gladio peccati & iniquitatis suæ mortuus jacuerit? Quapropter opus est pœnitentia, ut resurgat ad vitam qui gustavit mortem. *Matth.* * Sanct.

VII.

Quicumque timorem Domini postponentes & ecclesiastica judicia non verentes, res ecclesiæ rapiunt, vel auferunt, ut in epistola Anacleti papæ legitur, sacrilegium faciunt. Papa dixit: Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res eccle-

siæ

siæ abstulerit, sacrilegium facit. Unde tanta authoritate apostolicæ sententiæ suffulti, sancimus & unanimes judicamus, ut res ecclesiæ tripliciter componantur, insuper vero bannus episcopalis exquiratur. Qui vero exteriores ecclesiæ res rapiunt, vel fraudant, comite agente coerceantur: ut res ablatæ, legitime restituantur & componantur. Si vero non procuraverint, vel non emendaverint, ab episcopo canonice constringantur, ut res restituantur.

VIII.

Nemo contemnat, neque transgrediatur bannum ab episcopis superpositum. Sciat & abhorreat in epistola beati Clementis dictum contra se scriptum: Si vobis episcopis non obedierint omnes tam majores quam & inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus & linguæ: non solum infames, sed etiam extorres a regno Dei & consortio fidelium, a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Et audiant ipsum Dominum in evangelio dicentem: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Quapropter nos evangelicam & apostolicam considerantes authoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus & confirmamus: ut si quis post hanc hujus sancti concilii diffinitionem, inventus fuerit corrupisse bannum ab episcopis impositum, quadraginta dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale, & aqua.

IX.

Cum autem episcopus ecclesiam a Domino Deo sibi commissam regens, episcopatum circumeundo perrexerit, & placitum canonice constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit: atque comes eadem die sciens placitum ab episcopo condictum, vel nesciens, placitum cum populo suum condixerit, & per bannum illuc venire præceperit: placitum comitis omnes postponant, & comes ipse: denique populus, post episcopum festine pergant, scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide catholica invigilare: non cumulum pecuniarum, sed lucrum congregare animarum. Unde in eadem beati Clementis epistola: Vestrum, inquit, qui legatione Domini fungimini, est docere populos. Eorum vero est, vobis obedire ut Deo. Et in epistola Alexandri papæ, successoris Evaristi: Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit: & sicut multis nocet, ita a multis est arguendus: & quia Dei causam impedit, & statum ecclesiæ conturbat, ideo a liminibus ejus arceatur. Quapropter nullus comes, nullusque judex, nullus omnino in clericatu vel sæculari habitu constitutus, legationem episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. Ut autem unanimitas & concordia sit inter episcopos & comites: placuit, ut si quis episcopus domi residens, conventum populi esse voluerit, & comes nihilo minus in ipsa eademque die placitum esse dixerit, effectum obtineat qui prior indicaverat, salva tamen dignitate & potestate episcopi. ANNO CHRISTI 895.

X.

Statutum est in hac sancta & universali synodo, ut nullus episcopus deponatur, nisi a duodecim episcopis, presbyter a sex, diaconus a tribus. In Concilio Carthaginensi capite duodecimo Felix episcopus dixit: Si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, & non potest plurimos congregare episcopos: ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur: & presbyter a sex, cum proprio suo episcopo: & diaconus a tribus episcopis audiatur. Et in eodem Concilio capite vigesimo: Ut presbyter a sex, diaconus a tribus discutiatur episcopis. Reliquorum clericorum causas, etiam solus episcopus loci cognoscat & definiat.

XI.

Si quis clericus, quamvis nimium coactus, homicidium fecerit, sive sit presbyter, sive diaconus, deponatur. Legimus in canonibus apostolorum, quod episcopus, presbyter, & diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur: quanto magis is, qui hoc immane scelus fecerit, ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. *Qui cum malediceretur, non remaledicebat: cum percuteretur, non comminabatur*. Et ipse in evangelio suo præcepit: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram*. Non enim debemus occidere, cum Dominus dicat: *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*: nec malum pro malo reddere, sed sicut apostolus Romanis scribens ait: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Si quis clericorum præsens erit, ubi homicidium fuerit, & neque consensu, neque consultu, neque in aliquo homicidii reatu pollutus esse convincitur: nihil ei obsit, quin consecratus in gradu permaneat: non consecratus, si alias dignus sit, promotus accedat. 1. Petr. 2. Matth. 5. Ibid. Rom. 12.

XII.

Sacrosanctum baptismi mysterium, sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis & legitimis in anno celebrari temporibus, cum hoc sibi privilegium, ut in epistola Siricii papæ legitur capite secundo, & apud nos, & apud omnes ecclesias specialiter cum pentecoste sua domini-

nicum paſcha defendit. In quo (ut legi-
ANNO CHRISTI 895 tur in epiſtola Leonis papæ capite nono) orta eſt & virtus muneris, & ſpecies actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet quod ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, poſtquam reſurrexit a mortuis, diſcipulis ſuis formam & poteſtatem tradi-
Matth. 28. dit baptizandi, dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* De quo utique ante paſſionem potuiſſet eos inſtruere, niſi proprie voluiſſet demonſtrare, regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe. Additur ſane huic obſervantiæ, etiam pentecoſtes, ex adventu ſancti Spiritus, ſacra ſolemnitas, quæ de paſchalis feſti pendet articulo. Nam cum ad alios dies alia feſta pertineant, hæc ſemper ad eum diem recurrit, qui reſurrectione Domini eſt inſignis, porrigens quodammodo manum auxiliantis gratiæ, & eos invitans, quos a die paſchæ aut moleſtia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas intercluſit, ut deſiderii ſui effectum dono ſancti Spiritus conſequantur. Ipſe enim Unigenitus Dei, qui in paſcha reſurrexit, in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter ſe & Spiritum ſanctum voluit eſſe diſtantiam, quia nulla eſt diverſitas in natura. Unde utrique ſit proprium, non diſſimile eſſe feſtum, ubi unum eſt ſacramentum. Sicut tunc, ita & nunc, in remiſſionem peccatorum, baptiſmi celebratur ſacramentum: qui idem Spiritus ſanctus, cujus hic celebramus adventum, eſt remiſſio omnium peccatorum. Trina namque in baptiſmate immerſio triduanam imitatur ſepulturam: & ab aquis elevatio, inſtar eſt reſurgentis de ſepulcro. Periculo quocumque modo præoccupatis & deſperatis, omni tempore ſubveniendum, & baptiſmi ſacramentum eſt tribuendum, quia neceſſitas vix habet legem. Si enim valida infirmitate occupati & deſperati, ad eccleſiam provehi non poſſint, loco mundo perſpecto, baptiſma celebretur, & procuratione presbyteri caute obſervetur & collocetur. Uſque ad octavum namque diem ipſa regeneratio ſacra ab omni Chriſtiano populo celebrabitur, quia reſurrectio Domini octo diebus colitur.

XIII.

De decimis Auguſtinus doctor mirabilis ſub brevi ratiuncula ſatis videtur dilucidaſſe, cum ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid ſi diceret Deus? Nempe meus es o homo, mea eſt terra quam colis, mea ſemina quæ ſpargis, mea animalia quæ fatigas, meus eſt ſolis ardor: & cum omnia mea ſint, tu qui * minus accommodas, ſolam decimam merebaris: ſed ſervo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur, ſciat quod ideo dandæ ſunt, ut hac devotione Deus placatus, largius præſtet quæ neceſſaria ſunt: & ut miniſtri eccleſiæ exinde relevati, liberiores fiant ad ſpiritalis ſervitii expletionem: & ut munus populi ex hinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non ſecundum ſtatuta canonum, in ſuſtentationem pauperum, & reſtaurationem eccleſiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes juxta canones judicamus de decimis & oblationibus fidelium: ut una ſit epiſcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta reſtaurationi eccleſiarum ſervetur: ſicut in epiſtola Gelaſii papæ capite vigeſimoſeptimo legitur.

* manus

XIV.

Placuit huic ſancto concilio, ut ſecundum ſanctiones canonum, decimæ, ſicut & aliæ poſſeſſiones, antiquis conſerventur eccleſiis, ſicut in Chalcedonenſi ſancto concilio ſtatutum eſt, capite decimoſeptimo. Si quis autem in affinitate antiquæ eccleſiæ novalia rura excoluerit, decima exinde debita antiqua reddatur eccleſiæ. Si vero in qualibet ſilva, vel deſerto loco, ultra milliaria quatuor aut quinque, vel eo amplius, aliquod dirutum collaboraverit, & illic conſentiente epiſcopo eccleſiam conſtruxerit, & conſecratam perpetraverit, proſpiciat presbyterum ad ſervitium Dei idoneum & ſtudioſum, & tunc demum novam decimam novæ reddat eccleſiæ; ſalva tamen poteſtate epiſcopi.

XV.

Reſtat propter inſtantem, quæ tunc maxima occurrit, neceſſitatem, ubicumque facultas rerum & opportunitas temporum ſuppetat, ſepulturam morientium apud eccleſiam, ubi ſedes eſt epiſcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus inopportunitatis difficultatem, impoſſibile videatur, expectet eum terra ſepulturæ ſuæ, quo canonicorum aut monachorum, ſive ſanctimonialium congregatio ſancta communiter degat, ut eorum orationibus judici ſuo commendatus occurrat, & remiſſionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum interceſſionibus percipiat. Quod ſi & hoc ineptum & difficile æſtimetur: ubi decimam perſolvebat vivus, ſepeliatur mortuus.

Vivor pro d a is in ſiones runtur

XVI.

Abhorrendus, & Chriſtianis omnibus devitandus mos iniquus ſubrepſit, ſepulturam mortuis debitam ſub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere: cum hoc nuſquam ſub evangelica gratia meminerimus nos inveniſſe vel legiſſe. In eccleſiaſtico

ANNO CHRISTI 895.

ſtico namque libro ſcriptum eſt; *Mortuo non prohibeas gratiam, ſciens quia omnes moriemur.* Et item: *Omnia quæ de terra ſunt, in terram convertuntur.* Quid terra vendis? memento quoniam terra es, & in terram ibis, & quoniam mors tibi futura eſt, appropiat & non tardat. Recordare quoniam non hominis eſt terra, ſed ut Pſalmiſta commemorat: *Domini eſt terra, & qui habitant in ea.* Si terram vendis, invaſione alienæ rei reus teneberis. Gratias accepiſti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum ſit omnibus omnino Chriſtianis, terram mortuis vendere, & debitam ſepulturam denegare. Niſi forte proximi, & defuncti, propter nomen Domini & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.

XVII.

Secundum ſtatuta ſanctorum patrum, & experimenta miraculorum, prohibemus & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in eccleſia ſepeliatur. Quidam mirabilis doctor noſtræ diffinitioni conſentiens, inquit: Neque enim in eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona ſacerdotis, aut cujuslibet juſti hominis, qui per vitæ meritum, talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit. Corpora antiquitus in eccleſia ſepulta, nequaquam projiciantur, ſed pavimento deſuper facto, nullo tumulorum veſtigio apparente, eccleſiæ reverentia conſervetur. Ubi vero hoc præ multitudine cadaverum difficile ſit facere, locus ille cœmeterium & polyandrium habeatur, ablato inde altari, & conſtituto ubi religioſe ſacrificium Deo valeat offerri. Beatus Gregorius in miraculis patrum memoria dignum, & huic rei congruum refert miraculum in Genuenſi urbe contigiſſe. Ibi „ namque quidem Valentinus nomine, Me- „ diolanenſis eccleſiæ defenſor, defunctus „ eſt, cujus corpus in eccleſia beati mar- „ tyris Syri ſepultum eſt. Nocte autem „ media in eadem eccleſia factæ ſunt vo- „ ces, ac ſi quis violenter ex ea repelleretur atque traheretur foras. Ad quas nimirum voces cucurrere cuſtodes, & videre duos quoſdam teterrimos ſpiritus, „ qui ejuſdem Valentini pedes cum ligatura conſtrinxerant, eum ab eccleſia clamantem, ac nimium vociferantem foras trahebant. Qui videlicet exterriti, „ ad ſua ſtrata reverſi ſunt. Mane autem „ facto aperientes ſepulcrum, ubi idem „ Valentinus poſitus fuerat, ejus corpus „ non invenerunt. Cumque extra eccleſiam quærerent ubi projectum eſſet, invenerunt hoc in ſepulcro alio poſitum, „ ligatis adhuc pedibus, ſicut de eccleſia „ fuerat abjectum. Ex qua re colligendum eſt, quia hi quos peccata gravia „ deprimunt, ſi in ſacro loco ſepeliri ſe „ faciunt, reſtat ut etiam de ſua præſumptione judicentur, quatenus eos ſacra „ loca non liberent, ſed etiam culpa temeritatis accuſet. Quid igitur ſacra loca ſepultis proſunt, quando hi qui indigni ſunt ab eiſdem ſacris locis divinitus projiciuntur? Sancta ſynodus dixit: Mira res, & multis expaveſcenda. Ideoque per futura temporum curricula ab omnibus obſervanda.

XVIII.

Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramenta conficere, reſpondit: Quondam ſacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei ſacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus decimus ſextus Romanus epiſcopus, patenis vitreis Miſſas celebrare conſtituit. Tum deinde Urbanus, decimus octavus papa, omnia miniſteria ſacrata fecit argentea. In hoc enim, ſicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus ſuccrevit eccleſiarum. Noſtris enim diebus, qui ſervi patrisfamilias ſumus, ne decus matris eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur: ſtatuimus, ut deinceps nullus ſacerdos ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti Domini noſtri in ligneis vaſculis ullo modo conficere præſumat, ne, unde placari debet, inde iraſcatur Deus.

XIX.

Alexander ſucceſſor Evariſti dixit: Non debet enim, ut a patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus profluxit: Ut videlicet per hoc „ indicet populos, qui ſecundum Joannem „ aquæ ſunt, a Chriſto, cujus ſanguis in ca- „ lice eſt, dividi non debere. Cujus rei veritatem in hac ſancta Synodo confitemur, credimus & confirmamus, ne ullus ſine commixtione vini & aquæ myſteria ſacra conficiat: ſed ut duæ partes ſint vini, quia major eſt majeſtas ſanguinis Chriſti, quam fragilitas populi; tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.

Alexander papa ep 8.

Joan. 19.

Apoc. 17.

XX.

Si quis irreverens, timorem Domini poſtponens, in ſervos ejus ſævire præſumpſerit, quos ipſe præ cæteris peculiari ſingularitate ſibi ſegregavit, & coronæ ſuæ ſimilitudinem, tradente apoſtolorum principe, geſtare fecit, & ſervos ſuos dici & eſſe voluit, ſortemque illorum ſe conſtituit, ſicut de eis ſcriptum eſt, loquente ipſo Domino: *Ego hæreditas eorum. Dominus hæreditas mea eſt.* Si quis, ut diximus, ullum eorum, quocumque ordine conſecratum, cæſis vulneribus

1 Petr. 2.

Num. 18. Deut. 18.

ANNO CHRISTI 895.

ribus, vel quibuscumque injuriis angustaverit, jubeat eum dominus episcopus per bannum a se impositum ante se venire, & advocet cognitorem & adjutorem comitem, & constringat protervum episcopus auctoritate canonica: ut eidem clerico, cui contra divinas & humanas leges contumelias ingessit, justam & debitam persolvat compositionem: & comite agente persolvat bannum regibus debitum. Si vero agente protervia venire contempserit, justitiæque consentire detrectaverit, agantur super eum omnia, quæ supra scripta sunt in secundo & tertio capitulo, nisi iterum veniat, & justitiæ concordet.

XXI.

2. quæst. 4. Si quis presbyter.

1 percipiente.

2 per juramentum.

3 se expurget.

4 juramenti

Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum, aliquam habet querimoniæ controversiam, episcopo 1 regente sine personarum acceptione finiatur, & laicus 2 præjuramento, si necesse sit, 3 constringatur: presbyter vero vice 4 præjuramenti, per sanctam consecrationem interrogetur; quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim, per quam corpus & sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? absit, cum Dominus in evangelio discipulis suis, quorum vicem nos indigni in sancta gerimus ecclesia, dicat: *Nolite omnino jurare, sit autem sermo vester, Est, est, Non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Non dixit, Quod amplius est, malum est, sed *a malo*, id est, a malo homine, de cujus incredulitate cogimur jurare. Ut enim in quadam homilia B. Bedæ presbyteri legimus, si forte nos incautius juravisse contigerit, quod scilicet observatum pejorem vergat in exitum, liberare illud mutandum noverimus salubriori consilio.

XXII.

Si quis fidelis libertate notabilis, aliquo crimine aut infamia deputatur, utatur jure, juramento se excusare. Si vero tanto talique crimine publicatur, ut criminosus a populo suspicetur, & propterea superjuretur, aut confiteatur, & pœniteat, aut episcopo vel suo misso discutiente, per ignem candenti ferro caute examinetur. Deus omnipotens, cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, ut in epistola Evaristi papæ scriptum legimus, quo nos a dubiis & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifeste agnosceret quæ dicebantur; unde ipse ait: *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temere indiligenterque indiscussa quæque pro modo judicemus: sed exemplo Domini descendamus, videamus, & justo examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam; ut videamus, utrum clamorem populi compleverint, necne. Nam mala audita nullum moveant, sed ante audita diligenter inquirat.

Hebr. 4.

Gen. 18.

XXIII.

Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscuerit, ut in constitutis Gelasii papæ capite vigesimo legitur: protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi; si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi concilio, capite decimosexto: Hoc perpetrantes excommunicentur: confitentibus, auctoritate episcopi, misericordia largiatur. In epistola papæ Siricii capite sexto: Velatæ Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publice & libere filios procreaverint, has impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu & ecclesiarum conventibus eliminandas esse, judicatum est, quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo Domini, & canonica auctoritate in hac sancta synodo præcipimus, ut omnino separentur, & juramento colligantur, ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia & in publico, aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti, juste possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sint, dividant, & uterque sua provideat.

XXIV.

Quæcumque virgo sub patrocinio ante annos 12. non coacta, sed propria voluntate, sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem, nullo repetente, velata permanserit; ab eodem sancto habitu ulterius non recedat, sed sponsa vero regi Christo, immaculato agno, ulterius incorrupta & immaculata deserviat. Si vero idem patronus post annum & diem, sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam sponsam rapere: secundum præstituta canonum præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Christo regi suam sponsam relinquat. Si quis de virginibus velatis curiosius & diligentius investigare perstiterit, insistat capite decimosexto Carthaginensis sancti Concilii, & nonagesimotertio Africani. In Carthaginensi, cap. decimosexto continetur: Ut ante vigesimum

quin-

quintum annum virgines non consecrentur: in Africano, nonagesimotertio: Ut quicumque episcoporum, aliqua urgente necessitate, vel periculo mortis angustante, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit, seu velavit, ante vigesimumquintum annum ætatis virginem, non ei obsit concilium quod de illo annorum numero constitutum est, quin velata & consecrata permaneat.

XXV.

Viduas autem velare pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis papæ Gelasii, cap. decimotertio, quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præstituit. Quæ si propria voluntate continentiam professa, ut in ejusdem Gelasii capite vigesimoprimo legitur, ejus intentio pro se reddat rationem Deo. Quia sicut secundum apostolum si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Qua auctoritate paternæ suffulti sententiæ, in hoc sacro conventu sancimus & libere judicamus, quod si sponte velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debebit: licet sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imponere, ut iterum possit deponere.

XXVI.

Si quis monachus pro lucro animæ vel animarum a suo monasterio exire, & in aliud proposuerit intrare, consentientibus episcopo, abbate & fratribus, consentimus & concordamus: quia id feciſſe multos sanctos legimus. Si vero fuga regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est gravandus: ut saltem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat. Si autem tam irreverens & pertinax est, ut ad monasterium redire, & propositum monachi reluctaverit observare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto canone in concilio Chalcedonensi capite quarto, papæ Siricii sexto, Leonis vigesimosexto: quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio.

XXVII.

In synodo Chalcedonensi capite septimo statutum est, ut clerici qui semel in clero deputati sunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam: & hoc tentantes, & pœnitentiam non agentes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegere, anathematizari. Nos autem eamdem sequentes canonicam auctoritatem, statuimus, ut clericus ecclesiastice nutritus, in ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto clericatus habitu, a castris dominicis, quibus adscriptus est, profugus & apostata elabitur, & ad sæculum egreditur: ab episcopo canonice coerceatur, ut ad * sinum matris ecclesiæ revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si vero huic hujus sancti concilii reluctaverit definitioni, secundum præstitutam Chalcedonensis capituli constitutionem anathematizetur. Sanctus Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate ac desiderio suo feruntur.

ANNO CHRISTI 891.

* al. signum.

XXVIII.

In Nicæno sancto & universali Concilio continetur: Propter multam perturbationem & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, ita ut de civitate ad civitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur, &c. In Chalcedonensi, capite vigesimo: Clericos in ecclesia ministrantes, in alterius civitatis ecclesia statutos fieri non oportet. Si quis episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium pertinentem, suscipiens & susceptus communione priventur, donec is qui migraverat, ad propriam fuerit regressus eccle. siam. Item in Synodo Sardicensi, capite decimo octavo: Ut nulli liceat episcopo alterius episcopi ministerium ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. In Africano, capite vigesimoprimo: Ut clericum alienum nullus sibi privet episcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit clericus, &c. Item in decretis papæ Leonis: Alienum clericum, invito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque convenerit. Quibus constitutis sanctorum Canonum operam dantes, & vestigiis patrum inhærentes, hoc secundum præfixos sanctos Canones statuimus, & justum esse decernimus.

XXIX.

Secundum decreta sanctorum patrum præjudicamus, & nos id acturos profitemur, ut nullum servum episcopus ordinare præsumat, antequam perfecta ditetur ingenuitate, quia non debet vilis persona fungi sacerdotii dignitate. Leo papa in epistola sua, capite primo: Debet enim esse ab aliis securus, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a castris dominicis quibus

IANNO CHRISTI 895.

men ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Gregorius in decretis suis, cap. septimo: Multos ex ecclesiastica familia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant conversari. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi invenimur quædam negare qui dedit omnia. Unde necesse est, ut ab humano servitio liber recedat, qui divini obsequii districtam subire appetit servitutem. Sancta Synodus dixit: Præfinita patrum statuta inviolabilem habeant firmitatem.

XXX.

In memoriam beati Petri apostoli, honoremus sanctam Romanam & apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet, sive presbyter sive diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit: salva fide & integra circa apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat diffinire, ut & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

XXXI.

Tranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari, testantur fures & latrones, qui ambulant inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res ecclesiarum, sæva mente adducti, rapientes, & gregem dominicum spoliando lacerantes. De quibus Salvator in evangelio commemorat: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est & latro*. Atque subjungit: *Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat*. Ubi quamvis hæreticos qui fidem furantur ecclesiæ designet; tamen insecutione furum & latronum turbatam monstrat pacem ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippenses: *Videte canes, videte malos operarios*. Canes vocavit, quod non habent verecundiam: malos operarios, quia nulla faciunt quæ pietati conveniunt. Et Dominus per prophetam Isaiam: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam*. Unde nos quæ Dominus diligit diligentes, & quæ odit odio habentes, statuimus & judicamus, ut si quis post hæc evangelica & apostolica atque prophetica verba, & diffinitionem pacatissimæ Synodi, inventus fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere; nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data, in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & sacerdoti, comite vita, emendationem morum & actuum confitetur: communionis gratiam non negamus tribuendam. In Nicæno magno Concilio statutum legimus: Si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur, *&c.* Item de ultima pœnitentia, in epistola Innocentii papæ, capite vigesimoprimo: Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo liberentur exitio. Item de eodem in Carthaginensi septimo & Cælestini decimoquinto, ubi ait: Quod, rogo, aliud est, ultimam pœnitentiam negare periclitanti, quam mortem addere morienti?

XXXII.

Quæcumque ecclesia a compluribus cohæredibus sit obsessa, concordi unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, & cura populi irreligiose agatur. Si vero contingat pro eo comparticipes dissidere, & sub uno presbytero nolle eam procurare, & propterea jurgia & contentiones tam inter ipsos, quam inter clericos incipiant frequentare, quia juxta Apostolum servos Dei non oportet litigare, episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorifice collocet eas, atque ejusdem ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant auctoritatem episcopi, ut in nullis ecclesiis nec constituantur presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis & non consentientibus. In epistola beati papæ Clementis legitur: Attendendum summopere est omnibus presbyteris & reliquis clericis, ut nihil absque episcopi proprii licentia agant, non utique Missas sine ejus jussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui popu-

Joan. 19. Philip. 3. Isai. 31. Can. 1 & 26 qu. 6. De his ro. Cohæredes qui jus habeant pro natus. 2. Tim.

populi, majores scilicet & minores, per ejus licentiam, quidquid agendum est, agant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt: ideo omnia ejus consilio agere debent, & eo inconsulto nihil. ANNO CHRISTI 891.

XXXIII.

In Nicæno sancto & universali Concilio statutum est, capite primo: Ut si quis a medicis per languorem defectus est, aut a barbaris abscisus, hic in clero permaneat. In epistola Innocentii papæ, capite vigesimo octavo: Qui igitur volens cujuslibet partem digiti sibi abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contingit, hunc canones præcipiunt & clericum fieri, & si in clero fuit repertus, non abjici. Item in decretis Gelasii papæ, capite decimosexto: Ut nemo literas nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus, promoveatur ad clerum. Hanc auctoritatem sanctorum patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque: ita ut si quis a medicis per languorem defectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, & inveniatur alias dignus, permanet clericus, & sacro ordini aptus.

XXXIV.

Undique bella consurgunt, hostes sæviunt, inimica gens Paganorum insequitur populum Christianorum. Impletum est enim quod evangelica testatur historia: *Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum*, &c. Et alibi scriptum est: *Pugnabit orbis terrarum pro eo contra insensatos.* Quapropter zelo divinæ æmulationis accensi Christianorum exercitus procedunt ad bellum confidentes in eum qui dixit: Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis. Fit conventus Christianorum & Paganorum: fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Unde fortissimo confortante Domino, sicut Matathias pater Macchabæorum ait: *Non in multitudine exercitus fit victoria belli, sed de cælo venit fortitudo*: sæpe fuit victoria Christianorum, victa est pars Paganorum. Quare una cum interfectis Paganis perempti fuerunt Christiani, captivi a barbaris, quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco justum decernentes, statuimus cum interfectoribus misericordius agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indulgentius transactis, penes episcopum sit auctoritas & potestas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam.

XXXV.

Secundum sanctorum statuta patrum, in hoc sancto præjudicamus Concilio, ut nullus comes, nullusque omnino sæcularis, diebus dominicis, vel sanctorum in festis, seu quadragesimæ, aut jejuniorum, placitum habere, sed nec populum illo præsumat coercere. Quia inde irascitur Deus, quod cum tantum in suo sancto servitio debet populus desudare, inveniatur lites & contentiones frequentare. Diebus vero dominicis & sanctorum festis, vigiliis & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. Diebus quadragesimæ & jejuniorum summa devotione jejunandum, & omni intensione est orandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ, & nullæ lites vel contentiones habendæ. Arguit enim eos, qui contentiones & lites tempore jejuniorum, & qui a debitoribus debita exigunt, Dominus per prophetam, dicens: *Ecce in diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites & contentiones jejunatis & percutitis pugno impie.* Ideo nobis, qui gregis Dei curam accepimus pastoralem, summopere curandum & prohibendum est, ne, nostra desidia agente, præfatis diebus ullus placitum habere, & populum nobis commissum a servitio Dei nostri audeat impedire. Præterea sancimus, & præcipimus, ut nullus comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse veniat: ne forte dum jejunare & orare, atque pro salute suæ animæ debet invigilare, vaniloquiis & contentionibus cogatur laborare. Isa. 58.

XXXVI.

Si contingat duos fratres simul arborem succidere, sive in silva, sive quocumque loco, & cadente arbore, alter alteri, fuge vel cave, dixerit, & ipse stans, sive fugiens, subtus ipsam arborem devenerit, & mortuus fuerit: superstes frater, innocens de morte defuncti dijudicetur. Quia non voluntate, non incuria illius, non denique consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu: sed dum ambo insisterent operi necessario, incautus & insperatus casu arboris depressus est, nemine penitus adjuvare valente. Hanc eamdem statuimus diffinitionem de cæteris similibus, sive cognatis, sive nulla proximitate conjunctis. Istam diffinitionem tenuere patres nostri apostolici viri: ideo eorum exempla sequentes, per futura tempora inviolabilem eam custodimus, & posteris nostris sequendam transmittimus: quia grave peccatum est, & nostro ministerio contrarium, innocentem opprimere, & securum crimine, scienter criminosum habere. Quidam de sapientibus ait: Premit insontes debita sceleri noxia pœna, justusque tulit crimen iniqui.

XXXVII.

Si quæ mulier, ut sæpe contingit, infantem proprium prope ignem collocaverit, & alius, qui caldarium super ipsum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipsa per ignem fervens egreditur, & infanti superinfunditur, & propterea mortuus agitur: mater infantis, propter ne-

ANNO CHRISTI 895.

negligentiam, judicio sacerdotum pœniteat, & homo qui caldarium pependit, securus permaneat. Simili modo de cæteris similibus, quæ sæpe diverse solent evenire, & judicamus, & esse volumus.

XXXVIII.

In decretis papæ Leonis, capite decimo octavo, scriptum est: Non omnis mulier viro juncta, uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales. Itaque aliud concubina; aliud uxor; sicut aliud ancilla, aliud libera. Igitur si quis filiam suam viro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit; nisi forte illa mulier, & ingenua sit facta, & dotata legitime, & in publicis nuptiis honestata videatur. Unde paternam sequentes auctoritatem, sub præsenti hujus sancti catalogo Concilii statuimus & libere judicamus, ut quisquis liber libertam, hoc est, ex ancilla per manumissionem & regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debeat, tamquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis causa: & quamdiu illa vivat, nullam aliam accipiat. Est igitur, ut ex decretis papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitime, & in publicis honestata nuptiis, & propterea jam non est concubina, sed uxor legibus acquisita. Hæc eadem lex pro qualitate sexus sit fœminis & viris * libertas.

* fort. libera.

XXXIX.

Quicumque alienigenam, hoc est, alienæ gentis fœminam, verbi gratia, Francus mulierem Bajoaricam, utrorumque consultu propinquorum, legitime vel sua, vel mulieris lege acquisitam, in conjugium duxerit; velit nolit, tenenda erit, nec ultra ab eo separanda, excepta fornicationis causa. Quamvis enim, ut Apostolus ait, unus Dominus, una fides, unum baptisma, utrique communis sit nationi, legem tamen habent diversam, & quantum ad sæculum, interdum longe disjunctam. Quare si unus e duobus, unam carnem in duas dividere, & copulam nuptialem machinetur disjungere, dicendo, non secundum suæ gentis legem jura matrimonii contraxisse, & idcirco separari posse: canonica institutione diffinimus, & nostro omniumque orthodoxorum judicio statuimus, ut quod legis imperfectum sit, perficiatur, & jus matrimonii nequaquam resolvatur. Synodus Romana ait, quod non dimittenda sit uxor post baptismum, quæ habita est & ante baptismum. In baptismo solvuntur crimina, non tamen legitima conjugia. Cum enim in baptismo transmigrat de vita in vitam, & non mutat uxorem legitimam: quomodo mutat eam, qui non mutat vitam, sed transit de gente ad gentem? Igitur quia jam suffugium non habent eparandi, impleant dictum apostoli, ut unanimes unum sentientes permaneant in Christo Jesu Domino nostro. Nos autem cognita referimus, quia quemdam Francum & mulierem Saxonicam talia egisse cognovimus. Si quis post hæc, hujus sancti concilii institutionem parvipendens, aliam duxerit, cujuscumque gentis sit, canonice arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur.

Ephes. 4.

Thi. 1.

XL.

Audivimus rem execrabilem, & catholicis omnibus detestandam, quemdam nefario fornicationis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse: & in argumentum iniquitatis, juramento confirmasse, si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret toro & legitimo matrimonio, si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur quæ apostolus enumerat mala, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, *&c.* ad ultimum vero, veneficia & homicidia, quia pro tam illicito amore, alii veneno, alii gladio, vel aliis diversis sunt perempti maleficiis. Idcirco acutissimo ferro, & totius generis artificio resecanda, per quæ cælestia regna sunt occludenda. Quoniam ut idem apostolus ait, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Tale igitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

Rom.

1. Cor.

XLI.

Si quis legitimam duxerit uxorem, & impediente quacumque domestica infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa: frater vero ejus, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculum eam humiliaverit, & violatam reddiderit: omnimodo separentur, & a neutro ulterius eadem mulier contingatur. Igitur conjugium, quod erat legitimum, fraterna commaculatione est pollutum: & quod erat licitum, illicitum est factum: & ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat torum: si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia vero humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Idcirco episcopus considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur * ma-

* eos.

matrimonio : ne, dum ſperantur ad alta ſublevari, corruant in cœnum.

XLII.

Si quis de uno in alium omnino tranſmigrat epiſcopatum, & ſi, quod abſit, contingat eum filiam ſororis ſuæ, amitæ aut materteræ, avunculi vel patrui polluere, aut aliquod crimen committere : epiſcopus, in cujus tunc diœceſi commoratur, & tali ſcelere criminabitur, habeat jus & poteſtatem, ſecundum canonicam auctoritatem, & noſtram ſynodalem inſtitutionem, flagitioſum coercere, & ad pœnitendum emollire. Per quos enim melius rei veritas ventilatur & emendatur, quam per hos, inter quos habitat, & criminoſus apparet?

XLIII.

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo neſciente, filius ejus vel frater ejuſdem rei inſcius, cum eadem ſe polluerit, & poſtquam ſe pollutum eſſe cognoverit, confeſſus fuerit, & hoc ſe neſcire cum juramento confirmaverit : quia hoc pœnituit & confeſſus fuit, poſt peractam congruam pœnitentiam, legitimo utatur matrimonio, ne iterum mordente crudeliſſima libidinis beſtia ſaucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nam ut Hieronymus ait, ferreas mentes domat libido. Mulier vero quæ tantum nefas commiſerat, ulterius pœniteat, atque continens & innupta permaneat.

XLIV.

Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater ejus, ejuſdem ſceleris ignarus, duxerit illam uxorem, frater qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non indicavit fratri uxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia & condigna caſtigatione. Qua peracta, ſi continens eſſe non poſſit, indulgentia ſublevetur; ne libidini proſternatur, quatenus legitimo conſoletur matrimonio. De muliere vero ſancimus, ſicut de eo in Neocæſareenſi ſancto concilio diffinitum legimus capite ſecundo: „ Mulier, ſi duobus fratribus nupſerit, abiiciatur uſque ad mortem. Verumtamen „ in exitu propter miſericordiam fructum „ pœnitentiæ conſequatur, ſi promiſerit, „ quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincla diſſolvat. Quod ſi defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, „ difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Epiſcopus vero poteſtatem habeat ſecundum converſationem ipſius, aut adiicere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamen ulterius continens & a viro disjuncta permaneat.

XLV.

Simili modo ſecundum ſanctos canones diffinimus & judicamus de eo, qui cum duabus ſororibus fuerit pollutus, ut uſque in exitum vitæ pœnitens & continens permaneat. Soror autem, quæ poſterior libidinis perforata aculeis, ſcienter ſe cum eodem commaculaverit, uſque in finem vitæ pœnitens & continens perduret. Si autem improviſe contingit, condigna ſtringatur caſtigatione: & ſi velit, legitima utatur viri conjunctione.

ANNO CHRISTI 895.

XLVI.

Si cujus uxor conſtuprata fuerit, & propterea maritus capitali ſententia delere illam machinaverit; ipſa vero, urgente mortis periculo, ad epiſcopum confugerit, & auxilium quæſierit, operoſiori, ſi poteſt, epiſcopus labore deſudet ne occidatur. Si vero non poteſt, nullo modo liceat ei, requirenti eam reddere viro ad occidendum, quæ ſe ei obtulit ad defendendum: ſed ſolerti cura tranſmittet eam ad locum, quem ipſa delegerit, ut ſecura vivere poſſit. Si vero interdum maritus eam invenerit, & repetierit, ſecundum ſæculum poteſtatem * habuerit, quid agere ei velit. Sed audiat S. Auguſtinum dicentem: „ Cum enim vir a virtute nomen accipiat, & mulier a mollitia, id eſt, fragilitate: quare contra „ crudeliſſimam libidinis beſtiam vult unuſquiſque uxorem ſuam eſſe victricem, cum ipſe ad primum libidinis „ ictum victus cadat? Nam quidquid contra fidem catholicam mulieribus non licet, nec viris licet. Si autem eadem mulier timore perterrita, a loco ubi eam epiſcopus deſtinavit, aufugerit, & vir ejus ab epiſcopo ſemel aut bis vel ſæpius repetierit, ſi vitam ei obtinere poſſit, perquirat, & reddat: ſin autem, omnino non reddat. Maritus vero quamdiu ipſa vivat, nullo modo alteram ducat.

* habeat

Auguſt. ſer. 343 de temp.

XLVII.

Qui ſpiritalem habet compatrem, cujus filium de lavacro ſacri fontis accepit, & ejus uxor commater non eſt, liceat ei, defuncto compatre ſuo, ejus viduam ducere in uxorem, ſi nullam habent conſanguinitatis propinquitatem. Quid enim? numquid non poſſunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, vel * in id generatio ſecernit ſpiritalis?

* nulla;

XLVIII.

Illud etiam nec canonica inſtitutione diffinimus, nec introductione aliqua refutamus: ſed propter eos qui diverſe de eo ſentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis ſuæ ſpiritalis commatris filiam fortuito, & ita contingente rerum caſu, in conjugium duxerit, conſilio maturiori ſervato, habeat, atque honeſte legitimo conjugio operam det.

XLIX.

De his qui in adulterio juncti per incen-

centiva libidinis malæ, filium vel filiam genuerunt, canonice præjudicamus: ut quando ab episcopo justa divisione separantur, eo tenore sejungantur, ne ultra spe reversionis deludantur. Quare, si quid inter se proprietatis aut pecuniæ communi donatione tradiderunt, * ut quæ communi servent infanti. De reliqua vero proprietate & pecunia, nullam ulterius habeant communionem, sed uterque sua provideat, & ut velit faciat. Et ut hoc verius credatur, atque firmius observetur, verbo Domini præcipimus, & canonica atque synodali impositione injungimus, quatenus juramento colligentur, deinceps & ultra sub uno non cohabitare tecto: nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia & in publico: nec ullam habere communionem in proprietate, aut mancipiis vel pecunia, sive ullis rebus, unde suspicio luxuriosi facti, aut scandalum libidinosi desiderii juste possit oriri.

ANNO CHRISTI 895.

* utique

L.

Si quis vero, sive sit vir, sive mulier, aliquem a recta credulitate & catholica fide illusione diabolica averterit, *expedit ei*, ut evangelicus intonat sermo, *ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Quia qui scandalizaverit alios, ut Deum offendant, ac de vera fide & salute recedant, multo melius esset ei, ut propriis vitæ suæ vitiis, & immunditia pollutus puniretur, quam pro suis & aliorum peccatis in infernum demergeretur. Et si quempiam veneno vel herbis, aut diversi generis maleficiis perdiderit, velut pessimus homicida, duplici mulctetur pœnitentia.

Matth. 18.

LI.

Illud vero communi decreto secundum canonum instituta diffinimus, & præjudicamus, ut si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium quam prius polluit per adulterium.

LII.

Placuit nobis de homicidiis non sponte commissis, hic inferere, quod in Ancyrano sancto concilio, cap. 22. legitur, „ ubi dicitur: De homicidiis non spon„ te commissis, prior quidem diffinitio „ post septennem pœnitentiam perfectio„ nem consequi præcipit: Secunda ve„ ro, quinquennii tempus explere. Modus autem hujus pœnitentiæ in episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem pœnitentium, possint & extendere tardantibus, & minuere studiose festinantibus.

Ancyr. can. 22.

LIII.

Si quis filium suum (quod absit) non sponte, sed casu contingente occiderit, * secundum homicidia sponte commissa pœniteat, ut sequenti subinfertur capitulo.

* ita homicidia, non spontanea.

LIV.

De his qui voluntarie homicidium fecerint, Ancyrano sancto concilio, cap. 21. „ legitur: Ut pœnitentiæ quidem jugiter „ se submittant: perfectionem vero (id „ est, communionis Christi gratiam) cir„ ca vitæ exitum consequantur. Instituta canonica & sanctorum patrum decreta, nostro & omnium orthodoxorum judicio, inviolabilem habeant firmitatem. Nobis autem, qui pastores Christi ovium sumus, pro moderni temporis qualitate & hominum fragilitate, bonum & utile videtur, ut his qui voluntarie homicidium fecerint, auctoritate synodali & judicio generali, & modum castigationis imponamus, & certum ac definitum pœnitentiæ tempus præmonstremus: ne prolixum tempus pœnitentiæ generet fastidium negligentibus: sed cursim exercitatis, accrescat opus salutis.

Ancyr. can. 21.

LV.

Si quis sponte homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingressu ecclesiæ arceatur, & nihil manducet illis quadraginta diebus præter solum panem & salem, neque bibat nisi puram aquam: nudis pedibus incedat: lineis non induatur vestibus, nisi tantum femoralibus: sæcularia arma non portet: nullo vehiculo utatur: ad nullam fœminam, nec ad propriam uxorem, his diebus misceatur. Nullam communionem illis quadraginta diebus cum aliis Christianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo, vel potu, aut illis rebus. Si vero sint aliqui vitæ suæ insidiatores, ut præ illis non possit digne pœnitere, interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab episcopo proprio pax ei ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit rite jejunare, adhibeatur ei misericordia, quousque convalescat, & tunc demum pœniteat. Si vero longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat: quia, ut Gregorius pastorali commemorat libro: Occultiora sunt vulnera mentium quam corporum, & ars est artium regimen animarum.

Pœnitentia homicidii.

LVI.

Post illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu ecclesiæ suspendatur, & abstineat se a carne & caseo, a vino & medone ac mellita cervisia, nisi dominicis diebus & festis, qui per illum epi-

episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum: & nisi vel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe aut diu ad dominicam curtem, vel si infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei tertiam feriam & quintam atque sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita dumtaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id est, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat. Completo vero unius ejusdemque anni curriculo, ita castigatus rite & ordinabiliter more pœnitentium introducatur in ecclesiam.

LVII.

Secundum vero & tertium annum simili modo pœniteat, excepto quod prædictas tres ferias redimere jus habeat, ubicumque est, sive in domo, sive in itinere. Cætera per omnia observet, ut in primo anno faciebat.

LVIII.

Quartum enim annum & quintum, sextum & septimum isto modo observet. Jejunet autem his singulis tres quadragesimas: Unam ante pascha Domini a caseo & pinguibus piscibus, a vino & medone & mellita cervisia. Alteram ante nativitatem S. Joannis Baptistæ. Si vero desunt quadraginta dies ante nativitatem, impleantur post nativitatem. Tertiam quadragesimam ante nativitatem Domini Salvatoris jejunet, & abstineat se a carne & cæteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis, tertia feria, & quinta, ac sabbato, manducet & bibat quodcumque libeat; & secundam atque quartam feriam denario aut prædicto denarii pretio redimere jus habeat. Sextam vero feriam caute observet. His septem annis rite expletis, reconcilietur, & more pœnitentium sacris altaribus & sanctæ communioni restituatur, atque perfectionem consequatur.

In hoc sancto concilio præsidente & adjuvante pio principe Arnulpho glorioſissimo rege, consederunt qui convenerant sancti patres & venerabiles ecclesiarum pastores. Et quæ catholica fide promulgaverunt, pari professione confirmaverunt, & unanimes subscripserunt.

SUBSCRIPTIONES.

Hattho sanctæ Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Hermannus sanctæ Agrippinensis, quæ & Colonicnsis, ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Rathotus * Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Vvaldo Frisingensis ecclesiæ episc. subscripsi.

Erchanbaldus Eistatensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Tuto Radasbonensis episcopus.

Adalpero Augustensis episcopus. ANNO CHRISTI 895.

Salomon Constantiensis episcopus.

Theodulfus Curiensis episcopus.

Fringus Basileensis episcopus.

Baldrammus Strasburgensis episcopus.

Lotechaneus Spirensis episcopus.

Theotelaus Vvormatiensis episcopus.

Adalgarius * Brumensis episcopus. * *forte*, Bremensis. H.

Dado Vvirdunensis episcopus.

Vvigbertus Hiltinesheimensis episcopus.

Ruodolfus Vvirtziburgensis episcopus.

Sigimundus Halvarastatensis episcopus.

Ruodbertus Metensis episcopus.

Drogo Mimidensis episcopus.

Biso Paderbonensis episcopus.

Egilmarus Osneburgensis episcopus.

Hæc subscriptio sacrosancta, venerabili professione & condigna responsione innumerabilium circumstantium presbyterorum & diaconorum, necnon & nobilium laicorum confirmata, & laudabiliter approbata est, ad laudem & gloriam Jesu Christi Domini nostri, cui sit honor, laus, & jubilatio, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium.) In hac Synodo Triburiensi præter Canones, causæ quædam & lites inter episcopos agitatæ, leguntur decisæ. E quarum numero est illa antiqua de subjectione Bremensis ecclesiæ inter Adelgarium Hamburgensem, & Hermannum Colonienſem archiepiscopos. Adelgarius Bremensem cum sua ecclesia auctoritate apostolica per Nicolaum primum unitam fuisse allegabat. Colonienſis unionem illam in præjudicium suæ jurisdictionis initam esse contra Adelgarium urgenter instabat. Post causæ diligentiorem inquisitionem Bremensis ecclesia, assentiente Formoso pontifice, Hermanno Colonienſi archiepiscopo adjudicata fuit. Ex Adamo Bremensi antiquo chronologo rem gestam Albertus abbas Stadensis anno Domini 896. enarrat his verbis: *Eodem tempore Hermannus Colonienſis archiepiscopus magnis Adelgarium fatigabat injuriis, Bremam Coloniæ subjungere conatus. Collecta ergo apud Triburiam Synodo, Hatthone Moguntino præsidente, cassata sunt apostolicæ sedis privilegia, & glorioſorum principum annullata sunt præcepta, consentientibus iniquis decretis Formoso papa & Arnulpho rege. Deinde facta subscriptione, Adelgarius archiepiscopus in cauda Concilii positus est. Fabula grandis de Adalino & Vvidgero, qui disceptantes ad spectacula Synodum traxerunt. Tragœdia lugubris, victum Vvidgerum & postero die mortuum. Et amplius sub Adelgario & Hogero omni tempore Brema Coloniæ facta est suffraganea.* Antiquam hanc fuisse controversiam idem Albertus Stadensis ex prædicto Adamo Bremensi refert anno Domini 858. his verbis. *Interea quæstio magna surrexit in regno Francorum de Bremensi episcopatu ad invidiam beati Anscharii conflata. Ea contentio diu per regnum gravi & ancipiti dissensione profligata, multis partium studiis collidebatur. Tandem orthodoxus Cæsar Lotevvicus, compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipue Guntharii Colonienſis archiepiscopi, cujus suffraganea prius erat Brema, super his Romam nuntios ad sanctiſſimum papam direxit Nicolaum. Ille vero, quod ecclesiastica necessitas persuasit, & quod patrum consiliis fieri posse comprobatum est, facile consensit. Ergo Bremensem ac Hamburgensem episcopatum apostolica auctoritate copulari, & deinde pro uno sanxit haberi. Idem etiam Nicolaus papa, tam ipsum Anscharium, quam successores ejus legatos & vicarios apostolicæ sedis constituit in omnibus gentibus Danorum, Suconum & Sclavorum, quod & antea Gregorius papa concessit.* Controversia de Bremensi ecclesia.

Triburiense.) Sic dictum a Triburia, quam Trithemius in chronico Hirsaugiensi sic describit: *Triburia villa regia non longe a Moguntiaco super Rhenum, quæ modo deserta nullum pristini honoris vestigium tenet, præter muros castelli dirutos. Est autem inter Oppenheim & Moguntiam per Rhenum descendentibus ad manum dexteram, locus ubi quondam hæc villa imperialis cum castro & monasterio pulcherrima sita fuerant, pauculas modo habens domunculas rusticorum.* Et Lambertus Schaffnaburgensis anno 1077. *Principes Sueviæ & Saxoniæ Triburiam convenerant*, &c. *rex Henricus contractis in unum suæ partis assertoribus, in villa quæ dicitur Oppenheim se continebat, Rheno fluvio utraque castra dirimente. Male in catalogo curiensium*, inquit Serarius, *in Theodolpho Bruschius, Triburgense prope Moguntiam. Pejus qui corrigit Triburgense.* Est alioqui Triburgum in Vvestphalia, in annalibus Pithœi Triburia quæ & qualis.

ANNO CHRISTI 895.

thœi sæpe villa *Tribuere*. Regino Triburias vocat & Sigebertus. Est pagus quidam hodie modicus in orientali Rheni latere, nomine tamen antiquo Tribur & Trever, in quo quatuor aut quinque templa, in quibus & sancti Albani unum, fuerunt. Plura vide apud Serarium historiæ Moguntinæ l. 1. c. 31. ubi triplici de causa hoc inter Moguntina concilia refert.

Imperatore Arnulpho.) De Imperatore Arnulpho vide quæ dixi supra in vita Formosi papæ.

In memoriam.) Hoc capitulum est unum ex viginti tribus illis legibus, quas pro reformandis moribus subditorum suorum, auctoritate sedis apostolicæ, per episcopos regni sui, ut supra diximus, edidit Carolus Magnus; quasque Sigonius lib. 4. de regno Italiæ leges Mutinas appellavit. Vide Baronium anno 801. num. 10.

Observatio P. Antonii Pagi

ad an. Ch. 895. n. 2. & seq.

Baronius ad hanc Synodum refert causam Bremensis Ecclesiæ, inter Bremensem seu Hamburgensem Episcopum, & Herimannum Archiepiscopum Colonien sem, fatagentem subjacere sibi eamdem Bremensem Ecclesiam. Verum Henschenius in Commentario prævio ad vitam S. Anscharii Archiepisc. Hamburgensis §. 2. & §. 20. ostendit, aliam ante hoc tempus Francofurti pro hac lite collectam fuisse Episcoporum Colonien si Archiepisc. subjectorum Synodum, in qua nec per se, nec per Vicarium comparuit Adalgarius, ut dicitur in Formosi Epistola, quam non videntur legisse Adamus & Albertus, quos secutus est Baronius, qui omnia quasi eodem loco & tempore gesta essent, inter se conjunxere. Mortuo Leuderico tertio Bremensi Episcopo anno 849. ei successit S. Anscharius, & utraque sedes unita fuit, & non diu, sed una Ecclesia hac unione facta. Guntharius Colonien sis Archiepisc. de ista unione primum litem movit anno 857. ut colligitur ex Annalibus Fuldensibus ad eum Christi annum. Anscharius, ejusque successor Rembertus modum aliquem subjectionis Colonien si Antistiti detulerunt; verum Adalgarius, qui Remberto subrogatus fuit, eum neglexit. Indeque urgente Herimanno seu Hermanno Colonien si Archiepisc. major recruduit difficultas, quam explicat exaggeratque missa ea de re ad Adalgarium Epistola laudata Formosi Pontificis. Is ea dispensative censet, Bremensem Ecclesiam ad subsidium Archiepisc. Hamburgensis, cum aliquo tamen subjectionis respectu, permanere posse, dum fundatis novis Episcopatibus Hamburgensi Antistiti subjiciendis, Bremensem Ecclesiam recipiat sedes Colonien sis. (Formosi Epistolam supra ex Henschenio inter ejus Pontificis Epistolas attulimus.)

Cæterum *post hæc*, inquit Annalista Metensis, *Arnulphus Vormaciam venit; ibique Optimatibus ex omnibus regnis suæ ditioni subditis sibi occurrentibus, atque collaudantibus, Zventibolch filium regno Lotharii* (ita Lotharingia vocabatur) *præfecit*. Refert Mabillonius lib. 5. de re Diplom. cap. 35. in archivo cœnobii S. Michaelis ad Mosam extare Zventeboldi diploma, in cujus fine legitur: *Data XIX. Kal. Septemb. anno Domini* 895. *Indict.* 13. *regnante domno Rege Zventiboldo anno primo*. Ex quo liquet Concilium Triburiense ante diem 14. M. Augusti celebratum fuisse: cum Arnulphus rex eo celebrato Triburiis Vormaciam venerit, & Zventiboldum filium nothum regem renunciarit, qui post adeptam regiam dignitatem laudatum diploma emisit.

AD CONCILIUM TRIBURIENSE

ADDITIO.

Pluria Triburiensia Concilia sub oculis habuisse Burchardum oportet; cum sæpe sub ejusdem numeri adnotatione plures canones laudet. Ita sub numero Canonis quinti Triburiensis canones VI. recitat. Cum tamen nobis ignota sint plura ista Concilia Triburiensia ante Burchardi ætatem habita, nisi unicum tantummodo anno 895. *celebratum; ideo omnes illos canones quos in eodem Concilio non offendi, hic simul dandos censui, servata numerorum serie, quam in meo MS. Burchardi codice adscriptam reperi.*

Cap. I.

Interrogatum est. Si quis cum filia materteræ suæ, vel amitæ, vel avunculi, vel patrui concubuerit, si conjugatus fuerit liceatne illi ulterius uti conjugio; aut non conjugato uxorem accipere? Justum est sicut aliqua statuta priorum habentur ut in perpetuum a conjugio tales abstineant. Visum est humanæ fragilitatis intuitu, ut post pœnitentiam non quidem penitus priventur conjugio. Durissime tamen tam immanis fornicatio vindicetur, sicut S. Papa Nicolaus, & alii Romani Pontifices statuerunt. *Burch. l. 17. c. 19.*

Cap. III.

Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quemdam alterius uxorem stupro violasse. Insuper & mœchæ vivente viro suo juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem si supervixisset duceret uxorem. Quod & factum est. Tale igitur connubium prohibemus & anathematizamus. *Lib. 9. cap. 66. Simile tamen quid, sed aliis verbis statuitur in can. 40. Concilii Triburiensis.*

Cap. IV.

Vir si duxerit uxorem concumbere cum ea non valens & frater ejus clanculo eam vitiaverit, & gravidam reddiderit, separentur. Considerata autem imbecillitate, misericordia eis impertiatur ad conjugium tantum in Domino. *Lib. 9. cap. 42.*

Cap. IV.

Nullum vero servum recipere in monasterio obtentu monachi præter domini sui conscientiam licet. *Lib. 8. cap. 28.*

Cap. IV.

Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem suo episcopo offertur in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura, professioni & sanctimoniæ aptis. *Lib. 8. cap. 23.*

Cap. IV.

Inprimis ut licentiam non habeat Ecclesiam intrandi; illos proximos quadraginta dies nudis pedibus incedat, & nullo vehiculo utatur. In laneis vestibus sit absque femoralibus; arma non ferat, & nihil sumat in his quadraginta diebus, nisi panem tantum & salem, & puram bibat aquam; & nullam communionem cum cæteris Christianis, neque cum alio pœnitente habeat in cibo & potu, antequam quadraginta dies adimpleantur, & ex cibo quem sumit nullus alius manducet. Considerata vero personæ qualitate, vel infirmitate, de pomis, vel oleribus, seu leguminibus prout visum fuerit aliquid pro misericordia indulgeatur; maxime si quis coactus & non sponte homicidium fecerit. Et omnimodis ex canonica auctoritate interdicimus, ut in his diebus cum nulla fœmina misceatur, nec ad propriam uxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat. Juxta ecclesiam sit, ante cujus januas peccata sua defleat diebus & noctibus; & non de loco ad locum pergat: sed in uno loco his quadraginta diebus sit; & si forte habuerit insidiatores vitæ suæ, interim differatur ei pœnitentia, donec ab episcopo pax eis ab inimicis concedatur. Et si in infirmitate detentus fuerit ita ut non possit digne pœnitere donec sanitati restituatur.

Com-

Completis quadraginta diebus aqua lotus vestimenta & calceamenta accipiat & capillum incidat. *Burch. Lib. 6. cap. 1. ubi se loqui de homicidio voluntario ex Concilio Triburiensi prænonet. Et quidem canon iste videtur esse epitomes canonis 54. & 55. Conc. Triburiensis; sed desumptus a Burchardo videtur ex alio quopiam codice ejusdem Concilii, nam ex cap. IV. ejusdem Concilii hæc desumpsisse in margine notat. Addit Burchardus ibidem ex cap. v. vi. & vii. Triburiensi per epitomen ea quæ per extensum leguntur in cap. 56. & 57. ejusdem Concilii, quæ hic non affero, nam eædem omnino sanctiones sunt.*

ANNO CHRISTI 895.

CAP. IV.

Missarum solemnia non ubique, sed in locis ad Episcopo consecratis vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam ut sic ubique, nostris peccatis exigentibus, per plurimum est factum Normannis & Sclavis & ab Ungaris & a malis Christianis, seu alio qualicumque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ in capellis cum tabula consecrata, missas interim celebrare permittimus donec ipsi Ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis si Ecclesia defuerit, ut sub divo seu in tentoriis. Item si tabula altaris consecrata, ceteraque sacra mysteria ad id officium pertinentia affuerint, missarum solemnia celebrare concedimus; aliter omnino interdicimus. *Lib. III. cap. 56.*

CAP.

Si quis in atrio Ecclesiæ pugnam committit, aut homicidium facit quicquid pro immunitate violata 800. solid. emundandum est, altario solvatur, cujuscumque fuerit Ecclesia illa. *Lib. III. cap.* 184.

CAP. V.

Ex Conc. Triburiensi cui interfuit Arnulfus Rex.

Ut Presbyteri interfecti compositio episcopo ad cujus parocchiam pertinet solvatur, ita videlicet, ut medietatem Vverigeldi episcopus ejus utilitatibus ecclesiæ, cui præfuit, tribuat: & alteram medietatem in eleemosynam ejus juste dispersiat, quia nullus nobis esse hæres proximior videtur quam ille qui ipsum domino sociavit. *Lib. 6. cap. 11.*

CAP. V.

Statuimus ut parricidæ, & fratricidæ per unius anni circulum ante fores ecclesiæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo anni circulo introducantur ecclesiam; tamen inter Audientes usque dum unius anni spatium finiatur stent. His peractis si pœnitentiæ fructus in eis conspiciatur, corporis & sanguinis Domini participes fiant, ut non obdurentur de reparatione. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum. Jejunent autem usque ad nonam quotidie exceptis festis diebus, atque Dominicis. Abstineant autem se a vino, medone, atque mellita cervisia tres dies per hebdomadam; arma portare non audeant nisi contra Paganos.

Et ubicumque ire maluerint nullo vehiculo ducantur sed propriis pedibus pergant.

Ab uxoribus si habuerint non separentur.

Tempus hujus pœnitentiæ in episcoporum ponimus arbitrio, ut secundum conversionem illorum aut extendere vel minuere valeant. *Lib. VI. cap.* 34.

CAP. V.

Fures & prædones si in prædando aut furando occiduntur, visum est pro eis non orandum. Si comprehensi, aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus. *Lib. II. cap. 59. Nota hic confessionem Diacono factam, & confer Patrem Ebardon, to. 2. lib. 1. cap. 10. Isteir. des sacr.*

CAP. V.

Testes ad testimonium non admittendos qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra XIV. ætatis annos nullus admittatur. *Lib. 16. cap. 20.*

CAP. V. cui interfuit Arnulfus Rex.

De Francia nobilis quidam homo nobilem de Saxonia Saxonum lege duxit uxorem; tenuit multis annis, & ex ea filios procreavit. Verum, quia non iisdem utuntur legibus Saxones & Franci, causatus est quod eam non sua, ideſt Francorum lege desponsaverit, vel acceperit aut dotaverit; dimissaque illa duxit alteram. Definivit super hoc S. Synodus ut ille transgressor Evangelicæ legis subigatur pœnitentiæ; a secunda conjuge separetur, priorem sumere cogatur. *Lib. 9. cap. 77.*

CAP. VI.

Quicumque filiam suam, aut neptem, vel parentem Deo omnipotenti offerri voluerit licentiam habeat. Sin autem accipiat domi infantes suos, nutriat; & non aliam infra monasterium mittere nutriendi gratia præsumat, nisi eam quam firmiter in ipso loco in Dei servitio perseverare voluerit secundum instituta SS. Patrum seu secundum canonicam auctoritatem. *Lib. 8. cap. 99.*

CAP. VII.

Omnino prohibemus ut nullus filium, aut nepotem vel parentem suum in monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat, nec quisquam illum ibi suscipere audeat. *Lib. 8. cap.* 100.

CAP. VIII.

Nullus proprium filium aut filiam a fonte Baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium ad Confirmationem ante episcopum tenuit. Ubi autem factum fuerit, separentur. *Lib. 17. cap. 34.*

CAP. VIII. cui interfuit Arnulfus Rex.

Illud etiam canonica institutione definimus, nec introdutione aliqua refutamus: sed propter Deos qui diverse de eo sentiunt hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuitu & ita contingente rerum casu in conjugium duxerit consilio maturiore servato habeat, atque honeste legitimo conjugio operam det. *Lib. 17. cap. 55.*

CAP. VIII.

Placuit in monasteriis non esse suscipiendum servum ad monachum faciendum præter domini propriam voluntatem. Qui vero hoc constitutum nostrum excesserit, eum a communione suspendi decrevimus, ne nomen Domini blasphemetur. *Lib. 8. cap. 24.*

CAP. VIII.

In lectum mariti absente uxore soror intravit Euxoris, quare ille uxorem suam esse putans dormivit cum ea. Super hoc visum est si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod insicius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem, quæ sibi indicta fuerit, agat, & legitimum suum conjugium habere permittatur. Illa vero digna vindicta affligi debet, & in æternum conjugio privari. *Lib. 17. cap. 4.*

CAP. IX.

Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, & soror sororem ante stupratam nescierit vel si ipse sororem ejus, quam antea stupraverit, non intellexit, si digne pœnituerint, & se con-

tinere non valuerint pœniteat annis septem, conjugia illis non negentur. Si autem non ignoraverint, usque ad mortem conjugio abstineant. *Lib.* 17. *cap.* 5.

ANNO CHRISTI 893.

C A P. IX.

Perlatum est ad Synodum, quod quidem ingenuus ingenuam accepit uxorem, & post filiorum procreationem occasione divortii cujus servum se fecit: utrum necessario mulierem tenere debeat; & si tenuerit utrum illa quoque secundum sæcularem legem servituti subjici debeat. Judicatum est uxorem minime dimitti debere; non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi, dum ille non ex consensu conjugis se servum fecit, quem liberum ipsa maritum accepit. *Lib.* 9. *cap.* 76.

CAP. IX. cui interfuit Arnulfus.

Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & patenæ, de quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere; respondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zepherinus XVI. Romanus episcopus patenis vitreis missas celebrare constituit. Tunc deinde Urbanus XVIII. papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis & magis per incrementum temporum decus succrevit Ecclesiarum, nostris enim diebus qui servi patrisfamilias sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur, & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, irascatur Deus. *Lib.* 3. *cap.* 240.

C A P. X.

Virgines quæ ante XII. annos insciis mundiburdiis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, & illi mundiburdio annum & diem hoc tacendo consenserint in sancto proposito permaneant. Et si in prædicto anno & die pro illis proclamaverint, petitioni eorum assensus præbeatur; nisi forte Dei timore tacti cum eorum licentia in religionis habitu permaneant. *Lib.* 8. *cap.* 19.

C A P. X.

Nobilis homo vel ingenuus si in Synodo accusatur & negaverit; si eum fidelem esse sciunt cum XII. ingenuis se purget. Si vero antea deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testimonio ad juramentum non admittitur; sed sicut qui ingenuus non est ferventi aqua aut candenti ferro se expurget. *Lib.* 16. *cap.* 19.

C A P. X.

Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, vir diebus vitæ suæ pœniteat; soror autem quæ de alia sorore nescivit licentiam habeat nubendi. *Lib.* 17. *cap.* 6.

CAP. X. cui interfuit Arnulfus Rex.

Quidam sponsavit uxorem & dotavit; cum ea coire non potuit. Quam frater ejus clanculo corrupit, & gravidam reddidit; decretum est quamvis nupta esse non potuerit legitimo viro desponsatam, tamen fratris frater habere non possit; sed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam sustineant; licita vero eis conjugia non negentur. *Lib.* 17. *cap.* 58.

C A P. XI.

Ut virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreverint, Synodus concedat; si vero fuga disciplinæ alium locum quæsierint redire cogantur. *Lib.* 8. *cap.* 22.

ANNO CHRISTI 893.

C A P. XI.

Similiter & de duabus sororibus, qui cum una in adulterio mansit, & aliam publice accepit, non habeat mulierem usque in diem mortis suæ; & illa quæ nescivit accipiat maritum. *Lib.* 17. *cap.* 7.

CAP. XII. cui interfuit Arnulphus.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem ubicumque facultas rerum & opportunitas temporum suppetat sepulturam morientium apud ecclesiam, ubi sedes est Episcopi celebrare. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus importunitatis difficultatem impossibile videatur, expectat ei sepulturæ suæ, quo canonicorum aut monachorum sive sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, ut eorum orationibus Judici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quodsi & hoc ineptum & difficile æstimetur, ubi baptizatus est, & ubi decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus. *Lib.* 3. *cap.* 238.

CAP. XIV. cui interfuit Arnulfus Rex.

Mater si juxta focum infantem posuerit, & alius homo aquam in caldariam miserit, & ebullita aqua infans superfusus mortuus fuerit, pro negligentia mater pœniteat, & ille homo securus sit. *Lib.* 19. *cap.* 200.

CAP. XV. cui interfuit Arnulfus Rex.

Si quis autem abbas cautus in regimine & humilis, castus, sobriusque, misericors & discretus non fuerit, ac divina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab Episcopo in cujus territorio consistit, & a divinis abbatibus, & cunctis Deum timentibus a suo arceatur honore, etiam si omnis congregatio vitiis suis consentiens abbatem eum habere voluerit. *Lib. VII. cap. XCVI.*

C A P. XVI.

Clericus si tonsura dimissa uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium aliquod a parentibus traditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram negligere audeat. Quem autem progenitores ad monasterium tradiderunt, & in Ecclesia cepit cantare & legere, nec uxorem ducere nec monasterium deserere poterit, sed si discesserit, reducatur. Si tum tonsuram dimiserit, rursum tondeatur, uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur. *Lib. VIII. cap. XCVII.*

C A P. XVIII.

Si duo fratres in silva arbores succiderint, & appropinquante casura unius arboris, frater fratri dixerit: cave; & ille fugiens in pressuram arboris inciderit, & mortuus fuerit, & vivens frater, innocens de sanguine germani dijudicetur. *Lib. VI. cap.* 23.

CAP. XXII. cui interfuit Arnulphus.

Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari; solere quoque pro baptismo & communione. Hoc symoniacæ hæresis semen detestata est sancta synodus, & anathematizavit, & de cetero nec pro ordinatione, nec pro chrismate vel baptismo vel pro balsamo nec pro sepulcro vel communione quidquam exigatur; sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. *Lib. IV. cap.* 101.

CAP. XXVI. cui interfuit Arnulphus.

Ut presbyteri non vadant nisi stola & orario induti, & si in itinere spoliantur vel vulnerantur, aut occiduntur non stola vestiti, simplici

emen-

emendatione sua solvatur; si autem cum stola A rentem disciplinam velut contemptorem placuit triplici. *Lib. VI. cap. X.*

CAP. XXX. cui interfuit Arnulfus.

Quæstum est in eadem Synodo pro quibus causis quemlibet hominem episcopali auctoritate vinculo anathematis ligari oporteat, atque unanimi cunctorum sententia decretum est pro his tribus criminibus fieri debere, cum ad synodum canonice jussus venire contemnit. Aut postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis; aut ante finitam causæ suæ examinationem a Synodo profugus abire præsumit. *Lib. XI. cap. 74.*

CAP. XLVII. cui interfuit Arnulphus rex.

Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, & ejus uxor commater non est, liceat ei defuncto compatre suo ejus viduam ducere uxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? numquid non possunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, ut in id generatio secernit spiritualis. *Lib. XVII. cap. 54.*

CAP. XLVII.

Si quis servus alienum causa religionis docet contemnere dominum suum, & recedere ab ejus servitio, durissime in omnibus arguatur, & ad pœnitentiam compellatur. *Lib. VIII. cap. 25.*

Ibidem.

Fugitivum vero clericum aut monachum defe-

ANNO CHRISTI 895.

revocare.

CAP. LV.

Quicumque e secularibus acceperunt pœnitentiam, se totonderunt, & rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur vere ut apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur; non aliter & hi qui tonsi conlaudantibus parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni devoverint & habitum B secularem sumpserunt, & itidem a Sacerdote comprehensi ad cultum religionis, acta prius pœnitentia revocentur. Quod si reverti nolunt vere ut apostatæ anathematis sententia repellantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis virginibusque sacris, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt. *Lib. VIII. cap. 27.*

CAP.

Ex concilio Triburiensi cui interfuit Arnulfus Rex statuente Julio III. papa.

Si quis desponsavit uxorem, & subarravit & tamen sive præveniente die mortis, sive irruentibus quibusdam aliis causis minime eam cognovit, neque superstes frater ejus, neque ullus de consanguineis ejus, eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore. (*a*) *Lib. IX. cap. 3.*

Sic lego in meo codice hunc titulum

ANNO CHRISTI ....

CONCILIUM NAMNETENSE.

TITULI CANONUM.

I. *De alterius parochiano, & de discordantibus ad Missam non recipiendis.*
II. *Quod alterius parochianum itineris vel placiti causa recipere ad Missam liceat.*
III. *Ut sacerdos in domo sua fœminas non habeat, ne illas quidem, quas Canones concedunt: & ut* D *fœminæ ad altare non accedant.*
IV. *De visitandis infirmis a presbytero.*
V. *De infirmis qui confitentur peccata sua, & se reconciliari exposcunt.*
VI. *Ut pro sepultura nihil exigatur, & ut in ecclesia nullus sepeliatur.*
VII. *De clericis alterius parochiæ non ordinandis.*
VIII. *Ut nullus presbyter plures ecclesias habere præsumat.*
IX. *De eulogiis populo dandis a presbytero.*
X. *Ut de decimis quatuor fiant portiones.*
XI. *De examinandis iis, qui sacros ordines accepturi sunt.*
XII. *De pœnitentia adulterii.*
XIII. *De pœnitentia fornicationis.*
XIV. *De pœnitentia eorum, quorum alter est conjugatus.*
XV. *De quibusdam confraternitatibus.*
XVI. *Ecclesia vacans non est per ambitionem petenda.*
XVII. *De pœnitentia homicidii voluntarii.*
XVIII. *De pœnitentia ejus, qui non volens fecerit homicidium.*
XIX. *Ne fœminæ publicis conventibus ac placitis se immiscеant.*
XX. *De quodam cultu superstitioso abolendo.*

CANONES.

I.

UT dominicis & festis diebus presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero ibi Missam velit audire: quem si invenerint, statim ab ecclesia ejiciant, & ad suam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et si inventi fuerint, statim E reconcilientur. Quod si renuerint pacem suscipere, ab ecclesia rejiciantur, usquequo ad caritatem redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. His ita peractis, sacerdotes Missarum solemnia rite peragant.

Burcard. l. 2 cap. 92. Ivo part. 2. cap. 122. 9 q 2. in dominicis.

II.

Ut nullus presbyter, alterius [2] parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum

9. quæst. 2. Nullus presbyter.

(*a*) Hunc titulum & canonem do ex meo cod. MS. Burchardi: quid in eo contineatur divinent Eruditi. *Manſi.*

1 Edidit P. Jacobus Sirmondus, & Harduinus cum MS. Bibliothecæ Puteanæ contulit. Cointius in Annalibus colligere sibi videtur adsignandum esse huic concilio annum 656.

2 MS. Put. *plebejanum*. H.

ANNO CHRISTI ....

citum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

III.

Lib. 1. Cap. c. 155. Capitul Lib. 7 c. 261. Burchard. l. 2. 116. Ivo p. 6. cap. 192.

Prohibendum, & modis omnibus interminandum est, ut nullus sacerdos eas personas fœminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas canones concedunt (quia, instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico, aut villa domum longe a presbyteri conversatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc, secundum auctoritatem canonum, modis omnibus prohibendum, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.

IV.

Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum & per omne cubiculum aspergat, cum antiphona, *Asperges me Domine*, & versu, *Exurgat Deus*. Deinde dicat orationem, *Deus qui sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti*, &c. Deinde cantet septem psalmos, cum precibus pro infirmis. Post hæc, omnes jubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem & castigationem suam provenire credat, ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit: pœnitentiam pro culpis commissis spondeat: ut substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat: ut peccata sua eleemosynis redimat, ut his qui in se peccaverunt indulgeat, ut rectam fidem & credulitatem teneat, ut de Dei misericordia nunquam desperet. Cum his & hujuscemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione recedat sacerdos, non post multum reversurus, detque locum ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

Psal. 50. Psal. 67.

V.

Burchard. l. 58. c. 3. Ivo p. 15. c. 28.

Infirmus, qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, ut si ei dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti omnimodis pœniteat.

VI.

Præcipiendum, secundum canonum auctoritatem, ut de sepulcris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, vivens jusserit ecclesiæ, in cujus atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere; aut etiam post mortem illius, quibus commissum est ejus eleemosynam facere de rebus illius, aliquid dare sponte voluerint. Tamen nullatenus a presbyteris illis aliquid exigatur, sive ab illis qui locis & vicis præsunt. Prohibendum etiam, secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, [1] aut in porticu, aut extra ecclesiam. Infra ecclesiam vero, aut prope altare, ubi corpus Domini & sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi.

VII.

Omnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdicimus, ut nullus, quocumque munere aut favore corruptus, clericum alterius parochiæ latenter aut furtive ad ordinationem subintroducere præsumat. Quod si fecerit, juxta Chalcedonense decretum, is qui ordinatus est, donum sancti Spiritus, quod furari conatus est, amittat: & qui mediator extitit, si clericus est, proprio gradu decidat; si laicus aut monachus anathematizetur.

VIII.

Sicut enim episcopus non plus potest habere, quam unam civitatem, & vir unam uxorem, ita presbyter unam tantum ecclesiam. Itaque nullus presbyter plures præsumat habere ecclesias: nisi forte alios presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant, & missarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis.

IX.

Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido *, ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerunt * rati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis exinde accipiant: & illa, unde eulogias presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat * ORATIO. *Domine sancte, pater, omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta et spiritua-*

1 MS. Putean. *aut in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ*. H.

*tuali benedictione, ut sit omnibus * salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos et universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, et dat vitam ac salutem mundo, et tecum vivit et regnat, etc.*

X.

Instruendi sunt presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus & his qui præmissi sunt administraverint, damna passuros. Qualiter vero dispensari debeant, canones sancti instituunt: scilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia presbytero cum suis clericis habenda, quarta episcopo reservanda, ut quidquid exinde jusserit, prudenti consilio fiat.

XI.

Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem evocandi sunt ad civitatem, una cum archipresbyteris, qui eos repræsentare debent. Et tunc episcopus e latere suo dirigere debet sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros legis divinæ, & exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene literati, si in lege Domini instructi, diligenter investigent. Ante omnia, si fidem catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem, quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti, a vero devient, ut indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent. Quod si fecerint, & ille qui indigne accessit, ab altari removebitur; & illi, qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & sic sabbato, qui probati inventi sunt, episcopo repræsententur.

XII.

Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa vero septem annis publice pœniteat. Vir vero ejus illa vivente nullatenus aliam accipiat. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliare, licentiam habeat: ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, post septem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere servabitur, si eam vir ejus adulteravit. ANNO CHRISTI ....

XIII.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens uxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

XIV.

Quod si vir non habens uxorem, alterius uxorem adulteravit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille qui fœdus violavit conjugii, septem annis, ut supra dictum est, pœniteat: ille qui lege conjugii non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam conjugum amplexus; & illis, qui conjuge carentes, ardore libidinis impellente in fornicationem ceciderunt. Ivo part. 8. 207.

XV.

De collectis, vel confratriis, quas consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expresse præcipimus, ut tantum fiat, quantum rectum ad auctoritatem & utilitatem, atque ad salutem animæ pertinet. Ultra autem nemo nec sacerdos, neque fidelis quisquam, in parochia nostra progredi audeat. Id est, ut in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & ceteris pietatis officiis. Pastos autem & comessationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, sæpe etiam, sicut experti sumus, usque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeo penitus interdicimus, ut qui contra hoc decretum agere præsumpserit, si presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu privetur; si laicus est, aut fœmina, ab ecclesia usque ad satisfactionem separetur. Conventus autem talium confratrum, necesse si fuerit ut simul conveniant, ** aut si aut forte aliquis contra parem suum discordiam habuerit, quem reconciliari necesse sit, & sine conventu * presbyterorum & ceterorum esse non possit, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religioni conveniunt, & post debitas admonitiones, si contigerit ut veræ caritatis & fraternæ invicem consolationis omnes ad refectionem conveniant, sic talia fieri permittimus, ut servata modestia, & temperantia, & sobrietate, pacisque concordia, sicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis, & laudem & gloriam Dei, & gra- Hincmar. capitul. an. 852. cap. 5. * presbyteri.

& gratiarum actiones fiant. Et hoc omnino caveatur quod Salvator ait: *Videte, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate*. Qui voluerint, eulogias a presbytero accipiant; & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant. Et sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.

ANNO CHRISTI
Luc. 21.

XVI.

Hincmar. capitul. an. 852. c. 17. Burchard. l. 3. c. 229. Ivo par. 3. cap. 169.

Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud sæcularem seniorem nulla precatione, vel aliquo * xenio, ecclesiam illam obtineat, quia *B titulus per se constans antea extitit, sed neque capellam sine consultu episcopi. Quod si fecerit, definitam sententiam sibi prolatam suscipiat: sicuti de episcopo canonica decrevit auctoritas, ut si per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam usurpare tentavit.

* exenio
* quæ

XVII.

Burcard. l. 6. c. 12. Ivo part. 10. cap. 151.

Si quis voluntarie & per insidias hominem interfecerit, jugi se pœnitentiæ submittat: Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio removeatur: post quinquennium, tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. *Si quis de industria & per insidias occiderit hominem, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*, dicit Dominus.

C

Exod. 21.

XVIII.

Burcard. l. 6. c. 10. Ivo part. 10. cap. 145.

Si quis casu non volens homicidium perpetravit, quadraginta diebus in pane D & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur: non communicet, nec offerat. Post biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet: post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

XIX.

Burcard. l. 8. c. 85. Ivo part. 7. cap. 103. 1. Cor. 14.

Cum apostolus dicat: *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: turpe est enim mulieri loqui in ecclesia;* mirum videtur, quod quædam mulierculæ, con- E tra divinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conventus indesinenter adeant, & negotia regni, utilitatesque reipublicæ magis perturbent, quam disponant: cum indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere; & quæ de lanificiis suis, & operibus textilibus, & muliebribus, inter genitiarias suas residentes, debuerant disputare, in conventu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi usurpant auctoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quam fœminis. Unde, quia divinæ leges, ut supra monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilominus id ipsum prohibent, ut fœminæ nihil aliud prosequantur in publico, quam suam causam: (ait enim lex Theodosiana: Nulla ratione fœminæ amplius quam suas causas agendi habeant potestatem, nec alicujus causam a se noverint prosequendam;) idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, ut nulla sanctimonialis virgo, vel vidua, conventus generales adeat, nisi a principe fuerit evocata, aut ab episcopo suo: nisi forte propriæ necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cum licentia episcopi sui.

Interest. L. 1 Cod. Th. de cogn. & proc.

XX.

Summo decertare debent studio episcopi, & eorum ministri, ut arbores dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, ut nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitus excidantur, atque comburantur. Lapides quoque, quos in ruinosis locis & silvestribus, dæmonum ludificationibus decepti venerantur, ubi & vota vovent & deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco projiciantur, ubi nunquam a cultoribus suis inveniri possint. Et omnibus annuncietur, quantum scelus sit idololatria: & quod qui hæc veneratur & colit, quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenunciat, & talem pœnitentiam inde debet suscipere, quasi idola Dadoraſſet. Omnibusque interdicatur, ut nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad ecclesiam Domino Deo suo; scriptum est enim: *Vovete & reddite Domino Deo vestro*. Novimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hoc trasgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo a sanctæ ecclesiæ consortio abscindatur; & nisi digne pœnituerit, non recipiatur.

Burch. l. 10. 10. Ivo pa. 10. cap.

Psal.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

De epocha hujus Concilii sine auctoritate pronunciare difficile est. Sed cum duo ejus Canones, III. & X. inde translati videantur in librum VII. capitularium, antiquius omnino dici necesse est, quam existimarint ii, qui sub annum Christi DCCC. collocandum censuerunt. Quod si quis ad Concilium illud Namnetense referri velit, quod Vitaliani papæ temporibus sub annum DCLVIII. magna episcoporum frequentia celebratum ex Flodoardo didicimus, liberum esto judicium.

CA-

CANONES ADDITI EX IVONE.

ANNO CHRISTI

CUm non alia circa hæc tempora Concilia Namnetenſia habita memorentur, & canones qui ex eo leguntur in Decreto Ivonis eam diſciplinam præferant quæ a canonibus hujus Concilii non multum abludit, opportunum duxi ex eodem Ivone hic illos addere.

Ex Conc. Namnetenſi cap. V.

Omnibus diebus Dominicis quiſque presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe mundo & tanto myſterio convenienti, de qua populus intrans in Eccleſiam aſpergatur; & atrium ejuſdem Eccleſiæ cum crucibus circumeundo aſpergatur, & pro animabus ibidem quieſcentibus oret. Et qui voluerit in vaſculis ſuis recipiat ex ipſa aqua, & per manſiones & agros & vineas, ſuper pecora quoque ſua atque ſuper pabula eorum, necnon ſuper cibos & potum ſuum conſpergat.

Ex eodem cap. VIII.

Ut unuſquiſque presbyter qui plebem A regit, clericum habeat qui ſecum cantet, & epiſtolam & lectionem legat, & qui ſcholam poſſit tenere, & admoneat ſuos parocchianos, ut filios ſuos ad fidem diſcendam mittant ad Eccleſiam, quos ipſe cum omni caſtitate erudiat. p. 6. c. 332.

Ex eodem cap. III.

Ut curam hoſpitum, maxime pauperum atque debilium, orphanorum quoque atque peregrinorum habeat presbyter; hos quoque ad prandium ſuum quotidie juxB ta poſſibilitatem convocet, eiſque hoſpitium tribuat. p. 6. c. 337.

ANNO CHRISTI 896.

VITA STEPHANI PAPÆ VI.

STephanus ſextus ſucceſſit Formoſo. Bonifacius enim qui invadens ſedem apoſtolicam tenuit eam diebus quindecim, non eſt numerandus inter pontifices; utpote qui velut homo nefarius jam antea bis gradu depoſitus, primum a diaconatu, ac deinde a presbyteratu in Romana Synodo ſub Ioanne papa IX. damnatus fuit. Et quamquam uterque per vim, metum, & tyrannidem, ſedem adepti fuerint, adeoque intruſus pariter intruſum expulerit: tamen Stephanus in numero & ſerie pontificum communi ſententia numeratur, quia ad periculum ſchiſmatis avertendum, illum, quamquam homo ſceleſtiſſimus eſſet, univerſus clerus approbavit, totaque eccleſia catholica pro Chriſti vicario & ſucceſſore Petri agnovit. Nam cum Fulco Remenſis archieC poſcopus eum Formoſo ſurrogatum intellexiſſet, obſequiis & officiis, quæ recens creatis pontificibus exhiberi ſolent, ſcriptiſque ad eum literis, teſte Flodoardo, eum veneratus eſt: non ignorans ſe etiam in ſucceſſoribus indignis Petrum ac Chriſtum venerari, ſi iiſdem debitum cultum & obedientiam deferret: contra vero in iiſdem eoſdem ſpernere, ſi quam debebat reverentiam non exhiberet.

Pontificatum auſpicatus eſt a ſacrilegio illo, quo corpus Formoſi exhumatum, ſacerdotalibus indumentis indutum, tribuſque digitis mutilatum, in Tiberim projecit, omneſque ab eodem ordinatos iterato conſecrari & ordinari præcepit. Mi-
ror qua ratione Onuphrius in annot. ad Platinam hanc rei geſtæ hiſtoriam tanquam fabuloſam plane rejiciat; cum præter antiqua monumenta & ſynodalia acta, de quibus infra ſub Joanne IX. Luitprandus libro primo, capite E Octavo eamdem his verbis manifeſtiſſime deſcribat & deteſtetur: Formoſo defuncto, inquit, atque Arnulpho in propria reverſo, is qui poſt mortem Formoſi papa conſtitutus eſt (Bonifacius nimirum de quo ſupra) expellitur, Sergiuſque papa (memoria lapſus Luitprandus in nomine erat) per Adelbertum conſtituitur. Quo conſtituto, ut impius doctrinarumque ſanctarum inſcius, Formoſum e ſepulcro extrahi, atque in ſede pontificatus ſacerdotalibus veſtimentis indutum collocari præcepit, cui & ait: Cum Portuenſis eſſes epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti? His expletis, ſacratis exutum veſtimentis, digitiſque tribus abſciſis in Tiberim jactari præcepit, cunctoſque, quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit. Quod quam male egerit, pater ſanctiſſime animadvertere poteris; quoniam & hi, qui a Juda Domini noſtri Jeſu Chriſti proditore, ante proditionem, ſalutem ſeu benedictionem apoſtolicam perceperunt, ea poſt proditionem, propriique corporis ſuſpenſionem minime ſunt privati, niſi quos improba forte defœdarant flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ miniſtris Chriſti impenditur, non per eum, qui videtur, ſacerdotem infunditur: neque enim qui rigat eſt aliquid, neque qui plantat, ſed qui incrementum dat, Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſumus, quoniam dum a piſcatoribus poſtmodum eſſet inventus, atque ad beati apoſtolorum principis eccleſiam deportatus, ſanctorum quædam imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt. Hoc namque a religioſiſſimis Romanæ urbis viris perſæpe audivi.

Addi-

Formosi innocentia miraculose probata.

Addidit culpam culpæ Stephanus papa, quando collecta Synodo nefarium, impium & detestandum facinus approbavit. Ipsi enim lapides tale portentum execrati, sua tunc voce mutua collisione clamarunt, spontaneam libentius pati ruinam, quam ut Romana ecclesia tanto scandalo depressa maneret. Accidit tunc, ut sacrosancta basilica Lateranensis, primaria pontificis sedes, impulsore angelo malo ab altari usque ad portas prostrata corrueret, quia nequaquam stare poterant parietes, dum prima cardinis petra tanti facinoris terræmotu concussa fuisset. Sacrilegi pontificis facinus, quo a defuncto pœnam inique exegit, quove legitime collatos ordines contra Christi institutionem & Dei mandatum repetivit, novatores hæretici nostri temporis vobiscum recte quidem redarguunt & detestantur; verum contra promissiones Christi Petro & ecclesiæ factas, propter illud factum impium male insurgunt, & præmature nimis de victoria gloriantes triumphum agunt. Omnia enim quæ Stephanus contra Formosum dixit vel egit, homo furore percitus egit, implens id quod exæstuans rabies suasit. Pontificia vero auctoritate legitime usurpata nihil contra fidem vel bonos mores definivit. Nam qui hac de causa ad synodum convocati sunt episcopi & presbyteri Stephano non dissimiles, simili odio Formosum prosequebantur, adeoque in eamdem sententiam pronunciarunt, quam homini furore percito gratam fore præsciebant. Unde hac in re violentam quidem tyrannidem in facto agnoscimus: errorem autem in fide per Stephanum pontificiam auctoritatem legitime usurpantem definitum vel approbatum fuisse constanter pernegamus; quamquam nihil sedi apostolicæ præjudicaretur, si daremus invasorem non legitime electum, sed intrusum pseudo-pontificem in articulis fidei asserendis aberrasse. Hujus temporibus, post Arnulphum regem Germaniæ pediculari morbo extinctum, Vvidonem imperatorem obiisse testatur Luitprandus lib. 1. cap. 9. Stephanus sedis apostolicæ invasor, ab optimatum factione adversus Adelbertum Etruriæ principem prævalente detrusus est in carcerem anno Christi 900. & postquam sedem apostolicam sex annis tenuisset, in eodem carcere strangulatus, Deo vindice, exitu infami vitam clausit. *Hæc ex antiquis monumentis & diplomatibus de Stephano Baronius tom. 10. annalium.*

An Stephanus papa in fide erraverit.

* EPISTOLA STEPHANI VI. PAPÆ AD ARNUSTUM ARCHIEPISCOPUM Narbonensem.

* Edita in Castelli commentariis; emendatius pleniusque sub finem tomi bibliothecæ Labb.

Privilegium Archiepiscopatus Narbonensis.

Stephanus episcopus servus servorum Dei, Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Arnusto archiepiscopo primæ sedis sanctæ Narbonensis ecclesiæ, & per te in eadem venerabili ecclesia in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur reverentia vestræ fraternitatis postulavit a nobis, quatenus hujus apostolicæ nostræ auctoritatis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejusdem sanctæ primæ sedis ecclesiæ Narbonensis, constructæ in honore sanctorum Justi & Pastoris, ubi beatus Paulus confessor Christi corpore requiescit, * hoc est, omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, sylvas, atque medietatem salinarum, & telonei, seu * Raficani, ac naufragii, monasterio sancti Laurentii, & cellis, cum omnibus adjacentiis earum ac pertinentiis, una cum famulis utriusque sexus, & alia quæ a piis imperatoribus & regibus, & ab aliis Deum timentibus in eadem sancta ecclesia Narbonensi collata sunt, & consistunt, tam in ipso comitatu Narbonense, quam & Reddense, seu Minerbense, atque Ausonense, nec non & Biterrense, sive etiam Nemausense. Unde salubribus petitionibus vestris inclinati, decrevimus, ut a præsenti die quarta decima indictione, per hujus nostræ apostolicæ confirmationis privilegium roboramus, stabilimus, & in perpetuum nostra apostolica auctoritate confirmamus, in usu & solatio ejusdem sanctæ primæ ecclesiæ Narbonensis, cui præesse dignosceris, id est, omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, sylvas, atque medietatem salinarum, & telonei, seu raficani, atque naufragii, monasterio sancti Laurentii, & cellis, vel cum omnibus adjiacentiis & pertinentiis earum, una cum familiis utriusque sexus, & alia omnia quæ a piis imperatoribus & regibus, vel ab aliis Deum timentibus, in eadem ecclesia collata sunt, vel * collatura erunt, tam in ipso comitatu Narbonensi, quam in Reddense, seu & Minerbense, atque Ausonense, nec non & Biterrense, sive etiam Nemausense. Hæc vero omnia ita jure firmissimo a te tuisque successoribus possideri, ac dominari volumus, sicut olim possessum est a sanctæ memoriæ decessore tuo Daniele episcopo, sed & reverendo Sigebodo, ejusdem primæ sedis Narbonensis præsule, sub tua tuorumque successorum ditione, potestate, ac utilitate omnimodis confirmantes. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdicto, ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet forciam, vel oppressionem in omnibus rebus ejus facere, aut potestatem aliquam habere, vel aliquem distringere, aut qualecumque teloneum ab eis exigere, sive ad placitum eos ubicumque pro quibuscumque causis proprio jure præferunt, nisi in * providentia archiepiscopi causa illorum audiatur, & regulariter * finiatur. Illud quoque nostra auctoritate juxta canonicam sanctionem nobis addere placuit, ut si quando divina vocatione vos vestrique successores ex hac luce migraveritis, quamdiu in ipsa ecclesia Narbonensi repertus fuerit, qui dignus sit officio pontificatus ipsius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jam dictam sibi * præditus quacumque dignitate aut regia auctoritate usurpare sedem, sed conventum vicinorum coepiscoporum occurrere * volentium facto absque alicujus potestatis interdicto, benedictionis cleri vel plebis percipiat dignitatem. Si vero aliquem de suffraganeis coepiscopis contigerit mori, perquirens metropolitanus episcopus electionem plebis ipsius, eam visitare studeat, utpote viduatam ecclesiam. Quod si forte ibi talis non repertus fuerit, qui onus sacerdotale ferre queat, per canonicam auctoritatem, & nostram apostolicam permissionem licentia sit illi absque ulla retractatione de sua ecclesia talem inthronizare, qui suffraganeæ suæ ecclesiæ dignus præesse valeat pastor. Si quis, quod non optamus, contra hoc nostrum apostolicum

* Hæc minus recte ab aliis prætermissa.
* Ratam.
* conferenda
* præsentia
* firmetur
* prædictus mendose
* valentium

licum privilegium, pie a nobis statutum, temerario ausu agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, & a regno Dei alienus existat. Qui autem verus custos & observator extiterit, benedictionem & gratiam a Domino consequatur.

Scriptum per manum Nicolai Scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Augusto, indictione XIV. Bene valete. Datum XIII. Kalendas Septembris, per manum Stephani episcopi sanctæ ecclesiæ Nepesinæ, Arcarii * sanctæ ecclesiæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo Augusto Arnulpho a Deo coronato magno imperatore anno primo.

* in Arcario

IV. AD ARIBERTUM NARBONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Queritur factam esse Judæis potestatem allodia possidendi.

Stephanus papa Ariberto archiepiscopo Narbonæ, & omnibus potentatibus Septimaniæ & Hispaniæ, salutem.

COnvenit nobis, qui clavem cælestis horrei vicibus apostolicis suscepimus, etiam omni pestilentiæ gregis divini fidei medicinam porrigere: quod si non possumus modios tritici, at saltem * cestarium valeamus impendere. Quapropter sumus dolore tacti, usque ad mortem anxiati, cum cognovissemus per teipsum, quod plebs Judaica Deo semper rebellis, & nostris derogans ceremoniis infra fines & territoria Christianorum, allodia hæreditatum in villis & suburbanis, quasi incolæ Christianorum, possideant per quædam regum Francorum præcepta: quia ipsi inimici Domini quæ.... sunt, ei periculose mercati sunt: & quod vineas & agros illorum Christiani homines excolant: & infra civitates & extra, masculi & fœminæ Christianorum cum eisdem prævaricatoribus habitantes, diu noctuque verbis blasphemiæ maculantur, & cuncta obsequia quæ dici aut excogitari possunt, miseri miseræve prænotatis canibus indesinenter exhibeant: præsertim cum hujusmodi patribus Hebræorum promissa ab electo jurislatore illorum Mose, & successore ejus Josue, his conclusa & terminata finibus, ab ipso domino jurata & tradita istis incredulis, & patribus eorum sceleratis, pro ultione crucifixi salvatoris merito sint ablata. Et revera præceptor ecclesiæ gregibus orthodoxis significat inquiens: *Quæ societas luci & tenebris? quæ conventio Christi ad Belial? aut quis consensus templo Dei cum idolis?* Et summi consiliarius verbi admonet, dicens: *Si quis dixerit ei ave*, &c. *Desunt cetera.*

* sestarium

2. Cor. 6.

2. Joan. 11.

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. J.

Epistolam hanc primus edidit Catellus in Commentariis Septimaniæ: eamque Stephano huic nostro tribuit. Et recte quidem probat eam pertinere non posse ad Stephanum VII. quem ipse VIII. appellat. Cur autem revocari altius, & Stephano V. tribui non possit, causam nullam affert.

☞ AD STEPHANI VI. PAPÆ EPISTOLAS APPENDIX.

ANNO CHRISTI 896. 897.

EPistolarum Stephani VI. appendix nulla, quæ detur, occurrit. Epistolæ tamen ejus ad Fulconem Remensem archiepiscopum argumentum suppeditat Flodoardus lib. IV. cap. IV.

AD FULCONEM REMENSEM ARCHIEP.

LIteras suas a se suscepisse fatetur, ipsius non admittens, immo reprehendens excusationem, eo quod alii homines eamdem sedem adirent, & ipse fateretur fas sibi adeundi non fuisse concessum. Denuntiat ergo synodum se per mensem Septembrem imminentis indictionis quintædecimæ certissime celebrare statuisse: ad quam censendo vocans hunc archiepiscopum, monet expresse, quatenus omni mora repulsa omnique excusatione amota, eodem tempore suam specialem præsentiam eidem, Synodoque omnino exhibere maturet; quod si prætermiserit, canonicam in eum ferre sententiam minime retractabit.

☞ GALLICANA SYNODUS

In qua Formosi causa vindicata, & præstitæ ab illo ordinationes admissæ creduntur.

Circa finem sæculi IX. habita.

SYnodi hujus, incertum quo loco habitæ, nuda putaque mentio superest in fragmento Romani concilii II. sub Joanne IX. in causa Formosi celebrati. Interrogatus in ea Synodo Silvester Portuensis, num *fuisset in Synodum Franciæ, respondit: Interfui.* Ex quo Silvestri responso minime ambiguo, neque cunctanti deducimus Synodum illam Formoso favisse; alioqui enim episcopus non sine excusatione quadam id affirmasset; uti reipsa factum suum excusavit, cum interrogatus, an reipsa interfuerit Romanæ Synodo Formoso aversæ, *respondit: interfui, sed coacte.* Quis vero synodum hanc indixerit, ignorare me profiteor. Facile tamen opinaremur Fulconem Remensem, qui Stephanum habuit adversarium, Formosum vero in primis amicum, fœdam illam pontificii cadaveris abscissionem detestantem, synodum hanc, sive superstite adhuc Stephano, sive eo jam sublato, coegisse.

ANNO CHRISTI 897.

CONCILIABULUM ROMANUM

IN CAUSA FORMOSI PAPÆ CELEBRATUM

Anno Domini DCCCXCVII.

Acta concilibuli.

IN hac pseudo-synodo, cujus acta recitantur infra in concilio Romano sub Joanne IX. episcopi & cardinales presbyteri, qui summo odio Formosum prosequebantur, Sergius nimirum, Benedictus, atque Marinus, aliique plures homines perditissimi, & pontificiæ sepulturæ violatores in unum congregati, ea quæ supra de Formoso enarrata sunt, dijudicarunt. Baronius anno 897. numero 6.

G. C. *Vide de hoc argumento libros duos Auxilii vetusti scriptoris a Joanne Morino editos in opere de Ordinationibus.*

A Observatio P. Antonii Pagi ad an. Ch. 896. nu. 9.

Synodus Romana a Stephano VI. adversus Formosum indicta ad an. 896. pertinet. Hermannus enim Contractus juxta editionem Canisii ad an. 896. de isto Pontifice scribit: *qui tyrannis favens & Arnolfum odiens Formosum Papam octavo post obitum mense effossum & in sella positum, loquente pro eo Diacono, criminatum & quasi convictum degradavit.* Præter libros duos Auxilii de hoc argumento, Mabillonius tom. IV. Analect. publicavit libellum ex ms. Cod. Fiscamnensi eruitum *super causa & negotio Formosi Papæ*, quem ab eodem Auxilio editum non dubitat.

CONCILIUM PORTUENSE

IN PAGO NEMAUSENSI SUB ARNUSTO

Narbonensi archiepisc. anno Christi DCCCXCVII. XIII. Kal. Maii indictione XV.

Quo jubetur Magalonensis episcopus ecclesiæ S. Joannis Baptistæ parochiam aliquot villarum, quas ecclesiæ S. Andochii attribuerat, restituere.

ILlustrante gratia sancti Spiritus corda fidelium Dei, conventus factus est episcoporum sanctorum apud Nemausensem pagum, loco qui Portus cognominatur, in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, ejusdem Domini Dei nostri Jesu Christi incarnationis DCCCXCVII. XIII. Kal. Maii, indict. XV. residente vero in eodem concilio magnificentissimo pontifice primæ Narbonensis ecclesiæ Arnusto, simulque cum eo * Gilaranno episcopo Carcassonense, Agilberto Bitterrense, Aurelio Uceticense, Bosone Agathense, Agilardo Nemausense, Servo Dei Gerundense, Abbone Magalonense, abbatibus quoque ibidem venerabilibus sistentibus, quorum sunt nomina, Froja ex monasterio sancti Laurentii Vernupradensis, necnon & Vvitardus ex cœnobio sancti Juliani, Albarus quoque legatus abbatis Durandi ex monasterio sanctæ Mariæ, præsentibus etiam presbyteris & diaconibus, ceterisque ordinibus ecclesiasticis, & plurimis religiosis laicis in modico numero. Quidam venerabilis presbyter Adalfredus nomine, una cum patrono ecclesiæ suæ, vocabulo Pharaldo, protulit querimoniam suam in supradictorum præsentia adversus Abbonem reverendum Magalonensem episcopum, eo quod ecclesiam, quæ est in honorem beatissimi Baptistæ Joannis, loco qui dicitur Cocone, illi ab eodem episcopo Abbone adtributam parochiam ejusdem ecclesiæ ex parte subtraxerat, in villa Cocone, vel in suo termino; & nisi ipsam parochiam haberet, nec ecclesiæ ipsius nec episcopale servitium se posse facere questus est. Præfatus vero antistes Abbo dixit, quod jam a longo tempore ipsa sancti Joannis ecclesia parochiam, quam idem sacerdos Adalfredus vel patronus ejus Pharaldus quærebant, in prædictis villulis non habuerat, sed potius ecclesia sancti Andochii in eadem villa Cocone posita, eas possederat. His vero inter se super hac querimonia altercantibus, reverendi prænominati præsules percontati sunt, qualiter aut ex quo tempore prædictæ decimæ ab eadem ecclesia sancti Joannis sublatæ sint, vel quo modo ecclesia sancti Andochii eas legitime possederit. Supradictus vero presbyter, pariterque cum eo Pharaldus, responderunt, quod ipsa ecclesia sancti Andochii non legaliter, sed injuste eas pro septennio tempore tenuerat, & ab antea per centum fere annorum curricula ecclesia sancti Joannis juste atque canonice ex prædictis villabus parochiam ipsam possederat. Tunc suprascripti episcopi ab ipso præsule Abbone exquisierunt, ut in omnibus evidentissime rei veritatem ex hac quæstione proferret. Itaque venerandus isdem Abbo episcopus, malens semper veritatem proferre, quam reticere, in conspectu totius sanctæ coadunationis episcoporum, abbatum, ceterorumque sacrorum ordinum, atque religiosorum laicorum ibidem adsistentium, professus est prædictam parochiam ex jam dicto loco Cocone, exceptis ipsum Alodem, qui fuit de episcopo Maldomari, vel etiam eo quod Aloardus ibidem comparavit magis juste & legaliter ad ecclesiam S. Joannis Baptistæ debere pertinere, quam ecclesiæ sancti Andochii, quæ nuper instructa fuerat, deservire. Audita vero sanctissimi episcopi, omnisque collectæ synodus, hujusmodi rei prolatione, omnes pariter, episcopis quidem primum judicantibus, decreverunt ut ecclesiæ sancti Joannis Baptistæ immo Adalfredo presbytero, atque Pharaldo patrono ipsius ecclesiæ, parochia prædictarum villarum redderetur, quia longo tempore rationabiliter eam jam possederat; & quod injuste

* Gislerano

ste per septem annorum curricula amiserat, juste & canonice iterum recipere mereretur per omnium ipsorum rectum judicium. Prælibatus vero præsul Abbo perspiciens rectum *hoc est* se judicium, absque ulla retractatione ipsorum paruit præceptis, restituens in conspectu omnium parochiam sancti Joannis ecclesiæ, quam olim injuste perdiderat. Visum est autem universo cœtui sanctorum episcoporum, ut pagina super hoc scripturæ exararetur, atque roboranda eorum manibus deferretur: ut deinceps ministri ejusdem ecclesiæ sancti Joannis nullam ex hac re molestiam patiantur.

Ego Abbo humilis sedis Magalonensis episcopus, s.

Arnustus sanctæ Narbonensis ecclesiæ humilis episcopus, s.

Servus Dei humilis episcopus sedis Gerundensis, s.

Fructuarius humillimus sedis Bitterrensis episcopus, s.

Seraldus archidiaconus, s.

Sanno archidiaconus, s.

Desiderius presbyter, s.

Nantigisus archipresbyter, s.

Milo archidiaconus præsens fuit.

Rotmarus presbyter præsens fuit.

Reutingus archidiaconus.

Modicus Georgius sacerdos indignus, ac monachus exiguus hæc supra.... manu...

ANNO CHRISTI 897.

Observatio Gabr. Cossartii S. J.

Bitterrensis episc. in actis huius concilii Agilbertus dicitur; in subscriptionibus, Fructuarius. Neque litem dirimit instrumentum publicum ex Bitterrensi tabulario prolatum a Sammarthanis fratribus, ex quo intelligitur, fuisse Fructuarium episcopum Bitterrensem hoc anno 897. XVII. Kal. Augusti. Nullum enim extat, quod sciam, antiquitatis monumentum, quo doceamur an eodem anno, XIII. Kal. Majas, qui est hujus concilii dies, jam esset ecclesiæ istius antistes; an supereesset Agilbertus, ejus decessor. Decessorem Fructuarii Agilbertum voco. Nam quod Reginaldum inter hos medium Sammarthani statuunt, uno nituntur testimonio concilii Magalonensis apud Juncarias, anno, ut existimarunt, octingentesimo nonagesimo quarto celebrati, quo memoratur Reginaldus Bitterrensis episcopus. Sed concilium istud anno 909. celebratum fuisse suo loco intelliges.

ANNO CHRISTI 897. 898.

SYNODUS ROMANA

A Theodoro papa, pro restituendis clericis a Formoso papa ordinatis, & a Stephano VI. depositis.

Anno 898. celebrata.

COncilii hujus a Theodoro papa celebrati suspicionem aliquam mihi ingessit id quod olim legeram in tractatu Auxilii de ordinationibus Formosi cap. IV. in hanc sententiam: *Eos quos papa Stephanus secum in Ecclesia vestiri prohibuit* (Clericos nempe a Formoso initiatos) *Papa Theodorus, qui utique de ordinatione Formosi non fuit, & vestiri, & suum agere officium præcepit.* Hæc de admissis a Theodoro ordinationibus a Formoso celebratis, quas Stephanus papa infectas judicaverat, dicta esse noram, nec nisi ex concilii cujusdam sententia id commissum ab eodem Theodoro arbitrabar. Nec vana me commentatum, tunc demum intellexi, cum hæc verba offendi in fragmento actorum Concilii Romani a Joanne IX. pro eadem Formosi causa celebrati, quod e Mabillonii Musæo Italico to. I. part. 2. Venetus Labbei editor to. XVIII. ad ann. 904. exhibuit: *Vult Dominus papa ut legatur synodus acta a Theodoro papa. Et factum est. Tunc Amolo* (Taurinensis episcopus) *dixit: Canonicum est, ut qui juste damnatus est, restituatur, & canonica servetur de expoliatis sententia.* Ea igitur concilium sub Theodoro, a quo ordinationes Formosi, a Stephano VI. rejectæ, admittuntur, & approbantur.

ANNO CHRISTI 900.

[1] CONCILIUM REMENSE

in ecclesia S. Mariæ, præside Heriveo archiepiscopo,

In quo anathema dictum in eos qui Fulconem archiepiscopum occiderant, pridie Nonas Julii, anno Christi dcccc.

ANno dcccc. dominicæ incarnationis, pridie Nonas Julii, primo scilicet die quando ordinatus est Heriveus in archiepiscopatu Remensi episcopus, lecta est excommunicatio hæc quæ sequitur, in ecclesia sanctæ Mariæ Remis, præsentibus episcopis infrascriptis.

Heriveus nomine, non merito, Remorum archiepiscopus ac plebis Dei famulus, * VVido Rotomagensium archiepiscopus, Riculfus Suessionum episcopus, * Heidilo Noviomagensium episcopus, Dodilo Cameracensum episcopus, Herinandus Morinensium episcopus, Orgarius Ambianensium episcopus, Honoratus Belvacensium episcopus, Manfio Catalaunensium episcopus, Rodulfus Laudunensium episcopus, * Orfridus Silvanectensium episcopus, Angelrannus Meldensium episcopus. * Otfridus

Notum sit omnibus ubique sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam clericis quam laicis, quod nos & commissa nobis omnibus ecclesia nimia perturbatur tristitia, pro inaudita re post persecutionem temporis apostolorum, eorumque successorum, de occisione nimirum patris & pastoris nostri

1 Hoc Concilium locandum sub Joanne Papa IX. qui Mense Julio anni 900. Pontificiam sedem occupabat ut docet Pagius.

noſtri Fulconis ab impiis impie perpetrata, qui pro regni utilitate & totius ſanctæ eccleſiæ ſtatu pro viribus die noctuque deſudans, ac ſeipſum pro defenſione omnium eccleſiarum in hoc regno conſiſtentium muro protectionis opponens. (Res enim earum a Balduino comite filio Balduini ac Judith, contra omnem legem divinam & humanam pervadebantur) ideo ab ipſius Balduini hominibus VVineemaro, Everardo & * Rotfeldo, ceteriſque eorum complicibus interfectus crudeliſſime occubit. De cujus morte totius eccleſiæ ordo atque profeſſio merito contriſtatur, & lamenta compaſſionis ex intimis cordium ſuſpiriis emittit. Quia igitur tale ſcelus noſtris in temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea niſi forte a paganis in eccleſia non auditum, quia non eſt actum: in nomine Domini, & in virtute ſancti Spiritus, necnon authoritate epiſcopis per beatum Petrum principem apoſtolorum divinitus conlata, ipſos ſanctæ matris eccleſiæ gremio ſegregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus, ut eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter Chriſtianos converſatio; Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum, armenta boum ſuorum, & greges ovium ſuarum. Maledicti ſint ingredientes & egredientes, ſintque in domo maledicti, in agro profugi. Inteſtina in receſſu fundant ſicut perfidus & infelix Arius, veniantque ſuper illos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moyſen in populum divinæ legis prævaricatorem ſe eſſe intentavit. Sintque anathema Maranatha, & pereant in ſecundo adventu Domini. Inſuper quicquid maledictionis ſacri canones, & apoſtolicorum virorum decreta decernunt ſuper homicidis, & ſacrilegis. Nam illos ſacrilegorum nomine notamus, qui in hunc Chriſtum Domini manus mittere auſi ſunt. Omne ſuper illos, ac perpetuum interitum, per juſtiſſimam divinæ animadverſionis ſententiam, congeratur. Nullus ergo eis Chriſtianus vel Ave dicat. Nullus presbyter miſſas aliquando coram celebrare, nec ſi infirmati fuerint, confeſſiones eorum recipere, vel ſacroſanctam communionem eis, niſi reſipuerint, etiam in ipſo fine vitæ ſuæ præſumat unquam dare: ſed ſepultura aſini ſepeliantur, & in ſterquilinium ſuper faciem terræ ſint, ut ſint in exemplum opprobrii & maledictionis præſentibus generationibus & futuris. Et ſicut hæ lucernæ de noſtris projectæ manibus hodie extinguuntur, ſic eorum lucerna in æternum extinguatur.

ANNO CHRISTI 900.

* Rotfrido

CONCILIUM COMPOSTELLANUM

Anno Chriſti DCCCC. III. Kal. Decembris.

Synodi hujus ſummam habe excerptam ab illuſtriſſimo Petro de Marca Pariſ. archiepiſ. ex actis ipſius, quæ in Auſonenſis eccleſiæ tabulario ſervantur. Æra DCCCCXXXVIII. III. Kalend. Decembris, concilium apud ſanctum Jacobum in Gallicia celebratum eſt, cui interfuerunt octo epiſcopi. In eo Cæſarius abbas, electus & conſecratus eſt archiepiſcopus provinciæ Tarraconenſis. Verum huic inſtitutioni interceſſerunt, Narbonenſis archiepiſcopus, & Hiſpani epiſcopi Narbonenſi metropoli ſubjecti. Quare Cæſarius Romanum pontificem appellavit.

Observatio P. Antonii Pagi ad an. Ch. 900. n. 8. & ſeq.

Concilii *Compoſtellani* epocha denſis tenebris circumfuſa; illud tamen anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo congregatum fuiſſe, nobis hic demonſtrandum. Eo Chriſti anno *Borellus* Barcinonenſis Comes ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli profectus eſt cum *Hattone* Epiſcopo Auſonenſi & *Geberto* Monacho Aureliacenſi, obtinuitque a Joanne Papa hujus ſc. nominis XIII. ut Tarraconenſis provinciæ Metropoliticum jus transferretur ad Auſonenſem, & utraque Eccleſia uniretur. Illud diſcimus ex literis ejuſdem Pontificis a Didaco lib. 2. Hiſt. Comitum Barcinonenſium cap. 26. recitatis, inſcriptiſque *Archiepiſcopis atque Epiſcopis* in Galliarum partibus conſtitutis. In iis enim Joannes XIII. de Borello Comite ait: *Queſtus es nobis quemadmodum Tarraconenſem Archiepiſcopatum, qui olim caput in illis partibus fuerat, Auſonenſi Eccleſiæ ſubderemus, eo quod ipſa jam dicta civitas Tarraconenſis a Sarracenis capta, & Paſtore deſtituta nullum recuperandi locum aut inhabitandi uſque hactenus reperiri valeat*, propter quam cauſam Prædeceſſorum ſecutus auctoritatem amodo & uſque in perpetuum roborat & confirmat, ut Auſonenſis Eccleſia poteſtatem & Primatum Tarraconenſis Eccleſiæ habeat, *& ut omnes Epiſcopi ſuffraganei ejuſdem Sanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ ad Auſonenſem Eccleſiam confugiant*, & quando aliquis ex illis ab hac luce migraverit, ſucceſſor illius ab Auſonenſi Archiepiſcopo, qui a Sede Apoſtolica confirmatus eſt, *conſecretur*, &c. *Scriptum per manum Georgii Notarii & Secretarii & Serviciarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Januario, indictione quarta decima*, ideoque anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo. Antonius quidem Auguſtinus in Archiepiſcopis Tarraconenſibus has literas ad annum CMLXXXVI. quo Joannes XV. Eccleſiam Romanam regebat, & indictio XIV. in curſu etiam erat, revocavit; ſed Didacus laudatus ejus hac in re errorem certo argumento confutavit.

Quia vero hæc innovatio facta fuit inaudito Archiepiſcopo Narbonenſi, cujus *Hatto* ſuffraganeus erat, ea effectum non habuit, neque *Hatto*, neque *Frujanus* ejus ſucceſſor ſe ſe unquam Archiepiſcopos appellarunt. Veroſimile eſt, *Hattonem* dignitati ſibi conceſſæ renunciaſſe, ne Narbonenſis Metropolitani & aliorum Epiſcoporum odium in ſe concitaret. Sed quidquid ſit de hac conjectura, ex laudatis Joannis XIII. literis intelligimus, *Concilium Compoſtellanum* poſt menſem Januarium anni nongenteſimi ſeptuageſimi primi coactum fuiſſe. Legitur enim in chartulario Eccleſiæ Auſonenſis, vulgo *Viquenſis*, Epiſtola *Cæſarii* Abbatis ſanctæ Cæciliæ in Monte Serrato ad Joannem Papam data, in qua narrat, ſe ordinatum fuiſſe Archiepiſcopum provinciæ Tarraconenſis in Synodo Compoſtellana, ſed cum poſtea in provinciam profectus eſſet, gravem contradictionem ſe paſſum a *Petro* Barcinonenſi, *Arnulfo* Gerundenſi, *Hattone* Auſonenſi, *Vviſano* Urgellitano, & *Emerico* Metropolitano ſedis Narbonenſis, & Papam deprecatur, ut ſibi adverſus contumaces auxilium præſtet. Neque mirum, Antiſtites hos *Cæſarium* non ſuſcepiſſe; cum jam antea eodem ſe modo erga *Hattonem* geſſiſſent. Porro conſtat, Joannem Papam XIII. uſque ad menſem Septembrem anni CMLXXII. in vivis fuiſſe, eodemque Chriſti anno Hattoni in Eccleſiam Auſonenſem ſucceſſiſſe *Fugiferum* ſeu *Frujanum*. Baluzius enim in Appendice Marcæ Hiſpanicæ pag. 896. & ſeqq. recitat Acta conſecrationis Eccleſiæ monaſterii ſancti Benedicti de Bagiis, in quorum fine habetur: *Acta ſunt hæc ſub æra Chriſti poſt milleſima anno trabeationis dominicæ DCCCCLXXII. indictione XV. die nonarum tertium Decembrium, Luna XXIII. anno bis novenis reguante Leuthario*, ſeu anno XVIII. Lotharii Regis, qui anno CMLIV. regnare cœperat. Sed loco, *die nonarum tertium Decembrium*, legendum, *die Nonarum tertium Novembrium*, in quem Luna XXIII. juxta veterem Cyclum IV. incidit. Huic conſecrationi præſentes fuere *Petrus* Barcinonenſis, & *Vviſanus* Urgellitanus Epiſco-

ſcopi, & conſecratio a *Frugifero* Epiſcopo Auſonenſi facta. Quare Antonius Auguſtinus loco citato literas a Joanne Papa in gratiam Hattonis datas de Joanne XV. male interpretatus eſt; cum antequam hic Papa renunciaretur, *Hatto* ſupremum diem obiiſſet.

Nunc itaque certo epocha Concilii Compoſtellani nobis innoteſcit; in eo enim *Cæſarius* Archiepiſcopus Tarraconenſis dictus, poſtquam *Hatto* juri ſuo ceſſit, & tamen cum aliis Catalauniæ Epiſcopis interceſſione ſua prohibuit, ne *Cæſarius* ejuſdem Archiepiſcopatus poſſeſſionem iniret. Cumque idem *Hatto* ante menſem Novembrem anni CMLXXII. e vivis exceſſerit, perſpicuum eſt, Concilium iſtud, vel anno CMLXXI. vel inſequenti habitum. At illud ad priorem annum pertinere demonſtrant ipſæmet literæ, quibus Coſſartius Tom. IX. Concil. aliique Viri docti innixi Synodum *Compoſtellanam* anno nongenteſimo affixere; eæ quippe literæ aliæ non ſunt, quam literæ Cæſarii memoratæ ad Joannem Papam datæ, quarum quidem numeri depravati, ſed qui ex mox dictis certo emendari poſſunt. In iis dicitur Cæſarii ordinationem peractam *æra DCCCCXXXVIII. III. Kal. Decembris*, id eſt, anno Chriſti DCCCC. quo forſan Cæſarius nondum in lucem prodierat. Is itaque anno CMLXXI. die viceſima nona menſis Novembris in Concilio Compoſtellano conſecratus fuit Archiepiſcopus Tarraconenſis, & librarius loco, *æra MIX.* perperam poſuit, *æra DCCCCXXXVIII.* nec juvat dicere, eo Chriſti anno diem XXIX. menſis Novemb. in feriam quartam cadere, quia in Catalaunia & paſſim per iſta tempora neque Epiſcoporum ordinationes, neque Eccleſiarum conſecrationes diebus dominicis ſemper fiebant, ut de Concilio Ovetenſi loquentes jam diximus anno ſc. DCCCLXXXII. Harum literarum a *Cæſario* ſcriptarum exemplar ab imperito librario facile in numeris depravari potuit; cum Hiſpani diu cifras a deceſſoribus ſuis uſurpatas ignorarint, eæque noſtra tantum ætate e tenebris erutæ fuerint, obliti, inquam, erant, hanc cifram X. denotare XL. & T pro mille ab illis adhibitam, qui ideo multarum literarum ſubſcriptiones, in quibus eæ reperiebantur, depravarunt. In autographo literarum *Cæſarii* ſcriptum fuit, *æra TUIIII.* id eſt, æra MVIIII. & librarius interpretatus eſt, *æra DCCCCXXXVIII.* Sed undecunque procedat error, jam is manifeſte apparet. Joanne XIII. menſe Septembri anni CMLXXII. demortuo lis illa *Hattonem* inter & *Cæſarium* exorta, non deciſa relicta eſt, conatuſque Cæſarii fruſtra fuit, qui tamen ſemetipſum Tarraconenſem Archiepiſcopum profiteri continuavit, ut diſcimus ex literis Berengarii Comitis Barcinonenſis anno MXXIII. datis, in quibus ait, proavum ſuum Suniarium confirmaſſe Abbatiam Sanctæ Cæciliæ in Monte Serrato, *per ſcripturam*, inquit, *donationis ſuæ in poteſtate jam dicti cœnobii, in qua etiam permanſit uſque ad tempus Cæſarii, qui profitebatur ſe Archiepiſcopum Tarraconenſem eſſe*. Has literas referunt Didacus citatus c. 13. & Baluz. in App. Marcæ Hiſp. p. 1035.

Hanc difficultatem examinavit idem Baluzius lib. 4. Marcæ Hiſp. pag. 404. aitque: difficile videtur conſtituere tempus quo iſta acta ſunt. Nam in Epiſtola Cæſarii, quam oportet aut falſam eſſe aut interpollatam, ordinatio ejus peracta dicitur æra DCCCCXXXVIII. III. Kal. Decemb. quod manifeſte falſum eſt. Nondum enim erat *Archiepiſcopi* nomine inſignitus anno DCCCCLXXI. exeunte, quo Benedictus VI. Papa Privilegium ei tum Abbati tantum ſanctæ Cæciliæ conceſſit. Neceſſario autem oportet id contigiſſe anno ſequenti, cum eo anno conſtet Epiſcopum Auſonenſem fuiſſe *Frujanum* Hattonis illius ſucceſſorem; qui cum aliis Epiſcopis repulerat eumdem *Cæſarium* ab adminiſtratione provinciæ. Ita Vir eruditiſſimus, qui poſtea in Appendice recitat Epiſtolam Benedicti Papæ *Cæſario Abbati venerabilis cœnobii ſanctæ Cæciliæ Montis Serrati* inſcriptam, datamque *in menſe Decembrio die XVI. indictione XV.* ſeu anno Chriſti DCCCCLXXI. At eo anno *Benedictus VI.* ut ex dictis liquet, nondum Pontificatum gerebat. Secundo, literæ Cæſarii ad Joannem XIII. quas germanas & genuinas eſſe in dubium revocari non debet; cum alioquin *Cæſarius* ſe ſe Tarraconenſem Epiſcopum appellare auſus non fuiſſet, teſtantur, hunc *III. Kal. Decemb.* Archiepiſcopum ordinatum, quod nonniſi de anno CMLXXI. intelligi poteſt; cum in iis *Hattonis* adhuc viventis mentio ſit, qui tamen anno CMLXXII. ante diem illum vitam cum morte commutarat. Tertio, non bene Vir doctiſſimus literas Joannis XIII. ad *Hattonem*, quem *Archiepiſcopum Tarraconenſem* ſe ſe renunciaſſe ſignificat, cum anno CMLXX. connectit, cum ex earum ſubſcriptione pateat, eas anno ſubſequenti ſcriptas, ut mox oſtendimus. In literis itaque Cæſarii ad Joannem XIII. annus tantum æræ Hiſpanicæ corruptus, eæque certo *Concilium Compoſtellanum* anno CMLXXI. indictum fuiſſe demonſtrant.

Quoad literas *Benedicti* Papæ, incertum, an eæ *Benedicto VI.* vel *Benedicto VII.* adſcribendæ ſint, certum tamen errorem in indictionem irrepſiſſe, cum nullus utriuſque Pontificis annus in indictione XV. inciderit. Quod ſi indictio illa mendoſe, quod non raro contigit, deſcripta fuerit, mirum videri non debet, *Benedictum VI.* vel *VII. Cæſarium* Archiepiſcopum Tarraconenſem non appellaſſe, quia vanus ille titulus a Pontifice datus Catalauniæ Epiſcopos non turbare non potuiſſet. Verum eæ literæ de falſitate ſuſpectæ videntur, eoque tantum fine confictæ, ut monaſterii Ripollenſis Abbates, magis ac magis in poſſeſſione Monaſterii ſanctæ Cæciliæ confirmarentur. Nam præter ſubſcriptionis falſitatem reſcripti ſtylus ab eo diſſonat, quo temporum illorum Pontifices Romani utebantur; Pontifices quippe Romani neque ſucceſſoribus poteſtatem, res prout ſibi melius viſum fuerit, ſtatuendi, auferre poſſunt: neque eoſdem excommunicant; & tamen in iiſdem literis legitur: *Statuentes Apoſtolica cenſura ſub divini judicii obteſtatione & anathematis interdictione, ut nullus unquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum præſumat aliquam vim aut invaſionem in rebus ipſius monaſterii facere*. Tum de Abbate monaſterii ſanctæ Cæciliæ ſcribit, *vel a noſtra matre Eccleſia Romana; vel a quocumque voluerit Epiſcopo per noſtram auctoritatem libere ordinetur*. Non memini autem me legiſſe aliquem Pontificem Eccleſiam Romanam *Matrem ſuam* appellaſſe, ſed tantum *Matrem veſtram*. Denique anno MXXIII. quo *Berengarius* Comes Barcinonenſis partibus auditis Abbatiam ſanctæ Cæciliæ monaſterio Rivipullenſi adjudicavit, ut videre eſt in ejuſdem Berengarii literis mox memoratis, monaſterii ſanctæ Cæciliæ Monachi nulla privilegia exhibuere adverſus Rivipullenſes, ſed in ſola poſſeſſione, in quam per vim immiſſi fuerant, totum ſuum jus fundarunt. Quod ſi paucos ante annos *Benedictus VI.* vel *VII.* aliquid in favorem monaſterii ſanctæ Cæciliæ ſtatuiſſet, hac in cauſa tacitum non fuiſſet. Quiſque tamen judicio ſuo hac in re fruatur, dummodo certum maneat, *Concilium Compoſtellanum* anno CMLXXI. coactum fuiſſe. Baronius ejus non meminit, ſed hic tantum de Dedicatione Eccleſiæ Compoſtellanæ hoc anno facta verba facit. Verum illud nobis prætermittendum non fuit, nec brevius tractari potuit.

ANNO CHRISTI 900.

VITA ROMANI PAPÆ.

ROmanus patria Galeſianus, patre Conſtantino natus, factus eſt pontifex anno Domini * DCCCC. Sedit menſes quatuor & dies viginti. Acta Stephani contra Formoſum habita plane improbavit, & Ludovicum IV. filium Boſonis, poſt fugatum Berengarium, imperatorem coronavit. *Luitprandus*.

EPISTOLA I. ROMANI PAPÆ ad Riculfum Epiſcopum Helenenſem.

ROmanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo Riculfo Epiſcopo ſanctæ Roſſilionenſis Eccleſiæ & per te in eadem venerabili Eccleſia in perpetuum. Quotiens illa a nobis concedi poſtulantur quæ ſanctarum Eccleſiarum utilitatibus congruunt, decet nos libenti concedere animo & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Et ideo, prædicte Riculfe ſanctiſſime Epiſcope, ad ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli ſanctiſſima limina cauſa orationis veniens, noſtro apoſtolatui ſuggeſtiſti quatenus eandem ſanctam, cui præeſſe dinoſceris, Roſſilionenſem Eccleſiam cum cellula ſancti Felicis & villa quæ vocatur Torren-

rente, seu & villa quæ vocatur Alamannis atque Spedulia, & pro congruentia Ecclesiæ tuæ, a Petrasita super suam clausträm, atque cellulam sancti Juliani, cum aquis, molendinis, necnon terris de monte qui vocatur Auriolum, cum omnibus generaliter ad eas pertinentibus, & quicquid Miro qui dicitur Comes in eandem tuam Ecclesiam concessit, necnon & villare quæ vocatur Nogaretum, & cetera omnia quæ a piis Imperatoribus ac Regibus vel ab aliis Deum timentibus viris in eadem Ecclesia collata sunt vel collatura erunt, tam in ipso comitatu quam in aliis locis, in ipsa prænominata sancta Rossilionensi Ecclesia confirmantes, apostolatus nostri privilegio muniremus. Unde nos, cui omnium Ecclesiarum Dei cura commissa est, salubri tuæ petitioni faventes, inclinati precibus tuis, quia ecclesiasticam rem per vigorem immutilatam servari cupimus, per hoc nostrum apostolicum privilegium suprascriptam sanctam tuam Rossilionensem Ecclesiam cum cunctis rebus prædictis apostolica auctoritate nobis in beato Petro Apostolorum principe concessa munimus, perpetuoque illæsam permanendam confirmamus, una cum Ecclesia sanctæ Mariæ a quadam fœmina nomine Anastasia, quæ & Mater vocabatur, constructa, tuæque Ecclesiæ subdita consistente, ad annue persolvendum in præfata tua Ecclesia penset solidum unum: confirmamus etiam inibi juste & canonice medietatem telonei & traficæ seu mercati cum pascuario, & medietatem salinarum, omnesque Ecclesias ad eamdem Ecclesiam in Rossilionense pertinentes & confluentibus a portu Jardonis usque ad mare, & a termino Narbonensi usque Basillunense, & quicquid, ut prædictum est, idem Miro memoratus Comes inibi concessit, necnon & villare ipsum quæ vocatur Nogaretum, & alia quæ piorum Imperatorum ac Regum ceterorumque Christifidelium ibi decretis collata sunt vel ubicumque collatura erunt, juste & canonice stabilimus; si tamen juste & rationabiliter a nobis petistis, & ab aliis hominibus minime detinentur. Ita quoque ut nulli homini fas sit in iis omnibus quamlibet tibi tuisque successoribus Episcopis generare calumniam aut qualescumque contrarietates face re: quia nos volumus ut uniuscujusque Ecclesiæ privilegium inconvulsum servetur. Nam de monasteriis eidem tuæ Ecclesiæ canonice competentibus similiter statuimus subdita existere justa petenti. Si quis autem Comes aut judex publicus vel qualiscumque alius homo contra hoc nostrum apostolicum privilegium qualicumque tempore, quod non optamus, agere vel contendere præsumpserit, sive ea quæ pro divini cultus amore statuimus in aliquo frangere tentaverit, sciat se anathematis vinculis innodatum & a regno Dei alienum. Qui autem verus custos & observator extiterit, benedictionem & gratiam a Domino Deo nostro consequi mereatur. Benevalete.

An. Ch. 897.

Scriptum per manum Gregorii scriniarii S. R. E. in mense Octobrio, Indictione prima, Idibus Octobris, per manum Stephani nomine Calatoris sanctæ sedis apostolicæ, Imperatore D. N. piissimo PP. Aug. Lamberto a Deo coronato magno * imperante anno VI. & * pontificatus anno VI. Indictione prima.

* Leg. Imperatoris.
* Leg. Consulatus.

ANNO CHRISTI 900.

EPISTOLA II. EJUSDEM PAPÆ ad Servum-Dei Episcopum Gerundensem.

ANNO CHRISTI 9c

Ex chronico episcopi Gerundensis.

ROmanus Episcopus servus servorum Dei reverentissimo Servo-Dei sanctæ Gerundensis Ecclesiæ Episcopo & per te in eadem venerabili Ecclesia in perpetuum. Sicut per donum sancti spiritus beato Apostolorum principi Petro & cælestis regni clavigero ligandi atque solvendi ab ipso Domino tradita est potestas, evangelica subsequente lectione, quæ inter cetera ait, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & reliqua, ita sedes apostolica canonica regalique auctoritate suffulta omnibus Ecclesiis Dei per universum orbem diffusis suffragia & justa postulationis subsidia ut præbeat, tam divini quam humani juris ratio postulat. Igitur veniens jamdicte Serve Dei venerabilis Episcope ad sedem apostolicam, & Ecclesia Gerundensi juste & canonice recepta, expulso inde Hermomiro depositio & excommunicato, suggessisti nobis quatenus hujus apostolicæ nostræ confirmationis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ Gerundensis in honore sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ dominæ nostræ: ubi beatus Felix Christi martyr corpore requiescit, hoc est, domos, plebes, cellas, Ecclesias, villas, & insulas, Majorica scilicet & Minorica, seu curtes, parrochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum familiis utriusque sexus, cum omnibus adjacentiis seu pertinentiis suis, quæ a piis Imperatoribus vel religiosis viris vel ab aliis Deum timentibus in eadem Ecclesia Gerundensi collata sunt, sicut ipse nunc usque legali ordine tenere videris. Unde salubribus petitionibus tuis inclinati decernimus & a præsenti prima Indictione per hoc apostolicum nostrum privilegium roboramus & confirmamus & in perpetuum statuimus & in usu & utilitate ejusdem Ecclesiæ Gerundensis, cui præesse dinosceris, id est, omnes domos, cellas, Ecclesias, villas, curtes, parrochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum familiis, & alia omnia quæ ab Imperatoribus & religiosis viris vel ab aliis Deum timentibus in eadem Ecclesia collata sunt vel conferenda erunt tam in ipsis comitatibus quam in aliis locis, simul cum rafica seu pascuario, sub tua tuorumque successorum ditione ac potestate omnimodis confirmamus, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione & anathematis interdicto ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet forciam vel oppressionem in omnibus rebus ejus facere aut potestatem aliquam habere vel aliquem distringere aut qualitercumque Teloneum ab eis exigere sive ad placitum ubicumque eos pro quibuslibet causis provocare præsumat, nisi in providentia sui Episcopi causa illorum audiatur & canonice finiatur. Si quis autem, quod non optamus, contra hoc nostrum privilegium pie a nobis statutum temerario ausu agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, &, nisi resipuerit, a regno Dei alienus existat. Qui vero custos & observator extiterit, benedictionem & gratiam a Domino consequatur. Scriptum per manum Sergii scriniarii S. R. E. in mense Octobri, Indictione prima. Benevalete.

An. Ch.

VITA

VITA THEODORI PAPÆ II.

THeodorus hujus nominis II. patria Romanus, ex patre Photio, surrogatus est Romano papæ, anno Domini * 901. tempore Ludovici IV. imperatoris occidentalis: sedit tantum diebus viginti. Quonam autem die obierit, antiquorum nemo prodit, recentiorum fides ex divinatione comparata vacillat.

VITA ET EPISTOLÆ JOANNIS PAPÆ IX.

JOannes IX. patria Tiburtinus, patre Rampoaldo natus, professione monachus, & ordine diaconus post obitum Theodori factus est pontifex anno Domini * 901. sub Ludovico IV. imperatore. Cum Berengarius dux Forojulienſis captum Imperatorem oculis simul cum imperio privasset, & cum armato exercitu Romam profectus coronam imperii ab hoc pontifice violenter extorsisset, nomenque imperatoris sibi tyrannice vindicasset: post obitum ejus Lambertum VVidonis filium, ante annos undecim a Formoso papa imperatoria corona donatum, Romam vocavit, ibique synodali judicio declarari mandavit, Berengarii & Arnulphi coronationes nullas esse & illegitimas, utpote quæ vi extortæ, penitus sint abrogandæ: Lamberti vero, in quem Formosi papæ & successorum ejus libera vota conspirassent, legitimam & ratam esse habendam. Hac occasione principes Italiæ a Berengario deficientes, Lambertum pro rege & imperatore agnoverunt. Cumque ex Romanis plurimi Berengario faverent, eisque contra Lambertum adhærerent: Joannes papa non satis tutum se judicans si Romæ maneret, profectus est Ravennam, ibique acta Stephani contra Formosum per synodum irrita reddit, hisque turbulentissimis temporibus velut alter Jeremias a Deo missus, evulsit, dissipavit, & destruxit ea omnia, quæ a prædecessore Stephano male plantata atque pessime ædificata fuerant. Sedit annos tres, & dies quindecim: obiit anno Domini 905. sepultus est apud sanctum Petrum pro foribus ante portam dictam Guidoneam. In cujus sepulcro sculptum erat epitaphium, quod recitat Baronius anno 905.

EPISTOLA I. JOANNIS PAPÆ IX. AD HERIVEUM ARCHIEPISCOPUM Remensem.

Rescriptum domini Joannis papæ ad consulta Herivei Remorum archiepiscopi de * Northmannis nuper ad fidem conversis, quorum alii baptizati fuerant, & rebaptizati, & post baptismum * gentiliter vixerant: qualiter illis consulendum sit: ubi demum habetur absolutio sui suorumque.

Joannes episcopus servus servorum Dei reverentissimo confratri nostro Heriveo Remorum archiepiscopo.

VEstræ fraternitatis, vestræque reverendæ sanctitatis mellifluas literas libentissime suscipientes, ac diligentissime pertractantes: & tristes admodum, & vehementer extitimus exultantes. Mœrentes itaque de tantis calamitatibus, tantisque pressuris atque angustiis, non solum Paganorum, verum etiam Christianorum in vestris partibus (ut vestrarum assertio literarum edocet) accidentibus: gaudentes siquidem de ipsa gente Northmannorum, quæ ad fidem, divina inspirante clementia, conversa, olim humano sanguine grassata lætabatur; nunc vero vestris exhortationibus, Domino cooperante, ambrosio Christi sanguine se gaudet fore redemptam atque potatam. Unde multipliciter ei, a quo procedit omne quod bonum est, immensas gratiarum actiones rependimus, suppliciter obsecrantes, ut eos soliditate veræ fidei confirmare, & æternæ Trinitatis gloriam agnoscere faciat, atque ad suæ visionis inenarrabile gaudium introducat. Nam quod de his vestra nobis innotuit fraternitas, quid agendum sit, quod fuerint baptizati & rebaptizati, & post baptismum gentiliter vixerint, atque Paganorum more Christianos interfecerint, sacerdotes trucidaverint, atque simulacris immolantes, idolothyta comederint. * equidem si tirones ad fidem non forent, canonica experirentur judicia. Unde quia ad fidem rudes sunt, vestro utique libramini, vestræque censuræ committimus experiendos, qui illam gentem vestris confiniis vicinam habentes, studiose advertere, & illius mores, actusque omnes pariter, & conversationem agnoscere præ ceteris valeatis. Quod enim mitius agendum sit cum eis, quam sacri censeant canones, vestra satis cognoscit industria, ne forte insueta onera portantes, importabilia illis fore, quod absit, videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem expoliaverunt, hominem, antiquo insidiante adversario relabantur. Et quidem si inter eos tales inventi fuerint, qui secundum canonica instituta se per pœnitentiam macerare, & tanta commissa scelera dignis lamentationibus expiare maluerint, eos canonice judicare non respuatis; ita ut in omnibus erga eos pervigiles existatis, ut ante tribunal æterni judicis cum multiplici animarum fructu venientes, gaudia æterna cum beato Remigio adipisci mereamini. Munus vero quod nobis vestra sanctitas dirigere dignata est, eo dilectionis amore suscepimus, quo a vobis fuit destinatum. Divina majestas, vos, vobisque omnes subjectos, ita concedat temporaliter vivere, ut intercedente beato Petro apostolorum principe, omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, & ad cælestis regni gloriam sine ulla offensione perducat. Optamus sanctitatem vestram bene valere, & apud piissimum Dominum pro nobis piis supplicationibus intercedere.

De Northmannis ad fidem Christi conversis.

* *ad.* & quidem *Hard.*

No-

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

In codice Tiliano post epistolam Joannis sequebatur prolixior altera ejusdem argumenti ab eodem Heriveo Remensi ad VVitonem Rotomagensem archiepiscopum scripta, cujus meminit Flodoardus lib. IV. cap. XIV. sed illa hujus loci visa non est: edita est autem * post opuscula & epistolas Hincmari Remensis.

* anno 1615. a Joanne Cordesio.

G. C. Secus visum est Petro de la Lande V. Cl. Nam in supplementis conciliorum Galliæ Herivei epistolam edidit, quam ideo Sirmundus excluserat, quod nihil in ea sit unius Galliæ proprium, ac ne Galliæ quidem fiat mentio. Nos ergo, ne quid in hac collectione desiderari possit, quid reperiatur in prioribus, necesse habuimus illam edere. Et alioquin ejus prætermittendæ causa nulla erat. Edebat Sirmondus quæ Gallicanam ecclesiam unam spectarent, nos quæ ecclesiam universam.

HERIVEI REMENSIS ARCHIEPISCOPI AD VVIDONEM ROTOMAGENSEM ARCHIEP.

Ex Sirmondi apographo, quod ex Tiliano codice descripserat.

Qualis pœnitentia debet injungi non baptizatis gentibus, & baptizatis, & rebaptizatis, & postea amore paganico ecclesias devastantibus, & Christianitatem delentibus. Ex sententiis patrum, & canonibus, & decretalibus pontificum Romanorum.

Reverendissimo ac dilectissimo fratri & coarchiepisc. VVitoni, Heriveus Remorum archiepiscopus plurimam in omnium salvatore salutem æternæque beatitudinis felicitatem.

UT rogastis humilitatem nostram quærere divinis in oraculis qualiter consulendum vobis foret his qui rebaptizati sunt, & æque ut ante baptismum juxta Paganismi morem, quemadmodum sues suum reversi ad volutabrum, & canes ad vomitum, ludricas voluptates nefando paganorum ritu exercuere, seu de illis qui nondum percipere baptismum meruerunt: prout quivimus satisfacere precatui vestro satagimus, quantumve brevitas temporis finit. Et ut unumquodque capitulum vobis facilius fieret ad reperiendum, capitulatim in hac schedula fecimus scriptum. Et quia *misericordia Domini plena est terra*, cui & ecclesia per apostrophem precabiliter dicit: *Misereris omnium, Domine & nihil eorum odisti, quæ fecisti dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*: dignum duximus, mirabile & misericordissimum beati Joannis apostoli & evangelistæ factum, immo ipsius Domini opus piissimum, & consuetissimum, sic vobis ponendo brevissime expromendum: quemadmodum vobis notissimum, & in ecclesiastica historia latius digestum.

Psalm. 32. Sap. 11.

Cap. I. *De S. Joanne Evangelista.*

CUm ipse Ephesum rediens, lustraret vicinas & illustraret provincias, vidit quemdam juvenem animis acrem nimis, quem loci illius episcopo commendavit, qui & illi gratiam tradidit baptismi. Deinde confidens gratiæ, qua fuerat communitus, eumdem juvenem remissius habere cœpit. Sed ille immatura libertate potitus, corruptæ viæ tramitem incedit. Deinde a furtis, mala quæque sensim incipiens, demum magister latronum in brevi effectus est, donec idem Joannes eumdem locum tempore elapso invisens, a præfato requisivit depositum suum episcopo. Et cum comperisset eumdem absentatum esse juvenem, ascenso citius equo, perquisivit eum, ac perquisito, & fugitanti, dixit apostolus: Sta tantum, & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit. A Jam deinde tremefactus flebat amarissime, & accedentis ad se senis genibus provolvitur, gemitibus, & ululatibus, quibus poterat, satisfaciens, & uberrimis lacrymarum suarum fontibus, iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus vero jurisjurandi sacramento se ei impetraturum a salvatore veniam pollicens, simulque genibus ejus provolutus, atque ipsam dexteram, ex cujus cædis conscientia torquebatur, tanquam jam per innocentiam purgatam deoscu- B lans, ad ecclesiam revocat, & indesinentes pro eo orationes profundens, & cum ipso pariter ducens crebra jejunia, indulgentiam a Deo quam ei pollicitus fuerat, experebat. Nec prius abstitit, quam eum in omnibus emendatum, etiam ecclesiæ præficeret.

Cap. II. *De S. Silvestro, & Constantino imperatore.*

JUvat hic & illud memorabile factum B. papæ Silvestri, erga imperatorem Constantinum inserere, maxime propter jejunium hebdomadæ ab ipso ei indictum. „ Sanctus, inquit, Silvester, inter „ cetera ad eumdem dixit Cæsarem: Exige a te, „ ipso hac una hebdomada jejunium, & deposi- „ ta purpura intra in cubiculum tuum, ibique „ induere cilicio prostratus humo, & confitere te „ modo per ignorantiam errorem passum, ut „ Christianis persecutionem indiceres: & ipsum C „ salvatorem corporum & animarum Jesum Chri- „ stum, non solum loquendo, sed & credendo „ prænuncia, & pœnitere te multos sanctos Dei „ occidisse. Et paulo post. Jube per totam heb- „ domadam eleemosynam fieri, beneficia etiam „ postulantibus exhibe, & * ideos qui hæc exe- * Fortè ideo neqi Hard. „ quantur constitue. Et post aliquanta. Imposuit „ S. Silvester manum suam super caput ejus (quin „ Augusti Constantini) benedicens eum, ac fa- „ ciens catechumenum. Tunc congregatis omni- „ bus presbyteris, & diaconibus, cum universo „ clero, indixit jejunium omni ecclesiæ, dicens: „ Si Ninivitæ in prædicatione Jonæ per tridua- „ num jejunium, iram Dei offensamque quam „ promiserit, his debita evaserunt, quanto ma- D „ gis *nos* in prædicatione Domini nostri Jesu „ Christi, nos persecutiones evademus. Lucra- „ mur animas, pacem Dei ecclesiis adquirimus, „ & idololatris finem imponimus! Hæc autem „ facimus jejuniis, & orationibus, ut hæc a Deo „ impetremus: & cetera.

Cap. III. *Dicta B. Gregorii ad populum.*

BEatus quoque Gregorius in evangelii ho- Homil. 9 in evan. milia ad populum. „ Si Deo, inquit, vive- „ re in pueritia, & juventute noluistis, saltem „ ad ultimam ætatem respicite, & ad vitæ vias, „ cum jam laboraturi multum non estis, vel se- „ ro venite. Et paucis interpositis. Plerumque ibidem E „ tales ante remunerantur, quia prius ad regnum „ de corpore exeunt, quam hi qui jam in pue- „ ritia vocati esse videbantur. An non ad undeci- „ mam venit latro? qui etsi non habuit per æra- „ tem, habuit tamen sero per pœnam, qui Deum „ in cruce confessus est; & pene cum voce sen- „ tentiæ, spiritum exhalavit vitæ. A noviſſimo „ autem reddere denarium patersamilias cœpit, „ quia ad paradisi requiem prius latronem, quam „ Petrum perduxit. Item idem. Regnum cælo- Hom. 1 in evan. „ rum rapi vult nostris fletibus, quod nostris „ meritis non debetur. Ab spei ergo certitu-

dine

„ tudine nulla nos malorum noſtrorum qualitas, A „ nulla quantitas frangat. Præſtat magnam veniæ „ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde „ venerabilis, unde latro. Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confeſſione. Cogitate, rogo, cogitate quam ſint incomprehenſibilia in „ omnipotente Deo miſericordiæ viſcera. Latro „ iſte cruentis manibus abſtractus a fauce itineris, ſuſpenſus eſt in patibulo crucis. Ibi confeſſus eſt, ibi ſanatus eſt, ibi audire meruit: „ Hodie mecum eris in Paradiſo: & cætera.

Ejuſdem ad Petrum epiſcopum.

QUi rurſus Petro epiſcopo Corſicæ ſcribens, ait; „ Fraternitas veſtra ſolicite ſtudeat, B „ opus quod cœpit auxiliante Domino ad perfectionem deducere; & ſive eos qui aliquando fideles fuerunt, ſed ad cultum idolorum, negligentia aut neceſſitate faciente, reverſi ſunt, „ feſtinet cum invicta pœnitentia aliquantorum „ dierum ad fidem reducere: ut reatum ſuum „ plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc „ ad quod adjuvante Domino revertuntur, quanto illud perfecte deſſeverint, unde diſcedunt; „ ſive eos qui necdum baptizati ſunt, admonendo, rogando, de venturo judicio terrendo, rationem quoque reddendo quod ligna & lapides „ colere non debent. Feſtinet fraternitas tua omnipotenti Domino congregare, ut in adventu „ ejus, cum diſtrictus dies judicii venerit, in nu- C „ mero ſanctorum poſſit tua ſanctitas inveniri, „ Quodcumque enim utilius & ſublimius acturus „ es, quam ut de animarum vivificatione, & „ collectione cogitans, & tuo Domino, qui tibi „ locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes? & reliqua.

Ejuſdem ad Mellitum Abbatem.

ET alibi ad Mellitum abbatem. „ Quia gens „ Anglorum, boves ſolent in ſacrificio dæ- „ monum multos occidere, debet * etiam hac de „ re aliqua ſolemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalis * ſanctorum martyrum, quorum „ illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſ- D „ dem eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, „ de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent. Nec diabolo jam „ animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu „ ſuo animalia occidant: & donatori omnium de „ ſatietate ſua gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia referuntur, ad interiora „ gaudia conſentire facilius valeant. Nam duris „ mentibus ſimul omnia abſcidere, impoſſibile eſſe non dubium eſt. Quia enim * qui ſummum „ locum aſcendere nititur, gradibus vel paſſibus, „ non autem ſaltibus elevatur. Sic Iſraelitico populo in Ægypto Dominus ſe quidem innotuit: „ ſed tamen eis ſacrificiorum uſum, quem dia- E „ bolo ſolebant exhibere, in cultum proprium „ reſervavit, ut eis in ſuo ſacrificio animalia immolare præciperet: quatenus cor mutantes, „ aliud de ſacrificio omitterent, aliud retinerent: „ ut etſi ipſa eſſent animalia quæ offerre conſueverant, vero tamen Deo hæc & non idolis „ immolantes, jam ſacrificia ipſa non eſſent.

CAP. IV. *Ambroſius epiſcopus.*

HIs non diſſimilia de pœnitentum mitiſſima ſuſceptione S. Ambroſius annectit in libro qui inſcriptus eſt pœnitentiæ. „ Qui ſtudet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipſam „ infirmitatem ſuis debet ſuſtinere, & quoquomodo „ penſare humeris, non abjicere. Nam paſtor ille „ evangelicus laſſam ovem vexiſſe legitur, non „ abjeciſſe. Et Salomon ait: *Noli juſtus eſſe ni-* *Eccleſ. 7.* „ *mium*. Debet enim juſtitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum ſe tibi curandum præ- „ beat, quem faſtidio habeas, qui contemptui ſe, „ non compaſſioni medico ſuo putet futurum? „ Ideo Dominus Jeſus compaſſus nobis eſt, ut „ ad ſe revocaret, non deterreret: mitis venit: „ venit humilis, denique ait: *Venite ad me omnes* *Matth. 11.* „ *qui laboratis, & ego reficiam vos*. Reficit ergo „ Dominus Jeſus, non excludit, neque abjicit, „ meritoque tales diſcipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter „ Chriſti diſcipulos non eſſe habendos, qui dura „ pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequenda „ opinantur. Et cum ipſi quærant Domini miſericordiam, aliis eamdem denegant, ut ſunt „ doctores Novatianorum, qui mundos ſe appellant. Quid his ſuperbius? cum ſcriptura dicat, *Job. 14. 4.* „ quia *nemo mundus a peccato, nec unius diei in-* *ſecundum* „ *fans*: & David clamat: *A delicto meo munda* LXX. „ *me*. Et poſt pauca. Nemo poteſt bene agere *Pſal 50.* „ pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam.

CAP. V. *Auguſtinus.*

BEatus docet breviter Auguſtinus, qualiter eis qui præſunt de quibuſcumque hominibus pravis agendum ſit, dicens: „ Non eſt deſperandum „ de malis, ſed pro ipſis ut boni fiant ſtudioſius „ ſupplicandum, quia numerus ſanctorum de nu- „ mero ſemper auctus eſt impiorum. in lib. ſententiarum S. Auguſt. excerptarum a Proſpero

CAP. VI. *De S. Remigio epiſcopo.*

LEgitur & ad locum in libro vitæ B. Remigii Francorum apoſtoli inter cetera quibus refertur converſio Hludouvici regis & populi ejus. „ Ille (quin ſanctus Remigius) gaudio magno „ repletus regem & populum, qualiter diabolo & „ operibus ac pompis ejus abrenunciare, & in „ Deum credere deberent, apertis & brevibus „ verbis inſtruxit: & quia dies ſancti paſchæ imminebat, jejunium ſecundum Chriſtianorum „ conſuetudinem eis indixit.

De S. Vedaſto Epiſcopo.

HInc in B. pontificis Vedaſti vita invenitur, quomodo in via ſub præſentia ejuſdem regis & populi, vir Dei Vedaſtus cæcum illuminaverit, & quemadmodum idem rex ad baptiſmum venerit, & in Remenſi civitate virum Dei Vedaſtum ſancto commendaverit Remigio. „ Rex, „ inquiens, a viro Dei evangelicis adprime imbutus doctrinis, & hinc præſenti miraculo in fide „ firmiter confortatus, nil moratus in via, nil „ dubitans in fide, ſed magna alacritate animi, „ magna feſtinatione itineris, ſanctiſſimum pontificem Remigium videre properavit, ut illius „ ſacratiſſimo miniſterio, Spiritu S. operante, in „ remiſſionem peccatorum, & ſpem vitæ æternæ „ catholici baptiſmatis vivo ablueretur fonte: cum „ quo aliquantis moratus diebus, ut eccleſiaſticis „ ſatisfaceret ſanctionibus, & pœnitentiæ ſecundum apoſtolicum præceptum prius ablueretur lacrymis, dicente B. Petro principe apoſtolorum: „ *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque ve-* „ *ſtrum in nomine Domini noſtri Jeſu*: & ſic in

„ nomine ſanctæ Trinitatis cæleſtis myſterii ba- A
„ ptiſma ſuſciperet.

Cap. VII. *Ex vita S. Baſilii de quodam apoſtata.*

DE quodam apoſtata reperitur in miraculis B. Baſilii Cæſarienſis epiſcopi, qui ſcripto negavit Chriſtum, & diabolo in teſtimonium negationis ſuæ tradidit ſeipſum. Cui idem vir mirabilis Baſilius inter cætera dixit: „ Vis reverti „ ad Dominum Deum noſtrum! Ad quem puer: „ Utique volo, ſed non valeo. Dicit ei, Quare? „ reſpondit puer: Scripto abnegavi Chriſtum, „ & profeſſus ſum diabolo. Dicit ei S. Baſilius: „ Non ſit tibi curæ: benignus eſt enim Deus B „ noſter, & recipiet te pœnitentem. Compatitur „ enim malitiis noſtris. Et quibuſdam interpoſi- „ tis; Dicit ad puerum idem ſanctus: Credis „ ſalvari? Qui ait: Credo Domine, adjuva incredu- „ litatem meam. Et continuo apprehendens ma- „ num ejus, faciens Chriſti ſignum in ipſo, & „ orans, recluſit eum in loco interioris ſacri pe- „ riboli, & dans ei regulam, collaborabat ei per „ tres dies. Et poſt aliquanta. Quadrageſimo „ die ipſe ſanctus ad eum rediit, & dicit ei: „ Quomodo habes, frater? reſpondens, dicit ad „ eum: Bene habeo, ſancte Dei. Vidi enim te „ hodie in viſu pugnantem pro me, & vincen- „ tem diabolum. Et iterum mane facto, voca- „ vit ſacrum clerum, & monaſteria, & omnem C „ Chriſto amabilem populum, & dixit eis: Fi- „ lioli mei dilectiſſimi, omnes gratias agatis Do- „ mino: ecce enim ovem perditam debet paſtor „ bonus in humeris reportare, & offerre eccle- „ ſiæ. Quapropter debitum eſt, & nos vigiliam „ facere nocte, ac poſtulare ejus benignitatem, „ ut non vincat corruptor animarum etiam in „ hoc facto. Et alacriter populo coaggerato per „ omnem noctem poſtulaverunt Deum cum bo- „ no paſtore cum lacrymis, clamantes pro eo, „ Kyrie eleiſon; & mature cum omni multitu- „ dine populi accepit ſanctus puerum, & tenens „ dexteram manum ejus, ducebat illum in ſan- „ ctam eccleſiam Dei cum pſalmis & hymnis. Et „ ecce diabolus oculos omnium faſcinans in tri- D „ ſtem vitam cum omni pernicioſa virtute adve- „ nit, & inviſibiliter apprehendens puerum, co- „ nabatur rapere eum de manu ſancti, & cœpit „ clamare puer: Sancte Dei adjuva me: & rur- „ ſus converſus ſanctus ad diabolum, dixit: Im- „ probiſſime, & animarum corruptor, pater te- „ nebrarum & perditionis, non ſufficit tibi tua „ perditio, qua te, & eos qui ſub te ſunt, af- „ feciſti, niſi etiam & Dei mei tentes plaſma? „ Et perpaucis interpoſitis; Sanctus Dei ait ad „ diabolum: Increpat te Dominus, diabole. Qui „ reſpondens, ait ad eum: Baſili, præjudicas me, „ non abii ego ad eum, ſed ipſe venit ad me. „ Abnegavit Chriſtum, & profeſſus eſt mihi. Et „ ecce manuſcriptum habeo, & in die judicii ad E „ communem judicem eum duco. Sanctus Dei „ dixit: Benedictus Dominus Deus meus. Non „ deflectet populus iſte manus de altitudine cæ- „ li, donec reddas manuſcriptum. Et convertens „ ſe, dixit populo: Erigite manus veſtras in cæ- „ lum, clamantes cum lacrymis; Chriſte Kyrie „ eleiſon. Et ſtante populo in horam multam „ extenſas habente manus in cælum, ecce ma- „ nuſcripta pueri per aerem delata, & ab omni- „ bus viſa venit: & impoſita eſt manibus memo- „ rabilis noſtri patris, & paſtoris. Suſcipiens au- „ tem eam, & gratias agens Deo, gaviſus ſa- „ ctus eſt valde, & coram omni populo dixit ad „ puerum: Cognoſcis literulas has, frater? Qui „ ait ad eum: Etiam ſancte Dei, manuſcripta „ mea eſt. Et diſrumpens manuſcriptum ſanctus „ Baſilius, perduxit eum ad eccleſiam. Et di- „ gnum fecit ſancto miniſterio, & communione „ myſteriorum, & munerum Chriſti.

Cap. VIII. *De ſancto Laurentio.*

INter alia ſcriptum habetur in paſſione B. Laurentii archilevitæ & martyris Chriſti. „ Erat „ homo in carcerali cuſtodia multo jam tempore „ gentilis, qui plorando amiſſis oculis cæcus fa- „ ctus fuerat. Dixit ad eum B. Laurentius: Si „ credis in filium Dei Dominum Jeſum Chri- „ ſtum, baptizare, & illuminabit te. Et conti- „ nuo poſt ipſius confeſſionem baptizato, aperti „ ſunt oculi ejus, & cœpit clamare, dicens: Be- „ nedictus Dominus Deus æternus, qui me illu- „ minavit per beatum Laurentium, quia ſemper „ fui cæcus, & modo video. Poſthæc & beatum „ Hippolytum more ſolito catechizavit, & acce- „ pta aqua, benedixit & baptizavit illum. De- „ inde ſimili modo militem baptizavit Roma- „ num: qui & baptizatus, mox martyrio coro- „ natus eſt.

Cap. IX. *De ſancto Sebaſtiano.*

SCriptum eſt & in paſſione ſancti Sebaſtiani ad locum. „ Cum omnes qui ad decipiendos ſan- „ ctos (quin Marcum & Marcellinum) venerant, „ unanimiter crederent Chriſtum: Nicoſtratus „ cum conjuge ſua urgebat, dicens: Non capiam „ cibum, neque potum, niſi myſterium mihi „ Chriſtianæ religionis fuerit traditum: Cui ſan- „ ctus Sebaſtianus dixit: Muta dignitatem tuam, „ & incipe eſſe Chriſti magis primiſcrinius, quam „ præfecti. Audi itaque conſilium meum, & om- „ nes quos carcer incluſit, quos vincula tenent, „ quos ergaſtula conficiunt, in unum redige. „ Quod cum feceris, antiſtitem ſacroſanctæ legis „ adhibeam, ut cum omnibus qui credere volue- „ rint, myſterii ſuſcipias ſacramentum. Si enim „ diabolus Chriſto ſanctos ejus auferre conatus „ eſt, & conatur: quanto magis nos pietatis ar- „ gumento, hos quos diabolus injuſte lucratus eſt, „ curare debemus, & ſuo reſtituere creatori? Et „ Nicoſtratus ad hæc reſpondit, dicens: Quomo- „ do iniquis & criminoſis poſſunt ſancta commit- „ ti? Sanctus Sebaſtianus ait: Salvator noſter pro „ peccatoribus ſuam nobis dignatus eſt exhibere „ præſentiam, & oſtendit myſterium, per quod „ omnia peccata, & crimina omnia hominibus „ auferantur, & omnes virtutes Domini confe- „ rantur. Et poſt multa. Sanctus Sebaſtianus abiit „ ad Polycarpum ſanctum presbyterum, ubi erat „ cauſa perſecutionis occultus, & narravit ei om- „ nia quæ geſta ſunt. Quibus auditis Polycarpus „ gratias egit Deo, & una cum eo venit ad do- „ mum Nicoſtrati; & videns turbas credentium, „ ſalutans eos cum omni gaudio, ait: Beati vos „ omnes qui audiſtis vocem Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, dicentis: *Venite ad me omnes qui labo-* M „ *ratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere fa-* „ *ciam. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite* „ *a me, quia mitis ſum & humilis corde, & inve-* „ *nietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum* „ *ſuave eſt, & onus meum leve.* Vos itaque, fra- „ tres noſtri, quos baptiſmatis unda diluit, & „ conſecrando Deo omnipotenti cariſſimos filios „ fecit, pro hoc quod a propoſito ſuo ſancto re-

vo-

„ vocare conati estis beatissimos milites Christi ,A
„ opus erat vobis pœnitentia, ut per ipsam ad
„ indulgentiam veniretis. Nunc autem quia ad
„ tantam gloriam accessistis, ut etiam ad passio-
„ nem, a qua dolenter alios revocare voluistis ,
„ ad ipsam desideretis gratanter velle currere &
„ libenter. Vetus hoc Christi artificium est. Nam
„ ipsum quem vas electionis suæ esse dignatus est,
„ & voluit magistrum Gentium dare, qui non so-
„ lum fidelium animos a pietatis proposito revo-
„ cabat, sed etiam nolentes a Christo discedere
„ lapidibus obruebat: hunc nobis ipse Dominus
„ apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Sau-
„ lo Paulum, ex apostata fecit apostolum, & de-
„ dit ecclesiæ ex persecutore rectorem: amator
„ passionis factus est, qui persecutionis auctor B
„ extiterat; & qui alienis afflictionibus prius gra-
„ tulabatur, in suis postmodum persecutionibus
„ lætabatur. Ipse qui tunc in apostolo suo virtu-
„ tem istam exercuit, ipse nunc de ipso infero-
„ rum conclavi, & ex ipsis draconum faucibus ,
„ animarum vestrarum captivitatem eripuit: & vo-
„ bis nunc a tenebris ad lucem remeantibus æter-
„ næ vitæ januas patefecit. Quia ergo omnes dæ-
„ mones, qui sunt tenebrarum filii, contristan-
„ tur; & omnes sancti angeli, qui sunt filii lu-
„ minis, gratulantur: accedat unusquisque, &
„ det nomen suum, ut hodierno die usque ad
„ vesperum perducente jejunio, festivum baptis-
„ matis sacramentum opportunum tempus inve-
„ niat. Et iterum. Omnis familia quæ erat in C
„ domo Nicostrati, animæ XXXIII. promiscui se-
„ xus & ætatis: dehinc omnes qui vincti, ac de
„ carceris squalore adducti, animæ XVI. omnes
„ isti XLIX. a sancto Polycarpo presbytero bapti-
„ zati, & a sancto Sebastiano suscepti sunt.

Cap. X. *Verba domni Bedæ.*

„ Juxta salutiferam, & firmissimam fidei catho-
„ licæ doctrinam, in toto terrarum orbe una-
„ nimiter ac fideliter ab omnibus observandam:
„ quod de carnali, hoc etiam de spiritali est ge-
„ neratione sentiendum: nequaquam videlicet eam,
„ post quam semel expleta fuerit, posse repeti. Si-
„ ve enim hæreticus, sive schismaticus, sive faci- D
„ noroſus quisque in confessione sanctæ Trinita-
„ tis baptizat: non valet ille qui ita baptizatus
„ est, a bonis catholicis rebaptizari, ne confes-
„ sio, vel exhibitio tanti nominis videatur an-
„ nullari.

Cap. XI. *Leo Papa.*

De his quibus dubium est utrum baptismum perceperint, necesse est ut renascantur ex decretis papæ Leonis. „ Si nulla extant inter pro-
„ pinquos, aut sæculares indicia, nulla inter cle-
„ ricos aut vicinos, quibus hi de quibus quæri-
„ tur, baptizati fuisse doceantur, agendum est,
„ ut renascantur, ne manifeste pereant, in qui- E
„ bus quod non ostenditur gestum, ratio non si-
„ nit, ut videatur iteratum. Qui autem possunt
„ meminisse quod ad ecclesiam veniebant cum pa-
„ rentibus suis, possunt recordari, an quod ab eo-
„ rum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc
„ etiam ab eorum memoria alienum est, confe-
„ rendum eis videtur, quod collatum esse nesci-
„ tur: quia non temeritas intervenit præsumptio-
„ nis, ubi est diligentia pietatis.

Cap. XII. *Item Leo.*

Epist. ad Nicetam.

CAptivis cibos immolatitios necessitate comedentibus pœnitentia concedenda ex decretis ejusdem papæ Leonis. „ De his Christianis, qui
„ inter eos a quibus fuerant captivati, immola-
„ titiis cibis asseruntur esse polluti: consultationi
„ caritatis tuæ hoc etiam respondendum esse cre-
„ dimus, ut pœnitentiæ satisfactione purgentur,
„ quæ non tam temporis longitudine, quam cor-
„ dis compunctione pensanda est. Et sive hoc
„ terror extorserit, sive fames suaserit, non du-
„ bitetur abolendum: cum hujusmodi cibus pro
„ metu, aut indigentia, non pro religionis vene-
„ ratione sit sumptus.

Cap. XIII. *Ex concilio Nicæno.*

Can. 11.

DE laicis qui Deum negaverunt, & de his qui abrenunciaverunt, & iterum ad sæculum sunt reversi: ex concilio Nicæno. „ De his qui præ-
„ ter necessitatem prævaricati sunt, aut præter
„ oblationem facultatum, aut præter periculum,
„ vel aliquid hujusmodi quod factum est sub ty-
„ rannide Licinii: placuit synodo, quamvis hu-
„ manitate probentur indigni, tamen eis benevo-
„ lentiam commodari. Quicumque ergo veracem
„ pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter
„ audientes habeantur, & sex annis omni se con-
„ tritione dejiciant, duobus autem annis sine
„ oblatione populo in oratione communicent.

Cap. XIV. *Ex concilio Carthaginensi.*

Sub Grato cap. 2.

GRatus episcopus dixit: „ Si vobis placet consi-
„ deremus primum titulum rebaptizationis.
„ Unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis
„ vestræ placita producatis, ad descendentem in
„ aquam, & interrogatum in Trinitate secundum
„ evangelii fidem & apostolorum doctrinam, &
„ confessum bonam conscientiam in Deum de re-
„ surrectione Jesu Christi: si liceat iterum inter-
„ rogari in eadem fide & in aquam iterum tin-
„ gi. Universi episcopi dixerunt: absit, absit: illicitas
„ esse sancimus rebaptizationes, & satis est alie-
„ num a sincera fide & catholica disciplina.

Cap. XV. *Ex concilio Ancyrano.*

Can 9.

DE his qui timore, ritus gentilium perege-
runt. „ Quotquot ascenderunt templa cum
„ veste lugubri, & recumbentes inter alios man-
„ ducaverunt, flentes, si compleverint pœniten-
„ tiam triennii tempus, sine oblatione suscipian-
„ tur ad communionem, id est, ut ipsi oblatio-
„ nem non offerant. Si autem perducti ad tem-
„ pla non manducaverunt, biennium maneant in
„ pœnitentia: tertio vero anno communicent,
„ sed sine oblatione ut dictum est: ut quarto jam
„ anno perfectionem suam percipiant. Episcopum
„ autem hinc habere licentiam oportet, ut pro
„ his peccata singulorum consideret, & prout
„ viderit conversationem, normam regulamque
„ conversionis adtribuat: id est, ut humanius
„ agens, secundum vitæ modum, tempus alicui
„ breviare, aut etiam prolixius quod correctioni
„ necessarium viderit addere. Discutiatur autem
„ omnium horum & præcedens vita, & poste-
„ rior. Et ita circa eos sacerdotalis humanitas
„ moderetur.

A

Cap. XVI. *Ex eodem.*

Can. 6 De his qui frequenter idolis immolaverunt: ex concilio Ancyrano. „ De his qui festis diebus „ paganorum, in remotis eorum locis conviviis „ interfuerunt, & suas nihilominus epulas ibidem „ portaverunt, atque comederunt. Placuit ut post „ biennii pœnitentiam suscipiantur: ita tamen, „ utrum aut cum oblatione recipiendi sint, an „ ad solam communionem admitti debeant, unus- „ quisque episcoporum examinet vitam eorum, „ & præterita ac præsentia habita consideratione „ perpendat.

Cap. XVII. *Ex eodem.*

B

Can. 7. De his qui coacti idolis immolaverunt: ex eodem concilio. „ Hi qui secundo, aut ter- „tio sacrificaverunt vi coacti, quatuor annis se- „ se ad pœnitentiam summittant: duobus autem „ aliis sine oblatione communicent, septimo an- „ no perfectionem recepturi communionis.

Caput XVIII.

Leo Papa.

Epist. ad Rusticum. De his qui convivio gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, ex decretis papæ Leonis. „ Si „ convivio solo gentilium, & escis immolatitiis C „ usi sunt, possunt jejuniis & manus impositione „ purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, „ sacramentorum Christi possint esse participes. Si „ autem idola adoraverunt, aut homicidiis vel for- „ nicationibus contaminati sunt, ad communio- „ nem eos nisi per pœnitentiam publicam non „ oportet admitti.

Cap. XIX. *Item Leo Papa.*

Ibid. QUod hi qui ad iterationem baptismi, vel vi, vel timore coacti, animas inclinarunt, pœ- nitentiæ sunt sublevandi remedio. Leo papa ad Rusticum Narbonensem episcopum. „ Hi de qui- D „ bus dilectio tua nos credidit consulendos, qui „ ad iterandum baptismum, vel metu coacti, vel „ errore traducti sunt, & nunc se contra catholicæ „ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea est con- „ stituenda moderatio, qua in societatem nostram „ nonnisi per pœnitentiæ remedium, & per impo- „ sitionem episcopalis manus communionis recipiant „ unitatem. Tempora pœnitudinis solita modera- „ tione, tuo constituenda judicio, prout conversio- „ rum animos inspexeris esse devotos, pariter etiam „ habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum „ quorumque, aut ægritudinem respicientes neces- „ sitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur, ut „ dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, „ oportet ei per sacerdotalem solicitudinem com- E „ munionis gratia subveniri.

Cap. XX. *Ex actibus apostolorum.*

Cap. 15. LEgitur in actibus apostolorum, quod quidam descendentes de Judæa docerent fratres oportere circumcidi, & servari legem Moysi. Apostoli tamen, & seniores cum omni ecclesia, jusserint, nihil oneris ultra imponentes eis, ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione.

Cap. XXI. *Ex concilio Africano.*

UT cum Donatistis, qui ab omnibus catholi- *Can.* cis sicut ab universo terrarum orbe erant damnati, lenius ageretur: ex conclio Africano. „ Pertractatis, & consideratis omnibus quæ uti- „ litati ecclesiæ convenire videbantur, annuente „ atque administrante Spiritu Dei, elegimus cum „ memoratis hominibus, quamvis de dominici „ corporis unitate, inquieta dissensione, præcisis, „ leniter & pacifice agere; ut quantum in nobis „ est, omnibus, qui eorum communione, & so- „ cietate irretiti sunt, per universas provincias „ Africanas penitus innotescat, quam miserabili B „ errore devincti sunt. Nisi forte, sicut dicit apo- „ stolus, nobis in mansuetudine corripientibus „ diversa sentientes, det illis Deus pœnitentiam „ ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de *2. Tim.* „ diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsius vo- „ luntatem.

Caput XXII.

Ex Cælestino papa.

QUod nulli sit ultima pœnitentia denegan- da, ex epistola papæ Cælestini ad episcopos Galliarum. „ Agnovimus, pœnitentiam morienti- „ bus denegari, nec illorum desideriis annui qui „ obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt C „ remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ „ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate „ desperet, quasi non possit ad se quovis tem- „ pore concurrenti succurrere, & periclitantem „ sub onere peccatorum hominem redimere, quo „ se ille expediri desiderat, & liberari. Quid hoc, „ rogo, aliud est, quam morienti mortem adde- „ re, ejusque animam sua crudelitate, ne abso- „ luta esse possit, occidere? cum Deus ad sub- „ veniendum paratissimus, invitans ad pœniten- „ tiam, sic promittat. Peccator, inquit, quacum- „ que die conversus fuerit, peccata ejus non re- „ putabuntur: & iterum: Nolo mortem peccato- „ ris, sed tantum ut convertatur, & vivat. Sa- D „ lutem ergo homini adimit, quisquis ei mortis „ tempore pœnitentiam denegavit: & desperavit „ de clementia Dei, qui eum ad subveniendum „ morienti succurrere vel in momento posse, non „ credidit. Perdidisset & latro in cruce præmium „ ad Christi dexteram pendens, si illum unius „ horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in „ pœna pœnituit, & per unius sermonis confes- „ sionem, habitaculum paradisi Deo promittente „ promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ul- „ timis positorum, mente potius est æstimanda „ quam tempore, propheta hoc taliter asserente: „ Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, „ Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quo- „ vis tempore non est deneganda pœnitentia po- „ stulanti, cum illi se obliget judici, cui occulta E „ omnia noverit revelari.

Cap. XXIII. *Ex pœnitentiali Bedæ.*

IN libello qui superscriptus est, Pœnitentialis Be- dæ presbyteri venerabilis. „ Solerter admone- „ mus doctum quemque sacerdotem Christi, ut „ in universis, quæ hic adnotata repererit, se- „ xum, ætatem, conditionem, statum, perso- „ nam, ipsumque cor pœnitentis curiose discernat: „ & secundum hæc quid sibi visum fuerit singula „ quæque judicet. Quibusdam namque a cibis absti- „ nendo, aliis eleemosynas dando, nonnullis flecten-

do

„ do sæpius genua, huic in cruce stando, aut aliud
„ aliquid hujusmodi quod ad purgationem pec-
„ catorum pertineat faciendo: plurimis universa
„ hæc agenda sunt. Necesse est errata corrige-
„ re, quæ universa in examine discreti debent
„ pendere judicis.

Semper in Christo felici successu præpolleat, & omnibus in bonis vigeat, reverenda & percolenda germanitas vestra, memor nostri in orationibus suis, & universæ ecclesiæ.

EPISTOLA II. JOANNIS PAPÆ IX.

AD STYLLIANUM EPISCOPUM NEOCÆSAREENSEM.

Negat illi veniam quam petiverat communicandi cum illis, quos Photius ordinaverat.

EAs quas par est dilectioni tuæ gratias agimus, honorande frater, quod nunquam a matre tua sancta catholica & apostolica ecclesia Romana declinare voluisti. Neque enim tormenta ulla, neque exilia, neque fraudes adulterorum hominum, a matre tua te divellere potuerunt. Spero tamen, tuarum precum favorem, duritiem cordis eorum, qui salvari debent, leniendam, & optatam pacem redituram: quod apertis argumentis futurum apparet, & schisma quadraginta fere annorum ad priorem sanitatem reversurum. Quæ enim tua mater reprobavit, tu etiam hucusque reprobasti, & quæ illa approbavit, etiam tu approbasti. Volumus igitur, ut etiam nunc secundum eamdem regulam decreta sanctissimorum pontificum prædecessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter Ignatium, & Photium, & Stephanum, & Antonium, sicut sanctissimus papa Nicolaus, & Joannes, & sextus Stephanus, & universa Romana ecclesia hucusque qui tenuit, etiam nos eodem ordine illos recipimus & teneamus, * & illis qui supersunt ex eorum ordine, eodem pacto nobiscum manus præbeas hortamur: & pacis & communionis illis concedimus unitatem, dum ipsi eodem pacto regulas servaverint. Tuum vero chirographum, quod nobis fecisti, quamvis multum quæsierimus, invenire tamen minime potuimus.

* ut H.

EPISTOLA III. JOANNIS PAPÆ IX.

AD CLERUM ET POPULUM LINGONENSEM.

Argrinum episcopum iis restituit.

Joannes episcopus servus servorum Dei, clero & populo sacræ Lingonensis ecclesiæ, dilectis filiis.

TAntam, a Domino hujus sanctæ sedis & apostolicæ ecclesiæ fundatore, & beato Petro apostolorum principe accepimus fiduciam, ut pro universali Christi sanguine redempta ecclesia, impigro laboremus affectu, & omnibus Domino famulantibus succurramus; & cunctis pie viventibus apostolica auctoritate opem feramus; & quidquid nocivum est, auxiliante Domino corrigere & emendare non differamus. Ad hoc enim divinæ dispensationis provisio, gradus, & diversos constituit ordines esse distinctos: ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem & adjutorium impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Literis sane dilectionis vestræ, quas ad beati apostoli Petri sedem, pro vestri causa negotii, non solum semel, sed & bis, & ter misistis, libenter suscepimus, una cum dilecti filii nostri Berengarii regis apicibus: sed de vestris afflictionibus & incommoditatibus, quas vos tanto tempore perpessos lacrymabiliter conquesti estis, non modice contristati sumus: scilicet, quod ecclesia vestra multis attrita calamitatibus, omni pastorali sit destituta solatio, ex quo Argrinus venerabilis episcopus ab ipsa per subreptionem quorumdam recessit ecclesia: quem omnes concorditer vos elegisse, excepisse, & acclamasse testificamini: nullumque post ipsum alium sponte recepisse episcopum, sicut libello vestræ reclamationis plenius continetur. Jam enim olim per Anscharium comitem dilectum filium nostrum hoc ipsum cognoveramus, qui se in hoc facto graviter erasse humiliter confessus est. Nos ergo qui omnium ecclesiarum Dei curam & sollicitudinem gerimus, & omnibus ecclesiis jus intemeratum, canonicamque auctoritatem irrefragabiliter observare volumus, & debemus: nequaquam vos diutius talia pati permittimus, sed compatientes vestræ fraternitati, & vestram lacrymosam querimoniam veridicis assertionibus cum collegio fratrum nostrorum episcoporum, reliquorum ordinum officio approbantes, præfatum confratrem nostrum Argrinum venerabilem episcopum, vobis canonice restituimus, suæque ecclesiæ reformandæ intromittimus: non sententiam predecessoris nostri Stephani papæ reprehendentes, sed utilitatis ac necessitatis causa, canonice in melius commutantes, quemadmodum prædecessores nostros de multis egisse, in promptu habemus. Hujus rei gratia monemus vos, & his pontificatus nostri literis hortamur, atque auctoritate Dei & nostra præcipimus, ut eumdem Argrinum episcopum, quem unanimitati vestræ, ut petiistis, reddidimus, benigno amore concordique devotione absque ulla cunctatione recipiatis, & obedientes in omnibus existentes, tanquam animarum vestrarum pium pastorem, honorabiliter teneatis atque colatis, canonica illius jussa in cunctis observantes. Quod si aliquis vestrum contra hoc nostrum apostolicum judicium atque statutum agere, aut sine ipsius Argrini episcopi consensu, in ecclesia sua Lingonensi ministrare præsumpserit, & eum juxta nostrum decretum recipere noluerit, sciat se nostra auctoritate excommunicatum atque damnatum. Bene valete.

Scriptum per manum Samuel notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Majo. Indictione 11.

EPISTOLA IV. JOANNIS PAPÆ

AD CAROLUM SIMPLICEM REGEM FRANCORUM.

Hortatur ut Argrini Lingonensis episcopi restitutioni faveat.

Joannes episcopus servus servorum Dei dilectissimo filio Karolo glorioso regi.

QUia te, dilectissime fili, more regum prædecessorum tuorum pro defensione & utilitate sanctæ Dei ecclesiæ, contra pravorum hominum & etiam paganorum rabiem, viriliter agere relatu multorum cognoscimus: omnimodis congaudemus, & venerabiliter tuam in Christo amplectimur filiationem: & ut in melius semper proficere satagas, pacem, justitiam, & veritatem diligas, a recto etiam tramite nullo modo devies, paterne hortamur: quatenus benedictionem

nem a clementissimo Domino nostro Jesu Christo, ut & ab ejus apostolorum principe ac clavigero Petro consequaris, pro cujus amore talia agere satagis. Denique notum esse volumus tuæ filiationi, Lingonensis ecclesiæ gemitum lacrymabilemque querimoniam, non solum semel, sed & bis, & ter ad aures clementiæ nostræ perveniſſe, pro pastoris sui Argrini episcopi sequestratione, quem omnes unanimiter elegisse, expetisse, & conclamasse se testantur, sed pro quorumdam subreptione ab eis eum separatum fuisse: qua de re ipsa ecclesia pastorali destituta sit solatio, variisque incessanter perturbationibus & incommoditatibus agitetur, adeo ut pene jam ad nihilum deducta videatur. Quam causam cum collegio venerabilium episcoporum nostrorum diligenti examinatione perpendentes, & rei veritatem perscrutantes, eorumque infelicitati misericorditer subvenientes, canonice definivimus, quatenus ei sua nostra auctoritate redderetur ecclesia: sententiam prædecessoris nostri Stephani papæ causa necessitatis & utilitatis in melius commutantes, sicut prædecessores nostros de multis egisse in promptu habemus. Unde prævidimus, & gloriam ac religiositatem tuam monemus, ut, quia canonice illum prædictæ suæ ecclesiæ Lingonensi restituimus, ei manum auxilii semper porrigas, nostræque institutioni consentias, & ubicumque expedit, adjutor ei ac defensor pro amore omnipotentis Dei, & reverentia beatorum apostolorum, nostraque apostolica paternitate, existas: quatenus sub tuo regali munimine pacifice eamdem regere digne valeat ecclesiam, ut quibus debet præesse, valeat & prodesse. Bene vale.

Scriptum per manum Samuel notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, v. Id. Maii, indict. 11.

EPISTOLA HATTONIS MOGUNTIN. archiepiscopi, ejusque suffraganeorum ad Joannem IX. papam.

De morte Arnulphi imper. de Ludovico ejus filio septenni, rege Germaniæ salutato: de archiepiscopatu apud Moravos erecto.

Domno sanctæ & apostolicæ & universalis Romanæ ecclesiæ papæ, Hattho indignus præsul Mogunti-nensis ecclesiæ, cum universis suffraganeis nostræ exiguitati adjunctis, debitum orationis obsequium, & fidelem servitutem.

NOverit igitur sublimitas vestræ sanctitatis, quod nulla fratrum unanimitas sanctæ Romanæ ecclesiæ potestati subjecta, fidelior atque devotior ac subjectior apparet, quam nos, qui vestræ dominationi & capiti omnium ecclesiarum omni mentis intentione subjicimur, plurimum gaudentes in Domino & in dono gratiæ ipsius, quod per vestram sanctitatem & sapientiam magnifice & amplissime sedes ejusdem ecclesiæ dilatatur in religione divina: & in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes divinam clementiam, ut ad altiora semper conscendere vos, & de die in diem meliora sectari, atque perficere concedat. De cætero vestræ clementiæ innotescimus, seniorem nostrum Arnulphum imperatorem de hujus vitæ exilio migrasse. Sed quamdiu in hoc mundo subsistimus per incerta ferimur, nescientes ubi quorumdam animæ post hanc lucem mansionem recipiant: vestris quasi provoluti vestigiis subnixe poscimus, ut animam ipsius vestræ auctoritatis potestate a vinculis peccatorum absolvatis, quia *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cælo*. Tali vero domino, rectore, & gubernatore amisso, in nostris partibus vacillavit navis ecclesiæ. Quem regem eligeret parvo tempore insciа mansit: & quia timor magnus aderat, ne solidum regnum in partes se scinderet, divino, ut credimus, instinctu factum est, ut filius senioris nostri quamvis parvissimus, communi consilio principum, & totius populi consensu in regem elevaretur. Et quia reges Francorum semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem servare, quam nova institutione insidere. Sed cur hoc fine vestra jussione & permissione factum sit, vestram haud dubitamus latere prudentiam. Nulla scilicet alia causa actum constat, nisi quia paganis inter nos & vos consistentibus, impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam sedem: ita ut nec legati a nostra parvitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio & tempus advenit, quo nostra epistola vestris obtutibus præsentaretur: rogamus, nostram communem constitutionem, vestræ dominationis benedictione roborari. Insuper etiam pietati vestræ intimamus, quod fratres, & coepiscopi nostri Bavvarienses se apud nos conquerentes, & alta suspiria trahentes gemebant, qualiter Maravensis populi Francorum potestati rebelles, jactent se ab illorum consortio esse divisos, & seorsum metropolitano gloriantur a vestra concessione esse sublimatos, cum nunquam metropolitana sedes inter illos haberetur, sed semper illorum provinciæ & diœcesi cohærerent. Dolebant se etiam apud nos, quod quorumdam machinatione, magna infamia circa vestram celsitudinem essent denotati, scilicet, ut cum paganis fœdus & pacem inirent, & ipsi pagani consilio eorum ager nt tam multa nefaria & illicita. De his omnibus consilium a nobis quærentibus Bavvarienſibus episcopis, justum respondimus esse fratrum solatio semper adhærere: quia propheta inquit; *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. Illi vero non in unum habitant, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant. Nos illorum tristitiæ compatientes, nolumus illi consilium de talibus objectionibus præbere, priusquam ad vestram interrogationem per epistolam nostram veniremus. Semper nos scimus, carnales spiritales solere persequi, & malevolos benevolos infirmare & lacerare. Prævidere ergo summopere debent, omnes qui sacerdotes Domini persequuntur tam occulte quam manifeste, ne ad illos pertineat quod propheta dixit: *Cogitaverunt malitias in corde suo, tota die constituebant prælia, exacuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum*. Et paulo post: *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos*. Et iterum: *Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu*. Et per Jeremiam inquit Dominus: *Omnes in sanguine judicantur, unusquisque proximum suum tribulat. Omnes in malum manus suas præparant*. Non debent enim alieni, episcoporum aut accusatores, aut judices fieri. Unde de Loth est scriptum: *Ingressus es, ut advena, numquid ut judices?* Accusator autem episcoporum nullus sit servus, aut libertus, nullaque persona suspecta, aut infamis, repellantur inimici, & omnes laici. Isti fratres & coepiscopi nostri Bavvarienses, veraces Dei cultores, & boni pastores, pervigili custodia custodiunt gregem sibi commissum, ne lupi rabies aliquam sancti gregis oviculam rapiat in prædam suam. Stant pro muro domus Israel, ne aliqua vis inimica firmamentum ecclesiæ dissolvat. Qui tales inquietat, & sua malitia impugnat, licet præsentem, futuram tamen non evadet pœnam, quia

Matth. 16.

Psal. 1.

Psal. 13.

Gen. 19.

quia ſcriptum eſt: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Hæc autem omnia perſcripta vobis ideo dirigimus, qui eſtis caput totius ſanctæ eccleſiæ, quæcumque per orbem diffunditur, & ſolamen mœrentium, quæcumque triſtia vobis contigerunt membris veſtris: quia ſanctiſſimi paſtores Chriſti ſuperius dicti in nulla re a catholica fide deviantes, ſed eamdem ſanctis operibus, & eccleſiaſticis officiis ornantes, apud nos conquerentes poſtulaverunt, ut veſtræ notitiæ manifeſta faceremus, quia & illi per ſeipſos vobis eadem innoteſcere vita comite promittebant. Unde poſcimus, ut veſtra conſolatio illorum mœrorem ad lætitiam reformet, & ſemper talia membra ſummo capiti, quod eſtis vos, ſe gaudeant adhærere. Illi autem Maravenſes, ut noſtris auribus illatum eſt, in occaſionem ſuperbiæ ſuæ aſſumunt, quia a veſtra conceſſione dicunt ſe metropolitanum ſuſcipere, & ſingulariter degentes aliorum epiſcoporum conſortia refutant. Si hac confidentia diutius inflantur, uſque ad ſanguinis effuſionem, ut multi arbitrantur, proſilient. In quantum præfuimus, admonemus, quatenus veſtra auctoritas, priuſquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat: ut tandem cognoſcant, cui dominatui ſubjici debeant. Nos ſiquidem debitores eſſe cognoſcimus, ſi quid a ſanctæ matris Romanæ eccleſiæ ſcilicet contigerit elabi, vos inde certificari, ut veſtra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod ſi veſtra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum principibus colla ſubmittent, & credimus abſque effuſione ſanguinis, & mutua cæde ex utraque parte, tunc poſſe bene contingere. Iterum iterumque veſtræ dignitatis auribus replicamus, quod tam epiſcopi quam laici Bavvarienſes, in religione Chriſtianitatis nulla gente inferiores eſſe probantur, neque unquam Franci abſque illorum auxilio, aut in eccleſiaſticis rebus, vel in bellicis negotiis nominatim, vel fama, dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi abſque iſtis.

A pleniſſime inſtruimur in omnibus noſtro miniſterio ſacerdotali obſtantibus & adverſantibus Romanum appellare pontificem: ut quod ad unitatem concordiæ, & ad cuſtodiam pertinet diſciplinæ, nulla diſſenſione violetur, ſed ab ipſo ſumma proviſione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa ſancta & apoſtolica ſede, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, & origo Chriſtianæ religionis, profluxerit quippiam perverſitatis, ſed doctrina, & auctoritas eccleſiaſticæ rationis. Sed venerunt, ut ipſi promulgaverunt, de latere veſtro tres epiſcopi, videlicet Joannes archiepiſcopus, Benedictus & Daniel epiſcopi in terram Schlavorum, qui Maraci dicuntur, quæ regibus B noſtris, & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ religionis, quam in tributo ſubſtantiæ ſæcularis, quia exinde primum imbuti, & ex paganis Chriſtiani ſunt facti. Et idcirco Patavienſis epiſcopus civitatis, in cujus diœceſi ſunt illius tempore populi ab exordio Chriſtianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obſtante intravit, & ſynodalem cum ſuis, & etiam ibi inventis, conventum frequentavit, & omnia quæ agenda ſunt potenter egit, & nullus ei in faciem reſtitit. Etiam & noſtri comites illi terræ confines placita ſæcularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda ſunt, correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis reſtiterunt; uſque dum inC ceſſente corda eorum diabolo Chriſtianitatem abhorrere, & omnem juſtitiam detrectare, belloque laceſſere, & obſiſtere ſæviſſime cœperunt, adeo ut via epiſcopo & prædicatoribus illo non eſſet, ſed libitu ſuo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero quod grave nobis videtur, & incredibile, in augmentum injuriæ jactitant ſe magnitudine pecuniæ id egiſſe, qualia de illa apoſtolica ſede nunquam audivimus exiſſe, neque canonum decreta ſanxiſſe, ut tantum ſchiſma una pateretur eccleſia. Eſt enim unus epiſcopatus in quinque diviſus. Intrantes enim prædicti epiſcopi in nomine veſtro, ut ipſi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque epiſcopatu, unum archiepiſcopum (ſi tamen in alterius epiſcopatu * archiepiſcopum * *al.* archiepiſcopus. H.
D eſſe poteſt) & tres ſuffraganeos ejus epiſcopos, abſque ſcientia archiepiſcopi, & conſenſu epiſcopi, in cujus fuerunt diœceſi. Cum in concilio Africano cap. xx. decretum ſit, ut plebes, quæ in diœceſibus ab epiſcopis retinentur, quæ nunquam epiſcopos habuerunt, nonniſi cum voluntate ejus epiſcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, vel * epiſcopos. Et item in eo- * id eſt
dem concilio cap. LXV. ut plebes, quæ nunquam * *al.* & H.
habuerunt proprios epiſcopos, niſi ex concilio plenario uniuſcujuſque provinciæ, & primatis, atque conſenſu ejus ad cujus diœceſin eadem plebs pertinebat, epiſcopos minime accipiant. In decretis papæ Leonis capite XV. ſcriptum eſt: Nulla ratio finit, ut inter epiſcopos habeantur, qui
E a provincialibus epiſcopis, cum metropolitani judicio non conſecrantur. Item, capite XLIX. Si indignis quibuſque, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium, & gubernatio eccleſiæ detur: non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Et in eodem capite poſt pauca: Difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio. Et in decreto papæ Cæleſtini anteceſſoris veſtri, capite XVII. continetur, ne alicui locus concedatur ſacerdoti in alterius injuriam. Anteceſſor veſter, Zuentibaldo duce impetrante, Vvichingum conſecravit epiſcopum,

Observatio Gabr. Cossartii S. J.

Arnulphus imperator, cujus hic obitus nunciatur, mortuus eſt 20. Novembris, anno 899. Stephano VI. pontifice. Non tamen ad eum, ſed ad ejus ſucceſſorem Ioannem hæc ſcripta eſt epiſtola, quod facile intelligitur ex querela de Moravorum archiepiſcopatu, quem a Joanne inſtitutum eſſe ſequens epiſtola declarat. Cur autem tam ſero ſcribant hi epiſcopi, cauſam his ipſis in literis afferunt.

EPISTOLA THEOTMARI

Juvanensis ecclesiæ archiepiscopi & aliorum episcoporum, ad Joannem IX.

Queruntur unum archiepiſcopum, & epiſcopos tres, in Schlavorum terris, prius Patavienſi epiſcopo ſubjectis, creatos eſſe.

SUmmo pontifici, & univerſali papæ, non unius urbis, ſed totius orbis, domino Joanni, Romanæ ſedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis veſtræ filii, Theotmarus Juvanenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Vvaldo Friſingenſis, Erchenpaldus Eyſtatenſis, Zacharia Sæbonenſis, Tutto Ratiſponenſis, Richarius Patavienſis eccleſiæ epiſcopus. Necnon, & univerſus clerus populuſque Chriſtianus per totam Noricam, quæ & Bavvaria vocatur; proſperum in ſalvatore noſtro profectum, catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum. Anteceſſorum veſtrorum decretis, & catholicorum patrum inſtitutis

pum, & nequaquam in illum antiquum Patavien- A sem episcopatum eum transmisit, sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, & ex paganis Christianos esse patravit. Cum autem eisdem Schlavis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes nos, & cum Francis, & Alemannis scandalum, & discordiam habuisse: cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt, & caritative cooperantes, & etiam cum ipsis impacatos esse accusabant.

Quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente, ita fatemur esse. Quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper de- B bitum tributum senioribus nostris regibus, & principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere, & gentem nostram cœperunt lacessere: orta est seditio inter illos. Et quoniam armis sibi eos defenderunt, & in servitium redegerunt: idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent, & sive velint, sive nolint, regno nostro subacti erunt. Quapropter oportet vos ab alto speculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque sereniſſimi senioris nostri, Ludvvici videlicet imperatoris, & reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt. Moimarii vero Schlavi, a paganis & Ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam C rempublicam sublimaverunt, isti damnaverunt. Illi Christianum regnum confortaverunt, isti infirmaverunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis & urbibus occultati fuerunt. Illorum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione Christianitas dolebat. In omnibus his juvenculus rex noster, nulli prædecessorum suorum inferior, secundum virtutem a Deo sibi datam, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & vobis summo pontifici, cum omnibus regni sui principibus adjutor optat esse fortissimus. Omne namque regnum divinitus sibi commissum ad Dei servitium, suumque adjutorium unum vult, & operatur. Unde & pace viget, & concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patres D sui, se pertinere lætatur. Quod nos præfati Schlavi criminabantur, cum Ungaris fidem Catholicam violasse, & per canem, seu lupum, aliasque nefandissimas & ethnicas res, sacramenta, & pacem egisse, atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse: si vobis coram posito, ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis qui vicem ejus apostolicam tenetis: eorum falsitas manifestaretur, & innocentia nostra probaretur. Quia enim Christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ pecuniam substantiæ, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, E & ab eorum persecutione quiescceremus. Talia namque, ut præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, & pontifices * vestros ad injuriam nostram incitantes, adeo, ut directa nobis epistola, quasi ab apostolica sede, hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam sapiens ait: *Justus tulit crimen iniqui*. Ipsi enim crimen quod nobis falso semel factum imposue-

* nostros

runt, multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt, & super nos Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputarunt, & nobiles viros, ac honestas mulieres in servitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt: ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia, tantum una non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, ennarrare possunt, quantos dies transierunt, & totam terram desolatam viderunt. Quando vero Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificare cum eisdem Schlavis teste Deo multum desideravimus, promittentes ei propter Deum omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, & tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res sancti Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus, ut post tanta maleficia haberent beneficia: & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse, & justitiæ restitisse probare conetur, veniat præsens, & eum ludificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti credüli sitis, antequam opportunitas exigat, ut hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus & generalis dolor angustat, quos Germania & tota tenet Norica, quod unitas ecclesiæ dividitur scissura. Est enim, ut præmisimus, unus episcopatus in quinque divisus. Ideo si quid fraus maligni * Schlavorum callidita- * al. illa. te adduxerat, justitia vertat. Vosque virtute ex alto induti, & apostolica potestate armati, juxta prophetam: *quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite*; ut deinceps populus, & fidei integritate gratuletur, & sancta ecclesia tranquilla devotione lætetur.

Theotmarus indignus archiepiscopus, & apostolicarum rerum procurator promptissimus. Pecuniam vestro juri debitam, propter infestam paganorum sævitiam, nec per me poteram, nec per alios transmittere: sed quia Dei gratia liberata est Italia, quanto citius potero, vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola.

Alme pater mundi dignus pro nomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris,
Sisque tuis famulis protector verus, & impos;
Commendes domino, cælo qui præsidet alto.

Observatio Gabr. Cossartii S. J.

Hanc epistolam edidit Cordesius, cum Hincmari opusculis, sed Joanni VIII. perperam inscripsit. Nam ad Joannem IX. missam esse constat, ex episcoporum qui scribunt ætate, ut disces ex Hundii metropoli Salisburgensi, tom. 1. Eamdem, & alteram, quæ proxime antecedit, ediderat ante Gevoldus in appendice ad Chronicon Reichersbergense.

☞ CON-

ANNO CHRISTI 898

☞ CONCILIUM ROMANUM I.

In cauſa injuriarum cadaveri Formoſi illatarum,

A Joanne IX. in exordio pontificatus ſui celebratum.

JOannem IX. Romanum pontificem reſtituiſſe pacem eccleſiæ turbis agitatæ tribus celebratis conciliis ſcribit Flodoardus in carmine de Romanis pontificibus his verbis:

Conciliis tamen his ternis docuiſſe refertur
Dogma ſalutiferum, novitaſque aboleta malorum,
Et firmata fides doctrinis tradita Patrum.

Ex tribus hiſce duo tantummodo in collectiones conciliorum relata ſunt, Romanum videlicet ex quo canones XII. a Labbeo exhibentur, & Ravennatenſe, in quo Formoſi cauſa optatum exitum obtinuit. Quod ſupereſt tertium, quod collectorum nemo recenſuit, duo hæc præceſſiſſe, eamdemque Formoſi cauſam tractaſſe credo, cujus rei conjecturam exhibet fragmentum actorum concilii Romani, cujus memini ſupra in concilio Romano ſub Theodoro papa. Eſt autem initium actorum concilii Romani Joannis IX. In ipſo vero fragmenti hujus, adeoque & concilii exordio legitur: *Lecta eſt Synodus Joannis papæ*: Quæ rogo ſynodus? Non plane illa, quæ tunc nonniſi exordiebatur. Altera ergo præcedens a Joanne papa in ipſis pontificatus ſui crepundiis habita. Hujus ſtatim cogendæ ſynodi cauſa ea forte ſuberat, quod Joannes, vix electus, æmulum in dignitate habuit Sergium, ut Flodoardus his geminis verſibus indicat:

Johannes ſubit hinc, qui fulſit in ordine nonus,
Pellitur electus patria, quo Sergius urbe.

Ne quid ergo dubii in electione hac ſupereſſet, & ſchiſmatis diſcrimen amoveretur, res in concilio diſcutienda erat, caſtiganda Pſeudo-pontificis audacia, & tempeſtas exoriens placanda. Hæc in eo priori concilio peracta colligo ex ſanctione VIII. Romani concilii a Labbeo vulgati, quod ego ſecundum Joannis appello, in qua Sergius cum complicibus, veluti jam antea damnati, commemorari videntur; edicit enim ibi pontifex, ut quicumque reſtituere illos, a ſe canonice depoſitos, prioribus in gradibus auſi fuerint, anathemati ſubjectos ſe exinde norint, & intelligant.

ANNO CHRISTI 900.

SYNODUS ROMANA

In qua Argrinus Lingonenſis Epiſcopus ſuæ ſedi reſtituitur. (*a*)

CLerus, & populus Lingonenſis Eccleſiæ queſti ſunt apud Joannem IX. Eccleſiam ſuam omni paſtorali ſolatio deſtitutam eſſe, *ex quo Argrinus venerabilis Epiſcopus ab ipſa per ſubreptionem quorumdam receſſit Eccleſia*, licet omnes eum concorditer elegiſſent, nullumque poſt ipſum alium ſponte recepiſſent Epiſcopum. Quare Joannes IX. coacta Synodo Argrinum eis reſtituit, ut literis menſe Majo Indict. 11. datis & ſupra allatis liquet. In iis hæc leguntur: *Nos ergo qui omnium Eccleſiarum Dei curam & ſollicitudinem gerimus, & omnibus Eccleſiis jus intemeratum, canonicamque auctoritatem irrefragabiliter obſervare volumus, & debemus: nequaquam vos diutius talia pati permittimus; ſed compatientes veſtræ fraternitati, & veſtram lacrymoſam querimoniam veridicis aſſertionibus cum collegio fratrum noſtrorum Epiſcoporum, reliquorum ordinum officio approbantes, præfatum fratrem noſtrum Argrinum venerabilem Epiſcopum, vobis canonice reſtituimus, ſuæque Eccleſiæ reformandæ intromittimus: non ſententiam prædeceſſoris noſtri Stephani papæ reprehendentes, ſed utilitatis ac neceſſitatis cauſa canonice in melius commutantes* &c. Aliis literis 5. Idus Maii Indict. 11. datis idem Pontifex Carolum Simplicem Francorum Regem hortatur, ut Argrini Lingonenſis Epiſcopi reſtitutioni faveat; & ait: *Quam cauſam* (Argrini) *cum collegio venerabilium Epiſcoporum noſtrorum diligenti examinatione perpendentes . . . . canonice definivimus* &c. Legendæ pariter in hanc rem Epiſtolæ 1. & 11. Benedicti Papæ IV. ad Galliarum Epiſcopos, principes &c. & ad Clerum & populum Longonienſem datæ.

CON-

(*a*) Extant hæ Joannis literæ hic apud Labbeum legendæ; & cum ſignentur menſe Majo Indict. 11. id eſt anno 899. inde annum habitæ ſynodi diſcimus. *Manſi.*

ANNO CHRISTI 900.

☞ SYNODUS NESTORIANORUM, forte in urbe BAGDAD habita

In cauſa fidei, & diſciplinæ eccleſiaſticæ,

Præſide Joanne filio Iſæ Neſtorianorum catholico anno Egiræ 287. Græcorum 1212. Chriſti 900. celebrata.

De hac Synodo ita Aſſemanus Bibl. Orient. tom. III. par. II. pag. CLXXXVIII.

Ex Supplemento Manſi pag 1086.

SYnodus Joannis filii Iſæ, cognomento Bar-Abgari, habita quo is anno ordinatus fuit, hoc eſt Arabum 287. Chriſti 900. Græcorum 1212. menſe octobri. Laudatur a Sobenſi tum in Catalogo, tum in epitome canonum. Canones XXVIII. conditi, qui extant in Nomocanone Arabico. Horum priores quatuor de Trinitate perſonarum ſunt, & unitate divinæ naturæ, deque Incarnatione Verbi, & quod unio ejus cum natura humana expers fuerit commiſtionis confuſioniſque, & quod in Chriſto duæ ſint naturæ duæque perſonæ. Septimus anathema complectitur in eos, qui repudiant doctrinam Diodori, Theodori, & Neſtorii; nec non Ephremi & Narſetis. Octavus de commentariis Theodori uſquequaque probandis, & ſuſcipiendis. Nonus & decimus de Jacobitis, & Melchitis vitandis, deque communione iis nequaquam porrigenda. Vigeſimus, non eſſe celebrandam Liturgiam feria ſexta, & ſabbato hebdomadæ paſſionis, hoc eſt, in Paraſceve, & in magno ſabbato. Vigeſimus primus, abſtinendum eſſe ab eſu carnium ſingulis ſextis feriis uſque ad ſolis occaſum. (Neſtoriani enim dies ſuos ab occaſu ſolis inchoant.) Vigeſimus ſecundus, ut presbyter, diaconus, & reliqui miniſtri, niſi jejuni, Liturgiam non celebrent, neque ante præmiſſum divinum officium (nimirum horas, quas matutinas vocant.) Vigeſimus quintus, ut oratio Dominica *Pater noſter* dicatur initio, & in fine Liturgiæ, nec non Horarum veſpertinarum, nocturnarum, & matutinarum. Idem Joannes edidit alios canones XXVIII. de miniſterio altaris, inferius referendos. Item reſponſa canonica XXVIII. ad totidem quæſita presbyteri Haſani filii Joſephi. Denique reſponſum canonicum de jejunio virginum, deque jejunio Ninivitico.

Ex hac ipſa ſynodo novus electus literas ſuas ſynodicas dedit, quas ab Aſſemano recitatas hic exhibeo itemque canones concilii hujus ex eodem addo.

Ego Joannes cognomento Bar-Abgari, ſeu Ebn-Aragi, profiteor coram ſynodo Patrum Metropolitarum, epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, & fidelium commorantium in urbe pacis Bagdado, qui me elegerunt, ut ipſos regerem, & ſuper eorum ſedem, id eſt thronum patriarchalem ſederem: poſtquam ſcilicet ab iis rogatus Deo ipſiſque obtemperandum duxi, & miniſterium eccleſiæ ſuſcepi, profiteor, inquam, & promitto, me juxta canones apoſtolicos mores meos compoſiturum, rectamque fidem, quam Patres trecenti decem & octo definierunt, cordis aſſenſu, oriſque confeſſione illibatam obſervaturum, ſynodoſque omnes tum Orientales tum Occidentales ſuſcepturum, quas patres patriarc. veriſque doctores in Perſide ſequuti ſunt: item amplexurum commentaria ſapientiſſimi doctoris ſancti Theodori, ejuſque Liturgiam, nec non alteram Mar Neſtorii, ejuſque ſententiam circa unionem filii, & ſubſtantias atque perſonas. Præterea firmiter propono, nec munera me acceptarum, ſed meipſum coram omnibus verbo, & opere, indiciis eccleſiaſticis Paulo apoſtolo pietate & caſtitate conformaturum, ſubditos, aut eccleſias nullatenus gravaturum, nihilque præter debitum, & conſuetum accepturum, pecuniæ corrogandæ operam non daturum, neque filios eccleſiæ in meo miniſterio perſequuturum; ex iis, quæ Deus largiri dignatus fuerit, eleemoſynas in pauperes, inopes, afflictos, orphanos viduaſque, ut decet, erogaturum. Si pactum ſponte conventum (quod Deus avertat,) minime obſervavero, reus ero judicii, vindictæ, juſtæque reprehenſionis. Si vero quidquam a fide eccleſiæ mutavero, aut adjecero, aut detraxero, id mihi in crimen vertatur, dignitatiſque patriarchalis, ſed & chriſtianæ religionis prorſus expers ero. Inſuper promitto me daturum operam, ut eccleſiæ ædificentur, malaque ab iis avertantur, ut pia legata perficiam, tributa pro infirmis ſolvam, in carceribus detentos verbo & opere inde extrahi curem, quemadmodum fratres Chriſtianoſque decet: peregrinorum morientium curam geram, ut ſcilicet exequiæ iis celebrentur, eorumque cadavera tumulo mandentur, quum membrum ſint ex membris Chriſti. In tradendis autem eccleſiis non plus offerentium rationem habebo, ſed eas viris probis Deumque timentibus commendabo, & in manus impoſitione ſimoniacum crimen, quod in munerum acceptatione dignitatumque ſacrarum pro certo pretio oblatione conſiſtit, omnino proſcribam, neque interventionem cujuſquam hac ſuper re admittam, nec niſi dignis gradum ſacerdotis conferam, idque prævio examine, & diligenti inquiſitione. Presbyterum aut diaconum non ordinabo niſi juxta canonem: Diaconum quidem poſt lectionem pſalmorum eorumque, quæ ad pſalmos in libro Davidis referuntur; presbyterum vero poſt lectionem novi Teſtamenti; neque in clerum cooptabo locupletes indignos, neque dignos pauperes repellam. *Hoc eſt exemplar chirographi ab eo ſcripti, cujus ad calcem hæc adjecit.* Exemplar hujuſmodi exigi debet ab unoquoque patriarcha, cum ad ſedem Orientis promovetur: teſteſque ſuper eum advocandi ſunt ordinantes ipſum, ne oves Chriſti negligat: nam judicium quidem diſtrictum eſt; periculoſa autem ſubſcriptio.

CA-

CANONES JOANNIS PATRIARCHÆ DE ALTARI, ET EUCHARISTIA. ANNO CHRISTI 500.

CANON I.

Quod non decet ligneo altari uti.

PLacuit Spiritui Sancto, præcepitque, ut in urbibus, castellis, & locis, in quibus perfecta pax obtinet, nec barbarorum persecutio obest, & diligenter custodiri queunt, altaria fixa habeantur. Super ligneis autem non permittit Spiritus Sanctus Liturgiam celebrari, neque ea permittit fieri aut nominari. Et hæc in verbo Domini Patres nostri definivere.

II.

Quod non decet altare nudari.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut quod sacro oleo delibutum est altare, aqua nullatenus abluatur, quum figitur, nisi forte id postulet necessitas instaurationis. Quod si qui voluerint illud aromatibus honorare ad typum aromatum, quæ mulieres ad Domini sepulcrum attulere, id præcipimus ne altare suo tegumento omnino nudetur. Illud tantummodo licebit, ut altare proprio apparatu ornatum, aqua rosacea aspergatur, atque aliorum odoramentorum suffitus eidem adhibeatur, & præter hoc aliud non licet.

III.

*Quod qui Xatham * miscent * laici non sint, sed Sacerdotes.*

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit per manus sanctorum Patrum nostrorum, ut qui Xatham miscent, sacerdotes sint aut diaconi. Ad illam autem accedere ne cuiquam liceat, qui vel sacerdos, vel diaconus non sit, nec sæculari, nec monacho simplici. Si secus fecerit, subjectus esto anathemati verbi Domini etiam. Amen.

IV.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut præter farinam frumenti electi, & aquam puram, atque oleum ex oliva expressum, ac salem, nemini eorum, qui Xatham miscent, liceat quidquam addere, aut demere. Et hæc in canone verbi Domini.

V.

Presbyter aut diaconus, qui oblationis panem præparat, sui instrumenti munditiem curet, habeatque vas ad secernendas aquæ, & olei fæces, caveatque ne a laico contingatur. Habeat præterea lumbos succinctos & calceamenta in pedibus suis, faciem ad orientem, & amictu velatam. Ministret autem cum psalmis. Et hoc in verbo Domini.

VI.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut postquam Xatha cocta fuit, nihil ex ea illegitime tollatur, aut ex ea aliquid detur, antequam ad altare offeratur, & id, quod offerendum & consecrandum est, ex ea separetur. Et hæc in verbo Domini.

VII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut macula non sit in eo, quod ex hostia separatur ad mysteria. Et vero neque in veteri lege fas erat claudum, & cæcum, aut infirmum, aut in quo inveniretur macula, offerri. Quanto igitur magis convenit, ut similis cura ad divina mysteria adhibeatur? Et hæc in verbo Domini.

VIII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut mysteriorum corporis & sanguinis Domini appetitio immoderata tollatur, ne quis cum istiusmodi impudentia temere ad sanctum Domini corpus accedat; sed particulæ primitiarum & oblatæ sint in parva mensura ordinatæ, ita ut hostia duodecim drachmas non excedat; singuli vero carbones (*unius hostiæ, cum in crucis formam frangitur, particulæ quatuor, vocantur carbones, symbolo ex Isaiæ visione desumpto*) tribus drachmis constent, ut in nomine Trinitatis pars illa benedicatur, quæ in Trinitate consignatur. Pro pueris autem ætate parvulis parvulæ præparentur placentæ, (*hostiæ*) quas ii non cogantur in particulas frangere, unde contingit frequenter, fragmenta, hoc est micas excuti in phialam, (*patenam*) & ex incuria decidere, & pedibus proculcari, & hoc modo sanctum corpus cum negligentia tractari. Et hæc in verbo Domini.

IX.

Placuit Spiritui Sancto, ne in pane consecrando duæ farinæ adhibeantur, altera ex simila, & altera ex farina nigra; sed ut unus panis uno die ex una farina candida, & munda conficiatur. Non enim est in corpore, & sanguine Domini Æthiops, aut Græcus (*id est niger & albus.*) Et hæc in verbo Domini.

X.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ne quis presbyter, aut altaris minister sepositum ad oblationem panem ex simila nigra faciat, cum malcha (*id est rex: ita fermentum vocant Chaldæi, quo novas oblatas fermentare solent*) ex tritico albo sit. Enimvero indecens quoque est, ut fermentum quum formatur, nigrum sit, instar Æthiopis

pis ſervi, & album inſtar Romæi. Et hæc in verbo Domini definiuntur.

ANNO CHRISTI 900.

XI.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut altaris miniſter illud excutiat, & ſanctuarium verrat ſingulis diebus, quibus ſacrum ſuper altari celebratur, antequam ſacra myſteria inferat. Debet præterea totum ſanctuarium ejuſque parietes ſemel in hebdomada componere.

XII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut qui farinam in uſum ſacri panis ſubigunt, duo ſervent fermenta, alterum quidem ſacrum, alterum vero ſimplex; ſacrum autem eſſe debet quod ad ſeparatas exigitur. Et hæc in verbo Domini.

XIII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut nemini ex presbyteris, aut diaconis altaris miniſterium obtinentibus, fas ſit, oblationem ſacro fermento panis ſacrificio deſtinati permiſtam cuivis ethnico externo tradere, aut mago, aut cuilibet cujuſvis ſectæ; ſed neque pueris parvulis filiis Chriſtianorum. Et hæc in verbo Domini.

XIV.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut lampas accenſa habeatur ante altare, & nutriatur ex puro oleo olivæ omnibus diebus per diem ſimul & noctem, caveaturque, ne ea extinguatur, ſive Liturgia celebretur, ſive lumine. Sicubi vero duo extiterint altaria fixa, totidem omnino accendantur lampades de die & de nocte. Similiter autem ſi altaria fuerint pluſquam duo, altarium numero lampadum numerus reſpondeat. Permittitur autem in locis, in quibus puri olei copia non ſuppetit, ut aliquid aliud, quod olei vicem convenienter ſupplere queat, ad nutriendam lampadem adhibeatur. Ad oblationem vero, præter oleum, non aliud omnino inferatur. Et hæc in verbo Domini.

XV.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut qui altaris miniſterium obtinet, poſtquam panem altari intulerit, antequam dividat ſeparatas ex reliquo, ſeparet aliquid ex primitiis & oblatis, quas cuſtodire ſatagat. Et ſi neceſſitas poſtulet, & ipſo die cogatur demum Liturgiam celebrare, ex illis, quas poſtremo ſeparavit, in ſuum uſum iterum ſumat. Et hæc in verbo Domini.

XVI.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ne panis ad duos dies coquatur, neve ex pane eodem quidpiam ſervetur in craſtinum diem, & conſecretur pro hoc, & pro altero die ſequenti, neve conſecratio agatur ad biduum. Qui his temere contravenerit, a gradu ſuo arceatur in verbo Domini.

XVII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ne ſuper altari conſecrentur minus quam tres primitiæ, & ad minus duæ, ut unum ſit ſignum, & unum ſignatum. Unam vero dumtaxat conſecrari nullatenus licet. Et hæc in verbo Domini.

XVIII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ne liceat miniſtrantibus myſteria altaris, myſteria deſerere, & ſedere, aut lumbos diſcingere, aut calceamenta; aut egredi, aut rei cuiquam vacare, præterquam miniſterio ſacrorum myſteriorum, quæ illis immerentibus credita fuerunt. Et hæc in verbo Domini.

XIX.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ne liceat cuiquam miniſtrantium myſteria altaris ſanctum extra atria eccleſiæ deferre, niſi ad vinctum, aut ægrotos gravi morbo laborantes die feſto Reſurrectionis nocturno tempore ex mandato præſulis & rectoris. Qui, illis exceptis, quaſi hominibus placere volens, temere divina myſteria ludibrio habere præſumpſerit, eadem e ſanctuario efferendo, nefas eſto illi iſtud attentare in verbo Domini.

XX.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut theſaurus * ſuper altari ad biduum relinquatur. Corpus enim ſuper altari ad diem ſequentem relinquere, nec vetus, nec nova lex permittit. Scriptum eſt enim in lege Moyſi; *nec remanebit quidquam ex eo uſque mane*. Qui ſecus attentaverit, & hoc mandatum tranſgreſſus fuerit, anathema eſto a Spiritu Sancto per manus patrum noſtrorum. Et hæc in verbo Domini.

XXI.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut qui ſacra myſteria ordinant, id eſt, ſumunt, duo ſint; ſicut & qui conſecrant, duo itidem ſint. Nec fas eſt ordinanti ſumere plus quam carbones quatuor, quæ integras primitias faciunt. Quum urgens cauſa, quæ profecto illegitima eſt, ac temeritatem, audaciamque ſapit, id poſtulaverit, quinque particulas ſumere licebit. Plures autem ſumere neutiquam fas eſt. Quicumque vero iſta temerario auſu fuerit tranſgreſſus, divinæ juſtitiæ animadverſionem feret: ſatagant itidem, ne calix irreverenter ſumatur, neve in ipſa ſumptione effundatur, neve quidam ſubjaceat intemperantiæ ac impudentiæ in iis myſteriis, quæ populo per gratiam

tra-

tradita fuerunt. Ferunt quippe Salvatorem noſtrum modicis hauſtibus calicem bibiſſe, atque diſcipulis obtuliſſe. Qui vero temere atque intemperanter erga Domini corpus & ſanguinem ſe geſſerit, alienus eſto a ſacris myſteriis, atque ſuſpenſus & excommunicatus a Spiritu Sancto; & hæc in verbo Domini.

XXII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut ſi quiſpiam presbyter, aut diaconus audeat ipſe ſolus ſacra myſteria corporis, & ſanguinis Domini ordinare, a miniſterio ſuo ſuſpenſus maneat in verbo Domini.

XXIII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut ſi neceſſaria, & minime voluntaria cauſa exigat, ut ſacra myſteria ſuper altari in diem craſtinum ſerventur, eo quod non adſit qui una cum eo, qui myſteria celebravit, eadem ſumere valeat, alterum ex duobus fiat: & ſi quidem Chriſtianus, vel Chriſtiana inveniatur, qui ſimul ſanguinem amboque myſteria conſumat, id faciat, ſciens ea quæ ſuperſunt ad communionem myſteriorum pertinere. Si autem ſanguinem dumtaxat ſumat, corpus autem propter ſuam quantitatem conſumi nequeat, ſervetur in diem craſtinum ſuper altari, curaque eidem adhibeatur, ut lampades coram eo ardeant, & nocturnum officium peragatur, quod ſi contigerit ambo myſteria remanere, eo quod non adſint, qui ea ſumant, noverit quicumque eorum miniſter erit, oportere ipſum pedibus ſuis inſiſtere uſque ad horam ordinationis, ſive de nocte, ſive de die, nec ipſi licere illorum miniſterium, quin alius ejus vices ſuppleat, deſerere; & hæc in verbo Domini decrevimus.

XXIV.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut qui venerabile corpus ordinat, ſatagat particulas ſuſcipere una cum ſumptione particularum phialæ, aut abſterſione calicis, aut omnino palmis manuum, neve corporis particulam manu ori inferat, ſed ore capiat, quia cæleſtis eſt cibus. Simili modo calix propitiatorius porrigatur. Et hæc in verbo Domini.

XXV.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut miſtum libaminis fiat ex partibus æqualibus vini & aquæ. Scriptum eſt enim ex Salvatoris noſtri latere ſanguinem & aquam in æquali quantitate fluxiſſe: quare æquum eſt, ut miſtum libaminis ex partibus æqualibus conſtet vini & aquæ. Quod ſi ob vini raritatem neceſſitas id poſtulet, permittitur, ut vini pars ſit, & duæ partes aquæ. Ad ſummum vero, immo & ſupra ſummum pars vini ſit, & tres aquæ. Ultra progredi, nullatenus nullo pacto fas eſto. Et hæc in verbo Domini. ANNO CHRISTI 900.

XXVI.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ne liceat altaris miniſterium obtinentibus, præter neceſſitatem ſuper ſacro altari vinum corruptum, vel aliqua labe infectum offerre, adeo ut bonum vinum relinquentes, corruptum ad libamen ſanguinis Domini noſtri immiſceant. Qui his contravenire auſus fuerit, ſuſpenſus eſto a gradu ſuo, & ſimplex laicus fiat, quia divina myſteria inquinavit, (*vel quaſi ſimplicia ſimbola tractavit*.) Et hæc in verbo Domini.

XXVII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut presbyteris, aut diaconis liceat attingere altare poſt cibum; id vero attentare cum ſancta ſacramenta jam ſunt poſita, omnino nefas eſto: adeo ut neque eiſdem fas ſit accedere ad limen ſanctuarii. Si autem ſuper altare myſteria non ſint, & neceſſitas id exigat, fas eſto uſque ad exteriorem lampadem dumtaxat ipſis accedere. Illuc vero ingreſſi, infra lampadem conſiſtant. Si vero quis ebrius eſt, neque cum ſacra myſteria ſunt poſita, neque cum percipiuntur, fas eſto hujuſmodi hominem accedere ad partem ſanctuarii, nedum illuc intrare; quia nequitia eſt maxima & crimen irremiſſibile. Quandoquidem in veteri quoque lege idipſum mandavit Deus Moyſi: præcepit enim ei, dicens: *vinum & ſiceram non bibes tu, & filii tui tecum, cum ingrediemini ſanctuarium, ne propter hoc moriamini*. Quodcumque vero præter iſta fiat, illicitum eſt in verbo Domini.

XXVIII.

Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut nefas ſit presbyteris, & diaconis intrare ad celebrandum divina myſteria, aut ad faciendum in ſanctuario miniſterium graduum ſuorum circa divina myſteria, quando in eccleſia veſpere, nocte, & mane minime miniſtrant. Et hæc in verbo Domini decreta ſunt.

CON-

ANNO CHRISTI 901.

CONCILIUM [b] OVETENSE,

QUO DECEM ET OCTO EPISCOPI

Ex concessione pontificis Joannis VIII. ecclesiam Ovetensem metropolitana dignitate auxerunt, æra DCCCC. XXXIX. qui est annus redemptoris nostri DCCCCI. sub Joanne IX.

Occasio concilii. [a] *Concilium*.) Joannes papa VIII. ad petitionem Aldephonsi regis, inter alia, quorum fit mentio in epistola ad prædictum Aldephonsum, concesserat, ut Ovetensis ecclesia metropolitanam dignitatem acciperet, ideo imprimis, quia Aldephonsus Magnus illic regiam sedem collocasset. Interfuit inter alios huic concilio Theodulfus episcopus, legatus missus a rege Francorum: reliqui autem, qui ex propinquis ecclesiis convenere, numerati sunt decem & septem episcopi. Primum igitur omnium quod dictum est, constituta sede metropolitana ecclesia Ovetensi, Ermenegildus ejus antistes archiepiscopus est appellatus: sicque ea dignitas, quæ antea inhærebat ecclesiæ Lucensi illi proximæ, in Ovetensem tunc est translata. Actum est etiam ut invigilarent episcopi, atque ministri eorum, ecclesiasticæ disciplinæ: cujus rei perficiendæ causa, bis in anno, ut antiqui canones docent, synodum cogerent, in qua ea quæ essent emendanda corrigerent. Additum præterea, ut episcopi illarum ecclesiarum, quæ fuerunt a Saracenis destructæ, Ovetum se conferentes, in ea ecclesia militantes stipem consequerentur, si alias circumpositas sub eadem diœcesi constitutas ecclesias curarent. His constitutis, appositum est anathema ea non servantibus. Post hæc rex & Ermenegildus ad episcopos sermones hortatorios dixerunt: quibus absolutis, episcopi ex more regi acclamantes, regem laudarunt, quod ingentia latifundia Ovetensi ecclesiæ tribuisset, ejusque immunitates a prædecessoribus acceptas confirmasset. Decimaquarta Junii, æra 939. synodus absoluta fuit. Hæc ex Baronio, qui eadem ex actis apud Sampyrum antiquum chronologum integre extantibus summatim hac ratione descripsit.

Episcopi quot interfuerint.

Acta concilii summatim recitantur.

[b] *Ovetense*.) Ovetum est civitas in Gallæcia sita, quæ ab antiquis civitas episcoporum dicta reperitur, ideo quod dum Saraceni Gallæciam incursionibus suis inquietarent, episcopi plurimi sedibus suis destituti Ovetum confluxerunt, ibique tamdiu morati fuerunt, donec ad proprias sedes tuto redire liceret.

Oveta civitas episcoporum nomina

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad an. Ch. 901. n. 7.

In Historia Sampyri Asturicensis Episcopi, a Sandovallio Episcopo Pompejopolitano edita cum aliis quatuor Hispanicis Scriptoribus, unici Concilii Ovetensis, in quo Hermegildus Archiepiscopus consecratus, ejusque Ecclesia Metropolitana declarata, mentio est. Verum Baronius, qui hanc editionem non viderat, prorsus excusatione dignus, sed non illi, qui impostorum ex unico Ovetensi Concilio duo lectoribus obtrudent. Nihil enim hic Baronius, nec ex eo Collectores Conciliorum habent, quod de verbo ad verbum non legatur in Concilio Ovetensi, quod Joanne VIII. Ecclesiam Romanam regente congregatum fatentur. Hinc expungendum, quidquid de secundo Ovetensi Concilio isthic dicitur.

ANNO CHRISTI 902.

CONCILIUM NARBONENSE

Ex Martene Thesauro Anecdot. t. 4. p. 69.

Anno DCCCCII. in villa Atiliano celebratum asserit libertatem beatæ Mariæ de Quadraginta ab ecclesia de Crucio.

CUM in sempiterni Regis nomine pro diversis commoditatibus sanctæ matris ecclesiæ venerabiles archiepiscopi ROSTAGNUS videlicet Arelatensis cathedræ & ARNUSTUS primæ Narbonæ cum universis Gothiæ Spaniæque atque Provinciæ compræsulibus in territorio & suburbio Narbonensi in ecclesia S. Protomartyris Stephani super villam quæ dicitur Atilianus consideremus, proclamavit quidam frater & compresbyter, nomine Teotbaudus, de quodam levita vocabulo Teoderico dicens verbotenus, & scriptis firmissimis demonstrans, quod contra leges divinas & sanctos canones per falsos testes, quos Deus impunitos non deseret, & per importunæ cupiditatis omniumque malorum radicis perjurium inquietare præsumeret decimas, primitias, oblationes, & universos redditus ecclesiæ S. Mariæ de vico cognominato a Quadraginta, unde idem præfatus Teotbaudus attitulatus erat, & hæc omnia volebat prædictus Levita Teodericus subdola, ut perlatum est, fraude ad ecclesiam S. Eulaliæ de villa, cujus est vocabulum Crucius, subjugare: hoc asserens in sua falsitate, quod S. Maria de Quadraginta subjecta debebat esse ecclesiæ S. Eulaliæ de Crucio. Retulit præterea sæpe dictus presbyter, quod secundum legum divinarum atque humanarum decreta, quibus conceditur, ut contra veritatem nullum falsitas obtineat vigorem, & per jussum domni, qui aderat, metropolitani ARNUSTI, & per arbitrium canonicorum suorum unum hominem ad examen judicii miserat quem Deus, qui sic diligit sacrificium de rapina pauperis, quasi qui excerebraret canem, in conspectu hominis demonstraret, & veritatem S. Mariæ, & comprobaret, ac convinceret perjurium Theoderici cum testibus suis: sicque ante cornu altaris in ipsa sede metropolitana SS. Justi & Pastoris. Et quia judicium

1 Hoc idem cum Ovetensi anni 873.

cium Dei exierat, Deus inlæsum monstraverat, ut nullo modo in eo signum dubietatis remanserit, cumque super hoc domnum archiepiscopum ARNUSTUM consuluissemus, utpote cum in quo pendebat specialiter & propriæ diœcesis dispositio, & generaliter totius concilii nostri discretio, enucleavit nobis ita esse per omnia, prout prænominatus presbyter referebat. Cujus ergo justissimam petitionem agnoscentes, eidem ecclesiæ istam notitiæ firmitatem fieri & firmari mandavimus, sub tali tenore ut ab hac hora & in perpetuum ecclesia S. Mariæ de Quadraginta, & presbyteri ejus, quibus ab archiepiscopo ex ea fuerit potestas largita, sine ullo blandimento, A tam de Crucio quam aliarum vicinarum parochiarum, de his omnibus, unde domnus ARNUSTUS & sui canonici hominem ad Dei probationem exire judicaverunt, dominationem obtineat cunctis valituram sæcli temporibus. Facta istius carta notitiæ anno Verbi incarnati DCCCCII. indictione quinta, sub die idus Maii anno regis CAROLI IIII. post transitum ODONIS feliciter. ANNO CHRISTI 902.

ARNUSTUS episcopus subscripsi.
SERVUS Dei episcopus subscripsi.
RICULFUS episcopus subscripsi.
NANTYGISUS episcopus subscripsi.
RAGEMBERTUS episcopus subscripsi.

ANNO CHRISTI 904. Ex Mabillonii Museo Ital. t. part. 2. p. 86.

CONCILIUM ROMANUM

QUO ACTA STEPHANI VI. CONTRA FORMOSUM HABITA

Rescinduntur & improbantur, & solius Lamberti coronatio tanquam citra vim & legitime facta confirmatur, anno Domini DCCCCIV. tempore Joannis IX.

LEctum est quoddam indiculum, quatenus ventiletur a cunctis Ecclesiæ status & pacis. Johannes Aretinus dixit: Et nos optamus ut ea ventilentur quæ pertinent ad sanctæ Ecclesiæ exaltationem & pacis robur. Petrus Albanensis dixit: Vult dominus Papa ut legatur Synodus acta a Theodoro Papa. Et factum est. Tunc Amolo dixit: Canonicum est, ut qui injuste damnatus est, restituatur, & canonica servetur de exspoliatis sententia. Et lecta est Synodus Johannis Papæ. Tunc professi sunt Petrus Albanensis & Sylvester Portuensis interfuisse in depositione Formosi, licet coacte: & interrogati sunt ab Amolone, cujus temporibus judicatum est. Qui responderunt: Dicant cæteri. Tunc Johannes Aretinus dixit: Perlegatur judicium finis istius Synodi. Et factum est. Quo finito Amolo Taurinensis: Legatur Synodus facta a Stephano contra Formosum. Quod & factum est. Cumque venisset, ubi Paschalis, Petrus, & Sylvester contra Formosum dixerunt accusationem perjurii & laicæ communionis; interrogati sunt, si vera essent quæ legebantur. Qui dixerunt: Minime. Iterum Paschalis dixit, nequaquam illi interfuisse synodo. Et perlecta synodo, dixit Johannes Aretinus: Dicant si interfuerunt. Petrus Albanensis dixit: Interfui, sed non subscripsi. Et inducias petiverunt. Et cum datæ eis essent, surrexerunt Petrus, Sylvester, Paschalis; & interrogati dixerunt minime interfuisse.

Amolo dixit: Veniat Benedictus Protoscriniarius, & dicat quæ scripserit. Cumque venisset in medium, Johannes Aretinus dixit: Benedicte, scripsisti hanc synodum? Qui dixit: Non ego scribere debui, sed Subdiaconus de armario. Et interrogati præfati Episcopi diligenter; iterum professus est Petrus interfuisse. Stephanus Ostensis dixit: Omnes contra dominum Papam insurgitis. Tunc Antonius Brixiensis in persona omnium dixit: Jam quia nos separatos dicis a gremio apostolico, in crastinum sit examinandi suspensio. Et datæ sunt induciæ in crastinum.

Altera autem die cum resedissent, Amolo Taurinensis dixit: Quia indiscussa hesterno remansit propter datas inducias ratio; oportet, si vobis placet, ut accipiamus nunc responsum. Johannes B Aretinus dixit: Ubi heri remansit, ibi, si placet, debet incipi. * Surgens Petrus Albanensis, dixit Johannes Aretinus: Volunt fratres ut detur responsum. Petrus Albanensis dixit: Veniant ceteri qui mecum fuerunt. Johannes Aretinus dixit: Aut veraces dicite literas, aut falsas. Petrus Albanensis dixit: Veniant cæteri qui interfuerunt, quia Sedes ibi apostolica erat. Johannes Aretinus respondit: Non nos Sedem judicamus apostolicam. Cum sæpius Petrus alia non renueret nequaquam C interfuisse, dixit Aretinus Episcopus: Legatur synodus. Et subjunxit: Dicat sancta synodus, si illi ea quæ destruxerunt restituere potuerunt. Quia si ita est, illud apostolicum, *Si ea qui ædificavi iterum destruxero, peccatorem me esse constituo.* Amolo Taurinensis dixit: Non hic apostolica facta est sententia: quia primitus destruxerunt, & postea idipsum reædificare conati sunt. Johannes Aretinus dixit: Ut malum in Ecclesia perpetratum funditus eradicetur. Sancta synodus acclamavit: Et nos ac petimus, ac omnes optamus. Et audita est D jussio apostolica, ut daretur responsum. Petrus Albanensis dixit: Interfui, sed coacte. Interrogatus Sylvester ab Amolone, dixit, interfuisse illi synodo, Ildegerius Laudensis dixit: Culpabilem hesterno in conspectu omnium te reddidisti, qualiter interfuisses synodo. Amolo Taurinensis dixit: Sylvester Portuensis, dic, fuisti in electione Formosi Papæ? Qui dixit: Interfui, & omnes illum inthronizavimus. Adelardus Veronensis dixit: Dic, Sylvester, si fuisti in synodum Franciæ? E Respondit: Interfui. Item interrogatus si interfuisset illi horrendæ synodo Romæ? Respondit: Interfui, sed coacte. Interrogatus Johannes Bellitranus si interfuisset illi synodo, respondit: Interfui coactus & invitus. Similiter interrogatus Johannes Gallisanus si interfuisset, respondit: Interfui coacte. Interrogatus similiter Stephanus Ortensis si interfuisset, respondit: In fine fui, & subscripsi coacte. Interrogatus etiam Johannes Tuscanensis, respondit, non interfuisse, sed postea subscripsisse coacte. Interrogatus similiter Bonosus Narniensis, respondit, nec interfuisse, nec subscripsisse, nec assensisse.

Interrogatus Johannes qui dicebatur Mutinensis episcopus, si haberet aliquam proclamationem adver-

* Surgente

1 Hoc Actorum hujus Concilii initium edidit ex pervetusto Codice Patrum Oratorii Romani Mabillonius in Museo Italico tom. 1. part. 2. pag. 86.

ANNO CHRISTI 904.

versus Gamenulfum Mutinensem episcopum, vel si repeteret ipsam ecclesiam, an non? Respondit: Non repeto, neque proclamo super ipsum Gamenulfum episcopum, sed terra prostratus, veniam atque misericordiam peto.

Prostrati post præfati Episcopi, qui interfuerunt illi Stephani synodo contra domnum Formosum, misericordiam deprecati sunt. Tunc omnis sancta synodus petiit misericordiam domni Apostolici, ut illud funditus eradicetur, ne ulterius Episcopi cogantur quid contra canonum auctoritatem per vim facere, aut ullo modo Episcopi in custodiam trudantur. Quibus libenter domnus Papa assensit. Interrogati Petrus presbyter tituli Eudoxiæ, & Benedictus tituli Damasi, si interfuissent illi synodo? Responderunt interfuisse coacte, & misericordiam petiverunt.

CAPITULA.

I.

* aliat septimi

SYnodum tempore piæ recordationis * sexti Stephani papæ, decessoris videlicet nostri, celebratum, in quam venerabile corpus Formosi venerandi papæ de sepultura violata per terram tractum est, & quasi ad judicium deductum judicari & damnari præsumptum est: quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitus * abdicamus. Et ne ulterius præsumatur fieri, per quodlibet Spiritus sancti judicium interdicimus: quia ad judicium vocari mortuus non potest, cum persona quæ ad judicium vocatur, ideo vocetur, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Et omnibus patet quia mortui cadaver pro se nec respondere, nec satisfacere potest.

* alias abrogamus.

II.

Episcopi & presbyteri, & reliquus clerus, qui eidem synodo interfuerint, quia ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt, prece sanctæ synodi eis indulsimus, statuentes & decernentes, ut nullus futuris temporibus episcopis vim inferre, vel eos temere lacerare præsumat, quatenus cum ad synodum convenerint, libere eis tractare, & statuere liceat, quæ sanctorum patrum canonica censura decrevit. Nullusque eos lacerare, vel sacris Canonibus conceptis absque audientia & justa examinatione inquietare, facultatibus nudare, atque quoquomodo in custodiam detrudere absque status sui periculo pertentet, dicente Domino: *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari*. Indignum quippe est, ut sacerdotium senatus præjudicet, cum pateat populum sequendum non esse, sed docendum.

Psal. 104.

III.

Quia necessitatis causa de Portuensi ecclesia Formosus pro vitæ merito ad apostolicam sedem provectus est, statuimus & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat; præsertim cum sacri Canones hoc penitus interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem. Quippe quod necessitate aliquoties * indultum est, necessitate cessante in auctoritatem * summam non est permissum. Sed neque de gradu ecclesiastico synodice ejectum, & non canonice restitutum, ad altiora provehere ullus præsumat, prout de Bonifacio, primo de subdiaconatu, postmodum de presbyteratu depositum popularis manus agere præsumpsit. Si quis vero, cujuscumque sit ordinis vel potestatis, contempto Deo, & calcatis sanctorum patrum statutis, id quoquo modo tentaverit, non solum apostolico judicio anathemate feriatur, sed etiam imperialem indignationem experiatur, quatenus sanctæ ecclesiæ status inviolabiliter persistat, & iniquorum præsumptio accipiat ultionem.

IV.

Episcopi igitur seu presbyteri atque diaconi, necnon & subdiaconi, cæterique alterius ordinis sanctæ sedis apostolicæ, qui ab eodem venerando papæ Formoso canonice consecrati, & pro quorumdam libitu temere dejecti sunt, in proprios ordines & gradus communi sanctæ synodi consultu reducimus, perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos Deo auctore decernimus.

V.

Reordinationes, seu rebaptizationes, & sedium mutationes sancti patres in Africano concilio congregati omnimodis interdixerunt: quos secuti & nos interdicimus, statuentes, ecclesiæ, cui regulariter præpositi, perpetuo consistant; nec eis sine canonicæ auctoritatis publica censura ejectis, alii ordinentur, & ecclesia divisionem sustineat: sed secundum quod sancti patres statuerunt, unusquisque episcopus suæ ecclesiæ curam habeat, & ecclesiasticarum rerum potestate potiatur, ne quoquomodo scissuram sancta patiatur ecclesia, quia nec militibus Christum crucifigentibus ejus tunicam scindere permissum est.

VI.

Unctionem itaque sacri chrismatis in spiritualem filium nostrum dominum videlicet Lambertum excellentissimum imperatorem actam, perpetua stabilitate, dignitatibus decoratam, firmam & in æternum stabilitam esse, sancto suffragante Spiritu, decernimus. Illam vero barbaricam Berengarii, quæ per surreptionem extorta est, omnimodis abdicamus. Consignationes autem sacri chrismatis, & olei, vel quæque pro statu ecclesiæ gessit, firma & immutilata ut omni tempore permaneant, apostolica auctoritate sancimus.

VII.

Ea siquidem, quæ de ipso prænominato concilio scripta esse noscuntur, quoniam irrita, & contra canonicam auctoritatem præsumpta sanxistis: decernimus una cum consultu omnium vestrum, si placet, igne crementur, sicut de latrocinali Ariminensi synodo & Ephesina secunda scriptum continetur: & de his quæ contra sanctissimum papam Leonem ab hæreticis acta sunt, & secundum quod tempore domni Hadriani junioris papæ synodali conventu illa quæ contra domnum Nicolaum beatissimum papam Constantinopoli nequiter acta fuerant, igne cremata in sancta Romana ecclesia constat fuisse.

VIII.

Sergium, Benedictum, atque Marinum, dudum presbyteros sanctæ Romanæ ecclesiæ seu Leonem, Paschalem, & Joannem, dudum diaconus sanctæ sedis apostolicæ juste, & canonice damnatos, & a gremio sanctæ Dei ecclesiæ sequestratos, si aliquis homo, sacratissimis auctoritatibus fractis, illos inter ecclesiasticos viros, nobis inconsultis, habere voluerit, aut in ipsos gradus, quibus canonica auctoritate privati sunt, reducere quoquomodo aliquando maluerit, sive eos sacerdotes vocare, aut habere tentaverit, sciat se fore anathemate percussum a Patre, Filio, sanctoque Spiritu, tanquam qui sanctorum canonum violator extiterit.

IX.

Violatores namque, seu corruptores sacri tumuli ejusdem domni Formosi papæ, qui sub fœdere conspirationis ad capiendum thesaurum, corpus illius trahentes in fluvium Tiberim jactare non timuerunt: divina auctoritate, synodalique nostro consultu, nisi resipuerint, sint a sanctæ Dei ecclesiæ liminibus separati.

X.

Quia sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, plurimas patitur violentias pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia absque imperatoris notitia, & suorum legatorum præsentia, pontificis fit consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri: Volumus, id ut deinceps abdicetur, & constituendus pontifex convenientibus episcopis, & universo clero eligatur, expetente senatu & populo, qui ordinandus est, & sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus legatis imperialibus, consecretur. Nullusque sine periculo juramentum, vel promissiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne ecclesia scandalizetur, vel imperatoris honorificentia minuatur.

ANNO CHRISTI 904.

XI.

De patriarchio expilando prava consuetudo.

Quia sceleſtissima etiam consuetudo inolevit, ut obeunte sanctæ Romanæ ecclesiæ sedis pontifice, ipsum patriarchium deprædari soleat: & non solum in ipso sancto patriarchio, sed etiam per totam civitatem, & suburbana ejus talis bacchatur præsumptio: nec non quia & id inultum hactenus neglectum est, adeo ut omnia episcopi eadem patiantur uniuscujusque ecclesiæ obeunte pontifice: quod ne ulterius præsumatur, omnimodis interdicimus. Quod qui facere præsumpserit, non solum ecclesiastica censura, sed etiam imperiali indignatione feriatur.

XII.

Pernicioſa inolevit consuetudo, ut judex publicus, vel minister, peccata populi, quæ ab episcopis sunt inquirenda, quibus animarum solicitudo commissa est, quasi inquirenda vendant, & ea occasione licenter sceleſta vita augmententur; & si in proprietate ecclesiæ vel clerici fœminas inveniant adulteras, infamant, comprehendunt, dilaniant, donec domini earum, vel parentes eas redimant, pro quo consanguinei earum in non modicam deveniunt paupertatem: & eo ordine liberius post venditionem fornicari non metuunt, dicentes nihil pertinere ad episcopum, quæ a publico examinata dignoscitur, & redempta: quod omnino irregulariter inoleviſse manifestum est. Habeant igitur episcopi singularum urbium in sua diœcesi liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundum quod canones censuerunt, absque impedimento alicujus. Et cum opus fuerit, ad comprimendos rebelles & contemptores publicum placitum convocent, non ad præjudicandum, sed potius ad ea quæ Deo placita sunt, & saluti animarum conveniunt, prosequendum.

☞ *In Cod. Vallicelano, quo usus est Mabillonius, ad eruendum Concilii hujus initium in vulgatis desideratum, eodem notante desunt Concilii hujus canones VIII. & IX. vicissim autem ibi nactus est sequentem canonem, qui cum hucusque defuerit in collectionibus, hic suppletur.*

Si quis Sanctorum Patrum regulas contempserit, & glorioſissimorum Imperatorum, Karoli videlicet Magni Imperatoris, & Hludovici atque Hlotharii, necnon & filii Hludovvici, de ecclesiasticis decimis in eorum Capitularibus statuta atque sancita sunt, non observaverit & eas aliubi, nisi in Baptismalibus ecclesiis, atque consensu Episcopi dare temptaverit, vel retinere præsumpserit; & qui dat, & qui recipit, auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, & sanctione sanctæ Synodi excommunicationi subjaceat. ☜

ANNO CHRISTI 904.

Adnotatio P. Antonii Pagi ad an. Ch. 898. num. 4.

Hoc Romanum Concilium, ſicut & ſequens Ravennatenſe tam Baronius, quam Collectores Conciliorum cum anno 904. male copularunt. Sigonius lib. 6. de Regn. Ital. & Rubeus lib. 5. Hiſt. Concilium Ravennatenſe recte anno 898. affixere, ſed illud cum Romano confudere, & ex duobus unum effecere, quia revera in Cod. MS. Mutinenſi, quo uſus eſt Sigonius, uno tenore deſcripta ſunt, tanquam acta unius ejuſdemque Concilii. Vincentius Bellovac. in Spec. Hiſtor. lib. 24. cap. 58. ſolius Concilii Ravennenſis meminit, & Goldaſtus tom. 1. Conſtit. Imper. pag. 297. decretum de electione Romani Pontificis in Concilio Romano editum Ravennenſi attribuit, quia uterque exemplar, in quo utrumque Concilium tanquam unicum exaratum erat, ſine dubio nactus eſt. In exemplari tamen, quod ab Antonio Auguſtino accepit Baronius, recitatur primum Concilium Romanum, & poſtea Ravennatenſe. Quod utrumque anno 898. initioque Pontificatus Joannis IX. congregatum fuiſſe non dubitandum; cum Joannes diro, quo laborabat Eccleſia, mederi morbo cuperet, metu Sergianorum, qui ob repulſam Sergii in armis erant, & Lambertus Imperat. vellet ſuam unctionem confirmari, atque imperialem Arnulphi conſecrationem ut metu extortam exſcindi.

Conventus itaque Romæ a Pontifice, Imperatore præſente, inſtitutus, ac de cauſa Formoſi & cæteris rebus, quæ egere correctione in Eccleſia videbantur, relatum. Acta Pſeudo-Synodi Romanæ a Stephano VI. habitæ Joannes IX. infirmavit; Arnulphi regis unctionem abrogavit; Sergium & ſocios damnatos reſtitui vetuit; violatores ſepulchri, cadaveriſque Formoſi damnavit, & Formoſum, ut qui propter neceſſitatem ex aliena Eccleſia ad Romanæ adminiſtrationem veniſſet, Pontificem confirmavit, ſtatuitque, *ne quis id in exemplum trahat, ſacris legibus prohibentibus*. Epiſcopi a Stephano VI. exauctorati ad gradus priſtinos redacti; Lamberti Imperatoris unctio confirmata; decretumque ne Pontifices Romanos, qui deſignati eſſent, jus eſſet conſecrari, niſi in conſpectu Legatorum regionum. Quo pacto decretum Hadriani III. abrogatum ad vitanda, quæ in Comitiis Pontificiis oriebantur, cum maxima Eccleſiæ offenſione, diſſidia.

Cum porro decretum Concilii Romani, quo ſtatuitur, ut Pontifex Romanus electus non conſecretur niſi præſentibus Legatis imperialibus, iiſdem penitus verbis concipiatur, ac decretum Stephano Papæ IV. vulgo V. attributum, nec plura, aut pauciora complectatur, manifeſtum eſt, illud non a Stephano IV. ſed a Stephano VI. curante Lamberto Auguſto, conditum fuiſſe; cum ejuſdem opera in hoc Concilio ratum habitum fuerit, ſicut & ejuſdem Imperatoris coronatio.

ANN CHRIS 904.

Baronius & Labbeus decretum pro unctione Lamberti editum, quod ordine ſextum eſt, his verbis exprimunt: *Unctionem ſacri Chriſmatis . . . . . illam vero barbaricam Berengarii, quæ per ſurreptionem &c.* Verum vox *Berengarii* in illum textum intruſa; Ea enim non extat in Codice, quo Sigonius laudatus uſus eſt, ſed tantum in eo habetur; *Illam vero barbaricam, quæ per ſurreptionem* &c. quæ verba nonniſi de unctione Imperiali Arnulphi a Formoſo Papa peracta intelligi poſſunt, ut jam viderunt Sigonius, & Rubeus citati. Neque Berengarius ab aliquo Pontifice Romano unctus & coronatus fuerat, ſicut Arnulphus, qui cum exercitu Romam venit, eaque expugnata imperialem coronam a Formoſo Papa accepit. Ad hæc anno 896. poſtquam Arnulphus Italia digreſſus eſt, Lambertus unum e ſuis ad regem Berengarium miſit, pacem amicitiamque petiturum: quo benigne excepto ac dimiſſo, Berengarius & Lambertus in urbe regia Ticino collocuti, pacem inter ſe fecere, quæ uſque ad Lamberti mortem duravit, qui ideo in diverſis Italiæ partibus tunc regnarunt. Quare vox illa *Berengarii* in laudatum canonem ſine dubio intruſa fuit. Quod cum non animadvertiſſet Labbeus in append. ad tom. 9. Concil. Rubeum arguit, quod Concilium Ravennatenſe cum anno 898. alligarit, ſcripſeritque, in eo Arnulphi regis conſecrationem abrogatam; cum tamen laude dignus ſit Rubeus, quod Concilium illud ſuo anno reddiderit, & decretum præfatum recte explicarit; quod non Romano, ſed Ravennenſi Concilio adſcribit, quia, ut jam diximus, in aliquibus codicibus utraque Synodus tanquam unica proponitur.

Nota Severini Binii.

Inter decimumquartum & decimumquintum capitula in codice Antonii Auguſtini, teſte Baronio, interpoſita leguntur duodecim capitula alterius cujuſpiam concilii, quæ ob venerandam antiquitatem digna ſunt meo judicio, quæ hoc loco edantur, & ſubjiciantur.

CANONES CONCILII ANONYMI

ex Antonii Augustini codice.

I.

UT comes inter honores ſuos rapſnam exercitus legi ſubjiciat.

II.

Ut imperiales homines ad colloquium ſive ſervitium imperatoris properantes, ſuis ſtipendiis ſint contenti.

III.

Ut nullus comitum * arimannos in beneficio ſuis hominibus tribuat.

* *f. legendum herimannos non Franca, frequentata lib. 3. c. 14. 28. 35. 67. 68. & ibi a ſcholiaſte pro tributo uſurpari ponitur: ſed hic pro perſona.*

IV.

Ut homines comitum, nullatenus in domibus arimannorum reſideant, ſed domos reipublicæ inſtaurent, ibique reſideant.

V.

Ut ſcriptoribus publicis, nullatenus interdicatur res arimannorum tranſcribere, ſi quando eis fuerit opportunum. Quod ſi occaſione * vitandi exercitus, aut placitum, venditæ fuerint, & ipſi eas pendere ſuperſederint, exigatur ab eis utrumque, ſicut ante tranſcriptionem.

* *al.* vitandi

VI.

Ut ipſi arimanni frequentius, quam in lege ſtatutum eſt, ad placitum ire non cogantur, nec a comitibus, nec a ſculdaſiis.

VII.

Ut bannum miſſi exercitus imperialis ſolummodo exigant.

VIII.

Ut paſtus imperatoris ab epiſcopis & comitibus ſecundum antiquam conſuetudinem ſolvatur. Quod ſi novo tempore fiſcus comitialis in jus eccleſiaſticum converſus eſt, augeatur ſtipendium imperiale ab eccleſia, juxta quod res publicæ fuerint minoratæ.

IX.

Ut omnis decimatio ab epiſcopo, vel his qui ab eo ſubſtituti ſunt, præbeatur; nulluſque eam ad ſuam capellam, niſi forte conceſſione epiſcopi, conferat. Quod ſi feciſſe contigerit, primum legibus ſubjaceat humanis, poſtea excommunicatione populi conſtrictus, ad ultimum ipſa capella, quæ magis contentionem quam utilitatem aliquam præſtat, deſtruatur.

Ut

X.

Ut plebes ecclesiæ nullatenus, aut comitibus, aut episcoporum vassallis, aut ullis laicis in beneficia tribuantur.

XI.

Ut in domibus ecclesiarum, neque missus, neque comes, vel judex, quasi pro consuetudine, neque placitum, neque hospitium vendicent, sed in publicis vicis domos constituant, in quibus placitum teneant, & secundum antiquam consuetudinem hospitentur.

XII.

Ut singulæ plebes archipresbyterum habeant, propter assiduam erga populi Dei curam singulis plebibus archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi solicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, & qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuncient; nec obtendat episcopus, non A egere plebem archipresbytero. Quod si ipse gubernare valeat, quia est valde idoneus, decet tamen, ut partiatur onera sua, & sicut ipse matrici præest, ita presbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica solicitudo. Cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant. ANNO CHRISTI 904.

ADNOTATIO P. ANTONII PAGI ad an. Ch. 898. num. 8.

B Baronius ad an. 904. n. 26. duodecim Capitula ex Codice MS. Antonii Augustini edidit, quæ postea Binius & Labbeus attexuere Concilio Romano an. 898. habito, putaruntque esse Canones Concilii Anonymi, sive ignorati. Sed Baluzius in præfatione ad Tom. 1. Capitular. Reg. Franc. observavit in veteri Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ extare constitutionem Lamberti Imp. *ut omnis decimatio Episcopo, vel ei qui ab eo substitutus est, præbeatur*; indeque recte intulit, Capitula illa XII. ex codice Antonii Augustini edita, esse Lamberti Imperatoris, cum Constitutio hæc sit nonum capitulum inter illa duodecim. Godalstus Tom. I. Constit. Imper. p. 299. refert *Berengarii I. Imperator. Augusti Capitulare statutum in Conventu Episcoporum ac Optimatum in civitate Ticina anno Domini* 903. Ita habet titulus, cui postea subjicit duodecim illa capitula a Baronio ex Antonio Augustino publicata. Sed ea in re Goldastus valde fallitur, cum Berengarius ante an. 916. Augustus renunciatus non fuerit, & duodecim illa capitula Lambertum Imp. habeant.

ANNO CHRISTI 904.

CONCILIUM RAVENNATE

LXXIV. EPISCOPORUM IN EADEM CAUSA

Formosi & Stephani Romanorum Pontificum, anno Domini DCCCCIV. celebratum, tempore Joannis papæ X. & Lamberti imperatoris.

Prælocutio pontificis.

QUia divina inspirante misericordia vestra nobiscum convenit fraternitas, ut nutu sancti Spiritus, qui suis nunquam deest fidelibus, communi omnium vestrum consultu, fratres carissimi, ea quæ necessaria sanctæ Dei ecclesiæ prævidimus, una cum spirituali filio nostro, gloriosissimo videlicet imperatore Lamberto, & vestro sancto collegio, & quæ nocivo surculo pullulare conabantur in agro sanctæ ecclesiæ, canonico sarculo eradicare studeamus, quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur, & examinata manibus omnium pro futura memoria roborentur, ne ulli unquam sine status sui periculo eadem violare liceat, sed rata, & firma in perpetuum consistant ad statum & munimen sanctæ Dei ecclesiæ, ad salvationem omnium fidelium per Dei misericordiam.

Responsio.

Immensas Deo salvatori nostro laudes referimus, qui talem vos præfecit ecclesiæ ejus opportunitatem decernere, ut omne ab ea zizanium eradicare conemini, prout in hac S. synodo cunctis nationibus apertis declaratur indiciis. Capitula etiam quæ pro generali omnium cautela ad robur & munimen sanctæ ecclesiæ conscripta sunt, si vestræ placet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur, quæ observare, vel quæ cavere debeamus, ne in aliquo a regulis sanctorum patrum (quod Deus avertat) deviare inveniamur. C

CAPITULA.

I.

Si quis sanctorum patrum regulas contempserit, & glorioſissimorum imperatorum, Caroli videlicet Magni imperatoris, & Ludovici, atque Lotharii, necnon & filii ejus Ludovici, quæ de ecclesiasticis decimis in eorum capitularibus statuta atque sancita sunt, non observaverit: (1 & eas aliubi, nisi in baptismalibus Ecclesiis, absque consensu Episcopi dare temptaverit, vel retinere præsumpserit) & qui recipit, auctoritate sanctæ sedis apostolicæ, & sanctione sanctæ synodi excommunicationi subjaceat. D E

Imperator autem ista servanda proposuit.

II.

Si quis Romanus, cujuscumque sit ordinis, sive de clero, sive de senatu, seu de

1 Quæ ansulis includuntur, damus ex Mabillonii Musæo Italico, ubi tom. 1. par. 2. p. 88. ex pervetusto Codice Vallicelano hoc caput edidit.

ANNO CHRISTI 904.

de quocumque ordine, gratis ad noſtram imperialem majeſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus ad nos voluerit proclamare, nullus eis contradicere præſumat, & neque eorum res quiſpiam invadere, vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo, vel redeundo, vel morando, inquietare præſumat, donec liceat imperatoriæ poteſtati eorum cauſas, aut perſonas, * aut per miſſos noſtros deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo, vel morando, tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre; poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, imperialis ultionis indignationem incurrat.

* *f. deeſt aut per nos,*

III.

Ut privilegium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quod a priſcis temporibus per piiſſimos imperatores ſtabilitum eſt, atque firmatum, ita nunc a nobis firmetur, & diebus noſtris, ſicut condecet, immutilatum ſervetur, & ſancta Romana eccleſia mater noſtra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad imperii noſtri eſt.

Pontifex his ſubjicit iſta.

IV.

Approbatur ſynodus habita in cauſa Formoſi Papæ.

Ut ſynodus, quæ veſtris temporibus in baſilica beati Petri apoſtoli, pro nonnullis malis eradicandis, & maxime pro cauſa domni Formoſi ſanctiſſimi papæ acta eſt, veſtro imperiali conſenſu, & venerabilium epiſcoporum, & optimatum veſtrorum roboretur, ac perpetualiter ſtabilita ſervetur. Quæ non invidiæ zelo, ſed rectitudinis gratia canonice peracta.

V.

Ut tantæ impietates, pro quibus nos ad vos veniſſemus, quas etiam per territoria noſtra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis, & violentiis, a vobis diligentiſſime inquirantur, & prout neceſſe eſt legaliter emendentur: quoniam tanto dolore perculſi ſumus talia contemplantes, quod magis mori cupieramus, quam talia in noſtris diebus * cerniſſemus, de quibus, ſi emendata non fuerint, vos, & nos a ſummo judice diſtincte quæremur. Ideo petimus, & per Chriſtum Dominum adjuramus, ut talia impunita non dimittatis.

al. crevisſemus, *inquit Baronius.*

VI.

Ut pactum, quod a beatæ memoriæ veſtro genitore domino VVidone, & a vobis piiſſimis imperatoribus, juxta præcedentem conſuetudinem factum eſt, nunc reintegretur, & inviolatum ſervetur.

VII.

De locis autem, atque rebus, quæ in eodem pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta ſunt, quæ petimus, ut in eadem ſynodo terminentur, & quæ non recte facta præcepta ſunt, corrumpantur.

ANNO CHRIS 904.

VIII.

Ut patrimonia, ſeu ſuburbana, atque maſſæ, & colonitiæ, necnon civitates, quæ contra rationem, quaſi per præcepta largita ſunt, petimus, reddatur, ipſaque . . . .

IX.

Veſtræ igitur majeſtati non manet incognitum, qualiter illicitas conjunctiones Romani, & Longobardi, ſimul & Franci, contra apoſtolicam, & imperialem voluntatem facere præſumpſere in territoriis B. Petri apoſtolorum principis: petimus, ut ſicut a veſtris anteceſſoribus imperatoribus prohibitum eſt, ne quoquomodo fierent, ita amodo, veſtro Auguſtali decreto omnimodis prohibeantur, & ſynodaliter, ne amodo ac deinceps fieri tententur, in perpetuum firmiter ſtatuatur atque firmetur.

X.

De hoc ſane præ omnibus condolemus, quia ad tantum apoſtolicum culmen gratia Chriſti provecti, cum eccleſiam Domini ſalvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, deſtructam cerneremus, direximus pro illius aliqua reſtauratione ad trabes incidendas; ſed qui directi ſunt a nobis, quæ neceſſaria erant, ob malitioſorum hominum infeſtationem, facere nullo modo valuerunt. Super quibus omnibus, cariſſime fili, videte nobiſcum, & quam ſit indecens, quantamque violentiam ſancta mater Romana eccleſia ſit paſſa, medullitus conſiderate: & ut amodo & deinceps veſtro imperiali ſtudio ad optatum vigorem perducatur, ſicut dilectiſſimus ejus filius, & imperator ſublimiſſimus, operam date. Sed hoc ſcire vos volumus, quoniam ſancta Romana eccleſia tantum eſt ad nihilum deducta, quod & eleemoſynæ, quæ pauperibus pro ſoſpitate veſtri imperii diſtribui ſolebant, & ſtipendia clericorum, ac famulorum ejus, omnimodis ſunt evacuata: pro quibus vero ad ſtabilitatem imperii veſtri magis vos oportet cum veſtris fidelibus prudenter tractare, ut, ſicut prædiximus, alicui reſtaurationi ipſius, quæ nimium eſt afflicta, operam detis.

His lectis, papa ad epiſcopos converſus ſic perorat:

Quia veſtra omnium fraternitas concordi voce ſibi placere profitetur quæ Chriſti Dei noſtri gratia inſpirante præfiximus: hortamur, ut ſecundum debitam ſolicitudinem commiſſæ ſibi a Deo eccleſiæ curam unuſquiſque veſtrum agere ſtudeat, & gregem Chriſti ſanguine redemptum bonis exemplis, ac ſalutaribus documentis inſtruat, habens ſemper præ oculis illum tremendum judicem, qui ſuum ſacratiſſimum ſanguinem pro omnibus fudit, ut cum ante ipſius tribimal ſteteritis, unicuique veſtrum dicat: *Euge ſerve bone, & fide-* Matth.

fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Cumque Deo auxiliante ad propria veneritis, jejunium indicite, litaniam celebrate, rogantes, & obsecrantes pium & misericordem Dominum, ut furorem mitiget, iram a populo avertat, pacem tribuat, schismata & seditiones comprimat, discordiam auferat, retroacta peccata tergat, & miserando aboleat; quatenus indultis omnibus delictis, misericordiam rogantibus largiatur, & ad protectionem & exaltationem sanctæ suæ ecclesiæ spiritualem filium nostrum, excellentissimum scilicet imperatorem Lambertum, conservet, & superbarum gentium illi colla subjiciat sua potenti dextera Jesus Christus Dominus noster, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Observatio Philippi Labbei.

Admonendum hic lectorem duxi, ne sibi patiatur ab Hieronymo Rubeo imponi, qui lib. v. histor. Ravenn. ait a Joanne Papa IX. concilium Ravennæ celebratum, cum tamen anno tantum DCCCC. pontificatum Joannes inierit. Addit, ibi a Joanne acta rescissa Romani concilii a Stephano VI. contra Formosum coacti, abrogatam Arnulfi regis consecrationem, Lamberti confirmatam. Quod alterum ab eo peccatur. Hæc enim a Joanne facta constat, non in Ravennensi concilio, sed in Romano ejusdem anni, ut testantur & illius acta supra descripta, & acta Ravennensis ipsius, in quibus nulla rerum istarum mentio.

ANNO CHRISTI 904.

Nota Severini Binii.

Hujus concilii Ravennatis meminit Sigebertus anno 309. his verbis: *Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quem Stephanus papa deposuerat, synodum 74. episcoporum præsentibus Francorum archiepiscopis, & rege, apud Ravennam statuit: & coram eis combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* Acta synodi ex codice Antonii Augustini Romam misso descripsit Baronius anno 904. n. 16. Qua de causa Joannes pontifex Roma decedens Ravennam profectus fuerit, ibique pro abrogatione rerum gestarum per Stephanum prædecessorem adversus Formosum concilium plenius celebraverit, supradictum est in vita Joannis IX.

Adnotatio P. Antonii Pagi *ad an. Ch.* 898. *n.* 8.

Paulo post Concilium Romanum, Ravennense ab eodem Joanne IX. eodem anno 898. coactum, ubi ipse Lambertus Imp. & 74. Episcopi interfuere. Hujus Concilii meminere non tantum Sigebertus in Chronico, sed etiam Vincentius Bellovac. in speculo Hist. Recte ait Baronius acta Synodi Romanæ in Ravennensi recitata fuisse. Porro decretum Concilii Ravennensis, *Si quis Sanctorum Patrum regulas contempserit* &c. edicto suo confirmavit Lambertus Imp. Baluzius enim in præfat. ad tom. 1. Capitul. n. 18. ait se inveniisse scriptum in veteri codice MS. Bibliothecæ Thuanæ: *Item ex Legibus Romanis a Domno Lamberto Imperatore promulgatis capitul. XI. Si quis Sanctorum Patrum regulas contempserit &c.*

ANNO CHRISTI 899.

SYNODUS SALISBURGENSIS

In qua VVichingus e throno Patavienſi deturbatus eſt anno Chriſti DCCCIC.

VVichingus Nitravienſis Epiſcopus, cum non ritu, atque ordine, nec legitimis, quorum intererat, ſuffragiis, ſed Arnulphi laici Principis potentia, relicta præter leges priori cathedra, Patavienſem invaſiſſet, Synodo coacta a Theodmaro Juvavenſi Archiepiſcopo, in ordine redactus eſt: de quo Annales Fuldenſes proxime ante annum 900. *Engelmarus Patavienſis Epiſcopus obiit: in cujus locum VVichingus quidam Alemannus contra inſtituta Patrum prius Marahunenſis ab Apoſtolico deſtinatus Epiſcopus Rege concedente ſucceſſit. Sed non multo poſt a Deothmaro Archiepiſcopo cæteriſque ſuffraganeis ſuis contra voluntatem regis canonicali judicio abjectus, & Richardus ad eamdem ſedem Epiſcopus in idipſum ordinatus eſt.*

ANNO CHRISTI 901.

VITA ET EPISTOLÆ BENEDICTI PAPÆ IV.

BEnedictus IV. natione Romanus poſt interregnum unius diei ſurrogatus eſt Joanni IX. anno Chriſti * DCCCCV. tempore Lamberti imperatoris. Munificentiſſimus erga pauperes, viduas, & orphanos, inter horum temporum pontifices tanquam ſidus quoddam lucidum emicuit. Anno pontificatus ſui tertio, * qui eſt Chriſti 907. * ex hac vita migravit, ſepultuſque eſt apud ſanctum Petrum juxta aditum, quo itur ad ſanctum Gregorium: ubi & ſepulchrum ejus exornatum fuit epitaphio, quod ex Manlio exſcriptum habet Baronius prædicto loco.

EPISTOLA I. BENEDICTI PAPÆ IV. ad Galliarum epiſcopos, principes, &c.

Argrinum Lingonenſem epiſcopum, in eccleſiæ ſuæ jura omnia reſtituit.

Benedictus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis, & ſanctiſſimis confratribus noſtris Galliarum archiepiſcopis, epiſcopis, ſeu glorioſiſſimis regibus, ducibus, comitibus, ſanctæ catholicæ, & apoſtolicæ eccleſiæ filiis atque fidelibus.

QUanta pietatis gratia, quantaque compaſſionis, & condeſcenſionis ſublimitate, ſancta mater Romana eccleſia, apoſtolicis inſtructa hortaminibus polleat, & emineat univerſis in fidei unitate degentibus, clarum habetur, quoniam a Deo omnis miſericordiæ fulget, quemadmodum a ſacratiſſimi fontis potu hauſit. Quapropter omnibus in ſanctæ converſationis gremio conſiſtentibus notum eſſe volumus, legatos Argrini confratris noſtri venerabilis epiſcopi noſtrum adiiſſe apoſtolatum, humiliter obſecrantes quatenus juſtitiæ moderamine æquitatis libramina, more prædeceſſorum noſtrorum, & pro amore Dei, & reverentia beati Petri apoſtolorum principis, conferremus, ſuumque electionis ordinem, decretumque a populo & clero Lingonenſis eccleſiæ digeſtum, quod præ manibus habebant, clementiæ veſtræ adtenderemus, quod & fecimus, in omnibus ſervata ſervare curantes: videlicet qualiter a cle-

clero & populo præfata Lingonienſis eccleſia poſt diſceſſum Gerlonis quondam epiſcopi unanimiter expetitus, concorditer electus, & acclamatus, necnon a proprio metropolitano Aureliano, & ab ejus ſuffraganeis, & a Bernuino Viennenſi archiepiſcopo canonice conſecratus, & in ipſa ſede Lingonica communi voto ac deſiderio inthronizatus extitit, & quomodo per ſpatium duorum annorum, & trium menſium, eandem prout potuit paſtorali moderamine rexit eccleſiam: ſed poſtea per quorumdam hominum inſolentiam, & ſubreptionem, a propria ſequeſtratus fuerit eccleſia tempore VVidonis imperatoris, qui tunc Romanis imperabat. Peractis autem liquidius annis, cum frequenter hanc ſanctam Romanam eccleſiam infortunii ſui cauſa viſitaret, & ſemper lacrymabiliter, ut ei ſinum miſericordiæ hæc aperire dignaretur, depoſceret: pervenit ad prædeceſſoris noſtri piæ recordationis Joannis papæ præſentiam cum eccleſiæ ſuæ lacrymoſis querimoniis, qui ejus abſentiam, & voce & literis condolebant, ſcilicet quod poſt ejus diſceſſum, variis & nimis attriti incommoditatibus, omni paſtorali deſtituti fuiſſent ſolatio, adeo ut nec chriſma confectum, nec infantes conſignati in ipſa Lingonenſi eccleſia fuerint, nec aliquod epiſcopale miniſterium rite peractum: unde etiam dictus Joannes ſanctiſſimus papa, ejus querimoniam eccleſiæ ſuæ benigne ſuſcipiens, cum collegio epiſcoporum ſuorum, reliquorumque ordinum frequentia diligenter inquiſivit, canoniceque definivit, quatenus ei apoſtolica auctoritate ſua redderetur eccleſia, quemadmodum in ſcrinio ſanctæ Romanæ eccleſiæ plenius habetur. Nos vero his auditis, & diligenti examinatione perpenſis, prædeceſſoris noſtri Joannis papæ ſtatuta in omnibus ſervare cupientes, quia rationis hujus ſeries indiſcuſſa, & irrefragabiliter determinanda, abſque reverendorum epiſcoporum conſilio, perfectionis cumulum capere non poterat: ſanctam convocavimus in Lateranenſe palatium ſynodum, omniaque iſta vera eſſe omnimodis comprobantes, conſilio & hortamine reverendorum patrum nobis adſiſtentium, jura ei indulſimus eccleſiaſtica, ſcilicet ut quia injuſto a ſua eccleſia privatus fuerat ordine, juſto etiam redderetur moderamine, noſtroque apoſtolico privilegio ſolemniter munitus, Lingonenſem canonice deinceps abſque alicujus contradictione teneret eccleſiam, paſtoraliterque regeret, atque Deo ordinante diſponeret. Non ſententiam prædeceſſoris noſtri Stephani papæ reprehendentes, ſed canonice cauſa neceſſitatis & utilitatis, in melius commutantes, quemadmodum prædeceſſores noſtros de multis egiſſe manifeſtum eſt. Quamobrem auctoritatis noſtræ privilegium ei fieri juſſimus, in quo pallii uſum ad miſſarum ſolemnia ſacratis diebus illi conceſſimus, quod olim a ſanctiſſimo prædeceſſore noſtro Formoſo papa acceperat. Quapropter virtute ſancti Spiritus, & noſtra apoſtolica auctoritate præcipimus, ut nulla poteſtas regalis, nulluſque conditionis vel ordinis, ſexus, contra hoc noſtrum apoſtolicum privilegium inſurgere audeat, noſtriſque juſſionibus, ullo modo contraire pertentet: ſed liceat ei quiete ſuam Domino juvante regere eccleſiam, ut quibus præeſſe debet, valeat & prodeſſe. Si quis vero hujus privilegii noſtri temerarius tranſgreſſor extiterit, & in omnibus non obſervaverit, & de rebus jam fatæ Lingonenſis eccleſiæ A juſte acquiſitis, aliquid invaſerit, aut minorare tentaverit, ſciat ſe a vivifico Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti corpore & ſanguine alienum, & a conſortio fidelium Chriſtianorum, ſequeſtratum, & niſi correctus ſatisfecerit, perpetuo anathemate damnatum. Bene valete.

Scriptum per manum Sergii, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſcriniarii, in menſe Auguſto, indictione III. data II. Kal. Septemb. per manum Leonis Dei pietate primicerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, anno Domini Benedicti papæ primo. Anno II. poſt obitum Landeberti imperatoris Auguſti, indictione III.

EPISTOLA II. BENEDICTI PAPÆ IV. AD CLERUM, ET POPULUM LINGONENSEM, de eodem argumento.

Benedictus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, clero & plebi ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ.

APoſtolica nos, & evangelica inſtituta inceſſanter admonent, ut omnium eccleſiarum curam ſollicite gerere debeamus, ipſa nos inſtruente, nobiſque in beato Petro apoſtolorum principe, præcipiente veritate, qui dicit: *Simon Joannis diligis me, paſce oves meas.* Cujus auctoritate, & vicaricatione divina, diſpoſitione freti, cunctis & in proſperitatibus congaudere, & in neceſſitatibus opem ferre parati ſumus. Et quia lex Dei per Moyſen data præcipit: *Si*, inquiens, *videris aſinum proximi tui ſub onere jacentem, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Scrutata veſtra calamitate, veſtraque diſcrimina continua, non ſine maximo mœrore admirando, ſuſcepimus, quod infra tot dierum temporumque ſpatia veſtram nobis injuriam cuſtos hominum ſollicitudo minime patefecit. Nunc ergo quia ſicut per veſtra ſcripta didicimus, Teutbaldus neque a vobis expetitus, neque electus, neque acclamatus eſt, ſed nec ad aliquos ſacros ordines in veſtra eccleſia provectus, ſicut hoc veris approbare poteſtis indiciis, & ita ſe res habet, ſicut prædeceſſori noſtro piæ recordationis Joanni papæ jamdudum innotuiſtis: non nobis videtur eſſe incongruum, ſed potius omni ſacra & canonica auctoritate fulcitum, more prædeceſſorum noſtrorum ſententiam mutando in melius, ut de multis exemplis evidentiſſimis approbare poſſumus. Ideo Argrinum paſtorem veſtrum a vobis unanimiter electum & expetitum vobis canonice præeſſe concedimus; quem, ſicut dicitis, utique patet inconſiderate fuiſſe per ſubreptionem a vobis expulſum: præcipientes, ut digna ac competenti illum reverentia recipiatis, atque ſicut proprio epiſcopo obedientes in omnibus exiſtentes, & ejus alloquio & conſolatione noſtra auctoritate fruamini, ac veluti eo tanto paſtore reddito & a vobis recepto, in Domino vobiſcum congratulemini. Sane quia omnibus eccleſiis jus intemeratum legemque canonicam inviolabiliter conſervare volumus: eccleſiæ veſtræ nequaquam vim inferre debemus, nec aliquod præjudicium imponere quærimus, ſed in omnibus canonicam auctoritatem & priſcam electionem immutilatam eſſe cenſemus. Benevalete.

Data 2. Kalend. Septembris, per manum Sergii ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Indictione tertia.

ANNO CHRISTI 905.

LEGES [1] ECCLESIASTICÆ

EDUARDI SENIORIS REGIS ANGLIÆ,

Et Guthurni regis Danorum in Eaſtranglia, *&c.* ab Aluredo Magno & Guthurno regibus primum conditæ, & nunc denuo ab Eduardo filio ejuſdem Aluredi & Guthurno fœdus incuntibus, Intingfordæ, ut videtur, confirmatæ.

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. *De pace Eccleſiæ.*
II. *De apoſtatis.*
III. *De correctione ordinatorum, id eſt, ſacris initiatorum.*
IV. *De inceſtu.*
V. *De rei capitalis damnato confeſſorem deſiderante.*
VI. *De decimis & cenſu eccleſiæ detentis.*
VII. *De iis qui die dominico ſua negotia agunt.*
VIII. *De jejuniis.*
IX. *De jurejurando & ordalio.*
X. *De membro truncato poſt tertium diem ſubveniendo.*
XI. *De ſagis, ariolantibus, pejerantibus,* &c.
XII. *De iis qui ſacris initiantur, & de peregrinis.*

☞ PROOEMIUM.

HOC eſt ſenatuſconſultum, quod Ælfredus rex, & Guthrun rex, & deinde Eadvveardus, & Guthrun rex elegerunt, & ſtatuerunt, cum Angli, & Dani pacem & amicitiam ſuſceperunt, & ſapientes etiam, qui poſtea erant, ſæpe & continuo eadem renovaverunt, & melius adauxerunt.

In primis eſt quod ſtatuerunt, ut unum Deum diligere velint, & omnem gentiliſmum ſedulo rejicere; & conſtituerunt etiam ſæcularem diſciplinam, pro eo quod ſciebant, quod non poſſent multos aliter gubernare, & multi nollent ad eccleſiaſticam emendationem aliter flectere, ſicuti debebant. Et compenſationem ſæcularem inſtituerunt Chriſto & regi communem, ſicubi homo nollet ad eccleſiaſticam compenſationem inclinare virtute auctoritatis epiſcoporum.

I. *De pace eccleſiæ.*

Hoc eſt igitur primum, quod dixerunt, ut eccleſiæ pax intra parietes, & regis manu data pax perſiſtat æqualiter incorrupte.

II. *De apoſtatis.*

Et ſi quis chriſtianiſmum ſpernat, vel paganiſmum veneretur verbis vel operibus, compenſet tam æſtimationem capitis, quam mulctam, & legis violationem, ſecundum quod factum eſt.

III. *De correctione ordinatorum.*

Si quis ſacris initiatus furetur, vel dimicet, vel pejeret, vel fornicetur, compenſet ſecundum quod factum eſt tam æſtimatione capitis, quam mulcta, & legis violatæ pœna; & erga Deum ſaltem emendet, ſicut canones adnotant, & fidejuſſorem inveniat, vel in carcerem detrudatur. Si presbyter populum male inſtruat de feſtivitate, vel jejunio, ſolvat xxx. ſolidos apud Anglos & apud Danos ſeſquimarcam. Si presbyter ad juſtum terminum chriſma non paret, vel baptiſma deneget ei, qui ejus opus habet, ſolvat mulctam apud Anglos, & apud Danos pœnam legis violatæ, hoc eſt, XII. oras. Si ſacris initiatus aliquid morte dignum perpetraverit, capiatur, & ad epiſcopi judicium deferatur.

IV. *De inceſtibus.*

De inceſtibus ſapientes inſtituerunt, ut rex habeat majoris conditionis homines, & epiſcopus minoris, niſi homo coram Deo & mundo compenſet ſecundum id quod factum eſt, ſicuti epiſcopus adnotat. Si duo fratres, vel huo conſanguinei cum una uxore rem habeant, compenſent in omni manſuetudine, ſicuti eis permittitur, ſive mulcta, ſive æſtimatione capitis, ſive pacis violatæ pœna, ſecundum id quod factum eſt.

V. *De rei capitalis damnato confeſſorem deſiderante.*

Et ſi mortis reus confiteri cupiat, nunquam hoc ei negetur, & omnes Dei leges ſedulo promoveantur per Dei miſericordiam, & per pœnas, quas ſapientes irrogabunt.

VI. *De decimis & cenſu eccleſiæ detentis.*

Si quis decimas retineat, ſolvat legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis ſancti Petri denarium retineat, ſolvat legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis unum nummum candelarem retineat, ſolvat legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis aratri eleemoſynam non dat, ſolvat legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis aliqua eccleſiaſtica jura ſupprimat, ſolvat legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si dimicet, & hominem vulneret, vitam perdat. Si aliquem morte afficiat, tunc ſit exlex, & eum perſequatur cum clamore quilibet eorum, qui jus amat. Et ſi faciat, ut quis eum occidat, pro eo quod Dei vel regis juri ſe oppotuit; ſi hoc affirmetur, jaceat ſine compenſatione.

VII. *De feſti diei operibus.*

Si quis die dominica mercari præſumat, perdat mercatum, & XII. oras apud Danos, & XXX. ſolidos apud Anglos. Si liber homo die feſto opere-

[1] Hæ locandæ ſub Sergio III. PP.

retur, perdat libertatem ſuam, vel ſolvat mul-
ctam, & legis violatæ pœnam: ſervus homo va-
ANNO CHRISTI 905. pulet, vel verbera redimat. Si dominus ſervos ſuos die teſto ad opus cogat, ſolvat legis violatæ pœnam dominus juxta legem Danorum, & mulctam apud Anglos.

VIII. *De jejuniis.*

Si liber homo juſtum jejunium diſſolvat, ſolvat mulctam, vel legis violatæ pœnam. Si ſervus hoc fecerit, vapulet, vel verbera redimat.

IX. *De ordalio, & juramentis.*

Ordalium & juramentum ſunt prohibita die- B
bus feſtis, & legitimis jejunii diebus; & ſi quis illud diſſolvat, ſolvat legis violatæ pœnam apud Danos, & mulctam apud Anglos.

Si fieri poſſit, nunquam occidatur in diei dominicæ feſto, qui aliquid perpetravit; ſed capiatur, & teneatur uſquedum dies feſtus tranſierit.

X. *De membro truncato poſt tertium diem ſubveniendo.*

Si particula membri claudicantis ejus, qui con- Ademnatus fuerit, præcidatur, & ille poſt hæc tres dies vivat, poteſt ei deinceps auxilium ferri cum epiſcopi venia, ſi quis velit doloribus & animæ mederi. ANNO CHRISTI 90

XI. *De ſagis, incantatoribus, perjuris, &c.*

Si ſagæ vel incantatores, perjuri vel venefici, vel fœtidæ, inquinatæ publicæ meretrices aliqua in regione compareant, tunc relegentur ex terra, & gens purgetur, vel ibi omnia illis eripiantur, niſi ceſſent, & altius compenſent.

XII. *De ſacris initiatis & alienigenis.*

Si ſacris initiatus vel alienigena per aliquam rem ſeducatur (in iis, quæ ad) pecuniam vel ad vitam (ſpectant) tunc rex ei eſſe debet, vel comes, qui in regione, & epiſcopus gentis ejus, loco cognatorum & patronorum, niſi alias alios habeat, & ſedulo compenſet ſecundum id quod factum eſt, Chriſto & regi, ſicuti decet; vel qui rex eſt in (illa) gente, factum hoc quam acerrime vindicet.

CONCILIUM ROMANUM

IN LATERANENSI BASILICA A BENEDICTO PAPA IV. habitum anno Domini [1] DCCCCVI.

HUjus concilii acta & monumenta nulla ſuperſunt, præter priorem Benedicti epiſtolam ſuperius deſcriptam: in qua ſanctam ſynodum a ſe convocatam ait in Lateranenſe palatium, deque ejus conſilio, Argrinum Lingonenſem epiſcopum injuſte ab eccleſia ſua pulſum, in eandem ſe reſtituere. Hanc epiſtolam conſule: ex qua etiam intelliges, habitum C *a Joanne Benedicti deceſſore in eadem cauſa epiſcoporum concilium, in quo canonice definitum eſt, ut ſua Argrino redderetur eccleſia. Quod an geſtum in Romano Concilio anni 904. in cauſa Formoſi habito, an in alio quopiam, mihi non liquet. Quo facto eſt, ut peculiare hac de re Concilium ſub Joanne IX. annotare noluerim.*

CONCILIUM ROMANUM I.

In Lateranenſi palatio coram Ludovico IV. imperatore a Benedicto IV. pontifice pro rebus eccleſiaſticis diſponendis,

Anno DCCCCIV. Februario menſe habitum.

Ex Supplemento Manſi pag 1094.

BEnzo Albenſis epiſcopus in commentario de D rebus Henrici III. imperatoris eo ſuperſtite ſcripto, & nuper a Menkenio inter ſcriptores German. tom. I. vulgato, notavit ex veteri ritu ſolemnis imperatorum Romanæ inaugurationis obtinuiſſe, ut poſt collatam imperii coronam ſynodus a pontifice coram imperatore haberetur: *Reliquis tribus ejuſdem hebdomadæ diebus celebrat Synodum, & ſimul emendat negligentias ſacrorum ordinum.* Id vero ſervatum fuiſſe cum Ludovicus IV. imperator Romanorum inauguratus fuit a Benedicto IV. ſummo pontifice, veterum quidem nemo adnotavit, ſed ſatis indicat vetus charta E Lucenſis, quam Ughellus in Lucenſibus tom. I. col. 799. exhibet, ac de rebus in ea Synodo geſtis unica ſupereſt.

JUDICATUM IN SYNODO ROMANA HABITUM

A Ludovico IV. imperatore, & Benedicto IV. pontifice.

DUM D. Ludovicus Sereniſſimus imperator auguſtus a regale dignitate Romam ad ſummum imperialis culminis apicem per ſanctiſs. ac ter beatiſs. ſummi pontificis & univerſalis PP. D. Benedicti dexteram adveniſſet, atque cum eodem reverendiſs. patre cum ſanctiſs. Romanis, ſeu Italicis epiſcopis, atque regni ſui ducibus, & comitibus, cæteriſque principibus, & judicibus, quorum nomina Petro, Sylveſtro, Urſo, Leone, Romano, Joannes, Allo, Bonoſo, Gregorius, item Romano, Coſma, & item Gregorius, epiſcopis hujus Romaniæ finibus Adelbertus Lunenſis, Adelbertus Bergomenſis, Everardus Piacentinæ, Garibaldus Novarienſe, Helbrin-

1 Hoc Concilium habitum anno Ch. 900. ut colligitur ex epiſtola prima Benedicti data 11. Kal. Septemb. Indictione III. quæ adhuc menſe Auguſto anni 900. currebat

bringus Parmenſe, Ildegarius Laudenſe, Ardingo Brexianenſe, Graſulfus Florentinæ, Albino VVlterrenſe, Petro Aretinenſe, & Eraldo Feſulanenſe, Aſterius Piſtorienſe venerab. epiſcopis, Adelelmo, Rotbaldo, Gottefredo Comitibus; Stefano, Teufilatus, Grigori, Omiculator, Graciano, Atrianus, Teodoro, Leo, Creſcentius, Benedictus, Joannes, Anaſtaſio, Judices huic Romanæ VValpertus, Aquilinus, Farimundus, Vivenejus, qui & Boderatus, Stabilis, & Stadelbertus. Judices, item Auguſti, Petrus, Sichardus, & Teutelmus. Notarii ſacri palatii Uvinigildus, Aubertus, Lupo, & item Uvinigildus, & reliqui plures in palacio, quod eſt fundatum juxta Baſilicam beatiſs. Petri principis Apoſtolorum in laubia magiore ipſius palacii pariter cum eodem ſummo pontifice in judicio reſidiſſet, atque de ſtabilitate ſanctæ Dei omnipotentis eccleſiæ reique publicæ ſtatu diligenter tractare cœpiſſet, ſingulorumque cauſæ intente auribus ſuæ clementiæ percipere conatus eſſet, atque cum multas hominum contentiones ibi juſte, & legaliter definirentur; ibique eorum venerunt præſentia reclamandum Petrus epiſcopus S. Lucenſis eccleſiæ una cum Eliazar, qui Elbonizo filius quondam Eriterii advocati ipſius eccleſiæ Lucenſis, & retulit ipſe Petrus Epiſcopus: *jam plures vices me reclamavi ad vos dominus Ludovicus ſereniſs. imper. tam in civitate Papia, quamque & per alias locas, quod Lambertus filius quondam Rodelandi de civitate Lucenſe injuſte detineret caſas, & res juris præfatæ eccleſiæ Lucenſe, nominative infra eadem civitate, ſeu ancilla una nomine Adreperga, atque & caſæ, & rebus illis hominibus, quibus ſunt, poſitas Caſtellioni prope ſub dominio Cornino, ubi dicitur caſale Lapi Monterioni Comitatu Popolonicenſe videlicet, & petita una de terra ubi dicitur a Pulia, atque in loco, & fundo Camiano prope fluvio Elſa, & in loco & fundo Quaraviana, ubi dicitur Miliano, & Pulciano, ſeu & in loco & fundo Miciano atque & res in Conca, verum etiam & eccleſiam unam fundatam in honorem ſancti Mauritii in loco & fundo Filituli; unde vos, D. Ludovicus imperator idem Lamberti veſtra epiſtola ad veſtro anulo ſigillata direxiſti, ut civitate Luca veniret, ibi exinde juſtitiam faciendum, & ſubunedum civit. Luca adveniendum diſtuliſſet; tunc hic civit. Roma veſtri veniſſet præſentia juſtitiam faciendum; ſed eum minime ad placitum habere potuiſtis. Ideoque prout me de ipſis caſis, & rebus, & parte epiſcopis eccleſiæ propter Deum, & animæ veſtræ mercedis ſalva querela inveſtire faciatis, quouſque ipſe Lambertus ad placitum venire, & mihi juſtitiam fecerit, ut lex eſt.* Tunc ipſe D. Ludovicus imperator ſuæ conſuetudinis miſericordiæ motus præcepit VValteri vaſſus & miſſus ſuo, ut eum de præd. caſis & rebus, ſalva querela a parte epiſcopis, eccleſiæ inveſtiret; ſtatimque, ibi præſente, ipſe Vulterius ex imperiali juſſione per fuſte, quam ſuis detinebat manibus, eumdem Petrum epiſcopum & Eleazar advocato ſuo de prædictis caſis, ſalva querela a parte epiſcopis eccleſiæ inveſtivit, quouſque ipſe Lambertus ad placitum veniat, & juſtitiam faciat. Inſuper miſſis bandum D. Imperat. ſuper ipſis rebus in monachos auri duo millia, ut nullus &c. inde pars epiſcopis eccleſiæ ſine legali judicio deſveſtire audiat; qui vero fecerit prædictos duo millia monachos auri ſe compoſiturus agnoſcat eſſe, medietatem parti Cameræ idem D. Imperat. & medietatem pars epiſcopis eccleſiæ Lucenſe; & hanc notitia pro ſecuritate idem Petri epiſcopi facere admonuerunt quidem.

ANNO CHRISTI 904.

Et ego Thomas notarius D. Imperatoris ex amonitione ſuprafcript. miſſo, & judicium ſcripſi anno imperii D. Ludovici primo menſe Feb. ind. 4.

Ego Odelb. epiſcop. in uno judicato interfui, & MM. SS.

VValpertus Judex D. Imperat. interfui.

Farinus Judex D. Imperat. interfui.

Stabilis Judex D. Imperat. interfui.

Stadilbertus D. Imperat. interfui.

SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA

ANNO CHRISTI 901.

Anno Chriſti DCCCCI.

Super quartis nuptiis Leonis Sapientis Imper.

Congregandæ ſynodi hæc cauſa fuit. Leo Imper. cognomento Sapiens, defuncta tertia conjuge Eudocia, quartam duxit Zoen Carbonopſinæ filiam. Cum autem quartas nuptias Baſilius Leonis parens irritas eſſe ac nullas edicto ſanxiſſet; cum tertiæ & ab hoc ipſo Leone prius ſeveriſſime prohibitæ, & canonicis alioqui pœnis obnoxiæ apud Græcos eſſent: Nicolaus cognomento Myſticus, CP. Patriarcha Leonis aſſentiri conſilio, quantumvis rogatus, renuit: Thomam Presbyterum, qui huic matrimonio eccleſiaſtico ritu benedixerat, depoſuit; imperatorem ipſum eccleſiæ aditu prohibuit. Auctores ſunt Curopalates, Gedrenus, Glycas, Zonaras, & alii. Eſſe autem id a Nicolao factum in concilio, intelligimus ex proœmio tomi unionis, ſive novellæ Conſtantini Porphyrogeniti, quæ habetur tomo I. Juris Græco-Romani a Leunclavio editi, libro II. Verba ejus ſunt: ὁ πατριάρχης δὲ Νικόλαος καὶ οἱ μητροπολῖται ἀφορίζουσι τὸν βασιλέα τῆς ἐκκλησίας. Patriarcha Nicolaus, & metropolitæ, imperatorem eccleſia excludunt.

Hinc throno dejectus eſt juſſu Leonis Nicolaus, & in exilium actus; ejuſque in locum Euthymius eccleſiaſticis ſuffragiis allectus eſt. Quod a ſynodo altera factum eſſe, nulla uſquam mentio, niſi in Annalibus Eutychii Alexandrini patriarchæ; cujus narrationem, quam uſquequaque veram præſtare nolim, hic tibi ex Latina Seldeni interpretatione repræſento.

Cum Leoni, *inquit*, imperatori Romano mortua eſſet uxor, nulla relicta prole, aliam ille uxorem ducere voluit; ac prohibuit ipſum Nicolaus patriarcha Conſtantinopolitanus, dicens: Non eſt tibi licitum uxorem ducere, ſiquidem anagnoſtes es, & preeibus ſacerdotum conſecratus: quod ſi uxorem duxeris, non licet tibi ad altare accedere. Cui Leo: Uxorem ducere cupio, quo ſit mihi filius qui poſt me regnum hæreditario poſſideat. At non permiſit ipſi patriarcha conjugium. Scripſit ergo Leo imperator ad patriarcham Romanum, Michaelem patriarcham Alexandrinum, Eliam Manſuri filium,

lium, patriarcham Hierosolymitanum, & Si-
ANNO CHRISTI 901. meonem Zarnaki filium, Antiochenum, rogans ut ad ipsum accederent, quo dispicerent, liceret necne ipsi uxorem ducere. At noluit eorum quispiam ad ipsum accedere, nisi quod singuli nomine suo legatum mitterent. Ac legatis se adjungentes episcopi quidam Constantinopoli, de negotio imperatoris dispicientes, matrimonium ipsi licitum pronunciarunt. Quare uxorem duxit: natusque est ipsi filius, quem Constantinum appellavit. Cumque Nicolaum patriarcham cathedra abdicasset, constitutus est ipsius
* Euthymius loco * Anthimus patriarcha Constantinopolitanus. (a)

Placet hic addere Nicolai patriarchæ literas ad Romanum pontificem de hoc argumento duas, huic illustrando loco summe utiles.

Sanctissimo papæ veteris Romæ Nicolaus patriarcha CP. de tetragamia a Romanis recepta.

INde principium scribendi summam, beatissime pater, unde nobis tot mala promanarunt. Post tertiæ uxoris obitum subiit optimi atque dilecti nobis imperatoris animum, quartum quoque connubium experiri velle: quod nemo ante, nedum privatus, verum etiam amplioris gradus, sub ditione Romana ausus fuerat. Quæ enim tam effuse petulans libido refragantibus sanctorum canonum sancitis non cohiberetur, nisi summo imperio suffulta, licere sibi censeret, quidquid concupisset? Vicit ergo ad extremum amor, quartaque jam uxor expetita est: puer autem obtentui assumptus, qui pridem ab ea genitus, successione imperii nullo prolis adhuc subsidio innixi destinabatur. Quod quidem fieri minime debuerat: neque enim partus subsecutus illegitimam conjunctionem ratam effecit. Alioquin obvium unicuique & in promptu foret legibus illudere. Hunc imperatoris conatum ecclesia Orientalis, pro eo ac gravitas rei postulabat, tam moleste tulit, ut conspiranti antistitum consensu solemnem illam pompam Augustorum filiis exhiberi solitam (id enim pater flagrantissime cupierat) in baptizando puero vetuerit: nisi prius a se mulieris missionem juraret Imperator. Quod & ore præstitit promptissime, quamvis aliud animo occulte volveret. Nondum enim triduum a baptismo filii effluxerat, cum pueri mater in palatium, ut principis decet nuptam, apparatu regifico accitur: cæremoniæ expediuntur nuptiales, nullius sacerdotis interventu, imperatore ipso & sponsi & auspicis munus exequente. Quod quidem non aliter ac si fundamenta totius fidei convellerentur, non præsules modo, clericosque cujuscunque ordinis commovit; verum etiam totam simul civitatem perculit. Me autem quid agere tunc aliud oportuit, quam quod amico, antistiti, excubitori de ecclesiæ dignitate, principisque salute dies noctesque cogitanti agere par erat? Primum quidem ad genua ipsius, immo ad pedes usque provolutus & monebam eum ut errantem, & ut imperatorem obsecrabam, vereretur fastigium dignitatis augustæ, in qua non secus ac in facie vel tantillum quidem maculæ occuli vix potest; agnosceret longe se sublimiorem regem tam inauditum facinus cælitus ulturum? non ideo principes legibus exolvi, ut vitam per omne scelus impunes ac infrænes agant, sed ut sibi leges ipsi sint, virtutis præscripto mores componentes. Postremam conditionem afferebam lacrymis obortis, aut saltem secubaret a muliere tantisper, donec acciti Romæ veteris, ceterarumque patriarchalium sedium legati, nobiscum quid facto opus esset, discepta-
rent.

His ergo tunc verbis nihil profuturis (obstruxerat enim tunc aures ejus amor) regem fatigabam: cum interim Roma adveniunt legati, quos ille (sic enim publice sermonibus divulgabatur) connubio firmando evocarat. Res sane, si quæris, hominibus nostris indignissima est visa; summoque cum dedecore conjuncta: quippe quæ procurationem mihi debitam aliis deferret, provincias patriarchales, jam pridem inter se patrum sanctionibus discretas, turpiter confunderet: nefarium scelus olim ab ecclesia dira execratione vetitum, in jus denuo nullo servato jure revocaret. Non ignoro a calumniatoribus jactatum, me per superbiam, legatorum conspectum atque colloquium spreviſſe: quasi vero mihi integrum fuerit, aut palam adire viros summa passim invidia flagrantes ob rumorem, quem plerique sparserant, adesse reprobatarum a nobis nuptiarum assertores; aut ipse imperatori non suaserim, decretum nobis in palatio cum legatis congrediendi locum daret, ubi remotis arbitris, de quæstione ista nuptiali disceptaremus. Quod ille facere neglexit, in meam unius perniciem animo intentus, quam quidem ita consutis dolis est aggressus. Primum omnium, nonnullos nostrorum præsulum partim donis, partim pollicitationibus illectos, quasi suas peculiares adversus me copias conscripsit: deinde me jussit in regiam accersiri ad convivium, quod illi instruere quotannis in beati Tryphonis festo moris erat.

Accedo imperterrita fretus conscientia, solemni cœtui interfum, epulis accumbo: inter sacra mensæ denique abripior, atque navigio impositus in exilium agor immitissimum, non amico, non famulo, non libro denique, cujus lectione me solari possem, fugam comitante: ubi non tam hiemis rigore, rerumque omnium egestate pressus, quam custodum violentia pene enectus, diu mansi. Pari inclementia in reliquos sanioris consilii fævitum est. Carcere, relegatione, vinculis afflicti omnes, deliquisse pœna tantummodo creduntur. Accessit, ne quid plane nobis deesset mali, aut supereſſet præsidii, legatorum asperitas: qui, non secus ac si Roma ad indicendum nobis bellum huc delati essent, nos indignissimis modis oppugnarunt, tantum miserorum odium, tantus contemptus ordinis homines incesserat. Et quidem decebat, primatum ecclesiasticum sibi vendicantes, rem totam serio inquirere, atque ad summum Pontif. referre; non autem per summam injuriam atque ludibrium eorum damnationi assentiri, qui nullius affines culpæ, principis indignationem incurrerunt ob id solum, quia fornicationis labem sunt abominati. Verum esto, duos aut tres viros, delatorum hinc calumniis, inde potentiorum prece, seu pretio expugnatos, humani aliquid, cum homines sint, pati potuisse: Occidentales præsules meris inimicorum mendaciis inductos, innocentium exilium suo confirmasse suffragio, quis ferat? Præ-
fer-

(a) Hæc dein controversia quæ totam Græcam Ecclesiam diro schismate dilaceravit, composita tandem fuit in alio Concilio CPtano in quo tomus unionis conditus est, infra ad an. 920. a nobis offerendus. *Mansi*.

sertim cum indicta causa aliquem damnare, ne barbari quidem, nedum Romani moris usquam fuerit.

At facto dispensationis nomen, ut audio, prætenditur: quasi vero per ullam dispensationem liceat fidei dignitatem, ecclesiæ disciplinam, imminuere, effractisque canonum repagulis fornicationem introducere in sancta: aut non inter nascentis evangelii initia hujusmodi crimen apostolorum sanctionibus, una cum immolatitiis & suffocato, vetitum non fuerit. Dispensatio, ni fallor, cum sibi imitandam proponat Dei miserationem, quæ delictum aufert, non fovet, salutaris quædam condescensio censenda est: peccatori quidem manum, ut se humo attollat, porrigens, non autem jacere permittens lapso. Non describo, quæ in hanc sententiam retulit vas electionis, cum sint nota omnibus: miror magis, cur nos eo potissimum relegamur nomine, quod vestigiis inhærentes patrum, damnata ab illis non permittimus: ecclesiæ decreta, animarum nobis a Deo creditarum salutem, principis gratia, seu indignatione potiora ducimus.

Non deerunt fortasse, qui objicient, errori suo latebram quærentes, hoc de quo lis est, matrimonium esse merum, non autem fornicationem. Itane vero matrimonium vocatur immunda cum quarta muliere conjunctio? Et quid aliud est vim inferre verbis, si dira lascivientis animi libido tam honesto nomine prætenditur? Honorabile connubium Paulus appellat, & genialem thorum impollutum: cur igitur eos qui hujuscemodi culpæ succubuere, sacri canones ab ecclesia ejiciunt? cur brutalem hanc luxuriam, & fines humanos supergressam vocant? At Romanis id in more positum (non enim desunt qui id dicant, laudine id vobis an vitio vertentes, non sat scio.) Nam apud vos, si famæ credimus, non modo quarta uxor, verum quinta & sexta, & super hanc alia atque alia permittitur, usque ad orci fauces inexhausta illa dispensatione omnes prosequente, illud subinde Apostoli verbum ingerente: *Satius est nubere, quam uri.* Quasi vero ille intemperantiæ patronus induci debeat, qui ne omnibus quidem secundas nuptias suasit, dum ait: *Dico autem innuptis & viduis, bonum esse illis sic permanere; quod si continere nequeunt, nubant*: viduis quidem mulieribus permittens secundum connubium ob sexus imbecillitatem, viris autem non item, nisi his tantum qui matrimonii jugum nondum sunt experti: his enim nubere satius, quam uri. Alioquin si cum quarta muliere connubium est, cur illud Clemens tam aperte damnat? Clemens, inquam, ille alumnus atque auditor Petri. Sic enim apud eum legitur: Monogamia quidem naturæ, atque legi consentanea est: digamia vero post promissionem illegitima, non ob conjunctionem, verum propter mendacium; trigamia intemperantiæ indicium: quæ autem trigamiæ additur, aperta fornicatio est, & indubia incontinentia.

At non unus e plebe, sed imperator est, qui id aggreditur, cujus voluntati refragari nefas. Præclare sane. An quia omnes ille dignitate supereminet, ideo nobis enitendum, ut inquinatior quoque reliquis appareat? Eadem ratione, pedum, ne luto respergantur, summam curam adhibebimus: capitis prorsus nullam? Apage, nonne vides ad principis vitam, tanquam ad exemplum, populorum conformari mores, pronumque magis esse prava imitari, naturali quadam ad deteriora humani ingenii inclinatione? Quod si principibus viris, quia potestas a Deo major eis attribuitur, ideo nequam agere plus licet: quid inter eos, & jumenta differet, quæ copia reddit efferatioria, contumeliosioraque? Potentes potenter examinabuntur, monet ille. Quinimmo, si in idem crimen tribunus, & miles gregarius impegerit, magis hoc illum disciplina puniet castrensis, adeo dignitas non mitigat, sed incendit pœnam. Neque vero a me in eum sensum hæc dicuntur, ut velim diris a vobis impeti imperatorem tale nefas ausum, ipsumque Sergium pontificem prædecessorem vestrum. Non ea mens animo: nec tantæ vindictæ amor, Dei servos decet. Ambo hac vita excessere pridem, supremi omnium judicis tribunal adituri: ille vero antequam hinc emigraret, agnovit flebiliter errorem suum, veniamque a Deo petiit, me inter primos hortatore, ac deprecatore, (aderam enim tunc forte ab exilio reversus, ab eoque ecclesiæ gubernationi restitutus.) In eos animadvertendum, beatissime pater, qui supersunt, qui tot in me, tantasque turbas criminationibus falsis excitarunt. Ita tuæ erunt partes; id a te dignitas primum tua, Romanæque sedis decus exigit; id qui nunc rerum potitur imperator, misso ad te palatii magistro, nosque omnes obnixe petimus atque obsecramus. Deus sanctitatem tuam incolumem servet.

ANNO CHRISTI 901.

G. C. Scripta est hæc epistola ad Anastasium papam: siquidem mortuo jam Sergio, imperante autem Alexandro Leonis fratre. Utrumque enim ex ipsis epistolæ verbis constat. Scripsit deinde Nicolaus idem ad Joannem X. sequentes litteras.

Joanni beatissimo papæ, &c.

QUot quantisque ærumnarum fluctibus per xv. annos jactati simus, (tot enim plus minus effluxere, ex quo primum scandala ecclesiam Constantinopolitanam pervagata, omnia turbarunt) & meminisse mihi permolestum est, beatissime pater, & memorare scienti tibi supervacuum. Læta potius amicis, & coexcubitoribus impartiri juvat, ecclesiæ nempe pacem subsecutum, conspirantemque omnium ordinum in his quæ sunt fidei, consensum. Cum enim in eo esset res, ut nulla amplius spes humanis experimentis nostra metientibus supereesse videretur: affulsit subito illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicet & Deus noster Jesus Christus, qui sævam illam hiemem atque tempestatem communis hostis opera coortam in ipsa halcyonia mutavit: adeo ut nullum penitus dissensionis vestigium remanserit, nulla odii cicatrix: omnes velut ex condicto veterum obliti, idem plane sentiunt; omnes sanctæ matris ecclesiæ, quæ eos obviis ulnis diu expectarat, optatissimum eunt in amplexum. Et nostræ quidem ita se res habent. Verum quia & vestram fraternam dilectionem, cujus erga nos officia temporum difficultatibus intermissa sunt, expetimus, & consuetam ecclesiis unionem optamus: ideo has ad vos dare literas decrevimus, ut omnis offensionis memoria deposita, sanctitatem vestram ad sinceram amicitiam atque conjunctionem animorum, pastoribus populorum debitam, provocaremus; quæ tum demum missis hinc inde legatis coalescet, cum judicatum fuerit concorditer, quartum connubium, quod dissensiones & scandala in ecclesiam invexit, non rei ipsius, sed personæ causa permissum est; suadente tunc occasione lenitatem atque affectum erga principem indulgentiorem, ne repulsa ipsius animus offensus deteriora moliretur. Sic enim & sanctitatis tuæ nomen ex sacro ecclesiæ Constan-

tinopolitanæ albo, ut mos olim est, una cum nostro rursus celebrabitur; & nos omni ex parte gaudio repleti, jucunditate pacis perfruemur. Enimvero ut huic curæ sedulo incumbas, te iterum rogat Deo dilectus imperator, oratore Romam ad tuam sanctitatem destinato Cl. V. Basilio protospathario, & aurei triclinii præfecto, cui nos comitem itineris, curarumque conscium adjunximus Eulogium, honorabilem presbyterum. Hos tu, beatissime pater, & excipies (uti spero) fronte hilari, & nos mutuis legationis officiis remunerabis: Joanni venerabili episcopo, cujus apud nos jam experta virtus, id munus, si expedire videbitur, injungens, aut alicui alii moribus illi non absimili, qui si qua sunt adhuc correctionis indigna, doctrina atque consilio emendare valeat nobiscum, juxta ecclesiasticas constitutiones. Vale in Domino, beatissime pater.

ANNO CHRISTI 901.

ANNO CHRISTI 906.

VITA LEONIS PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 906.

Leo V. quando papa factus. *Rectius 903. Vide Pagium ad hunc an.

LEO V. patria Ardeatinus subrogatus est in locum Benedicti IV. anno Domini * 907. tempore Lamberti imperatoris. Cumque quadraginta dies ecclesiam gubernasset, pulsus a pontificatu, detrusus est in carcerem per Christophorum sedis apostolicæ invasorem, anno eodem haud dubie, quo pontificatum adeptus fuit.

VITA CHRISTOPHORI PAPÆ.

Christophorus sedis invasor & pontifex.

CHristophorus invasor sedis apostolicæ, pari modo ab invasore Sergio pontificatu dejicitur, quo ille prædecessorem suum Leonem V. legitime electum sede sua amoverat. Nam cum septem menses sedem pontificiam tenuisset, dejectus est e sede violenter per Sergium, strictusque vinculis, & in carcerem trusus, per vim inductus vitam & habitum monasticum suscepit.

DIPLOMA CHRISTOPHORI PAPÆ in confirmationem privilegiorum abbatiæ Corbejensis in diœcesi Ambianensi.

Christophorus episcopus servus servorum Dei, universis episcopis Galliarum.

Ex D. Luc. Dacherii tom VI. spicilegii.

CUM Romanæ sedis pontificem constet omnium ecclesiarum Christi caput fore, ac si beati Petri apostolorum principis vices agentem, cui Christus ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*: nulli cunctandum est quod cunctæ ecclesiæ paci, saluti, & quieti prospicere nos oporteat, præcipue tamen his, qui ad nos necessitatis suæ causas deferre voluerint. Unde cognoscat omnium sanctorum Galliæ præsulum carissima fraternitas, quod vir venerabilis Franco abbas ex monasterio Corbejæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Sommam, adiit nos per venerabilem coepiscopum nostrum Orgarium, petens ut nostræ auctoritatis privilegio præcepta vel edicta regum & imperatorum antiquis aut modernis temporibus eidem loco concessa firmaremus, necnon privilegia episcoporum, unum a præsule Ambianensi Bertefrido, ad cujus diœcesim locus ipse pertinet, & coepiscopis suis factum, & primitus ædificato suo monasterio datum; aliud longe postea regnante Carolo, ab Hincmaro Remensi archiepiscopo, & universali Concilio episcoporum Galliæ conscriptum: præterea privilegia beatæ memoriæ Benedicti & Nicolai prædecessorum nostrorum: in quibus omnibus statutum est, ut præfatum monasterium Corbejæ, rerum suarum liberam obtineat dominationem, & eligendi sibi abbatem de suis semper habeat potestatem: contradictores vero & repugnantes huic sanctioni, anathemate damnandos. Qua de re noverit omnis cœtus episcoporum Galliæ, quod privilegia sanctorum episcoporum Galliæ, sive sedis Romanæ, cui auctore Deo præsidemus, jam dicto monasterio Corbejæ concessa, nostræ auctoritatis edicto roboramus; & omnem resistentem, divino judicio damnandum denunciamus. Super hæc autem jam dictus abbas Franco cum congregatione sibi commissa obsecrat, ut quia divina decernente justitia, piratarum sævitia, maritima Galliæ loca, in quibus & ipsum monasterium situm est, adeo devastantur, ut nulli extra munitiones manenti liber relinquatur locus, cujus etiam vastitatis impulsu cogente, sæpe memoratum monasterium muro munitum est: quatenus idem, sicut prius, in abbatis & fratrum potestate perpetuo maneat, ita ut neque comes, nec quilibet judex, aut manendi, aut aliquid contra voluntatem abbatis & fratrum inibi agendi potestatem præsumere audeat; ne forte concessa ab initio privilegia violentur. Quorum petitionem justam & pro tempore opportunam judicantes decernimus, ne aliqua sive ecclesiastica, sive sæcularis persona contra roborata nostra auctoritate privilegia venire audeat; sed sicut hactenus, ita deinceps in futurum inconvulsa permaneant. Et quia præteritorum casus nos cautos faciunt in futurum, omnem huic sanctæ auctoritati renitentem, nisi eis, quos læsit, digne satisfecerit, alienum a cœtu fidelium & hic & in futuro decernimus: omnes vero his nostris S. scilicet Petri successoris decretis faventes, gratiæ suæ ubertate Dominus replere dignetur.

Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Decembri, [1] indictione XI. septimo Kal. Januarii, imperante domno nostro piissimo augusto Ludovico a Deo coronato imperatore sanctissimo. Valete.

1 In Dacherii, qui hoc diploma edidit, spicilegio habetur *Indictione VII.* hoc est anno Ch. 903. cujus Kalend. Septemb. Indict. VII. numerari cœperat. Tunc revera sedebat in Romana Cathedra Christophorus juxta supputationem Pagii.

ANNO CHRISTI 906.

VITA SERGII PAPÆ III.

SErgius ille nefandus Adelberti Tuſciæ marchionis armis potentiſſimis fretus, homo vitiorum omnium ſervus, omniumque facinoroſiſſimus, qui una cum Stephano ſexto in Formoſum papam ſupra modum ſævierat, ſedem Chriſtophori, non Formoſi, ut memoria lapſus aſſeruit Luitprandus, invaſit; adeoque ab omnibus non legitimus pontifex, ſed invaſor ſedis apoſtolicæ eſt habitus. Ex presbytero, non ex diacono, vel epiſcopo, ut habent Luitprandus & Sigbertus, factum eſſe pontificem indicant acta Concilii Romani ſub Joanne IX. celebrati. Ambitione ſedis apoſtolicæ ad Francos ſe contulit, ait Sigebertus, & eorum auxilio Chriſtophorum invaſorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingreſſus, papatum invaſit, & Romanos minis ac terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formoſi irritas haberent. Eumdem etiam ordinatos a Formoſo papa exordinaſſe, novaſque eorumdem ordinationes ſuperinduxiſſe, teſtatur Auxilius apud Sigebertum in dialogo, quem hoc tempore contra inteſtinam diſcordiam Romanæ eccleſiæ de ordinationibus & exordinationibus Romanorum pontificum, aliorumque ab iis ordinatorum, ſcripſit. Ne quis vero puſillanimis ex hoc facto ſcandalum accipiat, meminerit patrata eſſe hæc ab invaſoribus & intruſis, pontificis nomen uſurpantibus, & illegitime thronum apoſtolicum invadentibus, quique cenſura eccleſiæ non tam apoſtolici, quam apoſtatici erant nominandi: qui autem legitime creati ſunt Romani pontifices, ut Joannes IX. iſta vehementer ſunt execrati. Unde non eſt mirandum, quod Sergius cum Stephano ſedis apoſtolicæ invaſore potentiſſimo, ea quæ ſacris legibus inconceſſa ſunt, tentaverit & uſurpaverit. Alienorum invaſor, graſſator eſt; at quis ab iſto juſta legitimaque omnia requirat? Et licet, quod mirandum eſt, Sergius talis fuerit, & ad ſacrilegium nefandum turpiſſimam impudicitiam addiderit, & ex Marozia, nobiliſſimi illius ſcorti Theodoræ, de qua ex Liutprando libro ſecundo cap. decimotertio infra ſæpius, filia, filium Joannem nomine procreaverit: tamen eo honoris & reverentiæ fideles omnes, præſertim longe poſiti Boreales populi, proſequebantur Romanam eccleſiam, ut quemcumque in ea ſedentem audirent nomine tenus pontificem, eumdem, mirum dictu, nulla habita diſcuſſione ejus ingreſſus, ut Petrum colerent. Nam ab hoc Sergio Colonienſem & Hamburgenſem pallia accepiſſe teſtatur Crantzius libro tertio hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 1. Bremenſem eccleſiam a poteſtate & juriſdictione Colonienſis, aliter quam auctoritate Formoſi papæ in Concilio Triburienſi ſtatutum fuerat, plane exemptam fuiſſe ſcribit Adam lib. 1. cap. 42. Unde nemo non intelligit, quanta providentia eccleſiam univerſam Deus optimus regat & gubernet, quæ cum meretricum arbitrio inflammaretur, omnia mala & ſcandala increbreſcerent, magnoque ſchiſmate ſcindenda metueretur, eamdem ab hæreſi & ſchiſmate omni ita defenderit, ut potius omnes ubique gentium fideles eidem fidei vinculo & obedientiæ fœdere juncti perſiſterent, firmiterque adhærerent. Poſtquam triennio ſedem invaſam occupaſſet, defunctus eſt anno Domini * 910. ut infra patebit ex initio pontificatus Joannis X.

Sergius impudicus.

Providentia Dei erga eccleſiam.

* *Reſtius* an. 911. ait Pagius ad an. 910.

AD SERGII III. EPISTOLAS

PRÆFATIO COLLECTORIS.

SErgii papæ epiſtolas a Rubeo Ughellio, aliiſque collectas dare nonnullas pronum fuiſſet; ſed iis omiſſis, quod nihil contineant, ſive memoria dignum, ſive ad rem conciliarem conducens, unicam tantummodo afferam Sergii epiſtolam quam Menkenius inter ſcriptores Rer. German. tom. I. ex MS. chronico Bremenſi vulgavit, quippe quæ cohæreat cum epiſtola Formoſi, quam Venetus Labbei editor tom. XVIII. col. 102. ex Henſchenio in actis SS. ad Februarii diem III. exhibuit. Quæ enim Formoſus ſtatuerat, ut Bremenſis eccleſia Hamburgenſi nonniſi ad tempus jungeretur, quoadusque ſcilicet Hamburgenſi archiepiſcopo de ſuffraganeis provideretur; qui ſi acceſſiſſent Hamburgenſi, ſtatim Bremenſis eccleſia ad provinciam Colonienſem rediret; hæc inquam in ea, quam exhibeo, epiſtola revocanda cenſuit Sergius papa, decernens, ut abrogata Formoſi papæ lege, Bremenſis eccleſia Hamburgenſi perpetuo juncta maneret. Hanc vero non ſuam eſſe tantummodo, ſed & totius concilii ſecum adunati definitionem his ſuboſcuris verbis idem pontifex indicat. *Quidquid conſenſu Formoſi, & Arnolfi regis, & machinatione Hermanni archiepiſcopi* (Colonienſis) *in te & eccleſiam Hamburgenſem temere perpetratum eſt; auctoritate quoque noſtra, & judicio plurimorum confratrum noſtrorum ſub anathemate contradicimus, & omnino deſtruimus.* Hæc ibi de hoc Romano concilio alias ignoto. Ex hac vero epiſtola confirmantur ea, quæ Albertus Stadienſis ad A. 896. narrat, nimirum in Triburienſi concilio avulſionem illam Bremenſis eccleſiæ ab Hamburgenſi ſancitam fuiſſe. Id vero & in hac epiſtola indicatur, refutaturque ex ea Pagius, qui ad A. 895. num. 5. cenſet disjunctionem hanc non ex concilio quidem Triburienſi, ſed ex Francofurtenſi quodam proveniſſe. Fateor equidem id olim a Francofurtenſibus patribus diſcuſſum, & ex eorum ſententia Formoſum papam id decreviſſe; ſed ea Formoſi definitio ferebat, ut Bremenſis eccleſia tandiu Hamburgenſi metropolitæ pareret, donec illi de novis ſuffraganeis provideretur. Triburienſes patres veniſſe tempus cenſuerunt, ut hoc Formoſi decretum executioni mandaretur. Sed hoc demum Triburienſe decretum infectum irritumque Sergius decernit. Hæc Sergii epiſtola ſignatur die V. nonas Februarii indictione III. Cum vero indictio III. cum Sergii pontificatu nequaquam congruat, ideo mendum

in

☞ in notas numerales irrepsisse, legendumque forte XIII. non immerito suspicarer.

ANNO CHRISTI 906.

SERGII III. EPISTOLA AD ADALGARIUM HAMBURGENSEM.

Bremensis ecclesiæ jura vindicat.

Sergius episcopus servus servorum Dei, reverendissimo, & sanctissimo Adalgario Hammaburgensis ecclesiæ episcopo apostolicam benedictionem, & paternam consolationem.

SUsceptis tuæ fraternitatis literis, cognita in eis injuria ecclesiæ tuæ, & tibi illata, non solum de ea, sed & de iniquo Formosi Papæ consensu, & Hermanni Colonienſis, & Moguntini archiepiscopi, & aliorum episcoporum iniqua circumventione &.... contristati sumus. Quid namque injuriosius, quam privari ecclesias juste sibi traditis honoribus? Quid etiam iniquius, quam violare & infringere imperatorum, & regum cartis tradita plurima apostolorum privilegia? nil amplius a nobis, vel successoribus nostris ratum firmum aut stabile statuetur in ecclesia. Sed quum juxta hæc verba Dominica: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*; & juxta hæc verba Apostoli: *Estis superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, in ipso angulari lapide Christo Jesu*: constat sanctam, & universalem ecclesiam fundatam esse supra petram, & super fundamentum prophetarum, & apostolorum, & compactam in ipso angulari, & firmissimo lapide Christo Jesu, necesse est, ut sic ipsa petrea, & apostolica fundatio, & sancta angularis compactione firma, æterna & immobilis; ita omnis ecclesiastica superædificatio sit rata, & stabilis, & ab omni humana præsumptione inviolabilis. Nos ergo juxta vocem Dominicam, & apostolicam, & juxta hanc beati Gregorii sententiam: quæcumque ecclesiæ privilegia semel indulta fuerint, rata amplius, & stabilia permanere debent. Quicquid igitur iniquo consensu Formosi papæ, & Arnolphi regis, & machinatione Hermanni archiepiscopi in te & ecclesiam Hamburgensem temere perpetratum est, auctoritate quoque nostra, & judicio plurimorum confratrum nostrorum, & sub anathemate contradicimus, & omnino destruimus. Quicquid autem a Nicolao papa & cæteris prædecessoribus Hamburgensi ecclesiæ concessum est, scilicet habere archiepiscopalem potestatem in regnum Danorum, Norvenorum, Suevorum, & omnium septentrionalium nationum, & Bremensem ecclesiam, & ipsam Hammaburgensem ecclesiam non duas, sed unam esse ecclesiam, & parochiam decernimus, & confirmamus. Auctoritate ergo Apostolica, & censura, sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdictu statuimus, ut nulla persona cujuscumque ordinis aut dignitatis sit ea, quæ vel in archiepiscopali dignitate, vel quæ in conjunctione Bremensis & Hammaburgensis ecclesiæ a prædecessoribus nostris, ecclesiæ tuæ, & tibi concessa sunt, & a nobis reformata sunt. Quicumque autem mutaverit, vel in aliquo violare præsumpserit, auctoritate Dei, & B. Petri Apostoli, & nostra, qui ejus fungimur vicariatione, perpetui anathematis vinculo sit innodatus. Hermannum autem Colonienſem archiepiscopum, & Haddanum * Moguntinum archipræsulem pro satisfactione pœnitentiæ usque ad præfinitum a nobis tempus a divino suspendimus officio, quoniam apud Triburiam per eos inique cassata sunt concessa ecclesiæ tuæ, & tibi apostolicæ sedis privilegia, & glorioſorum imperatorum annullata sunt testamenta. Nos quoque quemadmodum precatus es, monuimus apostolicis litteris Vvigbertum, & Bisonem, reverendissimos, & tuos convicinos episcopos, quatenus te adjuvent, & ad te convenientes ordinare episcopos, in quibus canonice inveneris locis, & competens designaverit ratio. Tua ergo, sanctissime frater, sanctimonia oret pro nobis, & pro universali sancta Romana ecclesia, & nobis remanda, qualiter & ubi episcopos ordinaveris. Datæ per manum Petri Cancellarii sanctæ Romanæ ecclesiæ V. nonas Februarii, indictione III.

* Hatton

☞ ROMANUM CONCILIUM

Quo Vvillelmus Taurinensis episcopus triennio suspensus est, & pœnitentiæ addictus.

Circa annum 906. celebratum.

Ibid.

DE concilio isto, alias plane ignoto, hæc suppeditat vetustus auctor Chronici Novaliciensis, cujus fragmentum exhibet Ughellius Ital. sac. tom: IV. in Taurinens. col. 1027. nov. edit. *Hic Vvillelmus composuit passionem S. Salvatoris cum tribus responsoriis. Et ab apostolico Romanæ sedis, & cunctorum episcoporum, qui in S. Synodo convenerant, tribus annis ob pœnitentiæ causam ab episcopio suspensus est &c.* Vvillelmus iste anno 906. lypsana S. Secundi martyris in urbem solemni pompa transtulit, eodem chronista teste, ex quo habiti concilii tempus utcumque elucet.

☞ CONCILIUM SCOANNENSE IN SCOTIA

Constantini regis anno quarto, Christi 906. celebratum.

Ibid. Affert Wilkins Concil. Magnæ Britan. to. I. p. 205.

DE hoc concilio sequentia in codice Colbertino reperiuntur: Constantinus filius Edii tenuit regnum XL. annis; cujus tertio anno Normanni prædaverunt Duncalden, omnemque Albaniam. In sequenti utique anno Constantinus rex, & Kellachus episcopus leges, disciplinasque fidei, atque jura ecclesiarum, evangeliorumque pariter cum Scotis in colle Credulitatis prope regali civitate Scoan devoverunt custodiri. Ab hoc die *collic* hoc (nomen) meruit, i. e. *collis Credulitatis*.

JUDI-

ANNO CHRISTI 906.

JUDICIUM EPISCOPORUM

ANNO CHRISTI DCCCCVI.

In controversia canonicorum sancti Vincentii Matiscon. & monachorum * S. Eugendi.

ANno incarnationis dominicæ DCCCCI. cum venissent sacri pontifices, Austerius Lugdunensis archiepiscopus, & Gerardus Matiscensis episcopus, ad ecclesiam sancti Eugendi supra fluvium qui vocatur Borbontia: orta est ante illos proclamatio non modica canonicorum sancti Vincentii Matisconensis: Folcoldi videlicet præpositi, & reliquorum inibi commorantium, ex quadam A capella, quæ erat fundata in honore Dei & sancti Vincentii in villa Gerii in curtile S. Albani sita, quam Bertericus in stipendia canonicorum contulit. E contra vero monachi S. Eugendi, monasterii Lurensis, dicebant quod privilegium sibi factum a domino Lamberto pontifice habebant, promittentes ostendere; nec demonstrare potuerunt.... Actum regnante Carolo.

CONCILIA DUO NARBONENSIS PROVINCIÆ.

ANno Domini DCCCCVI. Barcinone celebratum est concilium, cui præfuit Arnustus archiepiscopus Narbonensis, episcopi septem interfuerunt. Quo in consilio disputatum est, utrum Ausonensis ecclesia tributaria esse deberet ecclesiæ Narbonensis.

Anno DCCCCVII. apud S. Tiberium in diœcesi Agathensi aliud eadem in causa coactum est concilium: cui præfuit idem Arnustus Narbonensis archiepiscopus, & episcopi novem interfuerunt. In eo terminata est causa episcopi Ausonensis; B decretumque, Ausonensem ecclesiam liberam in posterum fore a tributo quod pendebat ecclesiæ Narbonensi. Cui decreto sponte consensit Arnustus.

Brevem hanc conciliorum istorum summam excerpsit Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus ex eorum actis, quæ sunt in Ausonensis ecclesiæ tabulario.

CONCILIUM BARCINONENSE

habitum anno DCCCCVI. & Agathense apud sanctum Tiberium anno DCCCCVII.

ANnuente atque inspirante divina clementia, anno Verbi incarnati DCCCCVI. conventus Pontificum reverendorum factus est apud nobilem civitatem Barchinonam; in quo adfuerunt reverendissimus Metropolita Arnustus primæ Narbonensis civitatis antistes, pariterque Servus Dei, & Renardus, necnon Aquinus, & Nantigisus, seu etiam Idalcarius, & Theudericus, sanctissimi præsules, eximiusque Princeps & Marchio Vvifredus, cum iis etiam Abbatibus, & diversi ordinis clericorum maxima conglobatio, & religiosorum laicorum immodica caterva. His igitur omnibus in Ecclesia sanctæ Crucis in unum congregatis surrexit quidam in medio sanctæ religionis Episcopus Ausonensis ecclesiæ, nomine Idalcarius, proferens querimoniam suæ Ecclesiæ: D dicensque: Attendat & consideret vestra reverenda paternitas, Reverende Archipræsul Arnuste, necnon & omnes qui in hoc sacro Concilio adestis. Cum priscis temporibus tota Hispania atque Gotia sacris insisteret eruditionibus, & vernaret clero, atque fulgeret Ecclesiis Christo dicatis, inter reliquas ipsa quoque Ausonensis Ecclesia nobilis habebatur. Peccatis vero exigentibus illorum qui tunc habitatores erant illarum terrarum, ut omnes nostis, barbarico gladio divino judicio traditi sunt, ita ut nec aliquis Christianorum in prædicto pago Ausonæ remaneret. Post multorum autem annorum curricula misertus Dominus terræ, suscitavit in ea nobilissimum Principem Vvifredum & fratres ejus: qui ex diversis locis & gentibus homines pio amore colligentes, prælibatam Ecclesiam cum suis finibus C in pristinum instauraverunt statum. Cum autem adhuc in paucitate consisteret, & nedum talis esset ut per se ipsam, sicut antiquitus, Episcopum habere posset, adhuc prædictus Marchio reverendissimum Sigebodum Episcopum & Narbonensem Metropolitanum, ut jam fatam Ecclesiam sub suo teneret regimine, & tam per se quam per suos convicinos suffraganeos illam ordinaret atque disponeret, donec faciente Deo paulatim ad incrementum perveniret, qualiter in ea proprius Episcopus juxta antiquum morem consistere posset. Cum vero pietas superni numinis ipsam Ecclesiam per jamdictum Principem longe lateque dilatasset, & cuncti cernerent illam proprium debere Episcopum habere, jam venerabili Sigebodo divina vocatione ex hac luce subtracto, expetivit tam idem Marchio quam omnis clerus & populus Ausonensis reverendum Theodardum prælibatæ sedis Narbonensis Pontificem, ut sæpedictæ Ecclesiæ Ausonensi proprium ordinaret Episcopum. Qui, una cum cæteris Pontificibus, dignis illorum petitionibus annuens, in pontificium ejusdem Ecclesiæ decessorem nostrum divinæ memoriæ Gotmarum sacra benedictione consecrare non distulit. Illis quoque universæ carnis viam carpentibus, eximio Archipontifice Arnusto Narbonam Theodardo succedente, me quoque immeritum Ausonensi per cleri & plebis electionem præfecit Ecclesiæ. Injunctum est autem decessori meo a reverendo Theodardo, & mihi a præsenti Metropolitano, ut Ecclesiæ Narbonensi, quæ est in honorem sanctorum martyrum Justi & Pastoris sita, per singulos annos libram

bram argenteam persolveremus. Nunc itaque vi- A
ANNO CHRISTI 906. deat sanctissimus Metropolita, & omnes reverendissimi qui adestis Episcopi, & revolvat omnia volumina sanctæ legis Christianæ, si æquum est Episcopum fiscalem esse, vel si cathedra episcopalis alicui Ecclesiæ tributum debeat persolvere, nisi tantum quod jura canonum resonant, humilem subjectionem atque debitum honorem proprio deferre Metropolitano. Diutissime autem illic de hoc tractantibus Episcopis, querimoniæ tandem idem respondit Metropolita. De hoc quod strenue sagacitas dilecti confratris nostri Idalcarii Episcopi querelatur, justa quidem nobis ejus videtur querela. Sed in hoc nos, acta quidem prioris decessoris nostri sequentes, improvise atque inconsiderate egimus. Ideoque quod que- B rimonia ejus recta nobis ac vobis videtur, differamus illud usque ad plenam synodum & perfectum duodenarium numerum confratrum nostrorum. Et tunc, secundum divinam inspirationem, ex hoc quod rectius est, statuemus.

Sequenti denique anno sancta synodus congregata est in loco qui dicitur cœnobio sancti Tiberii, in dioceси Agathensi, in quo iterum adfuerunt reliqui Episcopi qui priori defuerunt conventui, in qua iterum synodo eadem quæstio a cunctis iterum ventilata est. Universi igitur qui inibi residebant, sancti spiritus illustratione affati, decernentes pariter decreverunt non debere Episcopum tributarium esse, neque cathedram episcopalem, quæ domina & mater est proprii cle- C ri & plebis, alicui servitio mancipari, sed liberam esse ab omni jure fiscali. Placuit itaque omnibus quorum nomina subter tenentur inserta ut hoc decretum scripturæ propriis roboretur manibus, & sub divinum anathema atque æterna censura statuerunt ne quis usquam successorum illorum sanctæ Ausonensi Ecclesiæ imponeret quod pia consideratione illius, omnibus decernentibus, ab ea funditus amputatum est. Igitur ego Arnustus annuente superna clementia exiguus Narbonensis Episcopus, omnium confratrum nostrorum rectissimam ex hoc respiciens defensionem, cedo atque perdono tam eidem supradicto Idalcario Episcopo sanctæ Ausonensis Ecclesiæ, quam omnibus successoribus suis prædictum argenti li- D bræ censum, quod a decessore meo Domno Theodardo vel a me improvise impositum est; ita quod a me neque a successoribus meis ullo modo requiratur; sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus immunes esse ab omni jure fiscali, sicut reliqui in nostra provincia vel ubicumque Christiana religio pollet. Si quis vero, quod absit, temerario ausu contra hoc decretum a nobis pio amore statutum agere voluerit, sicut supra scriptum est, divino judicio & anathematis vinculo feriatur.

Arnustus sanctæ Narbonensis Ecclesiæ humilis Episcopus hoc decretum roboravi.

Audkarius Episcopus.
Gunterius Episcopus.
Reginardus Episcopus.
Guimera Episcopus.
Gerardus Episcopus.
Riculfus Episcopus consensi.

Guigno sanctæ Gerundensis Ecclesiæ Episcopus consensi.

Nantigisus sanctæ Urgellitanæ Ecclesiæ Episcopus consensi.

Stephanus clericus, qui hoc decretum sanctæ Ecclesiæ Ausonensis scripsi die & anno quo supra.

Notæ Stephani Baluzii.

Paulo ante annum ab incarnatione Christi septingentesimum Sarraceni in Hispaniam transgressi, ferro ubique grassati sunt, ac velut ad abolendum nomen Christianum accessissent, nulla sacra nullosque ritus permittebant Christianis. Hinc Ecclesiæ fuere sine sacerdotibus, & statim pulsa religio ab iis regionibus quas Sarraceni insederunt. Attigit illa clades provinciam Tarraconensem: ac tota fere illius pars quæ citra Rubricatum habitatur, facta est sub tributo. In vicino erat Ausona, nobilis quondam civitas, quæ tum excisa fuit; & cuncta late regio immaniter devastata. Neque tamen sedes ibi fixerunt Sarraceni. Tarraco erat in eorum potestate, & Ausona eo usque dejecta erat, ut ne quidem cogitari posset de restauranda civitatis illius Ecclesia. Ergo provincia quidem Tarraconensis, ea nimirum portio quæ citra Rubricatum est, subjecta fuit Archiepiscopo Narbonensi, tanquam viciniori, & speciali diœcesi Narbonensi adjecta civitas Ausonensis, quamvis longo intervallo disjuncta, donec proprium Episcopum habere posset; ut diximus in Notis ad Concilium Narbonense habitam sub Karolo Magno. Tandem Ecclesiæ Ausonensi datus est proprius Episcopus a Theedardo Archiepiscopo Narbonensi, Godmarus nimirum; ea tamen lege, ut singulis annis Episcopus Ausonensis libram argenteam persolveret Ecclesiæ Narbonensi, more feudorum. Iniquum id dein esse putavit Idalcarius Episcopus Ausonensis, conquestusque est in ista synodo Barcinonensi de injusta hac exactione. Ea porro causa finita est anno sequenti in synodo habita apud sanctum Tiberium.

Servus-Dei) Gerundensis Episcopus. Vide quæ de eo dicta sunt in libro quarto Marcæ Hispanicæ.

Renardus) Episcopus Biterrensis.

Aquinus) Undenam fuerit Episcopus, nondum potui divinare. Certe nomen istud nulli eorum Episcoporum convenit, qui tum erant in suffragio Archiepiscopi Narbonensis. Fortassis erratum est a librario, proque *Aquinus* legendum est forsan *Adulfus*, qui ea omnino ætate vivebat. Erat autem Episcopus Palliarensis, ut patet ex Concilio apud Fontem coopertam habito anno DCCCCXI.

Nantigisus) Urgellensis Episcopus.

Idalcarius) Episcopus Ausonensis post Godmarum, id est, secundus post restitutam sedem Ausonensem. Ordinatus fuit ab Arnusto Archiepiscopo Narbonensi.

Theudericus) Barcinonensis Episcopus, qui synodo Narbonensi apud Fontem coopertam interfuit anno DCCCCXI.

Vvifredus) Comes Barcinonensis, cognomento pilosus. Fundavit monasterium Rivipullense, in quo sepultus est anno DCCCCXII.

Ecclesia S. Crucis) id est, Cathedralis Ecclesia Barcinonensis, quæ nomen habet sanctæ crucis.

Barbarico Gladio) id est, Sarracenico.

Sub suo regimine) Istud non est ita intelligendum ac si tum primum diœcesis Ausonensis commissa fuisset Archiepiscopo Narbonensi. Jam enim istud factum fuerat superiore sæculo, uti diximus in Notis ad Concilium Narbonense, quod sub Karolo Magno habitum est. Sed quia haud dubie post Karoli Magni tempora rursum Sarraceni irruperant in eam diœcesim, ac Christianitatem omnem inde abegerant; Vvifredus Comes in eos irruens, ultra Rubricatum secedere coegit, etiam usque ad Tarraconem. Ergo quia Sarraceni deleverant Christianos apud Ausonam, Vvifredus alios ex variis locis invitans, oravit dein Sigebodum Archiepiscopum Narbonensem, ut quemadmodum prædecessores ejus curam susceperant diœceseos Ausonensis, ipse quoque novam hanc Christianorum coloniam foveret, donec ita restaurari civitas posset, ut proprium habere Episcopum valeret.

Plenam Synodum) id est, eam synodum in qua adsint duodecim Episcopi, ut scriptum est paulo infra. E Certa enim & integra est provincia quæ ex duodecim constat episcopatibus; ut Pelagius II. scribit ad Joannem Constantinopolitanum, & post eum Urbanus II. in epistola ad Lambertum Episcopum Attrebatensem in libro quinto miscellaneorum nostrorum. Concilium Antiochenum canone XVI. perfectam synodum dixerat, in qua Metropolitanus adest, tametsi fortassis duodenarius Episcoporum numerus non adesset, uti pluribus diximus ad librum Agobardi de dispensatione ecclesiasticarum rerum cap. XX.

Sancti Tiberii) Vetus monasterium apud Cesseronem, ad Araurem fluvium, in diœcesi Agathensi, cujus mentio extat in Constituto Ludovici Pii de monasteriis regni Francorum. Cesseronis nomen dein omissum est, ob reverentiam sancti Tiberii martyris & sociorum ejus, qui illic passi sunt sub imperio Diocletiani. Hodie enim locus ille vocatur *Saint Uberi*.

Epi-

Episcoporum porro qui huic synodo interfuerunt hæc sunt nomina. Arnustus Narbonensis Metropolitanus, Audkarius sive Autgerius Gdovensis, Gunterius Magalonensis, Reginardus Biterensis, Guimera Carcassonensis, Gerardus Agathensis, Riculfus Helenensis, Guiguo A Gerundensis, Nantigisus Urgellensis: omnes suffraganei Ecclesiæ Narbonensis. Desunt autem in subscriptionibus nomina Episcoporum Tolosani, Uceticensis, Barcinonensis, Ausonensis, & Nemausensis, quos huic conventui interfuisse testantur, juxta constitutum prioris synodi. ANNO CHRISTI 906. vel 907.

☞ AD SYNODUM BARCHINONENSEM

Arnusto archiepiscopo Narbonensi præside ob varia ecclesiæ negotia disponenda celebratam,

ADDITIO.

VEnetus Labbei editor tom. XI. col. 726. rerum in hac synodo gestarum portionem quandam, ex Baluzio acceptam, dedit. Aliam non contemnendam, ejusdem synodi partem suppeditat collectio veterum monumentorum Martenii tom. VII. col. 50. ex qua hic damus. Annus vero hujus concilii, quamvis 906. utrimque, tam in charta Baluzii, quam Martenii indicatur, adhuc tamen in annum 907. transferri oportere hac ego conjectura olim deduxi in meis ad Pagium adnotationibus.

Concilium Barchinonense, quod hoc anno 906. a Baluzio consignatur, ad sequentem transferendum esse, licet in ejus fronte mendose legitur: B *Anno verbi incarnati CMVI.* penes me certum est. Cum enim sequenti, idest altero a concilio Barchinonensi anno, concilium Agathense habitum fuerit, ut in veteri charta ubi ejusdem Barchinonensis historia legitur apud Baluzium & est in Collect. Veneto-Labbeana tom. XI. pag. 725. si demonstretur Agathense ante annum 908. agi non potuisse; patebit utique Barchinonense uno saltem anno retrahendum esse. Id autem ex eo liquet, quod Agathensi subscribit Guido Gerundensis, qui anno 907. XII. Kal. *Decembris anno XI. Caroli indict. XI. electus fuit*, ut fert instrumentum electionis ejus vulgatum a Martenio Anecdot. tom. I. col. 60.

☞ CONCILIUM BARCHINONENSE

ANNO DCCCCVI. (a)

Celebratum confirmat Hemmæ abbatissæ quasdam ecclesias.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI. sub indictione VIII. conventus factus sanctorum episcoporum Barchinonam civitatem, quorum hæc sunt nomina: Arnustus archiepiscopus almæ Narbonensis ecclesiæ, Servusdei Gerundensis, Nantigisus Urgellensis, Idilcharius Ausonensis, Theudericus Barchinonensis, Reinardus Cavellicensis. Dum igitur residerent in ecclesiam S. Crucis, una cum præcellentissimo principe & marchione VVifredo, seu plurimorum diversi ordinis clericorum, & religiosorum laicorum non minima caterva, ut plurimorum audirent querimonias, & Deo favente quæ prolata erant justissime determinarent. In supradictorum præsentiam affuere legati Deo devotæ & religiosissimæ abbatissæ Hemmæ præ manibus habentes scriptutam confirmationis rerum monasterii sui, quod situm est in honore S. Johannis-Baptistæ, edita scilicet, & roborata a prænominato summo antistite Arnusto, cæterorumque venerabilium episcoporum, quorum hæc sunt nomina: Amælus Ucætiensis, Aglardus Nemausensis, (a) Riculfus Helenensis, Artmannus Tolonensis, Servusdei Gerundensis, Nantigisius Urgellensis, (b) Reinardus Biterrensis, Gontarius Magdalonensis, Autgarius Lutovensis, Gimera Carcassensis, Gerardus Agathensis. Qui vero in præsenti coadunatione affuerunt, petiit præfata Deo dicata abbatissa per suam legationem easdem res monasterii sui, ut juxta canonicam & episcopalem auctoritatem confirmarent. Nam istæ sunt C ecclesiæ, parochiæ, vel cellæ, atque prædia, quas sub jure canonico sibi petiit roborari. Primum quidem ipsum monasterium in honore S. Johannis Baptistæ & præcursoris Domini sub tuitione & cura episcopali, sicut sacri canones docent, cum parochia, & finibus, vel adjacentiis suis, parochiam quoque S. Mariæ, & S. Kyrici, & Saura cum finibus suis; cellam etiam S. Martini cum sua parochiuncula, nec non & ecclesiam S. Columbæ cum parochia sua. Hæc omnia conjacent D in episcopio Ausonense. In pago autem Vallense parochium S. Genesii, in villa quæ dicitur Amigdala, & in pago Cerdianense parochiam S. Mariæ, quæ dicitur Liliætam, & Bergogiam, & Angustrinam; & juxta Cardonam cellam S. Johannis cum sua parochia; & in confluente pago, villa Foliano ecclesiam in honore S. Eulaliæ cum sua parochia, & in eodem territorio parochiam de ipsa ecclesia subdita, quæ dicitur Campilias; in Besuldunense cellam, quæ dicitur cella VVitisane, ecclesiam S. Vincentii cum ipsa parochia, E & in Porcarias ecclesiam S. Mariæ. Hæc igitur omnia nos præscripti, atque signati præsules, secundum hoc quod S. Patres canonicis legibus instituerunt, confirmamus ad monasterio, vel ipsi abbatissæ: obsecrantes & imprecantes sub divina censura, ut nulli christiano liceat . . . . . notario . . . . . aut inrationabiliter aliquid ex ipsis rebus ab ipso monasterio auferre, vel minuere, nisi tantum quod ex ipsis parochiis censum annua-

(a) Hic Riculfus desideratur in vulgatis indicibus episcoporum Helenensium, ubi locum vacuum occupare debet inter Stephanum, & Sonarium. *Martene.*

(b) In vulgatis indicibus episcoporum Biterrensium appellatur Bernardus. *Idem.*

☞ nuale, quod ſolis epiſcopis vel matricis eccleſiis eorum ſolvere ſolitum eſt, per ſingulos annos ſolvatur. Alia vero, quæ ſuperſunt, ad adjutorium & ſupplementum ipſius monaſterii, vel ipſi abbatiſſæ, & creditis ſibi a Deo devotis fœminis ad regendum cuſtodiantur, & ſub ejus poteſtate ſerventur. Si quis autem contra hoc pontificale decretum a nobis ſtatutum agere, de ipſis rebus monaſterii præfati aſſumere, aut agere tentaverit; ſciat ſe ſeveriſſimo mucronis vinculo anathematis feriendum, & a regno Dei extorrem. Ut autem hoc certius ab omnibus credatur, propriis manibus ſubterfirmando roboravimus. Anno primo regnante Charlaric rege.

ANNO CHRISTI 908.

Arnuſtus Sanctæ Narbonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus SS.

Nantigiſus epiſcopus humilis SS.

Idelherus humilis epiſcopus SS.

Servusdei epiſcopus

Theudericus Barchinonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus SS.

Ego Sigoinus presbyter hoc ſcripturæ decretum ſcripſi, & ſubſcripſi ſub die & anno quo ſupra.

SYNODUS VIENNENSIS,

In qua præſide Alexandro Archiepiſcopo lis inter duos abbates ſopita eſt.

Ex Tomo XIII. Spicilegii Dacherriani.

ANno Incarnationis Dominicæ DCCCCVII. Indictione X. acta eſt ſynodus apud Viennam metropolim, juſſu domni ac venerabilis Alexandri ejuſdem eccleſiæ archipræſulis, in eccleſia videlicet Domini & Salvatoris noſtri, ubi a multis in ejus præſentia ſuorumque miniſtrorum, necnon & venerabilium abbatum, videlicet Eirlei præpoſiti, Erlei archidiaconi, Valdonis abbatis, Leodonis abbatis, multorumque aliorum reverendorum ſacerdotum a diverſis diverſæ prolatæ ſunt querimoniæ. Inter cetera vero, quæ in hac ſynodo diſcutienda ac diffinienda erant, orta eſt quædam altercatio inter Aribertum abbatem Romanenſis monaſterii, necnon & Barnardum venerabilem Monachum ſanctique Mauricii abbatem, ex territorio de quadam capella S. Severi, in parochia S. Primi ſita in villa Luſiaco, quam quidam homo in præſtatiam tenebat, nomine Fulcherius: Dicens jam dictus Aribertus abbas, quod ex prædicto territorio juſte & legaliter ad capellam S. Severi pervenire debuiſſent. Sed Barnardus abbas affirmando contradicebat non ita eſſe, ſed omnes decimæ ex præmemorato territorio legaliter & rationabiliter plus pertinerent ad eccleſiam ſancti Primi, quam ille in manu ad ordinandum habebat, præter privum monachorum laboratum, quam ad ſupradictam ſancti Severi capellam. Tunc a ſancta ſynodo judicatum eſt illi, ne forte deinceps ex eadem cauſa aliqua moliretur injuria: ut ſicut ille propriis teſtificabatur verbis: ita teſtes ſui ſacerdotes ſub jurejurando affirmaſſent.

Prædictus quoque Barnardus abbas ſuos in ſancta ſynodo præſentes oſtendit teſtes, quorum nomina ſunt hæc: Chriſtianus presbyter, Signinus presbyter, Albaricus presbyter, Folmarus presbyter, Badinus presbyter, Archinerius presbyter, Giroldus presbyter. Et ſacramentis datis omnia legaliter explevit, ſicut judicatum fuit; & prædictas decimas ad eamdem eccleſiam ſancti Primi evindicavit.

Ego Alexander ſanctæ Viennenſis eccleſiæ epiſcopus propria manu roboravi, & aliis roborare juſſi. Erleus humilis presbyter. Andreas presbyter.

☞ SYNODUS BERGOMENSIS DIOECESANA

Pro reducendis ſæcularibus canonicis ad commune vitæ inſtitutum,

Adalberto Bergomenſi epiſcopo præſidente, anno 908. celebrata.

Ex Manſi Suppl pag. 1204. Extat apud Ughell. to. IV. p 426. nov. edit.

DUm domnus Adalbertus venerabilis ſanctæ Bergomenſis eccleſiæ epiſcopus reſideret in ſynodo in domo ipſius ſedis, cum ſacerdotibus, & cuncto clero ipſius eccleſiæ, ſeu reliquis nobilibus hominibus, qui eidem ſynodo intererant, tractans cum eis de ſtatu & ſoliditate ipſius eccleſiæ. Tunc ipſi ſacerdotes & clerici una voce petierunt ab ipſo domno pontifice, ut propter amorem Dei, & SS. Vincentii, & Alexandri martyrum Chriſti inſtitueret eis canonicam ad refectionem Sacerdotum, & clericorum in ipſa ſancta Dei eccleſia deſervientium. Qui eorum petitionem conſiderans, juſtumque diſcernens, ut qui altari deſerviunt de altari participent: exquiſivit ab eis ubi proximus eccleſiæ locus eſſet, in quo ſub tutela ipſius ſedis & eccleſiæ congrue eorum receptaculum, & canonica fieri poſſet. Qui in commune elegerunt, & petierunt clauſtrum illud juxta eccleſiam S. Vincentii, ut cum officium compleverint, opportune & ad reficiendum, cibum, & potum accipiant, & in nocturnis horis ibidem dormiendo nocturnis officiis facilius occurrant. Igitur utilitati eorum conſulens, conceſſit eis præfatum clauſtrum cum ſala, & aliis ædificiis inibi conſtitutis, cum curte, & horto, cum ſuperioribus & inferioribus ſuis in integrum, in quo habet confines a mane viam, a meridie prædictam eccleſiam ſancti Vincentii, a ſero clauſuram ipſius ſedis, a monte terram S. Michaelis, & Johannis presbyteri, & eſt per menſuram tabulas legitimas 76. Denique ſtudioſe cum eiſdem pertractans de refectione eorum, quid poſteriſque eorum conferre poſſet; unde in perpetuum canonica ipſa ſubſiſteret in numero tantorum, quorum numerus communi omnium electione inventus eſt: contulit in eorum ſubſidium & refectionem baſilicam beati Caſſiani martyris Chriſti, ſitam ibi prope infra eandem civitatem, cum omnibus caſis, & rebus, curtibus, & manſis, ſeu utriuſque ſexus familiis, cum adjacentiis & pertinentiis ſuis per cuncta loca & vocabula in integrum: exceptis caſis, & rebus illis cum familiis inibi habitantibus in loco, & fundo Surile, ubi etiam nominatur Juſſionica, quas ad partem ipſius

sius sedis sibi reservavit. Pro quibus prædictis rebus offerre visus est massaricia duo posita in Vico, & fundo Gorolis, & casas, & res illas positas in Petiolo cum omnibus pertinentiis, & familiis in integrum, ut a præsenti die in perpetuum, in ipsius canonicæ permaneat, atque persistat potestate. Ea vero ratione, ut singulis diebus refectio fiat presbytero, & diacono, & subdiacono, & ostiario qui hebdomadam in ipsa custodierint ecclesia. Primicerio quoque semper, vel qui ejus vice fungitur, ut ibidem cibum, & potum accipiant secundum rationem & temporis possibilitatem. Statutum etiam ab ipso pontifice, & omnium sacerdotum consensu est, ut ex se ipsis personam aptam eligant, qui canonicam ipsam, & omnia ejus pertinentia prævideat intrinsecus, & extrinsecus, & solicitus curam habeat, atque pro labore, & fatigio suo beneficiario nomine accipiat quidquid omnium sacerdotum & diaconorum ordinatio decreverit. Quod si annuente divina misericordia ex fidelium oblationibus census ipsius canonicæ excreverit, secundum possibilitatem conventus fiat ordinariorum, & refectio pauperum, ut ab omnibus collaudetur Deus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Actum est hoc tempore domini Berengarii piissimi regis anno nono mense Maij, indict. XI. anno Incarnat. Domini 908.

Ego Adalbertus gratia Dei humilis episcopus in hanc ordinationem a me facta SS. ANNO CHRISTI 909.

Garibaldus archid. consensi & subscripsi.
Aribertus archipr. consensi, & subscripsi.
Rotebaldus presbyt. consensi, & sub.
Petrus presbyter consensi & sub.
Antonius presbyter consensi, & sub.
Agovertus presb. consensi, & sub.
Grasevertus presb. consensi, & sub.
Benedictus presb. consensi, & sub.
Dagivertus presb. consensi, & sub.
Adelbertus presb. consensi, & sub.
Lupus presb. consensi, & sub.
Joannes presb. consensi, & sub.
Lupus presb. consensi, & sub.
Arispertus diac. consensi, & sub.
Leo Diaconus consensi, & sub.
Benedictus diaconus consensi, & sub.
Adalbertus diac. & primicerius consensi, & subscripsi.
Andelgisius subdiaconus consensi & sub.
Garibaldus subdiac. consensi, & sub.
Adelbertus subdiac. consensi, & sub.
Salo subdiac. consensi, & sub.
Andreas subdiac. consensi & sub.
Giselbertus subdiac. consensi, & sub.
Todo subdiac. consensi, & sub.

CONCILIUM MAGALONENSE

Apud Juncarias

Anno Christi DCCCCIX. IV. Non. Maii, ab Arnusto Narbonensi archiepiscopo, cum episcopis decem celebratum. In quo Sinuarius comes cum omni familia sua solemnem absolutionem & benedictionem accepit.

Dispositione arcessiti divina, anno incarnationis herilis verbigenæ DCCCCIX. Indict. XII. v. Non. Maii in regno Septimaniæ, territorio Magalonensi, loco Juncarias vocato, in ecclesia S. Vincentii: nos perhumiles Septimaniæ, Hispaniæ, atque Provinciæ, Jesu Christi servi: Arnustus videlicet sanctæ ecclesiæ primæ Narbonæ metropolitanus, Amelius Uzeticensis, Gimara Carcassensis, Reginardus Bitterrensis, Nantigisus Urgellitanus, Autgarius Lutovensis, Gerardus Agathensis, Ucbertus Neumasensis, Gontarius Magalonensis, Benedictus Forojulienſis: item Reginardus Cavallicensis: una cum immensa congregatione nobis commissa: absolvimus, & benedicimus Sinuarium comitem cum cæteris comitibus filiis suis, simulque cum uxoribus, & cunctis suis fidelibus, si tamen ita peregerint, sicuti per dominum metropolitanum supra nominatum audivimus, ut honor & decus qui sub tanto regimine debet esse omni tempore, cum magna religione observetur. Prævideat namque ipse archipræsul, ut in visceribus eorum nulla machinamenta, nulla fallacia diaboli remaneat; & postea caput vestrum pari consilio taliter absolvat, & benedicat. Veniantque super vos universæ benedictiones novi & veteris testamenti, & apprehendant vos: & omnes maledictiones, quas dudum intulimus super vos, diutissime auferantur a vobis. Benedicti vos in civitate, & benedicti in agro. Benedictus fructus ventris vestri, & fructus terræ vestræ, fructusque vinearum vestrarum, greges armentorum vestrorum, & caulæ ovium vestrarum. Benedicta horrea vestra, & benedictæ reliquiæ vestræ: benedicti eritis ingredientes & egredientes. Emittat Dominus benedictionem super cellaria vestra, & super omnia opera manuum vestrarum. Abundare faciat vobis Dominus omnibus bonis. Aperiat Dominus thesaurum suum optimum, & tribuat pluviam terræ vestræ congruo tempore. Benedicat Dominus operibus manuum vestrarum; & constituat vos in caput, & non in caudam; & sitis semper supra, & non subtus; domos ædificetis, & habitetis in eis longævo tempore: plantetis vineas, & fructum earum colligere faciatis, semen-tem modicam faciatis in terram, & multum ex ea congregetis in horrea vestra: omnes arbores & fruges terræ vestræ rubigo non consumat: perenniter feliciterque consenescatis, & cum Michael archangelo ad portas paradisi inlæsi pervenire mereamini præstante Domino.

Arnustus sanctæ Narbonensis ecclesiæ episcopus subscr.
Amelius Uzeticensis ecclesiæ humilis episcopus subscr.
Gerardus humilis Agathensis episcopus subscripsit.
Nantigisus Urgellitanæ ecclesiæ episcopus subscripsit.
Reginardus * sanctæ Biterrensis ecclesiæ episcopus subscripsit. * Reginaldus.
Ugbertus * sanctæ Neumasensis ecclesiæ episcopus subscr. * VVicbertus, & Hucbertus.
Gunterius * episcopus * subscripsit. * Gontarius. * Magalonenſis.
Cimara Carcassensis ecclesiæ episcopus subscripsit.
Audgarius * sanctæ Lutovensis ecclesiæ episcopus subscr. * Autgarius

ANNO CHRISTI 909.

Benedictus sanctæ Forojulienſis eccleſiæ epiſcopus A ſubſcr.

Item Reginardus ſanctæ Cavallicenſis eccleſiæ humilis epiſcopus ſubſcripſit.

Observatio Gabr. Cossartii S. J.

Concilii hujus exemplum, ut & Portuenſis anni 897. nacti ſumus beneficio illuſtriſſimi & eruditiſſimi Franciſci Boſqueti epiſcopi Monſpelienſis. Breve tantum illius fragmentum repererat Sirmondus noſter; & illud quidem tum in loci, tum in temporis nota, omnino mendoſum. Nam & locum Juniarias vocabat literæ unius mutatione, & annum deſignabat 894. Quo factum eſt, ut Galliæ Chriſtianæ auctores, epiſcopos omnes, quorum hic ſubſcripta ſunt nomina, ad hunc annum alligarint: prudenter quidem, ſed minus feliciter, peſſimi codicis vitio. B

Porro Juncariæ, ſive Juncheriæ, locus eſt in agro Magalonenſi a juncorum copia ſic dictus: ubi viſuntur hodieque partim reliquiæ, partim rudera magnificentiſſimæ eccleſiæ ſancti Vincentii, in qua hoc concilium habitum. Sinuarius vero comes quo hic crimine abſolvatur, incompertum nobis eſt. Eum in concilio Tricaſſino a Stephano papa V. (alias VI.) excommunicatum fuiſſe, quod Hincmaro Laudunenſi eruiſſet oculos, refert B. Theodardi vita, a Catello in commentariis Occitanicis edita. Sed cum in vita iſta multæ ſunt fabulæ, tum hæc præſertim de Tricaſſino concilio, cui cum Odone rege (quem imperatorem vocat) interfuerit Stephanus V. qui nunquam in Gallias venit. Audierat ſcriptor maleferiatus excommunicatum fuiſſe Sinuarium, Hincmaro effoſſos oculos, eumdem de dejectione ſua, carcere, cæcitate, proclamationem edidiſſe ad Joannem VIII. in concilio Tricaſſino: denique in concilio iſto nobiles aliquot & illuſtres viros excommunicatos fuiſſe. Ex his omnibus multiplici errore corruptis, Fabulam ſuam conſarcinavit. Excommunicatum autem a Narbonenſis Provinciæ epiſcopis Sinuarium comitem ſatis intelligimus ex hujus concilii verbis: *Omnes maledictiones quas dudum intulimus ſuper vos.* Alia excommunicationis afferri cauſa poſſet, quod fuerit fautor Selvæ Tarraconenſis archiepiſcopi depoſiti in concilio Nemauſenſi ad villam Portum ſuperius edito pag. 668. At Sinuarium Selvæ ſtuduiſſe cum prodat B. Theodardi vita; tum eam ob rem excommunicatum minime fuiſſe, in eadem legimus.

CONCILIUM TROSLEJANUM

Apud Troslejum in pago Suessonico

Ab Heriveo Remenſi archiepiſcopo, ejuſque ſuffraganeis celebratum die VI. Kalendas Julias, anno Chriſti DCCCCIX. Sergii papæ III. anno II. Caroli Simplicis regis XVII.

Primus edidit Sirmondus ex MS. Cod. S. Remigii Remenſis.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De honore & cultu eccleſiarum Dei.*
II. *De ſtatu regni, & fidelitate regis.*
III. *De regulari ſtatu jam pene collapſo.*
IV. *De ſacrilegis, & eorum damnatione.*
V. *De vexatione, & inhonoratione ſacerdotum.*
VI. *De dotibus & decimis eccleſiarum, & de cenſu pro eis non exigendo.*
VII. *De rapinis.*
VIII. *De raptis, & occultis nuptiis, & inceſtis.*
IX. *De acceſſu, & frequentatione, ac cohabitatione presbyterorum & clericorum cum fœminis.*
X. *De fugiendo luxuriam.*
XI. *De perjuriis cohibendis.*
XII. *De diſcordantibus, iracundis, & litigioſis.*
XIII. *De homicidis & mendacibus.*
XIV. *De non diripiendis eccleſiæ rebus defuncto epiſcopo.*
XV. *Epilogus ad epiſcopos, & generaliter ad omnes.*

PRÆFATIO.

Conc. Nicæn. can. 5.

SAnctum, & Deo auctore celebratum, generaliter & ſine ulla exceptione Nicænum præcipit concilium, ut omnibus ſimul epiſcopis provinciæ congregatis diſcutiantur quæſtiones neceſſariæ, & quod regulariter omnibus placuerit in commune, hoc omnes tam metropolitani, quam cæteri ſequantur epiſcopi. Simili modo & Antiochenum concilium, ſi quæ ſunt agenda, peragere jubet provinciales epiſcopos ſui conſilio metropolitani, & metropolitanum conſilio coepiſcoporum provincialium, ſicut eſt ibidem deſignatum. Et hoc non ſolum in cauſis quorumlibet fieri præcipit: ſed etſi forte inter ipſos, inquit, epiſcopos quæſtio de quolibet negotio orta fuerit, primas provinciæ judices epiſcopos dare debebit. Leges quoque Romanæ, & B. Papa Gregorius multoties horum judicio cognita veritate, contentiones inter eccleſiaſticos viros, vel quoslibet cum eccleſiaſticis perſonis, ſalubrem demonſtrat finem accipere debere: ita tamen, ut in omnibus quid antiqua habeat auctoritas requiratur. Unde anno dominicæ incarnationis DCCCCIX. indictione XII. VI. Kalendas menſis Julii, convenerunt venerabiles patres ac doctores eccleſiæ, Heriveus videlicet ſanctæ metropolis Remorum archiepiſcopus, totius plebis Dei famulus, & coepiſcopi Remenſis diœceſeos, quorum nomina ſubter tenentur adſcripta, in pago Sueſſonico, in loco Troslejo, de ſtatu ſanctæ eccleſiæ, ac totius regni utilitate tractaturi: & facta ſolemniter ſalutatione, omnibuſque, ut mos eſt, ordine reſidentibus, archiepiſcopus ſic exorſus eſt. C D

Allocu Herive chiepiſ

Quoniam per aliquot annos, partim infeſtatione paganorum, partim etiam graviſſimis regni perturbationibus, ac quorumdam falſorum Chriſtianorum infeſtationibus præpediti, juxta decreta canonum nequivimus congregari: nunc quia, annuente Domino, nobis congregandi facultas juxta decreta canonum data eſt, cum Dei gratia convenientibus in unum, cooperante eo, in cujus congregamur nomine, & qui habitare facit unanimes in domo, primo nobis & ante omnia neceſſarium eſt ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ut unum ſentiamus, & unum in Chriſto omnes dicamus, & ſecundum ſalutaria dicta martyris Cypriani ſervetur a nobis caritas animi, honor collegii, vinculum fidei, concordia ſacerdotii & ut attendentes regulares conſtitutiones patrum noſtrorum, a metropolis ſuæ quiſque regulari conſuetudine non abducatur. Et quia ſecundum definitionem canonicam perfecta debet haberi ſynodus, in qua cum ſuis eſt ſuffraganeis metropolitanus, expedit atque condecet, ut quidquid boni, præveniente gratia, a qua eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, mente concipere & ore proferre valuerimus, eadem ſubſequente, ſine qua nihil boni implere poſſumus, ad finem uſque perfectum opere perducere ſatagamus. Oportet igitur ut quamprimum Chriſtianæ re- E

Conc. Antioch can. 9. & 14.

religioni jam labanti, jamque velut in præcipiti vergenti, ac mundo in maligno posito vestro consilio & auctoritate episcopali succurratis. Videtis quam sit evidens furor Domini, & manus ejus ad feriendum extenta. Ecce enim quotannis, ex quo terram nostram ex parte ægra sterilitate damnatam aspicimus, quibus cladibus populus quotidie intereat videmus. Depopulatæ urbes, destructa vel incensa monasteria, agri in solitudinem sunt redacti: ita ut vere possimus dicere quia pervenit gladius usque ad animam. Usque ad animam denique gladius pervenit, cum justo Dei judicio amissis exterioribus bonis, & exhausto flagellis atque afflictionibus corpore, ipsa virtus animæ lassata deficere videtur, & quasi nihil vitale in illa reservatur. Non hæc certe casu aliquo, aut e subita temporum vel elementorum mutatione contingunt, quia scriptum est: *Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egreditur dolor.* De humo quippe dolor non egreditur, quia, ut B. Gregorius dicit, „ nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea quæ peccando „ vim percussionis extorsit. Ecce enim cernimus, „ quod ad correctionem nostram expectatus imber arente terra frequenter suspenditur, caligi- „ nosus aer inardescente sole siccatur, mare procellis intumescentibus sævit, & alios ad transmeandum susceptos intercipit, aliis desideratum „ iter erecta in cumulum unda contradicit: terra non solum germine fœcunditatis imminui- „ tur, sed etiam semina accepta consumit. In „ quibus nimirum cunctis patenter adspicitur hoc, „ quod quidam sapiens de Domino testatur dicens: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* De humo dolor non egreditur, quia „ elementum insensibile non ex sua natura, sed „ pro meritis hominum ad affligendum peccatores excitatur. " Et propheta de Domino dicit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit*: & ipse Dominus de se per Esaiam dicit: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*, hoc est otium & bellum. Hic enim malum non pro boni contrario, sed medium quiddam, id est afflictionem, significat: quæ utique a Domino fit, quia eo permittente peccanti populo subterducitur; ut qui in pace Deum sequi noluerunt, saltem percussionibus attriti metuant & convertantur, juxta quod scriptum est: *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Nostris potius, & totius populi, quem regere debuimus, peccatis ista fiunt, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput, & delicta nostra creverunt usque ad cælos. Fornicatio & adulterium, sacrilegium & homicidium inundarunt, & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis quippe sanguinam tangit, cum peccator malis suis gravius aliquod malum adjungit, nec ullum pravis actibus terminum indicit, sed juxta Apostolum in pejus quotidie proficit. Et pene est ut cum propheta Esaia ingemiscamus, dicentes ad Dominum: *Quare, Domine, errare nos fecisti de viis tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te? facti sumus in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.* Cum enim Deus peccatores homines qui non solum peccant, sed etiam perseverare in peccatis eligunt, cum, inquam, tales justo judicio deserit, eosque post pravitatem mali sui cordis abire permittit, quasi ipse eos errare facit, quos nequaquam misericorditer, ut convertantur, occulta inspiratione præveniens tangit. Et sicut primi homines nulla lege, nullo saltem timore prohibebantur male agere; sed libere ventri, & delectationibus oculorum, ac cæteris vitiis serviebant: ita nunc posthabito humanarum vel divinarum legum timore, contemptis edictis episcopalibus, unusquisque quod vult agit: potentior viribus infirmiorem opprimit, & sunt homines sicut pisces maris, qui ab invicem passim devorantur: accalcata iniquitate abundat ac convalescit iniquitas. Hinc est quod videmus per totum mundum rapinas pauperum, deprædationes rerum ecclesiasticarum. Hinc sunt assiduæ lacrymæ, pupillorum luctus: ita ut jam clamor talium, sicut Sodomorum, ascendat ad cælum, & fiat quod per Psalmistam voce Domini dicitur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Omnis pene ordo, omnisque status ecclesiæ confusus ac temeratus est. Denique, ne nobis parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus, episcopi dicimur, sed episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis relinquimus: eos qui nobis commissi sunt videmus Deum deserere, & in pravis actibus jacere, & tacemus, nec eis manum correctionis tendimus: sed & si aliquando quædam dicere cœperimus, quæ carnalibus eorum animis valeant displicere, dicunt de nobis quod in evangelio Dominus de sedentibus in Moysi cathedra dixit: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Sicque fit, ut nobis tacentibus grex Domini pereat, & per abrupta vitiorum præceps actus, luporum immanium morsibus pateat: dumque deest qui eos vitæ vias ingredi doceat, libere per devia gradiuntur erroris, & impletur in eis, quod per prophetam dicitur: *Zelus apprehendit populum ineruditum:* & alibi: *Idcirco*, inquit, *captivus abiit populus meus, quia non habuit scientiam.* Pensemus qui unquam per ministerium linguæ nostræ de perverso opere conversi pœnitentiam egerunt, quis luxuriam nostra prædicatione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit. Nobis ergo, qui nomine censemur episcopi, maxima & prope importabilis incumbit sarcina pastoralis officii, dum instat reddenda ratio negotii nobis commissi cum exactione lucri: & dum jam jamque adventus imminet illius in majestate terribili, ubi omnes cum gregibus suis venient pastores in conspectum pastoris æterni, augmentum de grege, lucrum de negotio, manipulos de segete allaturi; quid sumus acturi, hic pastores vocati, illic sine ovibus venientes, quæ valeant præsentari? hic ab eo accepto talento ad negotium missi, illic ad Dominum nostrum post negotium redeuntes vacui? hic directi in messem operarii, illic absque manipulis vacuis manibus præsentati? Pensemus ergo necesse est, quam in illo tanto examine rationem sumus reddituri, ne coram omni frequentia exercitus angelici, coramque copiosa electorum multitudine, quod absit, reddamur æternaliter confusi. Ergo considerantes & expavescentes imminens nobis de multorum perditione periculum, congregati simul in nomine Dei omnipotentis, per unicum filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, in virtute sancti Spiritus consulamus nobis & commisso nobis gregi, ac de statu sanctæ ecclesiæ & regni, ac fidelitate regis nostri, sed & de statu monasteriorum, quorum antiquitus statutus ordo & religio pene deletur, de rapinis quoque & sacrilegiis: necnon de raptis & perjuriis, cæterisque flagitiis, sententiam secundum decreta sacrorum canonum & decretorum episcopalium proferamus. Et talia facientes, aut episcopali ministerio, aut pastorali exhortatione, provocemus ad pœnitentiam & emendationem, aut impœnitentes, & corrigi nolentes, gladio ver-

ANNO CHRISTI 909.

Psal. 11.

Matth. 23.

Esa. 5.

bi

bi Dei bis acuto eorum corpora & animas con- A
ANNO CHRISTI 909. cidamus, & æterno illos anathemate, hoc est alienatione a Christo & ecclesia, tam in præsenti, quam in futuro plectamus, nisi vel modo resipiscant a laqueis diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, & convertantur ad Dominum vivum & verum per aliquam correctionem, & prout possibilitas tulerit, congruam emendationem.

CAPITULA.

I.

Igitur decrevimus, ut cultus atque honor ecclesiarum Dei in omnibus & ab omnibus religiose custodiatur, & digna reverentia immunitatibus earum ac ministris exhibeatur. Sed & regem ac principes condecet, ut privilegia ex antiquo ecclesiis Dei concessa roborent, & stabili- B ter observari jubeant: & quemadmodum ab antecedentibus regibus honoratæ, vel rebus ampliatæ, seu ditatæ fuerunt, ita de cætero sub omni integritate, salva æquitatis ratione permaneant. Sacerdotes quoque, & servi vel ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum obtineant, eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium digne exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant. Si enim rex, & sæculi potestates, Dei & ecclesiæ honorem servaverint, per hoc honor & potestas illorum augebitur, roborabitur, & stabilietur, & victoriæ illius de cælo ministrabuntur, & tam ipsi, quam successores eorum propter eos, in gloria & dignitate Deo pro- C pitio perdurabunt. Sin aliter egerint, & Deum contempserint, contemnet illos Deus, & despicabiles ac miseros reddet, & de solio regni exsufflabit, projicienturque sicut pulvis a facie terræ, juxta quod in libro regum legimus de Achab, & cæteris regibus legis Dei transgressoribus, & sicut ad Heli principem gentis Hebræorum loquitur Dominus: *Quicunque*, inquit, *glorificaveritme, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 21.

Et quoniam a nobis ratio exigitur omnium, & principum, & subjectorum, ab eo qui sine acceptione judicat personarum, & proipsis regibus regi regum sumus reddituri rationem, sermo exhortationis ad vestram, domine rex, nobis habendus est excellentiam. In quo facto pontificalem sic D exerimus auctoritatem, ut non obliviscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente apostolo: *Subjecti estote regi, quasi præcellenti.* Isa. 63. Sicut enim regalis potestas sacerdotali religioni se devote submittit: sic & sacerdotalis auctoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet, sicut sanctus ostendit papa Gelasius ad Anastasium scribens imperatorem: Duo sunt, inquit, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus in divino reddituri sunt examine rationem, &c. Ergo quia & rex pro æterna vita indiget pontificibus, & pontifices pro temporalium rerum cursu E regali indigent dispositione: a rege obediendum est pontificibus, recta, sancta, & justa suadentibus; & vicissim a pontificibus obediendum est regi pietatis cultui religione, jure, & solatio servienti. Hortamur igitur vestram, domine rex, excellentiam, pietati & probitati, sacris, veracibus, & bonis insistere moribus, ut ex eorum inveniaris numero, de quibus canitur in psalmo: *In conveniendo populos in unum & reges ut serviant Domino*: Psal. 101. & ut noveris, quomodo ut homo, quomodo ut rex, servire debeas Deo. „ Sic nam- Epist. 50. „ que beatus ait Augustinus: Rex, quia homo

ANNO CHRISTI 909.
„ est, servit Deo vivendo fideliter: quia rex est, „ servit, leges justa præcipientes, & contraria pro- „ hibentes, convenienti rigore sanciendo: " & reliqua, quæ latius in epistola ad Bonifacium exequitur. Oportet ergo, ut rex primo interpretetur nomen suum, & id quod dicitur nomine, satagat esse. Rex quippe a regendo vocatur. Debet itaque rex primo vitam suam æquo moderamine regere, & ut quidam sapiens ait, refrænare libidinem, spernere voluptates, iracundiam tenere, ac cæteras animi pestes a se repellere. Tune vere rex dici, & alios digne poterit regere, cum ipse improbissimis dominis dedecori aut turpitudini parere desierit: post hæc, de pace populi, & quiete ac securitate totius regni convenit eum solicitum esse. Sit bonis amabilis, malis terribilis: sit relevator oppressorum, consolator pauperum, viduarum & pupillorum defensor. Illud implere satagat, quod Salomon de bono rege dicit: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Prov. 20. Tanta quippe debet esse rex præditus virtutis & justitiæ auctoritate, ut injustum vel malum aliquid molientes solo intuitu formidolosæ majestatis dissipet, ne ad meditatum facinus progredi audeant. Denique quomodo rex secundum beneplacitum voluntatis Dei juste & fideliter vivere debeat, pauca ex sanctorum patrum collecta sententiis, vestræ, ut dignum est, prospicientes saluti, vobis cognoscenda & facienda proponimus. Ut quid rex dictus sit, & qualis esse debeat, Isidorus in libro sententiarum scribit: Rex, inquit, a recte agendo vocatur. Si enim pie, & juste, & misericorditer regit, merito rex appellatur: si his caruerit, non rex, sed tyrannus est. Et quamvis antiquitus omnes reges tyranni vocati sint: postea pie, juste & misericorditer regentibus, regis nomen inditum est; impie vero, injuste, crudeliterque principantibus, non regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Unde & beatus Lib. 11. Mor. c. 9. Gregorius ait: „ Viros sanctos proinde reges vocari in sacris eloquiis didicimus, eo quod recte „ agant, sensusque proprios bene regant, & motus „ resistentes sibi rationabili discretione componant. „ Recte igitur illi reges vocantur, qui tam semet- „ ipsos, quam subjectos bene regendo pacificare „ noverunt. " Regale vero ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, & ut pacem & concordiam habeat studere. Ipse enim debet primo defensor esse ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, in quantum possibile est, esse debet, primo ut nulla injustitia fiat, deinde si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat: nec spem delitescendi, nec audaciam male agendi cuiquam relinquat: sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correctionis. Unde oportet, ut ipse, qui judex est judicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Scire autem & unumquemque cujuslibet ordinis oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est, multo magis de ministerio sibi divinitus commisso. Sed & formam illam sapientis regis, quam in se Job vir justus ostendit, studeat imitari. Ait enim: *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consola-* Job 29.

lator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Hæc illo agente, implebitur in eo quod Salomon ait: *Miſericordia & veritas cuſtodient regem; & firmabitur juſtitia thronus ejus.* Sicque juſtorum & electorum regum imitator effectus, fiet etiam in cæleſti regno particeps gloriæ, & conſors immortalium præmiorum. Attendant reges quid Sapientia dicat: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.* Item ibidem: *Audite reges, & intelligite: diſcite judices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cum eſſetis miniſtri ejus, non recte judicaſtis, neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem ejus ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis Dominus: quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt, fiet: Exiguo enim concedetur miſericordia: potentes autem tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Dominus: nec reverebitur cujuſquam magnitudinem, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter pro omnibus cura eſt illi.* Exiſtunt & alia multa ſanctarum ſcripturarum teſtimonia regio nomini & officio convenientia, de quibus pauca ex dictis almi martyris Cypriani decerpta, quantas adverſitates injuſtitia regis regno inferat, & quantum juſtitia ejus regno proficiat, demonſtrabunt. Cum enim deſcripſiſſet qualiter rex converſari deberet, ſubjungit: „ Qui vero regnum ſecundum hanc legem non diſpenſat, multas nimirum adverſitates „ imperii tolerat. Idcirco enim ſæpe pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno „ ſuſcitantur, terrarumque fructus imminuitur, & „ ſervitia populorum præpediuntur. Multi & varii dolores proſperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes triſtitiam conferunt, „ hoſtium incurſus provincias undique vaſtant, „ beſtiæ armentorum & pecorum greges dilacerant: tempeſtates aeris, & hemiſphæria turbata, terrarum & maris miniſteria prohibent, & „ aliquando fulminum ictus ſegetes & arborum „ flores, & pampinos exurunt. Itemque dicit: „ Ecce quantum juſtitia regis ſæculo valet, intuentibus perſpicue patet: pax populorum eſt „ tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæreditas „ filiorum, & ſibimetipſis ſpes futuræ beatitudinis. Attamen ſciat rex, quod ſicut in throno „ hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis, ſi juſtitiam non fecerit, primatum habiturus eſt. Omnes namque, quoſcumque peccatores ſub ſe habuit, ſuper ſe in illa futura pœna „ habebit. “ Cum ergo tanto ac tali aſſerente viro, qui cum apoſtolo Paulo dicere poterat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Chriſtus?* boni regis juſtitia, tanta & ſibi & regno utilitatis conferat commoda, e contrario vero mali regis pravitas, tanta & ſibi & regno inferat damna: quanta vobis, rex venerande, in cunctis veſtris actibus vivendum eſt cautela? Oramus igitur, ut hæc placida aure ſuſcipiatis, & monitis placeat vobis inhærere ſalubribus: quatenus veſtris bene, & per vos aliorum juſte modificatis moribus, hac vobis commiſſa decenter adminiſtratione peracta, ab eo qui temporale vobis dedit regnum, accipere mereamini æternum. Sed & nobis, & omnibus, qui in regno veſtro conſiſtimus, oportet ut juſtam fidelitatem vobis conſervemus, & honorificentiam regiam exhibeamus, & de utilitate regni aliquid quærenti, ſecundum ſcire & poſſe, verum & utile conſilium ſuggeramus.

ANNO CHRISTI 909.

III.

De monaſteriorum vero non ſtatu, ſed lapſu, quid dicere vel agere debeamus, jam pene ambigimus. Dum enim, mole criminum exigente, & judicium a domo Domini incipiente, quædam a Paganis ſuccenſa vel deſtructa, quædam rebus ſpoliata, & ad nihilum prope ſint redacta, ſi tamen quorumdam adhuc videntur ſupereſſe veſtigia, nulla in eis regularis formæ ſervantur inſtituta. Sive namque monachorum, ſeu canonicorum, ſeu ſint ſanctimonialium, propriis & ſibi jure competentibus carent rectoribus, & dum contra omnem eccleſiæ auctoritatem prælatis utuntur extraneis, in eis degentes, partim indigentia, partim malevolentia, maximeque inhabilium ſibi præpoſitorum faciente inconvenientia, moribus vivunt incompoſitis: & qui ſanctitati religionique cæleſti intenti eſſe debuerant, ſui velut propoſiti immemores, terrenis negotiis vacant: quidam etiam, neceſſitate cogente, monaſteriorum ſepta derelinquunt, & volentes nolenteſque ſæcularibus junctis, ſæcularia exercent, cum e contra dicat Apoſtolus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* 2. Tim. 2. Ergo quia non ſolum a vulgo, nullo diſtare videntur vitæ merito, ſed etiam, propter infima quæ ſectantur opera, deſpectionis expoſiti ſunt ludibrio, cum propheta cogimur Jeremia noſtræ civitatis, ſanctæ videlicet eccleſiæ, flere diſpendia, & voce proclamare publica: *Quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum?* Thren. 4. Quod ita exponit papa Gregorius: Aurum obſcuratum eſt, cum ſacerdotum & ſpiritualium vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infirmas oſtenditur reproba. Color optimus eſt mutatus, quia ille ſanctitatis habitus, per terrena & abjecta opera ad ignominiam deſpectionis venit. Lapides vero ſanctuarii, quos nunquam neceſſe erat foris conſpici, eos nimirum figurant, qui nunquam in extraneis debent actionibus videri. Sed diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium plateārum, dum hi, qui per vitam & orationem ſemper intus eſſe debuerant, per vitam reprobam foris vacant, & dum in ſancto habitu conſtituti exteriora ſunt quæ exhibent, quaſi ſanctuarii lapides foris jacent *&c.* Quomodo igitur aurum ſine aurifice in priſtinum & optimum non poteſt reformari colorem, ſic & monaſtica vita ſine regularis abbatis providentia ad priſtinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem. Regalis ergo poteſtas, quæ a recte agendo & ordinando vocatur, conſideret, quomodo recto hæc judicio ſecundum voluntatem ejus, cui de omnibus judiciis & diſpoſitionibus ſuis rationem reddituru eſt, & ſecundum ſacrorum canonum ſanctiones, atque ſecundum priſcorum regum conſtitutiones diſpenſet. Prohibent quippe ſacri canones, ne aliquis laicus de religione præſumat. Itemque & canonum præcipiunt inſtituta, ſimulque eorum pediſſequa regum capitularia, ſicut in libro primo capitulorum imperialium continetur, capitulo vigeſi- Lib. 1. c. 28.

gesimo octavo: „ Ut clerici & monachi, si inter
ANNO CHRISTI 909. „ se negotium aliquod habuerint, a suo episco-
„ po judicentur, & non a sæcularibus. Fas enim
„ non est, ut divini muneris ministri tempora-
ibid. c. 31. „ lium potestatum subdantur arbitrio. Item: Ut
„ laicis, quamvis religiosis, nulla sit de rebus ec-
„ clesiæ disponendi facultas. Item: Ut loca, quæ
„ semel Deo dicata sunt, aut monasteria sunt,
„ maneant perpetuo monasteria, nec possint ul-
„ tra fieri sæcularium habitacula. " Nunc autem
in monasteriis Deo dicatis monachorum, canoni-
corum, & sanctimonialium, abbates laici, cum
suis uxoribus, filiis, & filiabus, cum militibus
Addit. 2. c 2. morantur & canibus. Legitur quoque in capitu-
laribus, ut abbates monachorum regulam per sin-
gula verba discutientes plenitet legant, & intel-
ligentes, Domino opitulante, efficaciter cum mo-
nachis suis implere studeant. Et quomodo discu-
tiet? quomodo leget? quomodo intelliget? Si
forsitan oblatus fuerit hujusmodi codex, respon-
Isa. 29. debit illud Isajanum: *Nescio literas*. Et cum mo-
nachorum abbati a regula sancti & sancto Spiritu
pleni beatissimi patris Benedicti: In doctrina, in-
quit, sua abbas illam semper apostolicam formam
2. Tim. debet servare, in qua dicit: *Argue, obsecra, in-
crepa*: quomodo Apostolum ignorans, regulæ in-
stituta, vel ipsam abecedariam lineam penitus
nesciens spiritualem discretionis modum tenebit?
Et quid plura? in ipso ingressu lectionis sanctæ
regulæ legitur de eligendo abbate, & qualis debeat
esse. In capitulari vero Magni Caroli, libro pri-
Cap. 86. mo, capite octuagesimo primo ita scribitur: „ Mo-
„ nachorum causam qualiter ex parte disposueri-
„ mus, & quomodo ex seipsis sibi eligendi abba-
„ tes licentiam dederimus, & qualiter, Deo opi-
„ tulante, quieti vivere, propositumque indefessi
„ custodire valerent, ordinaverimus, in alia sche-
Concil. Tur. „ dula diligenter annotari fecimus. " Item in
III. can. 24. Concilio Turonis habito, postquam de canonicis
clericis civitatum, qui in episcopiis conversan-
tur, dispositum est, sequitur: „ Simili modo &
„ abbates monasteriorum in quibus canonica vi-
„ ta antiquitus fuit, vel nunc esse videtur, solicite
„ suis prævideant canonicis, ut habeant claustra
„ & dormitoria, victum & vestimenta, &c. Sint,
„ inquit, abbates suis subditis bene vivendo du
„ ces & prævii, viamque demonstrent, qua re-
„ cte gradiendo ad meliorem vitam pervenire va-
„ leant. " Itemque de monasteriis monachorum,
post pauca quæ præmissa sunt, sequitur: „ Bonum
„ videtur, ut ad pristinum revertantur statum, &
„ abbates eorumdem in eorum habitu & vita, sic-
„ ut ipsa regula præcipit, incedere ac vivere stu-
„ deant: & reliqua. Prohibetur denique, ut
laicus causa manducandi ac bibendi in refecto-
rium non ducatur. Et quomodo eorum abbas
erit, cum quibus nec edendi licentiam habebit?
Item in libro secundo capitularium, capitulo qua-
Cap. 42. dragesimo: „ Monasteriis sane puellaribus tales
„ præferri debent fœminæ, & abbatissæ creari,
„ quæ & se, & subditum gregem cum magna
„ religione & sanctitate custodire noverint, &
„ his, quibus præsunt, prodesse non desinant:
„ sed & se, & illas ita observent, utpote vasa
„ sancta in ministerium Domini præparata. Ta-
„ le enim se debet subditis exhibere in veste,
„ & in omni victu, ut eis ad cælestia regna
„ pergentibus ducatum præbeat: sciat etiam, se
„ pro his, quas in regimine accepit, in conspe-
„ ctu Domini rationem reddituram. „ Hæc ita
post primam sanctorum patrum, duce sancto Spi-
ritu, ordinationem, ac deinde post canonicam de
his auctoritatem, a prioribus imperatoribus & re-

gibus decreta & custodita fuerunt. Et quousque
privilegia sunt servata status ecclesiastici, profe-
cit in augmentum sui conservatus a Deo status
regni. At postquam hæc cœperunt parvipendi,
labefactatus de die in diem, & jam pene in ni-
hilum redactus est ille qui quondam florebat vi-
gebatque status hujus regni: & ita inolevit ma-
lum, quod a transactis retro cœperat annis, ut
jam principalis potestas putet sibi licere, secus,
quam auctoritas divina se habeat, in causas ec-
clesiasticas prosilire, & duce sancto Spiritu sta-
tutum a patribus ecclesiæ ordinem pervertere.
Quod quidem nostrum est admonere: & si ad
præsens per omnia nequit emendari, satagere
deinceps cum Domino rege ejusque fidelibus de-
bemus, quousque & bona illius intentio, ut cre-
dimus, & nostra nobis, & illi, omnique regno
necessaria devotio ad perfectionis cumulum, Deo
cooperante, valeat pervenire. Etenim nequaquam
de istis audemus silere, ne de nobis illud pro-
pheticum dicatur: *Canes muti, non valentes la-* Isa. 56.
trare. Itemque: *Non ascendistis ex adverso, neque* Ezech. 13.
opposuistis murum pro domo Israel. Respectum si-
quidem timoris Dei habentibus auditu lugubre,
dictu nefas, actu dignoscitur horribile, quando
contra omnem paratum, & totius Christianæ re-
ligionis auctoritatem & consuetudinem, in mo-
nasteriis regularibus laici in medio sacerdotum
& cæterorum religiosorum, ut domini ac magi-
stri residentes, velut abbates de illorum vita &
conversatione ac regula sibi penitus ignota per-
verso ordine dijudicant. Quæ pro certo abomi-
natio illa est, quam Dominus in evangelio præ-
signat dicens: *Cum videritis abominationem deso-* Matth. 24.
*lationis stantem in loco ubi non debet, qui legit intel-
ligat*. Ista namque vere est abominatio desolatio-
nis, non tantum subditorum, vel eorum qui il-
lis ad suam ipsorum perniciem videntur princi-
pari, verum regis, & totius regni, omniumque,
qui tam detestabili favent ordinationi. Cense-
mus igitur, ut status monasteriorum inviolatus,
juxta antiquam regulæ traditionem, & canonum
constituta, servetur: & ut abbates sint religiosæ
personæ, & quæ regularem noverint disciplinam.
Monachi vero, vel sanctimoniales, juxta suam
professionem, sobrie, & pie, ac simpliciter vi-
vant, ac pro regum salute, ac regni pace, & ec-
clesiæ tranquillitate supplicent, non sæcularibus
curis vel negotiis occupentur, non pompas mun-
diales requirant, non ecclesiastica jura inquie-
tent, sed juxta proprietatem sui vocabuli quiete
otium amplectantur. Auditur enim, quod spreta
humilitate & abjectione monastica, ornamentis,
& his etiam quæ bonis laicis indecentia & tur-
pia sunt, operam impendant; & nequaquam con-
tenti communibus rebus, propriis, & lucris tur-
pibus inserviant: quod vitium, tanquam pessi-
mum cancer, ne ultra proserpat, radicitus avel-
lendum est, & abbatum atque episcoporum vigi-
li cura recidendum. Sane ne ulla monachis eva-
gandi, vel de talibus præsumendi quippiam detur
occasio, provideant abbates, vel præpositi mona-
steriorum, ut secundum quod temporis vel loci
fert possibilitas, omnia illis in victualibus & ve-
stibus necessaria, sicut regula præcipit, opportu-
ne ministrentur.

ANNO CHRISTI 909.

IV.

Contra sacrilegos quoque justum est ut canoni-
ca censura procedat. Et primo dicendum quid
sit sacrilegium. Sacrilegium est sacræ legis vio-
latio: quod cum per multa specierum dividatur
crimina, & sit sacrilegium schismatis, unde bea-
tus pater ait Augustinus: „ Apertissimum sacri-

„ le-

„ legium eminet schismatis, si nulla fuit causa „ separationis; „ sit etiam sacrilegium blasphemi sermonis, & cujusque contra sacram legem usurpatæ actionis; specialius tamen nunc a nobis illud sacrilegium denotatur, quod a prædonibus de rebus ecclesiæ agitur. Est enim hoc sacrilegium, res ecclesiæ sacratas auferre, possessiones ad jus ecclesiæ pertinentes, vel aliquid ecclesiæ consecratum vel donatum tollere, invadere, fraudare, vel rapere. Hoc namque agentes vere sacrilegi sunt, & homicidæ, de quibus & S. Anacletus dicit: „ Qui abstulerit aliquid patri „ vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias „ & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est. " Item dicitur: Qui rapit pecuniam „ proximi sui, iniquitatem facit: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium „ facit, & ut sacrilegus judicandus est. " Et sanctus papa Urbanus: „ Res, inquit, & facultates „ ecclesiæ oblationes appellantur, quia Domino „ offeruntur, & sunt vota fidelium, & pretia „ peccatorum, atque patrimonia pauperum: si „ quis illas rapuerit, damnationis Ananiæ & Sapphiræ particeps erit, & oportet hujusmodi tradere satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. " Et ut in brevi denotentur isti, secundum quod de eis scriptura dicit, & ad rem de qua agitur pertinens esse videtur: omnes contra legem facientes, resque ecclesiæ quascumque diripientes, vel ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi atque indubitanter infames sacrilegi vocantur. Et heu, proh dolor! quanti scientes, quanti quia scire nolunt, vel quid sit sacrilegium scire se dissimulant, ideo nescientes in hoc pessimum facinus proruerunt, & quotidie proruunt? Et quia hoc anathema in medio est populi Christiani, non est Deus cum eis, nec possunt stare contra inimicos suos paganos, sed fugiunt. Rogo attendat unusquisque si propter sacrilegium, quod admisit Achan filius Charmi, non potuit Israel stare ante hostes suos, eosque fugit, Domino interminante: *Non ero vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est:* si ergo uno peccante, in omnem populum desæviit furor Dei, donec ille cum omni domo sua deleretur: quid putamus de nobis fiet, qui nostro tempore tot sacrilegia fieri, tot sacrilegos impune mala agere videmus, nec solum nihil metuere, sed & in suis impietatibus exultare? Cogitandum, ne forte propter hæc & hujusmodi sit ira Dei in nos justissime superducta: & clam cum rogatur Deus non exaudit. Opposuit enim sibi nubem, ne transeat oratio. Et sicut Josue dictum est: *Quid clamas ad me?* ita etiam nobis orantibus dicitur, Non vos exaudiam, donec auferatur ex vobis sacrilegium, & tollatur de medio vestrum qui hoc pollutus est scelere. Nos tamen cum beato Josue non cessemus ad eum clamare, ipsosque sacrilegos monere, ut per confessionem, & emendationem reatus sui, dent gloriam Deo: & quoniam, ut sanctus ait Job, *dedit eis locum Deus pœnitentiæ*, videant ipsi ne abutantur eo in superbia. Ideo denique tales divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat: sed si accepta pœnitentiæ tempora devertunt ad culpam, & secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ: districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertet ad pœnam, atque ex præro-

ANNO CHRISTI 909.

gata clementia judicis crescet eis cumulus maledictionis. Nequaquam igitur blandiantur sibi, quod adhuc sustentati longanimitate Dei, inter bonos impune videntur immorari. Considerent Judam, non apostolum, sed apostatam, sibi consimilem, furem sacrilegum: audiant quid de eo beatus pater dicat Augustinus: „ Ecce inter san- Tract. 50 in Joann.
„ ctos est Judas, ecce fur est Judas, & ne con-
„ temnas, fur & sacrilegus: non qualiscumque
„ fur: fur loculorum, sed dominicorum: locu-
„ lorum, sed sacrorum. Itemque: Non sic ju-
„ dicatur furtum rei privatæ, quomodo publi-
„ cæ: quanto vehementius judicandus est sacri-
„ legus fur, qui ausus fuit non undecumque
„ tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de
„ ecclesia aufert, vel furatur, Judæ perdito com-
„ paratur. Talis erat iste Judas, & tamen cum
„ sanctis discipulis Christi intrabat, exibat, & ad
„ ipsam cœnam dominicam pariter accessit. "
Hæc verba S. Augustini. Propter quosdam vero, qui se nescire dissimulant in quibus rebus tantum scelus admittant, breviter commemorandum credimus, quod omnia quæ Domino offeruntur, proculdubio & consecrantur: & non solum sacrificia, quæ a sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quidquid ei a fidelibus offertur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quodlibet artificium, ædificium, vestimentum, quodcumque mobile vel immobile de his rebus, quæ supplementum sanctæ Dei ecclesiæ, ejusque ministris, atque ornatum præstare possunt, indubitanter Domino consecratur, & quicumque ab ecclesia aliquid ex his quocumque modo alienaverit, abstulerit, invaserit, vastaverit, minoraverit, sive diripuerit, quia Christus & ejus ecclesia una est persona, & quæcumque ecclesiæ sunt, Christi sunt, proculdubio sacrilegium committit. Quapropter in libro capitularium secundo, capitulo quadringentesimo vigesimoseptimo ita sancitur:
„ Omnibus nos ipsos corrigentes, posterisque no- Lib. 6. c. 321.
„ stris exemplum dantes, generaliter interdici-
„ mus, ut nullus laicus homo, vel imperator,
„ vel rex, aut episcopus, aut aliquis præfecto-
„ rum, vel comitum sæculari potestate fultus,
„ sibi per violentiam rapiat, aut a nobis compe-
„ tere, vel quocumque modo invadere præsumat
„ monasterium, aut prædia, vel quascumque res,
„ vel aliquid de monasterio abbatis aut abbatissæ, & incipiat ipse vice abbatis regere & habere sub se monachos, & pecuniam possidere,
„ quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem
„ hominem antiqui patres nominabant raptorem
„ & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem in ovile Christi, & maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi. De talibus memores estote scripturæ sancti apostoli Pauli ad Timotheum di-
„ centis: „ *Divitibus hujus sæculi præcipe non su-* 1. Tim. 6.
blime sapere, neque sperare in incerto divitiarum,
sed in Deo qui præstat omnia. " Tales, si ecclesiæ
„ correctionem non recipiunt, Ethnicis & publi-
„ canis sunt similes, quibus nec vivis nec mor-
„ tuis communicat ecclesia Dei. Talibus, qui &
„ hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clanga-
„ mus, ne tacentes damnemur, ut simul cum
„ eis pereamus. Si autem in tantum horribilis
„ est Deo ille qui impie agit, certe separatus
„ est talis a Deo, & anathemati juste subjicitur.
„ Anathema enim nihil aliud significat, nisi a
„ Deo separationem, sicut in veteri & novo te-
„ stamento judicium de anathemate significat. "
Et nullus sacrilegus regnum Dei possidebit, ni-

ANNO CHRISTI 909.

si per puram probatamque & publicam pœnitentiam, & sanctæ ecclesiæ, ejus præcipue quam læsit, satisfactionem, atque per manus impositionem episcoporum, & reconciliationem. Et ut noverit se a regno Dei, & a consortio sanctorum, qui jam cum Christo regnant, & in æternum cum eo regnabunt, in futuro alienandum, a præsenti quoque ecclesia, quæ & ipsa regnum Dei est, & a societate fidelium ejus in Deo alienatur. Ut quisquis ille est, pro certo hoc sciat, quia tali, nisi per satisfactionem condignam, nec vivo nec mortuo ecclesia non communicat: sed sicut in libro beati Job dicitur, *sepelietur in interitu*, id est in pœna perpetua deprimetur: *tollet eum ventus urens*, id est malignus spiritus, qui viventem accendit ad sacrilegii scelera, morientem trahit ad tormenta: & quoniam juxta illud Jeremiæ: *Olla succensa fuit, & facies ejus a facie Aquilonis*, id est, cor fervens æstu prædandi & diabolicæ suggestionis flatu inflammatum habuit: ipso urente vento, id est diabolo, raptus cum eo, in olla æternæ combustionis ardebit. Ergo & nos congregati cum Spiritu sancto, sicut Jeremias peccatorem populum quadruplici planxit alphabeto, sic & nos sacrilegos Dei & ecclesiæ contemptores percutiamus quadruplici anathematis maledicto. Sit eis clausa porta cæli, aperta janua inferni, cum nullo Christiano partem habeant omnino, vel societatem, sed & de reliquiis ciborum illorum nihil detur pauperibus, quin potius projiciatur canibus, donec per dignam & humilem pœnitentiam, & congruam emendationem, lætificent ecclesiam, quam per sacrilegia, & nefanda scelera exacerbaverunt. Sed quia sunt quidam, qui temporalem potius mortem, quam æternam timeant, recensemus quid sæculi leges de talibus præcipiant. In libro suprascripto capitulo quadringentesimo trigesimo primo jubetur, ut capitali pœna multentur, qui sacrilegia, adulteria, prædationes, aut devastationes exercuerint, & omnes res eorum, tam mobiles, quam immobiles, fisco regis socientur, vel ecclesiæ, cujus res vastaverint, alienaverint, aut abstulerint, tradantur. Hæc de sacrilegis prædonibus ecclesiarum.

Job 27.

Jerem. 1.

V.

Nulli fidelium dubium est, quod ecclesia Dei in pontificibus & sacerdotibus reliquis, quibus populus Domini commissus esse dignoscitur, constet, & eis sicuti domus quibusdam suis innitatur columnis. Sed quorumdam pravorum hominum mentibus ac moribus, qui se in domo ecclesiæ nomine potius, quam recta conversatione, videri appetunt, tantæ stoliditatis inest amentia, ut non intelligant quia status ecclesiæ ita sacerdotibus, quod absit, aliqua impulsione nutantibus infirmatur, sicuti excussis columnis domus totius fabricæ ruinam minatur: & idcirco non solum sui casus periculum non metuunt, sed eosdem Dei sacerdotes vexantes, seipsos, ut pariter cum ruentibus corruant, præcipitant, impellunt. Nec attendunt, immo nec reverentur, quoniam qui eis injuriam vel contumeliam irrogant, Domino Deo nostro Jesu Christo, cujus vices agunt, injuriosi & contumelioſi existunt: & quia omnes, qui ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexant, sacrilegi habentur, atque indubitanter infames sacrilegi vocantur: Et ne quis dicat, alia nos ex nostro fingere corde, audiat sanctas sanctorum sententias de talibus ita se habentes. Clemens ab ipso sanctissimo ore Petri apostoli edoctus de omnibus, in secunda ad Jacobum fratrem Domini epistola, de his qui in patres peccant sic dicit: „Qualis condemnatio, & qualis imminet maledictio eis qui in patres peccant, divina nos docet scriptura. „Si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum patrem suum, quoniam non cooperuit patris corporalem nuditatem, sed egressus nunciavit eam fratribus suis, & illi vestimento eam cooperuerunt, ipse quidem Cham, & illi qui ex eo nati sunt, sub maledictione facti sunt; qui autem cooperuerunt, magnam benedictionem meruerunt: multo magis isti majore & ampliore condemnatione digni sunt, qui patribus obviare, aut contra eos insurgere nituntur: quoniam qui his resistit, Deo resistit, & qui eis injuriam vel contumeliam facit, Deo, cujus legatione funguntur, facit." Item in tertia epistola idem Clemens de honore episcoporum: „Si igitur vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, aut subdiaconi, & reliqui clerici cuncti, omnesque principes, tam majoris ordinis, quam & inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperaverint, non solum infames, sed extorres a regno Dei, & consortio fidelium, ac a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Nam vestrum est, eos instruere: eorum vero est, vobis obedire ut Deo, cujus legatione fungimini, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: & qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*" „Nihil enim injustius, vel inhonestius, quam filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes vel protervos existere. Novimus enim primum hominem per inobedientiam cecidisse. Idcirco omnes hoc vitium summopere cavere monemus. Et quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Dominus noster mittens nos vice sua in loco apostolorum ad prædicandum, præcepit nobis docere omnes, omnesque nobis fideliter obedientes ut ipsi, existere." „Item ex decretis Anacleti papæ, quod episcopi a Deo sint judicandi, non ab humanis aut pravis hominibus: „Liquet quod summi sacerdotes, id est episcopi, a Deo sunt judicandi, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium, vendentes & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio evertit flagello, & ejecit de templo. Et sicut alibi ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat*: & alibi: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes*. Nullus enim, ut reor, invenitur inter nos, qui velit suum servum ab alio, quam a se, judicari: quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potius ultionem quærit super eum. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus deorum, & Dominus dominantium, qui ultionem suorum promisit non differre servorum? Unde & ipse per prophetam loquitur dicens: *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit*, & reliqua. Et Apostolus inquit: *Tu quis es, qui judicas servum alienum? suo enim Domino stabit, aut cadet*: & ipse: *Nolite judicare invicem, sed judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum:* & Dominus per prophetam inquit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Nam si aliquis nunc in malum oculos ali-

Alio CHSTI

Clem. ep. pist. Gen.

Clem. ep. pist.

Luc.

Anac. ep. pist.

Matth.

Psal.

Ibidem

Rom.

Ibidem

Zach.

„ cu-

„ cujus principis incipit tractare, manifeste reus
„ majestatis indicatur, & infamis efficitur, aut
„ potius capitali sententiæ subjacet. „ Hæc, fra-
tres, valde cavenda sunt, & quod homines no-
lunt sibi fieri, Deo deorum non debent infer-
re, ne forte irascatur Dominus, & faciat vindi-
ctam eorum etiam in eos qui non peccaverunt,
quia perit sæpissime justus pro impio. Item in
eodem decreto, ut nullus facile accusare audeat
episcopum: „ Apostoli, successoresque apostolo-
„ rum, considerantes statuerunt, ne facile com-
„ moverentur, aut lacerarentur, vel accusarentur
„ columnæ sanctæ Dei ecclesiæ, quæ apostoli, &
„ successores eorum non immerito dicuntur: sed
„ si quis adversus eos, vel ecclesias eorum, com-
„ motus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos
„ concurrat caritatis studio, ut familiari collo-
„ quio commoniti, ea sanent quæ sananda sunt,
„ & caritative emendent quæ juste emendanda
„ cognoverint. Si autem aliqui eos, priusquam
„ hæc egerint, lacerare, accusare, aut infestare
„ præsumpserint, excommunicentur, & minime
„ absolvantur, antequam per satisfactionem, ut jam
„ dictum est, condignam egerint pœnitentiam:
„ quoniam injuria eorum ad Christum pertinet,
„ cujus legatione funguntur. Nec hoc mirum:
„ quia si quisque nostrum cuidam suorum lega-
„ tionem injungeret, & a quoquam impediretur,
„ aut ab aliquo subditorum suorum despiceretur:
„ mox indignatus irasceretur, aut talia prout
„ posset vindicaret, & ad injuriam & contume-
„ liam sui hoc factum reputaret, & talionem,
„ si in præsentia non posset, futuris tempori-
„ bus redderet. Nam si in hominum causa hæc
„ fiunt: quid putatis Deus faciet de suis, qui
„ nec capillum capitis eorum perire dixerit? Un-
„ de & Dominus per Nahum loquitur prophe-
„ tam dicens: *Deus æmulator, & ulciscens Domi-*
„ *nus: ulciscens Dominus, & habens furorem: ul-*
„ *ciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse*
„ *inimicis suis*. „ Ex decretis Evaristi papæ, de
honore episcoporum: „ Episcopum oportet op-
„ portune & importune, atque sine intermissio-
„ ne ecclesiam suam docere, eamque prudenter
„ regere & amare, ut a vitiis se abstineat, & sa-
„ lutem consequi possit æternam: & illa cum tan-
„ ta reverentia ejus doctrinam debet suscipere,
„ eumque amare & diligere ut legatum Dei,
„ & præconem veritatis, quia testante Veritate:
„ *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata*
„ *& in cælo: & quæcumque solveritis super ter-*
„ *ram, erunt soluta & in cælo*. Nimis timenda
„ est, fratres, hæc sententia: & prævidendum vo-
„ bis, ne offendatis eos qui tantam a Domino
„ habent potestatem. Et ideo potius obediendi,
„ diligendi, & summopere sunt venerandi: non
„ detrahendi, vel lacerandi, vel ejiciendi, sed
„ portandi, & amandi, ipso dicente Domino:
„ *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me*
„ *spernit*. Ideo vobis & omnibus fidelibus scribi-
„ mus, fratres, ut ab his vos caveatis, & poste-
„ ris vestris non malum, sed bonum exemplum
„ relinquatis: quoniam injuria episcoporum ad
„ Christum pertinet, cujus vice funguntur. „
Ex decretis Alexandri papæ, de non vexandis
sacerdotibus: „ Pervenit ad conscientiam aposto-
„ licæ sedis, quod nonnulli sint tam stolidi, qui
„ dominica præcepta, & apostolorum, eorumque
„ successorum statuta minime observent, & eos
„ de quibus Dominus ait: *Qui vos tangit, tangit*
„ *pupillam oculi mei*: non solum tangere minime
„ dubitant, sed etiam persequi non formidant.
„ Et licet nos persequantur, quia nec nos sine
„ illis, nec illos sine nobis persequi possunt,
„ quoniam illius sumus discipuli, qui animas pro
„ fratribus præcepit ponere: tamen eorum peri-
„ cula & perditiones non sumus ausi celare, ne
„ prophetica, quod absit, damnemur sententia,
„ quæ ait: *Si annunciaveris iniquo iniquitatem* Ezech 3.
„ *suam, animam tuam liberasti: si autem non nun-*
„ *ciaveris ei, sanguinem ejus de manu tua requi-*
„ *ram*. Qui ergo sacrilega persuasione persequun-
„ tur & lacerare nituntur episcopos, vel eos qui
„ recte Domino sacrificant, indubitanter Domi-
„ num persequuntur & dilaniant, cujus vice fun-
„ guntur. Unde Dominus ait per Joel prophetam:
„ *Numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulci-* Joel 2.
„ *scimini vos contra me, cito reddam vobis vicis-*
„ *situdinem super caput vestrum*. Has considéran-
„ tes pietates, & pericula vitantes animarum,
„ una cum omnibus Dei sacerdotibus, qui no-
„ biscum in hanc sacram convenerunt urbem,
„ & cum omnibus hujus capitis membris, sicut
„ a beatis apostolis, ac reliquis sanctis patribus,
„ ac successoribus eorum accepimus, statuentes
„ decernimus, omnes qui sanctos patres perse-
„ quuntur, aut amovere vel dilacerare manifeste
„ nituntur, infames esse, & alienos a liminibus
„ ecclesiæ usque ad satisfactionem fieri: quia sic
„ odit Deus eos, qui adversus patres armantur,
„ ut patrum invasores vel destructores, qui ideo
„ infames efficiuntur, quia patres persequuntur."
Item cujus supra: „ Nulli, fratres, dubium est, Alexand e-
„ quia boni a malis semper persequuntur & tri- pist. 2.
„ bulantur. Propter quod nos oportet humiliari
„ sub potenti manu, ut liberet nos in tempore
„ tribulationis. Nam sicut leo rugiens circumit
„ quærens quem devoret, sic diabolus non cessat
„ circuire & quærere quos ex fidelibus perdat,
„ & maxime eos, quos ardentiores in servitio
„ salvatoris eique familiares invenerit. Familia-
„ res dico, quos sibi sacrari, & in ordine apo-
„ stolorum constitui voluit. Ipsi enim pro popu-
„ lo interpellant, & peccata populi comedunt,
„ quia suis precibus & oblationibus ea delent at-
„ que consumunt: qui quanto digniores fuerint,
„ tanto facilius pro necessitatibus eorum, pro
„ quibus clamant, exaudiuntur. *Multum enim*, Jac. 5.
„ ut ait Jacobus apostolus, *valet deprecatio justi*
„ *assidua*. Qui autem vos persequitur, ipsum,
„ cujus legatione fungimini, persequitur: quia
„ sicut ipse Filius Dei mediator fuit Dei & ho-
„ minum, ita & vos ejus vice in ecclesia estis
„ constituti, ut inter Deum & homines legatio-
„ ne fungamini. Si quis autem legationem ve-
„ stram impedit, non unius, sed multorum pro-
„ fectum avertit, & sicut multis nocet, ita a
„ multis arguendus est, & bonorum societate ar-
„ cendus, & quia Dei causam impedit, & sta-
„ tum conturbat ecclesiæ: ideoque ab ejus limi-
„ nibus arceatur. Ab omnibus quoque talis est
„ cavendus, & non in communione fidelium us-
„ que ad satisfactionem recipiendus. Est enim sta-
„ tutum olim, ut qui statum conturbat ecclesiæ,
„ ab ejus liminibus arceatur, nec cum fidelibus
„ communicet, qui eorum bona avertit." Ex
decretis Telesphori papæ, de episcopis non ar- Telesph e-
guendis, aut accusandis: „ Justum est omnes in pist 1.
„ universo orbe doctores legis ea quæ legis sunt
„ sapere, & non sacerdotes Domini labiis suis,
„ aut quibuslibet machinationibus maculare.
„ Dum enim ipsos disponunt, aut cupiunt ma-
„ culare, potius seipsos maculant, & vulnerant.
„ Dei ergo ordinationem accusat, qui sacerdotes
„ accusat, vel damnare cupit: a quibus se om-
„ nes fideles cavere debent, quia non solum
„ qui

ANNO CHRISTI 909.

„ qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, „ sei sunt. “ Ex decretis Pontiani papæ, de honore episcoporum & quod ipsi non sint infe- ANNO CHRISTI 909. Pontian. epist. 1. „ standi, sed venerandi: „ Sacerdotes non sunt in- „ festandi, sed honorandi. In eis quoque Do- „ minus honoratur, cujus legatione funguntur. „ Hi ergo si forte ceciderint, a fidelibus sunt „ sublevandi atque portandi. Accusandi autem „ non sunt ab infamibus aut sceleratis, vel ini- „ micis, aut alterius sectæ vel religionis homi- „ nibus. Sed si peccaverint, a reliquis arguantur „ sacerdotibus, & a summis pontificibus constrin- „ gantur, & non a sæcularibus, aut malæ vitæ „ hominibus arguantur, vel arceantur. Hæc sci- „ licet sunt apostolorum decreta, immo ipsius „ Christi dicta: quibus si quis obviare aut con- „ tradicere tentaverit, non se Christianum, sed „ antichristum comprobaverit. „ Ergo si sacerdo- tes Dei non sunt infestandi, non contristandi, non accusandi, non a sæcularibus arguendi, non reprehendendi, non damnandi, non arcendi, non quibuslibet machinationibus maculandi vel dilacerandi, aut detrahendi, non aliqua injuria vel contumelia afficiendi, quin minus persequen- di, excæcandi, aut interficiendi. Nam de injuria vel dehonoratione sacerdotum, in jam dicto ca- pitulari libro VI. cap. XCIX. ita scriptum habe- Lib. 6. c. 98. tur: „ Si quis episcopo aliquam injuriam, aut „ injustam dehonorationem fecerit, de vita com- „ ponat: & omnia quæ habere visus fuerit, ec- „ clesiæ, cui episcopus præesse dignoscitur, in- „ tegerrime socientur, & nobis in triplo bannus „ noster, id est solidi LX. persolvantur, aut ipse „ in servitio fisci nostri serviturus semper socie- „ tur, usque se redimat in triplo juxta vvirgil- „ dum suum, si potuerit. Sancta vero ecclesia in „ sacerdotibus constat. Idcirco magna pœna ple- „ ctendi sunt, qui episcopis, vel reliquis sacer- „ dotibus, injuriam vel contumeliam fecerint. „ Nam detractio sacerdotum ad Christum perti- „ net, cujus vice legatione in ecclesia funguntur. Item ex eodem libro, cap. CCXCVII. Si „ quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in „ ecclesias, earumque res irruens, sacerdotibus „ & ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid „ importet injuriæ, vel inferat ad divini cultus „ injuriam, in convictos, sive confessos reos ca- „ pitali sententia noverit judicandum. Nec ex- „ pectetur, ut episcopus injuriæ propriæ ultio- „ nem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli glo- „ riam dereliquit. Sitque cunctis non solum li- „ berum, sed etiam laudabile, factas atroces sa- „ cerdotibus aut ministris injurias, velut publi- cum crimen, persequi, ac de talibus reis ultio- „ nem mereri. “ De his qui clerum injuriave- Lib. 5. c. 221. rint: ex capitulari Caroli imperatoris: „ Qui- „ cunque judex, aut sæcularis adversus presbyte- „ rum, aut diaconum, aut de junioribus, absque „ audientia episcopi, vel archidiaconi, vel archi- „ presbyteri, injuriam inferre præsumpserit, ana- „ thema ab omni Christianorum consortio habea- „ tur. „

VI.

Et quoniam sunt aliqui tantæ cupiditatis face succensi, ut non solum sibi a Deo concessis non bene utantur, verum inconcessa ac si licita am- biant, & ex his quæ divinis sunt tradita & ob- lata cultibus, & secundum legem Domini san- cta sanctorum sunt Domino, & ad jus pertinent sacerdotum, exactiones census ab ipsis sacerdoti- bus sibi exquirant, & xeniis, ac pastis, vel pa- raveredis, seu caballorum saginationibus presby- teros affligant, cum ex eis, quæ seu pro dote, seu quacumque fidelium devotione, unicuique tra- dita sunt ecclesiæ, non aliud quodlibet servitium, ANNO CHISTI 9.. nisi spiritale exigere debeant: necessarium nobis videtur, hujuscemodi præsumptiones, quia con- tra canonicam fiunt auctoritatem, modis omni- bus cohibere. Ab antiquo denique tempore a san- ctis patribus, & a nostris est majoribus constitu- tum, ut sicut habet episcopus in sua ordinatione omnem generaliter parochiam, cum omnibus ru- sticanis parochiis, quas per tricennium inconcus- se possedit: ita & unusquisque presbyter in sua ordinatione ac dispositionis cura habeat parochiam suam cum dote, & decimis ecclesiæ, videlicet cum sui episcopi consilio ac dispositione, secundum re- gulas antiquitus & divinitus constitutas: sicut o- lim ante incarnationem Christi a sancto Spiritu per prophetam prædictum, & post ejus ascensio- nem in cælos, eodem sancto Spiritu per sanctos Dei homines decrerum fuisse demonstrat sanctus Basilius, exponens versum psalmi: *Convallem ta- bernaculorum dimetiar*. „ Convallis, inquit, taber- „ naculorum dimetietur, hoc est universus orbis „ terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habita- „ culis corporum dictus est, hic velut quadam sor- „ te divisus atque dimensus per singula loca eccle- „ siarum Dei parochiis, & incolatibus dividitur, *&c.* Hinc iterum scriptum est: *Distribuite domos* Psal. 7. *ejus*, videlicet universalis ecclesiæ, per custodia- rum parochias prædicando, *ut enarretis in proge- nie altera*, & reliqua. Quia vero facultatum & dotum ad ecclesias pertinentium dispositio secun- dum canonum antiquam constitutionem, ad epi- scoporum solummodo ordinationem, & ad pres- byterorum dispositionem pertineat, Toletanum manifestat concilium, dicens: „ Multi contra ca- Conc. Tol. „ nonum constituta sic ecclesias, quas ædificave- tanum II. „ rint, postulant consecrari, ut dotem, quam eis- 19. „ dem ecclesiis contulerint, censeant ad episcopi „ ordinationem non pertinere. Quod factum, & „ in præteritum displicet, & in futuro prohibe- „ tur: sed omnia, juxta constitutionem anti- „ quam, ad episcopi ordinationem, & potesta- „ tem pertineant. „ Quod si quæritur, quæ di- cat omnia, proculdubio, decimas, primitias fru- ctuum, & oblationes eorum, & ea quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque pecuniis, seu quibuslibet rebus, quæcumque fideles obtulerint: quæ omnia sub immunitate a tributis fiscalibus, & omni dominorum exactione libera, sub pote- state & dispositione, ut diximus, episcoporum, ac regimine & dispensatione presbyterorum ma- nere debent inconcussa. Hoc & dominus impe- rator Ludovicus de manso ad ecclesiam dato, & cæteris ad eam pertinentibus, in suo capitulari ita constituit. „ Sancitum est, inquit, ut unicui- Lib. 1. c. „ que ecclesiæ unus mansus integer absque servi- „ tio aliquo attribuatur, & presbyteri in eis con- „ stituti, non de decimis, neque de oblationibus „ fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel „ hortis juxta ecclesiam positis, neque de præ- „ scripto manso, aliquod servitium faciant præter „ ecclesiasticum, & si aliquid amplius habuerint, „ inde senioribus suis debitum servitium impen- „ dant. „ At contra quidam præsumunt distrin- gere, & injuriare, vel etiam expellere presbyte- ros de ecclesiis sibi commissis, vel expoliare de- cimis, aut possessionibus, non timentes tot san- ctorum contemnere statuta patrum, cum dicat Carthaginense concilium: „ Si quis statuta su- Conc. Car- „ pergressus corruperit, vel pro nihilo habenda pu- thagin. c. 14. „ taverit, si laicus est, communione; si clericus, „ honore privetur. “ Et in sæpe fato capitularium lib. VII. cap. CXXXIX. „ Ut nullus judex, neque Lib. 6. „ pres-

„ presbyterum, neque diaconum, aut clericum, „ aut juniorem ecclesiæ, sine conscientia pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat: quod si fecerit, ab ecclesia, cui injuriam fecit, quam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestrans, donec reatum suum cognoscat & emendet. „ Item in eodem libro cap. CLXV. „ Sancitum est, ut sine auctoritate, vel consensu episcoporum, presbyteri in quibuslibet ecclesiis nec constituantur, nec expellantur: & „ si quis deinceps hoc facere tentaverit, synodali sententia districte feriatur. " Et in 11. lib. cap. XLVII. „ Ut ecclesiæ antiquitus constitutæ nec „ decimis, nec ulla possessione priventur. " Hæc autem deducentes ad medium, nequaquam seniorum ab eis tollimus dominium, quasi ipsi nomen senioratus in rebus sibi a Deo concessis habere non debeant, aut non possint, sed potius ecclesiæ episcoporum esse debeant: designamus denique gubernationem episcopi, non nobis vindicamus potestatem Domini. Et quia mitis & humilis magistri discipuli sumus, presbyteris nostris humilitatis exempla & monita dare debemus: videlicet ut eis, in quorum ditione suæ consistunt ecclesiæ, congruum honorem & obsequium impendant debitum, id est, spiritale atque ecclesiasticum: & hoc sine ullo typho, vel contentione, aut rebellione. Salvo namque ministerii sui jure, debent se gratiosos exhibere senioribus, & parochianis suis, de quorum oblatione vivunt, & cum debita humilitate spiritalia eis obsequia ministrare, quæ gratis quidem agere deberent, etiamsi nihil temporalis subsidii ab eis perciperent. Sciant igitur presbyteri secundum apostolum omnibus sua reddere debita, *cui honorem, honorem; cui timorem, timorem:* ut eis aptetur quod subjungitur: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Sed quoniam sunt nonnulli, qui ignorantes, immo contemnentes Dei justitiam, suæ quærunt tenacitatis statuere injustitiam, ausuque sacrilego surripiunt atque defraudant Deo debitam decimarum partem, ad suam ipsorum perniciem dicentes non se debere decimas dare de militia, de negotio, de artificio, de lanarum tonsione, & de cæteris quibuscumque sibi a Deo largitis commerciis: audiant, non nostra, sed per sacras scripturas Dei de talibus mandata, & sancta sanctorum patrum exempla, atque cognoscant nos nequaquam, ut illi ajunt, nunc exigere nova, sed potius repetere Dei legibus instituta, & antiquorum patrum devotione largita. Et primo omnium attendant, quia solius Dei causa oblationes & decimas suas sacerdotibus * ipsi Deo dare debeant: & quia eas dando fideliter, nihil Deo, qui bonorum nostrorum a se nobis collatorum non indiget, conferunt, sed ei sua reddunt, & pro parvis in præsenti, maxima, & sibi in futurum profutura acquirunt. Scribitur in Levitico: *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Item in eodem: *Omnes decimæ boum & ovium, & omne quod transit sub virga, in numerum decimum quodcumque venerit, sacrificatum erit Domino: non mutabis illud bonum malo, neque malum bono.* In Deuteronomio: *In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo, illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocausta & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus quæ vovistis Domino.* Item in eodem: *Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra per annos singulos: decimam frumenti, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ovibus tuis, ut discas timere Dominum Deum tuum.* In libro Numeri: *Omnem medullam olei, ac vini, & frumenti, & quidquid offerunt primitiarum Domino,* id est Aaron, *dedi: universæ frugum primitiæ, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.* Item in eodem: *Filiis Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculum fœderis.* Ecce audistis, cujus sint, & cui sacrificentur, & cui dari, scilicet Deo, decimæ debeant. Sed & quæ sibi dari præcipiat: scilicet non tantum omnes omnium quæ nascuntur in terra decimas, sed etiam universas frugum quas gignit humus primitias, necnon & decimas boum, ovium, & omnium armentorum, cum primogenitis eorum: manuum quoque vestrarum decimas, ac primitias, insuper & vota, atque munera: quæ omnia vobis offerre præcipit ad locum templi sui, ut cedant in usus sacerdotum pro ministerio quo serviunt in tabernaculo Domini. Fortassis vero, dicet aliquis: non sum agricola, non habeo unde possim dare decimas fructuum terrenorum, vel etiam armentorum. Audiat quicumque est ille, miles sit, negotiator sit, artifex sit: Ingenium, quo pasceris, Dei est, & ideo inde ei dare debes decimas. Nam de militia, audi quid in lib. dicatur Geneseos de Abraham patriarcha, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant. Cum benedixisset eum Melchisedech sacerdos Dei altissimi, dicit scriptura, quia dedit ei Abraham decimas ex omnibus. Item in eodem libro legitur, quod beatus Jacob pergens in Mesopotamiam Syriæ ad Laban, cui pro mercede viginti servivit annis, sic loquutus sit: *Si Dominus,* inquit, *fuerit mecum in via per quam ambulo, & custodierit me, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestem ad induendum, reversusque fuero prospere in domum patris mei: erit mihi Deus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* De sancto quoque Tobia legitur, quia pergebat ad Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, & decimas fideliter offerens. Ecce habes, quæ imiteris sanctorum patrum exempla, qui de omnibus quæ habebant, Deo decimas fideliter offerebant. Et quid hoc de laudabilibus proponimus patriarchis, cum audiamus dicentem in evangelio a Deo reprobatum pro tumore jactantiæ Pharisæum: *Decimas do omnium quæ possideo:* & ipsum Deum improperantem Scribis & Pharisæis, quod prætereuntes mandata Dei decimarent etiam anethum & ciminum, & omne olus? Saltem pudeat nos Christianos, aut nolle aut non posse in hac imitari parte Pharisæos, cum audiamus ipsum sic comminantem nobis Christum: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum:* & tamen hi decimas dabant omnium quæ possidebant. Sed forte adhuc inquies, pluribus enumeratis, nondum de tonsione lanarum aliquod divinum nominatim protulisse præceptum. Nonne tibi posset sufficere quod dicitur, *ex omnibus?* Sed quia, quod dictu pudori est, ex hac etiam decimatione quidam causantur, audiant Dominum, dicentem in Deuter. *Hoc erit judicium sacerdotum a populo, & ab his qui offerunt victimas, sive bovem, sive ovem immolaverint, sacerdoti dabunt armum & ventriculum, primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione.*

ANNO CHRISTI 909.

Num. 18. Ibidem. Gen. 14. Gen. 28. Tob. 1. Luc. 18. Matth. 23. Matth. 5. Deuter. 18.

ne.

ne. *Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribus ejus, ut stet & ministret nomini Domini.* Adhuc autem & quod est amplius, hoc nescientibus innotescimus, scientibus ad memoriam reducimus, & ut ad hæc verbis beati papæ Gregorii utamur, non tantum decimas rerum, sed etiam dare Deo debemus decimas dierum: quod fideles quique annuatim studeant agere tempore quadragesimæ. Et ne quid videatur prætermissum in exsolvendis Deo decimarum vel primitiarum debitis, noverint cuncti quid etiam lex statuat de cibis. Scriptum est in Deuteronomio: *Cum veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris, sicut de areis primitias separabitis, ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino.* Et ne hæc omnia Deo largitori omnium bonorum offerenda, vel potius ex debito reddenda, quis quolibet modo, ne dicamus subtrahere audeat, vel fraudare, quin nec differre, audiat Deum sibi in Exodo, dicentem: *Decimas tuas, & primitias non tardabis offerre mihi.* Si igitur prævaricatio legis est, tardius dare: quanto pejus est hæc non dedisse? Ergo si secundum Domini imperium vobis præcepta devote adimplere statueritis, promissa per prophetam Malachiam ab eo præmia vos percipere gaudebitis: *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum, & beatos vos dicent omnes gentes.* Et iterum scriptura dicit: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, ut impleantur horrea tua frumento, & vino torcularia redundabunt.* En vides, quomodo tibi magis quam Deo tuæ proficiunt decimæ, quando eas citissime centuplicato recipis fœnore. Item dicit scriptura: *Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi, neque casus.* Ecce & cum abundantia fructuum corporis etiam consequeris sanitatem. Addimus adhuc, quia divina adimplendo præcepta, cælestia promereris præmia: & violando illa, infernalia tibi, utpote prævaricator, acquiris tormenta, nisi Deo, & ecclesiæ pœnitentia & emendatione satisfeceris congrua. Etenim quia denegamus Deo primitias rerum, idcirco justo ejus judicio in nostris pervertimur primitiis: ipsique revocamur ad decimam, cum denegatis novem vix partem recipimus decimam. Ideo denique messis nostra, pluviarum benedictione subtracta, jejuna deficit, vindemiam aut grando percutit, aut pruina decoquit: & quia ex debito nolumus dare Deo, ejusque sacerdoti, ex non debito damus pagano, & impio militi. His igitur diligenter perspectis, monente scriptura, Deum devote honoremus in dandis omnium, quæ possidemus rerum primitiis & decimis, ut ab ipso percipere mereamur, & necessaria boni commoda temporalis, & æternæ præmia felicitatis.

ANNO CHRISTI 909.

Num. 15.

Deut. 22.

Malach. 3.

Prov. 3.

Deut. 30.

VII.

Nunc de his agendum est, qui rapinis diverso modo dediti, innocentibus insidias, vel damna, & mortes inferunt, domosque suas hujusmodi spoliis implent: qui comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt: quorum pedes incessanter ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem vel ablata omni substantia fame interficiant innocentem: & dum vel alieno sanguini insidiantur, vel fraude sibi vivendum æstimant, ut Salomon dicit, *ipsi contra sanguinem suum insidiantur & moliuntur fraudes contra animas suas.* Contra sanguinem quippe suum faciunt, quia quasi fuerit judex, qui judicium in eos justum exerat, temporali morte plectuntur: contra animas autem suas, quia æterna perditione damnabuntur, & qui ob phylargiriam rapinis innocentum & cædibus invigilant, semet hoc agentes perdunt: quos Dominus per Isaiam prophetam increpat, dicens: *Vos depasti estis vineam meam*, id est, populum Christianum: *rapina pauperum in domo vestra*: in domo scilicet mansionis, & in domo corporis, dum ex ea non tantum vosmetipsos usque ad crapulam, sed & thesauros vestros repletis. Sed quid talibus immineat, per eumdem prophetam Dominus non tacet: *Væ*, inquit, *impio in malum, retributio enim manuum fiet ei.* Itemque: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis*, &c. Horum, quod dictu dolendum, est numerus, quique adeo rapinæ amorem imbiberunt, quasi licitum sit & pulchrum vivere rapto. Nec considerant miseri & miserandi homines, quot millia hominum innocentum perimant quotidie, non gladio, quod esset utique levius, sed durissima, atque atrocissima famis morte. Et possunt miseri tot homicidiorum rei esse vel una hora securi? Et certe esurienti non dare panem damnabile est, ipso Domino in extremo judicio dicturo: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c. quibus subjunxit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Hinc ergo colligendum, qua damnatione plectendi sint, qui aliena diripiunt, si tali animadversione feriuntur, qui sua indiscrete & immisericorditer tenuerunt. Quam multiplex autem sit rapina, & quot modis agatur, Job breviter enumerat, inquiens: *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges: asinum pupillorum abegerunt, abstulerunt pro pignore bovem viduæ: subverterunt pauperum viam, oppresserunt pariter mansuetos terræ: agrum non suum demetunt, & vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant: nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore: vim fecerunt, deprædantes pupillos, & vulgum pauperum spoliaverunt. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamabit, & Dominus inultum abire non patietur.* De talibus per prophetam dicitur: *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo, & aggravat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se aggravare, est terrena lucra cum peccati pondere cumulare. Et in evangelio Dominus ait: *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* id est, quid prodest si totum quod extra se est congregat, si id quod ipse est, damnat? Illa enim quæ rapiunt in hoc sæculo, dimittunt; sed secum ad judicium causas rapinæ & suam damnationem ferunt. Audiant raptores quid de eis vas electionis Paulus, qui ad tertium cælum raptus est, dixit: *Neque rapaces*, inquit, *regnum Dei possidebunt.* Non ergo raptor, non prædo pauperum, regnum Dei possidebit, nisi perfectam egerit pœnitentiam, & injuste sublata reddiderit. Sunt enim quidam, qui pœnitere quidem volunt, sed rapta reddere nolunt, pessimum certe hominum genus, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res rapta cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Hi enim, ut dicit sanctus Augustinus, scelus cupiunt sibi relaxari, & illud propter quod scelus admissum est, possidere. Non ergo remittetur rapinæ peccatum, nisi

Prov. 2.

Ibid. Isai.

Matth. 25.

Habac. 2.

Epist. ad Macedonium

1. Cor. 6.

resti-

restituatur ablatum, sed cum restitui potest: plerumque enim qui aufert amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec habet unde restituat. Sciat ergo unusquisque raptor, non sibi dimitti rapinæ peccatum, nisi cum potest, id quod rapuit, restituat. Nam & Zachæus publicanus, qui Dominum hospitio susceperat, in vitam sanctam repente mutatus dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*: Sic ergo unusquisque raptor agat: restituat primum quod injuste abstulit, si veram pœnitentiam agere, & veram Dei misericordiam obtinere cupit. Si autem non habet unde reddat, non possumus ei dicere, redde quod abstulisti. Quamvis, etsi aliquos sustinet cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas: quia etsi non est unde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo male ablata est pœnas luit. Ergo quia absque respectu timoris Dei innumerabiles rapinæ & deprædationes in isto regno olim factæ sunt, & hactenus fiunt, & in oculis, & in auribus Domini exercituum sunt: idcirco nunc vastitatem patimur, & sterilitatem, quam Dominus quondam Israelitico populo comminabatur, dicens: *Nisi domus desertæ fuerint grandes, & pulchræ absque habitatore: decem jugera vineærum facient lagunculam unam*, &c. Et quoniam judicio justo Dei, exigente pœna nostri peccati, in tantam devenimus amentiam, ut nec eam quam verberamur sentiamus, aut scire velimus correptionem, jure duplicem experimur captivitatem, scilicet barbaricam, & quod est gravius, dæmonicam, sicut Dominus testatur per Isaiam prophetam: *Propterea*, inquit, *ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam*: scientiam utique divinum judicium, vel suam correptionem intelligendi, vel benefaciendi: & iterum: *Propterea dilatavit infernum animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino*: scilicet ut insatiabili ingluvie devoret in perpetuum puniendos. *Et descendent fortes terræ, & populus, & sublimes gloriosique ejus ad eum*. Expergiscantur ergo tandem aliquando ad tantam tonitrui magnitudinem: audiant Dominum per eumdem prophetam terribiliter comminantem: *Omnis*, inquit, *violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis*. Omnis enim violenta iniquorum prædatio, & tumultus, ac turbæ, quibus pauperes quosque sibique inferiores oppresserunt, & sanguinem sanguini miscuerunt, erit in combustionem gehennæ, & cibus ignis æterni. Itemque per psalmistam loquitur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, id est jam jamque in proximo vindictam exercebo. Et iterum Isaias propheta dicit: *Non despiciet Dominus preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*. Verum quia hæc impietas non jam tantum in extraneos, sed in sua, ut ita dicamus, sævit viscera, & unusquisque carnem brachii sui vorat, timendum est ne talibus illud apostoli contingat: *Videte*, inquit, *ne dum invicem mordetis & comeditis, ab invicem consumamini*: qui enim seipsum comedit, cito deficit. Nam cui dicit psalmista: *Tibi, Domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor, ipse eripiet inopem de manu fortium ejus: egenum & pauperem a diripientibus?* Sane * statuta ecclesiæ antiquæ præcipiunt, eorum qui pauperes opprimunt dona a sacerdotibus esse retutanda: & merito, cum sint apud Dominum abominabilia, testante super hoc scriptura: *Qui offert*, inquit, *sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris*. De ditibus quoque, & potentibus, qui pauperes opprimunt, in libro VI. capitularium capitulo CCCCXVIII. sic continetur: „ Ut „ judices, aut potentes, qui pauperes opprimunt, „ si admoniti a pontifice suo se non emendave„ rint, excommunicentur. “ Et ipsi quidem, nisi condignam de talibus gesserint pœnitentiam, sicut beatus testatur Paulus de rapacibus, regnum Dei non possidebunt. Ceterum regalis potestas tales punire debet secundum antiquorum regum sanctiones de his prolatas, qui infra regnum rapinam fecerint, vel apud quam scelus agnoscitur, & pars rapinæ inventa fuerit, sive de eis qui diripienda indicare reperiuntur. Inter quæ, de eo qui facultatem deprædationis dederit, vel si quis factam diviserit, præcipitur libro VI. capitularium capite CCCXXCIV. ut vivus comburatur. Itemque capitale supplicium excipiat, qui violentiam commisisse dignoscitur.

ANNO CHRISTI 909.

Eccles. 34.

Lib. 6. c. 31

Lib. 6. c. 288.

Ibid. c. 289.

VIII.

Est præterea quædam execrabilis species rapinæ, vel potius sacrilegii, quam ex ipso actu rustici raptum vocant, quod quantum sit malum, & non tantum divina, sed humana quoque auctoritate damnatum, paucis monstrabimus verbis, ad cautelam omnium Christianorum nobis commissorum. Ac primo de puellis raptis, ac necdum desponsatis, quid sacri canones præcipiant, retexere duximus necessarium. In concilio Chalcedonensi ubi DCXXX. patres adfuerunt, capite XXVII. ita habetur: „ Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & convenientes raptoribus, decrevit sancta synodus, si qui„ dem clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero „ laici anathematizentur. “ Quibus verbis aperte datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnandi sint, quando participes & conniventes tanto anathemate feriuntur: & quod juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt. De desponsatis vero puellis, & ab aliis raptis, ita in concilio Ancyrano capite x. legitur: „ Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit „ erui, & eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit. “ Proinde statutum est a sancto conventu, ut raptor publica pœnitentia mulctetur: raptæ vero, si sponsus eam recipere noluerit, & si ipsa ejusdem criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si & illa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si post hæc ei se jungere præsumpserit, utrique anathematizentur. Quid autem lex imperatorum de hujuscemodi raptoribus jubeat, in libro V. capite CCXXXIX. scire volens reperiet. Item in libro VII. capite CCXLVII. de raptoribus viduarum vel virginum ita decernitur: „ Sancitum est, ut raptores „ viduarum vel virginum ab ecclesiæ communione „ ne pellantur. “ Item, de his qui rapiunt fœminas, ut eas non habeant uxores, & quid de raptis agendum sit, ex eodem libro capite CCCXCV. „ Placuit, ut hi qui rapiunt fœminas, vel furan„ tur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant „ uxores, quamvis eis postmodum conveniat, & „ eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu „ parentum suorum acceperint. Si quis autem „ uxorem habere voluerit, canonice & legaliter „ eam accipiat, & non rapiat. Qui vero eam „ rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nun„ quam

Chalced. can. 27.

Conc. Ancyr. can. 19.

ANNO CHRISTI 909.

„ quam eam uxorem habeat, ſed propinquis ſuis
„ eam legibus reddat, & in triplo bannum domi-
„ nicum componat, & inſuper canonice publi-
„ cam pœnitentiam gerat: ad quod omnes una
„ voce clamaverunt, dicentes: Iſta omnes te-
„ nere firmiter volumus, & in perpetuum ab
„ omnibus conſervari optamus. " Ergo decernimus
& nos, ſecundum conſtitutionem antiquam, ut
nullus occultas nuptias, aut raptum faciat, vel
quam propinquus habuit ducat uxorem: ſed do-
tatam, & a parentibus traditam, per benedictio-
nem ſacerdotum accipiat, qui vult uxorem, ſic-
l. 7. c. 127. ut in libro ſupradicto capite CLXXIX. monetur his
verbis: „ Sancitum eſt, ut publicæ nuptiæ ab
„ his qui nubere cupiunt fiant: quia ſæpe in nu-
„ ptiis clam factis gravia peccata, tam in ſpon-
„ ſis aliorum, quam in propinquis ſive adulteri-
„ nis conjugiis, & quod pejus eſt dicere, conſan-
„ guineis accreſcunt vel accumulantur. Ex his
„ autem procreari ſolent cæci, claudi, gibbi, &
„ lippi, ſive alii turpibus maculis aſperſi: & hoc
„ ne deinceps fiat omnibus cavendum eſt. Sed
„ prius conveniendus eſt ſacerdos, in cujus paro-
„ chia nuptiæ fieri debent, in eccleſia coram om-
„ ni populo: & ibi inquirere una cum populo
„ ipſe ſacerdos debet, ſi ejus propinqua ſit, an
„ non, aut alterius uxor, vel ſponſa, vel adul-
„ tera. Et ſi licita & honeſta pariter omnia in-
„ venerint, tunc per conſilium & benedictionem
„ ſacerdotis, & conſultu aliorum hominum bo-
„ norum, eam ſponſare, & legitime dotare de-
„ bet. Scribit namque de legitimo matrimonio
„ beatus Auguſtinus ita: Talis eſſe debet quæ uxor
„ habenda eſt, ut ſecundum legem ſit caſta in
„ virginitate, & dotata legitime, & a parentibus
„ tradita ſponſo, & a paranymphis accipienda,
„ & ita ſecundum legem, & evangelium publi-
„ cis nuptiis honeſtata, in conjugio licite ſumen-
„ da, & omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi ex con-
„ ſenſu & cauſa vacandi Deo, nunquam propter
„ hominem ſeparanda: & ſi fornicata fuerit, &
„ vir ejus voluerit, dimittenda: ſed illa vivente,
„ altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei
„ non poſſidebunt: & pœnitentia illi accipienda.
„ Nolite vos viri habere uxores, quarum priores
„ mariti vivunt: adulterina enim ſunt iſta con-
„ jugia. Et hoc, ut diximus, omnino providen-
„ dum eſt, ne ejus ſit propinqua, quia ſcriptum
Levit. 18. „ eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non*
„ *accedat, ut revelet turpitudinem ejus*. Similiter ſcri-
Ibidem. „ ptum eſt: *Cum uxore proximi tui non coibis,*
Greg. II in ſynodo Romana I. „ *nec feminis ejus commixtione maculaberis*. Et in
„ decretalibus papæ Gregorii legitur: Si quis dia-
„ conam, aut monacham, aut commatrem ſpiri-
„ tualem, aut fratris uxorem, aut neptem, aut
„ novercam, aut nurum ſuam, aut conſobrinam,
„ aut de propria cognatione, vel quam cognatus
„ habuit, duxerit uxorem, anathema ſit: & re-
„ ſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Item:
„ Siquis viduam rapuerit, vel furatus fuerit uxorem,
„ vel conſentientes ei, anathema ſit. Et ſi quis
„ virginem, niſi deſponſaverit eam, rapuerit vel
„ furatus fuerit, vel conſentientes ei, anathema
„ ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema
„ ſit. Et alibi in canonibus præceptum eſt, ut
„ nemo uſque ad affinitatis lineam, & propin-
„ quitatem ſui ſanguinis, connubia ducat: neque
„ virginibus, ſine benedictione ſacerdotis, quis
„ nubere præſumat: oppido enim iſta cavenda
„ ſunt ne fiant. Sed poſtquam iſta omnia pro-
„ bata fuerint, & nihil impedierit: tunc ſi virgo
„ fuerit, cum benedictione ſacerdotis ſicut in ſa-
„ cramentario continetur, & cum conſilio mul-
„ torum bonorum hominum, publice & non oc-
„ culte ducenda eſt uxor, ut boni ab his filii Do-
„ mino miſerante procreentur, & non tales ſicut
„ ſuperius dictum eſt. Item in VI. libro capitulo
„ CCCCIX. Si quis non æquo gradu, ſed inceſtuo-
„ ſo ordine, cum iis perſonis, quibus a divinis
„ regulis prohibitum eſt, ſe conjunxerit, uſque-
„ quo poſt * pœnitentiam ſequeſtratione teſten-
„ tur, utrique communione priventur: & neque
„ in palatio habere militiam, neque in foro agenda-
„ rum cauſarum licentiam habebunt. Nam ſi ſe quo-
„ quo modo prædicto inceſto conjunxerint: epiſ-
„ copi, ſeu presbyteri, in quorum diœceſi vel pa-
„ go actum fuerit, regi vel judicibus ſcelus per-
„ petratum denuncient, ut cum ipſis denunciatum
„ fuerit, ab eorum communione aut cohabitatio-
„ ne ſequeſtrentur. Res autem eorum ad primos
„ parentes, uſque ad ſequeſtrationem perveniant,
„ ſub ea conditione, ut antequam ſegregentur,
„ per nullum ingenium, neque per parentes, ne-
„ que per emptionem, neque per auctoritatem
„ regiam, ad proprias perveniant facultates, niſi
„ præfatum ſcelus ſequeſtrationis ſeparatione, &
„ pœnitentia fateantur. " Item ex libro legum
Theodoſii III. cap. XII. Quod inceſti non ſint
legitimi hæredes, ſed infamia ſint notatæ utræ-
que perſonæ. Quapropter iterum iterumque au-
ctoritate eccleſiaſtica interdicimus, ut deinceps,
ſicut canones eccleſiaſtici prohibent, nullus Deo
devotam virginem, nullus ſub religionis habitu
conſiſtentem, ſive viduitatis continentiam profeſ-
ſam, vel ſui proximam generis, aut etiam de cu-
jus admixtione inceſtiva notam poſſit ſubire in-
famiæ, illicito connubio, aut vi, aut conſenſu
accipiat conjugem: quia nec verum poterit eſſe
conjugium, quod a meliori propoſito deducitur ad
deterius, & ſub falſi nominis culpa, inceſtiva
pollutione & fornicationis immunditia perpetra-
tur. Hoc vero nefas ſi agere cujuslibet gentis amodo
homines ſexus utriuſque tentaverint, ab invicem
omnimodis ſeparati exilio perpetuo relegentur.
Item in lib. VI. capite CCCCXII. „ Scire vos con-
„ venit, quia blaſphemiam Deo irrogat, qui cum
„ Deo ſacrata, vel cum velata fœmina ſe com-
„ maculat. Item cap. CCCCXIII. Si clericus cum
„ velata fœmina, vel cum Deo ſacrata ſe macu-
„ laverit, proprio honore privetur. Item cap.
„ CCCCXIV. Sciendum eſt omnibus, quod Deo
„ ſacratarum fœminarum corpora per votum pro-
„ priæ ſponſionis, & verba ſacerdotis Deo con-
„ ſecrata, templa eſſe ſcripturarum teſtimoniis
„ comprobantur: & ideo violatores earum ſacri-
„ legi, ac juxta apoſtolum filii perditionis eſſe
„ noſcuntur "

Cod. Theod. lib. III. c. 1

Lib. 6. cap.

Ib. c.

Ib. c. 3.

1. Cor. 3.

IX.

Sane quoniam hæc peſtis non tantum populares quoslibet, ſive ſuperioris, ſive inferioris ordinis, occupat homines, verum, quod non ſine noſtro, pudore, & cum maximo fatemur dolore, eccleſiaſticas commaculat dignitates: in tantum ut ipſi quoque ſacerdotes, qui ab aliis debuerant hujus putredinem morbi reſecare, computreſcant in ſtercore luxuriæ: nec ſua ſolum ignominioſa contenti perditione, bonorum etiam ſacerdotum vitam ſua lædant infami opinione, dum a ſæcularibus dicitur, tales ſunt ſacerdotes eccleſiæ: & ſic dantes aliis offenſionem vituperant miniſterium ſanctum, inſuper & canonica ſanctorum ſtatuta violant patrum, quibus interdicitur cum fœminis acceſſus & frequentatio ac cohabitatio clericorum: cogimur & priorum quædam commemorare decreta patrum, & contra nova recrudeſcentium ſemper genera morborum, nova quærere experimenta medicamento-

torum. Unde nunc ea retexemus, quæ de talibus a bonæ memoriæ prædecessore nostro Hincmaro præsule in conventu presbyterorum in metropoli civitate Remorum habito, dicto & scripto prolata sunt anno ab incarnatione Domini DCCCLII. hoc modo: De accessu autem & frequentatione ac cohabitatione clericorum cum fœminis, unde secundum sacros canones in omnibus synodis specialiter interdicimus, firmiter & expresse atque solicite a nobis, & a comministris nostris est inquirendum Sicut enim his qui Domini in carne adventum præcesserunt, & his qui subsequuntur, pro temporum ratione sunt sacramenta disparia: ad religionem tamen unius ejusdemque fidei & salutis recurrentia, &, ut scriptum est, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, per incrementa temporum, tam per seipsum, quam per angelos in veteri testamento, in novo autem similiter per se, & per doctores catholicos ac magistros ecclesiæ, qui & attestante propheta angeli nominantur, aucta est sublimitas & multiplicatio præceptorum. Per se quidem Dominus in paradiso Adæ, & post diluvium Noe mandata, & Abrahæ de circumcisione dedit præceptum, legem autem per angelos Moysi mediatori inter se & populum, ut ostendit apostolus. In novo autem testamento incarnatus per se, dicens: *Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*: &: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: &: *Dictum est antiquis*; *Qui occiderit, reus erit judicio*, &c. & per sanctos suos, de quibus dictum est: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*. Per incrementa temporum virtutem castitatis excrescere, maxime autem apud ministros ecclesiæ docuit, decernens hoc modo per mysticam Nicænam synodum: „ Interdixit per „ omnia magna synodus, non episcopo, non pres„ bytero, non diacono, nec alicui omnino qui „ in clero est, licere subintroductam habere mu„ lierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut „ amitam, vel eas tantum personas, quæ suspi„ ciones effugiunt. " Et inde lex a Christianis imperatoribus est promulgata hoc modo: „ Qui„ cumque clericatus utuntur officio, extranearum „ mulierum familiaritatem habere prohibentur: „ matrum, sororum, vel filiarum sibi solatia in„ tra domum suam noverint tantum esse conces„ sa. " Sed quia sub occasione istarum personarum aliæ mulieres subintroduci cœperunt: sancti Africani canones decreverunt, ut nec ipsi episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas, vel virgines, vel ad quascumque fœminas: sed ubi aut clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani. Unde, sicut beatus Gregorius ad ministros ecclesiæ Romanæ scripsit, B. Augustinus, nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Qui cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Et ex hoc dicit S. Gregorius: „ Docti ergo viri cautela, „ magna nobis debet esse instructio: nam inhonestæ „ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus vali„ dum non timere. Sapienter enim illicita subtrahit, „ qui didicerit etiam non uti concessis. " Et quoniam tunc temporis, novella adhuc fide, de legitime conjugatis, atque a conjugio ad continentiam conversis, clerici fiebant, unde & apostolus, si de conjugatis agendum erat, unius uxoris virum ad summum sacerdotium præcipit eligi: hinc Christiani imperatores legem decreverunt, dicentes: „ Presbyteris, & diaconis, & subdiaco„ nis, & aliis in clero scriptis, non habenti„ bus uxores, secundum regulas divinas inter-

ANNO CHRISTI 909.

„ dicimus & nos, mulierem habere in sua do„ mo, excepta matre, & filia, & sorore, & „ aliis personis, quæ omnem querelam effugiunt. „ Si quis autem adversus istam observationem mu„ lierem in sua domo habuerit, quæ potest sus„ picionem inferre turpitudinis, & ille a concle„ ricis suis audierit quod cum tali muliere non „ debeat habitare, & noluerit eam sua domo re„ pellere, vel accusatore emergente probatus fue„ rit inhoneste cum tali muliere versari: tunc epi„ scopus, secundum ecclesiasticos canones, clero „ eum repellat, curiæ civitatis, cujus clericus est, „ tradendum. " Et ut sanctus Innocentius, & præ- Innocent. decessor ejus Siricius scribunt, si priscis temporibus epist. 2. ad sacerdotes Dei de templo anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes vel Levitæ pudicitiam servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus etiam laicis scribit, dicens: *Abstinete ad tempus, ut vacetis orationi*: 1. Cor. 7. multo magis sacerdotes quibus orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab ejusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit a carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitan usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Et ne quis dicat, si habito cum mulieribus, sufficit mihi conscientia mea, dicente apostolo: *Gloria mea hæc, testimonium conscientiæ nostræ*: attendat quod item idem dicit apostolus, per quem, ut ipse fatetur, veraciter loquitur Christus: *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Quoniam, Augustino docente, sanctorum, quibus Dominus dicit, *sancti estote*, conversatio non solum sancta, sed debet esse cauta: ne forte cum mala non sit per lasciviam, sit mala per negligentiam. Et item apostolus præcipit: *Ut sine offensione omnibus simus*: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*. Et: *ne pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus mortuus est*. *Sic*, inquiens, *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*. Et ideo repleti Spiritu sancto statuerunt sancti patres nostri, ut ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres: ne vel concupiscentia urant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Proinde de concubitu presbyterorum cum fœminis, per parochianos, vel vicinos cujuscumque presbyteri, inquirere non laboramus. Abolita est quippe vetus hæresis, quæ Cynica, id est canina, propter impudicitiam fuerat appellata, dicens concubitum esse naturalem, & ob id agendum sine verecundia publice, cum legamus primos homines post peccatum inobedientiæ sensisse concupiscentiam in membris genitalibus, & a mutuis conspectibus contexisse. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis, divinis & angelicis, atque sanctorum qui in cælis sunt oculis abscondi non possit: tamen etiam quilibet rusticanus concumbens, & cum propria conjuge, prout potest plurimorum devitat aspectus; quanto magis presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum scit se non solum

Tit. 1. 1. Cor. 1. Rom. 12. 1. Cor. 10. 1. Cor. 8. 2. Cor. 6.

ANNO CHRISTI 909.

ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua quælibet in sæculo perdere? Non igitur de hoc inverecunde quærimus, quod & apostolus non nudo, sed velato nomine, loquens apud legitime conjugatos, statuit appellare, dicens: *Iterum revertimini in idipsum*: &: *Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum*: tantummodo autem de accessu & frequentatione, ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum fœminis, per tales homines inquiremus, sicut sancti Africani canones jubent, id est, quos publicæ leges ad accusationem, vel ad testimonium recipiunt, sive in malo, sive in audientia. Qui testes, ad exemplum Danielis, & sicut leges præcipiunt, examinabuntur, & si quiscumque presbyter, non solum in nostra parochia, sed in nostra diœcesi, confessus, vel legali ac regulari judicio fuerit convictus de cohabitatione, vel frequentatione, sive accessu cum fœminis contra canones, dicente apostolo: *Si quis non obedierit verbo nostro, sive per verbum, sive per epistolam, hunc notate, & nelite commisceri cum eo:* modis omnibus, secundum decreta beati Gregorii, sine gradus sui restitutione deponetur, juxta capitulum magni Leonis papæ quo dicit: „ Hæc itaque admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum „ contra hæc constituta venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit „ officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse „ noluit disciplinæ. Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra „ dilectione custodiri debere mandamus, ut, si „ quis in illa commiserit, veniam deinceps sibi „ noverit denegari." Nam & B. Augustinus suo archiepiscopo de Abundantio presbytero suæ parochiæ ita scripsit: „ Qui cum non ambularet „ vias servorum Dei, non bonam famam habere „ cœpit: qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credens, sed plane solicitior factus, „ operam dedi, si quomodo possem ad aliqua „ malæ conversationis ejus certa pervenire indicia. Ac primo comperi eum pecuniam cujusdam rusticani de vino apud se commendato intervertisse, ita ut nullam inde posset probabilem rationem reddere. Deinde convictus, atque confessus est, cum secum nullum clericum „ haberet, apud quamdam malæ famæ mulierem „ prandisse & cœnasse, & in vicinia, & in eadem domo mansisse. Nam quæ negavit, Deo „ dimisi: quæ occultare permissus non est, judicavi." Propterea, sicut Gregorius decrevit, per idoneos, ut præmisimus, testes, sacramento inquiretur de malæ famæ presbytero: & qui proinde jurabunt, hoc modo jurent: De hoc quod me interrogatis de isto presbytero quid inde sciam, me sciente nec mendacium tibi dicam, nec veritatem reticebo, sic me Deus adjuvet, & isti sancti Dei. Post istud sacramentum, interrogari debet hoc modo: Sancti canones præcipiunt, ut presbyter talem accessum & frequentationem ac cohabitationem cum fœminis non habeat, unde mala suspicio, & inconveniens sacerdoti fama possit exire. Propterea dic mihi, si vidisti, aut pro certo scis, talem accessum vel frequentiam aut cohabitationem habere fœminas cum isto presbytero, unde mala suspicio esse possit, & mala fama possit exire, illo sacramento quod modo jurasti, ut veritatem inde non reticeas, & mendacium inde non dicas. Exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui inde veritatem per sacramentum dicant, ex quibus sex jurent, & septimus, si conditio vel qualitas personæ permittit, ad judicium exeat, quod illi sex veritatem inde per sacramentum dixerunt: quia multi jam deprehensi apud nos habentur, quoniam pretio conducti se perjuraverunt. Et si hoc modo presbyter convictus fuerit de inconvenienti cohabitatione cum fœminis, deponetur, sicut Zosimus papa decrevit, dicens: „ Sciat quisquis hoc, post„ posita patrum & apostolicæ sedis auctoritate, „ neglexerit, a nobis districtius vindicandum, ut „ loci sui minime dubitet sibi non constare ratione, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, „ quidquid interdictum toties usurpatur." In lege est statutum, quod & in evangelio est confirmatum, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: & apostolus Timotheo præcipit, in cujus persona, ut Leo dicit, omnium Christi sacerdotum numerum erudivit, ut accusatio adversus presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus. Et sacrum Nicænum concilium, neophytum episcopum a duobus vel tribus testibus redargutum a clero abstinere præcipit. Sed quia in historia Susannæ duo testes, qui idonei videbantur, & in historia Nabutæ, verum & in historia passionis Domini duo testes dixisse falsum testimonium legimus: quoniam Christus Dei virtus & Dei sapientia dicit: *Per me conditores legum justa decernunt*, &c. & sanctus Gregorius frequenter in epistolis suis causam ministrorum ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit definiri: & S. Augustinus exponens sententiam apostoli, *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. dicit: „ Noluit apostolus hominem ab homine judicari ex „ arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario „ usurpato judicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem ecclesiæ, sive ultro confessum, „ sive accusatum, atque convictum: eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam, „ cum sententia ordine judiciario, atque cum integritate profertur:" Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia sæpe falso in quoquam crimen nominatur. In accusatione presbyterorum, de numero testium idoneorum auctoritatem legum sequendam vidimus, ut septem scilicet testes idonei, ut supra diximus, requirantur: &, si ratio vel causa coegerit, quatuordecim vel viginti & unus testes quærantur, ut veritas patefacta monstretur. Si autem mala fama ex verisimilitudine per parochiam de presbytero exierit, & accusatores atque testes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentius in peccatum labantur, secundum decretum Gregorii junioris sit jusjurandum in medio, & habeat malæ famæ presbyter in sacramento purgationis suæ eum testem, quem habebit & judicem. Et quoniam legimus in epistolis B. Gregorii sæpe infamatum sacerdotem in purgatione suæ famæ tantum jusjurandum præbuisse, & legalis atque apostolica, & canonica auctoritas trium testimonium recipit ad condemnationem, non ab re videtur si recipiatur ad purgationem. In historia quoque sacra, & in epistola B. Gregorii, legimus B. Petrum apostolorum primum, cum a fidelibus reprehensus fuit cur ad gentes intrasset, humili eos ratione placasse, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuisse, dicens: *Venerunt autem mecum & sex fra-*

Concilium Africanum can. 96. 98.

1 Cor. 7. 1. Thess. 4.

2. Thess. 3.

Leo ep. 1 Episcopis per Campaniam.

Augustep. 236.

Epist. Hsychii c.

Matt. 18

1. Th. 5.

Conc. Ni can. 2.

Dan. 3. Reg. 21 Matth. 26

Prov.

In lib. de pœnit. 2. Cor.

Hinc mus ibid. ep.

Gregorii epist.

Cap. 2

fratres isti: & Carthaginenses canones decernunt, ut si presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, id est, una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, ipsorum causam discutiant. Auctoritati convenire dicimus, ut si presbyter infamatus fuerit, & accusatores vel testes idonei defuerint, secundum qualitatem ac quantitatem causæ atque personæ, & utilitatem ac sanctionem cordium infirmorum, aut singulis, aut cum aliis duobus testibus, aut cum aliis sex testibus, seipsum sacramento a mala opinione purget. Et non est contrarium decretum Gregorii junioris, si plures testes ad purgationem infamati presbyteri requiruntur: quia scribens idem pontifex ad Bonifacium Moguntinum episcopum per Denualdum presbyterum dicit, ut si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiverit, sit jusjurando in medio: & non definivit, utrum ipse solus an cum aliis juret. Et quoniam, ut scriptum est, & in angelis reperta est nequitia; & teste Malachia propheta, atque evangelista Joanne, sacerdotes angeli appellantur; & experti sumus quosdam ad invicem conspirasse, ut mutuo in sua purgatione adjuvarent, sed revera nocerent, sicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam conspiraverunt: non incongruum videtur, ut cum credibili misso episcopi, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis, & una cum eo, ad jusjurandum se obtulerint, talem examinationem per advocatum infamati presbyteri recipiant, ut in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc jam revictos comperimus. Quia vero, ut S. Augustinus dicit, nova morborum genera nova quærere cogunt experimenta: hæc, præfatis auctoribus instructi, non præjudicantes, si quæ sunt, sanius intelligentium sententiis, hoc modo agenda vidimus, quatenus & presbyteros a luxuriæ præcipitio revocare, & toties repetitam canonum prohibitionem a prævaricatoribus quoquo modo possimus evindicare, & nos de dissoluta correptione non judicemur, sicut Heli sacerdos damnatus est, quia filios suos segnius ac levius quam debuerat corripuerat, & ipse & filii ejus perierunt. „ Quia, „ ut Leo dicit, inferiorum ordinum culpæ ad „ nullos magis referendæ sunt, quam ad desides „ negligentesque rectores, qui multam sæpe nu„ triunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. " Et S. Gregorius dicit: „ Qui non corrigit resecanda, committit. " Et item Leo scribens ad Januarium episcopum, singulis nobis dicit: „ Non autem dubitet dile„ ctio tua, nos, si quod non arbitramur, negle„ cta fuerint quæ pro custodia canonum, & pro „ fidei integritate decernimus, vehementius com„ movendos. " Quia ut Hilarus papa dicit: Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini injuriam profilitur. Qualiter autem his agendum sit, qui per contemptum in sanctarum traditionum sanctiones delinquunt, vel in ipsius Domini injuriam profiliunt, sanctus Leo ad Rusticum episcopum decernit hujusmodi inquiens: „ Lapsis ad „ promerendam misericordiam Dei privata est „ expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. " A qua districtionis regula Spiritu sancto promulgata non licet nobis quacumque pietate indebita declinare: quia etsi debetur compassio proximis, rectitudo tamen debetur vitiis. Unde sancta scriptura simplicitati rectitudinem semper conjungit, quia simplicitas sine rectitudine fatuitas est. Simplicitas igitur erga vitia, sicut catholici doctores dicunt, A dissoluta & stulta est; & rectitudo erga proximos, sine pietatis simplicitate, austera existit & dura. ANNO CHRISTI 909.

X.

Omni fidelium ordini denunciamus, cavendos esse summopere libidinis æstus, Domino per evangelium præcipiente: *Sint lumbi vestri præcincti*. Luc. 12. Denique cum oporteat nos contra reliqua vitia omni virtute resistere, contra libidinem non tam expedit repugnare, quam fugere. Unde & apostolus Paulus præcipit dicens: *Fugite fornicationem*: 1. Cor. 6. *omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: & iterum: *Fornicatores & adulteros judicabit* Hebr. 13. *Deus*: & cum ibidem dicat Apostolus: *Templum* 1. Cor. 3. *Dei sanctum est, quod estis vos*: itemque: *Empti* 1. Cor. 6. *estis pretio magno; glorificate & portate Deum in corpore vestro*: abst ut brevi oblectatione miseræ carnis tollentes membra Christi, faciamus ea membra meretricis. Luxuria nempe carnis, cum Deo sit odibilis, ideo bonis omnibus est notabilis, quoniam statim per seipsam est turpis. Cujus prima tela sunt oculorum, secunda verborum: sed qui non rapitur oculis, potest resistere verbis; & qui delectationem refrænat libidinosæ suggestionis, non transit ad consensum libidinis. Convalescit vero luxuria epulis, exardescit saturitate nimia ventris, perfodit animam stimulo ebrietatis. Inter delicias namque pudicitia servatur difficile. Denique saturitas cibi & potus mentem ad lusum, carnem movet ad luxum. Nec ideo tanquam sint deliciæ potentum, minor debet esse cautela pauperum: quoniam & in serico, & in pannis, exercet libido jus suæ potestatis: nec timet purpuram regum, nec spernit squalorem mendicantium. Hæc, cum vitam animæ perimat, & cor auferat, cæcitatem quoque menti ingerit, ipsum etiam corpus cito debilitat, factumque in miseriam celeriter senectutem præcipitat, & nisi solius Dei miserantis pietas manum benignissimæ extendens clementiæ, jacentem sublevet, & antequam mors veniat, resipiscere faciat, in infernum hominem mergit, & in pœnas tartari petrahit. Væ denique illi, qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quando & vitæ. Idcirco nobis necessarium omnimodis est obtemperare salubri consilio scripturæ monentis: *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*: & iterum: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, & immunditiam, & concupiscentiam malam*, &c. Hoc omni gradui, omni ordini, & utrique obtestamur sexui, putridam proïstis fugere luxuriam, & succinctis lumbis castitatis tenere virtutem: scientes pro certo verissimam esse vocem apostolicam, quæ inter cætera terribiliter clamat: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*. Eccles. 18. Colos. 3. 1 Cor. 6.

XI.

Inter cætera quoque admonitionis nostræ officia videtur nobis illud satis necessarium esse, quatenus nefanda cohibeantur perjuria, non solum quæ alicujus factionis fiunt commento, vel fallendi aliosque decipiendi studio, sed & ea, quæ ex ipsa prava consuetudine jam veluti inolita pene per singula admittuntur verba ab eis, quibus æque falsa constat jurare ut vera. Cum, si forte propter eos, qui pigri sunt ad credendum, neque moventur ad fidem verbi, qui & in hoc graviter delinquunt, quod sibi loquentes jurare cogunt, necesse fuerit proferre jusjurandum, hos comites habere debeat jusjurandum, veritatem, judicium, & justitiam, dicente Domino per prophetam Jeremiam: *Et ju-*

rabis, *vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Si enim ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. Et vetus quidem lex jurare concessit, pejerare prohibuit: *Non assumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei frustra.* Quo mandato altius intellecto, dum sciamus nobis præcipi, ne Christum Dei Patris Filium existimemus esse creaturam, dicentes eum simplicem hominem, & honore divinitatis privantem: ad simplicem tamen sensum, ille nomen Dei sui in vanum assumit, qui in qualibet frivola re, & in dolo jurans proximo suo, aliquando in causa non necessaria, vel in verbo otioso, nomen sanctum ejus in tali vanitate assumere non pavescit. In novo autem testamento ipse Dominus dicit: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non perjurabis. Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, &c. Ergo evangelica veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Sunt quoque multi qui assidue faciunt jurare, sed & non timent pejerare per Deum, & omnes sanctos; quidam per corpora sanctorum, per animam vel suam, vel matris aut patris, aut alicujus cari sui, parvipendentes suæ ipsius animæ, suorumque salutem: quidam per totum jurant mundum, contemnentes illud dominicum præceptum: *Nolite jurare, neque per cælum, neque per terram*, &c. qui enim jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Qui vult ergo cavere crimen perjurii, non teneat usum jurandi, dicente scriptura: *Jurationi non assuescat os tuum*, & item: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.* Unde Isidorus episcopus dicit: Sicut mentiri non potest qui non loquitur, sic pejurare non poterit, qui jurare non appetit. Nunquam ergo juret, qui peccare timet. Quid vero de his dicendum est, qui, ut alios fallant, mentiuntur, vel quacunque verborum arte se potius quam alium decipiendo pejerant. Dominus namque, qui testis est conscientiæ, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Unde sanctus Augustinus ait: perjuri non sunt, qui verbis non servatis, illud quod ab eis, cum jurarent, expectatum est, impleverunt: & perjuri sunt, qui etiam servatis verbis, expectationem eorum quibus juratum est, decipiunt. Hi miseri heu quantis rei tenentur criminibus, prævaricatores totius sacræ legis veteris & novæ proditi, quia loquuntur mendacium; quia assumunt nomen Dei sui in vanum; quia proximum dolo capiunt, insuper & perjurant. Tales, etsi condignam egerint pœnitentiam, adhuc in vivis corporibus mortuas gestare videntur miseras animas. Qua de re a Christianis quoque regibus de sacramentis leviter non jurandis ita statutum est libro v. capite CCCXLIX. „ Volumus ut sacramenta cito non fiant: „ sed unusquisque judex prius causam veraciter „ cognoscat, ut eum veritas latere non possit, „ ne facile ad sacramentum veniant. Item de „ perjuriis cavendis, ex lib. v. cap. CCLXXVI. Præ„ cipimus, ut perjuria caveantur, nec admittan„ tur testes ad sacramentum antequam discutian„ tur. „ Et infra: „ Siquis convictus fuerit per„ jurii, perdat manum, aut redimat. " Itaque cum propter cavendum perjurium necesse sit, si forte contigerit, servare jusjurandum: illud tamen volumus omnibus esse notum, quoddam juramentum nullo modo a Christianis observandum: videlicet quo malum aliquod incaute, vel etiam scienter, jurando promittitur: velut si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem

ANNO CHRISTI 909. *Exod. 20.*

Matth. 5.

Ibidem.

Eccles. 29. Ibidem.

Isid. lib. 11. sentent. cap. 31.

Lib 5. c. 197.

A polliceatur; aut, si quis, ne ad pacem redeat, vel ut aliquod flagitium committat, se sacramento constrinxerit. Tolerabilius est denique, non implere sacramentum, quam in illud quod male spopondit permanere, vel quod decrevit perficere flagitium. Et ne forte quis dicat, aut perjurium a nobis suaderi, aut hoc nullum vel parvum esse putetur: quid de talibus Ilerdense statuat concilium capite VII. commemoretur: „ Qui sacra„ mento se obligaverit, ut litigans cum quoli„ bet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio „ uno anno a communione corporis & sanguinis „ Domini segregetur, reatum suum eleemosynis „ & fletibus, & quantis potuerit jejuniis absol„ vat. Ad caritatem vero, quæ operit multitu„ dinem peccatorum, celeriter venire festinet. "

ANNO CHRISTI 909.

Concil. Ilerdens. can.

XII.

Quia vero de discordantibus, iracundis, & litigiosis fermo nobis est, hæc quoque vitia quantum sint animæ nociva, quantumque omnibus Christianis cavenda, paucis demonstrare verbis necessarium duximus. Dominus in evangelio ait: *Væ mundo a scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini, per quem scandalum venit.* Cum enim necesse sit, ut beatus dicit Hieronymus, in isto mundo fieri scandala, & unusquisque suo vitio scandalis pateat: væ tamen ei homini, qui quod necesse est ut in mundo fiat, vitio suo facit ut per se fiat. Hinc Salomon: *Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat principes.* Item: *Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Angelus crudelis immundus est spiritus, qui a Domino contra peccantes & jurgia quærentes mittitur, ut eos, vel in præsenti affligat, vel etiam post mortem ad interitum rapiat. Item Salomon: *Vir iracundus provocat rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Item: *Qui meditatur discordias, diligit rixas.* Cum talibus certe Deus non est: quoniam attestante Paulo apostolo: *Non est Deus dissensionis, sed pacis.* In pace autem vocavit nos Deus. Hinc suavis doctor ecclesiæ Gregorius: Deus in unitate est, & illi ejus merentur gratiam habere, qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt. Et Dominus in evangelio: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Unde supradictus doctor ostendens quam gravis sit culpa discordiæ, dicit: Munus a Deo non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur. De iracundis quoque Dominus dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Hinc Jacobus: *Ira viri justitiam Dei non operatur*: & Paulus apostolus nos admonet, dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram:* & Salomon: *Ne velox sis ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit:* item: *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* itemque: *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Ergo cohibenda est iracundia, pellenda discordia, refrænanda est rixa, ut non solum nostro vitio non provocemus quemquam, sed ut provocati, & graviter læsi, juxta Pauli vocem, simus cum patientia supportantes invicem, & donantes nobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut Deus in Christo donavit nobis, ita & nos dimittamus invicem quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis. Tale quippe pactum cum Deo facimus in oratione, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut*

Matth. 5.

Prov. 16.

Prov. 15.

Prov. 1.

Prov. 15.

1. Cor. 1.

Matth. 5.

Ibidem.

Jac. 1. Ephes. 4.

Eccl. 7. Prov. 18.

Prov. 27.

Coloss. 3.

Luc. 11.

ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Unde ſummopere cavendum eſt omnibus nobis. Qui enim non dimittit ei qui ſibi facit injuriam, hoc petendo non pro ſe facit orationem, ſed ſuperinducit maledictionem: & fruſtra ſibi Deum propitium fieri quærit, qui placari proximo negligit. Et quia tales ab eo qui pax eſt ſeparati ſunt, jure & ab eccleſia ſeparantur, niſi inimicitias depoſuerint, decernente concilio Agathenſi hoc modo capite XXXI. „Placuit etiam, ut ſicut „ plerumque fit, quicumque odio, aut longinqua „ inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revoca„ ri diutina intentione nequiverint, a civitatis „ primitus ſacerdotibus redarguantur. Qui ſi ini„ micitias deponere pernicioſa intentione nolue„ rint, de eccleſiæ cœtu juſtiſſima excommunica„ tione pellantur. „ Et in concilio Carthaginenſi ſtatutum eſt capite XCIII. „ Oblationes diſſi„ dentium fratrum neque in gazophylacio re„ cipiantur. „ Quorum igitur oblatio in præſentis eccleſiæ non recipitur ſacrario, horum proculdubio animæ a cæleſtis ſacrarii, ſcilicet regni, repelluntur conſortio.

XIII.

Ideo tantopere compeſcendam monemus diſcordiam, & iram cum litigio, quia ex eis odibilem Deo & ejus dilectoribus ſcimus procreari ſobolem, nefandum ſcilicet homicidium: quod crimen, quam grave ſit, & quanta illud comitentur infauſta, omnibus ſanum ſapientibus patet. Cujus miſeram originem idcirco altius repetere, & cunctis libet propalare, ut, dum omnes mortiferam ejus cognoverint eſſe radicem, aut nullo modo, ſi fieri poteſt, eam contingant, aut ſi forte, ut aſſolet, ſe ingeſſerit, mox primo attactu ejus amariſſimum virus a labiis, antequam inficiantur, ſubmoveant. Igitur cum protoplaſti, qui ea naturæ qualitate creati fuerant, ut immortalitatis ac mortis capaces eſſent, poſt primæ prævaricationis reatum, non mori propria voluntate perdito, & poſſe mori jam non ſponte retento, vel, ut ita dicamus, non poſſe non mori ſibi acquiſito, ita fuiſſent morte mulctati, ut etiam quidquid ex eorum ſtirpe eſſet exortum, eadem teneretur pœna obnoxium, & quod illis propter peccatum ſucceſſit pœnaliter, in ex eis naſcentibus ſequeretur naturaliter: non tamen hic ſerpentina antiqui hoſtis quievit invidia, ſed quæ vetito ſe infuderat pomo, ut dulceſceret faucibus parentum, in ſequentem tranſfuſa propaginem, ad intima tranſiit præcordia filiorum. Et licet ipſa agente mors taliter intraverit in orbem terrarum, parum tamen ſibi feciſſe viſa eſt, ſi jam mortales pateretur debitæ mortis expectare terminum. Unde, quod dictu lugubre eſt, in tantum ſe dilatando, & primæ conditionis innocentiam perſequendo effudit, ut nec illi, qui primi in terra editi ſunt, germani fratres pacem inter ſe & concordiam habere poſſent, ſed cum adhuc ſoli cum parentibus totius orbis Domini exiſterent, alter alterum invidendo occiderit, & præoccupato ſibi debiti finis articulo, ante ſupremas maturæ metas vitæ, eum in terram ſuam redire coegerit. Cumque Deus illum ſub maledicto redactum ſeptupla pro tanto facinore ultione damnaſſet, & ipſe uſque ad ſeptimam generationem fratricidii & invidiæ ſuæ vagus profuguſque pœnas lueret; & progenies ejus in ſeptima ſimiliter generatione maledictioni ſubjaceret: cumque demum ſecundum homicidam Lamech, ut addito jam interdicti & maledictione mulctati ſceleris crimine, ſic addita multiplici vindicta, ſeptuagies ſepties juxta interpretationem ſui nominis percuſſiſſet: non ſic quidem ſemel corruptus ſenſus, & avito infecta veneno humani cordis cogitatio, quæ, ipſo dicente Domino, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, timore ſaltem pœnali ab impietate cœpta potuit refrænari: ſed quo magis humani generis crevit propago, eo amplius non ſolum crudelium homicidiorum, ſed & omnium ſcelerum concrevit magnitudo, ab invidia diaboli ſumpto principio, dum illum imitantur qui ſunt ex parte ejus. Quapropter quod divino nequaquam cohibebatur timore, neceſſario legis, & veteris, & novæ, & eccleſiaſticæ, & ſæcularis, prohiberi, & poſt prohibita perpetratum jure puniri debuit animadverſione. Ideo de inſanis homicidiorum patratoribus quid ſancitum ſit antiquitus ex parte retexamus. In Decalogo legis veteris Dominus per Moyſen præcipit: *Non occides*. Item: *Qui percuſſerit hominem, & occiderit, morte moriatur*. In evangelio vero Dominus per ſeipſum dicit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio*. Ubi dum ira penitus tollitur, quis homicidii locus relinquitur? Dum enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, inimicos quoque diligere, ac pro perſequentibus orare, omnis, non dicam homicidii, ſed & ejus, ex qua naſcitur, iræ videlicet occaſio aufertur. Qui vero, & quales, cujuſque filii ſint, & cujus opera faciant homicidæ, Dominus loquens ad Judæos manifeſtat, cum dicit: *Quæritis me interficere, quia ſermo non capit in vobis*, ac ſi diceret, non capit cor veſtrum, quia non recipitur a corde veſtro, ſi enim caperetur, caperet: caperet autem ad ſalutem, non ad perniciem. Item: *Vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*. Qualia denique ſunt, quæ apud patrem ſuum viderunt, in conſequentibus aperit, cum quis ſit ille illorum pater patenter oſtendit: ille videlicet quem imitati, non a quo ſunt creati. Item: *Vos facitis opera patris veſtri*. Cumque illi, ſicut & adhuc quidam miſeri, nomine Chriſtiani, opere vero diabolici, gloriarentur de paternitate unius Dei dicentes: *Nos*, inquit, *ex fornicatione non ſumus nati: unum patrem habemus Deum*: audierunt: *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me*: ac ſi diceret; dicitis Deum patrem, agnoſcite me vel fratrem. Utinam audiamus hoc nos Chriſtiani, quod audire noluerunt Judæi: ut ſi vere volumus de gratia paternitatis cæleſtis patris gloriari, & adoptivi ejus eſſe filii, diligamus ex toto corde fratrem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum, verum & proprium Filium Dei: diligamus & proximos noſtros, ſecundum ejus imperium, ſicut noſmetipſos: cognoſcamus vocem loquelæ ejus, ſicut propriæ oves ipſius: ne exprobret nobis quod dixit Judæis: *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem*: & hoc unde? *Vos*, inquit, *ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri facere vultis*. Et quaſi interrogaretur, quæ ſunt illius deſideria: *Ille*, ait, *homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Homicida*, inquit, *erat ab initio*, utique in primo homine. Ex illo ille homicida, ex quo fieri potuit homicidium; invidit enim primo homini, & occidit hominem. Ergo qui illum imitando talia faciunt, vel facere deſiderant, ejus utique filii ſunt: & cum tali patre, niſi cito reſipuerint, hæreditabunt pœnas ignis æterni, qui paratus eſt illi, & angelis ejus, & filiis ejus. Et quia ſe locus impræſentiarum obtulit, ut de mendacibus quid loquamur, audiamus ipſum Dominum oſtendentem nobis quis pater mendacii & men-

ANNO CHRISTI 509.

Geneſ. 8.
Exod. 20.
Matth. 7.
Joan. 8.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.

mendacium hominum habeatur. Cum enim dixisset de diabolo: *Ille homicida erat ab initio*, addidit unde; *& in veritate*, inquit, *non stetit, quia veritas non est in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus*, id est pater mendacii sui quod ipse genuit, quia a nemine illud audivit. Nam quisquis homo ab alio mendacium accipit, & dicit, mendax est, sed pater ejus non est. Mendaces igitur apud patrem suum diabolum vident, & audiunt quod loquitur, id est mendacium, quod ex se narum idcirco docet proferri ore hominum, ut eorum animas per ipsum prolatum interficiat mendacium, attestante nimirum scriptura: *Os quod mentitur, occidit animam*, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure. Propter quod omnes admonet apostolus Paulus: *Nolite*, inquit, *mentiri invicem*. Itemque: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*: & Salomon. *Abominatio Domino est lingua mendacii: qui autem fideliter agunt, placent ei*: & iterum: *Liberat animas testis fidelis: profert mendacia verspellis*. Item: *Qui quod novit loquitur, judex justitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus*. Hinc Jesus filius Sirach: *Noli*, inquit, *velle mentiri omne mendacium*. Cum enim, ut beatus pater Augustinus dicit, octo sint genera mendacii, nullo eorum a perfectis viris mentiendum est. Unde Isidorus: Summopere cavendum est omne mendacium: & item: Omne genus mendacii summopere fuge. Omne quod a veritate discordat, iniquitas est. Esto in verbo verax, neminem mentiendo fallas: non aliud loquaris, & aliud facias: non aliud dicas, & aliud in animo teneas. Et in epistola Callisti papæ: Nihil mali vult qui fidelis est: si quis fidelis est, videat ne falso loquatur, aut cuiquam insidias ponat. Dicit psalmus: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Si quæritis, quare? quia veritati, quæ Christus est, contrarium est. Pertinet namque ad id quod non est, non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verum dicitur: si autem hoc dicitur quod non est, mendacium est. Ideo inquit: *Perdes eos qui loquuntur mendacium*: quia recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinaverunt. Licet, quidam hoc non de omni mendacio, sed de hæreticis tantum intelligi velint. Nos autem fugientes a patre mendacii, curramus ad patrem veritatis, & loquamur veritatem ex corde & ore cum proximis nostris, ut mereamur inveniri participes veritatis æternæ, & Patri coæternæ, cum eo regnantes in sæcula. Sed revertamur ad homicidas, qui unum cum mendacibus dicuntur habere patrem, id est diabolum. Attendant quid Dominus post diluvium famulo suo Noe dixerit: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu hominis: de manu viri, & fratris ejus, requiram animam ejus. Quicumque effuderit humanum sanguinem, sanguis ejus fundetur pro eo: ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Qua sententia cum sub interminatione prohibeatur homicidium, tamen ne quis insipientium putet animam hominis in sanguine constitutam, quæ immortalis est, & quæ ideo sic appellatur, quasi anæma, id est a sanguine longe discreta, noverit sanguinem animarum typice intelligendum ipsum vitale, quo vegetantur, & sustentantur, & vivunt homines in carne per animam. Non enim sanguis hominis ad substantiam animæ creditur pertinere, quamvis alibi legislator dicere videatur: *Anima omnis carnis in sanguine est*. Quod non ideo dictum est, ut hoc sit anima, quæ est propriè spiritalis substantia: sed quod per sanguinem anima, ut diximus, typice significetur, per rem scilicet visibilem res invisibilis, sicut & illud: *Petra autem erat Christus*: non quia hoc erat, sed quia hoc significabat. Quo sensu & illud intelligendum est, quod sequitur: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur, & sanguis illius*. Multi denique effuderunt sanguinem, & sanguis eorum effusus non est: perimuntur etiam plurimi veneno, vel suspendio, vel quolibet alio modo, & sanguis eorum non effunditur. Ergo cum ille qui occidit, sanguinem non effuderit, quomodo ejus sanguinem Dominus effusurus est? nisi quia, ut diximus, sanguis hominis ipsum vitale ejus, quod subsistit, debet intelligi: quod qui effuderit, id est, qui aliquo genere mortis hominem occiderit, fundetur sanguis illius, hoc est vitalis portio ejus: quoniam sicut illi, quem occidit, temporalem vitam, sic sibimet ipsi peccando vitam abstulit æternam. Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur. Cui simile est illud quod Petro dicitur. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, ac si diceretur, omnes qui injuste occidunt hominem, eadem occisione ipsi in anima pereunt. Et quia ad imaginem suam Deus hominem fecit, in eo quod huic manere ad æternitatem voluit: idcirco animas hominum ab his, a quibus de corporibus fugantur, requirit. Audiant igitur dolosi & falsi testes Psalmistam dicentem: *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus*. Item: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*: & quia tales abominatur Dominus; abominabitur etiam illos & ecclesia. Unde taliter de eis in concilio Agathensi capite trigesimo quinto statutum est: „ Itaque censuimus homicidas & falsos testes a communione „ ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint: „ & in concilio Ancyrano capite vigesimo primo. „ Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem se jugiter submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequentur. „ De his autem qui homicidium non sponte committunt, in eodem Concilio capite vigesimo secundo, & sic dicitur: „ De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere. „ Et de homicidis maleficis, in concilio Eliberitano capite sexto. „ Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus „ non potuit, nec in finem impertiendam esse „ illi communionem. „ Igitur cum hoc scelus homicidiorum inter nostros jam crebrius actitatur, & non solum quorumlibet Christianorum, sed ipsorum etiam Christi ministrorum, insuper & summorum sacerdotum temerarie sanguis effunditur, & Dei timor, sacræque legis veteris & novæ observatio, ac sacerdotalis reverentia, canonum quoque statuta conculcantur, atque omnis ordo ecclesiasticus a talibus passim confunditur, & ludibrio habetur, & repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum: quid nobis agendum est, dum religio sancta annullatur, dum fas & jus confunditur? Restat solummodo cum Psalmista proclamare ad Dominum, & dicere: *Exurge Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die*. Verumtamen quos divinus non restringit, saltem humanus timor coerceat. Proponantur eis edicta imperatorum. In libro capitularium VI. capite XC. ita censetur: „ Qui occi-

„ de-

ANNO CHRISTI 909. — Sap. 1. — Coloss. 3. — Ephes. 4. — Prov. 12. — Prov. 14. — Prov. 12. — Eccl. 7. — Psal. 5. — Genes. 9. — Levit. 17. — 1. Cor. 9. — Genes. — Matth. 5. — Psal. 5. — Psal. 54. — Concil. Agath. c. — Concil. Ancyr. c. 2 — Ibid. c. — Psal. 73. — Lib. 6. c.

„ derit monachum, aut clericum, arma relin-
„ quat, & Deo in monasterio serviat cunctis die-
„ bus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reversu-
„ rus, & septem annos publicam pœnitentiam
„ gerat. „ Ex eodem libro capite vigesimo octa-
vo. „ Si quis sacerdotem, vel levitam, aut mo-
„ nachum interfecerit, vel debilitaverit, juxta
„ statuta priorum capitulorum, quæ legi Sali-
„ cæ sunt addita, componat, & insuper bannum
„ nostrum, id est LX. solidos, nobis persolvat,
„ & arma relinquat, atque in monasterio diebus
„ vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat,
„ nunquam postmodum sæculo vel sæcularibus
„ militaturus, neque uxori copulaturus. „ Item
in libro VII. cap. CCXXV. „ De homicidis ita jus-
„ simus observari, ut quicumque ausu temerario
„ alium sine causa occiderit, vitæ periculo fe-
„ riatur, & pretio se redimere nunquam valeat.
„ Et si convenerit ut ad compositionem quisque
„ descendat, nullus de parentibus aut amicis eum
„ quidquam adjuvet: quod si fecerit, suum wir-
„ gildum omnino componat. „ Cum ergo de istis
tam districtum proferatur judicium, quid censebitur de nece episcoporum? Quod fortassis hic ideo videtur omissum, quia post sopitam persecutionis Christianorum, quæ a paganis exercebatur, sævitiam, vel si fuit, rarissimum, vel nullum tam immane facinus inter Christianos est perpetratum: & idcirco quomodo pœniteri aut puniri debeat, hac non est lege diffinitum. Hoc tantum inter cætera capitularium scripta, lib. V. cap. CCLXI. reperitur, quod qui episcopum occiderit, nongentis solidis culpabilis judicetur. Sane quomodo in talibus vindicandum sit, quia non hominis vindicta quæritur, sed Dei, ne quantum ad humanum spectat intuitum, tantum facinus remanere videatur inultum, & super eos, qui vindices esse debuerant, dum suas gravius, Dei vero vel levius vel nullatenus ulciscuntur injurias, justum ejus superducatur judicium, videat rex ut recta de talibus judicando nomen suum factis adimpleat. Videant duces ejus & comites, qui gladium Dei portant ad vindictam malefactorum, de quibus ait apostolus: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malefeceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Et sibimetipsis, suisque prospiciant subditis, juxta exemplum Moysi famuli Dei, qui in Dei vindictam sibi conjunxit, armavit, & animavit filios Levi, & cum esset mitissimus, in quosdam idololatras puniendo eos velut desæviit, præcipiens suis: *Ponat vir gladium super femur suum.* Et rursus: *Ite & redite de porta usque ad portam, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum:* ne in omnem populum ira Dei desæviret. Si enim ipse rex videlicet, atque sui, quibus hoc agendum negotium instat, Dei judicium quoquo modo dissimulaverint, ipsi viderint. Stat namque firma Pauli sententia apostoli, in quo ipsa veritas Christus loquebatur, qua dicitur: *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum, eorumque qui veritatem Dei in injustitia detinent*, & post pauca: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt*, id est, intelligere noluerunt, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus:* & iterum: *Scimus quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Nos vero talibus, si forte tandem aliquando vel in ultimis suis resipuerint, tamque gravium admissorum veniam corde tenus postulaverint, ne videamur eam, quæ claudi non potest, januam pietatis Dei obstruere velle, & de ejus misericordia aliquos, quod absit, desperare, immo, ut ita dicatur, mortuis mortem addere, nequaquam pœnitentiam denegari dicimus: cum Deum misericordem ad subveniendum miseris, ad benignitatis ejus portum confugientibus, paratissimum credamus, invitantem omnes ad pœnitentiam, atque per prophetam clamantem: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Quibus tamen pœnitentiæ modos & tempora juxta qualitatem peccati dicimus decernenda, sicut taxatur in concilio Africano capite decimo. „ Pœnitentibus, inquit, secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ „ tempora decernantur. „ Item in eodem Concilio cap. LXXIV. „ Ut sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges injungat. „ Nos quidem de istis quod nostrum erat, egimus. Denique secundum sententiam beati apostoli Pauli, ut tollerentur de medio Christianorum qui hoc egerunt, jam judicavimus qui sic operati sunt, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis nobis & ejus spiritu cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi, si tamen pœnitentiam agere voluerint. Sic enim idem Apostolus se egisse testatur de his qui circa fidem naufragaverunt, id est in fide male vivendo erraverunt, scribens ad Timotheum: *Ex quibus est*, inquit, *Hymenæus, & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare.* Si vero ut inceperunt, in sua perseveraverint malitia, & divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contempserint, secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizantes sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: quoniam a nobis modo non traduntur satanæ in interitum carnis, ut spiritu salventur, sed ipsi potius seipsos ex toto tradiderunt satanæ, ut cum ipso in die Domini nostri Jesu Christi pereant: nos quoque, cum omni ecclesia Christi, quia nec debemus, nec possumus, eis nec vivis nec mortuis communicabimus. Insuper & secundum potestatem nobis in beato Petro & in cæteris collatam apostolis, quibus dictum est: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*, illius anathematis vinculo eos adhuc innodabimus, ut juxta Pauli vocem, quia non amant Dominum nostrum Jesum Christum, quin immo oderunt, & persequuntur, & illum qui nomen ejus cum sacra unctione gestabat, vicesque illius agebat, Christum Domini interfecerunt, sit quisque eorum, qui hoc nefandissimum scelus opere perpetravit, & quicumque eis quoquo modo favendo, & communicando consentit, anathema maranatha, id est condemnatus, donec Dominus redeat, vel perditio, sive ut dictum est, condemnatus in die judicii, quando Dominus veniet. Gratia autem & misericordia Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum, & cum omni ecclesia ejus. Amen.

ANNO CHRISTI 909.

Lib. c. 97.

Lib. c. 183.

Exech. 33.

Concil. Africc. c. 10.

Concil. Carthagin. IV. c. 74.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1

Matth. 18.

1. Cor. 16.

XIV.

Quanquam superius de sacrilegis inter nos sermo sit habitus, ubi ex parte ostendimus, quam grave sit illud facinus, & quia pœna jure plectatur sacrilegus: tamen quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto ecclesiæ episcopo, mox a quibuscumque potentioribus perva-

vadantur res eccleſiaſticæ, quaſi epiſcopi fuerint A
ANNO CHRISTI 909 propriæ, cum etiam ſi ejus eſſent, contra omne
jus id fieret: hoc tam immane ſacrilegii facinus, & jam ſæpius factum ſcientes dolemus, &, ne ulterius a quolibet præſumatur, auctoritate Dei, & ſanctorum ejus, qui cum illo regnant in cælo, noſtro etiam epiſcopali miniſterio, quibus Dominus licet indignis poteſtatem dedit in ſuis
Matth. 18. apoſtolis, dicens: *Quodcumque alligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, interdicimus. Unde inter cæteras de hac re canonum conſtitutiones, in concilio Valentino cap.
Concilium Valentinum in Hiſpania cap. 2. 11. ita ſcribitur: „ Hoc etiam placuit, ut epi-
„ ſcopo ab hoc ſæculo jubente Domino accerſi-
„ to, clerici ab omni omnino ſupellectili, vel B
„ quæcumque ſunt in domo eccleſiæ, vel epiſco-
„ pi, in libris, in ſpeciebus, utenſilibus, vaſcu-
„ lis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni
„ omnino re, rapaces manus abſtineant, & ni-
„ hil latronum more diripiant. Qui niſi cano-
„ num auctoritate cohibiti fuerint, omnia quæ
„ pervaſerint, metropolitani vel omnium com-
„ provincialium ſacerdotum dictrictione coacti,
„ in priſtinum ſtatum redintegrare cogantur: ut
„ nihil antiſtiti, vel diſpenſatori futuro neceſſa-
„ riorum ſub hac juſta conſtitutione depereat.
„ Quod ut confidentius juſtitia manente ſerve-
Concilium Regenſe c. 5. „ tur, ſecundum Regenſis ſynodi conſtituta, epi-
„ ſcopo e corpore recedente, vicinior illi acce-
„ dat epiſcopus, qui ex more exequiis celebra- C
„ tis, ſtatim eccleſiæ illius curam diſtrictiſſime
„ gerat, ne quid ante ordinationem pontificis fu-
„ turi, remanentium clericorum ſubverſioni vel
„ direptioni jam liceat. Ita ut de repertis omni-
„ bus inſpectio certior, deſcriptioque fideliſſima,
„ ſi fieri poteſt, intra octavas defuncti, ſub di-
„ ligentia præſentis epiſcopi peragatur: dehinc ad
„ metropolitani notitiam habita ordinate deſcri-
„ ptio deferatur, ut ejus electione talis perſona
„ ordinandæ domui eccleſiaſticæ procuretur, quæ
„ vel conſueta clericis ſtipendia diſpenſet, & cre-
„ ditarum ſibi rerum, ſi forſitan tarditas in epi-
„ ſcopo ordinando ſucceſſerit, metropolitano con-
„ gruis temporibus reddere poſſit rationem: ut
„ ſub hac ſalubri conſtitutione clerici ſtipendiis D
„ ſuis omnino contenti, labores non diripiant
„ epiſcopi decedentis, & in vacuam eccleſiæ do-
„ mum futurus pontifex non ſine dolore ſucce-
„ dat: ſed magis de præceſſoris ſui dimiſſo poſ-
„ ſit & ipſe gaudere, & aliis miniſtrare. Item
Concilium Valent. can „ cap. III. Simili quoque modo parentibus &
„ propinquis decedentis epiſcopi, ſi inteſtatus o-
„ bierit, denuncietur, ut ſine metropolitani vel
„ comprovincialium ſacerdotum conſcientia, ni-
„ hil de rebus defuncti occupare pertentent: ne
„ forte hæreditariis rebus etiam aliqua ad eccle-
„ ſiam pertinentia vel permixta uſurpent, ſed
„ uſque ad ordinationem futuri expectent anti-
„ ſtitis, aut certe, ſi longum fuerit, ad metro-
„ politani, ut dictum eſt, admonitionem recur- E
„ rant. Si quis autem immemor divini timoris,
„ contra hæc ſancta ſynodica clericus quiſque vel
„ laicus venire improba mente tentaverit, &
„ communione & conſortio privetur eccleſiæ:
„ quia durum eſt ut ad illam conveniat, quam
„ exſpoliare non metuit: niſi forte ſpiritu me-
„ liori correptus, dum a præſumptione ceſſave-
„ rit, recuperat indulgentiam. Si autem ratio-
„ nabiliter modeſteque unuſquiſque repetit quod
„ ſibi jure debetur, ei abſque aliqua animadver-
„ ſione a metropolitano, vel cui injunxerit, aut
„ res aut ratio non negetur. Hos etiam omnes

„ canones conſtringunt, qui tam in prætéritum,
„ quam in futurum res eccleſiæ vel epiſcopi u-
„ ſurpantes diripuerint. Item cap. IV. Illud et-
„ iam provido conſilio, decernentes, ut quia ſæ-
„ pe ſanctorum antiſtitum, per abſentiam com-
„ mendatoris epiſcopi, exequiæ differuntur, ita
„ ut veneranda pontificis membra, dum tardius
„ funerantur, injuriæ omnino ſubjaceant, epi-
„ ſcopus, qui poſt mortem fratris ad ſepeliendum eum ſolet invitatus occurrere, infirmum
„ magis, & adhuc in corpore poſitum, admoni-
„ tus viſitare non differat, ut aut de relevatio-
„ ne ſacerdotis amplius gaudeat, aut certe de
„ ordinatione domus ſuæ fratrem admoneat,
„ eiſque probabilem voluntatem in effectum tranſ-
„ mittat, ac recedentem a ſæculo, poſt oblatum
„ in ejus commendatione ſacrificium Deo, mox
„ ſepulturæ tradat diligentiſſime, & ſuperius con-
„ ſtituta canonice non differat adimplere. Si au-
„ tem, ut fieri ſolet, antiſtes obitu repentino
„ diſceſſerit, & collimitanei ſacerdotes de lon-
„ ginquo minime adeſſe potuerint: uno die tan-
„ tum cum ſua nocte exanimatum corpuſculum
„ ſacerdotis maneat, nec ſine fratrum ac religio-
„ ſorum frequentia, vel pſallentium excubatio-
„ ne, ſervatum presbyteris, cum omni diligentia
„ in loculo conditum ſeorſim, non ſtatim hume-
„ tur, ſed honorifice commendetur, donec ſine
„ mora invitato undecumque pontifice, ab ipſo,
„ ut condecet, ſolemniter tumuletur: ut & injuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus obſervetur. In decreto quo-
Concilii Toler. V can. 3. „ que ſynodali Toletana urbe geſto, can. III. ſic
„ legitur. Ea quæ competunt honeſtati contingit
„ ſæpe quorumdam deſidia non impleri. Proin-
„ de quia notum eſt, quæ dignitas in exequiis
„ morientis epiſcopi ex canonibus conſervetur,
„ traditioni moris antiqui hoc tantum adjicimus,
„ ut ſi quis ſacerdotum, ſecundum ſtatuta Va-
„ lentini concilii, ad humana decidentis epiſco-
„ pi membra venire commonitus, pigra volun-
„ tate diſtulerit, appellantibus clericis obeuntis
„ epiſcopi apud ſynodum, ſive apud metropoli-
„ tanum epiſcopum, tempore anni unius nec
„ faciendi Miſſam, nec communicandi habeat
„ omnino licentiam. Presbyteri autem, ſive cæ-
„ teri clerici, quibus major honoris locus apud
„ eamdem eccleſiam fuerit, cujus ſacerdos obie-
„ rit, ſi ſolicitudine pro exequiis aut jam mor-
„ tui, aut continuo antiſtitis morituri, ad com-
„ monendum tardi inveniantur, aut per quam-
„ cumque moleſtiam animi id negligere compro-
„ bentur: totius anni ſpatio ad pœnitentiam in
„ monaſteriis deputentur. „ Ergo cum de exequiis epiſcopi decedentis talis habeatur patrum conſtitutio, non ab re tamen ducimus, & nunc omnibus notum fieri, quatenus nullus audeat tantum ſcelus perpetrare ſacrilegii, & quod nefas eſt, legeſque prohibent alicui ſpecialiter homini fieri, hoc nemo præſumat ſanctæ matri eccleſiæ ullo modo facere. Et quoniam in quibuſdam opportunitas locorum ſe offert, ut ad obitum, vel exequias alicujus ex nobis, duo vel tres epiſcopi convenire poſſint, & veſtræ amabili in Chriſto fraternitati ita placitum eſſe dignoſcitur: decet ut ſancta caritas ſe oſtendat in mortuorum funeribus, quæ in vivorum flagravit pectoribus. Sane quia innotuit nobis ſancta ſedes apoſtolica, adhuc errores blaſphemiaſque cujuſdam vigere Photii in partibus orientis in Spiritum ſanctum, quod non a Filio, niſi a Patre tantum procedat blaſphemantis: hortamur veſtram fraternitatem una mecum, ut ſecundum admoni-

ANNO CHRISTI 909. Concilii Valent. II.

tio-

tionem Domini Romanæ sedis, singuli nostrum, perspectis patrum catholicorum sententiis, de divinæ scripturæ pharetris acutas proferamus sagittas potentis, ad confodiendam belluam monstri renascentis, & ad conterendum caput nequissimi serpentis.

XV.

His ita prælibatis, nunc omnes generaliter alloquamur, qui juste & pie volunt vivere in communione sanctæ ecclesiæ catholicæ, quæ est unum corpus Christi, cui unus est Dominus, una fides, unum baptisma. Quæ cum generaliter ab ipso suo capite Christo super petram, id est, super confessionem Petri sit ædificata: manifestum tamen est, in omnem Italiam, Gallias, & Hispaniam, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Et quoniam ecclesia in nostris quoque partibus, ut dictum est, super hanc petræ soliditatem non tantum fundata, sed ab eo ejusque est successoribus etiam edocta, cum Dei gratia, ipsius beati Petri suffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primo percepit, hactenus inconcussam servare studuit, nullaque perfidorum consortia recepit. At vero quia multi fide tantum Christiani sunt, opere vero a Christiana doctrina dissentiunt, & attestante Jacobo apostolo didicimus, fidem non solum otiosam, sed etiam esse mortuam sine operibus: ait enim: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere; opera autem non habet? numquid poterit fides salvare eum?* Et beatus Hieronymus: Quid proderit, si impie agens Deum voce invocas, quem operibus negas? Sanctus quoque papa Gregorius: Quid prodest, si Redemptori nostro per fidem jungamur, si ab eo moribus disjungamur? Itaque ille vere credit, qui exercet opere quod credit. Magnopere satagendum est, ut qui fideles esse dicuntur, si cum fideli Abraham benedici cupiunt, qui non tantum ex fide, sed ex operibus justificari meruit, beate vivere studeant. Ille enim, ut sanctus ait Hieronymus, beatus est, qui & recte credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam custodit. Sed heu, proh dolor! nostris, nostrorumque comministrorum, & qui jam discesserunt, & qui adhuc supersunt, tam incuria, quam inscientia, perditi vitiis multi, & pene innumerabiles adhuc inveniuntur in plebe ecclesiastica, cujuscumque sexus & ætatis pariter & conditionis, qui ad usque sua tempora senectutis necdum, ut debuerant, percepere fidei notitiam simplicis, usque adeo ut nec ipsius symboli verba salutaris, nec saltem supplicationem dominicæ noverint orationis. Hi vero tales, etsi aliquid videantur habere bonæ conversationis, quomodo sine fidei fundamento ædificium construent boni operis? Et ad hæc quid excusationis prætendere possumus, dum tales a corpore exeuntes non ad vitam, quam non noverunt, sed ad mortem rapiuntur æternam, quam evadere sine fide, ex qua justus vivere creditur, minime potuerunt? Nos ergo, ut beatus ait Gregorius, pereunte populo auctores mortis existimus, cum duces esse ad vitam debuimus. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Quam terribilem nimis, imminentemque nobis & ipsi damnationem, & per nos, & per secundi ordinis consacerdotes, omnimodis evadere conemur, erudientes assidue commissos nobis, & fidei verbis, & bonorum operum exemplis: ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum: ne de nobis dicatur: *Sacerdotes ignoraverunt scientiam:* & item: *Sacerdotes non dixerunt ubi est Dominus, & tenentes legem nescierunt me:* & ne illam incurramus offensam, quam Heli sacerdos incurrisse dignoscitur, eo quod filios suos indigne agentes non digne corripuit. ANNO CHRISTI 909. *Jerem.* 2. 1. *Reg.* 4.

Generaliter omnibus. Ergo primo omnium collocet sibi unusquisque Christianus, qui aliter Christianus vere dici & esse non potest, fundamentum Christianæ religionis, id est, fidem catholicam, ut credat in Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum & verum Deum, trinum in personis, unum in substantia. Credat nihilo minus, quod sola persona Filii pro salute nostra carnem assumpsit, in qua passus est, & resurrexit, & in cælos ascendit, cum qua etiam ad judicium venturus est. Credat & in Spiritum sanctum, & quod in baptismate per eum tribuatur omnium remissio peccatorum: & quod ejus dono in ecclesia Christi per pœnitentiam, & per sacerdotale ministerium, incunctanter peccatorum detur indulgentia. Credat quoque veraciter in vera carne futuram in adventu Christi resurrectionem omnium. Hoc veræ fidei fundamentum bonis necesse est exornetur operibus: quia sicut sine fide impossibile est placere Deo, ita & de fide perfecta esse non valet, nisi per dilectionem operetur: insuper si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Exornetur ergo sancta fides, ut vera & fructuosa sit, spe, caritate, humilitate, castitate, continentia, sobrietate, unanimitate, concordia, justitia, misericordia, innocentia, & simplicitate, & cæteris his similibus quæ in dilectione Dei consistunt, & proximi. Videat unusquisque ne ejus decorem diversis commaculet flagitiis. Inter quæ maxime hæc cavenda providemus, & quanto occultiora, tanto periculosiora esse pro certo scimus. Superbiam scilicet, quæ & de angelo diabolum facere; & de cælo novit præcipitare. Invidiam, a diabolo inventam ad dejiciendum de paradiso hominem, & ad mortem in orbem terrarum introducendam. Odium & discordiam, prædictorum criminum sequaces, sed non minus pernicioſos, quia matrem omnium virtutum caritatem expellunt, & illa fugata, omnia simul, si qua fuerint, bona opera pervertunt. Hæc igitur principaliter a fidelium cordibus sunt extirpanda, & cum his, ea quæ superius partim denotando perstrinximus, penitus abominanda. Similiter & illa, quæ quasi naturaliter in usu habentur, sicut sunt ebrietates, comessationes, contentiones, detractiones, & inimicitiæ, & his similia, quæ juxta Apostolum homines a regno Dei excludunt: *Quoniam*, inquit, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Simili modo & illa cohibenda omnimodis, quæ contra jus humanæ societatis, sicuti sunt furta, & jam superius dictæ execrabiles rapinæ, calumniæ, oppressiones, invasiones, quæ prius reddenda, postea sunt pœnitentiæ remedio corrigenda. *Gal.* 5.

Inhibemus quoque modis omnibus, cum ingenti protestatione, pessimam lucri rabiem, usurarum scilicet adinventionem, quam non minus clerici sectantur, quam laici, dominici immemores præcepti, quo dicitur: *Pecuniam tuam non dabis ad usuram*, & iterum: *non accipies a fratre tuo usuram, nec amplius quam dedisti.* Exstant & alia diversorum criminum mala, quæ improbat & condemnat lex divina, pro quibus populus vastitate & gladio, fame & pestilentia atteritur, & ecclesiæ status infirmatur, regnumque periclitatur: ut sunt nefandissimæ cum masculis aut pecoribus pollutiones, pro quibus dulcis & benignus Deus *Levit.* 25.

ANNO CHRISTI 909.

noſter ad amaritudinem iracundiæ tanto gravius provocatur, quanto contra naturam fieri comprobantur: & ut ſunt illa, quæ ex paganorum ritu adhuc ſupereſſe videntur: ſcilicet magica, ſortes, phylacteria, veneficia, divinationes, ſomniorum conjectationes: quæ omnia puniri jubet lex divina, quia manifeſtiſſime in talibus ſervitus eſt diabolica. De quibus in Concilio Ancyrano titulo XXIII. ita ſcriptum eſt: „ Qui divi-
Concil. Ancyr. c. 23.
„ nationes expetunt, & morem gentilium ſubſe-
„ quuntur, aut in domos ſuas hujuſcemodi ho-
„ mines introducunt, exquirendi aliquid arte
„ malefica, aut expiandi cauſa, ſub regula quin-
„ quennii jaceant, ſecundum gradus pœnitentiæ
„ definitos. „ Similiter unuſquiſque Chriſtianus caveat & ab his, quæ videntur quidem levia, ſed contra divina fiunt mandata, a ſcurrilitate & ſtultiloquio, a fabulis otioſis, turpibuſque & obſcœnis ſermocinationibus. Hæc nempe plurimi non ſolum in domibus & conviviis ſuis loquuntur, & libenter audiunt: ſed etiam, ad provocandum Deum ad iracundiam, in baſilicis illi & ſanctis ejus conſecratis, abſque reſpectu timoris alicujus, irreverenter his vacare non deſiſtunt. Servetur ſane cultus honor & reverentia dominici diei, & ſanctarum ſolemnitatum. Jejunium quoque tam indictum, quam etiam quatuor temporum. Ceſſent mendacia periculoſa & noxia, quæ aſſidue nimis fiunt, juramenta, maledicta, turpia necnon cantica, & cætera his ſimilia, quæ longum quidem eſt enumerare, ſed perneceſſarium cito corrigere. Conſiderantes igitur, nos omnium operum & ſermonum, inſuper & cogitationum, reddituros eſſe rationem ei qui venturus eſt in majeſtate terribili reddere unicuique ſecundum quod geſſit, ſive bonum ſive malum, & peccata ſive parva ſive magna non poſſe impunita eſſe: ad flagella quoque quæ pro eiſdem jam nunc juſte, gravia quidem, ſed minora quam meremur, patimur, non inſenſibiles, non incorrigibiles, non murmurantes, manum ejus ad feriendum extentam, quam ne percuteret anticipare negleximus, dum adhuc paterna pietate ſicut filii verberamur, ſaltem ne uſque ad internecionem, ne uſque ad animam feriat, mitigare celeri converſione & condigna ſatisfactione curemus: ne ſicut mali ſervi, & in præſenti diſtricta animadverſione feriamur, & ad ſeveriora in futuro ſupplicia pertrahamur. Dum adhuc vacat, dum adhuc qui offenſus peccata noſtra propter pœnitentiam diſſimulat, & ut ab ejus ſeveritate ad illius bonitatem revertamur, blandimentis & minis clamat: non obduremus corda noſtra, ſicut hactenus patres noſtri & nos egimus. Peccavimus enim cum patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus. Jam nunc ergo reverſi ad conſcientias noſtras, & mala quæ geſſimus dijudicantes, pura & vera confeſſione confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Procidamus & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, quia benignus & miſericors eſt, præſtabilis ſuper malitia, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Si igitur ex toto corde converſi ad Deum, veram pœnitentiam, fructuſque pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris & ſanctis inſtantes jejuniis, vigiliis caſtis, illique bene complacitis, & orationibus ſalſo lacrymarum imbre perfuſis, cum eleemoſynis juſtis, cæteriſque miſericordiæ & caritatis operibus, atque profiteamur nos ad priſtina impietatum noſtrarum ſcelera nunquam redituros, juvante ejus gratia, ſine quo nihil poſſumus: ſi in iſtis perſeveraverimus, ſatisfacientes Deo & eccleſiæ de præteritis peccatis per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis ſacrificium: cito ejus, qui cor contritum & humiliatum non ſpernit, & cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, miſericordiam conſequemur. Cito dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet menſura temporis, quam doloris. Ipſe enim per prophetam loquitur, dicens: *Cum converſus ingemueris, ſalvus eris:* itemque: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Ezech. Cum ergo tanta ſit benignitas Domini Dei noſtri, non negligamus, non differamus, non tardemus converti ad ipſum, ſed ſicut nos hortatur S. Paulus apoſtolus, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus, in auxilio opportuno*, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui eſt cum coæterno Patre & Spiritu ſancto virtus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Hebr. 4.

ANNO CHRISTI 909.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Heriveus Rem. archiep. his edictis annuens ſubſcripſit.

VVito Rothomagenſium epiſcopus ſubſcripſit.

Rodulfus Laudunenſis præſul ſubſcripſit.

Erluinus Beluacenſium epiſcopus ſubſcripſit.

Raubertus Noviomagorum epiſcopus ſubſcripſit.

Letoldus Catalaunicus epiſcopus ſubſcripſit.

Abbo Sueſſorum epiſcopus ſubſcripſit.

Stephanus Cameracenſis epiſcopus ſubſcripſit.

Hucbertus Meldenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſit.

Otfridus Silvanectenſis epiſcopus ſubſcripſit.

Stephanus Morinorum epiſcopus ſubſcripſit.

Orgarius Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſit.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

Troslejum vici nunc etiam nomen eſt paucis millibus diſtantis ab Auguſta Sueſſorum. Ubi & alia deinceps hoc ſæculo habita Concilia, quæ Flodoardus in chronico identidem commemorat, hujus enim an meminerit, quia partem illam chronici mutilam habemus, incertum eſt. Videntur etiam hoc concilium ignoraſſe canonum collectores Burchardus, Iyo, Gratianus, & poſteri, ita de illo ſilent omnes; niſi quod noſtra memoria primus ejus teſtimoniis in epitome ſua uſus eſt Antonius Auguſtinus.

RO-

ANNO CHRISTI 10.

ANNO CHRISTI 910.

ROMANUM CONCILIUM

Pro revocanda Formosi papæ sanctione de restituendâ ecclesia Bremensi Colonienſi provinciæ,

A Sergio III. papa anno forte 910. *celebratum.*

Mansi tom. 18. p. 1101.

DE hoc concilio nihil ultra dicendum occurrit præter id, quod in præfatione ad epistolam Sergii III. adnotavi; quare lectores eo revocandos censeo.

GUILLELMI COMITIS ARVERNORUM

ET DUCIS AQUITANIÆ TESTAMENTUM,

Quo prima Cluniacensis monasterii fundatio instituta est anno Christi DCCCCX. Caroli Simplicis regis post obitum Odonis anno XIII.

CUnctis sane considerantibus liquet, quod ita Dei dispensatio quibusque ditibus consulit, ut ex rebus quæ transitorie possidentur, si eis bene utantur, semper mansura valeant præmia promereri. Quod videlicet divinus sermo possibile ostendens, atque ad hoc omnino suadens, dicit: *Divitiæ viri redemptio animæ ejus.* Quod ego VVillelmus dono Dei comes & dux solicite perpendens, ac propriæ saluti, dum licitum est, providere cupiens, ratum, immo perneceſſarium duxi, ut ex rebus, quæ mihi temporaliter collatæ sunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impertiar. Quippe quia in his videor excreviſſe, ne fortaſſis totum ad curam corporis redarguar in ſupremo expendiſſe: quin potius cum ſuprema ſors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reſervaſſe. Quæ ſcilicet cauſa nulla ſpecie vel modo congruentius poſſe fieri videtur, niſi ut juxta Domini præceptum, amicos mihi faciam pauperes ejus, utique hujuſmodi actio non ad tempus, ſed continue peragatur, monastica profeſſione congregatos ex propriis ſumptibus ſuſtentem. Ea ſiquidem fide, ea ſpe, ut quamvis ipſe cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos juſtos credo, ſuſceperim, juſtorum mercedem accipiam. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Chriſtique miſericordiam poſtulantibus, qui ſibi ſucceſſuri ſunt, & uſque ad ſæculi conſummationem victuri, notum ſit, quod ob amorem Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, res juris mei ſanctis apoſtolis, Petro videlicet & Paulo, de propria trado dominatione: Cluniacum ſcilicet villam, quæ ſita eſt ſuper fluvium, qui Graona vocatur, cum cortile & manſo indominicato, & capella quæ eſt in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Petri apoſtolorum principis, cum omnibus rebus ad ipſam villam pertinentibus: villis ſiquidem, capellis, mancipiis utriuſque ſexus, vineis, campis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, exitibus, & regreſſibus, cultum & incultum, cum omni integritate. Quæ etiam res ſunt ſitæ in comitatu Matiſconenſi, vel circa, ſuis unaquæque terminis concluſæ. Dono autem hæc omnia jam dictis apoſtolis ego VVillelmus, & uxor mea Ingelberga, primum pro amore Dei, deinde pro anima ſenioris mei Odonis regis, progenitoris ac genitricis meæ, pro me & uxore A mea, ſalute ſcilicet animarum noſtrarum & corporum: pro Avanæ nihilo minus, quæ mihi eaſdem res teſtamentario jure conceſſit: pro animabus quoque fratrum ac ſororum noſtrarum, nepotumque, atque omnium utriuſque ſexus propinquorum; pro fidelibus noſtris, qui noſtro ſervitio adhærent: pro ſtatu etiam ac integritate catholicæ religionis: poſtremo vero, ſicut omnes Chriſtiani unius compage caritatis ac fidei tenemur, ita pro cunctis, præteritorum ſcilicet, præ- B ſentium, ſive futurorum temporum orthodoxis hæc donatio fiet.

Eo ſiquidem dono tenore, ut in Cluniaco in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium regulare conſtruatur, ibique monachi juxta regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui ipſas res perenni tempore poſſideant, teneant, habeant, atque ordinent. Ita dumtaxat, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac ſupplicationibus fideliter frequentetur, converſatioque cæleſtis omni deſiderio & ardore intimo C perquiratur & expetatur. Sedulæ quoque orationes, poſtulationes, atque obſecrationes Domino dirigantur, tam pro me, quam pro omnibus, ſicut eorum memoria ſuperius digeſta eſt. Præcepimus ſiquidem, ut maxime illis ſit hæc noſtra donatio ad perpetuum refugium, qui pauperes de ſæculo egreſſi, nihil ſecum præter bonam voluntatem attulerint, ut noſtrum ſupplementum ſit abundantia illorum. Sint ipſi monachi, cum omnibus præſcriptis rebus, ſub poteſtate & domi- D natione Bernonis abbatis, qui quamdiu vixerit, ſecundum ſuum ſcire & poſſe eis regulariter præſideat. Poſt diſceſſum vero ejus, habeant iidem monachi poteſtatem & licentiam quemcumque ſui ordinis, ſecundum placitum Dei, atque regulam ſancti Benedicti promulgatam, eligere maluerint abbatem atque rectorem: ita ut nec noſtra, nec alicujus poteſtatis contradictione, contra religioſam dumtaxat electionem impediantur: Per quinquennium autem Romæ ad limina apoſtolorum, E ad luminaria ipſorum concinnanda, decem ſolidos præfati monachi perſolvant, habeantque tuitionem ipſorum apoſtolorum, atque Romanum pontificem defenſorem. Et ipſi monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro poſſe & noſſe ſuo ædificent. Volumus etiam, ut noſtris, ſucceſſorumque noſtrorum temporibus, prout opportuni-

tas atque possibilitas ejusdem loci se dederit, quotidie opera misericordiæ pauperibus indigentibus, advenis peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.

Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hoc die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fascibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur iidem monachi ibidem congregati. Neque aliquis principum sæcularium, non comes quisquam, nec episcopus quilibet, non pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnesque sanctos ejus, & tremendi judicii diem contestor ac deprecor, invadat res ipsorum Dei servorum, non distrahat, non minuat, non * procamiet, non beneficiet alicui personæ, non aliquem prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat. Et ut hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur: adhuc idem inculcans subjungo, & obsecro vos, o sancti apostoli Petre & Paule, & te pontifex pontificum apostolicæ sedis, ut per auctoritatem canonicam & apostolicam, quam a Deo accepisti, alienes a consortio sanctæ Dei ecclesiæ & sempiternæ vitæ prædones & invasores atque distractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptaque voluntate dono: sitisque tutores ac defensores jam dicti loci Cluniaci, & servorum Dei ibi commorantium, harum quoque omnium facultatum, propter eleemosynam & clementiam & misericordiam piissimi Redemptoris nostri. Si quis forte, quod absit, & quod per Dei misericordiam & patrocinia apostolorum evenire non æstimo, vel ex propinquis, vel extraneis, vel ex qualibet conditione sive potestate, qualicumque calliditate contra hoc testamentum, quod pro amore Dei omnipotentis ac veneratione principum apostolorum Petri & Pauli fieri sancivi, aliquam concussionem inferre tentaverit, primum quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ, fiatque pars illius cum his qui dixerunt Domino, *Recede a nobis*, & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem: socius quoque Judæ Domini proditoris effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur. Et ne ei in præsenti sæculo humanis oculis impune transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem * direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter diris verberibus coercitus vix semivivus evasit, alter vero nutu superno percussus, putrescentibus membris, & scatentibus vermibus, miserrime interiit: cæterisque sacrilegis, qui ærarium domus Domini temerare præsumpserunt, particeps existat: habeatque, nisi resipuerit, archiclavum totius monarchiæ ecclesiarum, juncto sibi Paulo, obstitorem, & amœni paradisi aditus contradictorem, quos, si vellet, habere poterat pro se piissimos intercessores. Secundum mundialem vero legem, his quibus intulerit calumniam, centum auri libras, cogente judiciaria potestate compulsus, exsolvat, & congressio illius frustrata nullum omnino obtineat effectum: sed hujus firmitas testamenti omni auctoritate suffulta, semper inviolata ac inconcussa permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Bituricæ civitatis publice.

* Vide Glossarium Ducangii, verbo *exhmiare*. Harduinus.

* *Al.* correptionem.

SUBSCRIPTIONES.

Ego VVillelmus hanc auctoritatem fieri & firmari rogavi, ac manu propria roboravi.

Sigillum Ingelbergæ uxoris ejus.

Sigillum Madalberti peccatoris Bituricensis archiepiscopi.

Signum Adalardi peccatoris episcopi.

Signum Attonis peccatoris episcopi.

Signum Villelmi nepotis ejus.

Signum Armanni, & aliorum.

Anno XIII. regnante Carolo rege, indictione XIII. Ego Oddo Levita ad vicem cancellarii scripsi & subscripsi.

ANNO CHRISTI 910.

VITA ANASTASII PAPÆ III.

Anastasius quando pontifex factus.

ANastasius, patria Romanus, Luciani filius, anno Domini nongentesimo decimo Sergio invasori sedis est subrogatus, tempore Lamberti & Leonis imperatorum. Sedit annos duos, & menses totidem. Ticinensem ecclesiam, teste Sigonio libro 6. de regno Italiæ, plurimis iisdemque magnificis ornamentis decoravit, concedens ei usum umbellæ, equoque vehi albo, crucem præviam in itinere habere, & in Conciliis a læva pontificis assidere.

Hujus tempore Lambertus imperator, cum esset annorum triginta duorum, ab Ugone comite Mediolanensi in venatione occulte necatus est, summa regni deinceps ad Berengarium devoluta.

Lamberti & Leonis imperator obitus.

Leo sextus ejus nominis imperator orientalis, ventris profluvio laborans excessit e vivis anno imperii sui vigesimosexto. Præterea centum & tredecim novellas constitutiones, Justinianum imitatus, de sacris simul & profanis ridicule nimis edixit. Extat una sub ejus nomine epistola in bibliotheca sanctorum patrum de Christianæ fidei veritate inscripta, qua Spiritum sanctum a Patre Filioque procedentem profitetur his verbis: Ego sum Dominus Deus tuus, creator tuus, lumen de lumine, verbum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit. Quod ideo dictum velim, ut intelligas, orthodoxam doctrinam hujus temporis viros disertos recepisse; exclamasse tamen, quod sine œcumenici Concilii auctoritate in symbolo posita esset. Defuncto Leone in oriente frater illius Alexander homo nefarius, anno ætatis suæ 20. una cum Constantino imperatoris Leonis filio puero succedit in imperio, & post sextum mensem imperii, propter contemptum Dei, & sanctarum imaginum, infami exitu, ut tradunt Curopalates & Aretas, mortuus est, solique Constantino imperium reliquit. Anastasius papa, cum sedisset annos duos & menses totidem, obiit anno Redemptoris nostri 912. sepultus est in basilica sancti Petri, ut habet epitaphium illius, quod ex Manlio recitat Baronius.

Leo ostendit Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere.

Anastasius papæ tenuit sedis.

CON-

ANNO CHRISTI 911.

CONCILIUM NARBONENSE

APUD FONTEM COOPERTUM.

Anno Dom. DCCCCXI.

DE *eo Joannes Mariana libro* VIII. *historiæ Hispanicæ hæc refert*. Anno nongentesimo quadragesimo (*immo quadragesimo undecimo*) conventus episcoporum est habitus ad oppidum, cui Fonti Cooperto nomen est, in agro Narbonensi. In eo conventu controversia inter episcopos * Autigisum Urgelitanum, & Adulphum Pallariensem agitata de finibus: ac vero de tota ditione Pallariensis, quam ad Urgelitanos præsules pertinere Autigisus disputabat. Patrum sententia, Adulpho mortuo, sancitum uti Pallaria urbs ab Urgelitano præsule sacra peteret: quod certissimis documentis probabatur olim in usu fuisse. Actionum præses Arnustus Narbonensis, Tarracone a Mauris occupata: cujus præsulis partes fuissent controversias inter vicinos episcopos componere, juraque iis populis dicere. *Hæc Mariana. Cæterum hujus concilii annum fuisse Christi* 911. *didicimus ex schedis illustrissimi Petri de Marca archiepiscopi Parisiensis, qui ejus acta ex Urgelitanæ ecclesiæ tabulario descripsit. Et aliunde constabat habitum non fuisse anno quem assignat Mariana* 940. *cum Arnustus Narbonensis archiepiscopus qui ei præfuit, ante* 25. *ut minimum annos obiisset. Nam Agius Arnusti successor jam anno* 905. *Narbonensis erat archiepiscopus, ut intelligimus ex concilio Cabilonensi illius anni, cui interfuit.*

ANNO CHRISTI 912.

VITA LANDONIS PAPÆ.

LAndo patria Sabinus, Trani filius, successit Anastasio pontifici anno Christi nongentesimo duodecimo, tempore Constantini octavi imperatoris orientalis. Hic ad importunam instantiam potentissimi, nobilissimi, & impudentissimi scorti Theodoræ, quæ duarum filiarum, alteram Maroziam Sergio papæ, Theodoram vero alteram Adelberto Marchioni Tusciæ prostituerat, & per hoc monarchiam urbis tenebat, Joannem, quem illa turpissime deperibat, ex Ravennate presbytero episcopum Bononiensem creavit, defunctoque Petro Ravennate archiepiscopo, eumdem in ejusdem ecclesiæ Ravennatis archiepiscopum transtulit. Et paulo post quam rem tam fœdam peregisset, inquit Luitprandus libro 2. cap. 13. ex hac vita migravit.

CONCILIUM LUGDUNENSE

Anno DCCCCXII. celebratum.

HUic Synodo adfuisse Austerium Lugdunensem Archiepiscopum, necnon VValonem Æduensem, Argrinum Lingonensem, Ardradum Cabillonensem, & Gerardum Matisconensem Episcopos, atque singulos subscripsisse cartæ donationis in gratiam Abbatiæ Sancti Stephani Divianensis hoc anno factæ, colligitur ex ejusdem Cartulario.

CONCILIUM TURONENSE

Anno Christi DCCCCXII. de celebrando festo Translationis S. Martini.

HUjus *concilii memoriam debemus sancto Odoni Cluniacensi abbati II. qui peculiarem libellum scripsit*, De reversione B. Martini a Burgundia (*editum in Bibliotheca Cluniacensi. Ejus hic summam exhibeo*. Normannorum Turonibus jamjam imminentium metu, Sancti Martini corpus Autissiodorum delatum fuerat. Rollone illorum duce Christianis sacris initiato, quod anno Christi 912. factum est, relatæ sunt ad Turonas sacræ reliquiæ. „ In reditu, *inquit Vincentius Bellovacensis, qui hanc libelli Odonis partem in compendium redegit*, „ quicumque qualicumque incommodo detenti, etiam non rogantes, etiam non volentes sunt sanati. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes quæ fiebant, communicato consilio, aptatis baculis sub ascellas repere magis quam fugere tentabant: fugientesque, inviti sanati sunt. Quod ipsi inviti confessi sunt, non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parochiæ suæ, tempore brumali, omnia frutecta vestita sunt foliis & floribus; & tam cerei quam lampades accendebantur igne divinitus misso, maxime in duabus basilicis in ejus nomine consecratis, in Majori Monasterio, & ecclesia novi castri, in qua nunc usque servatur; & dextera lævaque in omnibus ecclesiis campanæ divinitus pulsabantur, nemine tangente. Factum est hoc anno a trans-

ve-

„ vectione ejus XXXI. Id. Decembr. & ſynodali „ auctoritate decretum eſt, ut hoc feſtum celebre „ ageretur, ab Adalardo archiepiſcopo Turonen„ ſi, & Raymone Aurelianenſi fratre Adalar„ di, Mainoldo Cenomanenſi, Lupo Andga„ venſi, & ſuffraganeis totius provinciæ epiſco„ pis.

G. C. In S. Odonis libello geſtum hoc memoratur anno 887. ſed vel Odonis, vel librarii error eſt. Id enim veniſſe dicit Odo anno quo Rollo ad Chriſtum converſus eſt: quem annum Chriſti 912. fuiſſe certum eſt

ANNO CHRISTI 913.

VITA ET EPISTOLÆ
JOANNIS PAPÆ X.

JOannes, de quo ſupra in Landone, ex archiepiſcopo Ravennate factus eſt pontifex; vel potius pſeudopapa, anno Domini nongenteſimo duodecimo *, tempore Coſtantini imperatoris orientalis. Theodora meretrix impudentiſſima in hujus ſpeciei decorem vehementer exardens, Landoni pontifici ſubrogari procuravit eumdem, quem ipſe Lando ex Bononienſi epiſcopo archiepiſcopum Ravennatem ordinaverat. Fecerat illud Theodora, inquit Luitprandus, ne amaſii ducentorum milliarium interpoſitione, quibus Ravenna ſequeſtratur a Roma, rariſſimo concubitu potiretur. Ita impudicus homo meretricis viribus Romæ pollens, factus eſt pſeudopapa & nefarius ſedis invaſor. Quod ut fieri potuiſſe credas, memineris lector, Theodoram, ut teſtatur Luitptandus, duas habuiſſe filias, unam Maroziam nomine, quam Sergio pſeudopontifici proſtituit: alteram Theodoram, quæ per adulterium ex Adelberto Tuſciæ marchione ſuſcepit Albericum, qui hoc tempore urbis Romæ principatum uſurpabat, eique fere ſolus dominabatur: præterea Maroziam poſt obitum Sergii nupſiſſe VVidoni filio Adelberti legitimo Tuſciæ principi, cujus tanta erat potentia, ut rex potius quam marchio videretur appellandus. His fluctibus agitabatur navicula Petri. Verum Chriſtus in ea dormiens patiebatur illam iſtis procellis operiri & immergi; ſed non plane abſorberi. Nam liberatam ab infinitis hæreſibus, contra graviſſima ſcandala reddidit adeo tutam, ut qua de cauſa hæretici novatores eccleſiam velut impii blaſphemant, eamdem ob cauſam filii ejuſdem eccleſiæ Deo grati Deum laudent & benedicant. Initium pontificatus Joannis ad annum Chriſti 912. * referendum eſſe, certo argumento colligitur ex chronico Caſſinate Leonis Oſtienſis lib. 1. cap. 55. ubi ingentem victoriam de Sarracenis obtentam dicit contigiſſe anno Redemptoris noſtri 915. indictione 3. invaſionis vero Joannis anno 3. Quod ſi verum eſt, opus eſt affirmare eum anno 912. ſe in ſedem apoſtolicam intruſiſſe. Ex rebus ſub hoc pontifice geſtis veriſimile eſſe colligitur, quod qui invaſor, fur, & latro ingreſſus erat, accedente cleri conſenſu legitimus Romanus pontifex haberi cœperit, quando copiis ſuis cum Alberico filio Adelberti marchionis Tuſciæ conjunctis, cum eodem contra Sarracenos in prælium venit. Nam poſt Sarracenos debellatos diverſæ legationes ex diverſis orbis partibus pro palliis aliiſve rebus implorandis ad eum miſſæ leguntur. Ad referendam gratiam Berengario pro auxilio quod contra Sarracenos tulerat, eumdem menſe Septembri anno 915. imperatorem inunxit. Ex delictis pluribus retroactis conſcientia fauciatus, animi dolore languens, legatum miſit Compoſtellam ad venerandum corpus ſancti Jacobi apoſtoli, deditque literas ad ſanctum Siſenandum ejuſdem eccleſiæ epiſcopum, petens pro ſe juges preces apud ſanctum Jacobum Deo offerri, ut in hac vita, & in hora obitus ſui, Deum propitium habeat. Cumque Siſenandus in perveſtigandis Romanæ eccleſiæ ritibus totus intentus, inveniſſet eos in multis plane diverſos eſſe ab iis qui in miſſali Hiſpanorum Mozarabi nominato continebantur, legatis pontificiis ex Hiſpania diſcedentibus ſuum ille adjunxit, per quem a Joanne papa facultatem accepit emendandi ritus miſſalis ſui in iis quæ majoris momenti viderentur. *Ambroſ. Morales chron. Hiſp. lib. 15. c. 47.*

Idem pontifex Hilduinum Tungrenſem epiſcopum, quem clerus & populus elegerat, rejecit, & Richarium abbatem a rege propoſitum ordinavit, eique cauſam & controverſiam biennalem adjudicavit. *Flodoardus.* Seulfo Remenſi archiepiſcopo poſt Heriveum defunctum pallium miſit. Cum hoc Heribertus comes Aquitaniæ potentiſſimus pactum iniverat, ut filius ſuus præficeretur Remenſi eccleſiæ; ea nimirum intentione, ut poteſtate ungendi reges penes Remenſem conſtituta, rex Galliarum ungeretur, quem illum electum vellet. Dum ergo miniſtri comitis moræ impatientes Seulfum archiepiſcopum propinato veneno e medio ſuſtuliſſent, filius Heriberti comitis, puer nondum quinquennis, proh ſcelus inauditum! electus eſt Remenſis archiepiſcopus. Factum plane monſtroſum, nunquam hactenus in orbe Chriſtiano viſum nec auditum, immo nec puto mente conceptum, Joannes papa non modo non improbavit, ſed factam potius electionem ratam eſſe voluit, muneraque epiſcopalia Abboni Sueſſionico epiſcopo commiſit & delegavit: ſuoque hoc facto infamis pontifex poſteris exemplum præbuit, ut complures principes non tantum hoc, ſed etiam ſubſequentibus ſæculis, proh dolor! adoleſcentulos ſibi ſanguine junctos in ſummas cathedras maximo malo eccleſiarum promoveri procuraverint. Opus ſane tali pontifice dignum, quem infamis fœmina infami opere in ſolium Petri intruſerat. *Flodoard. lib. 4. cap. 19.*

Hujus temporibus eccleſia Conſtantinopolitana inter Euthymii & Nicolai patriarcharum fautores ſchiſmate diviſa, unita eſt, ſublataque eſt controverſia illa de trigamia, quæ occaſione Leonis Sapientis quarto nubentis Conſtantinopoli oborta fuit. *Curopalates.* Henricus poſt obitum Conradi factus eſt rex Germaniæ, qui cum velatam viduam Eruini ſenioris filiam duxiſſet uxorem, de ſacrilegio correptus, illa deſerta, pedibus Romam contendens pœnitentiam egit. Ad ſubjugandos Lotharingos profectus, per legatum Caroli Simplicis, dono accepit manum ſancti Dionyſii auro incluſam. Berengarius imperator, cum in odium Rodulphi regis fœdus iniiſſet cum Sarracenis, a ſuis occiſus eſt. *Luitprandus.*

Cumque poſt hæc omnia Joannes papa annos ſedecim ſedem tenuiſſet, VVido Tuſciæ Marchio, ſuaſu Maroziæ conjugis, quæ quondam Sergio papæ proſtituta fuerat, eumdem propter Petrum papæ germanum, quem ſumma invidia proſequebantur, ſede amotum in carcerem conjecit: atque in eodem non multo poſt defunctus, vel cervica-

* 912. Joannes papa per Theodoram meretricem in ſedem pontificiam elevatus.

Theodora per quos urbi dominata fuerit.

* Immo 913. nam victis Saraceni 915. menſe Aug. Joannes pontificatum iniit an. 913. ſub finem Januarii. En annus certius.

Acta Joannis papæ probant eum poſt actam pœnitentiam in ſede confirmatum.

vicali ori ejus impoſito peſſime ſuffocatus fuit, atque dignum ſuis ſceleribus finem accepit invaſor & injuſtus detentor ſedis apoſtolicæ: ut qui per impudicam matrem Theodoram, ſacroſanctam ſedem violenter arripuit, per filiam æque impudicam juſta Dei vindicta ejectus, & in carcerem conjectus, ea ſimul cum vita caruerit. *Hæc ex Luitprando & Flodoardo Baronius.*

oli Sim- is.

EPISTOLA CAROLI III. * REGIS AD EPISCOPOS REGNI SUI.

¹ Adverſus Hilduinum eccleſiæ Tungrenſis pervaſorem, cujus loco Richarium ordinari jubet.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus vir illuſtris divina propitiante clementia Rex Francorum, omnibus archiepiſcopis & epiſcopis in regno nobis a Deo commiſſo conſtitutis, & pax & ſalus ab eodem Deo æterno.

QUia divinæ propitiationis beneficia, quæ ab ipſo ab ipſis crepundiis experti ſumus, nullatenus enumerare poſſumus: idcirco laudem Domini loquetur os meum, & benedicet nomen ſanctum ejus in ſæculum ſæculi. Unde quia pluribus noſtris exigentibus meritis multotiens adverſa quæque ſuſtinuimus, credimus non hoc ad noſtræ damnationis meritum, ſed ad gratiam ſuæ reconciliationis nobis fore permiſſum: ut flagellis ejus eruditi, diſcamus perverſa cavere, & in cunctis ejus voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum eſt, cum olim quidam noſtri fideles, a noſtra debita fidelitate exorbitantes, vitam & regnum nobis auferre moliti ſunt, euntes poſt inimicos noſtros, eique familiariter inhærentes, res & epiſcopia noſtri regni ab ipſis dari ſibi concupierunt.

CAPUT I.

Ut ergo de multis taceamus, unum, qui nobis noſtris viſceribus ſerpentinum virus infudit, veſtræ ſanctitati propalavimus; Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens poteſtatem, contra quoque apoſtoli dicta, ubi dicitur: *Deum timete, regem honorificate*, &: *Non eſt poteſtas niſi a* r. 2. *Deo*, &: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: non eſt enim poteſtas, niſi a Deo*, & adverſus citharœdi David dicta, ubi ad Dominum loquitur: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*. Quique ultra Rhenum ad inimicos noſtros proficiſcens, minimeque reminiſcens ſacramentorum ſuorum nobis promiſſorum, eaque retro dorſum * abiciens, ab Henrico noſtro epiſcopium Tungrenſis eccleſiæ expetiit, ſuaque damnatione contra omnia ſtatuta, tam ſacrorum patrum, quam regum videlicet anteceſſorum noſtrorum, uſurpavit. De qualibus in libro regum capitulari ita dicitur: Si quis præſumpſerit quam non meruit a principe vel ſeniore juſto dignitatem, ſacrilegus habeatur: & beatus Gregorius: Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus: ſic qui ultro ambit, vel qui importunus ſe ingerit, proculdubio eſt repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? cur non perpendit quia benedictio illa in maledictum convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

, abli- at. H.

II.

Cum quidam peſtiferi viri, ut ſupra memoravimus, a noſtra fidelitate deviarent, convocavimus archiepiſcopos præſules XVI. noſtri regni. Nonnullos etiam proceres, marchiones, & comites, optimatesque, ut eorum conſilio, auctoritate, atque virtute tantæ veſaniæ reſiſteremus. Inventum eſt, ut nova gibborum genera novis medicationibus ſecarentur ac ſanarentur, pellentes eos epiſcopali auctoritate, ſacrorumque canonum conſtitutione, a cœtu & conſortio Chriſtianorum. Quorum præſumptione ac nefandæ tyrannidi Hilduinus ſe immiſcens, datis Henrico ſuiſque proceribus complurimis auri argentique ponderibus, non ſolum cum eis ſcienter participavit, ſed etiam ex theſauris eccleſiæ Tungrenſis, quos inſtinctu diabolico rapuerat, vel furatus fuerat, quibuſdam minis ac terroribus egit, ut Herimannus Agrippinæ civitatis archiepiſcopus per violentiam Henrici ſuorumque fidelium, illum in pontificem conſecraret. Nam ſi non feciſſet, ſicut ipſe venerabilis archiepiſcopus nobis poſtea in præſentia plurimorum retulit, ſibi vitam reſque eccleſiaſticas auferret, omnemque familiam trucidaret, ac illorum bona diriperet. Ideoque abſque legitimorum anteceſſorum auctoritate eum conſecravit, ut ipſe adhuc teſtatur, ſed tantis terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Unde in Nicæno concilio ita ad locum invenitur: Si quis ex clero deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam ipſe privetur communione, tanquam qui regulas confundit; quæ longe lateque in diverſis conciliis & capitularibus regum de excommunicatis inveniuntur.

Concil. can. 5.

III.

Idem etiam Hilduinus res noſtri regni ex præfato epiſcopio invaſit, diripuit, & pro libito abduxit, agens contra ſtatuta Anacleti papæ, ubi dicitur: Sanctus Anacletus, qui ab ipſo Petro apoſtolo ordinatus eſt presbyter, poſtea in ſede Roma ſucceſſor illius factus epiſcopus, cum totius mundi ſacerdotibus judicavit. „ Qui abſtulerit, „ inquit, patri, vel matri aliquid, homicidæ par„ ticeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt: ma„ ter vero noſtra eccleſia eſt, quæ nos in baptiſmo „ regeneravit. Ergo qui pecunias Chriſti & Ec„ cleſiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida eſt, „ atque homicida in conſpectu juſti judicis de„ putabitur. Qui rapuit pecuniam proximi ſui, „ iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel „ res eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & ut „ ſacrilegus judicandus eſt.

Anacletus epiſt. 1.

IV.

Præfatus denique Hilduinus theſauros eccleſiæ Tungrenſis & Aquiſgrani palatii, juxta beati Lamberti corpus martyris in quadam arca poſitos, avida cupiditate rapuit, eoſque inimicis noſtris, ſuis videlicet fautoribus, contulit, & eccleſiæ abſtulit. De quo quibuſque hujuſcemodi ſacri canones ita decernunt: Si quis inventus fuerit aliquid de miniſteriis eccleſiæ vendidiſſe vel abſtuliſſe, qui ſacrilegium commiſit, placuit eum in ordine eccleſiaſtico non haberi. Unde beatus Auguſtinus XLVII. evangelii homilia Joannis dicit: Ecce inter ſanctos eſt Judas, ecce fur eſt Judas: & ne contemnas, fur hic ſacrilegus eſt, non qualiumcumque fur loculorum, ſed dominicorum loculorum, ſed ſacrorum. Et poſt pauca: Quicumque aliquid de eccleſia aufert vel fraudat, Judæ proditori comparatur.

V.

Hos eccleſiæ theſauros epiſcopis, & comitibus, & fautoribus, pro ſua ordinatione dedit, non præ oculis habens ſtatuta Africani concilii, quibus præcipitur ut nullus per pecunias ordinetur, ita inquiens: Si quis epiſcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, dejiciatur, modis omnibus abſcidatur, ſicut Simon magus abſciſſus eſt a Petro

Item

Can. 2. Item in concilio Chalcedonenſi: Si quis epiſcopus, presbyter, aut diaconus ſub pretio Spiritus ſancti gratiam obtinere voluerit, proprii gradus periculo ſubjacebit: & nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ eſt per negotiationem facta, proficiat, ſed anathematizetur.

VI.

Jam dictus Hilduinus ad cumulum ſuæ damnationis, ante venerabilis Herimanni præſentiam veniens, ſuper ſacra nefanda juravit, quod ego Carolus epiſcopium Tungrenſe dederim, & quoſdam ex clericis & laicis jurare compulit. Quod quam ſit abſurdum quamque vitandum, ſparſim ſanctarum ſcripturarum teſtimonia approbant.

VII.

Memoratus præterea Hilduinus per domnum Herimannum epiſcopum tertio vocatus ad ſynodum, ut contra hæc quæ ſibi objiciuntur reſponderet, ſi juſtam cauſam haberet, aut, ſi non poſſet, canonum feriretur ſpiculis. Qui quoniam quidem venire diſtulit, incidit ſententiam Bonifacii papæ ita dicentis: Probat vera eſſe illa quæ adverſus ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult. Et ne dubitet, quod ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur qui eſt innocens quærit. Et poſt pauca: Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſubterfugere judicium poſſe dilationibus putat. Item ipſe: Si adeſſe voluerit, præſens ſi confidit ad objecta reſpondeat. Quod ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur.

Epiſtola ad Patroclum & alios epiſcopos.

VIII.

Omnes tam clerici quam laici ſupradictæ eccleſiæ, noſtram adeuntes ſublimitatem, luctuoſis vocibus innotuerunt, quod jam ſæpe memoratus Hilduinus cum ſuis prædonibus bona illorum diripuit, omnemque illorum facultatem & ſupellectilem abſtulit, nihilque illis remanſit, unde ſaltem ſibi victus ſufficientiam adhiberent. Addentes etiam in precibus, ut veſtro conſilio citius ageretur, ne amplius prædæ & direptioni paterent: ſed illis ad ordinandum daremus pontificem Richerum, quem concorditer elegerunt. De quibus videlicet omnibus hic capitulatim inſertis veſtrum precamur pontificium, ut propter Deum, & debitam quam nobis polliciti eſtis, fidelitatem, pro viribus exinde adjuvetis, ut noſter honor in hujuſmodi negotiis amplius non decreſcat, & ſtatus ſanctæ Dei eccleſiæ ſtabiliatur.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Adverſus Hilduinum.*) Totius controverſiæ ſummam compendio refert Flodoardus in chronico DCCCXXX. *Hoc anno, ſequenti quoque, agitatur inter Hilduinum epiſcopum & Richarium abbatem de epiſcopatu Tungrenſi contentio: ſi quidem rex illud epiſcopium Richario, quia Hilduinus a ſe deſciverit, cui prius ipſum conceſſerat, dedit. Hermannus vero archiepiſcopus Hilduinum ibi epiſcopum, eligente clero ac populo, favente necnon Gisleberto, quem plurimi Lotharienſes principem relicto Carolo rege delegerant, ordinavit. Carolus vero reverſis ad ſe Lotharienſibus & ipſo Gisleberto, Richario abbati, non Hilduino, ipſum epiſcopatum conſentiebat: &* an. DCCCCXXII. *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter epiſcopium Tungrenſe, reverſus eſt ordinatus a Joanne papa epiſcopus, Hilduino ab ipſo papa excommunicato, qui etiam illo abierat.*

EPISTOLA HERIMANNI
ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS
ad Richarium abbatem.

Mittit ei literas Joannis papæ, quibus Romam una venire jubebantur.

*Magnifice venerando omnique dilectionis affectu veraciter colendo Richero * abbati, Herimannus ſanctæ Colonienſis eccleſiæ ſervorum Chriſti famulus, præſens & permanens vale in Chriſto.*

* Prumiensis Monarii. H.

SAnctimoniam veſtram, ut ſæpe ſolemus, etiam nunc denuo poſtulamus, quo noſtræ ſenectutis imbecillitati impræſentiarum incumbenti, pia intentione memores, orationum veſtrarum remedia, quibus plus omnibus indigemus, impendere non dedignemini: nihilominus ambigentes, quin idipſum pro virium ſufficientia pro beatitudine veſtra die noctuque agere minime ceſſemus. Cæterum intimetur almæ reverentiæ veſtræ, his nos diebus epiſtolam ex domino papa Joanne tranſmiſſam accepiſſe: quæ quid contineat, ſine permutatione literæ vel ſyllabæ, in hoc exemplari liquido perſpicere licebit.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ X.
AD HERIMANNUM ARCHIEPISCOPUM
Colonienſem.

Jubet ut Romam veniat una cum Hilduino & Richario, qui de Tungrenſi epiſcopatu contendebant.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Herimanno ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopo.

CUm ſimus dominicæ plebis ſuperna miſeratione rectores, ſtudioſius nos convenit Dei præſidium pro ſubditorum ſæpe cogitare ſalute, ne fruſtratis, quod abſit, animabus antiqui hoſtis inſidiis, ante omnium paſtorem diſtrictam cogamur ſolvere rationem: quia ideo fidelis ſervus & prudens Domini ſuper familia conſtitutus eſſe dignoſcitur, ut congruo tempore det illis fructum. Congruo tempore ſacerdotes propoſiti Deo fructum dant, cum pro ſalute omnium ſibi ſubditorum, quod opportunum eſt offerunt. Et quia veſtra fraternitas ſententiam apoſtoli reprobavit operando, qui monet nullo modo alicui leviter manus imponere, cum Hilduvinum, canonicis ſibi obviantibus regulis, abſque clericorum electione, & laicorum acclamatione, Gisleberti metu, epiſcopali inſula decorare non denegaſtis, cum priſca conſuetudo vigeat, qualiter nullus alicui clerico epiſcopatum conferre debeat, niſi rex, cui divinitus ſceptra collata ſunt. Quo vero ordine Gislebertus hoc quod illi conceſſum non eſt agere non metuit, ut arbitror, quia illicite præſumpſit, rationabiliter imbecille permanebit. Tamen quia Richerus, ut Caroli regis teſtimonium perhibet, atque noſtri dilecti filii Berengarii glorioſiſſimi Imperatoris literæ teſtantur, primitus a clero electus, & a populo expetitus eſt: cur donum ſancti Spiritus, quaſi temporale commodum, cui non licuit imponere non diſtuliſti, omnino miramur, cum ſcriptum ſit: *Intelligens gubernacula poſſidebit.* In veteri etiam teſtamento divina lege ſancitum eſt, ut ſacerdotes de ſacrificio Domini pectuſculum ſumant. Non equidem ob aliud, niſi ut ſacrificio diſcant, quid de ſemetipſis ipſi ſuo conditori debeant

Tim. 5.

Prov. 1.

Levit. 7.

beant

beant immolare. Et cum noſmetipſos Deo offerre ſedulo debeamus, cur alios errantes ſequi non contemnimus? cum ſcriptum ſit: *Si ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris.* Igitur quia magis hominis quam Dei formidine metuiſtis, quod inutiliter geſtum eſt, noſtra imbuti admonitione, ut citius emendare delectemini omnino monemus. Valde namque admirari non diſtulimus, cur contra rationem abſque regis juſſione agere pertentaſtis: cum vobis reminiſcentibus hoc nullo modo eſſe debeat; ut abſque regali præceptione in qualibet parochia epiſcopus ſit conſecratus. Tamen mediante Octobrio ad limina apoſtolorum cum Hilduvino & Richero venire ſatagite, ut ante præſentiam noſtri noſtrorumque epiſcoporum coadunati, quid ex hoc canonica jubeat auctoritas explicare non denegetur. Et ſi forſitan pro paganorum metu tunc venire non valetis, in Kalendis Aprilis, omni occaſione poſtpoſita, ad nos quantocius, ſicut ſuperius ſtatutum eſt, pervenite. Et tunc omni errore radicitus extirpato, qui dignus inventus fuerit, per oſtium ingrediatur in ovile ovium, & non aliunde, ne fur æſtimetur. Quia nos Caroli regis decus nullo modo auferre volumus, ſed pro vigore atque dilectione, vel conſanguinitate noſtri dilecti filii Berengarii glorioſiſſimi Imperatoris, ut prior anteceſſorum ſuorum regum mos fuit, eum ita illibatam atque inconcuſſam dominationem obtinere delectamur: & ſicut priores ſuos anteceſſores, noſtrorum anteceſſorum auctoritate, epiſcopum per unamquamque parochiam ordinare probabiliter ſtatutum eſt, ita ut Carolus rex faciat confirmando jubemus. Tamen uſque ad illud temporis, ſicut ſuperius ſtatutum eſt, Leogis epiſcopatus in veſtra maneat poteſtate: itaut Hilduvinus illic aliquod ſacerdotale miniſterium nullo modo audeat exhibere.

Pergit Herimannus.

His apoſtolicis Romam vocati præceptis, ejuſdem domini papæ ſanctorumque canonum auctoritate, eo vos præſcripto inevitabiliter invitamus tempore. Valere veſtram optamus almitatem, ſemper memores veſtri memoris.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

Richero abbati.) Abbas erat Prumienſis monaſterii: Gislebertus vero, quem Lotharienſes ducem ſibi adſciverant, ut dictum eſt, comes de Capræmonte dicitur a nonnullis.

EPISTOLA II. JOANNIS PAPÆ X. AD CAROLUM III. REGEM.

Significat ſe ad Herimannum ſcripſiſſe, ut cum Hilduvino & Richario Romam veniat: Hubertum etiam ob eccleſiæ Romanæ deprædationem excommunicaſſe.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

CUm ſincera in vobis caritas, atque perfecta manſuetudo clareſcat, quia divina diſpenſatione hoc agitur, conditori noſtro Deo immenſas gratiarum actiones referimus. Unde hortantes veſtram filiationem monemus, ut ſemper ſoliciti manentes, ſubditos quoque vobis commiſſos per abrupta diutius ire non permittatis. Quia in hoc veſtri regni ſceptra ſublimia manent, cum Spiritus ſancti diſpenſatione quod inutiliter geſtum eſt emendare non negligitis. Noſter namque dilectus filius Berengarius glorioſiſſimus imperator apoſtolatui noſtro literas ex Richero a vobis electo in Leodio, atque a cuncto clero & populo, tranſmiſit: & qualiter Gislebertus veſter infidelis Hilduvinum illic conſecrare præcipiendo non formidavit. Nos vero, prece dilecti filii noſtri moti, Herimanno archiepiſcopo noſtri apoſtolatus apices tranſmittere ſtuduimus, quatenus mediante Octobrio cum illis pariter junctus ad limina apoſtolorum non differat venire: ut tunc probabilibus documentis canonice, qui dignus eſt, approbetur; qui vero dignus eſſe contemplatur, tunc reprobatus appareat. Uſque ad illud vero tempus, ut Hilduvinus in ſupradicta eccleſia, quæ Legia dicitur, aliquod regimen detinere, & ſacerdotale officium exhibere non audeat, commonendo præcipimus. Tamen quia dilectio noſtri filii in vobis abundanter emanat: dignum eſt ſinceritas atque conſanguinitas veſtra ut in illo promptius appareat; & ita fidiſſimus ex veſtra dilectione permaneat, quatenus ex illius adminiculo in præſenti cognoſcatis. De hoc vero quod Gislebertus contra veſtra ſceptra inutiliter geſſit, valde doluimus: eo quod priſca conſuetudo, & regni nobilitas cenſuit, ut nullus epiſcopum ordinare debuiſſet abſque regis juſſione. Et quia Herimannus archiepiſcopus, magis hominis quam Dei formidinem metuens, Gisleberti juſſione Hilduvinum conſecrare non diſtulit, hac pro ratione ſententiam vocationis illi tranſmiſimus, ut mediante Octobrio, & ſi pro metu paganorum venire tunc nequeunt, in Kalendis Aprilis, omni remota occaſione, tunc nullo modo cum Hilduvino & Richero venire differat. Quia tunc inibi conjuncti, ex decore veſtri regni ſubtiliter colloquentes, ita radicitus hoc quod vobis per Gislebertum contingit extirpare non denegabimus, ut poſtmodum nec ipſe, qui auctor iniquitatis contra veſtra ſceptra geſſit, nec alius aliquis audeat aliquam læſionem veſtro in regno inferre. Illud etiam veſtræ filiationi innoteſcimus, qualiter nos juncti cum Berengario glorioſiſſimo imperatore dilecto filio noſtro, ad Hubertum, ut deprædationes atque incendia, quæ in ſancta Romana eccleſia committere non formidavit, emendare ſtuduiſſet, admonendo miſimus: qui renitens, atque ſuperba voce hoc contradicens, emendare noluit. Nos autem, ſecundum noſtri miniſterii effectum, illum ſub excommunicatione miſimus, eumque anathematis vinculo alligavimus cum omnibus ſuis ſequacibus. Unde veſtræ celſitudini hoc pateſacimus, ut nullus veſtri regni illum ſequatur, vel ei adjutorium impendat, quia non ſolummodo qui eum ſequuntur alligavimus, ſed etiam qui ei adjutorium impendere delectantur.

III. AD EPISCOPOS NARBONENSIS PRIMÆ,

Agii metropolitani ordinationem confirmat: Geraldum pervaſorem damnat: Agio pallium mittit.

Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Reginaldo Biterrenſi, Armano Toloſenſi, Riculfo Elnenſi, Gimaræ Carcaſſenſi, VVigoni Gerundenſi, Gerardo Agathenſi, Teuderico Lutovenſi, Heuberto Nemauſenſi, item Teuderico Barchinonenſi, Georgio Auſonenſi, Rudolpho Orgelitanenſi, Eccleſiarum Chriſti reverendiſſimis ac ſanctiſſimis epiſcopis.

SAnctitatis veſtræ literas de metropolitano Agio ſuſcipientes, huic inſidias & fraudes Geraldi ne-

nequissimi ei illatas agnoscentes, valde doluimus, & quasi nostro corpore suscipientes defecimus. Unde vestræ sanctitati notum esse volumus, quia præfatus Geraldus falsidicus, ad hanc sanctam Romanam atque apostolicam ecclesiam, cui auctore Deo deservio, veniens, a nobis quasi innocens, surripere voluit episcopatum, cui nos, licet ejus iniquitatis versutiam plenius non agnoscentes, commodare sine canonica censura noluimus. Ipse vero, ut multorum veridica relatione comperimus, nescio quas falsas epistolas per surreptionem, quasi ex nostro nomine vobis perferens, episcopatum Narbonensem hac occasione armata manu deprædatur, venerabilis Agius ejus insidiis captus, venire ad sanctam sedem apostolicam differtur, & alia quamplurima de illo, antequam per vestras literas, cognovimus audientes. Quapropter vobis per Eyminum archiepiscopum, * nostras apostolicas literas misimus, ut ipsum sæpe nominatum Geraldum per omnia falsidicum tenentes, inter episcopos non haberetis. Nunc, quia malitiam, iniquitatem, atque fraudes, a vestra fraternitate pleniter agnovimus: volumus, atque apostolica auctoritate mandamus, ut, sicut jam vobis scripsimus, & sacri canones testantur, eum inter episcopos non habeatis: quippe nec a clericis, vel populo sit expetitus, nec a vobis suis comprovincialibus more solito ordinatus. Privilegium, pallium, usum pallii, vestro metropolitano Agio, ut vestra petivit dilectio, misimus: quia nulli ecclesiæ hoc quod illi juste competit, denegamus. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere.

* Vesontiensem

Obiit 923. archiepiscopus 53.

CONSTITUTIONES EX CONCILIO

GALTERI ARCHIEP. SENONENSIS.

I.

* Videtur deesse, ad synodum.

STatuimus, ut abbates, & priores conventuales, qui nec venerint *, nec se excusaverint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu ecclesiæ suspendantur, & pœna, quantum ad hoc conciliis statuta est, sub comminatione majoris pœnæ, si aliis annis supra his culpabiles inveniantur. *

* Videtur deesse, multentus.

II.

Propter scandala gravia quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne * aliquem dispositum recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui: maxime arcas clericorum, vel laicorum, custodiæ causa minime permittant apud se deponi.

* forte aliquod depositum.

III.

Item communiter omnes in refectorio comedant, & in dormitorio dormiant, nisi ex causa justa, & necessaria, de licentia speciali abbatissæ aliter fieri permittatur.

IV.

Item cameræ monialium omnes destruantur, nisi aliqua quæ in susceptione episcopi necessario retineatur, vel ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ episcopo justa & necessaria videatur.

V.

Item quod moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi ex magna causa, & raro: & abbatissis injungatur, ne aliter egredi permittantur: & si aliquando abbatissa ex causa justa alicui permittat, eidem injungat quod sine mora revertatur.

VI.

Ostia suspecta & superflua obstruantur. Circa hoc autem episcopi diligentiam adhibeant & curam per se & per ministros suos; & vitas & conversationes ipsarum restringant: ut per eorum diligentiam scandala, quæ in præsenti de vita earum proveniunt, sopiantur.

VII.

Statuimus, ut omnes judices, tam ordinarii quam delegati, temperent se & refrænent a generalibus excommunicationibus: nec in generali participantes excommunicent, nisi valde gravis & enormis excessus contingat.

VIII.

Moneantur capitula sæcularium personarum, maxime cathedralia, ut ipsi conveniant, & ordinent, & tractent, quod in ecclesiis suis die & nocte, per se & per clericos ecclesiarum, divinum servitium assidue, competenter, secundum numerum institutorum, & facultatem ecclesiarum celebretur, & circa servitium divinum diligentiam & curam adhibeant efficacem, ita quod modus habendi se in ecclesia, tam in choro quam extra, evidenter & sufficienter, ubi emendatione opus erit, emendetur infra annum.

IX.

Moneantur etiam canonici & clerici sæculares, quod ipsi, in habitu suo & aliis, præcepta tradita in generali concilio fideliter & obedienter observent.

X.

Statuimus ut in locis sive prioratibus, ubi conventualis congregatio solet esse, si facultates illius ecclesiæ suppetant, conventus ibidem restauretur.

XI.

Item quod in domibus sive locis, ubi solebant esse prioratus, si facultates locorum sufficient, monachi vel canonici regulares ad divinum servitium ibidem celebrandum reducantur.

XII.

Monemus abbates & priores conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant, si ad hoc sufficiant facultates locorum, quot ibi deservire solent: & ne pensionem sive censum ab eisdem exigant, quem non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex justa causa ab episcopo suo permittatur.

XIII.

Statuimus quod clerici ribaldi, maxime qui vulgo dicuntur de familia Goliæ, per episcopos, archidiaconos, officiales, & decanos Christianitatis, tonderi præcipiantur, vel etiam radi, ita quod eis non remaneat tonsura clericalis: ita tamen quod sine periculo & scandalo ita fiant.

XIV.

Item antiquum statutum concilii provincialis rursus renovantes præcipimus, quod quando aliqua terra, propter delictum domini terræ vel ballivorum, supposita fuit interdicto, nullatenus relaxetur, donec ad arbitrium & moderamen relaxantis, presbyteris parochialibus de damnis & de perditis interdicti occasione illatis plane fuerit satisfactum, vel de satisfaciendo cautum.

CON-

ANNO CHRISTI 915.

CONCILIUM CABILONENSE

In Ecclesia S. Marcelli martyris, in suburbio.

CUM in nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi resideret dominus Austerius venerabilis archiepiscopus in suburbio Cabilonicæ civitatis, in ecclesia B. Marcelli mârtyris, cum archiepiscoporum & episcoporum collegio, videlicet cum Ardrado ejusdem urbis venerabili episcopo, Geraldo Matisconensi, Eymino Vesontionensi archiepiscopo, Agio Narbonensi archiepiscopo, Alisachar Belicensi episcopo, Odilardo Mauriennensi: anno videlicet dominicæ incarnationis DCCCCXV. indictione III. & nonnulla ibi pro juribus, de statu atque utilitate ecclesiæ canonice definirent: quidam presbyter Bererius nomine, eorum adiit præsentiam, proclamans quod quidam presbyter Ivo nomine quamdam villam Sanctiniacum vocabulo ex parœcia S. Clementis, quam Bererius tenebat, contra jus ecclesiasticum usurpasset. Cujus querimoniam pontifices diligenti examinatione inquirentes decreverunt, ut jam dicta villa Sanctiniacus ad antiquitatem suam, hoc est ad matricem ecclesiam S. Clementis reverteretur, sicut per viam publicam quæ ab Arari incipit, quæ pergit ad Odevicam Fredegonis antequam perveniret in transversum per viam quæ ducit ad fontem Bidocti, unde & hanc testimonii scripturam quam Reditoriam vocamus, sub hac ratione præfati præsules præceperunt facere, ut in posterum ecclesia S. Clementis nullam ex sua parochia sustineret calumniam. Et ut firmius teneretur, propriis nominibus subfirmaverunt.

Austerius Lugdunensis archiepiscopus subscripsit.

Eyminus Vesoncionensis archiepiscopus subscripsit.

Agius Narbonensis archiepiscopus subscripsit.

Ardradus Cabilonensis episcopus subscripsit.

Gerardus Matisconensis episcopus subscripsit.

Alisachar Belicensis episcopus subscripsi.

Odilardus Mauriennensis episcopus subscripsi.

In eadem synodo, ut rerum Burgundicarum scriptores narrant, Roculfus comes Matisconensis, cum res ecclesiæ illius pervasisset, intentatæ, ni pareret, excommunicationis metu, ablata restituere coactus est.

ANNO CHRISTI 916.

CONCILIUM ALTHEIMENSE

Anno Christi DCCCCXVI. celebratum.

DE *Concilio apud Altheim, seu Althaim Hermannus Contractus ad an.* 916. Ungarii item egressi inter alia mala totam pene Alamanniam igne & gladio miserabiliter vastant. Ipso anno apud Altheim Synodus habita. *Memoratur etiam ab Aventino lib.* 4. *Annal. Bojorum, ubi ait:* Anno ab orbe servato 916. indictione IV. XI. Kal. Octob. Regni Conradi piissimi & Christianissimi regis quinto Concilium Sacerdotum frequens apud Althaim in pago Rhætiæ cogitur ab Ottonensi Episcopo, Legato Joannis X. Pont. Max. *Sed loco* Ottonensi *legendum* Ortanensi, *quæ urbs est in ora maris Adriatici in Aprutio citeriori posita, etiam hodie* Ortona *appellata. Hujus Concilii, cujus nulla mentio in editione Conciliorum Labbeana, supersunt varia capitula a Burchardo, & Ivone relata. Ejus exemplar MS. viderat Serarius, qui lib.* 4. *Rerum Mogunt. in Herigero Archiepisc. ait, eum Concilium indixisse Alteneihmii eique adfuisse Pontificium Legatum Petrum Ortensem Episcopum an.* 906. 12. *Kalend. Octob. Conrandi Imperatoris anno* 5. *Sed cum neque Conradus eo anno Rex aut Imperator, neque Herigerus Archiepiscopus esset, recte asseruit, in temporis notatione mendum aliquod inesse. Varios Canones in eo conditos collegi ex variis titulis Burchardi & Ivonis, iisdem servatis numeris, qui apud utrumque reperiuntur. Verba Burchardi utpote antiquioris propono. Hæc Concilii*

PRÆFATIO.

REgis Conradi piissimi & Christianissimi Regis anno quinto, congregata est sancta generalis Synodus apud Altheim in pago Rhœtia, præsente videlicet domini Joannis Papæ Apocrisario sanctæ Ortensis Ecclesiæ (*apud Ivonem perperam legitur* sanctæ Ostiensis Ecclesiæ) venerabili episcopo. Hoc quatenus (*Ivo perperam habet* aliquo modo) diabolica semina in nostris partibus exorta extirpare, & nefandissimas machinationes quorumdam perversorum hominum sedare, & eliminando purgare deberet. Transacto igitur triduano jejunio, & sacris Litaniis more debito celebratis, convenimus in Ecclesia S. Joannis Baptistæ, & mœsti comedimus. Tum demum præfatus S. Petri, & domini Joannis Papæ Missus, proferens chartam apostolicis literis inscriptam, qua monebamur (*Ivo male habet*, commovebamur) arguebamur, & instruebamur de omnibus ad veram religionem Christianæ fidei pertinentibus. Quæ omnia (ut justum & dignum erat) humiliter accepimus, diligenter tractavimus, & devoto affectu omnimodo amplectebamur. Ergo Evangelicam præceptionem & institutionem saluberrimam lachrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisæi & Scribæ: *Mundate*, inquit, *prius quæ intus sunt*: & item: *Ejice primum trabem de oculo tuo*: ac propheti- *Matth. 23. 26. Matth. 7. 9.*

cum

1 Concilium istud mutilum edidit Petrus de la Lande, & ex eo Labbeus. Nos integrum hic damus ex novo Anecdotorum Thesauro PP. Martene & Durand tom. IV. p. 71.

ANNO CHRISTI 916.

cum illud: *Ruina populi Sacerdotes mali*. Perpendentes, & discutiendo nosmetipsos inspicientes, & in medium pœnitentiæ sanctæ digno fructu ad terram nos projicientes, deflevimus negligentias innumerabiles, & peccata nostra gravissima. Deinde hortatu domini Petri contra nosmetipsos & vitia irati, adjuvante primo sancto Spiritu, & miserante, capitula infra notata ad correptionem tam nostram, quam Christiani populi statuendo collegimus. *Burchar. lib.* 11. *cap.* 68. *& Ivo part.* 14. *cap.* 116. *uterque ex Concil. apud Altheim.*

CAPITULA.

V.

De eo si quis cum uxore alterius vivente eo fornicatus fuerit.

Illud vero communi decreto secundum Canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito Synodali judicio aditus eiclaudatur illicitus; ne ulterius ei conjungatur matrimonio quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium. *Burchar. lib.* 9. *cap.* 74. *& Ivo par.* 8. *cap.* 211. *uterque ex cap.* 5. *Concilii apud Altheim.*

VI.

De Episcopis, qui sibi subjectos seducunt communicantes cum excommunicatis.

Scimus sacra auctoritate scriptum, qui excommunicato communicaverit, excommunicetur. In hoc nos fatemur Episcopi, & presbyteri, & clerici pœnaliter peccasse: quod imposterum Deo auxiliante & emendare, & evitare cupimus & præcipimus. *Burchard. lib.* 11. *cap.* 69. *& Ivo part.* 11. *cap.* 117. *uterque ex cap.* 6. *Concilii apud Altheim.*

VII.

De eadem re.

Placuit sanctæ Synodo, hunc errorem quasi impium ab Ecclesia amovere: quia animarum curam a Domino accepimus, non pecuniarum. Inde & reddituri sumus Domino rationem, & accepturi propter suam misericordiam æternam retributionem, vel justam damnationem. *Burchard. ibid. cap.* 70. *& Ivo ibid. cap.* 118. *uterque ex cap.* 7. *ejusdem Concilii.*

VIII.

De Episcopis, ut non sint malum exemplum populo.

Bonum exemplum populis se ipsos Episcopi vel Sacerdotes debent præbere, & ostendere non solum dictis, verum & factis. Propter hoc enim statuimus, minime unquam imposterum contra sacra statuta aliquo modo communicemus excommunicatis, & dijudicemus (*In Ivone perperam legitur*, dijudicamus) nosmetipsos, quatenus in futuro non judicemur a Domino. Sequi cupimus dicta & statuta S. Gregorii Papæ, & pœnitentiam dignam agere voluimus secrete in Monasterio, quia publice nequimus (*non* nequivimus, *ut male* apud Ivonem): in futuroque prædicta omnibus modis Deo propitio vitare volumus. Eamdemque legem statuentes, Presbyteris, Diaconibus, & omni Clero, si de gradu deponi noluerint, ut fideliter observent, & aliis servare prædicent. *Burchard. ibid. cap.* 71. *& Ivo ibid. cap.* 119. *uterque ex cap.* 8. *ejusdem Concilii.*

IX.

De correctione Episcoporum, qui cum excommunicatis communicaverunt.

Auctoritate Apostolica firmamus dicta, & præcepta sanctorum canonum, & interdicimus, quandiu quis excommunicatus sit, ut nullus nostrorum Episcoporum ei audeat communicare, vel cum eo in Ecclesia orare. Et laici, qui secuti sunt nos, ut dicunt, errando, & sequendo nos modo, nos aut nosmetipsos (*Ivo habet* nos autem nosmetipsos) per pœnitentiam macerantes corrigendo, & viam eis vitæ prædicantes, & aperientes: ut resipiscant a diaboli laqueis, a quibus per nostra mala exempla capti tenentur, & ad veram matrem Ecclesiam per pœnitentiam revertantur. *Burchardus ibid. cap.* 72. *& Ivo ibid. cap.* 120. *uterque ex cap.* 9. *ejusdem Concilii.*

X.

De Episcopo inculpato, qui ad Synodum vocatus venire contempserat.

Richuvinum Episcopum, qui contra sanctorum Canonum sanctiones Arazburgensem Ecclesiam invasit, quem ad sanctam Synodum per literas nostras invitavimus, & venire contemnens, nec Vicarium suum misit, auctoritate sancti Petri, ego Joannes Vicarius Apostolici, ex præcepto sanctæ præsentis Synodi injungendo vocamus iterum, & præcipimus, quatenus ad Concilium, id est Mai Moguntiæ indictum a Metropolitano Episcopo suo ad præsentiam venerabilis Herigeri Archiepiscopi, & confratrum suorum veniat, suæ inobedientiæ & perversitatis ibidem justam rationem redditurus. Sin autem negligenter & hoc agere parvipenderit, abstineat se a proprio gradu, donec Romam veniens, coram domino Papa, & sancta Ecclesia reddat rationem. *Burchard. lib.* 1. *cap.* 162. *ex cap.* 10. *hujus Synodi.*

XI.

De Episcopis ad Synodum vocatis, & venire, & Missos suos mittere dedignantibus.

Placuit sanctæ Synodo Episcopos, qui vocati de Saxonia ad sanctum Concilium non venerunt, nec secundum canones sacros

cros Missos suos vel Vicarios direxerunt, A gravi increpatione objurgare, & pro culpa inobedientiæ increpare. Unde iterum eos fraterna charitate ad conductum Concilium invitamus, & vocamus. Quod si & hoc, quod non optamus, pro nihilo duxerint, & venire noluerint, justamque rationem inobedientiæ suæ reddere detrectaverint, Apostolica auctoritate interdicit eis Petrus sancti Petri & Papæ Missus, una cum sancta Synodo, Missas celebrare quousque Romam veniant, & coram Papa, & sancta Ecclesia dignam reddiderint rationem. *Burchard. lib. 1. cap. 52. ex cap. 10. (a) ejusdem Synodi, sed loco cap. 10. videtur legendum cap. 11. Aventinus enim utriusque capituli meminit, ideoque utrumque in hoc Concilio conditum.*

XXVII.

De Clericis, qui fugerint Ecclesias suas, & de servis qui dominos proprios fugerint.

Sanctus Gregorius dicit: Clericum fugientem ab Ecclesia sua, vel servum fugientem dominum proprium, & nolentem reverti, judicamus communione privari, quoadusque ad propriam Ecclesiam, vel ad dominum suum redeat. Et item: Clericum fugitivum suo Episcopo vel domino suo decernimus Apostolica sententia restitui, vel excommunicari una cum illis, qui ei communicaverint. *Burchard. lib. 11. cap. 78. ex cap. 27. ejusdem Concilii.*

XXVIII.

De Clericis, qui a dominis suis liberi facti sunt.

Nullus Clericus ad gradum Presbyterii promoveatur, nisi ut scriptum in canonibus habetur. Si enim propter Dei dilectionem qui de servis suis quemquam elegerit, & docuerit literas, & libertati condonaverit, & per intercessionem erga Episcopum presbyterum effecerit, & secundum Apostolos victum & vestitum ei donaverit: ille autem postea in superbiam elatus Missam dominis suis & canonicas horas observare & psallere renuerit, & eis juste obedire, dicens se liberum esse, noluerit, & quasi libere cujus vult homo fiat, hoc sancta Synodus anathematizat, & illum a sancta communione arceri judicat donec resipiscat, & domino suo obediat secundum canonica præcepta. Sin autem obstinato animo & hoc contempserit, accusetur apud Episcopum, qui eum ordinavit, & degradetur: & fiat servus illius idem domini sui sicut natus fuerat. Quisquis vero talem secum habuerit, postea quam rem prædictam illius audierit, & domino suo reddiderit, vel a se projecerit, sive Episcopus, sive Comes, sive Clericus, sive Laicus, anathematis illius societate nodatus, pœnam excommunicationis luet. *Burchardus lib. 2. cap. 234. ex cap. 38. Concilii apud Altheim habiti, cui interfuisse Conradum regem dicit, quod & in locis supra citatis etiam iterat.*

Aventinus citatus addit, in hoc Concilio decretum fuisse, ut quisquis Regi fidem non servarit, aut rebellare conatus fuerit, excommunicetur. Ad hæc Erchingerum, quandoquidem cum sociis vitæ regis, domini sui, insidiatus fuerit, a classibus Reipublicæ armorumque exortem factum esse, utque in monasterio scelus expiaret. Denique Erchingerum, Berchtoldum, Burckhardum, Arnulphum, quod decreto Synodi non stetissent, in numero impiorum haberentur, omnesque eorum sermonem defugerent. Porro Rhætia Passavium usque extenditur, ideoque Concilium illud in confiniis Rhætiæ & Noricæ congregatum, in Geographia enim Synodica a Nicolao Sanson edita Altheimum inter Salisburgum & Dingonvilgam locatur, estque in inferiori Bavaria.

ANNO CHRISTI 916.

CONCILIA ALTHEIMENSIA DUO

In causa disciplinæ reformandæ,

Aliud coram Joanne episcopo, alterum coram Petro Hortano itidem episcopo A. S. legatis,

Anno 916. celebrata,

CConcilium Altheimense unicum Labbeus anno 916. collocat, eidemque tribuit canones illos omnes, quos Burchardus, & Ivo sparsim sub nomine concilii Altheimensis dederunt. Verum non unicum quidem, sed duplex concilium Altheimense omnino distinguendum est, quod duplici hoc argumento demonstro. Concilio Altheimensi unicum adfuisse Apostolicæ sedis legatum ex eo constat, quod in canonibus illis quos Legatus Apostolicus suo nomine sancit, ut est in canone inter collectos a Labbeo X. & XI. E unicus tantummodo Legatus se prodat; nec sane nisi unius Legati meminit Serarius, qui concilii hujus acta in MS. legisse se perhibet. Cum igitur in canone apud Labbeum X. Joannes quidam *Vicarium apostolicum* se prodat, & in canone XI. *missus S. Petri & papæ, Petrum* se nominet, recta inde consecutione deducimus, duos istos canones ad concilia duo plane inter se diversa pertinere.

Venetus Labbei editor errorem, Pagio indicante, animadvertens, duo cum eodem viro doctissi-

(a) In Codice Lucensi recte est *Cap.* xi.

☞ ctissimo Altheimensia concilia distinguit; sed in eo errat, quod canones illos ex Burchardo & Ivone a Labbeo collectos, & in unum idemque concilium anni 912. congestos, eidem omnes concilio attribuat; cum reipsa alii ad aliud pertineant; quamvis non satis distingui possit quinam prius concilium, qui vero posterius respiciant. Porro Altheimensi primo Conradus Germaniæ rex interfuit, ut in adnotatione quadam marginali ad canonem concilii Altheimensis Burchardus lib. 1. cap. 227. animadvertit; qui sane rex cum anno 918. obierit, profecto liquet prius istud concilium in annum 916. non inepte ab Hermanno Contracto in chronico referri. Cum vero eadem synodus haberetur, Moguntinam cathedram tenebat Herigerus, ut ex canone X. inter collectos a Labbeo constat. Porro episcopus iste anno 922. vivebat adhuc, ut ex præfatione concilii ad Confluentiam constat, successoremque habuit Hildebertum, qui cum subscriptus legatur canoni concilii Altheimensis, quem Venetus Labbei editor concilio Altheimensi postremo recte assignat; ex eo intelligimus alterum hoc concilium anno 922. posterius haberi oportere. Hoc ipsum decretum concilii Altheimensis cum altero adjuncto canone, nondum edito ex MS. codice Farfensi Mabillonius in annalibus tom. III. appendicis num. XLVIII. vulgavit, ex quo huc secundum transfero; primum enim excussum in editione Veneto Labbeana habetur.

ANNO CHRISTI 916.

Hæc olim de concilio Altheimensi duplici commentabar; nunc vero posterioribus curis paralipomena quædam addenda suppetunt. Utriusque concilii canones ex uno Burchardo notos cum editis aliorum conciliorum & Burchardiano MS. codice Lucensi conferens hæc elicui. Qui prior est in editis canon Altheimensis, quemque Burchardus ut quintum ejusdem concilii laudat, ipse est ad verbum canon LI. concilii Triburiensis anni 895. Quo autem loco legunt edita in utroque concilio: *Si quis cum uxore alterius vivente eo fornicatus fuerit*; codex Lucensis pro *vivente eo*, fert *innuente eo*; quanquam editam lectionem alteri præferendam censeo. Caput XXXIII. in editis, quod Burchardus lib. 2. cap. 234. (ut est in edito Burchardi, cum in MS. sit cap. 230.) signat *cap. XXXVIII.* fert: *& secundum apostolos victum & vestitum ei donaverit*, quæ verba in meo Codice desunt; illud *quasi libere*, in excusis; emendat idem codex *quasi liber*. Illud *domino suo reddiderit*; apte corrige ex MS. *domino suo non reddiderit*. Caput quod in editis est XXVII. in codice est XXVI. Caput X. vulgatum habens *Richuvinum Arazburgensem*, optime emendat codex Lucensis *Ricvuinum Saltzburgensem*. In præfatione ubi legunt edita: *Apocrisario sanctæ Ortensis ecclesiæ &c.* deest nomen apocrisiarii, quod codex noster effert supplens *Petri*. Ibidem pro *mœsti comedimus*, legendum ex codice, *mœsti consedimus*; pro *pœnitentiæ sanctæ digno fructu*, lege ut in codice *dignos fructu*. In cap. XXXVII. (ut est in codice) Altheimensis II. quod Burchardus lib. I. cap. 237. (ita signat codex meus) repræsentat, nomen *Roberti Trevirensis archiepiscopi*, quod patet in editis, noster supprimit; *Adalgardus Fardinensis*, est in nostro *Avalvardus Farchensis*; *Rychuvinus Argentinensis* est *Ruguvinus Argentensis*; *Romualdus Mimugardenovardensis* est *Romaldus Mimigaatenoevardensis*. Admonendi sunt pariter studiosi lectores, canonem Altheimensem, quem daturum me superius adnotavi ex Mabillonio, qui ex MS. codice Farfensi primum se deprompsisse rebatur; eumdem pariter extare apud Burchardum lib. I. cap. 231. codicis mei acceptum ex cap. XXXVI. ejusdem concilii; quare illum huc transferam, (quod in editis Labbei desit) ex editione Mabillonii cum Burchardianis mei codicis variantibus. Sed & præter hunc canonem, alium ex eodem Burchardo addo, qui collectores, canones Concilii hujus ex Burchardo describentes, fugit.

ANNO CHRISTI 51.

CANONES.

XVI.

Statuimus propter Domini dilectionem & proximi, & fidelium honorem, & præcipue ob multa scandala evitanda & funditus extirpanda, & perturbationes, quæ noviter exortæ sunt & oriuntur; necnon ut omnes sciant nos episcopos tales divina misericordia nequaquam fuisse, quales dicimur, exemplum S. Leonis papæ, * qui super quatuor evangelia jurans coram populo se purgavit, sequi & imitari; salva tamen auctoritate canonica.

* Videatur stat. I. vit. S. Leo II.

XXVI.

Statutum est, & rationabiliter secundum SS. Patres a synodo est confirmatum ut * monachus, quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habeat; sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat, & arbitrio abbatis sui, qui fuerat secundum regulam S. Benedicti. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare, quo sanctificatur & titulatur, secundum sanctos canones, quæ acquirere poterit, restituat.

* Hæc sq. apud Burchardum reliqua a Mabillonio ex Codice Farfensi.

☞ SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA

Pro schismate Græcam ecclesiam scindente tollendo,

Constantino, & Romano impp. anno Mundano VIM. CDXXVIII. Indictione VIII.

PRÆFATIO COLLECTORIS.

Anno 910. ibid.

LEonem Sapientem, qui, uxore tertia defuncta, quartas nuptias conciliaverat, & nuptiarum illarum benedictionem, invito licet Nicolao Mystico imperatoris, & patriarcha, ab alio quopiam sibi dari curaverat, anathemati subjecit idem Nicolaus, qui haud ita multo post solum vertere, ærnu-

æmulumque Euthymium in ſedem ſuam aſſumptum ferre coactus fuit. Leone ſatis functo, atque Euthymio exacto, Nicolaus quidem tanquam lege poſtliminii reſtituitur; ſed ea occaſione ortum ſchiſma nondum coaluerat. Donec tandem anno Mundano 6428. *julio menſe indictione VIII.* ait Leo Grammaticus in Chronographia, *die dominica totius eccleſiæ a Romano inita eſt concordia, cunctis Metropolitis & clericis, qui a Nicolai* (patriarchæ) *& Euthymii partibus diviſis ſteterant animis in conſenſionem redeuntibus.* Operi tanto conficiendo ſynodum convenìſſe certa mihi ſemper ſententia ſedit; nec vana opinatum me docet magna illa Niconis collectio, quam in Coislinianæ bibliothecæ codice MS. offendit P. Montfaucon, deſcribitque in commentario ejuſdem bibliothecæ par. I. pag. 122. Extat in illa excerptum quoddam decreti pro ea unione componenda ſanciti ſub hoc titulo Συνόδος τῆς ἑνωσέως τῆς γενομένης ὡς ἐπὶ Κωνσταντίνου *Synodus unionis factæ ſub Conſtantino, & Romano &c.* Decretum iſtud ſynodi ex Jure Græco Romano a Leunclavio edito Latine ex Græco redditum, exhibet Baronius ad an. 921. num. IV. & V. ego vero ex eodem Jure Græce & Latine hic repræſentandum duxi, ſupplens Labbei defectum, qui ea forte de cauſa quod decretum illud in ſynodo editum fuiſſe non legerit, ideo in collectionem ſuam omittendum cenſuit. Quanquam etamſi non alibi de ſynodo edoctus, id tamen præſtare debuerat exemplo & auctoritate magni Baronii, qui & ſynodum tunc conveniſſe arbitratus eſt, & decretum, tanquam ex ſynodo datum, recitavit. Synodi etiam unionis meminit, ejuſque hiſtoriam attingit Anaſtaſius Cæſarienſis in Palæſtina epiſcopus in lucubratione de jejunio Deiparæ, (ideſt, quod a Græcis ante feſtum aſſumptionis, ſeu, ut illi nuncupant, dormitionis B. M. V. ſervabatur) ita enim ille in eo opere a Cotelerio in monument. eccleſiæ græcæ tom. II. vulgato pag. 435.

ANNO CHRISTI 910.

Quod ſi quis quæſierit ubinam & quando, & a quo Synodus unionis celebrata ſit, audiat a nobis. Non in angulo, inquam, neque in civitate una e multis, neque a vili quodam, ſed in regia urbe, hoc eſt Conſtantinopoli, & a religioſo patriarcha, & epiſcopis, cæteroque eccleſiæ cœtu, ac per pios orthodoxoſque imperatores, Romanum ſenem, & Conſtantinum, perque reliquos religioſos ſapientes, & cognitione præditos viros. Ii quippe omnes in Spiritu Sancto congregati, eccleſiam ex cauſa diverſarum nuptiarum ſciſſam, Dei gratia unierunt, quo factum eſt, ut convenienter appellationem unionis acceperit.

ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΟΥ ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΥ.

Ὑπόθεσις τῆς ἀκολουθούσης διατάξεως, καὶ ἔκθεσις, πῶς ἡ τεταγαμία τῷ βασιλεῖ κυρῷ Λέοντι τετόλμηται, καὶ ὅπως κατήργηται διὰ τοῦ τόμου τῆς λύσεως.

Λέων ὁ σοφώτατος εἶχε μὲν πρώτην γαμετὴν τὴν ἁγίαν Θεοφανώ, μεθ' ἧς καὶ θυγατέρα ἔτεκεν. ἀλλὰ τάχιον ἐτεθνήκει. καὶ αὐτῆς δὲ πρὸς κύριον ἀπελθούσης τῆς ἁγίας, ζεύγνυται Ζωῇ τῇ θυγατρὶ τοῦ Τζαυτζᾶ Στυλιανοῦ, υἱοῦ τῶν ἀρχόντων καὶ φίλων τοῦ βασιλέως. κἀκείνης σωτόμως ἄπαιδος τελευτησάσης, καὶ ξύτλιν ἠγάγετο γυναῖκα, Εὐδοκίαν, τὴν ἀπὸ τοῦ θέματος ὀψικίου, ἐπιλεγεῖσαν διὰ τὸ κάλλος. ἥτις ἐν αὐταῖς ταῖς ὠδῖσι θνήσκει σὺν τῷ βρέφει. ὁ δὲ βασιλεὺς ἀφάτῳ συχεθεὶς λύπῃ ἐπὶ τῷ καταλειφθῆναι ἄπαις, ἐφέσει τεκνογονίας καὶ τετάρτην λαμβάνει γυναῖκα, τὴν τῆς Καρβωνοψίνης Ζωήν, καὶ τίκτει μετ' αὐτῆς τὸν Κωνσταντῖνον. ὁ πατριάρχης δὲ Νικόλαος, καὶ οἱ μητροπολῖται, ἀφορίζουσι τὸν βασιλέα τῆς ἐκκλησίας. καὶ τὸν ἀφορισμὸν οἱ μὲν λίνες τῶν ἀρχιερέων σωτεμεῖν ἔλεγον δεῖν καὶ μὴ ἐπὶ πλείονα παραλείνειν ἡμερόν· οἱ δὲ οὐκ ἐπείθοντο. καὶ σχίσματα ἦν σὺν αὐτοῖς, καὶ στάσις πολλή. καὶ πολλὰ δεόμενον τὸν βασιλέα, καὶ παρακαλοῦντα, οἱ μὲν προσεδέχοντο· οἱ δὲ, καὶ ἀπειθεῖς ἦσαν, καὶ ἄπεγκτοι. ὁ δὲ βασιλεὺς σωστὸς ὤν, καὶ ὅθεν ἀνεφλὰ τὸ ἀσύμφωνον τῆς ἀρχιερέων ἐκ ἀγνοῶν, μεθίστησι τὸν πατριάρχην Νικόλαον, καὶ ἐξορίζει τῆς ἐκκλησίας, ὡς ψεύστην, καὶ πολλάκις μὲν ὅρκοις διαβεβαιοῦντα καὶ ὑπισχόμενον δῶναι τῷ βασιλεῖ τὴν ἐπιτιμίου συμπάθειαν, τοσαυτάκις δὲ μεταμελόμενον καὶ ἀναβαλλόμενον ἐπίτηδες. προσκάλλεται δὲ πατριάρχην τὸν ἑαυτοῦ πνευματικὸν πατέρα Εὐθύμιον, ἄνδρα πολ-

CONSTANTINI IN PORPHYRA nati.

Argumentum ſequentis conſtitutionis, & narratio, quinam imperator Leo quartas nuptias contrahere fuerit auſus, & quo pacto per tomum unionis eæ ſint abolitæ.

B

IMperator ille doctiſſimus Leo primam quidem uxorem habuit, ſanctam Theophanonem, ex qua filiam procreavit; ſed ea cito rebus humanis exceſſit. Itaque quum hæc ſancta mulier migraſſet ad Dominum, Zoæ, Siyliani Tzautza, qui ex proceribus & amicis imperatoris erat, filiæ jungitur. Illa quoque brevi temporis ſpatio C ſine liberis extincta, tertiam duxit uxorem Eudociam ex Opſicii provincia oriundam, formæ nomine ſelectam: quæ in puerperii doloribus una cum infante moritur. Imperator autem ineffabili dolore correptus, quod nullos ſuſtuliſſet liberos, eorum gignendorum deſiderio quartam quoque ducit uxorem, Zoam Carbonopſiæ filiam, quæ Conſtantinum ei parit. Verum patriarcha Nicola, & D metropolit. ab eccl. imperat. ſegregant: eamque ſegregationem nonnulli pontific. brevi ſpatio definiendam, non in longum tempus extendendam ajebant; aliis in hoc non adſentientibus: itaque diſcidia inter eos erant, magnaque ſeditio: atque imperatorem magnopere deprecantem, & orantem alii recipiebant, alii contumaciter rejiciebant. Quum autem princeps ipſe prudens eſſet, atque unde E diſcordia pontificum nata eſſet, haud ignoraret: Leo patriarcham Nicolaum movet, eccleſiæque finibus expellit, ut mendacem, & qui multoties quidem jurejurando confirmaſſet ac promiſiſſet, ſe imperatori gratiam pœnæ facturum, ac totidem vicibus animum mutaſſet remque data opera extraheret. Ejus loco patriarcham conſtituit, patrem ſuum ſpiritualem Euthymium, virum multis annis exercitatione ſolitaria nobilitatum, denique prophetici participem. Is imperatorem a pœna facit immunem, atque a vinculo diuturno liberat & ad communionem admittit. Sed erant adhuc multi pontifices, qui diſpenſationi patriarchæ non adſentiebantur: præſertim ii qui ab expulſi Ni-

Jus Græc. Rom. p. 103. Ex Suppl. Maaſi Appead. p. 43.

co-

colai partibus ſtabant. Poſtquam autem Leo imperator ad Dominum migraſſet, frater ejus Alexander imperio potitus, Euthymium patriarcham ab eccleſia cum contumeliis expellit, inque locum ejus Nicolaum ejectum reducit; itaque magis etiam eccleſiæ res turbulentæ erant, metropolitanis inter ſe diviſis, ac partim ejecto patriarchæ, partim reſtituto adhærentibus. Neque multum temporis intercedit, quum Alexander moritur, & Conſtantinus imperii factus eſt hæres. Is Nicolao patriarcha, cum univerſo pontificum cœtu, convocatis (nam Euthymius ad Dominum jam migraverat) auctor eis eſt, ut in unam ſententiam, mutuamque concordiam redirent, patrique ſuo etiam poſt mortem communi decreto delicti remiſſionem concederent : edicto canonico promulgato, quo vetaretur, ne quis in poſterum ejuſmodi delictum auderet admittere; quo facto, tomus ſive ſcriptum hoc, quod unionis dicitur, editum fuit.

ANNO CHRISTI 920.

Ἀλοῖς ἐτεσι τῇ μοναχικῇ διαπρέψαντι ἀσκήσει, καὶ προφητικῷ χαρίσματι. ἤξιωμένου. ὅτε ἐλεύθερον τὸ ἐπιτιμίοις δείκνυσι τὸν βασιλέα, καὶ τῷ χρονίῳ δεσμῷ ἀπολύει, καὶ εἰς κοινωνίαν δέχεται. ἀλλ' ἦσαν ἔτι πολλοὶ τῆς ἀρχιερέων, οἱ μὴ συνελθόντες τῇ τῶ πατριάρχου οἰκονομίᾳ · ἓ μᾶλλον οἱ τῶ μέρους τῶ ἐκβληθέντος Νικολάου. ἐπεὶ δὲ ὁ μὲν βασιλεὺς Λέων μετέστη πρὸς κύριον, καὶ ὁ ἀδελφὸς ἐκείνου Ἀλέξανδρος τῆς βασιλείας ἐγκρατὴς ἦ, τὸν μὲν πατριάρχην Εὐθύμιον ἐξωθεῖ τῆς ἐκκλησίας μεθ' ὕβρεων, ἀντεισάγει δὲ πάλιν τὸν προεκβεβλημένον Νικόλαον. καὶ ἔτι μᾶλλον τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐσασίαζε πράγματα, διαιρεθέντων τῆς μητροπολιτῆς, καὶ τῆς μὲν τῷ ἐκβληθέντι πατριάρχῃ, τῆς δὲ τῷ ἀντεισαχθέντι προσκειμένων. ἐ πολὺ τὸ ἐν μέσῳ, καὶ ὁ μὲν Ἀλέξανδρος ἐτεθνήκει · ὁ δὲ Κωνσταντῖνος τῆς βασιλείας κληρονόμος ἐγεγόνει. ὃς συγκαλέσας τότε πατριάρχην Νικόλαον, καὶ σύμπαντας τὸς ἀρχιερεῖς (ὁ γὰρ Εὐθύμιος ἤδη πρὸς κύριον ἐξεδήμησε) πείθει τότους πρὸς μίαν γνώμην συνελθεῖν καὶ ὁμόνοιαν, καὶ δῶναι τῷ πατρὶ αὐτῶ καὶ μετὰ θάνατον κοινῇ ψήφῳ τὴν ἄφεσιν · κανονικὴν δὲ ψῆφον ἐκθεῖναι, τῶ μηκέτι τολμᾶν τοιοῦτον, ἢ πραχθῆναι ἁμάρτημα. ἐφ' οἷς ὁ λεγόμενος ἔτοσι τῆς σύνοδος τόμος προέβη.

TOMUS UNIONIS,

Ex Manſi Suppl. p. 1110.

Sive expoſitio factæ unionis in eccleſia, Conſtantini & Romani tempore: quorum ille tunc imperabat, hic ea dignitate fulgebat, quod imperatoris pater audiret.

Τόμος τῆς σύνοδος, ἤτοι ἔκθεσις τῆς γενομένης τῆς ἐκκλησίας σύνοδος, ἐπὶ Κωνσταντίνου καὶ Ῥωμανοῦ · τῶ μὲν βασιλεύοντος, τῶ δὲ πατρικαῖτι τῷ τῶ βασιλεοπάτορος ἀξιώματι διαπρέποντος.

DOminus Deuſque noſter Jeſus Chriſtus diſcipulis ſuis & apoſtolis, atque iis, qui cum his digni evaſerunt hæreditate ipſius, eximium quoddam bonum, nimirum pacem, reliquit: hoc ſuis indicium tradens adfectionis erga ipſum, ſi vinculo pacis conſtricti, ſpiritus unionem non diſſolverent: quum prius ipſe ſuo nobis exemplo, quænam ejus de pace ſententia ſit, oſtendiſſet, qui ſupra omnem ſublimitatem poſitus ad infimam noſtram extremitatem deſcenderit, perindeque ac nos carnis & ſanguinis particeps factus ſit, ut a ſe invicem diviſos ad unitatem redigeret. Hinc illis etiam, qui ejus in doctrina ſunt inſtituti, hæreditatem hanc reliquit, ut pacem inter ſe colant. Neque dumtaxat hoc, verum etiam ut alios inter ſe diſſidentes ad pacem trahant. Enimvero cum res ita comparata ſit, inde ab initio in hoc uſque tempus haud ceſſarit illius mali ſeditioſa improbitas, ſacrum eccleſiæ corpus, modo hanc modo illam cauſſam movens perturbare. Sed enim hic talis eſt. At pacis auctor ac magiſter Chriſtus, Deus ille noſter, qui dixit inferorum portas eccleſiæ ſuæ non prævalituras, ſemper iſta ſcandala in ipſius mali caput convertens, eccleſiæ ſuæ pacem illibatam conſervat. Hic ipſe Chriſtus, pax noſtra, Deus, pater, pontifex, verus paſtor, ſanctis caſtiſſimæ ſponſæ ſuæ, nimirum eccleſiæ, liberis a ſe invicem divulſis, providentia, gratiaque ſua unionem reſtituit, eoſque rurſus ad matris inculpatum ſinum congregavit : atque ipſi quidem matri conceſſit, ut ob congregationem liberorum gauderet, ſibi vero, gloriæ, ac laudis oblationem ab ore uno, atque uno corde profectam, tribui: omnibus autem illis, qui non ad turbulentam dæmonis voluntatem declinant, ſed pacis auctoris mandatum colunt, atque obſervant, gratiarum actionis præſtationem. Enimvero ſuperioribus temporibus accidere ſcandalorum occa-

Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ Θεός, τοῖς ἑαυτῶ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, καὶ τοῖς, ὅσοι μετ' * ἐκεῖνον ἄξιοι γεγόνασι τῆς κληρονομίας αὐτῶ, ἐξαίρετόν τινα κλῆρον τὴν εἰρήνην κατέλιπε. τοῦτο γνώρισμα παρεχόμενος τοῖς οἰκείοις τῆς πρὸς αὐτὸν οἰκειότητος, εἰ τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης σφιγγόμενοι, μὴ τὴν τῶ πνεύματος διάσπασιν σύνοδον. πρότερον αὐτὸς οἰκείῳ ὑποδείγματι δείξας ἡμῖν, ἥν ἔχει περὶ τῆς εἰρήνης προαίρεσιν, δι' ὧν ὑπεράνω πάντος ὕψους τελῶν, ἐπὶ τὴν ἐσχατιὰν κατῆλθε τὴν ἡμετέραν, καὶ παραπλησίως ἡμῖν σαρκὸς καὶ αἵματος ἐκοινώνησεν, ἵνα τὸς ἐξ ἀλλήλων διηρημένους εἰς σύνοδον καταγάγῃ. ἔπειτα καὶ τοῖς τα ἐκείνου * μαθήμασι πεπαιδευμένοις ταύτην κατέλιπε τὴν κληρονομίαν, τὸ εἰρηνεύειν ἐν ἀλλήλοις. καὶ ἐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ πρὸς εἰρήνην ἄγειν ἑτέρους, πρὸς ἑαυτὸς σασιάζοντας. ἀλλὰ γὰρ τοιοῦτος ὄντος τῶ πράγματος, ἐξ ἀρχῆς καὶ μέχρι τῶ νῦν, ἐ διέλιπεν ἡ τῶ πονηρῶ σασιώδης κακία τὸ ἱερὸν τῆς ἐκκλησίας διαταράττουσα πλήρωμα, νῦν μὲν ταύτην, νῦν δὲ ἐκείνην ἀνακινοῦσα τὴν πρόφασιν. ἀλλ' ὁ μὲν, τοιοῦτος. ὁ δὲ τῆς εἰρήνης αἴτιος καὶ διδάσκαλος Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ πύλας ᾅδου μὴ κατισχύειν τῆς ἐκκλησίας αὐτῶ, ἀεὶ τὰ σκάνδαλα εἰς τὴν τῶ πονηρῶ κεφαλὴν περιτρέπων, τὴν εἰρήνην τῇ ἐκκλησίᾳ διαφυλάττει ἀμίαντον. ὅτος ἐκεῖνος, ἡ εἰρήνη ἡμῶν Χριστὸς, ὁ Θεὸς, ὁ πατὴρ, ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ποιμὴν ὁ ἀληθινὸς, τῆς ἱερῶν τέκνων τῆς πανάγνου νύμφης αὐτῶ, τῆς ἐκκλησίας, ἐξ ἀλλήλων διασπασθέντων, τῇ αὐτῶ προνοίᾳ καὶ χάριτι τὴν

ἕνω-

ANNO CHRISTI 920.

ἕνωσιν αὐτοῖς κατεπράξατο, καὶ τοῖς ἀχράντοις κόλποις πάλιν συνήγαγε τῆς μητρός. διδοὺς, ἐκείνῃ μὲν, χαίρειν ἐπὶ τῇ συναγωγῇ τῶν τέκνων. ἑαυτῷ δὲ, τὴν ἐξ ἑνὸς σώματος, καὶ μιᾶς καρδίας, προσάγεσθαι τῆς δόξης ἀναφοράν· πᾶσι δὲ τοῖς, ὅσοι μὴ πρὸς τὴν ταραχώδη τοῦ δαίμονος προαίρεσιν ἀποκλίνουσιν, ἀλλὰ τοῦ τῆς εἰρήνης αἰτίου τὸ παράγγελμα τιμῶσι, τὴν εὐχαριστίαν προσάγειν. ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῶν ἄνω χρόνων ἐγένοντο σκανδάλων ἀφορμαὶ ὁποῖαι δὴ καὶ γεγόνασι. καὶ πρὸς τὴν ἑκάστοτε κίνησιν τοῦ κακοῦ, τοῖς σοφοῖς τῶν ἐκκλησιῶν οἰκονόμοις ἡ πρόσφορος ἐξεύρηται θεραπεία. νῦν δὲ, ὅτι συμβέβηκε τεταράχθαι τὴν ἐκκλησίαν ἐξ ἀφορμῆς γαμικῆς, ἐν τῷ μὴ τυγχάνειν τὸν γάμον ἐλεύθερον μέμψεως, πρὸς τὴν ἐκείνου κώλυσιν ἡ τῆς ἐκκλησίας ἱερὰ κρίσις φέρει τὴν γνώμην, καὶ τοῦ μὴ προέρχεσθαι, τοῦτον ἔτι χώραν εὑρίσκειν. οὕτω γὰρ καὶ νῦν, καὶ μετέπειτα τῶν κατεχόντων σκανδάλων ἀπηλλάχθαι περιγενήσεται τοῖς, ὅσοι μὴ τὸ φιλόνεικον καὶ τὴν ἔριν ἀντὶ τῆς εἰρήνης ἠγάπησαν τοῦ Χριστοῦ. τῆς γὰρ προφάσεως ἐκποδὼν γεγενημένης, ἀφ' ἧς ἐξέφυ τὰ σκάνδαλα, τοῦ εἰρηνεύειν τοῖς ἀγαπῶσιν εἰρήνην οὐδεμία ἐστὶν ἡ κωλύουσα πρόφασις. καὶ γὰρ ἐν παντὶ πράγματι οὕτως ἔχει. τῆς σφαλερᾶς αἰτίας τῆς τῶν ἀτόπων γενέσεως ἐκποδὼν καθισταμένης πρὸς τὴν ἐξαρχῆς εὐταξίαν ἀποκαθίσταται τὰ τέως ἐκεῖθεν λαβόντα τὸ πονηρῶς διακεῖσθαι. οὕτω καὶ σώματι νόσου προσγενομένης, τοῦ αἰτίου ταύτης ἀναχωρήσαντος, τὸ ὑγιαίνειν ἐπανέρχεται. καὶ θαλάσσῃ ἐξ ἀνέμων βιαιότητος ταραττομένῃ, τῆς καταιγίδος πεπαυμένης, ἡ γαληνιῶσα κατάστασις ἐπανήκει. διὰ τοῦτο κοινῇ συναθροισθέντες ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς, ὅσοι μὴ ἑαυτοῖς (ἐῶ γὰρ εἰπεῖν ἄλλοις) ἀρέσκειν ἠγάπησαν, ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας τὴν εἰρήνην τοῦ στασιάζειν προετίμησαν, συνειδόμεν, ἐπείπερ ἐκ τῶν γαμικῶν ἀφορμῶν τὰ σκάνδαλα τὴν γένεσιν ἔλαβε, ταῦτα διανακαθάρασθαι, καὶ διασφαλίσασθαι, τοῦ μηδαμῶς ἔτι διὰ τῆς αὐτῶν εἰς τὸν βίον προόδου, μήτε τὴν ἐκκλησίαν ταράττειν, μήτε τὴν ζωὴν τῶν οὕτω ζῆν ἑλομένων κατάκριτον καὶ κατεγνωσμένην ποιεῖν. καὶ λοιπὸν ἀποφαινόμεθα κοινῇ γνώμῃ καὶ κρίσει, ἄπογε τοῦ παρόντος ἔτους, ὅ ἐστιν ἑξακισχιλιοστὸν τετρακοσιοστὸν εἰκοστὸν ὄγδοον, ἐπινεμήσεως ὀγδόης, τέταρτον γάμον μηδένα τολμᾶσθαι, ἀλλ' εἶναι ἀπόβλητον παντελῶς. καὶ τὸν, εἴτις ἐπὶ τοιοῦτο ἐλθεῖν συνοικέσιον * προεθυμήθη, πάσης ἀπεστερημένον εἶναι συνάξεως ἐκκλησιαστικῆς, καὶ αὐτῆς τῆς πρὸς τὸν ἅγιον ναὸν εἰσόδου ἀλλότριον, μέχρις ἂν * ἐπιμείνῃ τῷ συνοικεσίῳ. τοῦτο γὰρ καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν ἁγίοις ἔδοξε πατράσι. καὶ ἡμεῖς δὲ τὴν γνώμην * ἐκδηλοτέραν ποιοῦντες, ὡς ἀλλότριον αὐτὸν τῆς χριστιανικῆς πολιτείας * ἀποκηρύττομεν. ἀλλ' οὕτω μὲν * ἐπὶ τοῦ τετάρτου γάμου. ἵνα δὲ καὶ τὰ τῶν ἄλλων γάμων εὐσχημονέστερον τυπωθῇ, καὶ τοῦ τῶν χριστιανῶν βίου μὴ ἀνάξιον ἔχῃ τὴν * προσαγωγήν, καὶ περὶ τοῦ τρίτου ὁρίζομεν γάμου, ὥστε μὴ ἁπλῶς, μηδὲ ὡς ἔτυχεν, ἐπιτελεῖσθαι αὐτόν. καὶ γὰρ συγκεχώρηται μὲν ὡς ῥύπασμα τοῖς πατράσιν, οὔπω τότε, καθὼς νῦν, γινομένου τοῦ πράγματος ἀπηρυθριασμένως, οὐδ' εἰς πλάτος ἐξηπλωμένου. ἀλλ' ὥσπερ εἴτις ἐν οἴκῳ παραπεπτωκὸς ἐν γωνίᾳ παρεῖδη πολλάκις κείμενον ῥύπασμα. νῦν δὲ * ὅτε χώραν ἔλαβε παρρησίας, καὶ ὡς οὐδὲν ἔχον εἰς ἀσχημοσύνην, οὐδὲ ῥυπαῖνον λογίζεται, ἐκ τοῦ προβῆναι εἰς πληθυσμόν· καλῶς ἔδοξεν ἀνακαθαίρειν αὐτόν. ὥσπερ καὶ αἶσχος οὐκ ἐν γωνίᾳ παρερριμμένον, ἀλλ' ἐξηπλωμένον ἐπὶ τῆς οἰκίας, οὐδαμῶς ἐῶμεν, ἀλλὰ καθαίρομεν, καὶ τὸ ἐκ τούτου ἀηδὲς ἀποβάλλομεν. καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ τοίνυν συγκατεικοντες ἀσθενείᾳ, καὶ (τῆς πρεπούσης εὐσχημοσύνης φροντίδα ποιούμενοι,) τῇ χριστιανῶν ζωῇ,

Marg.: μήθει… · ἐπιμένει · ἐκδηλοτέραν · ἀποκηρυττομεν… · περὶ · προσαγωγήν

A siones tales, quales ex sane fuerunt, & quovis tempore malo se commovente, sapientes ecclesia. rum gubernatores idoneam medicinam invenerunt. Nunc autem quod ecclesiam ex causa matrimoniali perturbari contigerit, quando ipsum istud matrimonium reprehensione non caret, ad ejus prohibitionem sacrum ecclesiæ judicium sententiam fert, ne progressio fiat ulterius, hæve nuptiæ locum inveniant: sic enim & nunc, & in posterum, a vigentibus scandalis immunes sese reddent, quicumque contentionem & rixam non potius ament, quam Christi pacem. Quippe remota occasione, de qua nata fuere scandala, causa nulla est, quæ prohibeat, quomodo pacis studiosi pacem ament, & colant. In quovis enim negotio sic comparata res est. Quum causa fallax procreationis absurdorum remota est, ad elegantiam pristinam redeant, quæ inde vitium contraxere. Si quum a morbo corpus est occupatum, ubi morbi causa recessit, integra valetudo redit. Et mari ventorum violentia turbato, postquam tempestas cessavit, tranquilla serenitas revertitur. Quamobrem nos publice congregati pontifices, atque sacerdotes, quibus non sibimetipsis (nam mitto dicere aliis) placere latuit, sed visum potius est ecclesiæ pacem seditionibus anteferre, quando de matrimonialibus occasionibus scandala nata fuerunt, ea ipsa expurganda putavimus, atque cavendum ne deinceps ipsis in hominum vitam impetentibus, tum ecclesia perturbetur, tum eorum vita, quibus sic vivere libitum est, damnabilis evadat. Ac proinde sententia judicioque communi decernimus, ne ab hoc anno præsenti, qui est annus mundi IↃↃCIↃCCCCXXVIII. indictionis octavæ, quartas nuptias ullus contrahat; sed ut prorsus ex reijciantur. Quod si quis ad hujusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu ecclesiastico exclusus esto, & ab ipso in sanctam ædem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit. Hoc enim sanctis quoque patribus, qui ante nos vixere, visum fuit. Ac nos sane sententiam reddentes assertionem, eum velut alienum a republica Christianorum abdicamus. Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio. Cæterum ut & illa quæ ad alia matrimonia pertinent honestius constituantur, & conciliationem, vita Christianorum non indignam, habeant: de tertio quoque matrimonio definimus, ne simpliciter, atque temere perficiatur. Nam permissum id quidem est a patribus, velut inquinamentum quoddam, quum necdum id temporis, uti nunc, res citra pudorem perageretur, ac late diffusa foret; sed ita contingeret, ac si quis illapsas in domum sordes, in angulo forte sitas, negligat. Nunc vero quum spatium sibi quoddam audaciæ sumpserit, & magnam ad frequentiam progrediendo, nihil turpitudinis habere, nihil sordium existimetur: recte

☞ visum est repurgandum, sicuti nec fœdum aliquid, non jam amplius in angulum rejectum, sed per ædes ipsas diffusum, ullo modo relinquimus, sed expurgamus, & nauseam ex eo provenientem removemus. Itaque tam imbecillitati humanæ nos accommodantes, quam honestatis vitam christianorum decentis rationem habentes, hoc in tertiis nuptiis servandum statuimus, ut si quis ad annum quadragesimum provectus, & neque naturæ motus reverentia, neque vitæ decentis & honestæ, quæ a christianis requiritur, habita ratione; sed vitiosa tantum libidine victus, ad tertium se matrimonium projecerit, omni accuratione, ac diligenti observatione adhibita, perceptionis sacramenti ad quinquennium exsors sit, neque de hoc tempore quidquam ullo modo decidatur. Nam qui post annum ætatis quadragesimum in ecclesia Christi & esse, & appellari amat inquinamentum, quidnam in corrigenda vita studii certum præbebit argumentum, propter quod sacramentorum perceptionis tempus ei minuendum sit? Quin ne postea quidem, quam ad illibatam hanc perceptionem admissus fuerit, ei licitum erit, ut ad perceptionem hanc alio tempore accedat, quam in sola salutari Christi Deique nostri resurrectione, propter factam (quanta sane fieri potuit) ex præcedenti jejuniorum abstinentia repurgationem. Hæc autem dicimus, quum nulli de prioribus matrimoniis existant iis liberi, qui jam post annum ætatis quadragesimum uxorem ducere noluerint. Quippe si liberi sunt, tertium ejus conjugium permittendum non erit. Est enim sane quam iniquum intempestivæ libidini patrem indulgere, nec liberis e prioribus matrimoniis susceptis prospici, atque caveri, ut mœroris expertes sint, & perturbationis, & aliorum quæ generi mortalium ex fœcunda multorum liberum procreatione solent accidere. Quin etiam si quis annos triginta natus, & liberos ex prioribus conjugiis susceptos habens, uxori tertiæ copuletur, & ipse citra ullam impetrationem veniæ perceptionis sacramentorum ad annum quartum exsors esto: quum satis pateat, eum alia nulla re, quam intemperantia motum, & quod carnalis libidinis mancipium sit, ad ejusmodi se matrimonium conferre. Itidem postea quam mysteriorum perceptionem impetraverit, ter dumtaxat iis fruendi quotannis facultatem habebit: semel in salutari Christi Deique nostri resurrectione, secundo in obdormitione immaculatæ dominæ nostræ Deiparæ, tertium natalitio die Christi Deique nostri: propterea quod in his jejunium præcedat, & emolumentum ex eo proveniens. Quod si liberi nulli superstites sunt, quandoquidem sobolis procreationem adpetere non ejusmodi quiddam est, quod veniam non mereatur, condonandum erit hoc matrimonium, & ea tantum pœna, quæ dudum & hucusque fuit in nisu, multandum; atque hæc de tertiis etiam nuptiis. Enimvero nec secundas, nec primas citra cautionem admittimus, sed eas quoque sic contrahendas statuimus, nullam ut improbam causam habeant, vel ex raptu, vel ex præcedente clandestino stupro: sed ut legitimæ sint, & inquinationibus hujusmodi, ac impuritate scortationum careant. Si quis igitur indicatis hisce constitutionibus spretis, ad conjugalem consuetudinem primam, vel alteram, coiverit, eum Christi ecclesia, quæ pura est, nec labem ullam vel rugam habet, salutaribus censuris subjiciens, non prius ad sacrorum perceptionem mysteriorum admitteret, quam definitum ob scortationem tempus accurate compleverit; (nisi forte necessarius

ANNO CHRISTI 910.

Α τοῦτο ἐπὶ τῆς * τρίτων γάμων παραφυλάττεσθαι διορίζομεν, ὥστε εἴτις πρὸς τεσσαρακοστὸν ἔτος ἀναβεβηκὼς, καὶ μήτε τὴν φύσιν αἰδούμενος, μήτε τῆς ὀφειλομένης χειραγωγοῦς ἄκοσμον ζωῆς φροντίδα ποιούμενος, ἀλλὰ μόνης τῆς ἐμπαθοῦς ἐπιθυμίας γινόμενος, πρὸς τρίτον ἑαυτὸν ἐπιῤῥίπτοι γάμον, τοῦτον μὴ πάσης ἀκριβείας καὶ παρατηρήσεως μέχρι πεντετίας ἀμέτοχον εἶναι τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ μεταλήψεως, καὶ μηδαμῶς ἐπ' αὐτῷ σωτέμνεσθαι τὸν χρόνον· ὃς γὰρ μὴ τὸ τεσσαρακοστὸν ἔτος τὸ ῥύπασμα ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ εἶναι καὶ λέγεσθαι ἠγάπησε, τίνα παρέξει πληροφορίαν τῆς περὶ τὸν βίον αὐτοῦ σπουδῆς, δι' ἣν ὁ χρόνος τῆς μεταλήψεως, τῆς ἁγιασμάτων αὐτῷ σωτμηθήσεται; ἀλλὰ γὰρ καὶ μὴ τὸ ἀξιωθῆναι τῆς ἀχράντου μεταλήψεως, οὐκ ἔστιν συγχεχωρημένον αὐτῷ ἐν ἄλλῳ καιρῷ τῇ μεταλήψει προσιέναι, ἢ ἐν μόνῃ τῇ σωτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἀναστάσει, δι' ἣν ἐκ τῆς προηγουμένης ἐγκρατείας τῆς νηστειῶν * δέκα τὸν δυνατὸν, ἀναχάθαρσιν. τοῦτο δὲ φαμὲν, ὅταν μὴ τέκνα πάρῃ ἐκ τῆς προτέρων γάμων τοῖς ἤδη μὴ τὸ τεσσαρακοστὸν ἔτος ζήτω ἄγεσθαι πρόρρησις γυναῖκα· ἐπεὶ ἐὰν τέκνα πάρῃ, ἀσυγχώρητος αὐτοῖς ἡ τρίγαμία. λίαν γὰρ ἐστὶν ἄδικον, τὸν μὲν χαίρεσθαι τῇ ἐξώρᾳ ἐπιθυμίᾳ· τοῖς δὲ παισὶν τῆς προτέρων γάμων μὴ προνοεῖσθαι τὸ ἀσφαλές, καὶ τὸ ἄλυπον, καὶ ἀτάραχον, καὶ ὅσα οἶδε τὸ ἀνθρώπινον καταλαμβάνειν ἐκ τῆς * πολυπόνου τεκνώσεως. καὶ εἴ τις δὲ τεσσαρακοντάτης ὢν, καὶ τέκνα ἔχων ἐκ τῆς προλαβόντων γάμων, ζήτῃ συνάπτοιτο γυναικὶ, καὶ ὗτος δὲ * ἀσυγχώρητος μέχρι τετάρτου ἔτους τῆς κοινωνίας τῆς ἁγιασμάτων ἀμέτοχος. ἔσαι διότι δῆλός ἐστιν, ὀξὺ ὠδίνος ἑτέρᾳ, ἀλλ' ἢ ὑπὸ ἀκρασίας κινούμενος, καὶ τοῦ δῆλος εἶναι σαρκικῆς ἐπιθυμίας, ἐπὶ τὸν τοιοῦτον γάμον ἐλθεῖν. καὶ μὴ τὸ τυχεῖν δὲ τῆς μεταλήψεως τῆς μυστηρίων, τοῖς τοῦ ἑαυτοῦ μόνον ἀξιωθήσεται τῆς ἀπολαύσεως· ἅπαξ μὲν, ἐν τῇ σωτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἀναστάσει· δεύτερον δὲ, ἐν τῇ κοιμήσει τῆς ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου· καὶ ζήτον, ἐν τῇ γενεθλίῳ ἡμέρᾳ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. διὰ τὸ (καὶ) ἐν ταύταις προηγεῖσθαι νηστείαν, καὶ τὸ ἐκ ταύτης ὄφελος. εἰ δὲ παῖδες μὴ * περίεισιν, ἐπειδὴ τὸ τεκνογονίας ἐπιθυμεῖν οὐκ ἀσύγγνωστον, τοιγαροῦν συγγνώμης ἀξιωθήσεται ὁ τοιοῦτος γάμος, καὶ μόνῳ τῷ ὀξὺ ἀρχῆς καὶ μέχρι τοῦ νῦν κρατήσαντι ἐπιτιμίῳ θεραπευθήσεται· τοῦτο μὲν καὶ περὶ τοῦ τρίτου γάμου· ὁ μὲν οὐδὲ τὸν δεύτερον, οὐδὲ τὸν πρῶτον ἐκτὸς ἀσφαλείας ἐῶμεν, ἀλλὰ κἀκείνους οὕτω συνίσασθαι, ὥστε μηδεμίαν ἔχειν πονηρὰν αἰτίαν, ἢ ὀξὺ ἁρπαγῆς, ἢ ἐκ προηγησαμένης λαθραίου φθορᾶς, ἀλλὰ νομίμως, καὶ καθαρεύοντας τῆς τοιούτων μολύσματων, καὶ πορνικῆς ἀκαθαρσίας. εἴτις ὢν τῆς εἰρημένων καταφρονήσας τύπων, πρὸς γαμικὴν ὁμιλίαν πρώτην ἢ καὶ δευτέραν συνέλθοι, τοῦτον ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἡ καθαρὰ καὶ μηδενὰ σπίλον ἔχουσα ἢ ῥυτίδα, τοῖς σωτηρίοις ὑποβάλλουσα ἐπισμοῖς, οὐ πρὶν εἰς μετάληψιν τῆς θείων παραδέξεται μυστηρίων, ἢ τὸν ὡρισμένον ὑπὸ τῆς πορνείας χρόνον (μάθῃ) ἀκριβῶς αὐτὸν ἐκπληρῶσαι,

σαι, (εἰ μὴ ἄρα ἡ τῦ βίυ ἀναγκαία κατεπείγοι ἀναχώρησις) ἰητέσι, μέχρις οὗ τὸ ἕβδομον ἐκπληρωθῇ ἔτος. ὁ δὲ τολμῶν ἱερᾶς παρὰ τὸν * ὁριστετυπωμένον ὅρον μεταλήψεως θείας τινὰ τέτων ἀξιῶσαι, περὶ τὸν ἴδιον κινδυνεύσει βαθμόν· δηλονότι ἵν ἀξιωθείτος παρὰ τὸν ὡρισμένον τύπον τῆς θείας κοινωνίας, πάλιν εἰς τὸ ἀκοινώνητον περισταθήσεται, μέχρι τῆς συμπληρώσεως τῦ ἑβδόμυ ἔτυς.

A e vita discessus urgeat) hoc est donec annus septimus completus fuerit. Sacerdos autem, qui neglecta lege jam sancita quemquam horum ad sacram aliquam perceptionem audebit admittere, de gradu suo periclitabitur: & is qui contra sanctionem promulgatam ad communionem sacram admissus fuerit, rursus inter exsortes communionis referetur, donec annus septimus impleatur. ANNO CHRISTI 920.

Petri Lambecii Commentar. de Biblioth. Cæsar. lib. VIII. pag. 446. & 447.

QUinquagesimo secundo, & quidem a fol. 198. pag. 2. usque ad fol. 201. pag. 1. Expositio, sive commemoratio concilii, Constantinopoli in causa unitionis ecclesiæ circa quartas, aliasque illicitas nuptias celebrati, sub imp. Constantino Porphyrogenito, ejusque socero Romano Lecapeno, dignitate & titulo Βασιλεοπάτωρα sive patris imperatoris prædito, anno mundi secundum supputationem ecclesiæ CPtanæ 6428. Eræ autem christianæ vulgaris 920. Indictione octava. Inscribitur ea ibi, atque incipit hoc modo: Ἐκθέσις &c. Extat quidem hæc constitutio græce & latine in Joannis Leunclavii, & Marquardi Freheri tomo primo Juris Græco Romani a pag. 103. usque ad pag. 109. sed deest ibi ejusdem epilogus, qui in præstantissimo hoc codice manuscripto Cæsareo est talis Τέτων &c.

Τοίνυν ἅτως διωρισμένων πρὸς ἀσφάλειαν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, καὶ τῦ ἀμέτοχον εἶναι τὸ ἀσεβὲς πλήρωμα τῶν ἐξ ἀθεμίτων γάμων ῥύπων, δεόμεθα τῆς σῆς ἀγαθότητος Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ ἔτι ἀφ' ἁπαντὸς πᾶν σκάνδαλον, πᾶσαν ἀμφερισμῦ αἰτίαν τῆς σῆς ἐξελαύνειν Ἐκκλησίας, καὶ σωτηρεῖν αὐτῇ τιμῇ εἰρηναίαν κατάστασιν, πρεσβείαις τῆς ὑπερενδόξυ Δεσποίνης ἡμῶν καὶ ἀχράντυ Μητρός συ, τῶν πανεύφημων μαθητῶν συ καὶ Ἀποστόλων, δι' ὧν ἐν πάσῃ τῇ οἰκυμένῃ τιμῇ σοὶ κατεφύτευσας εἰρήνην, καὶ πάντων οἷς ἐξ αἰῶνος εὐαρεστήθης ἁγίοις. Ἀμήν.

QUibus ita definitis ad securitatem sanctæ ecclesiæ, & ut pietatis perfectione arceatur nequitia nuptialium sordium; precamur bonitatem tuam, Christe Deus noster, ut deinceps omne prorsus scandalum, omnemque dissidii causam ab ecclesia tua tollas, & conserves illi pacificam constitutionem, intercedente glorioſissima Domina nostra, & sublimi matre tua, ac sacratissimis discipulis tuis, & apostolis, per quos in omni terra pacem tuam implantasti, cum omnibus sanctis illis, in quibus a sæculis visus es tibi complacuisse. Amen.

ACCLAMATIONES SYNODALES

Actis concilii hujus Constantinopolitani subjungendæ.

Πολλὰ τὰ ἔτη τῦ βασιλέων.

Multi anni imperatorum.

ΒΑσιλείυ καὶ Κωνσταντίνυ, τῦ ὀρθοδόξων ἡμῶν βασιλέων, πολλὰ τὰ ἔτη. τῆς εὐσεβεστάτης Αὐγύστης Θεοφανῦς πολλὰ τὰ ἔτη. Νικολάυ τῦ ἁγιωτάτυ καὶ οἰκυμενικῦ πατριάρχυ πολλὰ τὰ ἔτη. Βασιλείυ, καὶ Κωνσταντίνυ, Λέοντος καὶ Ἀλεξάνδρυ, Κωνσταντίνυ καὶ Ῥωμανῦ, Χριστοφόρυ, Ῥωμανῦ, Νικηφόρυ, καὶ Ἰωάννυ, τῦ τιμῇ ἐράνιον βασιλείαν τῆς ἐπιγείυ ἀλλαξαμένων, αἰωνία ἡ μνήμη. Εὐδοκίας, καὶ Θεοφανῦς, Θεοφώρας καὶ Ἑλένης, τῶν εὐσεβεστάτων αὐγύστων, αἰωνία ἡ μνήμη. Γερμανῦ, Ταρασίυ, Νικηφόρυ, καὶ Μεθοδίυ, τῶν ἀοιδίμων καὶ μακαρίων πατριαρχῶν, αἰωνία ἡ μνήμη. Ἰγνατίυ, Φωτίυ, Στεφάνυ, καὶ Ἀντωνίυ, Νικολάυ καὶ Εὐθυμίυ, Στεφάνυ, Τρύφωνος, Θεοφυλάκτυ, Πολυεύκτυ, καὶ Ἀντωνίυ, τῶν ὀρθοδόξων πατριαρχῶν, αἰωνία ἡ μνήμη. Ἅπαντα τὰ κατὰ τῶν ἁγίων πατριαρχῶν, Γερμανῦ, Ταρασίυ, Νικηφόρυ, καὶ Μεθοδίυ, γραφέντα ἢ λαληθέντα, ἀνάθεμα. ἅπαντα τὰ παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν, καὶ τιμῇ διδασκαλίαν, καὶ ὑποτύπωσιν τῶν ἁγίων καὶ ἀοιδίμων πατέρων καινοτομηθέντα,

BAsilii & Constantini, orthodoxorum imperatorum nostrorum, multi sunt anni Religiosissimæ Augustæ Theophanonis, multi anni Nicolai sanctissimi & universalis patriarchæ, multi anni Basilii, & Constantini, Leonis, & Alexandri, Constantini, & Romani, Christophori, Romani, Nicephori, & Joannis, qui regnum cæleste cum terreno commutarunt, æterna sit memoria. Eudociæ & Theophanonis, Theodoræ, & Helenæ, piissimarum augustarum, æterna sit memoria. Gemani Tarasii, Nicephori, & Methodii, celebrium beatorumque patriarcharum, æterna sit memoria. Ignatii, Photii, Stephani, & Antonii, Nicolai, & Euthymii, Stephani, Tryphonis, Theophylacti, Polyeucti, & Antonii, orthodoxorum patriarcharum, æterna sit memoria. Universa quæ contra sanctos patriarchas, Germanum, Tarasium, Nicephorum, & Methodium, scripta vel dicta sunt, anathema. Universa quæ præter ecclesiasticam traditionem, & doctrinam ac dispositionem sanctorum laudabiliumq. patrum innovata gestaq. sunt, vel in posterum gerentur, anathema. Calumniantib. sanctam ecclesiam, quod quartas nuptias admiserit, ob dispensationem Dei benignitate factam, ac propter adsumtionem unionemq. fratrum nostrorum,

Ib. p. 108.

ANNO CHRISTI 920.

rum, quos præcedentium scandalorum causa sejunxerat, anathema. Audentibus dicere, quod ecclesia puritatem illibatam sanctimoniæ suæ non retineat, sed inquinamento quodam adfecta sit propter eam filiorum ipsius conjunctionem, quæ per Dei gratiam facta est, divisorum quidem a se invicem per scandalum jam olim admissum, & per abolitionem, & abdicationem ejusdem denuo copulatorum, anathema. Contentui sacros divinosq. canones sanctorum patrum nostrorum habentib. qui & sacrosanctam ecclesiam fulciunt, & universam rempublicam Christianam ornantes, ad divinam pietatem dirigunt, anathema.

A τι καὶ πραχθέντι, ἢ μετὰ τοῦτο πραχθησόμενα, ἀνάθεμα. τοῖς συκοφαντοῦσι τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν, ὅτι τετραγαμίαν ἐδέξατο, χάριν τῆς ἐνδοξίας Θεοῦ γεγενημένης οἰκονομίας, καὶ τῆς προσλήψεως, καὶ ἑνώσεως τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, οὓς ἡ τῶν προλαβόντων σκανδάλων αἰτία ἐχωρίζετο, ἀνάθεμα. τοῖς τολμῶσι λέγειν, ὅτι ἡ ἐκκλησία τὸ καθαρὸν καὶ ἄχραντον οὐ σώζει τῆς ἁγιστείας αὐτῆς, ἀλλὰ μολυσμόν τινα προσελείψατο, διὰ τὴν χάριτι Θεοῦ γενομένην συνάψιν τῶν τέκνων, οὓς διεμέρισε μὲν τὸ ἤδη προγεγονὸς σκάνδαλον, συνῆψε δὲ ἡ τούτου παρὰ πάντων ὁμοῦ ἀθέτησις καὶ ἀποκήρυξις, ἀνάθεμα. τοῖς ἐν καταφρονήσει τιθεμένοις τοὺς ἱεροὺς καὶ θείους κανόνας τῶν ἱερῶν πατέρων ἡμῶν, οἳ καὶ τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν ὑπερείδουσι, καὶ ὅλην τὴν χριστιανικὴν πολιτείαν κοσμοῦντες, πρὸς θείαν ὁδηγοῦσιν εὐλάβειαν, ἀνάθεμα.

ANNO CHRISTI 921.

CONCILIUM APUD TROSLEJUM,

IN QUO ERLEBALDUS COMES EXCOMMUNICATUS,

Post mortem est absolutus anno DCCCCXXI.

DE *hac synodo, causisque, ob quas Erlebaldo inflicta fuerat excommunicatio, scribit in hæc verba Flodoardus libro* IV. *historiæ cap.* XVI. Excommunicaverat, *inquit*, Heriveus præsul Erlebaldum comitem Castricensis pagi, propter Remensis episcopii terram quam pervaserat, ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat, indeque frequentia ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat. Insuper & castrum Altmontem furtim irruperat. Sed cum nec ita cessaret a malis quæ cœperat, pergit archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem quam ille construxerat, Maceriasque nominabat: quam per quatuor pene hebdomadas obsidens, deserente tandem Erlebaldo, cepit, & dispositis inibi custodiis Re- B mis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago VVarmacensi contra Henricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi supervenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo, quam apud Troslejum idem domnus archiepiscopus cum diœcesanis suis habuit, intercedente rege, & obnixe flagitante, a vinculo excommunicationis absolvit. *Flodoardus idem in chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXXI. synodus apud Troslejum habita, cui præsedit Heriveus archiepiscopus, præsente quoque Carolo rege, cujus obtentu Erlebaldus ibi Castricensis absolvitur. *Hæc ibi* C *hoc anno, cætera exposuerat anno præcedenti.*

ANNO CHRISTI 922.

CONCILIUM CONFLUENTINUM

Octo episcoporum, præsentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ, regibus. (*a*)

Burchard. lib 7. cap. 30. hunc habet unum: at Ivo p 9 c.66. ponit an. 912. *Mard.*

ANno dominicæ incarnationis DCCCCXXII. apud Confluentiam jussu venerabilium principum, Caroli videlicet & Henrici regum reverendissimorum, congregati sunt episcopi numero octo, Herimannus Agrippinensis archiepiscopus, Herigerus Moguntinensis archiepisc. Thiedo VVirceburgensis episc. Luitharius Mindanensis episc. Doto Osneburgensis episc. (*b*) Richgovuno VVormatiensis episc. (*c*) Richuvinus Strazburgensis episc. (*d*) Uncuvanus Paderbrunensis episcopus, cum abbatibus, aliisque sacri ordinis viris quamplurimis. D synodali residentes conventu, multa utilia, ac sanctæ Dei ecclesiæ profutura, saluberrimo tractantes consilio, inter cætera quæ statuerunt hoc maxime necessarium, & instanti, proh dolor! tempore per abusionem frequentissimum cognationis incestum summa cautela vitandum firmaverunt: hoc est, Ne ullus Christianus infra sextam * generationem nuptias copulare præsumat. * Ivo, *Mam.*

CAPITULA.

I.

De incestuosis qui admonitiones sacerdotum contemnunt.

Burchard. ibid. Ivo ibid.

(*e*) Qui ipso cooperante, & sententias eorum confirmante Domino Christo, in

II. III. IV.

Non extant.

V.

E *De laicis qui proprias ecclesias habent.*

Si laici capellas proprias habuerint, a ratione & auctoritate alienum habetur, ut Burc. lib 3.c. Ivo p.3 c.

(*a*) Dantur variantes Cod. MS. Burchari Biblioth. Canonicor. Majoris Eccl. Lucens. (*b*) *Ragonvo.* (*c*) *Riubuinus.* (*d*) *Univianus.* (*e*) *PP. qui &c.*

ut ipsi decimas accipiant, & inde canes, aut geneciarias * suas pascant; sed potius presbyteri ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem ecclesiarum, & luminaria, & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro sancta ecclesia, ac pro statu regni, Dei misericordiam studiose implorent. (*a*)

VI.

De ecclesiis monachorum.

Hoc quoque statutum est, quatenus ecclesiæ quorumcumque monachorum in singulis parochiis sitæ, episcoporum, ut decet, divinitus subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis ecclesiasticæ curæ negotiis sollicite exhibeant. Ipsi proculdubio monachi episcopis suis in omnibus obediant.

VII.

De eo qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit, qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit: responsumque est ab omnibus, homicidii reatum, ipsum hominem sibi contrahere.

VIII.

De illis qui dum suæ proprietatis loca alicubi dare voluerint, decimam nusquam tradere se posse cognoscant.

Si quis vero laicus vel clericus, seu utriusque sexus persona, proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum (*b*) priori ecclesiæ legitime signatum inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus * *Ivo*, dicatur. ducatur, & ipse ad emendationem ecclesiastica coerceatur censura.

Burchard. lib. 3. c. 49. Ivo p. 3. c. 284.

Observatio Gabr. Cossartii, S. J.

Hoc concilium recte huic anno attribuit V. Cl. Petrus de la Lande, Burchardum secutus. Et satis aliunde constabat, errorem esse apud Ivonem Carnotensem, neque potuisse anno 912. ipsi interesse Henricum Germaniæ regem, qui nisi anno 919. regnum adeptus non erat.

Canones collegimus ex variis titulis Burchardi, utpote antiquioris Ivone, apud quem etiam reperiuntur. Octo saltem fuerunt, ut ex Ivonis & Burchardi citationibus constat. Secundus, tertius, quartus apud eos non extant. Cæteros proponimus iisdem servatis numeris, quos apud illos reperimus.

Concilii locum recte observat idem fuisse Confluentes ad Rhenum: qui limes erat utriusque regni, Occidentalium scilicet Francorum & Orientalium. Quæ fuit eadem causa, cur Bonnam castrum anno superiore reges iidem convenerint.

ANNO CHRISTI 912.

ANNO CHRISTI 923.

CONCILIUM REMENSE

INCERTI LOCI.

In quo pœnitentia indicta est iis qui bello Suessionico inter Robertum & Carolum reges interfuerunt anno * DCCCCXXIII.

924.

Anno dominicæ incarnationis DCCCCXXIII. episcopatus autem domni Seulfi secundo, convenientes sancti patres, Seulfus scilicet Remorum archiepiscopus, Abbo Suessionicæ urbis episcopus, Adelelmus Laudunensis, Stephanus Camaracensis, item Adelelmus Silvanectensis, Airardus tunc inibi ordinatus Noviomagensis, cum cæterorum ejusdem Remensis diœceseos episcoporum legatis, decreverunt hanc pœnitentiam his qui bello Suessionis inter Robertum ac Carolum acto interfuerant injungendam: videlicet, ut tribus quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam: ita ut prima quadragesima sint extra ecclesiam, & cœna Domini reconcilientur. Omnibus vero his tribus quadragesimis, secunda, quarta, & sexta feria, in pane, sale, & aqua abstineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante nativitatem S. Joannis Baptistæ, & quindecim diebus ante nativitatem Domini Salvatoris, omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerint, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eum infirmitate sive militia detentum esse contigerit.

ANNO CHRISTI 924.

CONCILIUM APUD TROSLEJUM

IN QUO ISAAC COMES CUM STEPHANO

Episcopo Camaracensi rediit in gratiam, anno DCCCCXXIV.

Flodoardus *in chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXXIV. Isaac comes quoddam castellum Stephani Camaracensis episcopi dolosa infestatione comprehendens incendit. *Et post alia*: Synodus episcoporum Remensis diœceseos apud Troslejum Octobri mense habita, Seulso archiepiscopo præsidente: in qua Isaac comes ad emendationem & satisfactionem venit pro his quæ prave.

(*a*) Hunc canonem Concilio ad Confluentiam recte tribuit Lucens. Codex, cum in editis male legatur Remensi. (*b*) *propriori* (lege *propiori*.)

ANNO CHRISTI 924.

ve adversus ecclesiam Camaracensem perpetravetat : & vadatus argenti libras centum, pacatur cum Stephano præfatæ urbis episcopo, præsente Heriberto, & pluribus qui aderant, Franciæ comitibus.

NOTA SEVERINI BINII.

De hoc concilio in Galliis habito Flodoardus lib. 4. cap. 19. Duarum aliarum synodorum eodem loco celebratarum idem Flodoardus meminit : quarum una habita fuit sub præsidio Herivei Remensis archiepiscopi, in præsentia Caroli anno 921. Altera vero post occisum Seulfum, & quinquennalem Heriberti comitis filium Remensis ecclesiæ episcopum electum, celebrata est anno 927. in qua Herluinus comes publicam egit pœnitentiam, eo quod duxisset uxorem alia adhuc supervivente. Vide chronicum Cameracense libro 1. capite 63.

ANNO CHRIST 924.

ANNO CHRISTI 925.

Ex novo Thesauro Anecdotorum tom. IV.

ANNO CHRIST 925.

CONCILIUM TURONENSE

Anno DCCCCXXV. celebratum.

Ex cartario sancti Martini Turonensis.

NOtitia manifestatæ rei, qualiter veniens quidam presbyter nomine Rainaldus ad invocationem filii sui Ramonis ante Domnum Robertum Turonicæ sedis venerabilem archiepisc. in conventu synodico anno Incarnat. Dominicæ DCCCCXXV. episcopatus ejusdem Domini episcopi anno IX. proclamans quasdam decimas in pago Turonico, id est de Faia ex omnibus Alodis sive de villa Fraxino ecclesiæ in honorem egregii martyris Christi B. Saturnini in villa Pasiniaco fundatæ, & filii sui jam dicti, qui inibi visus est decimas deservire, quas quidam sacerdos, Gaufridus nomine, ab ipsa ecclesia alienare, & injuste possidere volebat. Cujus rei veritatem præfatus præsul sollicite perquirens, interrogavit ipsum Gaufridum qualiter ipsam decimam possidebat. At ille professus est, quod ex ipsa decima semper medietas ad ecclesiam S. Vincentii in villa Antoniaco, quam ipse tenebat, suis & prædecessorum suorum temporibus, absque alicujus hominis contrarietate deveniret; alteraque medietas ad præfatum S. Saturnini locum remearet, & si aliud quispiam diceret, ad omnem legem examinandam quamcumque ei synodus indicasset, semper garnitus adesset. Exinde interrogante Domino archiepiscopo antenatos sacerdotes, qui ipsam altercationem definire possent, ut quod melius scirent inter eos synodale judicium decernerent. Postea inventum & dijudicatum est ab omnibus, ut præscriptus Gaufridus presbyter unum hominem ad Dei judicium mitteret, & siquidem illæsus evaderet, medietatem ipsarum decimarum suæ ecclesiæ & sibi perpetuo vindicaret. Sin autem, omnis decima ad ecclesiam S. Saturnini in villa Pasiniaco cum integritate rediret; quod judicium sæpedictus presbyter Gaufridus, sicuti ei judicatum fuit, vidente Rainerio archidiacono, Badilone venerabili sanctæ matris ecclesiæ diacono atque ædituo, Otberto abbate sive diacono, Halmaro presbytero, Anskerio presbytero, aliisque hominibus, in Nogastro castro fecit, suusque homo exustus apparuit; & sic ex ipsis decimis sese recredidit, atque per festucam guerpivit. Hac autem querela ita definita, necesse extitit eidem Rainaldo & filio suo Rainoni in synodali conventu talem notitiam accipere, quo neque suo, neque successorum suorum tempore aliqua contentio pro ipsis decimis posset oriri, sed omnibus diebus, prout inibi definitum fuit, stabilitum, & firmum permaneret, sicuti fecit, prout præsens habet scriptura pontificali auctoritate jam fati Domni Roberti venerabilis archiepiscopi roborata, suorumque fidelium ac cæterorum bonorum hominum manibus consignata. Data mense Majo in synodo Turonensi anno III. regnante Rodulfo rege.

ANNO CHRISTI 926.

ANNO CHRIST 926.

CONCILIUM APUD CARILOCUM

Anno DCCCCXXVI.

Ex P. Sirmondo.

EX tabulis Carilocensis monasterii. Anno incarnationis dominicæ DCCCCXXVI. domnus Anchericus sanctæ Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus, domnus quoque Geraldus Matiscensis ecclesiæ venerabilis pontifex, necnon Odelardus Maurianensis episcopus, ad Carilocum monasterium convenerunt, ibique diu vigilanti cura synodali consuetudine tractaverunt, qualiter ecclesiis locisque sanctorum desolatis propter pravorum hominum nequissimam cupiditatem subvenire potuissent, *&c. Enumerantur deinceps ecclesiæ decem, quas synodus monasterio diversis locis ablatas restitui jussit.*

CON-

ANNO CHRISTI 927.

☞ CONCILIUM TREVIRENSE

Pro collectione canonum ab archiepiscopo Trevirensi adornata confirmanda, & recipienda.

Præsidente Rutgero archiepiscopo circa annum 927. celebratum.

Anno 927. c. E supplem. Mansi p. 1116.

SYnodi hujus mentio extat in veteri libro de rebus ab archiepiscopis Trevirensibus gestis vulgato inter vetera monum. Martenii tom. IV. col. 150. his verbis (Rutgerus archiepiscopus Trevirensis) *bonæ conversationis existens, habito Treviris cum suffraganeis episcopis, ac reliquo clero generali concilio librum canonicorum decretorum sua industria componere* (compositum) *in medium protulit, atque confirmavit.* Eadem pene verba recurrunt in veteri alio libro de gestis Trevirorum in accessionibus historicis Leibnitii tom. I. pag. 61. De hoc ipso concilio agit Brovverus in annalibus Trevirensibus ad annum 928. quæ ratio suasit, ut ad hunc ipsum annum consignandum illud censuerim.

CONCILIUM APUD TROSLEJUM,

IN QUO HERLUINUS COMES POENITENTIAM

Subiit pro uxore, quam duxerat alia vivente, anno DCCCCXXVII.

E ejusdem ione.

FLODOARDUS *item in chron.* Anno, *inquit*, DCCCCXXVII. synodus sex episcop. apud Troslejum habita, contradicente rege Rodulfo, per missos Heriberti comitis, & mandante illi ut synodum differret, sibique obviam ad Compendium veniret. Quod ille agere renuit, synodo vero interfuit: ubi Herluinus comes ad pœnitentiam venit pro uxore, quam duxerat, alia vivente. *Brevius etiam in historia Remensi lib.* IV. *cap.* XXI. Synodus, *inquit*, sex episcoporum Remensis diœceseos apud Troslejum habita, Heriberti comitis jussione convocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata est.

CONCILIUM DUISBERGENSE,

IN QUO ILLI QUI BERNONEM METENSEM

Episcopum excæcarant excommunicantur, anno Domini [1] DCCCCXXVII. tempore Joannis papæ X.

Benno ex eremitica episcopus Metensis.

ANno Domini 927. Benno, dum in Alpibus eremiticam vitam duceret, electus est Metensis episcopus, & post biennium a Metensibus est excæcatus: cujus immanis sacrilegii causa hæc synodus congregata, omnes illius sceleris auctores excommunicavit, & Adalberonem loco ejus substituit. Porro Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ tolerantiæ relictus, cognominatus est benedictus. *Flodoardus in chronico anno 928.*

☞ AD CONCILIUM DUISBERGENSE

Anni DCCCCXXVII.

A D D I T I O.

E supplem. Mansi p. 1116.

IN vita S. Joannis Gorziacensis abbatis in Labbei Biblioth. tom. I. pag. 751. in fine hæc habes de synodo ista, quæ cum sint auctoris coævi, prætereunda minime duxi; *Benno quidam Suevus in eremitica apud Turegum vastam solitudinem aliquando vita famosus, zelo utique pio optimi tunc principis Henrici Othonis Cæsaris postmodum gloriosissimi genitoris successisset* (f. successoris) *eoque qua profunda judiciorum Domini ab ipso incertum, a pristinæ sanctitatis & eremo quæsitæ laudis dignitate defervente, ad ultimum lacrimabile rerum serie a nefandissimis servulis in abditis excæcato; dudum se postea in concilio episcoporum idem publico officio abdicasset, ipse Adalbero præter spem omnium, consensum omnium, publicisque ecclesiæ legitimisque suffragiis in sacræ Metensis cathedræ, pontificium Domino promovente sustollitur.*

VITA

1 Non an. 927. ut ex Reginonis Continuatore tradit Baronius, sed an. 928. ut docet Flodoardus auctor æqualis.

ANNO CHRISTI 928.

VITA LEONIS PAPÆ X.

Leo VI. quando & quamdiu pontifex

LEO Chriſtophori primicerii filius, hujus nominis ſextus, factus eſt pontifex circa finem anni Chriſti 928. tempore Conſtantini Imperatoris. Sequenti anno in carcerem detruſus, poſt ſex menſes & dies quindecim mortuus eſt. *Baronius ex Vaticanis indicibus anno 929. num. 1.*

CONCILIUM GRATELEANUM

AB ÆTHELSTANO REGE ANGLORUM

Habitum, circa annum Domini DCCCCXXVIII.

In quo leges plurimæ, eum civiles tum eccleſiaſticæ, ſtatuuntur: prætermiſſis vero illis, collector has concinnavit.

TITULI CAPITULORUM.

Ex Tom. 1. Concil. Britan.

I. *De decimis reddendis, paupere alendo, & eleemoſyna e regiis prædiis annuatim erogando.* Ll. Sax. in proœmio. Jorn. cap. 1.
II. *De irruptione in eccleſiam.* Ll. Sax. cap. 5. Jorn. cap. 10.
III. *De ſagis.* Ll. Sax. cap. 6. Jorn. cap. 11.
IV. *De monetariis.* Ll. Sax. cap. 14. Jorn. cap. 20.
V. *De ordalio ſe ſiſtere ſpondentibus.* Ll. Sax. cap. 23. Jorn. cap. 30.
VI. *De rerum emptione in die dominica.* Ll. Sax. cap. 24. Jorn. cap. 32.
VII. *De pejerantibus.* Ll. Sax. cap. 25. Jorn. cap. 34.
VIII. *De has leges non exequentibus.* Ll. Sax. cap. 26. Jorn. cap. 34.
IX. *De legum latoribus, & loco.* Ll. Sax. cap. ult. Jorn. cap. 35.

☞ *Æthelſtani regis conſtitutio.*

Ex Wilkins t. 1. pag. 205.

EGo Æthelſtanus rex, ex conſilio VVulfhelmi archiepiſcopi mei, & aliorum epiſcoporum meorum, præcipio omnibus meis præfectis per totum meum regnum in Domini, & omnium ſanctorum nomine, & per amorem meum, ut illi prius meæ propriæ poſſeſſionis decimas ſolvant, tam viventis animalis, quam annui fructus; & ut idem quoque faciant de ſuo proprio epiſcopi, & ſenatores etiam mei & præfecti. Et volo ut epiſcopi mei & præfecti hoc judicent omnibus, qui illis obedire debent, & ut quilibet ad eumdem terminum perficiat, quod hic ordinamus; & hoc ſit ad diem decollationis S. Johannis Baptiſtæ.

Agedum recordemur, quod Jacobus patriarcha Domino dixit: " Ego tibi reddam decimas meas, „ & hoſtiam meam pacificam: " & Dominus ipſe in evangelio dixit: " Omnibus habentibus da„ bitur, & illi abundabunt. " Cogitare debemus etiam ejus, quod terribiliter in his libris ſcriptum eſt: " Si nos decimas noſtras reddere nolumus, „ nobis novem partes ſubtrahantur, & decima ú„ na nobis ſuperſtes ſit: " Doctrina evangelica nos admonet, ut res cæleſtes terreſtribus & æternas temporaneis promereamus. Nunc auditis, quod Dominus nobis præcipit, & quid nos perficere oportet: Facite, ut ea libenter concedatis, quæ mihi legitime largiri poteſtis. Ego nolo, ut aliquid mihi cum errore largiamini. Si ego vobis omnia veſtra concedo, eo conſilio (facio) ut mea mihi libenter concedatis: Cavete vobis, & iis, qui vos attinent, ab ira Dei & mea.

Ego Æthelſtanus rex omnibus præfectis in regno meo notum facio ex conſilio VVulfhelmi archiepiſcopi mei, & omnium meorum aliorum epiſcoporum, & Dei miniſtrorum pro remiſſione peccatorum meorum; quod velim, ut nutriatis omnibus modis unum pauperem Anglum, ſi quem habeatis, vel alicubi inveneritis. De duabus meis villis detur ei quovis menſe una amphora farinæ, & una perna porci, vel unus aries, qui valeat IV. denariis, & veſtitus pro duodecim menſibus, quolibet anno. Et ut redimatis unum libertate mulctatum ſervum, & hoc omne factum ſit ex Dei miſericordia & amore mei, ſub epiſcopi teſtimonio, in cujus dominio ſit illud. Et ſi præfectus hoc prætermittat, compenſet XXX. ſolidis, & pecunia dividatur egenis, qui in ea urbe ſunt, ubi hæc omiſſio fit, ſub teſtimonio epiſcopi.

II. *De fractura templi.* LL. ſax. ca. V.

Et diximus de fractura templi, ſi reus eſſet in triplici ordalio, compenſet illud ſicuti liber judicialis dicit.

III. *De veneficiis.* LL. ſex. ca. VI.

Et diximus de incantationibus, & de ſacrificiis barbaris, & de homicidiis; ſi quis aliquem occiderit, & is hoc negare nequeat, ut vitam ſuam perdat. Si tunc illud inficiari vellet, & in triplici ordalio reus fieret, ut ſit CXX. dies in carcere, & cognati eum deinde educant, & ſolvant regi CXX. ſolidos, & compenſent æſtimationem capitis cognatis ipſius, & fidejuſſores illius ſint, quod ſemper a ſimili facto abſtineat. De incendiariis. Incendiarii & furem vendicantes eodem (jure) digni ſunt; & ſi quis furem vendicare velit, & nullum hominem vulneraverit, ſolvat regi CXX. ſolidos mulctæ loco pro tranſgreſſione.

IV. *De monetariis.* LL. ſax. ca. XIV.

Statuimus ut una moneta ſit per omnem regis ditionem, & nemo monetam cudat extra portam. Et ſi monetarius reus fieret, manus ejus abſcindatur, quacum reatum commiſit, & affigatur fabricæ monetariæ. Et ſi autem accuſatus ſit, & ipſe ſe purgare velit, tunc abeat ad candens ferrum, & purget manum ab illo (delicto) cujus eſt accuſatus, quod fraudem hanc fecerit. Et ſi tunc in ordalio reus fieret, fiat ei quodlibet, ſicuti antea dictum eſt.

In Cantuaria ſit VII. monaſterii; quatuor regis, duo epiſcopi, & unus abbatis.

In

In Roffenſi civitate tres, duo regis, & unus epiſcopi.
Londinii VIII.
VVintoniæ VI.
In Levviſio II.
In urbe Haſtingio unus.
Alius Ciceſtriæ.
Hamtoniæ duo.
VVerhamiæ duo.
Duo Exoniæ.
Duo Shaftesburiæ.
Alias in aliis caſtellis unus.

V. *De eo, qui ordalium ſubire ſpondet.* LL. ſax. ca. XXIII.

Si quis ordalium ſubire ſpondet, tunc triduum ante illud ad presbyterum veniat, qui id ſanctificare debet, & nutriat ſe pane, & ſale, & aqua, & oleribus antequam ilud adire debeat, & interſit miſſis, illis tribus diebus ſingulis & offerat, & eat ad ſacroſanctam communionem illo die quo ad ordalium adire debet, & juret tunc juramentum illud, quod juxta jus gentium innocens ſit earum accuſationum, antequam ad ordalium adeat. Et ſi ſit aqua, ut immergatur ſeſquiulnam in func. Si ſit ordalium ferri, tres dies tranſeant antequam manus aperiatur; & quilibet accuſationem ſuam proſequatur præjuramento, ſicuti antea diximus, & ſint ſinguli eorum jejuni ex utraque parte, qui præſto ſunt ex mandato Dei & archiepiſcopi, & non ſint ibi in alterutra parte plures, quam XII. ſi autem accuſatus homo pluribus ſtipatus ſit, quam numero XII. tunc ordalium ſit fractum, niſi illi diſcedere velint.

VI. *De eo qui bona emit.* LL. ſax. ca. XXIV.

Qui bona emit præſentibus teſtibus, & ea deinde quis ſua eſſe contendat, tunc recipiat ea (venditor) qui illa prius emerat, ſive ſit ſervus, ſive liber, ſive quicumque alius ſit.

Et (jubemus) ut nulla emptio fiat diebus ſolis; ſi quis autem hoc faciat, perdat pretium emptionis, & ſolvat XXX. ſolidos pro mulcta.

VII. *De perjuris.* LL. ſax. ca. XXV.

Qui falſum juramentum præſtat, & inde convictus fuerit, nunquam ei impoſterum fides habeatur, neque in aliquo conſecrato cœmeterio jaceat, quando moritur, niſi habeat epiſcopi teſtimonium, in cujus diœceſi eſt, quod ita illud compenſaverit, prout ipſius confeſſor ei præſcripſerit; & confeſſor ipſius nunciet epiſcopo intra XXX. dies, utrum ad compenſationem ejus redire velit. Si hoc ita non fecerit, compenſet eo, quod epiſcopus ipſi injunxerit.

VIII. *De has leges non exequentibus.* LL. ſax. ca. XXVI.

Si quis præfectorum meorum autem hoc facere nolit, vel remiſſus ſit in eo, quod diximus, tunc ſolvat pro contumacia erga me, & ego inveniam alium, qui (hoc exequi) velit; & epiſcopus puniat contumaciam illam in præpoſito, qui in ejus diviſione eſt. Qui ab hac conſtitutione diſceſſerit, ſolvat prima vice quinque libras, ſecunda vice æſtimationem capitis, tertia vice perdat omne ſui, quod habet, & noſtrum omnium amicitiam.

IX. *De legumlatoribus, & loco concilii.* LL. ſax. ca. ult.

Omne hoc conſtitutum erat in magna ſynodo Greatanleagenſi, in qua erat archiepiſcopus VVulfhelmus, cum omnibus nobilibus, & ſapientibus, quos Æthelſtanus rex congregavit.

LEGUM ECCLESIASTICARUM ÆTHELSTANI REGIS PRISCA VERSIO juxta codices manuſcriptos, regium & Jornalenſem, multa quæ in Saxonico deſiderantur exemplari proferentes, ac ſeorſum alias diſcrepantes.

ANNO CHRISTI 928.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De decimis ſolicite reddendis, &c.* Ll. Sax. in proœmio. Jorn. cap. 1.
II. *De cenſu eccleſiæ, quem cyricſceattum vocant, reddendo.* Ll. Sax. & Jorn. cap. 2. in proœmio.
III. *Ut ſinguli regis præpoſiti ſingulos alant pauperes, &c.* Ll. Sax. cap. 3. Jorn. cap. 3.
IV. *De infractione eccleſiarum.* Ll. Sax. cap. 5. Jorn. cap. 10.
V. *De ſagis & veneficis.* Ll. Sax. cap. 6. Jorn. cap. 11.
VI. *De monetariis & cuſoribus.* Ll. Sax. cap. 14. Jorn. cap. 20.
VII. *De præparatione aggredientis ordalium.* Ll. Sax. o. Jorn. cap. 31.
VIII. *De forma ordalii celebrandi.* Deſideratur in Sax. & Jorn. Deſumptum eſt ex regio MS.
IX. *Ut negotiatio non fiat die dominica.* Ll. Sax. cap. 24. Jorn. cap. 32.
X. *De pejerantibus.* Ll. Sax. cap. 25. Jorn. cap. 34.
XI. *De officio epiſcopi, & quid pertinet ad officium ejus.* Ll. Sax. o. Jorn. cap. ſequenti.
XII. *Quod omni die Veneris pro rege & populo cantandi ſunt* 50. *pſalmi.* Conc. Exon. in Ll. Sax. cap. 3. Jorn. cap. 6.
XIII. *De vveris & vvergildis, id eſt capitum æſtimationibus.* Ll. Sax. cap. ultimo. Jorn. cap. ſequenti.

CAPITULA.

I.

EGO Adelſtanus rex conſilio VVlfelmi archiepiſcopi mei, & aliorum epiſcoporum meorum, mando præpoſitis meis omnibus in toto regno meo, & præcipio in nomine Domini & ſanctorum omnium, & ſuper amicitiam meam, ut in primis reddant de meo proprio decimas Deo, tam in viventi capitali, quam mortuis frugibus terræ. Et epiſcopi mei ſimiliter faciant de ſuo proprio, & aldermanni mei, & præpoſiti mei. Et volo ut epiſcopi & præpoſiti mei hoc indicent omnibus qui eis parere debent: & hæc ad terminum expleant quem eis ponimus, id eſt decollatio S. Joannis Baptiſtæ.

Cogitemus quid Jacobus pater dixit Deo: *Decimas & hoſtias pacificas offeram tibi.* Et Dominus ipſe dicit in evangelio: *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Recolendum quoque nobis eſt quam terribiliter in libris poſitum eſt: *Si decimam dare nolumus, ut offerantur nobis novem partes, & decima ſola relinquatur.* *Gen.* 18 *Matth.* 25.

II.

Et volo, cyricſceatta reddantur ad illum locum cui recte pertinent, & inde gaudeant in ipſis locis, qui hæc dignius erga Deum & nos volunt deſervire. Hortatur nos ſermo divinus, æterna cum terrenis, cæleſtia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam, & quid complere debeatis. Facite etiam ut mihi mea propria cupiatis, quæ mihi recte poteritis acquirere. Nolo aliquid injuſte mihi conquiratis: ſed omnia veſtra concedo vobis eo tenore quo mihi

mihi mea similiter exoptetis. Cavete simul & A
ANNO CHRISTI 928. vobis, & eis quos admonere debetis, & ab ira Dei & transgressione mea.

III.

Ego Adelstanus rex notifico præpositis meis omnibus in regno meo, quod consilio VVolfelmi archiepiscopi mei, & omnium episcoporum meorum, & Dei ministrorum, ad remissionem peccatorum meorum, & acquisitionem vitæ æternæ, volo ut pascatis omni via pauperem unum Anglicum indigentem, si sit ibi, vel alium inveniatis. De duabus Nith-firmis detur eis singulis mensibus ambra plena farinæ, & una perna, vel unus aries qui valeat quatuor denarios, & casei quatuor: & in tertia die paschæ triginta denarii ad vestitum duodecim mensium unoquoque B anno. Et liberetis unum *vvire theovvne*, id est, forisfactum servum. Et hoc totum peragatur in misericordia Dei, & amicitia mea, sub testimonio episcopi in cujus episcopatu sit. Et si præpositus hoc superteneat, emendet 30. sol. & dividatur hæc pecunia per testimonium episcopi pauperioribus qui in ipsa villa erunt ubi hoc non fuit executum.

IV.

Et de infracturis ecclesiarum, si quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur sicut judicialis liber dicit.

V.

Decrevimus etiam de fortilegis, & liblacis, & sortem dantibus, si hominem occidant, & nega- C re non possint, vitæ suæ culpa judicentur. Si pernegare velint, & in triplici ordalio culpabiles inveniantur, sint centum viginti noctibus in carcere, & cognatio earum educat eas, & emendetur regi centum viginti solidis, & occisum hominem reddant parentibus suis, & eant eis in plegium, quod super iis abstineant in æternum.

VI.

Placuit nobis ut una moneta sit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portam. Si monetarius reus fuerit, amputetur ei manus, & ponetur sub monetæ fabricam. Si inculpatio sit, & se purgare velit, eat ad ferrum calidum, & adlegiet manum ad caniseram quod non falsum fecit. Si in ordalio reus fuerit, fiat ei quod su- D pradictum est. In Cantuaria sunt octo monetarii regis, quatuor episcopi, tres abbatis: & in Rouceстria tres regis, duo episcopi. In London octo, in VVinton sex, in Levves duo, in Hastingeceстria unus, in Scheastbury duo, in Oxonia duo, & in aliis burgis.

VII.

Si quis judicium ferri vel aquæ vadiaverit, accedat ante tribus noctibus ad presbyterum qui sanctificare debet eum, & pascat se pane, & sale, & aqua, & herbis, & audiat missas ipsorum singulorum trium dierum, & offerat, & eat ad sacrosanctam communionem ipsa die qua ordalium examinari debebit: & juret quod jure publico sit innocens illius accusationis antequam ad E ordalium veniat. Et si judicium aquæ frigidæ sit, tunc mergatur una ulna & dimidia in fune. Si ferrum calidum sit, tres noctes transeant antequam inquiratur; & videatur manus ejus, & prosequatur omnis homo compellationem suam præ juramento, sicut supra dictum est, & sint uterque jejuni ex præcepto Dei & archiepiscopi; & non sint in alterutra parte amplius quam in alia: & hoc sit utrobique duodecim homines. Si autem accusatus homo majorem defensionem habeat quam duodecim hominum, sit ipsum ordalium fractum in eo, nisi recedere velint ab illo.

VIII.

De ordalio præcipimus in nomine Dei, & præcepto archiepiscopi, & omnium episcoporum meorum, ne aliquis intret ecclesiam, postquam ignis infertur unde judicium calefacere debet, præter presbyterum, & eum qui ad judicium iturus est. Et sint mensurati novem pedes a staca usque ad mercam, ad mensuram pedum ejus qui ad judicium ire debet. Et si aquæ judicium sit, calefaciat donec excitetur ad bullitum, & sit alfetum ferreum, vel æreum, vel plumbeum, vel de argilla, & si *anfealt tybla* sit, immergatur manus post lapidem, vel examen usque ad *vvyrste*, & si triplex accusatio sit, usque ad cubitum. Et quando judicium paratum erit, ingrediantur ex utra- B que parte duo homines, & certi sint ut ita calidum sit, sicut prædiximus, & introeant totidem ex amba parte, & consistant ex utraque parte judicii de longo ecclesiæ, & sint omnes jejuni, & ab uxoribus suis se continuerint ipsa nocte, & aspergat presbyter aquam benedictam super eos omnes, & humilient se singuli ad aquam benedictam, & det eis omnibus osculari textum sancti evangelii, & signum sanctæ crucis. Et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, sed jaceat ferrum super carbones usque ad ultimam collectam: postea mittatur super staplas, & non sit illic alia locutio quam ut precentur sedulo Deum patrem omnipotentem, ut veritatem suam in eo manifestare dignetur: & bibat accusatus aquam benedi- C ctam, & inde conspergatur manus ejus qua judicium portare debet, & sic adeat. Novem pedes mensurati distinguantur inter ternos. In primo signo secus staeam teneat pedem suum dextrum. In secundo transferat dextrum pedem, in tertium signum, quando ferrum projiciet, & ad sanctum altare festinet, & insigilletur manus ejus, & inquiratur die tertia si munda vel immunda sit intra sigillationem, & qui leges istas fregerit, sit ordalium, id est judicium vel examen, fractum in eo, & reddat regi centum viginti solidos VVitæ.

IX.

Qui aliquid emit, emat cum testibus: &, si appellandum inde sit, recipiat hoc venditor suus a quo emit, sit liber, sit servus, sit quod sit: & D non fiat aliquid negotiatio, vel forensis actio die dominica. Si quis hoc præsumat, perdat ipsum capitale, & emendet overhirnessam meam.

X.

Qui falsum juramentum jurabit, & convictus inde fuerit, nunquam postea juramento dignus sit, nec in sanctificato atrio aliquo jaceat, si moriatur, si non habeat episcopi testimonium in cujus diœcesi sit, quod pœnitentiam exceperit: & presbyter hoc referat episcopo infra triginta noctes, utrum ad emendationem & satisfactionem venerit. Si non faciat hoc, componat sicut episcopus ei concedet.

Totum hoc institutum, & confirmatum est in magna synodo apud Greateleyam, cui archiepiscopus VVlfelmus interfuit, & omnes optimates & sapientes quos Æthelstanus rex congregare potuit.

XI.

Episcopo jure pertinet omnem rectitudinem pro- Hæc manusc. Jornal. movere, Dei videlicet ac sæculi. In primis debet omnem ordinatum Dei instruere, quid ei jure sit agendum, & quid sæcularibus judicare debeant. Debet etiam sedulo pacem & concordiam operari cum sæculi judicibus qui rectum velle diligunt, in compellationum adlegationem docere, ne quis alii perperam agat in jurejurando, vel in ordalio.

Nec pati debet aliquam circumventionem injustæ mensuræ, vel injusti ponderis: sed convenit ut per

con-

consilium & testimonium ejus, omnes legis scitum, & burgi mensura, & omne pondus, ponderis sit secundum dictionem ejus institutum, valde rectum.

Ne quis proximum suum seducat, pro quo decidat in peccatum. Et semper debet Christianus providere contra omnia quæ prædicta sunt: & ideo debet se magis de pluribus intromittere, ut sciat quomodo grex agat quem ad Dei manum custodire suscepit, ne diabolus eum laniet, nec malum aliquid superseminet.

Nunquam enim erit populo bene consultum, nec digne Deo conservabitur, ubi lucrum impium & magis falsum diligitur. Ideo debent omnes amici Dei quod iniquum est enervare, quod justum est elevare: non pati ut propter falsum & pecuniæ quæstum se forisfaciant homines erga vere sapientem Deum, cui displicet omnis injustitia.

Christianis autem omnibus necessarium est, ut rectum diligant, & iniqua condemnent, & saltem sanctis ordinibus evecti, justum semper erigant, & prava deponant. Hinc debent episcopi cum sæculi judicibus intereſſe judiciis, ne permittant, si possint, ut illius aliqua pravitatum germina pullulaverint.

Et sacerdoribus pertinet in sua diœcesi, ut ad rectum sedulo quemcumque juvent, nec patiantur, si possint, ut Christianus aliquis alii noceat, non potens impotenti, non summus infimo, non prælatus subditis, non dominus hominibus suis, vel servis aut liberis molestus existat. Et secundum episcopi dictionem, & per suam mensuram convenit, ut servi testamentales operentur super omnem sciram cui præest.

Et rectum est, ut non sit aliqua mensurabilis virga longior quam alia, sed per episcopi mensuram omnes institutæ sint, & exæquatæ per suam diœcesim. Et omne pondus constet secundum dictionem ejus: & si aliquid controversiarum intersit, discernat episcopus.

Et uniuscujusque domini necesse proprium est, ut compatiatur, & condescendat servis suis, sicut indulgentius poterit, * qui a domino Deo empti sunt, æque cari servus & liber, & omnes eodem pretio redemit: & omnes sumus Dei necessario servi: & sic judicabit nobis, sicut ante judicavimus eis quibus judicium super habuimus in terris.

XII.

Singulis quoque diebus Veneris, decantent omnes Dei ministri in omnibus cœnobiis, seu majoribus ecclesiis, quinquaginta psalmos pro ipso rege, & omnibus ei audientibus, necnon aliis quibuscumque promerentibus.

Unicuique etiam qui voluerit fas esto, si quid criminis ei imponatur, jam compensare, ni in lustrationis diebus (quas *Gang-dayes* vocant) sit commissum: & deinceps res se habeat sicut prius.

XIII.

Regis VVeregildum est cum Anglis in jure publico, triginta millia Thrimsa, id est Trium. Quindecim millia Thrimsa sunt de vvera. Et quindecim millia Cynedomas, id est regiæ censuræ. Ipsum natale ejus pretium pertinet cognationi: & Cynebot ipsius terræ nationi.

Archiepiscopi & * comitis VVeregildum est quindecim millia Thrimsa.

Episcopi & * aldremanni octo millia Thrimsa.

Messetheines & VVoruldtheines, id est presbyteri & sæcularis Thani, duo millia Trimsa.

Hæc immediate sequuntur præcedens capitulum de vveregildis, in regio codice, fol. 143. col. 4.

ALiquando fuit in Anglorum * laga quod populus & leges consilio regebantur, & tunc erant sapientes populi, magni prorsus nominis & pretii: comes & villanus, tainus, & alius, singuli pro modo suo. * *id est*, lege

Et si villanus excrevisset ut haberet plenarie quinque hidas terræ suæ propriæ, ecclesiam & coquinam, tympanariam, & januam, & sedem, & sunder notam in aula regis, deinceps erat taini lege dignus. Villanus

Et si tainus ascendisset ut serviret regi, & equitatus sui vice fungeretur in familia sua, si tunc habebat tainum qui ad ut VVaram regis quinque hidas haberet, & in aula regis domino suo serviret, qui tertio venisset in nuncium ejus ad regem, iste poterat deinceps jurare pro domino suo in magna necessitate, & accusatorem ejus recte admallare ubicumque opus esset. Et qui sic promotum hominem non habet, ipse causam suam superjuret, vel amittat. Tainus

Et si tainus provehatur ad consulatum, sit postea dignus rectitudine comitis & honore: & si * massere ascenderet ut ter magnum mare transfretaret, per proprium negotium suum fuit deinde taini dignus rectitudine. * *id est* mercator

Et si scholaris profeciisset in doctrina, cur ad sacros ordines pertranſiret, & Christo Domino ministraret: erat denique dignitatis & pacis dignus, quanta pertinebat super illud, nisi forisfaceret cur ipsius ordinis officio non utatur. Scholaris

Et si eveniret ut ordinatus vel alienigena disturbaretur alicubi verbis vel operibus: tunc pertinebat regi & episcopo hoc emendare quam citius possent. Ordinatus

* Ceorles VVeregildum est in Mircenorum laga 200. sol. * *id est* rustici æstimatio

Taini VVeregildum est sexies tantum, id est, duodecies centum solidi.

Regis simplum VVeregildum est sex tainorum, VVeregildum in Mercenorum laga, hoc est, triginta millia sceatta, id est, totaliter centum viginti libræ: tantum est de VVeregildo, sed pro regni dignitate debet addi tantumdem in Kenegildo: Ipsam VVeram debent habere parentes ejus, & ejus emendationem ipsius terræ populus.

* *Tvvelfhindes* hominis jusjurandum, contra valet jusjurandum sex villanorum, quia si Tvvelfhindus homo vindicari debet, plene vindicaretur in sex ceorlis, & ejus VVeregildum est sex ceorlorum VVeregildum. * qui 1200. solidis æstimatur.

Missæ Presbyteri & sæcularis taini jusjurandum in Anglorum lege reputatur æque carum, & pro septem ordinibus Ecclesiæ, quo sacerdos per Dei donum ascendit ut haberet, taini rectitudine dignus est. Presbyteri Missæ. De septem ordinibus ecclesiæ compensandis.

1. SEptem sunt dona sancti Spiritus, & septem gradus ecclesiæ & sanctorum ordinum, & septies in die laudes Deo canendæ sunt ab omni ecclesia. Et omnibus amicis Dei recte pertinet ut sanctam ecclesiam diligant & honorent, & Dei ministros pacificate custodire gaudeant: & qui eos nocebit verbo vel opere, septies emendet secundum quod factum sit, & secundum ordinem, si Dei misericordiam habere velit, quia sanctificationes & ordines, & Deo dicatas domos, semper debent pro timore Dei diligenter venerari.

2. Et ad ordinis emendationem, si ordinatus occidatur, supra rectam VVeram primus gradus

emendetur una libra, & digna pœnitentia ſedulo perquiratur.

3. Et ad emendationem ordinis, ſi vitæ ſit amiſſio, ſuper rectam VVeram in ſecundo gradu duæ libræ reddantur cum Deo digna pœnitentia.

4. . . . . .

5. Et ad emendationem ordinis, ſi plena infractio fiat, ſuper rectam VVeram in quarto gradu quatuor libræ reddantur cum pœnitentia.

6. Et ad emendationem ordinis, ſuper rectam VVeram in quinto gradu quinque libræ componantur cum idonea pœnitentia.

7. In ſexto gradu ſex libræ reddantur cum pœnitentia.

8. Et ad emendationem ordinis, ſeptimo gradu infracto, ſeptem libris ſuper rectam VVeram emendetur cum injuncta pœnitentia.

9. Et ad ordinis * infracta de pace digne componatur ſecundum factum. Semper enim debet judicium factum, & moderatio ſecundum menſuram pro Deo & ſæculo fieri, & de emendatione ordinis una pars epiſcopi, ſecunda ſit altari, tertia ſocietate. *Vide hæc ſupra ſub titulo*, De ſacris ordinibus compenſandis.

Et in Concilio epiſcoporum Londonienſi, cap. 12. *ſic habetur de congildonibus.*

Et diximus etiam omnibus illis qui in noſtram * gildſcyram vadium * dederunt, ſi contingat eum mori, omnis congildo det unum panem & companagium pro anima ejus, & cantet unum quinquagenarium pſalmorum, vel perquirat cantandum infra triginta noctes. *Jonnalenſis fol.* 44.

VITA STEPHANI PAPÆ VII.

STephanus natione Romanus, Theudemundo patre genitus, hujus nominis ſeptimus ſubrogatus eſt Leoni ſexto, anno Domini DCCCCXXIX. tempore Conſtantini & Romani imperatorum orientalium. Qui dum ſediſſet annos duos, menſem unum, & dies quindecim, ex hac vita migravit. Hujus tempore Henricus rex Germaniæ lanceam ex clavis Chriſti confectam, a Rodulpho rege Burgundionum, precibus, pretio, & minis obtinuit, eamque ſucceſſoribus ad defenſionem imperii reliquit. Reges Northmannorum & Abroditarum ad Chriſtum convertit. *Sigebertus.*

VITA JOANNIS PAPÆ XI.

Joannes XI. quando & qua ratione pontificatum invaſerit.

JOannes patre Sergio pſeudopontifice ex ſcorto Marozia prognatus, VVidonis Tuſciæ marchionis & Maroziæ matris potentia in locum Stephani intruditur, anno Chriſti 931. tempore Conſtantini & Romani imperatorum orientalium, quo ipſe nondum per ætatem tantæ dignitatis capax eſſe potuiſſet, etiamſi nullum aliud impedimentum obſtitiſſet. Artaldus ex monacho Remenſis archiepiſcopus electus, vir ſanctiſſimus, poſt puerum illum quinquennalem ejectum, ab ejuſmodi monſtro pallium nequaquam petiiſſet, niſi tanti ipſe feciſſet Romani pontificis nomen, ut etiam in homine immerito & illegitime collocato illud honorandum eſſe putaſſet, ſedemque apoſtolicam a nemine, præterquam a Deo, diiudicandam eſſe ſibi perſuaſiſſet. Hunc pontificem Albericus frater una cum matre Marozia cuſtodiæ mancipatum uſque ad diem obitus detinuit. Marozia Hugoni regis VVidonis defuncti mariti germano urbis dominium obtulit, ſi ille ſuo ſe conjugio conſœderandum promitteret. Acceptavit conditionem Hugo, & clanculo arcem ſancti Angeli ingreſſus, poſt inceſtum cum relicta fratris uxore commiſſum, Romanos deſpexit, Albericum privignum ſuum, dum juſſu matris Maroziæ aquam manibus ejus infunderet, quaſi immoderate effudiſſet, in faciem cecidit. Quam ut ille injuriam ulciſceretur, Romanos ad defectionem commovit, poſtque arcem impugnatam, ut ait Luitprandus, Hugonem vitricum ſuum inceſtuoſum fugavit: matrem vero Maroziam una cum fratre Joanne pſeudopapa mandavit detineri ſub cuſtodia, in qua violentus invaſor violenter dejectus obiit, poſtquam ſedem apoſtolicam quinque annis & aliquot menſibus non tam rexiſſet, quam turpiter inquinaſſet.

CONCILIUM ALTHEIMENSE

Anno Chriſti DCCCCXXXI. circiter celebratum.

Ex P. Pagi ad An. Ch. 931. n. 2.

ANno circiter 931. celebratum Concilium apud Althaim Rhætiæ pagum ab Hildeberto Moguntinenſi Archiepiſcopo. Hujus quidem Synodi nulla in Conciliorum Collectionibus mentio; ſed Burchardus lib. 3. cap. 227. aliqua ex eadem refert, quibus intelligimus eam capitula XXXVII. complexam eſſe, ac circa hunc annum habitam; cum eidem interfuerint Epiſcopi, qui anno ſequenti præſentes fuerunt Concilio Erfordienſi. Hæc Burchardi verba: *Sed & hoc ibidem inventum eſt de Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, ſi hæreditatem a Domino rege, vel ab alio Principe, vel amico ſuo, ſeu per hæreditariam ſortem ſibi devenerit, vel acquiſierunt, donare eis liceat hanc cui voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ ad eccleſiam quamcumque elegerint, vel conſanguineis ſuis vel amicis. Sin autem antea obierint quam firmiter perfecerint, altari cui ſerviunt, omnia perpetuo ſanctificentur, & in jus tradantur. Similiter de Presbyteris ſtatutum eſt. Hildibertus Moguntinenſis Archiepiſcopus ſubſcripſit. Robertus Treverenſis Archiepiſcopus ſubſcripſit. Unni Hameburgenſis Archiepiſcopus ſub-*

subscripsit. Adalgardus Fardinensis Episcopus subscripsit; (in Concilio Erfordiensi dicitur Fardunensis.) *Rychuvinus Argentinensis Episcopus subscripsit. Nothingus Constantiensis Episcopus subscripsit. Uneuvanus* (seu ut dicitur in Concilio Erfordiensi, Unuvanus) *Padeburnensis Episcopus subscripsit. Udalricus Augustensis Episcopus subscripsit. Bernhardus Haluvartanensis* (legendum, *Halberstatensis*, qui hoc tempore Episcopus erat) *Episcopus subscripsit. Rumaldus Minugardenouvardensis* (legendum, ut in Concilio Erfordiensi, Memigernafurdensis, idest Monasterienſis) *Episcopus subscripsit. Eberis Mindunensis* (legendum cum laudato Concilio, Eburgiso Mimidonensis, vulgo Milden) *subscripsit. Nec non & Abbates cum cæteris sacri ordinis viris subscripserunt*. Ex hoc Concilio series Episcoporum variarum diœceseon illustrari possunt. Burchardus in margine illius capituli ait, Concilio apud Altheim habito Regem Conradum interfuisse. Verum Conradus Germaniæ rex jam ab anno 918. obierat, & sanctus Udalricus anno tantum 924. Augustensis Episcopus dictus est. Notingus vero Constantiensis Episcopus anno 939. juxta Hermannum Contractum ex editione Carrisiana supremum diem obiit, ideoque Concilium hoc sub Henrico Germaniæ rege coactum, ac diversum ab eo, quod Conrado regnante anno 916. indictum. Idem Burchardus lib. II. cap. 78. refert capitulum 27. Concilii apud Altheim habiti *de Clericis, qui fugierint ecclesias suas, & de servis qui proprios dominos fugerint*, quod ad hoc Concilium, non vero ad illud quod in eodem loco anno 916. congregatum, revocandum existimo, cum in priori synodo apud Altheim pauciora videantur condita capitula, quam in posteriori, quam verosimile est Ecclesiasticam tantum disciplnam respexisse.

☞ *Ex Conc. apud Althein præsente Conrado Rege cap. XXVI.* Burchardus lib. 2. c. 230.

Statuimus propter Dei dilectionem & proximi & fidelium honorem catholicorum, & præcipue ob multimoda scandala eruenda & funditus extirpanda & perturbationes quæ noviter exortæ sunt & oriuntur. Nec non ut omnes sciant nos Episcopos tales Dei misericordia nequaquam fuisse quales dicimur exemplum S. Leonis Papæ, qui super quatuor evangelia jurans coram populo se purgavit, sequi & imitari salva auctoritate canonica.

Cap. XXXVI.

Statum & rationabiliter secundum Sanctos Patres a Synodo est confirmatum, ut Monachus quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, vel ut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea vi revendicandi potestatem habeat. lb. cap. 131.

Sed quidquid acquisierat, & habere visus fuerat Monasterio relinquat, & Abbatis sui qui fuerat secundum regulam S. Benedicti arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur ad altare ad quod sanctificatur & titulatur secundum sanctos canones quod acquirere poterit, restituat.

ANNO CHRISTI 932.

SYNODUS DINGOLVINGENSIS

ANNO CHRISTI 932.

ANNO CHRISTI DCCCCXXXII. CELEBRATA.

Hanszii Germ. Sacr. tom. 2. p. 146.

UDelbertus Archiepiscopus Saliburgensis VIII. D celebrabit Synodum Dingolvingæ, de qua vetus MS. Sæculi XI. *Anno Domini 932. regnante in Bavaria Aruoldo Duce, convenientibus cunctis Bavariis ad locum qui Dyngelfinga vocatur, in causa Synodalis colloquii Episcopis videlicet & comitibus aliisque populis supradictæ regionis. Residentibus autem Episcopis in Synodali concilio*, (*a*) *Adalperto Archiepiscopo Salzburgensi, Isangrimo Episcopo Ratisponensi, Gerhardo Episcopo Pataviensi*, (*b*) *Tvolframo Episcopo Frisingensi, Nithardo Ep. Sabionensi, nunciisque* (*c*) *Udalfridi Episcopi* (*d*) *Aistatensis Choriepiscopis* (*e*) *Diperto & Svvaterloho, aliisque presbyteris & diaconibus ac clericis quamplurimis*, (*f*) *de statu ecclesiastico tractantes, feriandos dies subscripsere sanxerunt*. Ita ibi. Addit Aventinus in eo concilio Arnulphum Ducem, prædiorum Ecclesiasticorum, quæ Ugri depopulati fuerant, usufructus Sacerdotibus, Monachis restituisse: templa, sacras ædes refici, instaurari jussisse. Majas & Caninas; item vicos & vineas aliaque prædia prope Tyrolios in Vennorum Athesisque valle VVolframmo Fruxinensi reddidisse. Episcopos, monachos, Sacerdotes, quorum quidem excusso severioris religionis jugo populariter vivere cœperant, sub arctioris disciplinæ jugum misisse. Acta uberiora Synodi hucusque detecta non sunt.

CONCILIUM ERPFORDIENSE,

IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ

Celebratum anno Domini DCCCCXXXII. tempore Joannis papæ XI.

PRÆFATIO.

ANno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi nongentesimo trigesimo secundo, anno etiam domini * H. regis Christianissimi decimoquarto, indictione quinta, sub die Kalendarum Juniarum, congregata est apud Erpesfurt sancta & uni- * Henrici

Dantur variantes ex codice Vindebonensi, in quo hæc ipsa reperit Mansi.
(*a*) Dedilperto (*b*) Volfranno. (*c*) Bedalfridi. (*d*) *Decst* Aistatensis (*e*) Goetaperto.
(*f*) *Ad.* aliisque plurima tractatur.

ANNO CHRISTI 932.

& universalis synodus, & rex sapientissimus cum concilio primatum suorum decrevit, inspirante omnium salvatoris clementia, pro utilitate & statu sanctæ matris ecclesiæ. Cujus regis solertiam prudentissimi viri Hildiberti archiepiscopi * gubernabat. Confidentibus religiosissimis sacerdotibus, id est * R. sanctæ Treverensis ecclesiæ archiepiscopo, Unni sanctæ Hamburgensis ecclesiæ episcopo, Adalguardo * Fardunensis ecclesiæ episcopo, Rino Argentinæ civitatis episcopo, Nodingo Constantinæ ecclesiæ episcopo, Unuvano Padeburnensis ecclesiæ episcopo, Bernardo Halbesstadensis ecclesiæ episcopo, Othilrico * Augustodunensis ecclesiæ episcopo, Burchardo VVirtzeburgensis ecclesiæ episcopo, Dudone Osnaburgensis ecclesiæ episcopo, Rumaldo * Memigernafurdensis ecclesiæ episcopo, Eburgiso * Mimidonensis ecclesiæ episcopo: necnon & abbatibus, aliisque sacri ordinis viris. Porro cum eorum unanimitate, ac primum Deo favente, eorum capitula infra notata, * quam pro populi Christiani correctione collecta sunt.

* *deest aliquid.*
* Ruitgero *qui an. 934. obiit.*
* Virdunensis hodie in Gallia, sed malim de Germania capi. Nam Φαροδεινοὶ Germaniæ populi, qui forte sunt Tacito Suardones.
* *Pro* Augustanus. *Hard.*
* Monasteriensis.
* Antonino Minnodunum, vulgo *Milden.*
* *deest hic membrum præcedens,* tam, *ut insinuat sequens particula,* quam.

CAPITULA.

I.

Ut deinceps natalitia duodecim apostolorum summa veneratione solemniter celebrentur. Et in vigiliis antiquitus statutis, atque hactenus ab antecessoribus nostris servatis, jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus: quia quos cælitus sublimioris meriti scimus, hos & amplioris dignitate honoris a nobis colendos esse non dubitamus.

II.

Burch. l 2. c. 21 Ivo p 4. c 3 Decr. 15. q 4 c. Placita.

Placita sæcularia dominicis, vel aliis festis diebus, seu etiam in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum canonicam institutionem, minime fieri volumus. Insuper quoque gloriosissimus rex augmentum Christianæ religionis concessit, ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat Christianos sua authoritate ad placitum bannire septem diebus ante natale Domini, & a quinquagesima usque ad octavas paschæ, & septem diebus ante nativitatem sancti Joannis Baptistæ, quatenus adeundi ecclesiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

III.

Burch. 12. c. 28. Ivo p. 4. cap 6

Præcipimus namque, ut nullus Christianus ecclesiam pro reverentia petendo, ibique manendo, indeque revertendo, alicujus publicæ potestatis banno ibidem constringatur: ne forte, dum ad ecclesiam causa orationum properat, per bannum impediatur pro salute animæ devote insistere.

IV.

Similia . . dam in concilio Athensi cap. Apud Ivon. part. 9 p. 226.

Si quis presbyter aut diaconus negligens vitæ suæ, mala de se suspicari permiserit, & ejus infamia coram episcopo canonice denotatur, admoneatur ab episcopo semel, bis, ac tertio: ut vel prodendo reatum, culpabilem se esse cognoscat, & sic justæ correptionis sententiam excipiat; aut adhibitis secum collegis, juramento se expurgando, innocentem se esse demonstret.

V.

Burch. l. 13. c. 27. Ivo p. 4. c. 55

Ut nemo nisi consentiente proprio episcopo, aut ejus misso, sub obtentu religionis jejunium sibi imponat, unum diem præ aliis excipiendo, omnimodo interdicimus. Quod & factum displicet, & in futurum fieri prohibemus: quia plus causa ariolandi esse cognoscitur, quam supplementum legis catholicæ.

☞ AD CONCILIUM ERPHORDIENSE

Anni DCCCCXXXII. habitum

ADDITIO.

Ex Mansi Suppl. p 1118

ERphordiensis concilii canones ex Burchardi codice acceptos Binius jam dedit, sed cum unum aliquem præterierit, & alter aliquantulum plenior sit in meo MS. Burchardi codice; utrumque, ne aliquid desideretur, hic supplendum censui.

Burchardi lib. 13. cap. 22.

II.

PLacita sæcularia Dominicis diebus, vel aliis præcipuis festis, seu etiam in iis diebus, in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum canonicam constitutionem minime fieri decrevimus. Insuper etiam *S. Synodus decrevit*, ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat sua authoritate christianos ad placitum bannire in supradictis diebus, idest septem dies ante natalem Domini *usque in octava Epiphaniæ*, & a quinquagesima usque in octava Paschæ, & septem dies ante nativitatem S. Joannis Baptistæ, quatenus adeundi ecclesiam orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

Burchardi lib. 11. cap. 77.

IX.

Decrevit S. Synodus cum consilio serenissimi principis, si deinceps aliquis episcopus, sui ministerio oblitus, sciens cum excommunicato communicaverit, sive in salutatione, sive in oratione, sive in injusta confortatione, sive in cibo, sive in potu, excommunicatus habeatur tam a principe, quam a cæteris omnibus, quousque in proximo synodo audiatur, & Domino, & ecclesiæ suæ satisfacere cogatur.

RA-

ANNO CHRISTI 920. ANNO CHRISTI 932.

☞ RATISPONENSE CONCILIUM

Pro decernendis suffragiis animabus episcoporum qui decessissent,

VValpergo Saltzburgensi Archiepiscopo præsidente, anno 932. celebratum.

COLLECTORIS ADMONITIO.

Concilium istud olim ego quidem cum Dingolvingensi, hoc ipso anno celebrato, confundendum censueram; quod utrinque eundem fere episcoporum numerum, utrinque Chorepiscopum adfuisse, ac denique in annum ambo convenire animadverterim. Dissidium vero in loco habitæ utriusque Synodi ita conciliabam, ut quæ in loco obscuro diœcesis Ratisponensis Dingolvingæ convenerat, urbi principi Ratisponæ attributa fuerit. Verum re melius explorata atque perpensa, agnovi tandem duo hæc esse inter se plane diversa concilia, tum quod Ratisponense in urbe illa reipsa coiverit, nam in gestis infra recitandis leguntur patres in ecclesia S. Petri convenisse. *Est autem* A *urbis Ratisponensis S. Petri templum longe nobilissimum. Insuper Dingolvingensi concilio chorepiscopi adfuerunt duo, Dipertus & Svvaterloho; Ratisponensi vero unus Svvaterloho, sive, ut ibi legitur, Svarzlot. Denique Nithardi Sabionensis nomen in actis concilii Dingolvingensis legitur; in Ratisponensi vero non legitur. Maneant ergo ambo hæc concilia finibus, & juribus inter se distincta. Porro Dingolvingensis concilii acta, seu actorum synopsis in tom. XI. col.* 1488. *editionis Veneto-Labbeanæ legas; Ratisponensis vero ex vetustis Monumentis Martenii tom. VII. pag.* 53. *hic exhibentur.*

☞ CONCILIUM RATISPONENSE

Anno 932. celebratum.

I MS. Sbulensi.

IN nomine æterni Dei, anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXII. indictione V. XIX. Kalendas februarii regnante Arnolfo venerabili duce anno X. congregata est Synodus generalis apud Radesponam, metropolim Norici regni civitatem, in qua primitus congregati sunt venerabiles Domini præsules Odulpertus Juvavensis ecclesiæ archiepiscopus, Vodalfredus Rubilocensis ecclesiæ episcopus, VVolframmus Frisigiensis episcopus, Hizingrimus Radasponensis sedis antistes, Gehardus Pataviensis ecclesiæ episcopus, Suarzlot corepiscopus, Egilolf abbas cum reliqua non modica sacerdotum coadunatione. Igitur ab omni populo crucibus decenter portatis, & sacris letaniis more solito celebratis, convenerunt omnes episcopi, cum copiosa sacri ordinis frequentia in ecclesia S. Petri apostolorum principis, quæ mater ecclesiarum regiæ civitatis juxta portam aquarum antiquitus excreverat; ibique juxta aram S. Petri antistites, cætera sancta Synodus in media confederunt ecclesia. Tum demum hi quibus ma- B xima cura est injuncta pastoralis, semetipsos fraterno caritatis amore admonere curabant, ut si aliquid in semetipsis dignum esset emendationis, haud segniter emoliare studerent. Deinde vera paterna sollicitudine omnem sanctam congregationem hortabantur, monebant, arguebant, & instruebant de omnibus rebus & justiciis ad veram religionem orthodoxæ, & catholicæ fidei pertinentibus, ut moribus bonis malas devincerent consuetudines, & inreprehensibiles se exhiberent ad docendum populum Christi sanguine redemptum. Inter cætera vero cum totius synodi consilio hoc decreverunt, ut quisquis illorum, idest episcoporum, de hac luce migraret, superstites episcopi missas XII. pro anima ipsius celebrare C non tardarent. Similiter & presbyteri, cæteri vero clerici & sanctimoniales psalteria IV. Episcopi vero tribuant de facultatibus suis pro anima defuncti episcopi de sicera carradas III. de panibus modios VI. Frisk VI. Bachon. unum.

RATHERII VERONENSIS EPISCOPI

Ratherius ... est ... Veron. ... 932.

Synodica ad Presbyteros, & ordines cæteros forinsecus, id est, per universam diœcesim constitutos.

I Append. Abbei Tom. 9.

Ex Tomo II. Spicilegii Dacheriani.

QUia mirari vos scio, immo murmurare, quod est pejus, non nescio, quod tertio jam vos vocavi, & quasi nihil vobiscum egi. Ne frustra hoc me fecisse putetis, fateor quia explorandi vos causa hoc feci, & quales vos me inven- D turum æstimavi, tales, proh nefas! inveni. Congruere mihi infelicissimo illud statim de Sapientiæ visum est libro: *Ne jocunderis in filiis stultis, si multiplicentur: ne oblecteris in eis, si non est timor Dei cum illis.* Eccli. 56. 1.

Moneo igitur paternaliter, & præcipio pastoraliter, ut dicentis Apostoli reminiscentes, quia *sine fide* Hebr. 11. 6.

fide impossibile placere Deo; hoc est, sine credulitate, quis nobis per apostolos, eorumque est successores tradita: & quia *justus ex fide*, id est credulitate sua, *vivit*: &, *quidquid sine fide*, hoc est credulitate Dei, *est*, *peccatum est*: *fides* autem, id est credulitas Dei, *si non habeat opera bona*, *mortua est in semetipsa*: ipsam fidem, id est credulitatem Dei, trifarie parare memoriter festinetis, hoc est, secundum symbolum, id est, collationem apostolorum, sicut in psalteriis correctis invenitur; & illam quæ ad missam canitur; & illam sancti Athanasii, quæ ita incipit: *Quicunque vult salvus esse*. Quicunque vult ergo sacerdos in nostra parochia esse, aut fieri, aut permanere: illa, fratres, memoriter nobis recitet, cum proximo a nobis huc vocatus fuerit.

Rom. 1. 17 *Ibid.* *Jacob 2. 17.*

Moneo & jam vos de die Dominico, ut cogitetis, aut si cogitare nescitis, interrogetis, quare ita vocetur: usu enim quotidiano illas res dominicas dicimus, quæ proprie ad dominos pertinent illarum. Eo itaque sensu Dominica dicitur dies, quod proprie ad Dominum, id est, Jesum Christum pertineat. Cum vero omnes dies ipsius sint, sicut & omnia quæ sunt in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis: inquirendum quare ista solum dicatur illius esse. Nimirum quia ipse in ea resurrexit. Sed in quibus Kalendis? Non cures, de die solummodo cogita. Quinta feria post vesperum est traditus, sexta crucifixus, septima quievit in sepulcro, octava resurrexit a mortuis, & inter duorum dierum partem, sive trium integritatem noctium, vel triduo, ut promiserat, facto, a corde, id est interioribus, terræ ad apostolos rediit. Hinc ipsa octava sive prima feria, dies vocatur Dominica: & in quocunque Kalendarum die evenerit, semper est pascha, id est transitus Domini de morte ad vitam: & uno modo, quicquid manduces, vel bibas, est observanda. Unde autem observanda? Ab opere servili. Quod autem est opus servile? Peccatum: qui enim peccat, diabolo servit. Si ergo omni die Dominico est pascha, quærendum quid nobis faciendum in ea. Apostolus dicat: *Pascha*, inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Quare pascha est Christus? Quia pro nobis immolatus. Cur immolatus? Ut pro nobis moreretur. Sicut utique antea ille immolabatur, cujus sanguine liberandus ab Ægypto populus purgabatur: ita ergo & iste propterea est immolatus, ut moreretur; propterea occisus, ut nos per sanguinem ipsius a vastatore mundi angelo, id est diabolo, liberati, de Ægypto, id est inferno, erueremur; & per mare rubrum, hoc est baptismum sanguine Domini rubeum, per desertum præsentis vitæ educti, ad terram repromissionis, id est vitam æternam, pervenire possemus. Habes pascha, id est transitum bonum; habes agnum pro te occisum; transisti mare rubrum; graderis per desertum. Vide quo graderis: stude pervenias quo venire tibi expedit. Labora cum Dei adjutorio, ne aut in Ægyptum redeas, aut in deserto pereas, sed ad patriam cælestem pervenias. In Ægyptum vero te redire cognosce, si peccatum quod deseruisti, præsumis repetere. Peris vero in deserto, si non perseveras in labore & opere bono.

1. Cor. 5. 7.

Sed redeamus ad Apostolum: *Pascha*, inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Postea, *Itaque epulemur*. Putas quod dicat, crapulæ & ebrietati vacemus? Nequaquam; sequitur enim: *Non in fermento veteri*, id est inflatione ventris, vel tumore anterioris peccati, aut affectu ad transacta scelera redeundi, vel alia perpetrandi. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ*; *sed in azymis sinceritatis & veritatis*. Id est, ut in opere justi, in cogitatione simplices, in sermone simus veraces. Quando? omni tempore. Præcipue vero in paschali solemnitate, hoc est, omni Dominica anni integri die. Si enim Dominica est Domini, utique non nostra dies est; si Domini est, reverentia Domini est honoranda. Sed cujus Domini? Revera, qui nos, cum non essemus, fecit; qui nos, cum perditi fuissemus, refecit; qui nos gubernat, alit, nutrit, defendit; qui vitam nostram, quousque illi placuerit, hic continet, cum noluerit, eam hinc mutabit, & aut meliorem, pro meritis, aut reddet pejorem: postremo qui nos judicabit, & aut in inferno sine fine damnabit, aut in cælo æternaliter coronabit. Talis igitur ac tantæ potestatis Domini cum hæc sit proprie dies, honoretur, ut eam pro decentia tanti Domini decet. Honorati vero nullo modo, nisi ordinabiliter valet. Nisi enim parasceve sabbatum antecedat, sabbatum diem Dominicam, dies non est ullatenus Dominica.

Ibid. v. 1.

Quid est autem parasceve? Apostolus dicat: *Probet autem*, ait, *seipsum homo*, *& sic de pane illo edat*, *& de calice bibat*. Quo pane? Qui ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. De quo calice? *Calix tuus inebrians quam præclarus est!* Id est, Christus suo nos sanguine satians, quam pulcher, id est, speciosus forma præ filiis hominum! Qui ergo panis, ipse est agnus; qui agnus, ipse Christus; qui Christus, ipse est pascha; qui pascha, ipse pro nobis immolatus. Ipse est dies, quam non operando, sed gignendo coæternaliter, fecit Dominus; exultemus & lætemur in ea. Ipse est, inquam, dies, ipse Dominus, cujus ista est dies. De sabbato illius quid facimus? *Vacate*, ait per Psalmistam Dominus, *& videte*, *quia ego sum Deus*. Sabbatum vero vacatio dicitur, vel requies, id est, ut quiescamus ab operibus malis, & vacemus Divinis obsequiis. Parasceve autem præparatio dicitur, hoc est, ut præparemus cordium nostrorum habitacula venturo ad nos per corporis & sanguinis sui substantiam Christo. Si ergo omnis octava dies est Dominica, Dominica vero pro resurrectione Domini dicta: vel, sicut perlepide quidam invenitur dixisse, omnes quia dies Dominus fecit imperio suo, Dominicum fecit sanguine suo, & ædificavit pretio suo. Omnes dies Dominici parasceve vel sabbato indigent: parasceve autem, id est præparatio, non est aliud nisi quod protulimus, hoc est, ut probet seipsum homo, id est disquirat, cujus affectus sit, hoc est, si in voluntate cum Dei gratia melioritionis, aut in duritia pejorationis consistit. Si illud primum jus in conscientia sua invenit, præsumens de misericordia Dei, cum lactucis agrestibus, id est contritione cordis, & amaritudine gemitus, accinctis renibus comedat agnum. Si non: suadere non audeo ut faciat, viderit quisque quid agat. Omnis ergo dies Dominicus ideo est paschalis, quia resurrectione Domini decoratus: pascha vero nostrum ideo est Christus, quia pro nobis immolatus.

2. Cor. 13. 5. *Joan. 6. 51.* *Psal. 22. 5.* *Ibid. 4. 11.*

Omni ergo Dominica nobis clamat Apostolus: *Itaque epulemur*, id est, carnem Domini manducemus, & sanguinem ipsius bibamus. Ubi sunt autem qui quotidie missam celebrant, quotidie pascha faciunt, id est, carnem agni comedunt, & sanguinem ejus bibunt, &, ut cætera sileam, de coitu adulterino filios & filias generant? Ubi qui hesternam ebrietatem, vel crapulam, ante altare Domini super ipsam carnem vel sanguinem ructant agni? Qui litibus continuis occupantur, qui cupiditia æstuant, qui invidia vel odio

1. Cor. 5. 8.

odio tabescunt, qui his quos ut se diligere debuerant, deceptionum laqueos tendere nullatenus cessant? Quando talium quis paraſceve jam dictum, vel ſabbatum fecit? Timeo de talibus, & utinam non mei ſimilibus: ne, dum putant comedere agnum, comedant potius hircum; & utinam non illum, qui abductus eſt in deſertum, qui Latine emiſſarius, Hebraice hazezel, id eſt, crudelis Dei interpretatur; quem qui in deſertum emiſit, caſtra ſolummodo Dei non eſt ingredi dignus, niſi loto prius corpore, & veſtibus omnibus; ſed hœdum potius, quartadecima qui die ad veſperam ab omni eſt populo immolatus. Væ enim illis, quibus tantum bonum in tam magnum vertitur malum, hoc eſt, manſuetudo Dei in crudelitatem: dum comedentes utique carnem, & ſanguinem ejus bibentes indigne, judicium ſibi manducant & bibunt. Væ, inquam, nobis miſeris, & millies væ. Cum enim ſacerdotes non ob aliud vocemur, niſi quia ſacrum conficere, & dare populo debemus; ſcriptura vero ſancta dicat e contra: *Quicquid tetigerit immundus, immundum erit:* quomodo ſaltem dici valet aliquid ſacrum immundiſſimis manibus noſtris tractatum? Et cum ſpecialis noſter doctor atque proviſor, beatus utique Zeno, dicat, in ſermone utique quem de Juda filio Jacob, & Thamar nuru ipſius, elegantiſſime compoſuit; quod omnium corrupte viventium diabolus pater ſit: quid valet quod in conſpectu omnium qui nos ſciunt corrupte vivere, id eſt luxuriæ deſervire, clamamus Deo: *Pater noſter qui es in cœlis:* cum ille nobis per prophetam ſtatim reſpondeat: *Si pater ego, ubi eſt amor meus?* Quid enim facis pro amore meo? Quid infectum relinquis pro timore meo? Iſta, & illis ſimilia, quia vos penitus neſcire doleo, immo de talibus nil curare gemiſco, paſtoraliter ut addiſcere feſtinetis præcipio: & quia ſermone ignoratis, bono exemplo Dei populum erudire quæſo ſtudeatis.

Ammonemus etiam & obſecramus, ſicut alibi ſcriptum invenimus, fraternitatem veſtram, ut de communi ſalute veſtra cogitantes, attentius audiatis ammonitionem noſtram; & quæ vobis ſuggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis. In primis ammonemus ut vita & converſatio veſtra irreprehenſibilis ſit, ſcilicet ut cella veſtra ſit juxta eccleſiam, & in ea fœminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnos ſurgite, curſum veſtrum certis horis decantate. Miſſarum celebrationes religioſe peragite. Corpus & ſanguinem Domini cum timore & reverentia ſumite. Vaſa ſancta propriis manibus abluite, & extergite. Nullus cantet miſſam niſi jejunus, nullus cantet qui non communicet; nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, & planeta: & hæc veſtimenta nitida, & ad nullos uſus alios ſint. Nullus cum alba, qua in ſuos uſus utitur, præſumat miſſam cantare. Nullus cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus. Nulla fœmina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundiſſimum ſit. Altare coopertum de mundis linteis: ſuper altare nihil ponatur, niſi capſæ & reliquiæ, aut forte quatuor evangelia, & pyxis * cum corpore Domini ad viaticum infirmis; cætera in nitido loco recondantur. Miſſalem plenarium, lectionarium, & antiphonarium, unaquæque eccleſia habeat. Locus in ſecretario, aut juxta altare ſit præparatus, ubi aqua effundi poſſit quando vaſa ſacra abluuntur: & ibi vas nitidum cum aqua pendeat, ibique manus lavet poſt communionem.

Nullus extra eccleſiam per domos, aut in locis non conſecratis, miſſam cantet. Nullus ſolus miſſam cantet. Calicem & oblatam recta cruce ſignate, id eſt, non in circulo & varicatione digitorum, ut plurimi faciunt; ſed ſtrictis duobus digitis, & pollice intus incluſo, per quos Trinitas innuitur, iſtud ſignum † recte facere ſtudete. Non enim aliter quicquam poteſtis benedicere. Infirmos viſitate, & eos reconciliate; & juxta Apoſtolum, oleo ſancto ungite, & propria manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laico aut fœminæ, ad deferendum infirmo. Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ne per negligentiam veſtram ullus infans ſine baptiſmo moriatur. *Jacob. 5. 14.*

Nullus veſtrum ſit ebrioſus & litigioſus, quia ſervum Domini non oportet litigare. Nullus veſtrum arma ferat in ſeditione, quia arma noſtra debent eſſe ſpiritalia. Nullus canum aut avium jocis inſerviat. Nolite in tabernis bibere. Curam pauperum & orphanorum, ac peregrinorum, habete, & eos ad prandiola veſtra invitate. Eſtote hoſpitales, ut alii a vobis exemplum capiant bonum. Omni die Dominica ante miſſam aquam benedictam facite, unde populus aſpergatur, & ad hoc ſolum vas habete. Sacra vaſa & veſtimenta ſacerdotalia nolite in pignore dare negotiatori aut tabernario. Nullus veſtrum minus digne pœnitentem cujuſcumque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat. Nullus veſtrum uſuras exigat, & conductor fœnoris exiſtat. Res & facultates quas poſt diem ordinationis veſtræ acquiritis, ſciatis ad eccleſiam pertinere. Nullus ſine ſcientia & conſenſu noſtro eccleſiam acquirat. Nullus per poteſtatem ſæcularium eccleſiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius eccleſiam ſupplantet. Nullus eccleſiam ad quam titulatus eſt, relinquat, & ad aliam quæſtus cauſa migret. In alterius parochia miſſam nullus cantet abſque parochiani presbyteri, ſi præſens eſt, voluntate & rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens Deleemoſynam fecerit.

Nullus præſumat baptizare niſi in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis. Unuſquiſque fontes habeat, & ſi non poteſt habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis veſtris ſymbolum & orationem Dominicam inſinuetis. * Jejunium quatuor temporum, & rogationum, & litaniæ majoris, plebibus veſtris omnimodis obſervandum inſinuate: feria quarta ante quadrageſimam, plebem ad confeſſionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt. Quater in anno, id eſt Natali Domini, & Cœna Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes fideles ad communionem corporis & ſanguinis Domini accedere ammonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abſtinere exhortamini; eulogias poſt miſſam in diebus feſtis plebi tribuite.

Nullus ſine ſtola in itinere incedat: nullus induatur veſtimentis laicalibus: nullus rem, aut poſſeſſionem, aut mancipium eccleſiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præſumat: diem Dominicum & alias feſtivitates abſque opere ſervili a veſpera in veſperam celebrare docete. Carmina diabolica, quæ ſuper mortuos nocturnis horis vulgus cantare ſolet, &

cachinnos quos exercent ſub conteſtatione Dei omnipotentis, vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præſumat miſſam cantare, ſed & plebibus vobis commiſſis hoc annunciate. Ad nuptias nullus veſtrum eat. Omnibus denunciate ut nullus uxorem accipiat, niſi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, & ut nullus ad proximam ſanguinis ſui accedat, & ut alterius ſponſam nullus ducat. Porcarios, & alios paſtores, vel Dominico die ad miſſam venire facite. Patroni filiis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuent, aut inſinuari faciant. Chriſma ſemper ſub cera ſit aut ſub ſigillo, propter quoſdam infideles.

Volumus autem ſcire de quolibet presbytero, ſi ex ingenuis parentibus ſit natus, aut ex conditione ſervili, aut ſi de noſtra parochia natus eſt, aut ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus. Si ſervus fuit, oſtendat chartam libertatis: ſi de alia parochia, oſtendat litteras commendatitias, quas formatas vocant. De miniſterio etiam vobis commiſſo vos ammonere curamus, ut unuſquiſque veſtrum, ſi fieri poteſt, expoſitionem ſymboli, & orationis Dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum penes ſe ſcriptam habeat, & eam pleniter intelligat, & inde, ſi novit, prædicando, populum ſibi commiſſum ſedulo inſtruat; ſi non, ſaltem teneat, vel credat. Orationes miſſæ & canonem bene intelligat, & ſi non, ſaltem memoriter ac diſtincte proferre valeat: epiſtolam & evangelium bene legere poſſit, & utinam ſaltem ad litteram ejus ſenſum poſſet manifeſtare. Pſalmorum verba, & diſtinctiones, regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronunciare ſciat. Sermonem, ut ſuperius dixi, Athanaſii epiſcopi, de fide Trinitatis, cujus initium eſt, *Quicumque vult*, memoriter teneat. Exorciſmos, & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque conſecrandum, & reliquas preces ſuper maſculum & fœminam, pluraliter, ac ſingulariter, diſtincteque proferre valeat; ſimiliter ordinem baptizandi, ad ſuccurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, juxta modum ſibi canonice reſervatum, atque ungendi infirmos; orationes quoque, eidem neceſſitati competentes, bene ſaltem ſciat legere. Similiter ordinem & preces in exequiis agendis defunctorum. Similiter exorciſmos & benedictiones ſalis & aquæ memoriter teneat. Canticum nocturnum atque diurnum noverit. Computum minorem, id eſt, epactas, concurrentes, regulares, terminum paſchalem, & reliquos, ſi eſt poſſibile, ſapiat. Martyrologium, & pœnitentialem habeat, & cætera. De ordinandis pro certo ſcitote, quod a nobis nullo modo promovebuntur, niſi aut in civitate noſtra, aut in aliquo monaſterio, vel apud quemlibet ſapientem ad tempus converſati fuerint, & litteris aliquantulum eruditi, ut idonei videantur eccleſiaſticæ dignitati.

Cum auctoritas quoque contineat eccleſiaſtica, ut de rebus eccleſiaſticis quatuor fieri debeant partes, e quibus una epiſcopi, altera fabricæ eccleſiæ, tertia clericorum, quarta debeat eſſe pauperum & hoſpitum: ſi veſtram pleniter habetis, de illis quæ ad epiſcopum, fabricam, vel pauperes pertinent, nullam invidiam habeatis: reminiſcentes Dominum præcepiſſe: *Non concupiſces rem proximi tui: & de re quæ ad te non pertinet, ne ſollicitus fueris.* De ipſa vero quæ ad vos pertinet, fidem inter vos habetote, & communiter eam dividite, ſive ſit magna, ſive ſit modica, ſcientes Apoſtolum dixiſſe: *Nemo circumveniat in negotio*, id eſt cauſa aliqua, *fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de omnibus his, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.* Noveritis etiam quod melius ſit omni Chriſtiano fraudem pati, quam inferre. Exod 20. 1. Theſſ. 4.

Quadrageſimam, exceptis diebus Dominicis, æqualiter facite: ſi enim uno die jejunas, altero crapularis, non quadrageſimam, ſed vigeſimam feciſti. In adventu Domini, niſi feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carne noveritis abſtinendum, & coitu. In natale Domini viginti diebus ac noctibus a coitu etiam licito omnino ceſſandum. Similiter in octavis Paſchæ & Pentecoſtes, litaniarum, & omnium feſtivitatum vigiliis, ſextis etiam feriis, præcipue autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis. Auctoritate etiam paſchalis feſtivitatis compellente monemus veſtram dilectionem, in Chriſto fratres ſinceriter diligendi, ut ſecunda, tertia, quarta, & quinta feria hebdomadæ majoris, jejunetis uſque ad nonam, exceptis parvulis, & ſenio gravi confectis, atque infirmis. Quinta feria, hora nona ad eccleſiam matrem omnes reconciliandi venite. Sexta feria uſque ad nonam jejunate, & cui placet, amplius. Septima feria ante horam decimam nullus præſumat miſſam cantare, nec baptiſmum generale agere. Qui ſi pro infirmitate aliquis jejunare non poteſt, proficiat ei jejunium quod generalis facit eccleſia: omnes enim in Chriſto unum corpus ſumus: tantum nullus ſua importunitate univerſitatem eccleſiæ noſtræ contra Dominum compellat delinquere, & tam glorioſam feſtivitatem in aliquo violare. De occultis peccatis pœnitentiam vos dare poſſe ſcitote, Dde publicis ad nos referendum agnoſcite. Clericum nemo veſtrum ſine licentia faciat noſtra: nullus balbum, vel ultra menſuram blæſum: nullus eum qui de litteris durum habet ſenſum. Si feſtivitas, quæ non ſit ſanctæ Dei genitricis MARIÆ, aut apoſtolorum, evenerit in quadrageſima, vel quatuor temporum jejuniis: magis jejunium tenendum, quam feſtivitatem celebrandam ſcitote, (niſi forte illius ſancti ſit feſtivitas, qui in eadem parochia jacet) quia nulla ſolemnitate amplius delectatur Deus, quam illo jejunio, quo a cibis abſtinetur & vitiis. Otioſitas quoque inimica eſt animæ. Videte ſi abſque horum quæ præmiſimus ſcientia, miniſterium veſtrum facere poſſitis, & plebes vobis commiſſas ad vitam ducere, & Chriſto repræſentare.

CON-

ANNO CHRISTI 933.

CONCILIUM PAPIENSE

In quo Ratherius Veronenſis epiſcopatu dejectus cauſam ſuam peroravit,

Anno circiter 933. celebratum.

RAtherius Veronenſis epiſcopus, qui Hugoni regi non una de cauſa inviſus, eodem agente Hugone, æmulum ſuum Arnoldum vicerat, Ticinum exulare coactus eſt anno 933. Hujus forte exilii tempore, quod triennio duravit, habita eſt ſynodus illa Papienſis, cujus unico verbo meminit idem Ratherius in libro ſuo Apologetico vulgato a Dacherio Spicileg. tom. I. pag. 368. edit. in fol. Innuit vero his illis verbis Ratherius cauſam ſuam ſe in ea Synodo peroraſſe: *epiſcopus ſane (ut in Synodo eſt Papienſi quondam clamatum) Veronenſium ego ipſe ſi ſum, cum epiſcopus ſuperintendens interpretari dicatur; quibus ſuperintendo, qui ſuppoſitum omnibus me video?* Nec plura de hoc concilio, quod utique celebratum fuiſſe oportet diu antequam Apologeticum ſuum ſcripſiſſet. Illud vero digeſſiſſe credo poſtquam in Veronenſem ſedem rediit, quod anno 957. contigiſſe Pagius opinatur. Forte tamen hæc ſynodus poſt Engeleheimenſem anni 948. transferenda eſt. Cum Papienſis cujuſdam ſynodi, in qua Hugo Remenſis epiſcopatus invaſor, in concilio Engelheimenſi excommunicatus ſententiam illam iterum retulit; concilii, inquam, hujus meminerit Flodoardus in chronico ad annum 961.

CONCILIUM AD CASTELLUM

THEODERICI ANNO DCCCCXXXIII.

SYnodum hanc ex Flodoardi chronico liquet inter obſidendum habitam fuiſſe, cum Heriberti comitis munitionem ad Matronam, cui a Theoderico nomen eſt, rex Rodulfus obſideret. Quid autem in ea præcipue actum ſit, præter epiſcopi Bellovacenſis ordinationem non commemorat. Rodulfus rex, *inquit*, munitionem Heriberti, quæ dicitur caſtellum Theoderici, obſidet hebdomadas ſex. Synodus inter obſidendum prædictum præſidium celebratur, congregatis nonnullis Franciæ vel Burgundiæ præſulibus: cui præſederunt domnus Artaldus antiſtes Remorum, & domnus Teutolo Turonenſis epiſcopus. Tunc quoque domnus Artaldus Hildegarium ordinavit epiſcopum urbis Beluacenſis.

ANNO CHRISTI 935.

CONCILIUM APUD SANCTAM MACRAM

ANNO DCCCCXXXV.

Adverſus rerum eccleſiaſticarum pervaſores.

AD hanc ſynodum ſeptem epiſcopos convenisse, Artaldumque Remorum archiepiſcopum præfuisse, docet Flodoardus in chronico. Anno, *inquit*, DCCCCXXXV. ſynodus ſeptem epiſcoporum apud ſanctam Macram, domno Artaldo archiepiſcopo præſidente, celebratur: in qua prædones & eccleſiaſticarum rerum pervaſores ad correptionem venire vocantur.

NOTA SEVERINI BINII.

Hæc ſynodus celebrata eſt in Remenſi diœceſi apud ſanctam Macram, oppidum nunc *Fismes* dictum, præſente Artaldo archiepiſcopo Remenſi, cum ſex aliis epiſcopis, in qua prædones & eccleſiaſticarum rerum invaſores ad correctionem vocantur. *Flodoardus lib. 4. cap. 23.*

ANNO CHRISTI 936.

VITA ET EPISTOLÆ

LEONIS PAPÆ VII.

LEo hujus nominis ſeptimus pontificatum adeptus eſt anno Redemptoris DCCCCXXXVI. tempore Conſtantini & Romani imperatorum orientalium: de quo Flodoardus in chronico prædicto anno iſta ſcribit; *Joanne papa fratre Alberici defuncto, Leo quidam Dei ſervus Romæ papa conſtituitur.* Hic Odonem abbatem Cluniacenſem, virum ſanctitate celeberrimum, vocavit Romam, ut inter Hugonem regem Italiæ, qui Romam obſidere cœperat, & Albericum Romæ principem, pacis componendæ ſequeſtrum ageret. Venit abbas ſanctiſſimus, ſuaque interceſſione apud utrumque hoc obtinuit, ut Albericus filiam Hugonis conjugem acciperet, & Hugo obſidionem ſolveret.

Henrici regis Germaniæ obitus.

Hujus tempore mortuus est Henricus rex Germaniæ, decus Christianæ religionis, qui post multas alias gentes, de quibus supra, Cuusum Daniæ regem ad Christi fidem convertit, ipsosque Danos ab hominum immolatione revocavit, regnique hæredem filium suum Ottonem, pietate & fortitudine militari sibi non dissimilem, reliquit.

Manasses Arelatensis episcopus ecclesiæ perturbator,

Eodem hoc tempore, ad afflictionem & perturbationem ecclesiæ, Manasses Arelatensis episcopus novam addidit miseriam, quando homo ambitiosus sua sede nequaquam contentus, opera Hugonis regis Italiæ, non tantum Veronensem, Tridentinam, & Mantuanam, verum etiam Mediolanensem ecclesiam invasit, asserens se id facere exemplo principis apostolorum, qui etiam Romanam, Antiochenam, Alexandrinam ecclesias simul possedisset. Hæc Luitprandus, qui Dei & legum contemptorem peracri invectura perstringit. Leo cum sedisset annis tribus, & sex mensibus, defunctus est.

EPISTOLA I. LEONIS PAPÆ VII.
AD HUGONEM FRANCORUM PRINCIPEM,

Et monasterii sancti Martini Turonensis Abbatem

Vetat ne in beati Martini monasterium aditus detur mulieribus.

Leo episcopus servus servorum Dei, glorioso Principi Francorum, filio nostro, Hugoni videlicet Abbati beatissimi Martini, & perpetuis successoribus in perpetuum.

Ex tomo III. Spicilegii D. Lucæ Dacherii.

CONditor universitatis atque dispositor Christus Dominus, per sacrosanctum suæ incarnationis Mysterium, universalem ecclesiam sibi copulare dignatus est, diversos vero sanctos in eadem ecclesia quasi diversa in uno corpore membra disposuit: & unumquemque, prout interno ejus consilio placuit, in ipsius ecclesiæ corpore, cujus ipse caput fieri dignatus est, mirabiliter ordinavit: quosdam excellentius decorans, ut sicut membra in corpore quædam honestiora sunt, & suis officiis apta, ita & in ecclesia vel excellentior, vel inferior quisque vices suas ipso auctore disponente convenienter expleat, ut scilicet

1. Cor. 15. juxta apostolum, *stella differat a stella in claritate*. At vero inter eos, quos divina dispensatio sublimius evexit, prædictus beatissimus Martinus Turonicæ sedis archiepiscopus non mediocriter effulget, cujus videlicet gloriam universalis Christianitas attestatur, quæ illum, divino instinctu quodam, speciali affectu communiter amat, ita ut nusquam alio post sanctorum apostolorum limina, de tam longinquis & diversis nationibus confluant oratores, sicut faciunt ad ipsius venerabile sepulchrum. Nam & ipse sacer locus ubi quiescit, in magna reverentia etiam ab antiquis diebus non solum apud vulgares, sed & apud excellentissimos reges ac principes fuit, sicut nonnulli vestrum videndo sciunt. Ut enim audivimus, nulli unquam fœminæ intra ambitum monasterii, etiam sub tempore paganorum, permittebatur accessus. Cum vero necesse fuit, ut propter illorum incursionem in civitate collocaretur, plangebant sui cultores, quia non valebant eum sic in tanta reverentia, ut olim, venerari, nec mulierum prohibere concursum. Ob quod etiam juxta ejus basilicam fundari murum studuistis, ut ita vel ab incendio defendi, vel in pristina honestate posset ipse locus haberi. Sed res in contrarium versa est, quia per occasionem castelli, mulieribus & impudens & libera conversatio est; cum tamen hoc nil aliud facit, nisi sola negligentia, & tepor servitorum ejus. Siquidem veniet dies judicii, & unusquisque in suo ordine insurget, & manifestum erit per quos religio sit erecta, vel per quos neglecta. Dolendum nobis est tempora jam periculosa venisse, & sic apparet caritatem apud multos refrixisse, iniquitatem vero nimium superabundasse. Verum quia sancta ecclesia B. Petro apostolorum principi specialiter commissa est, & per eum successoribus ejus: necesse est, ut quisque nostrum, prout Deo largiente potuerit, ejusdem ecclesiæ, quousque indiget, utilitatem per aliquam auctoritatem sustentet. Et idcirco videtur nobis, ut vestram negligentiam quæ est erga cultum illius loci sanctissimi, per nostrum interdictum commoneamus.

Itaque in primis observamus in Domino, ut tu Abbas excellentissimus Hugo, & ipsius cœnobii præpositi, curam summopere adhibeatis, quatenus per totum veteris muri ambitum, usque ad viam quæ juxta latus Basilicæ aquilonare vergit, nulla, postquam hanc epistolam videritis, fœmina licentiam habeat commorandi, sed nec intrandi quidem, nisi solius causa orationis. Si quis vero de ministris hoc apostolicum interdictum neglexerit, aut aliqua fœmina intrare præsumpserit; tamdiu excommunicatus sit, quousque promissa emendatione absolvi mereatur. Sin autem, quia per audaciam & contemptionem, ad hoc transgrediendum pertinax extiterit, illum prorsus, vel illam excommunicamus. Observantibus hæc gratia & pax Christi per suos apostolos, & beati Martini preces multiplicetur.

Scriptum per manum Theodori Notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Januario, & indictione undecima, Ludovico Francorum rege.

LEONIS VII. EPISTOLA II.
AD GERHARDUM LAUREACENSEM Archiepiscopum.

Pallium ad eum mittit.

Leo episcopus servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Gerhardo sanctæ Laureacensis ecclesiæ archiepiscopo omnibus diebus vitæ tantum tuæ exhinc amodo.

Confer epistolam Joannis XII. a Duunstano Cantuar. archiepisc. fra suo loc Harduinus

SI pastores ovium, solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque cura debeamus esse pervigiles nos qui pastores animarum dicimur, attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet. Unde modo honoris reverentia sublimioris inter cæteros * judicamus. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum solemnia celebranda concedimus, quo tibi, non aliter ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, non solum in die consecrationis chrismatis, ac sanctæ & venerandæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu in natalibus sanctorum apostolorum, atque B. Joannis Baptistæ, necnon in festivitatibus sanctæ Dei

* Forte, dicamur. Harduinus

ge-

genitricis Mariæ, ſimulque in Domini noſtri Nativitatis die, pariterque in ſolemnitatis eccleſiæ tuæ die, & natalitio tuo die: verum etiam in conſecratione epiſcoporum & presbyterorum, & quando a te ſynodus celebratur, ſi forte conventiculum illic fuerit neophytorum, qui ad fidem tua exhortatione ſunt perducendi, necnon in feſtivitate ſancti Stephani protomartyris, ſanctique Laurentii; & illorum ſanctorum, qui corporaliter in tua requieſcunt parochia, uti concedimus die, ſicut a prædeceſſore noſtro domino Gregorio hujus almæ ſedis præſule ſancitum eſt. In ſecretario vero tua fraternitas pallium induere debet, & ita ad miſſarum ſolemnia proficiſci, & nihil tibi auſu, temeritate præſumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate, etiam quæ licere poterant, amittantur. Cujus quoniam indumenti honor modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt: hortamur, ut & morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique poſſis eſſe conſpicuus. Itaque vita tua filiis tuis ſit regula: in ipſa, ſi qua tortitudo illis ingeſta eſt, dirigant; in ea quod imitentur, aſpiciant; in ipſa ſe ſemper conſiderando proficiant, ut tuum poſt Deum videatur eſſe beneficium quod vixerint. Cor ergo neque proſpera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa dejiciant: ſed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiſcretus inveniat. Benignum te ſentiant boni, diſtrictum mali cognoſcant; inſontem apud te culpabilem ſuggeſtio mala non faciat; nocentem gratia non excuſet. Remiſſum te delinquentibus non oſtendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te & boni paſtoris dulcedo, ſit & judicii ſevera diſtrictio: unum ſcilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendo a pravitate compeſcat. Sed quod nonnunquam propoſitorum ſcelus dum diſtrictus malorum vult vindex exiſtere, tranſit in crudelitatem correctio: iram judicio refræna, & cenſura diſciplinæ ſic utere, ut & culpas ferias, & a dilectione perſonarum, quas corrigas, non recedas. Miſericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppreſſis defenſio tua ſubveniat, opprimentibus modeſta correctio contradicat. Nullius faciem contra juſtitiam accipias, nullum quærentem juſtitiam deſpicias, cuſtodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia ſua aliquid extra viam apud vos ſuadeat rationis audere; nec pauperes de ſua faciat humilitas deſperare; quatenus Deo miſerante talis poſſis exiſtere, qualem ſacra lectio præcipit, dicens: *Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*. Sed his omnibus ſalubriter uti poteris, ſi magiſtram caritatem habueris, quam qui ſecutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater cariſſime, inter multa alia, iſta ſunt ſacerdotii, iſta pallii: quæ ſi ſtudioſe ſervaveris, quod foris accepiſti, intus habes. Fidem autem quam in tuis epiſtolis breviter aſſignaſti, licet latius explanare debueras, Redemptori tamen noſtro gratias agimus, quod eam in ipſa brevitate ratam eſſe cognovimus. Sancta Trinitas fraternitatem veſtram gratiæ ſuæ protectione circumdet, atque in timoris ſui via nos dirigat: ut poſt hujus amaritudines, ad æternam ſimul pervenire dulcedinem mereamur. Amen.

LEONIS VII. EPISTOLA III
AD GALLOS ET GERMANOS.

Multa quæ ad diſciplinam ſpectant emendari jubet.

Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei, regibus, ducibus, epiſcopis, abbatibus, comitibus, pari etiam modo Egilolpho Juvanenſis, Iſingrimo Ratiſponenſis, Lantberto Friſingenſis, VViſundo Sebonenſis eccleſiæ venerabilibus epiſcopis, & cæteris per Galliam, Germaniam, Bavvariam, Alemanniam commorantibus.

SI inſtituta eccleſiaſtica, ut ſunt a beatis apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini ſacerdotes, nulla diverſitas in ipſis ordinibus & conſecrationibus haberetur. Sed dum unuſquiſque, non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc exiſtimat eſſe tenendum: inde diverſa in diverſis locis vel eccleſiis, aut teneri aut celebrari videntur. Hac de re fit ſcandalum populis, dum multa in veſtra provincia contra canones eccleſiaſticos decretaque majorum uſurpare videntur: quæ quidem poſſent facile reſecari, ſi epiſcopi in his non viderentur auctores, qui ſæcularibus intenti, humanum favorem captantes, religionem violant, ordineſque corrumpunt. Nos ſiquidem divinis præceptis & apoſtolicis incitamur monitis, ut pro omnium eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu. Idcirco fraternitati veſtræ cognitum facimus, quod Gerardus ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ archiepiſcopus, cauſa orationis ad limina veniens apoſtolorum, noſtram apoſtolicam præſentiam viſitare, & benedictionis gratiam a nobis percipere ſollicite ſtuduit: multa quæ reprehenſione digna ſunt, noſtris auribus, lacrymoſis vocibus intimavit: tota cordis intentione, a noſtra apoſtolica auctoritate, de his quæ contra canonum regulam & decreta majorum in veſtris geruntur provinciis, quærens conſilium. Scitis enim quod ab ipſo Domino beato Petro principi apoſtolorum (ejuſque vicariis) omnium eccleſiarum cura commiſſa eſt, veritatis voce dicente: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*: cui etiam proprias oves commendavit, dicens; *Si diligis me, paſce oves meas*. Et idcirco pro univerſis eccleſiis ſollicitudinem gerimus: & veluti in ſpecula poſiti, quid per totius orbis provincias geratur, vigilanti cura inſiſtimus. De quibus ergo apoſtolicam ſedem conſuluit, & qualia nos ei reſponſa dedimus, per hos noſtros apices vobis intimare curamus. Ejus namque interrogatio ſeriatim talis erat. *Matth. 16.* *Joan. 21.*

De auguratoribus, & incantatricibus, & maleficis vario modo mortificatis a populo, ſi aliqua pœnitentia debeat exigi. De talibus namque perſonis, quid veteris ac novi teſtamenti pagina cenſeat, manifeſtum eſt. In lege namque Moſaica ſcriptum eſt: *Maleficos non patiaris vivere*. Similiter in Samuelis libro legitur, quia exterminavit Saul omnes Pythoniſſas de terra, & alia quæ enumerare longum eſt. Sed nos etiam tales noſtris exhortationibus ad pœnitentiam trahere debemus, ut magis eccleſiaſtico judicio pœnitendo vivant, quam gladio vindice puniantur, dicente beato Paulo apoſtolo; *Non enim poſuit nos Deus ad iram, ſed in acquiſitione ſalutis*. Quod ſi eccleſiaſtica judicia ſpreverint, humanis ſubjaceant legibus. Meminiſſe enim debent, a Deo poteſtates fuiſſe conceſſas, & ad vindictam noxiorum *Exod. 22.* *1. Theſſ. 5.*

gla-

gladium fuiſſe permiſſum, & Dei miniſtrum ſuiſ- A ſe datum in hujuſmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur auctoritas, dicente B. Innocentio, erit dictator immunis.

Conſultum eſt etiam utrum epiſcopi *Pax vobis*, an *Dominus vobiſcum*, pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem veſtram provinciam tenendum eſt, quam in ſancta Romana eccleſia. In dominicis enim diebus, & in præcipuis feſtivitatibus, atque ſanctorum natalitiis, *Gloria in excelſis Deo*, & *Pax vobis* pronunciamus. In diebus vero Quadrageſimæ, & in quatuor Temporibus, ſive in Vigiliis ſanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus, *Dominus vobiſcum*, tantummodo dicimus.

Poſt hæc conſuluit. Si Dominica oratio in be- B nedictione ciborum debeat uſitari, quod fieri non oportet, quia in ſanctificatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, hanc ſolummodo orationem ſancti apoſtoli decantabant: & in Evangelio legitur, quia poſt cœnam a Domino factam hymno dicto exierunt in montem Olivatum.

Poſt hæc interrogavit de eo, qui matrem & filiam ſpirituales in conjugio ducit, quod ne fiat, ſacri canones per omnia vetant. In canonibus Zachariæ ita habetur: ut presbytera, diacona, monacha, vel etiam ſpirituali commatre, aut ſpiritualia filia nullus utatur. Nam qui hujuſmodi opus perpetravit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & Dei judicio condemnatum, atque C a ſacro corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienum: & quicumque ſacerdotum ejus communicare præſumpſerit, eorum judicio condemnatus, ſacerdotii ſui honore privetur.

Dehinc intulit lamentabile & nimis lugendum, ut Domini ſacerdotes publice ducant uxores, etſi filii eorum valeant promoveri. Quod ſcelus, quia omnis ſacra ſcriptura contradicit, quia ſanctum & venerandum Nicænum concilium vetat, ne ſacerdotes cum fœminis habitare præſumant, multo magis ne copulari vel ſociari mulieribus debeant, juxta ſacros canones modis omnibus prohibemus. In Neocæſarienſi namque concilio D

Neocæſ. can. 1. ita habetur: „ Presbyter ſi uxorem acceperit, ab „ ordine deponatur. Et qui in tali ſcelere fue- „ rint reperti noſtra apoſtolica auctoritate ab „ omni priventur honore. „ Filii vero eorum immunes ab eorum peccato ſunt, dicente Pro-

Ezech. 18. pheta: *Filius non portabit iniquitatem patris:* & in ſacro baptiſmate omnia dimittuntur peccata.

Dehinc perquiſivit, ſi a chorepiſcopo eccleſiæ debeant conſecrari, aut presbyteri ordinari, vel conſignatio chriſmatis & manus impoſitio fieri. Quæ omnia a chorepiſcopis ne fiant, interdici-

Antioch can. 10. mus juxta canonum decreta. In concilio Antiocheno capite decimo ſic habetur: „ Qui in vi- „ cis & poſſeſſionibus chorepiſcopi nominantur, „ quamvis manus impoſitionem epiſcoporum per- „ ceperint: tamen ſanctæ ſynodo placuit, ut mo- „ dum proprium recognoſcant, & gubernent ſub- „ jectas ſibi eccleſias, ordinent etiam lectores & „ ſubdiaconos atque exorciſtas: quibus promotio- „ nes iſtæ ſufficiant, nec presbyterum, nec dia- „ conum audeant ordinare. Si quis autem tranſ- „ gredi ſtatuta tentaverit, depoſitus, quo utebatur honore, privetur. „

Perquiſivit etiam, ſi vir & mulier tertio vel quarto gradu conſanguinitatis conjuncti, & inſcii, conjugio copulantur, poſtea Dei reſpectu compuncti, oſtendunt ſe ſacerdoti ſecrete confitentes peccata ſua, utrum valeant eleemoſynarum largitione, ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim perſonis in veteri & novo teſtamento multa reperiuntur exempla, maxime in conciliis Gregorii & Zachariæ, in quibus hæc continentur, ut conſobrinam, novercam, neptem, fratris uxorem, nurum, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus conjugio præſumat ſibi copulare. Si quis vero hoc nefario conjugio convenerit, & in eo permanſerit, ſciat ſe auctoritate apoſtolica anathematis vinculo innodatum, & nullus ſacerdos ei tribuat communionem: & ſi inclinatus diviſuſque fuerit ab illicita copula, pœnitentiæ ſubmittatur, ut ſacerdos loci conſideraverit.

De vaſtatoribus autem eccleſiarum unde inquiſivit, nihil aliud ſcribimus, niſi quod Paulus apoſtolus ad Timoth. ſcribens ait: Argue, increpa, obſecra cum omni imperio.

His vero omnibus prælibatis fraternitatem veſtram monemus, per hanc noſtram apoſtolicam juſſionem, ut huic Gerardo archiepiſcopo, cui vicem noſtram in cunctis finibus veſtris commiſimus in omnibus, quæ ad eccleſiaſticum ordinem pertinent, obedientes & adjutores ſitis, quatenus in una concordia perſiſtentes, ut eccleſiaſtica jura & chriſtianitatis religio in veſtris partibus, quæ paganorum incurſione, & malorum Chriſtianorum perſecutione corrupta & depravata eſſe videntur, Domino largiente, & B. Petro apoſtolorum principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari, & vos in futuro examine ſecuri poſſitis audire vocem Domini, dicentis: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.*

Præter hæc Eberardo duci Bavariorum noſtra auctoritate injungimus, ut præfato Gerardo archiepiſcopo in omnibus auxilium præſtet, ut ſuæ eccleſiæ ſtatus & rectitudo ac proprius vigor ad integrum culmen & priſcum decorem ſuo juvamine valeat pervenire, ſi Dei indulgentia & S. Petri etiam, ſuorum delictorum a nobis vult accipere remiſſionem.

ANNO CHRISTI 936.

CONCILIUM RHEMENSE

ANNO CHRISTI 936.

Anno Chriſti DCCCCXXXVI. celebratum.

Ex Hiſt. Liter. in Sæcul. Obſc.

ANno Chriſti 936. Concilium Rhemenſe præ- E ſentibus Regni principibus, & Epiſcopis pluſquam XX. celebratum; quo Ludovicus Francorum Rex ab Arthaldo archiepiſc. Rhemenſi unegitur, & coronatur, & Rodulfus epiſcopus Laudunenſis ab eodem conſecratur. Refert hæc Flodoardus in Chronico ad an. 936.

CON-

ANNO CHRISTI 936.

CONCILIUM PICTAVENSE

Pro decimis de Cusiaco, ab aliis usurpatis, monachis cœnobii S. Cypriani restituendis,

Sub Alboino Pictavensi episcopo incerto anno celebratum.

ADMONITIO COLLECTORIS.

QUÆ *sequitur diœcesana Synodus Pictavensis, cui potissimum anno assignanda sit, cum nulla annorum nota adscribatur chartæ illi, ex qua unice petita est, adhuc latet in obscuro. Alboinus tamen hanc cœpisse cathedram anno* 937. *ex chronico Malleacensi adnotarunt Sammarthani, quem & decessisse anno* 962. *ex eodem chronico animadvertunt. Intra illud temporis spatium celebratur synodus illa, quam referunt Sammarthani in Pictavensibus tom. II. pag.* 877. *ex quibus huc transtulimus.*

Notitia qualiter residens domnus Alboinus, divinæ pietatis gratia pontifex, in generali synodo mense Maji, secundum antiquorum patrum consuetudinem discernens rei veritatem, & secundum judicium Optimatum, Sacerdotum, Canonicorum, Abbatum, Vicariorum procurabatur, ut unusquisque reciperet quod suum proprium, in auditorio S. Petri Apostoli majoris ecclesiæ Pictavis: surrexit Aymo abbas cum congregatione monachorum, qui secum ibi aderant, de monasterio S. Cypriani martyris, quod est dedicatum in honore B. Mariæ Virginis matris Domini, proclamantes, dicebant, quod Dodo presbyter, & Israel presbyter de vico Betinas, qui est in potestate S. Petri, voluerunt invadere decimas injuste per illorum malignam cupiditatem de illa villa, quæ dicitur Cusiacus: quæ decimæ pertinent ad ipsam Capellam S. Maxentii, quam dominus Froterius episcopus pro redemptione animæ suæ, cujus quondam alodus fuit, & prædicto monasterio S. Cypriani cum omnibus suis rebus sibi pertinentibus delegavit, & B. Mariæ Virgini tradidit, ut monachi, qui in monasterio prædicto certatim militant Christo, perpetualiter inde viverent. Pontifex vero Alboinus præfatus, ut pastor egregius, rogavit omnibus in concilio sancto circumquaque residentibus, ut rei veritatem de hac altercatione diffinirent. Qui Dodo presbyter, & Israel prædicti dicebant, quod decimæ de Cusiaco villa pertinebant ad vicum Betinas. Aymo autem abbas prænominatus demonstravit largas literas, atque valde utiles, palam omnibus in generali synodo, quibus cum honore Ingenaldus pontifex ipsam Capellam S. Maxentii dotavit, & ibi inventæ sunt scriptæ decimæ de Cusiaco, pertinentes ad ipsam capellam; postea vero presbyteri vuadiaverunt, quod injuste ita sane fecerant, & illorum extitit fidejussor Launo abbas. His videntibus facta omnia, Alboinus Pictavensis pastor egregius, Galtarius decanus, Mairannus subdecanus, Richardus archidiaconus, Petrus archidiaconus, Odo cantor, Boso sacerdos, &c. regnante Ludovico rege.

ANNO CHRISTI 939.

VITA STEPHANI PAPÆ VIII.

STephanus, patria Germanus, opera Ottonis regis, posthabito cardinalium suffragio, electus est a Romanis anno Christi redemptoris DCCCCXXXIX. tempore Constantini VIII. & Romani imperatorum orientalium. Hic a tyrannis, quorum odium propter sui electionem in se concitavit, crebris ictibus sacrilegis facie deformatus fuit. Albericus enim, qui his temporibus principatum in Urbe gerebat, existimabat non posse se dominium Urbis securum possidere, si non gentilis aliquis ipsi bene notus Romanæ urbis pontificatum teneret. Qua occasione in eumdem Stephanum parum æquus existens, cum manibus impiorum tantopere lancinari, & in facie deturpari permisit. Et quamquam hæc stigmata propter justitiam a satanæ ministris inflicta, non dedecori, sed ornamento essent: tamen ipse a publico hominum congressu hac de causa ut plurimum abstinuit. Hoc facto excitatus est animus Ottonis ad vindicandum scelus Romanorum, & ad cohibendam vim illam tyrannicam, quam hactenus in promotione pontificum usurparant: quando autem illud perfecerit, infra suo loco dicetur.

Francorum proceribus adversus Ludovicum regem rebellantibus, eumque recipere detrectantibus, per Damasum quemdam legationis munere fungentem nunciavit, ut regem suum recipiant: quod si facere nolint, excommunicationis sententiam se incursuros noverint. In Italia bellum inter Hugonem & Albericum, antehac semel per Odonem Cluniacensem abbatem compositum, fracta pace recruduit: qua occasione Odo a Stephano iterum Romam vocatus, pace nondum composita, ibidem ex hac vita decessit. Paulo post etiam Stephanus papa defunctus est, cum, ut habent Vaticani indices, annos tres, menses quatuor, & dies quinque sedisset. Quamdiu sederit.

STEPHANUS PAPA

fundationem Abbatiæ Bronienſis, in Comitatu Namurcensi, anno 942. *confirmat. Romæ existente, & coram petente S. Gerardo Abbate, ac Fundatore Bronienſi.*

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, & S. Mariæ semper Virginis. *Stephanus*, Sedis Apostolicæ Summus Episcopus, Servus Servorum Dei, Fratribus, ac Filiis nostris per universum orbem terrarum in Fide Catholica degentibus. Ex Diplomatibus Miræi Tom I. p. 257. nov. edit.

Notum cupimus esse omnibus tam præsentibus, quam futuris qualiter Filius ac Frater noster divina annuente clementia Gerardus Abbas nobis innotuit de Monasterio Bronienſi, quod in melius

lius reformavit, & restauravit in honore S. Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, Sanctorumque Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Joannis Baptistæ.

Post vero multorum Sanctorum pignora, congregavit ibi corpus etiam S. *Eugenii* Martyris, Archiepiscopi Toletanæ Sedis, discipuli, & ordinati S. Dionysii Archiepiscopi, & cum magna reverentia, & honore inibi attulit: hæreditatem quoque propriam tam in agris, quam in mancipiis, & in omnibus jure hæreditario adjacentibus, devote, ac voluntarie ad præfatum dedit Monasterium.

Postquam autem nobis indicavit provolutus pedibus nostris petiit, quatenus auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli malediceretur omnis, qui de eorum Monasterio aliquid conaretur, tam de Reliquiis Sanctorum, quam de vestimentis, & libris, & de territoriis auferre, atque de mancipiis vel de aliis quibuslibet rebus, quas nunc habet sibi datas, vel ultra possit Dei misericordia obtinere.

Hoc quoque magnopere expetiit, ut eodem constringantur anathemate quicunque privilegium, quod de eodem loco, & monasterio jam Regia magnificentia, & imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus præsumeret infringere.

Scilicet, ut nullus Episcopus, nullus Comes, nullus advocatus, nullus judex publicus, nec quilibet ex judiciaria potestate in ecclesia, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii præsumat ingredi, aut ad causas audiendas aut precaturas faciendas, aut freda, vel tributa, aut obsonia quælibet exigenda vel mansiones aut silvas vel paradas faciendas aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ad ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas nostris, & futuris temporibus.

Sed liceat memorato Dei servo Gerhardo suisque successoribus res prædicti Monasterii cum Monachis suis sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & ordinare, absque cujuslibet arbitri communione, nisi ipso Abbate, & suis Monachis id rationabiliter fieri petentibus.

Hoc quoque firmari expetiit nihilominus, ut eadem damnetur maledictione, quicumque locum ipsum & loci Incolas, infra suos terminos hostili incendio, vel cæde, aut aliqua injusta oppressione præsumpserit aliquatenus depopulari, vel infringere.

Adstantibus igitur Episcopis, & Confratribus hujus Sanctæ Romanæ Sedis, & consentientibus, petitionem Famuli Dei Gerhardi Apostolica auctoritate firmari decrevimus.

Igitur auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, & S. Mariæ semper Virginis, Dei Genitricis, & omnium cælestium virtutum, & S. Joannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, S. Eugenii Martyris ejusdem loci Patroni, & Provisoris sanctorum, quorum Reliquiæ inibi sunt, simulque omnium sanctorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quæ de immunitate, & libertate Bronienſis Ecclesiæ & loci prælibata sunt, irritum fecerint, vel infregerint, nisi resipuerint, & pœnituerint, & ab Abbate, & Fratribus ejus veniam promeruerint, & de cætero emendaverint.

At vero qui observator extiterit hujus nostræ præceptionis & Regiæ Sanctionis, gratiam, & misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Ego Castorius Notarius Regionarius, & Scriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolica auctoritate, & Sancto Papa Stephano suggerente, recognovi.

Signum Domini Stephani Papæ glorioſi.

Data v. Kal. Maji, anno ab Incarnatione Domini . . . .

Actum Romæ feliciter, amen.

Ego Leo S. Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter rogante domino nostro Stephano subscripsi, amen.

Ego Valentianus episcopus subscripsi, amen.

Ego Agapitus Episcopus ipso jubente subscripsi, amen.

Ego Emerentianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Simphorianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Liberius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Laurentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Florentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Gregorius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Gaudentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Clementianus subscripsi, amen.

Ego Urbanus Episcopus jussu Domni Stephani Papæ, subscripsi, amen.

Hilduinus Mediolanensium Archiepiscopus subscripsit, amen.

VVido Placentinensis Episcopus subscripsit, amen.

Petrus Cumensis Episcopus subscripsit, amen.

Richuinus Stratburgensis Episcopus subscripsit, amen.

Rotherus Treveris Archiepiscopus subscripsit, amen.

Benedictus Metensis Episcopus subscripsit, amen.

Richarius Leodicensis Episcopus subscripsit, amen.

Stephanus Cameracensis Episcopus subscripsit, amen.

C. ANNUM CHRISTI 940.

LEGES ECCLESIASTICÆ

C. ANNO CHRIST 940.

HOELI DHA * REGIS SEU PRINCIPIS TOTIUS VVALLIÆ.

id est, BONI. Ex Tom. 1. Concil. Britan.

DEi providentia Hovvel Dha filius Cadell, rex totius Cambriæ, videns suos VValenses insolenter legibus abuti, accivit de quolibet * *Kemut* totius regni sui sex laicos viros auctoritate & scientia pollentes, & omnes ecclesiasticos dignitate baculosos, vel archiepiscopos, vel episcopos, abbates, vel priores de regno suo ad locum qui dicitur *Gvin* super *Taff yn deued*, quam

* *id est*, centuria

E domum voluit ædificari virgis albis in hospitium sibi ad venandum, quando ad partes Demetiæ veniret, & ideo vocatur *Ty Gvyn*.

Rex autem & congregati morati sunt ibidem per totam quadragesimam, orantes altissimum per jejunium perfectum, petendo gratiam ad bona facienda secundum regis propositum, & de congregatis elegit rex 12. laicos doctissimos, & unum cle-

clericum doctissimum qui vocabatur Blangoridus, ad instruendas sibi leges & usus, ut propinquius posset ad veritatem & justitiam intendi : & in tres partes scribi præcepit, quarum prima, lex curiæ suæ quotidianæ, secunda lex patriæ, tertia usus utriusque. Tres autem libros legis præcepit fieri consimiles, unum ad curiam suam quotidianam sequi semper, & alium ad curiam de Dinevvr, & tertium ad curiam de Aberfrau, vel qualibet de tribus partibus Cambriæ, scilicet Guenet & Povvys, & Deheubarth haberet in se auctoritatem legis, ad opus paratam.

I.

Ex quo * distein in aula steterit post prandium in tribus festis principalibus ponens in ea pacem Dei & regis, reginæ & optimatum curiæ, pacem illam transgredienti nusquam erit refugium & *navt. tc' n'* omnium refugium. Si quis ergo refugium regis & omnium violaverit, nec usquam, nec ab unius refugio, vel a reliquis sanctorum defendi potest nisi ab ecclesia.

II.

Qui sacerdoti * *sarhaed* fecerit, vel eum occiderit, judicio synodi puniatur præter *gueli tanavd*.

III.

Hospitium sacerdotis & clericorum erit domus capellani villæ. Hospitium sacerdotis reginæ est insimul.

IV.

* *Offeirad euleu* contra pascha regis indumenta habebit, quibus usus est in quadragesima.

V.

Simili modo sacerdos reginæ ipsius habebit indumenta, in quibus regina agat pœnitentiam. Sacerdos reginæ a regina equum debet habere. Sacerdoti, & accipitrario, & *penkynyt*, & judicii curiæ, & *guvaštraud afvyn*, equi a rege restaurantur cum opus fuerit. Terram suam tenebit liberam.

VI.

Triplex est officium sacerdotis curiæ in placitis, scilicet, lites discretas de scripto delere, lites indiscretas ad judicium in scripto servare, & ad opus regis, quantum ad literas missas & mittendas, paratum esse, & nunquam ebriatum.

VII.

Tria sunt judici pertinentia, scilicet quæstiones solvere, lites discernere, & quod per judicium discreverit, per vadimonium confirmare, si tunc litigans ei contradicit per aliud. Sic agit per annum. Anno autem elapso capellanus adeat ecclesiam, & cum eo duodecim officiales curiæ digniores, & Missa celebrata, & oblatione ad Missam ab omnibus facta, capellanus faciat eum jurare per sacrum incelebratum, & per altare, & reliquias superpositas, quod in tota vita sua nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio falsum scienter faciet judicium. Quo facto ad regem venient, indicantes ei quæ circa eum acta sunt. Si regi gratum sit officium suum, illi præstabit, & locabitur in sede sibi debita. Tunc dabuntur ei *ouer elyssen*, a rege *taulbord*, a regina annulus aureus, quæ dona nec vendet, nec unquam donabit. Non debet judex esse, nisi in tali solemnitate approbatur.

VIII.

Et si aliquis de gentibus homicidæ vel occisi sit ecclesiasticus, sacris ordinibus, vel religioni obligatus, vel leprosus, vel mutus, vel stultus, nihil reddet vel recipiet pro * *galanas*. Nullam autem vindictam super eos vel ab eis propter occisum debet fieri, ne tales possint per legem istam ad reddendum vel recipiendum aliquo modo compelli.

IX.

Unius sacerdotis quantum sit testimonium.

Si fur coram presbytero socios suos nominando manifestet, & affirmet hoc jurando in ostio cœmeterii, in ostio chori: quidquid de illo postea contingat, verbo presbyteri abinde de dicto illius absque contentione credendum est. Simili modo fit, quando quis pro mercede dicat furem qui rem furatus est, & hoc faciat coram sacerdote modo prænotato. Si quis alicui deprædari dicitur, & ille negaverit, 50. hominum juramento habet negare. Hic est unus homo eorum cui soli creditur, scilicet *Managur*, dictator continens cum testimonio sacerdotis, si ipse cum illo qui perdiderit venerit coram sacerdote ad ecclesiam, & dicat ei sacerdos prohibendo similiter, ne pro Deo ducat eum in falsitatem, hoc faciat in ostio ecclesiæ, si ibi juraverit se verum dicere, & non falsum: similiter faciat in introitu cancelli, deinde super altare idem faciat, & ille qui reus dicitur adhuc negaverit: sacerdos affirmet verbo suo ter quod vidit, & audivit, & semel jurando confirmet illud: hoc facto, qui prius negaverit pro confitente habetur, nec poterit contradicere. Mercedem quidem statim habebit ille qui dictavit, & verbo sacerdotis testificantis dictatoris sacramentis non contradicetur, & *finæ* pro confitente habetur, & dicitur hoc *dogynuariac*.

X.

Mulcta pugnæ in loco sacro.

Tria sunt genera * *dirvy*, unum de pugna, alterum *treis*, id est raptu, tertium de furto. Duplex autem sit *dirvy*, & duplex *camlurv*, in curia & in ecclesia quæ ecclesia si summa fuerit, de pugna quæ in cœmeterio agitur, quatuordecim libræ sunt reddendæ. Si vero extra, id est in * *nodva*, septem libræ: quarum librarum abbati medietas cedit, si legalis sit, id est ecclesiastica doctrina instructus & literatus: altera medietas presbytero & canonicis ibi Deo servientibus. Talis divisio sit inter abbatem & presbyteros de pugna illorum scilicet, * *navtur*, qui ab abbate & presbytero refugium acceperint: sicque dividitur omne quod tantummodo sancto, non alteri, nec alii abbatum erogatur. De pugna in * *nodva* sanguis & *cleis* stabunt pro testibus abbati & presbyteris per dignitatem ecclesiasticam abbatiæ.

* *id est*, mulctæ.

* *id est*, asylo.

* *id est*, refugium.

* *id est*, in asylo.

XI.

Mulcta sanguinis effusi.

Lingua quantum omnia membra valet. Summa valentiæ omnium membrorum est octoginta octo lib. Sanguis cujuslibet hominum pretium est viginti quatuor denariorum. Sanguis Christi pretium est triginta denariorum scilicet : indignum videtur ut Dei sanguis hominis minoris pretii est.

XII.

Cur virum uxor deseret.

Tribus de causis poterit uxor a viro divertere, & suum * *egveti* habere, scilicet, si lepra vir inficitur, & si fœtidum habeat anhelitum, & si cum ipsa coire non valeat. Ter a viro suo, si aliam cognoverit, * *vynebvverth* uxor habitura est, primo dimidiæ libræ, secundo libram, tertio cum toto jure suo libera * *diliis* poterit ab illo discedere. At si ultra tertiam vicem patienter sustineat, de cetero *vynebvverth* non habebit. *Redvvit* dicit quod tertio triginta sol. quarto libera cum toto jure suo abiit, si patienter sustineat de cetero *vynebvverth* non habebit.

* *id est*, dotem.

* *id est*, satisfactionem.

* publice vel soluta.

XIII.

Puella.

Cum puellæ suo tempore * *covvll* comparetur, nisi mane de illo antequam a viro consurgat a lecto voluntatem suam declaret, inter virum & mulierem commune erit. Si viro detur puella ætatem habens, dicatque vir illam ab alio defloraverit, & illa ad reddendum vel recipiendum aliquo modo compelli.

* Vestimenti genus.

Læsæ pudicitiæ insimulata.

ratam percepisse, puella, si possit, quinque hominum juramento (scilicet patris & matris, fratris & sororis, & suo proprio) hoc falsum esse adstruat & se ad illum advenisse incorruptam, scilicet, sit matura in pilis & uberibus, & si venerint muliebria ejus, id est *teithi*, ætatis * *gveric*. Si primo tacuerit, & secundo eam agnoverit, & sic usque ad mane cum illa dormierit: licet illam corruptam invenerit primo, de jure puellæ nihil potest auferre. Si vero statim hoc noverit, ad viros surrexit nuptiales, alla non contradicente, hoc eis testificaverit, nihil ei jure reddere debebit.

* *id est*, ephebiæ.

XIV.

Uxor infamata.

Si cujus uxor de alio infametur, & hoc tamen sit incertum, septima manumulierum expurget. Si secundo infametur, cum quatuordecim. Si tertio cum quadam certitudine hoc dicatur, juramento 50. mulierum se expurgabit.

XV.

Datores mulieris, &c.

Si qua mulier datores habuerit, sit vir sub dote sua usque ad septem annos; & si habuerit tres noctes de septimo anno, totius substantiæ ejus medietatem in divortio eorum mulier habebit. Substantia autem hoc modo dividitur: Vir sues habebit, mulier oves. Postea mulier dividat, vir eligat. Et primo supellex sic dividatur. Omnia vasa lactis præter unum sinum, id est *baeol* mulieris erunt, & discos omnes habebit præter unum,.. & illa duo viri erunt, currum vero cum uno jugo, & omnia vasa, potus & dolia viri erunt, quæ desuper vero, mulieris. Si vir incontinenti aliam duxerit uxorem, vestimenta primi lecti, scilicet repudiatæ mittere debet. Vir habebit caldarium & tapetum, id est *brycan* & pulvinar, & cultrum, & securim lignorum, & terebrum, &c.

Divisio bonorum.

XVI.

Vir repudians uxorem.

Si uxorem suam quis sine lege repudiaverit, & aliam superduxerit, repudiata debet de jure domui redire, & in ea permanere per novem dies, & in nono die, si a viro omnino dimittatur, omnia quæ illius sunt, de domo prius exeant: & ultima rerum suarum ipsa de domo exeat: & postea vir repudiatam quietem, id est *dilys* clamabit, superducta alia, quia de jure duas uxores insimul nullus debet habere. Si quis uxorem suam dimiserit, & postea ipsum operis sui pœnituerit, & illa viro alteri data fuerit: si prior vir eam poterit attingere unum pedem cum viro altero in lecto habentem, & alterum extra, prior de jure debet eam recuperare.

XVII.

Mulier negans adulterium.

Si mulier negat adulterium, det juramentum 50. mulierum: similiter adulter negans, juramentum 50. virorum. Et tribus de causis datur tale juramentum: si videantur mulier veniens de luco ex una parte, & vir veniens ex altera parte ejusdem luci in eadem hora, vel si videantur insimul jacentes sub uno pallio, vel si videatur vir inter femora mulieris.

XVIII.

Causæ repudiandi uxorem.

Si qua mulier rem turpem cum alio viro, vel osculo, vel manu, vel stupro egerit, de jure potest repudiari a viro suo, & omnia jura sua debet amittere etiam pro solo osculo, nedum pro aliis. Adulter pro stupro reddet injuriam cum una elevatione illi cujus uxorem violaverit: quia de genere hostilitatis est. Pro palpatione manuum in vulva, quæ dicitur *govys*, reddet injuriam sine elevatione. Pro osculo tantum adulter injuriam reddet, sed de injuria tertia pars cadet: quia non habuit rem cum ea ex toto, & hoc causa deciA piendi eam, sic dicunt quidam, alii vero ut nisi consequuntur, declaratur, qualitercumque facta fuerit.

XIX.

Osculans uxorem alterius.

Qui uxorem alicujus osculatur, quartam partem injuriæ ei reddet, similiter de *govys*, nisi in ludo qui dicitur *guare raffau*, vel in convivio, vel quando quis de longe venerit.

XX.

Volentem stupraas.

Goronvy ab morydyc dicebat quod vir alterius uxore ipsa volente abutens, nihil debet reddere, dum mulier sui facti laudat auctorem; sed si factum notum fuerit, mulier habet viro suo * *faraed* reddere, vel vir eam libere repudiet, & ab ea divertat.

XXI.

Pretium virginitatis domino solvendum.

Nemo fœminam det viro antequam de mercede domino reddenda fidejussorem accipiat. Puella dicitur esse desertum regis & ob hoc regis est de ea * *amaabyr* habere. Si aliquam quis in * *lathrud* adducat, & ad domum alicujus optimatis cum illa vadit, fidejussorem a viro de toto jure abductæ, antequam insimul dormiant, optimas accipiat.

* *id est*, pretium virginitatis.

* *id est*, raptus mulierum.

XXII.

Rex & ecclesiastici non sistentur in lege.

Tres autem sunt homines, quorum nullus potest per legem impignorare contra aliquod judicium. Primus est rex, ubi non poterit secundum legem in lite stare coram judice suo, agendo, vel respondendo per dignitatem naturalem, vel per dignitatem terræ, ut optimas vel alius. Secundus est ecclesiasticus sacris ordinibus obligatus. Tertius est ecclesiasticus religiosus obligatus. Nemo enim secundum legem potest dare pignus contra judicium, nisi sub periculo pretii suæ linguæ, sed nullum pretium constitutum est in lege Hovvel super membrum & sanguinem, vel *faraed* ecclesiastici, ut sunt prædicti: & ideo nullus eorum potest dare vadium de jure contra judicium vel cum judicio. Omnia autem nocumenta sacrilega quæ fient ecclesiasticis, debent in synodo secundum legem ecclesiasticam emendari.

XXIII.

Ordinatus non sit judex.

Tres sunt homines, quorum nullus potest esse per legem judex dignus. Primus est mendosus, id est *anavus*, vel cæcus, vel surdus, vel leprosus, vel stultus, qui sit semel ligatus propter stultitiam suam, id est *gorffvyllauc*, vel qui nesciat recte loqui, vel *cryc anennual*. Secundus est ecclesiasticus sacris ordinibus vel religioni obligatus. Tertius est laicus sine potestate judicandi per dignitatem terræ, vel servitoriæ.

XXIV.

Conquestores queruli.

Tres sunt rei conquestores, a rege propter querelas suas puniendi. Primus est, qui det pignus contra judicium quod per aliud, id est *ghurgvyflyl*, & auctoritatem scriptam de legibus contra ipsum poterit confirmari: ille pretio linguæ suæ debet puniri. Secundus qui det pignus contra judicium quod super aliquem alium quam seipsum detur, ille suo * *camlvrv* debet puniri. Tertius est, si quis careat dignitate impignorandi, videlicet sacerdos vel alius: licitum est ei contradicere judicio per auctoritatem de legibus: & si sic contradicat, & auctoritas ei fallat, *camlvrv* amittat. Nemo autem per judicium litigiosum amittet plus quam *camlvrv*, nisi vera sit impignoratio vadio contra vadium.

* *id est*, mulcta.

XXV.

IX. hominum singulari credendum testimonio.

In lege Romana reperitur: Ubi numerus testium non definitur, ibi duo sufficiunt. Dicit quoque lex: Unius testimonium non est admittendum. Hoc vero dicitur quod novem homines sunt,

sunt, quorum unicuique & soli in ferendo testimonio credendum est; sed tamen jurejurando. Primus est dominus inter duos homines: ita tamen quod non sit particeps litis & rei ex lite consequendæ, & confiteantur contentionem suam prius coram domino suo fuisse, & non fuerit * *undull*. At si alter eorum negaverit, cum juramento negabit. In alio casu novem dies dantur domino, ad connumerandum qualiter juramentum præstiterit; sacerdoti vero ad idem dantur induciæ usque ad tempus quo possit Missam celebrare. Secundus est, patronus sacerdos inter duos parochianos, inter duos monachos suos. Tertius est, pater inter duos ipsius filios, ponendo manum super caput illius contra quod testificatur, sic dicendo: Per Dominum qui me creavit de patre, & te de me, verum inter vos dico. Quartus est, judex de judicio suo: scilicet si quidem de judicio quod inter eos judex dederit dubitantes certaverint. Quintus est, fidejussor de fidejussione sua, si partim negat, & partim confitetur. Sextus est, sacerdos de testimonio sibi attestato inter duos parochianos suos. Septimus est, puella de virginitate sua, si vir cui data est dixerit eam inveniisse corruptam, ut jus suum ei tollat, jus ei tamen illa est, ei tamen credendum est, antequam fuerit matura. Item de puella, si vi oppressa fuerit, & violator dixerit eam inveniisse defloratam, contra eum testimonio puellæ credendum est. Octavus est, communis pastor villæ de animali ab alio inter animalia suæ custodiæ mortificato. Nonus est, latro ad patibulum ductus, & de morte sua certus: illius verbis sine sacramento, id est *creir*, de socio vel sociis credendum est, vel de re quam ipse furatus est. Iste scilicet socius ejus propter dictum alterius non debet vita seu membris condemnari. De verbis tamen illius qui suspenditur, manifestatur eum esse latronem, cui credendum est, sicut lege ista cautum est. Est ergo iste condemnandus, non ad vitam seu membra perdenda, sed ad redemptionem sui faciendum. De illo latrone, qui constituto juramento in patria, latrocinio non poterit se purgare. Eritque *dirvyus et n'lleidyr guverth*.

* *i est*, a ormis.

XXVI.

Fidejussor. Fidejussor negans fidejussionem suam de septimo proximorum sibi redemptione negabit, vel solus jurans super septem altaria dedicata *of bri duva divvad*, si partim negat, & partim profitetur, solus semel jurabit, & sic *kynnogyn*, si fidejussionem negaverit, scilicet de septimo.

XXVII.

Fidejussor redenditæ. Si quis nomine emptionis rem aliquam ab aliquo acceperit, deinde ab hac vita ereptus res suas cum amicis reliquerit, cum ipse pro se de pretio rei acceptæ reddendo fidejussor extiterit, id est *yn uach kynnogyn*, ab amicis præfatis, licet factum ignorantibus & obdormientibus, de rebus mortui pretium rei suæ venditor consequatur. Juret tamen de septimo proximorum sibi in redemptione super sepulchrum debitoris, si possit invenire: sin autem, super altare dedicatum, quod illi rem suam vendidit, & quod ipse pro fidejussore fuit.

XXVIII.

Fœ & fœmi- on sint ic flores. Non debet fidejussor dari qui exul est, neque qui fortior est; neque monachus, nisi consentiente abbate; neque scholaris, nisi magistro consentiente; neque fœmina, nisi domina fuerit principalis debitoris; neque filius, nisi patre consentiente, dum pater debet esse pro filio. Quamvis autem fidejubeant, alicujus eorum fidejussio non est compellenda.

XXIX.

Sacerdos, primus regi necessarius. Tria sunt, sine quibus rex esse non potest, scilicet, sacerdos ad missam celebrandam, & ad escas regis & potus benedicendos, & judex curiæ ad causas discernendas, & ad danda consilia, & familia quoque ad negotia regia parata.

XXX.

Vulnus linguæ. Tribus hominibus vulnus linguæ redditur: regi semper: judici, quando quis conatur ire contra judicium: sacerdoti, quando fuerit in ecclesia, sive in tribus festis principalibus.

XXXI.

Curia non est ubi non est sacerdos; * *id est*, præfectus curiæ, vel œconomus. Ubicumque sacerdos familiæ & * *distein* & judex curiæ insimul fuerint, ibi erit dignitas curiæ, id est * *breint llys*, licet rex absens est.

XXXII.

* *id est*, aula regia. In synodo solum judicandus ecclesiasticus. Nullus autem rex habet potestatem constituendi pretium super aliquem ecclesiasticum sacris ordinibus obligatum, vel super membra, vel sanguinem, vel *saraed* ejus, vel super aliquem de suis, quia quisque ecclesiasticus, ut prædictus, habet potestatem per legem ecclesiasticam probandi in synodo quodlibet nocumentum vel damnum quod ei laicus faciat, aut rex, aut alius. Item nullatenus talis ecclesiasticus potest compelli ad respondendum alicui extra synodum de delictis sibi oppositis.

XXXIII.

Nisi pro terris sæcularibus. Si autem talis ecclesiasticus teneat terram sub rege per debitum, de qua servitium regi pertineat fieri, in curia regis debet respondere de terra cum pertinentiis, quia regis est tota terra regni sui: & nisi inde respondeat humiliter idem, regis erit terra illa totaliter. Quamvis autem talis ecclesiasticus possit per dignitatem terræ in judicio cum laicis esse usque ad tempus narrandi illud, nullum judicium debet referre inter litigantes, quia non est pretium super linguam ejus in lege constitutum: per quod quisque judex si injuste judicet, punietur, si confirmet judicium injustum per vadimonium.

XXXIV.

Ecclesia res ecclesiasticæ; sæculum sæculares judicat. Cum de villarum sive agrorum terminis quæ curia contingat, contentionem curia terminabit: si ecclesia & non curia contingat, ecclesia terminabit. Postea *Bremt*, demum *bygvvarchadv*, id est *ar deffeith*, *ty ac odyn ac ysgubavr*. Verum cum terminabit *maer* & *kygbellavr*, debent pro ea terminos assignare, pro ecclesia vero baculus, & evangelium. Sin autem terra litigiosa, inter litigantes in duo dividatur.

XXXV.

Ecclesia rusticana. Si regia dante licentia in rusticana villa ecclesia construatur, & in ea missæ celebrentur, & in atrio illius corpora sepelientur, extunc libera erit villa illa.

XXXVI.

Dies novus Si quis nomine quo matrix fuerit ecclesiæ, judicio terram ad illam pertinentem petierit, nonus dies mensis non est expectandus.

XXXVII.

Nutritius optimatis. Si regis villanus rege annuente optimatis filium nutriendum susceperit, defuncto villano cum filiis æquali portione alumnus succedet.

XXXVIII.

Conflictus. * *id est*, multa seu multatio. Si in terra regis cum homine ipsius homines episcopi vel abbatis inter se conflictum fecerint, * *dirvy* eorum regi.

XXXIX.

VII. sedes episcopales. Septem domus episcopales sunt in *Dyved*, *Menevia*, quæ est sedes principalis in Cambria, ec-

cleſia *Iſmael*, eccleſia *Degenian*, eccleſia *Yſſyl*, eccleſia *Teylav*, eccleſia *Teulidavc*, eccleſia *Keneu*. Abbates *Teylav*, & *Teulydavc*, & *Iſmael*, & *Degenian* tenentur clerici eſſe & ordinati. *Ebediv* cujuslibet iſtorum domino *Dyved* erunt, ſcilicet duodecim libræ, vel qui illis ſucceſſerint reddant. *Menevia* ab omni debito libera manet & ſoluta. Eccleſia *Keneu* & eccleſia *Yſſyl* ab illo debito liberæ erunt, qui terris carent.

XL.

De furto redemptionis non ſit contentio ſuper aliquid, niſi prius fuerit *manac* cum juramento in tribus locis, in oſtio cœmeterii, in oſtio eccleſiæ, in oſtio chori coram presbytero ipſius eccleſiæ, & hoc presbyter ille in placitó domini teſtatus ſit, cujus verbo credendum eſt tunc. De furto * *Kyſſyn* non ſit contentio juramenti, id eſt *reith*, ſuper aliquid, niſi prius fuerit *manac* in curia.

* *id eſt*, communicatio.

ANNO CHRISTI 941.

CONCILIUM SUESSIONENSE

ANNO CHRISTI 941.

CUJUS DECRETO HUGO HERIBERTI

Comitis filius, dejecto Artaldo, Remorum archiepiſcopus conſecratus eſt anno DCCCCXLI.

Ex editione P. Sirmondi.

DE epiſcopatu Remenſi poſt obitum Seulfi archiepiſcopi diuturna & anceps fuit altercatio. Nam cum Heriberto comes Seulfo mortuo anno DCCCCXXV. *Hugonem filium ſuum adhuc quinquennem eligendum curaſſet, eccleſiamque illam interea pro arbitrio adminiſtraret: ſexto poſt anno Rodulfus rex, capta urbe Remorum, Artaldum e ſancti Remigii cœnobio monachum in ea ſede ordinari juſſit anno* DCCCCXXXI. *Artaldum Heribertus poſt annos octo & menſes ſeptem, Remorum urbe iterum in poteſtatem ſuam redacta, epiſcopatu cedere & abdicare ſe coegit anno* DCCCCXL. *Tum anno inſequente ſynodum apud Sueſſiones convocavit, cujus decreto Hugo filius, jam cæteris ordinibus initiatus, Remorum archiepiſcopus conſecratus eſt. Flodoardus in chronico:* Anno, *inquit*, DCCCCXLI. Hugo & Heribertus comites, epiſcopos convocant Remenſis diœceſeos. Qui convenientes apud Sueſſionem in eccleſia ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, tractant de ſtatu Remenſis epiſcopi, definiuntque, conquerentibus clericis atque nobilibus laicis, diu paſtore ſedem ipſam vacare, ut quoniam Artaldus epiſcopus juraverat quod nunquam de ſe ipſo epiſcopatu intromitteret, ad ipſius gubernationem reverti non deberet; Hugo vero filius Heriberti comitis, qui prius ad ipſum epiſcopatum fuerat evocatus, clero populoque petente, ordinaretur epiſcopus. Indeque Rhemos adeuntes epiſcopi eumdem præſulem electum conſecrant apud ſanctum Remigium. *Flodoardus idem de ſeipſo & Hugone loquens lib.* IV. *hiſtoriæ cap.* XXVIII. *&* XXIX. Sexto, *inquit*, Kalendas Aprilis egreſſus ipſe cum præfato electo noſtro ad urbem Sueſſionicam profectus ſum, Ubi convenientes epiſcopi hujus diœceſeos cum principibus Hugone ac Heriberto, tractarunt, quid eis eſſet agendum ſuper epiſcopali hujus Hugonis ordinatione: ſicque decreverunt, petentibus quibuſdam filiis eccleſiæ Remenſis, tam clericis quam laicis, eum ordinandum; aſſerentibus fautoribus ipſius quod Artaldus nequaquam electus, ſed per violentiam fuerit intromiſſus, ſeſeque epiſcopali abdicaverit ditione. Nec mora, civitatem Remenſem a præfato conventu adeuntes epiſcopi prætaxatum electum noſtrum in eccleſia ſancti Remigii dignitate ſublimant.

NOTA SEVERINI BINII.

Locus & cauſa Concilii.

Hæc Synodus celebrata eſt apud Sueſſiones in cauſa altercationis duorum, qui ſe Remenſes archiepiſcopos profitebantur, videlicet inter Hugonem, quem in gratiam patris puerum adhuc quinquennalem electum fuiſſe ſupra dixi; & Artaldum, qui poſt illum ejectum, ex monacho in eam ſedem cooptatus fuit. Decretum eſt in hac Synodo Artaldum amovendum eſſe, utpote qui juraſſet nullum ſe unquam archiepiſcopatum acceptarum; Hugonem vero recipi debere, eo quod clero populoque petente vocatus eſſet. Poſt abſolutam Synodum, & Hugonem ſedi Remenſi reſtitutum, Flodoardus, quem Heribertus comes & pater Hugonis detinuerat, ab exilio liberatus fuit. Poſt hæc epiſcopi Remos profecti Hugonem archiepiſcopum conſecrarunt. *Flodoardus in chronico, lib.* 4. *cap.* 28. *& ſeqq.*

Decretum.

PRÆCEPTUM ADELBERONIS

EPISCOPI METENSIS,

De monachis in cœnobio ſancti Arnulfi clericorum loco conſtitutis.

Ex eadem editione.

TOtius ordo expetit æquitatis, quo in omni ſtatu & habitu ſi qua manent juſto correcta moderamine, inſtantius in augmento promoveantur ſummo; nec minus juſto, quæ videntur peſſumdari, æquæ reformari menſura librationis. Idcirco ego indignus Adelbero, ſanctæ ſedis Metenſium epiſcopus, operæ pretium duxi, ut qui diu mihi commiſſa in torporis negligentia cuncta duxeram, ſaltem aliqua quæ corrigere valerem congruebat, ſagaci providerem induſtria. Itaque monaſterium cunctis notum, ſcilicet beati Arnulfi, quo videbatur coadunatio clericorum, utque veridice dicam, & ſub teſtimonio totius eccleſiæ, acephalorum ſub ſpecie canonicorum regulæ exiſtere, ſuccrevit ardor ſummi deſiderii, ut qui illorum mores & vitam incorrigibilem noveram (namque & hoc experientia diverſarum admonitionum antea cum noſtris expertus eram ſuffraganeis) quo potioribus & vitæ præſtantiſſimis ipſius loci præbendam converterem diſciplinis. Hujus ſiquidem deliberationis ſumma fuit, ut eos inde expellerem, & Deo auctore vitam inſtituerem monaſticam, niſi ſeipſos ſan-

sanctæ illius subderent vitæ. Sed hoc quasi despectui habentes, ut erant jurati cœtu, maluerunt esse pares in imperfectionum consensu. Denique consultu nostrorum clericorum, scilicet abbatum utriusque ordinis, atque fidelium laicorum, præfecimus ibi abbatem, Arbertum nomine, cujus institutionibus in reliquum adventantes inibi, eodem quo definivimus ordine, scilicet monastico erudirentur. Quapropter furoris stimulo veluti de paternis reditibus accensi quidam eorum adierunt regem, seniorem nostrum videlicet Ottonem, vanam super hoc garrientes declamationem, quod injuste proprium abstulissem & veluti hæreditarium locum. Cumque ut egeram præfato seniori totum indicassem, illorum floccipendens rationem, ut sapiens & justus rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantes molestarentur invidorum, tunc & ipse quod feceram confirmavit testamento regiæ auctoritatis, præcipiens ut pari consensu ad corroborationis auctoritatem idemtidem nostra sanciret ecclesia. Quod juxta desiderii ardorem exequens, ut dehinc sicut statuimus maneat, cum consensu ducis nostri, Ottonis videlicet, totiusque ecclesiæ nostræ hoc præceptum confirmationis scriptum manibus propriis roboravimus, & roborandum tam prædicto duci, quamque coepiscopis nostris, fidelibusque dedimus; in Domino, & propter Dominum, omnes successores nostros humiliter postulans, ut sicut diffinivimus, utque volunt sua quæ diffinierint, rata habere consentiant nostra. Actum Metis publice, sub die Idus Martii, indict. xv. concurrente v. anno XIII. adeptionis episcopatus domni & venerabilis episcopi Adelberonis, hoc testamentum fuit coram cunctis in palatio recitatum, & ab omnibus voluntarie corroboratum.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

Adalberonis Metensis.) Depromptum est ex tabulario sancti Arnulfi. Ottonis vero ducis Lotharienſium, cui Otto rex ducatum hunc aliquanto post Gisleberti mortem dederat, meminit in gestis hujusce anni DCCCCXLII. Flodoardus. Errat enim more suo Sigebertus Gisleberti obitum differens in annum DCCCCXLIII.

CONCILIUM BONNENSE

ANNO CHRISTI 942.

Anno Domini DCCCCXLII.

De hac synodo Reginonis concinnator, ad ann. DCCCCXLII. *in hæc verba*: Bonna castello præclara synodus a XXII. episcopis celebrata. *Lambertus quoque Schafnaburgensis*; Synodus, *inquit*, Bonnæ congregata est. *Sed hic annum designat* DCCCCXLIII. *sive de eadem synodo loquatur, cujus in assignando tempore hi duo dissentiant; sive de altera, quæ anno consequente habita sit. Quidquid est, nihil quidquam præterea de Bonnensi concilio habemus.*

VITA MARINI PAPÆ II.

ANNO CHRISTI 943.

QUI PERPERAM MARTINUS II. NOMINATUR.

MArinus natione Romanus, post obitum Stephani factus est pontifex, anno Redemptoris nostri DCCCCXLIII. Hic est ille, qui ante viginti tres annos Udalrico Romam venienti prophetice obitum Adelberonis prædecessoris sui revelavit, eumque eidem successurum prædixit. In vita Udalrici nominatur pontifex per anticipationem, qui post annos circiter viginti ab eo tempore sedem pontificiam vere occupavit. Pontificatum adeptus, omissis insanabilibus tumultibus bellicis, totum se tradidit ad componendam ecclesiam, tam in cleri, quam in monachorum reformatione, & in basilicarum restauratione, & pauperum cura. Literis vero egit, ut inter Christianos principes mutuo decertantes pax componeretur. Unicum * monumentum Marini, quo continetur privilegium concessum sancti Vincentii monasterio super Vulturni fontes, extat apud Baronium anno 944.

* *Solum hoc monumentum viderat Binius: nos alterum adjungimus.*

Hujus temporibus, post Heribertum comitem defunctum, filio ejus Hugoni Remensi archiepisc. Artaldus novum facessit negotium. Imago Christi Redemptoris, miraculo expressa, & ad Abagarum Regem transmissa, translata est Constantinopolim, dum Edessa a Romanis obsideretur anno Redemptoris 946. inquit Flodoardus, Marinus papa decessit, cum, juxta Vaticanos indices, annos tres, menses sex, & dies tredecim sedisset.

Imago Christi ad Abagarum missa.

CONSTITUTIONES * ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIÆ,

Tempore regis Edmundi, hoc est annum circiter Domini DCCCCXLIII. in quibus cavetur de officio regis, magistratuum, & cleri, & de juribus ecclesiæ rite conferendis.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De immunitate ecclesiæ.*
II. *De sæcularium principum officio & obedientia episcopis præstanda.*
III. *De officio episcoporum.*
IV. *De officio presbyterorum.*
V. *De officio clericorum.*
VI. *De officio monachorum.*
VII. *De prohibendis illicitis connubiis.*
VIII. *De*

VIII. *De concordia in ecclesia conservanda.*
IX. *De jejuniis & eleemosynis faciendis.*
X. *De decimis reddendis.*

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ Trinitatis & unicæ divinitatis. Licet, nullis existentibus meritis, monita piæ exhortationis ausu temerario quempiam docere præsumam: tamen quia certantibus & videlicet laborantibus in stadio hujus vitæ, spirituale bravium auctore donorum Spiritu promittitur, & pastorum curæ populus Dei multiplicandus fide & numero caute conceditur: ideo ego Oda humilis & extremus, divina largiente clementia, almi præsulis & pallii honore ditatus, quædam documenta, omni Christicolæ, ni fallor, non indigna, quæ a præcedentibus illustrium virorum præceptis certissima comperi, ad consolationem domini mei regis, scilicet Edmundi, omnisque populi excellenti imperio ejus subjecti, in ista chartula coadunare decrevi. Unde devotissime obsecro, & clementissime hortor audientium mentes, ut si quando hæc recitanda audiant, interius videlicet in corde frequenti meditatione plantent: & multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pacatissimum in tempore messis sibi colligant.

CAPUT I.

Primo capitulo præcipimus & mandamus, ut sancta Dei ecclesia, quæ sanguine Christi primum fundata est, & fidelium multitudine, sponsa dealbata, nullis ingredietur malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum ponere super ecclesiam Dei: quia filii ecclesiæ, id est filii Dei, ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Ambrosius ait, Ecclesia catholica libera est ab omni censu principis. In historia ecclesiæ: Si quæ domus agri, vel quælibet prædia a Christianis direpta sunt, sive sub fiscum regalem, sive in dona collata sunt, hæc omnia in antiquum jus Christianis præcipimus revocari. Gregorius enim ait: Si quis ecclesiam Christi denudaverit, anathema sit, si non satisfactione emendaverit. Et iterum: Quisquis ecclesiæ Dei parochias vel usurpare per rapinam tentaverit, ab ecclesiæ ministris excommunicandus est, & omnimodo a corpore Christi alienus. Audent enim extra milites qui Christum crucifixerunt, aliquid, qui ecclesiæ ejus disciplinæ regulis obedire contemnunt: ecclesia enim habet potestatem ligandi atque solvendi.

II.

Secundo capitulo ammonemus regem, & principes, & omnes qui in potestate sunt, ut cum magna humilitate suis archiepiscopis, omnibusque aliis episcopis obediant: quia illis claves regni cælorum datæ sunt, & habent potestatem ligandi atque solvendi: nec se magni pendant in sæculari potentia, quia Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam: habetque rex prudentes consiliarios, Deum timentes super regni negotia: ut populus bonis exemplis regis & principum eruditus, proficiat in laudem & gloriam Dei. Neminem injuste per potentiam opprimere: sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare: advenis, pupillis, & viduis protector esse: furtum prohibere: adulteria punire: iniquos non exaltare: pauperes eleemosynis alere: quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata, præcipue tamen regibus & omnibus in sublimitate positis; qui & pro seipsis etiam, & pro universis sibi subjectis, in die districti examinis justo judici rationem sunt reddituri.

III.

Tertio, ammonendi sunt episcopi, quatenus cum omni honestate & modestia in sanctæ religionis pietate prædicent & ostendant exempla bona omnibus. Ut suas parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando verbum Dei, circumeant; ne aliquis per incuriam pastoris, per devia cujuslibet ignorantiæ errans, lupinis pateat morsibus lacerandus. Ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat: quod enim gratis excepimus, gratis impendere non differamus. Absque ullo timore vel adulatione cum omni fiducia verbum veritatis prædicare regi, principibus populi sui, omnibus dignitatibus, & nunquam veritatem subterfugere. Neminem injuste damnare, neminem nisi juste communicare, omnibus viam salutis demonstrare.

IV.

Quarto capitulo, ammonemus presbyteros ut populum Dei bonis exemplis habitu sancto doceant, & doctrina sancta erudiant & informent. Ut illorum conversatio in omni bonitate & modestia moribus populi excellentior sit: quatenus qui eum viderit secundum presbyteratus sui dignitatem vestitum incedentem, bene & laudabiliter enunciat habitus ejus.

V.

Quinto capitulo ammonendi sunt clerici, ut canonice cum omni honestate & reverentia juxta sanctorum patrum decreta vivant, præbentes bona omnibus exempla: quatenus in eorum bona conversatione laudetur episcopus, honoretur ecclesia, populus proficiat in laudem Dei, & illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hæreditatem venire efficiantur.

VI.

Sexto capitulo hortamur monachos, & omnes qui votum Deo voverunt, ut in omni humilitate & obedientia die noctuque hoc adimplere studeant, permanentes in timore Dei in ecclesiis ubi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem ejus contemnunt: sed secundum exempla apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, & lectione sacra, & continuis orationibus se exercentes, parati, præcinctis lumbis, ardentibusque lucernis, patremfamilias expectent, ut veniens eos faciat in æterna requie sine fine permanere.

VII.

Septimo capitulo prohibemus & interdicimus omnibus Christianis injusta connubia, & incestuosa, cum monialibus, vel cognatis, vel cum aliis illicitis personis. Sanctæ enim recordationis Gregorius papa, cum pluribus episcopis, seu sacerdotibus cæteris, in basilica beati Petri apostoli constituit: Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes: Amen. Nos quippe eamdem apostolicam auctoritatem sequentes, simili modo jaculum maledictionis talibus imponamus, nisi correptus a tam nefanda præsumptione ad satisfactionem pervenerit.

VIII.

Octavo capitulo observamus: ut quando in aliquo conventu venerimus, tota intentione consideremus quod Psalmista nos admonet, dicens: *Dominus prospicit super filios hominum*: & reliqua. Psalm. 5
Et iterum: *Dominus dissipat consilia gentium*: & reliqua usque *in hæreditatem sibi*. Ideo prævidendum est, fratres, ut sit concordia & unanimitas in-

inter episcopos, & principes, omnemque populum Christianum, ut sit unitas ubique ecclesiarum Dei, & pax: immo una sit ecclesia, fide, spe, & caritate, unum habens caput, quod est Christus, cujus membra se invicem adjuvare mutuaque caritate diligere debent, ut ipse ait: *In hoc cognoscant omnes:* & reliqua.

IX.

Nono capitulo ammonemus jejunium * cum eleemosynis caute & vigilanter conservare: istæ enim sunt tres alæ quæ ducunt sanctos ad cælum. Quatenus quadragesimale jejunium, quatuor tempora, & alia legitima jejunia, videlicet IV. feriam, & VI. feriam, cum magna vigilantia observare studeatis: & super omnia dominicum diem, & sanctorum festivitates, sicuti canon & exempla præcedentium affirmant, ab omni sæculari opere cautissime custodire procuretis, nec superstitionibus vanis consensum præbeatis: neque creaturam pro creatore magicis illusionibus adorabitis, quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

X.

Decimo capitulo mandamus, & fideliter obsecramus, de decimis dandis, sicut in lege scriptum est: *Decimam partem ex omnibus frugibus tuis, seu primitiis, deferas in domum Domini Dei tui.* Rursum per prophetam: *Afferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, & probate me super hoc. Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero benedictionem usque ad abundantiam: & increpabo pro vobis qui comedit & corrumpit fructum terræ vestræ, & non erit ultra in ea sterilis.* Unde & cum obtestatione præcipimus, ut omnes studeant de omnibus quæ possident dare decimas, quia speciale Domini Dei est: & de novem partibus sibi vivant, & eleemosynas tribuant. Veritatem autem facientes, in caritate maneamus in illo qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA SYNODALIS

ODONIS ARCHIEPISCOPI CANTHUARIENSIS

Ex lib. 2. Willelmi Malmesb. de gestis Pontif. Angl.

Ad episcopos sibi suffraganeos.

Mirabili cunctipotentis polorum præsulis clementia opitulante, ego Odo ecclesiæ Salvatoris Domini nostri Jesu Christi archiepiscopus, Dorobernensis civitatis metropolitanus, coepiscopis fidei catholicæ compaginatoribus, spiritali caritate, etiam comitatus rigore, meis confratribus, præsentium prosperitatem æthereique decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri posset, ut totius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus, ita ut imperiali munere nobis universaliter deservirent, libenter illa omnia distribuerem, neque ipsum insuper pro vestrarum animarum salute impenderem. Quippe quoniam meipsum a vestræ sanctitatis studio cupio & spero corroborari super eo, in quo Dominus Deus nos operarius constituit * Et multa, quibus onus pontificatus exponit, subdidit: * Idcirco humiliter, quasi indignus, sed devotus, precor & hortor sanctitatem vestram, ne tepide & negligenter in regimine animarum conveniatis, ut non in tempore tremendæ vindictæ conqueratur de vobis Dominus, dicens: *Pastores non pascebant gregem meum, sed semetipsos.* Et iterum: *Principes extiterunt, & ego ignoravi.* Sed potius curemus familiæ Domini, super qua nos constituit rectores, cibum dare in tempore suo, mensuram tritici, probatam scilicet doctrinam. Et quamvis meritorum qualitate, non præsumam consolari & hortari quemquam, quippe qui solus indignus, & innumerabilium culparum reus, gaudeo & indigeo fraternis admonitionibus fideliter corroborari: tamen propter antiquam auctoritatem prædecessorum meorum, beatæ scilicet memoriæ Augustini, & aliorum sanctorum, quorum studiis regula Christianitatis, primum de hac archiepiscopali sede cunctis finibus Anglorum innotuit: idcirco istos divinos apices ad utilitatem omnium vestrum caraxare decrevi, quatenus rex augustissimus egregio vocabulo Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis & ex nobis audiat, omnesque gentes, quæ undique regali imperio ipsius subjectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conversationis ovanter sequi ament & delectent.

* *Quæ asteriscis sunt inclusa, puto esse Willelmi Malmesb. qui hanc epistolam refert. Ezech. 34.*

CONCILIUM BUNDENSE,

ANNO CHRISTI 943.

Anno Domini DCCCCXLIII.

De hoc concilio hæc tantum chronicon Hildensheimense. Anno DCCCCXLIII. synodus ad Bundam congregata est. *Nec plura.*

LEGES ECCLESIASTICÆ EDMUNDI REGIS ANGLIÆ

C. ANNUM CHRISTI 944.

A SÆCULARIBUS SUIS SEGREGATÆ.

TITULI CAPITULORUM PARTIS I.

I. *De vitæ castitate eorum qui sacris initiantur.*
II. *De decimis & censu ecclesiastico, sive primitiis seminum.*
III. *De homicidio.*
IV. *De eo qui monialem stuprarit, & de adulterio.*
V. *De fani instauratione.*
VI. *De peierantibus, & iis qui barbara factitarunt sacrificia.*

Pars II. huc nihil confert.

TI-

TITULI CAPITULORUM PARTIS II.

I. *De homicidio.*
II. *De eo qui alium oppugnarit in æde sacra, aut oppido regio.*
III. *De pugnæ & homicidii mulctis.*
IV. *De sanguine effuso.*
V. *Gratias agit, quod eum in profligandis furibus adjuverint.*

PARS PRIMA.

PROOEMIUM.

EDmundus rex ipso solemni paschatis festo frequentem Londini, tam ecclesiasticorum quam laicorum, cœtum celebravit, cui interfuerunt Oda, & Vulstanus archipræsul, plurimique alii episcopi, ut animorum suorum, & eorum omnium qui eis curæ sunt, consuleretur saluti.

CAPITULA.

I.

Imprimis qui sacris sunt initiati, atque ex quibus populus Dei virtutis exemplum petere debebit ad imitandum, caste (ut eorum feret ordinis ratio) sive viri, sive mulieres fuerint, vitam traducunto: sin minus id fecerint, prout illorum se habent normæ, plectuntor: omni scilicet sua possessione terrena mulctantor vivi, & (nisi mores in melius emendaverint) mortui sacra prohibentor sepulturæ.

II.

Christianus quisque decimas seminum primitias, nummumque eleemosynarium illum religiose pendito: qui non solverit, anathema esto.

III.

Si quis hominis Christiani sanguinem effuderit, ad regium conspectum (etsi ei servierit) non admittitor, ni prius id sceleris, juxta ac fuerit ei ab episcopo imperatum, compensarit.

IV.

Si quis monialem stuprarit, aut instar homicidæ compensato, aut sacra sepultura prohibetor. Idem juris esto, si quis adulterio commisso conjugium violarit.

V.

Episcopis omnis suis ipsius sumptibus domum Dei instaurato, regemque de reliquis sacris ædibus (id quod valde est necessarium) composite ornandis commoneto.

VI.

Qui pejerarint, aut barbara factitarint sacrificia, divinis omnibus (nisi ocius resipuerint, animumque in melius emendarint) perpetuum arcentor.

Omissa est pars secunda, quia ad res ecclesiasticas non spectat.

PARS TERTIA.

PROOEMIUM.

EGo Edmundus rex omnibus qui in ditione ac potestate mea sunt, senibus ac juvenibus, clare significo, me a scientissimis regni mei in celebri, tam ecclesiasticorum quam laicorum frequentia, studiose requisivisse, quo tandem pacto Christiana proveheretur fides. Atque nobis omnibus commodissimum visum est, ut amorem ac mutuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem nostram foveamus. Etenim nos omnes A harum tædet quotidianarum pugnarum, & propterea ad hunc modum statuimus.

CAPITULA.

I.

Si quis alium posthac interfecerit, solus cum interfecti cognatis inimicitias capitales suscipito, ni integram capitis ejus æstimationem (cujuscumque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra duodecim menses persolvent. Sin eum cognati ejus pro derelicto habuerint, neque vero quidquam pendere voluerint, ipse inimicitias subito solus, ac illi pro inimicis non habentor. Ei tamen interim cognatis ejus victum ne suppeditanto, neve cum eo pacem habento: id quod si quis eorum fecerit, fortunis suis omnibus regi mulctator, & qui prius cognatum suum pro derelicto habuit, is jam cognatis interfecti pro inimico habetor. Atqui si alium quemcumque præter interfectorem ipsum cognatorum quisquam ultus persecutusque fuerit, is fortunis suis omnibus mulctatus, regi, & omnibus amore eum prosequentibus, pro inimico putandus est.

II.

Si quis ad templum oppidumve regium confugerit, eumque alius oppugnarit, damnove affecerit, is, prout antea effati sumus, tenetor.

III.

Nulla pugnæ aut homicidii nomine irrogata remittitor mulcta.

IV.

Clare autem significo, non fore ei qui sanguinem humanum effuderit, suffugio domum meam, ni prius Deo ac cæsi cognatis cumulate satisfecerit, & præterea impleverit quodcumque ei fuerit ab episcopo, in cujus id diœcesi acciderit, imperatum.

V.

Maximas autem Deo & vobis omnibus ago gratias, qui me auxilio vestro in hac pacis, quam nunc ad profligandos fures sancivimus, lege ad juvistis, ac vehementer confido, eo vos propensius nobis in posterum opitulaturos, quo hujus decreti observatio magis videbitur necessaria.

Quomodo desponsanda virgo, & quibus ritibus procedendum sit. Hæc add sunt ex a manuscript

I.

Si quis virginem ducere aut fœminam voluerit, ipsa & amicis suis consentientibus: debitum est, cum ex jure divino, tum ex humana institutione, ut sponsus primo non solum fidem præbeat de prælocutis perimplendis, sed una etiam cautionem, se eam ita cupere, ut secundum legem Dei eam habeat uxorem, & hoc etiam vadient amici ejus.

II.

Tum habenda victus ratio, & sciendum est quis eos sustinuerit. Stipuletur hoc sponsus ipse, idemque pariter amici ejus.

III.

Edicat jam tum sponsus, qua bonorum parte uxorem donat, præter hanc quam ex ejus beneplacito ipsam prius cooptaverit.

IV.

Sin & ipsa eum supervixerit (quod si quidem eveniat) tunc justum est ut ipsa habeat dimidiam partem omnium bonorum, & si prolem inter se susceperint, integritatem ipsam, donec transeat ad secundas nuptias. Prisca dotis tionis fo mula.

V.

Sponsiones autem vir quas pactus est, cautio-

ſuſceperint, integritatem ipſam, donec tranſeat A ad ſecundas nuptias.

V.

Sponſiones autem vir quas jam pactus eſt, cautione interpoſita illibatas ſemper cuſtodito, & amici ſui eas vadianto.

VI.

Si de omnibus jam inter ipſos convenit, ſpondeant conſanguinei ſuam conſanguineam uxorem ei qui illam petiit, vitæ etiam integram fore, ſatiſdationemque accipiant de celebrandit nuptiis.

VII.

Si maritus eam poſtea de territorio Thani (*ſeu baronis*) quo jam nutrita eſt, eduxerit in alterius Thani territorium: cautione ſatiſdatum ſit amicis ſuis, quod exinde nemo ei inferet injuriam. Et B ſi ipſa contra mali quid patraverit, prompti ſint amici ejus marito facere emendationem, ſi ipſa non habuerit unde compenſaverit.

VIII.

Nuptiali huic dationi miſſalis aderit ſacerdos: is de jure eorum conjunctionem Dei benedictione in omnem felicitatis plenitudinem promovebit.

IX.

Caute etiam providendum eſt, ut intelligatur nullum inter eos eſſe conſanguinitatis vinculum, ne juſte poſtea ſeparentur qui injuſte primitus jungebantur.

LEGUM ECCLESIASTICARUM EDMUNDI REGIS PRISCA VERSIO.

Tituli Capitulorum Partis I.

I. *De caſtitate ordinatorum.*
II. *De decimis & aliis debitis eccleſiæ.*
III. *De homicidio.*
IV. *De fornicatione cum nunna, vel ſanctimoniali, & de adulterio.*
V. *De apparatione eccleſiarum.*
VI. *De perjurio & liblaco.*

PROOEMIUM.

EDmunbus rex congregavit magnam ſynodum Dei ordinis & ſæculi apud London civitatem in ſancto paſchæ ſolemni, cui interfuit Odo & VVulſtanus archiepiſcopi, & alii plures epiſcopi, qui perquirentes de conſilio animarum noſtrarum, & eorum qui ſubditi ſunt illis.

CAPITULA.

I.

In primis eſt ut ſanctis ordinibus evecti, qui plebem Dei docere debent lumen vitæ, caſtitatem teneant ſecundum ordinem ſuum, ſit *vverhades*, ſit *vvifhades*, ſit alterum, ſit alioquin, ſint ejus digni quod in canone dictum eſt, hoc eſt, ut perdant ſæcularem pecuniam, & ſanctificatum * *legerſtovva*, id eſt poſitionis locum, ſi non con- E vertantur & emendentur.

II.

Decimam præcipimus omni Chriſtiano ſuper Chriſtianitatem ſuam dare, & emendent *cyricſceatum*, id eſt eccleſiæ cenſum, & *elmesfeoh*, id eſt eleemoſynæ pecuniam. Si quis hoc dare noluerit, excommunicatus ſit.

III.

Si quis ſceleratis manibus effundat ſanguinem Chriſtianum, non appareat in conſpectu regis priuſquam emendationem ineat, ſicut epiſcopus docebit, & pœnitentiam conſulet.

IV.

Qui cum nunna vel ſanctimoniali fornicabitur, ſanctificato atrio ſit indignus, niſi emendet, ſicut homicida, ſic idem diximus de * *cvvice*, id eſt de adulterio vel infracto conjugio. * *l. cwebrie.*

V.

Amplius dixi ut omnis epiſcopus reficiat Dei domus in ſuo proprio, & regem admoneat, ut omnes eccleſiæ Dei ſint bene paratæ, ſicut magnum nobis opus eſt.

VI.

Qui falſum jurabunt, & liblacum facient, ſint in æternum a Dei conſortio ſegregati, niſi ad dignam ſatisfactionem per omnia revertantur.

Pars II. huc nihil confert.

TITULI CAPITULORUM PARTIS III.

I. *De homicidio.*
II. *De aſſaltu in itinere verſus eccleſiam vel burgum regis.*
III. *De* fihtevvita & manbota.
IV. *De fundentibus ſanguinem humanum.*

PROOEMIUM.

EGO Edmundus rex mando & præcipio omni populo ſeniorum ac juniorum qui in regione mea ſunt ea quæ inveſtigans inveſtigavi cum ſa- C pientibus clericis & laicis.

CAPITULA.

I.

In primis quomodo poſſem Chriſtianitatem magis erigere, & magnum nobis neceſſe viſum eſt, ut amicitiam veſtram & benevolentiam teneamus inter vos in toto regno meo: & mihi valde diſplicent, & vobis omnibus, multiplices & injuſtæ pugnæ quæ inter vosipſos fiunt, unde diximus: Si quis poſt hæc hominem occidat, ipſe ſibi portet inimicitiæ factionem, niſi amicorum ſuorum auxilio intra unum perſolvet eum plenum VVeregildo, ſit natus ſicut ſit. Si eum cognatio ſua D deſerat, & pro eo gildare noluerit: tunc volo ut omnis tribus vel cognatio illa ſit extra factionem, præter ſolum malefactorem: ſed deinceps ei nec victum det nec pacem. Si quiſquam cognationis ſuæ firmet eum poſtea, reus ſit omnium quæ habebit erga regem, & portet ſudam erga contribunales, quia primitus reprobaverat eum. Si ex mortui cognatione quis vindictam perpetret in aliquem alium præter ipſum malefactorem, ſit inimicus regis, & perdat totum quidquid habet.

II.

Si quis eccleſiam requirat vel burgum meum, & ibi aſſailiatur, vel affligatur, qui hoc fecerit, ejuſdem culpabilis quod ſupra dictum eſt.

III.

Et nolo ut aliqua *fihtevvita*, vel manbota, condonetur.

IV.

Amplius indico, quod qui ſanguinem fundat humanum, nolo ſocnam habere in familia mea, antequam divinam emendationem ſuſcepit, & ad omne rectum inclinetur, ſicut epiſcopus docebit in cujus ſcyra fuerit.

Sequitur in Jornalenſi libro hoc capitulum.

De ſponſalibus contrahendis tempore regis Edmundi.

Si quis virginem vel viduam ducere velit, & hoc illi placeat & amicis ſuis: tunc rectum eſt ut bridguinum, per Dei juſtitiam & ſæculi jus competens, in primis promittat & vadiet eis qui paranymphi ſunt, quod eo modo quærat eam, ut ſecundum Dei rectum pertinere velit, ſicut ſponſus debet legitimam ſponſam, & plegient hoc amici ſui. Poſt ea ſciendum eſt cui foſterleanum pertineat. Vadiet hoc bridguina, id eſt ſponſus, quid ei dare diſponat, cur ejus eligat voluntatem, & quid ei deſtinet ſi ſupervixerit ipſum. Si ſic quoque conveniat, rectum eſt ut dimidiam pecuniam habeat, & totam, ſi ſimul puerum habuerint, niſi deinceps virum capiat. Totum hoc vadio confirmetur, & amici ſui plegient. Si tunc omni re concordent, adeat cognatio & deſpondeat eam *to vvyte & toryghtlyte*, id eſt in uxorem & rectam vitam, & excipiat inde plegium qui jus habet in vadio. Sed ſi de ipſa terra velit ipſam ducere in terram alterius thani: conſilium eſt, ut amici habeant pactionem, ne quis ei faciat injuriam. Et ſi illa foriſfaciat, ut poſſint eſſe propinquiores emendationi, ſi non habeat unde componat. Huic dationi debet intereſſe presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum conſortium adjuvare in omnem ſanctitatem. Bonum eſt prævidere ne ex aliqua conſanguinitate ſibi pertineant: ne juſte poſtmodum ſeparentur, qui ſceleratis nuptiis conſenſerunt.

A tunc juſtum eſt, ut ſponſus juxta jus Dei & inſtituta mundi prius promiſſum & fidem det viro, qui eorum prolocutor (paranymphus) eſt, quod ille hoc modo eam cupiat, ut juxta jus Dei eam ſervare velit, ſicut vir fœminam ſuam debet: & hoc ſpondeant amici illius.

II. Poſtea ſciendum eſt, ad quem cibariorum exhibitio pertinet; hoc ſpondeat deinde ſponſus, & fidejubeant amici ejus.

III. Poſtmodum ſignificet Sponſus, quid ei daturus ſit pro eo, quod illa voluntatem ipſius elegerit, & quid ei donaturus ſit, ſi illa ſupervixerit eum.

IV. Si hoc ita pacto conventum eſt, tunc juſtum eſt, ut ea dimidiam bonorum partem habeat, & omnia, ſi prolem invicem habeant, niſi illa deinde maritum (alium) eligat.

V. Confirmet omne, quicquid promiſerat ſponſione, & amici fidejubeant.

VI. Si illi tunc in omni re concordant, tunc adeant cognati, & ſpondeant conſanguineam ſuam in uxorem, & ad rectam vitam ei, qui illam deſiderat, & accipiant fidejuſſorem (eum) qui in ſponſionem jus habet.

VII. Si eam ex terra illa ducere velit in alterius thani regionem, tunc ſponſio ipſius ſit, quam amici paciſcantur, quod maritus ejus nullam illi injuriam inferat; & ſi illa delictum commiſerit, quod propinquiores debeant compenſare, ſi illa non habeat, unde compenſet.

VIII. Nuptiis presbyter interſit; qui de jure cum Dei benedictione eorum conjunctionem adunare debet in omni felicitatis plenitudine.

IX. Bonum etiam eſt cavere, ut ſciatur, an non per conſanguinitatem conjuncti ſint, ne juſte poſtea ſeparentur, qui injuſte antea conjuncti erant.

LEGES ECCLESIASTICÆ DE NUPTIIS.

Ex Wilkin. Conc. Britan. to. I. pag. 216.

Text. Roff. ex nova Verſione.

Quomodo virgo deſponſanda, & quinam ritus ibi eſſe debent.

I. SI quis virginem, vel uxorem in matrimonium ducere velit, & hoc illi ac amicis placeat;

ANNO CHRISTI 944. Ex Editione Regia.

CONCILIUM TRENORCHIANUM

ANNO CHRISTI 944.

ANNO CHRISTI DCCCCXLIV.

Auctor eſt Petrus a ſancto Juliano in originibus Trenorchianis anno Chriſti DCCCCXLIV. *Giſalberti ducis evocatione congregatam fuiſſe ſynodum in ejus loci monaſterio, ad eamque convenisse archiepiſcopos duos, Guidonem Lugdunenſem & Goffridum Veſontionenſem; epiſcopos quinque, Goteſcalcum Lauſanenſem, Rotmundum Æduenſem, Hildebadum Cabilonenſem, Maimbodum Matiſconenſem, & Alchierum Gratianopolitanum, cum abbatibus, clericis, & monachis permultis. Ab his autem uno conſenſu decretum, ut ſacræ monaſterii reliquiæ, quæ orto inter monachos diſcidio propter ducem, qui ineptum illis abbatem imponere nitebatur, ad ſanctum Portianum apud Arvernos exportatæ fuerant ante triennium, miſſa legatione repoſcerentur, ſolemnique pompa exceptæ, in priſtinis ſedibus collocarentur. Re peracta, omnem protinus qua vexati fuerant, calamitatem deſiſſe.*

CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM,

QUO TRYPHON PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS

Doloſe depoſitus eſt, ſubſtituto in locum ejus Theophylacto imperatoris filio. Habitum fuit anno Domini [1] DCCCCXLIV. tempore Marini Papæ II.

Ex edit. Binii.

Cauſa Concilii.

CUM tempore Joannis XI. anno Chriſti 933. Stephanus patriarcha Conſtantinopolitanus obiiſſet, ſtatim exemplo principis ſive comitis Heriberti, imperator Conſtantinopolitanus invaſit patriarchatum iſta ratione. Tryphonem monachum, quod nunquam in eccleſia eſt auditum, temporaneum

1 Rectius anno 931. hoc enim anno depoſitum fuiſſe Tryphonem probat Pagius ad An. Ch. 931. n. 1. & ſeqq.

neum constituit antistitem, qui sederet, usque dum Theophylactus filius Constantini imperatoris legitimæ esset ætatis, qua posset episcopus & patriarcha ordinari: placuit Tryphoni conditio. Exacto tempore quod ipse Tryphon definiverat, de sede, ut promiserat, discedere nolebat, nisi legitimo synodali judicio convinceretur. Congregato igitur ob eam rem Concilio, ibidem gesta sunt quæ a Curopalate his verbis describuntur: *Statim igitur cunctam synodum alloquitur patriarcha: Qui me de sede injuria detrahere cupiunt, o sacri ministerii collegæ, multis admotis machinis, ut probabili causa inventa me expellerent, non invenere. Ad extremum hoc mihi obiiciunt: expertem me literarum esse ajunt. Nunc igitur coram omnibus vobis has literas inscribo, ut videntes ac certiores facti calumniatores, desinant injuria mihi negotium facessere. Dixit, & sumpta charta non scripta, coram omnibus ita scripsit: Tryphon miseratione divina archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & œcumenicus patriarcha. Et scripta per protothronum mittit imperatori. Quibus ille acceptis, & alia in non scripta charta desuper contenta, causam cur se abdicaret scripsit, videlicet indignum se throno cuicumque volenti cedere. Et hac excusatione ad synodum allata, ab ecclesia Tryphon removetur, multum conquerens de fraude, & protothronum graviter accusans. Anno vero post, & mensibus quinque, (tantum enim temporis requirebatur ad perfectam Theophylacti ætatem, qua princeps sacerdotum deligeretur) Februarii mense, indictione secunda, creatur patriarcha Theophylactus imperatoris filius.* Hæc Curopalates.

AD CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM

Pro deponendo a sede CPtana Tryphone, & Theophylacto substituendo

ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

CONciliabulum istud Labbeus, Baronium sequutus, in annum 944. conjecit, quem errorem agnoscens Pagius, cæterique post illum, ad annum 931. retrahendum demonstravit. Ita vero rem conficit. Tryphon CPtanus patriarcha factione aulicorum depositus, cessit ante annum & menses quinque quam successor ejus Theophylactus initiatus fuisset, teste Simeone Logotheta, cæterisque Byzantinarum rerum scriptoribus. Theophylactus vicissim die II. Februarii, indictione VI. anno 933. teste anonymo Theophanis continuatore, ascendit in cathedram. Igitur ex anno 933. die II. Februarii annum, & menses quinque si dempseris, ad annum 931. septembris mensem devenies, quo ad Tryphonem deponendum concilium convenit.

ANNO CHRISTI 946.

VITA ET EPISTOLÆ AGAPITI PAPÆ II.

AGAPITUS Marino successit, anno Christi DCCCCXLVI. tempore Constantini VIII. Hic post multas synodos in causa Hugonis & Artaldi celebratas, Remensem archiepiscopatum Artaldo adjudicatum confirmavit. Brunoni Colonienſi archiepiscopo Ottonis fratri pallium petenti concessit. Debellatis ab Ottone rege magna victoria Danis, iisdemque in Christianam religionem acceptis, gratulatus est Hamburgensi ecclesiæ, ejusque privilegia a majoribus accepta innovavit. *Adam. lib. 2. c. 2.*

Hujus tempore post obitum Lotharii Berengarius regnum Italiæ invasit. Otto imperator vero ab Adelheide filia Rodulphi relictaque Lotharii uxore, & Agapito pontifice, fugata tota Berengarii familia, pro suppetiis ferendis solicitatus, Adelheidem reginam, olim Lotharii conjugem, uxorem accepit. Idem regnum integerrime defendit. Agapitus, cum novem annis, mensibus septem & diebus decem, munere pastorali bene functus fuisset, ex hac vita migravit.

EPISTOLA AGAPITI PAPÆ AD GERARDUM LAUREACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Dissidium ecclesiarum Laureacensis (hoc est Patavienſis) & Salisburgenſis componit. Salisburgenſi occidentalem Pannoniam attribuit; Laureacenſi, utpote antiquiori, benedictionis & sedis honorem, orientalem Pannoniam, regiones Avarorum, Moravorum, Sclavorum: potestatem libere prædicandi per omnes Sclavorum terras, episcopos ibi ordinandi, omniaque auctoritate apostolica constituendi.

Agapitus episcopus servus servorum Dei, fratri dilectissimo & reverendissimo Gerardo sanctæ Lauriacenſis ecclesiæ archiepiscopo, in Christo salutem.

PEtitiones tuas pro renovandis sive approbandis ecclesiæ tuæ privilegiis, venerabilis Fuldenſis monasterii abbas Hademarus, huc causa orationis veniens, cum magna benevolentia nostræ experientiæ suggessit, pariterque jurgia & disceptationes gravissimas inter te & Heroldum archiepiscopum, pro utrinque susceptа in una provincia pallii auctoritate exortas, flebiliter nunciavit: quod & ipsi ex debita pastorali cura nimio cordis mœrore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe sancta & universalis ecclesia, cui auctore Deo præsidemus, a religiosis atque pacatis sacerdotibus suis, & in caritate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur; discordantibus autem & adversum se hostiliter inflante superbia animum tollentibus, præsertim tantis pontificibus, velut evulsis sustentaculis casura, non sine magno periculo & vigoris sui detrimento a proprio statu concutitur. Insuper etiam dum deforis inter vos pro pallii honore pertinaciter hujusmodi contentio

exercetur: agitur ut in fraterna æmulatione decor sacerdotii intus evacuetur.

Inde ergo, frater, officium nostrum illud esse perpendentes, ne inimicitiarum fomite in vobis succrescente dissidium sanctæ Dei ecclesiæ, atque scandalum sine consilii & utilitatis vestræ respectu diutius nutriatur: ad sequestrandum litem vestram accedimus nos arbitres, tam ex solicitudine a domino regiminis injuncti, quam amborum vestrorum amore ad hoc permoti; ita videlicet ut & de prælibata conflictus vestri querimonia rationabilibus judiciis rite justitiæ satisfaciamus, & vos omni exposa controversia in fraternam concordiam Christo moderante revocemus.

Notum est igitur, literisque penes nos commendatum, quibus ecclesiarum locis dignitas pallii ab hac apostolica sede debeatur. Lauriacensem autem urbem antiquitus metropolitanam fore, & archiepiscopi sedem, cui sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in privilegiis authenticis ad nos usque a te directis legimus, ita quoque inventis quibusdam exemplaribus chartæ vetustate admodum attritis in archivio sancti Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis ecclesiæ, & immanissima Christianorum persecutione, a doctoribus istius sedis catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse; & exinde a succedentibus prædicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniæ provincias ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus provinciis, illarumque pontificibus, usque ad tempora Hunnorum non alius, quam sanctæ Lauriacensis præfuit archiepiscopus, quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes regiones depopulavit, atque funditus desolavit. Inde quidem contigit, ut episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atque alio translata, simul etiam archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab apostolico vicario Bavariorum regno, Arno primus sanctæ Salzburgensis ecclesiæ subrogatur archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis sacri scrinii historia. Modo autem mortalibus propitiante Christo, ab hostibus sanctæ Lauriacensis ecclesiæ quiete & inhabitandi securitate concessa, non alibi quam ibidem fraternitatis tuæ cathedram oportet haberi. Quapropter reinthronizamus te eidem ecclesiæ, sanctorum patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed & beatæ memoriæ domini Leonis papæ, a quo excellentia tua pallio ac privilegio donata est, sanctiones atque statuta exequentes: ac sæpe dictam sanctam Lauriacensem ecclesiam potestate & vice beati Petri apostolorum principis absolvimus, & archiepiscopamus, & in culmen metropolitanum sublimamus, & privilegia nobis transmissa manu propria munimus & corroboramus, ac rata esse firmamus, denuoque tibi pallium cum præsenti præcepto secundum usum prius concessum, successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad justitiam reintegratis, decrevimus rixas vestras, & dissensiones præfata ex causa derivatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sicut utrique vestrum modo susceptus servetur pallii honor illæsus, hortantes quatenus apostolice instituti, amodo non in contentione & æmulatione maneatis. Constat quidem quod canonice singulis provinciis singuli ordinantur metropolitani. Proinde distribuere atque determinare ita vobis parochias, bonum & pacificum æstimamus: ut divisis duabus Noricæ regionis provinciis, Heroldo archiepiscopo occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia; tibi autem successoribusque tuis, propter emeritam antiquitatem sanctæ Lauriacensis ecclesiæ, cui jure juniorum reverentia assurgit, in benedictionis & sedis ordine prælatis atque præpositis, providentiam orientalis Pannoniæ, regionemque Avarorum atque Maraharorum * sed & Sclavorum, qui modo Christiani, vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium, credimus, nostramque apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro ubi opus est episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare tali auctoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes affuissemus. Quod si jam dictus Heroldus archiepiscopus deinceps, suorumve quispiam successorum, minime diffinito limite contentus, sed interdictam atque a sua potestate separatam diœcesim repetere pervicaciter conatur, nec a prohibitæ contentionis schismate per istas nostras apostolicas traditiones atque determinationes compescitur: ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus privetur, atque secundum jus pristinum, superior Pannonia continuetur inferiori, atque tuæ tuorumque successorum ambæ perpetualiter subjaceant ditioni. Allubescentes autem assensumque præbentes istis nostris saluberrimis decretis benedicimus & catholicos approbamus: resistentes vero, atque infirmare vel omnino pervertere contendentes, anathemate Maranatha sanctæ Trinitatis districte percutimus, & apostolica sententia, qua mulctati Anania & Saphira exspiraverunt, damnamus, & cum blasphematoribus sancti Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

* hoc est Moravorum, qui & Misi, & Muraci.

EPISTOLA II. AGAPITI PAPÆ AD AYMARDUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Privilegium Abbatiæ Cluniacensis.

Agapitus servus servorum Dei, dilecto filio Aymardo venerabili abbati monasterii Cluniacensis, ædificati in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, siti in Pago Matisconensi, & per te in eodem Monasterio, tuisque successoribus in perpetuum.

CONvenit apostolico moderamini benivola compassione pie poscentium votis succurrere, & alacri devotione his præbere assensum. Ex hoc enim potissimum præmium a conditore omnium Deo promerebimur. Igitur quia petistis a nobis, quatenus Monasterium prædictum in illo statu quo a Guillelmo duce per testamentum manere decretum est, nostra apostolica auctoritate decerneremus, sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ subjectum esse: inclinati precibus tuis, tibi ad regendum concedimus. Itaque sit illud monasterium cum omnibus rebus, vel quas nunc habet, vel quæ deinceps ibi traditæ fuerint, liberum a dominatu cujuscunque regis, aut episcopi, sive comitis, aut cujuslibet ex propinquis ipsius Guillelmi. Nullus ibidem contra voluntatem monachorum prælatum eis post tuum decessum ordinare præsumat: sed habeant liberam facultatem, sine cujuslibet principis consultu, quemcumque secundum regulam sancti Benedicti voluerint, sibi ordinare; nisi forte, quod absit, personam suis vitiis consentientem eligere maluerint. Hoc quicunque voluerit, cum Dei zelo prohibeat. Decimas vero, quæ olim ad vestras capellas pertinuerunt, & per modernam quasi auctoritatem, sive licentiam, a quolibet episcopo subtracta sunt, vobis ex integro restituimus. Capellas autem, si aliquæ

jam

jam factæ, vel faciendæ inibi sint, ita manere concedimus, ut vestris ecclesiiis nihil ex decimis minuatur. Hoc vero quod dilectus filius noster Bruno episcopus de prædictis capellis vobis concessit, ratum & firmum esse decrevimus in perpetuum. Præterea, quicquid ex vineis, vel culturis ad vestram partem pertinet, partem quoque decimarum, ad hospitale vestrum pertinere sancimus. Simul & de his rebus, quas percepturi estis. Hoc etiam quod Leobaldus ad prædictum monasterium dereliquit. Simul & illud quod Magiona, vel alicubus rebus, quæ ad id monasterium pertinere debent. Confirmamus etiam nostra apostolica auctoritate abbatiam Carilocensis cœnobii, quæ eidem collata est monasterio, Abbatias S. Joannis, atque beati Martini suburbio Matiscensi sitas, nihilominus in perpetuum constare decernimus ad prædictum locum, ut nullus episcopus vel comes, vel aliqua persona inibi temerario ausu quicquam ordinare præsumat, sine jussione rectoris jam dicti loci. Similiter censemus de Celsanicas Alodo Hecsredi comitis, quem filius noster Stephanus, justa lance causam examinans, pro omnium remedio Christianorum prælibato delegavit loco. Præterea villas omnes quæ pertinent ad idem cœnobium Cluniacense, soliditate apostolica roboramus, Solustriacum videlicet, Caninias, Seneciacum, Arpagiacum, sanctum Victorem, & Scociolas, Kaerdasemscum, Dabormacum, & Piscatoriam, quam Osam vocant; Tosciacum, & ecclesiam sancti Desiderii, Ambariacum, & Saviniacum alodum, quem Engelbaldus dedit, & alodum quem VValdo, veniens ad conversionem, dedit. Similiter & Amberiam, & ecclesiam S. Abundi, quam Artaldus moriens ad prædictum reliquit cœnobium. Ecclesiam sancti Saturnini, cum omni alodo, quem Geraldus archiepiscopus dedit prædicto cœnobio. Et quia ordo monasticus summam desiderat immunitatem: ita vobis concedimus, sicut locis sanctis ubique reverentia debetur, ut nullus vestra municipia, aut res quaslibet, sine vestro consultu distringere, aut invadere ullo modo præsumat. Sane, ad recognoscendum, quod prædictum cœnobium sanctæ apostolicæ sedi, ad tuendum, atque fovendum pertineat, dentur per quinquennium x. solidi. Si quis autem contra hanc saluberrimam nostram constitutionem resistendo venire tentaverit, aut aliquid horum corrumpere conatus sit, & omnia quæ in hoc privilegio sancimus, non observaverit, sciat se sub divini judicii obtestatione, anathematis vinculo æternaliter, nisi resipuerit, innodatum, & a regno Dei alienandum, & cum diabolo sine fine cruciandum. Qui vero nostræ hujus saluberrimæ sanctionis custos & observator extiterit, a Christo Domino benedictionem, & a sanctis apostolis mundi judicibus absolutionem hic & in futuro consequi mereatur.

Scriptum per manus Leonis notarii regis, & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Mart. per indictionem VII.

ANNO CHRISTI 946.

☞ AD EPISTOLAS AGAPITI II. PAPÆ

APPENDIX.

ADMONITIO COLLECTORIS.

AGapiti II. papæ epistolam unam ex multis profero, quam omittendam pœniteret, cum celeberrimæ litis inter Hamburgensem & Colonienſem archiepiscopos, de jure in ecclesiam Bremensem, progressionem exhibeat, cujus litis causa tam multa concilia per hæc tempora produxerit. Has vero literas accepi a Menkenio Rer. Germanicar. scriptor. tom. I. pag. 585. qui ex MS. Bremensi chronico illas repræsentat.

AGAPITI II. PAPÆ EPISTOLA

Ad Adalgarium Hamburgensem archiepiscopum.

Junctionem Bremensis ecclesiæ cum Hamburgensi, & cætera Hamburgensis jura confirmat.

Agapitus episcopus servus servorum Dei, reverendissimo, & sanctissimo Adalgario S. Hammaburgensis ecclesiæ archiepiscopo, tuisque successoribus in perpetuum.

COnvenit apostolicæ moderationi pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, & poscentium animos alacri devotione impertire; ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum proculdubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ad meliorem fuerint statum sine dubio producta. Igitur quia postulastis a nobis, quatenus archiepiscopatum Hammaburgensis ecclesiæ totum integrum vobis confirmaremus, sicut a prædecessore D. nostro Nicolao hujus apostolicæ sedis decretum est; inclinati precibus Hadumari Fuldensis abbatis apostolica auctoritate concedimus cum omnibus generaliter atque specialiter locis ad eumdem vestrum archiepiscopum pertinentibus, scilicet omnia, quæ vestri antecessores suis laboribus acquisiverunt, vel etiam amor æternæ patriæ ibi a christicolarum fidelibus largita sunt vel largiuntur; cum illis etiam, qui nunc suo tempore divina protegentia ad Christi conversi sunt fidem, videlicet episcopis Danorum, Norvenorum, Svevonum, nec non omnium septemtrionalium partium; pallium quoque, & ejus usum in prænominatis a prædicto papa factis habendum tibi, & omnibus successoribus tuis perpetuo decernimus. Deinceps vero nullum archiepiscoporum, vel Colonienſem, vel alium quemlibet in vestra diœcesi ullam sibi vendicare decernimus potestatem; quinimmo & ipsis & omnibus omnino suademus cultoribus religionis, ut adjutorium, & solatia vobis in omnibus administrent; quatenus pro gratia hujus beneficii plenam recipere mercedem a Domino mereantur, cum omnia, quæ proficua ecclesiæ probantur exhibere, & divinis non impugnantur præceptionibus efficienda, & præbenda omnipotentis Dei auctoritate, & beatorum apostolorum Petri & Pauli esse non dubitamus, & hoc nostro decreto decernimus, secundum prænominatæ bonæ memoriæ Nicolai papæ sanctionem, & reverendissimi regis Ludovici votum, ipsas prædictas diœceses Hamburgensem scilicet, & Bremensem non deinceps duas, sed unam esse & vocari; omnem quoque adversantem vel contradicentem, atque piis nostris studiis quolibet modo insi-

☞ insidiantem anathematis sermone percutimus, perpetuæque ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen apostolorum, more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus muniamus. Apostolica itaque auctoritate, & Bernhardo episcopo Alverstadensi, Thidardo Hisdenensis ecclesiæ, & cæteris conterminalibus episcopis insuper jubemus, & eos monemus, ut te in omnibus adjuvent, quatenus Sacerdotale ministerium explere, & animarum lucra Domino Jesu Christo facilius acquirere valeas. Auctoritate ergo apostolica, & censura sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdicto statuimus, & nulla persona magna vel parva, cujuscumque ordinis, aut dignitatis sit, omnia quæ a nobis, vel prædecessoribus nostris ecclesiæ tuæ & tibi concessa sunt violet; quicumque autem mutaverit, vel in aliquo violare præsumpserit, nisi resipuerit, auctoritate Dei, & B. Petri, & nostra, qui ejus fungimur vicariatione, perpetui anathematis vinculo sit innodatus. Qui vero custos & observator ejus extiterit benedictionis gratiam, & cælestis retributionis a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Arronis notarii regionarii, atque scriniarii S. R. E. in mense januario, indictione VI. Data IV. nonas januarii per manum Andreæ Arcarii S. sedis apostolicæ in sacratissima sede B. Petri Apostoli Indictione VI.

ANNO CHRISTI 945

ANNO CHRIS. 946.

AGAPITI PAPÆ PRIVILEGIUM

Gallia Christ. IV. nov. edit. pag. 178. append. *Ex chartar. Matiscon. Baberinno. circa an. 950*

Concessum Maibodo Matisconensi episcopo.

AGapitus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo Maimbodo Matisconensis ecclesiæ episcopo, perpetuisque successoribus in perpetuum. Cum omnium sanctarum Dei ecclesiarum status a beatorum Apostolorum principis Petri doctrinis provehatur, & ab ejus fulcimine lapsa quæ sunt resolidantur: oportet merito sanctam Matisconsem ecclesiam minorationem suæ diœceseos patientem, suarumque dignitatum copia carentem cito restitui, ut honorem suum non amittat. Cognoscentes igitur ipsam in omnibus quassatam, convenit ad ejus relevationis statum auxiliatricem nostram porrigere dextram: quatenus B. Petri apostoli fonte potata, Christo juvante, suis redintegretur honoribus; & ideo omnium sanctarum Dei ecclesiarum cultores comperiant atque fideles, eo quod Maimbodus, dilectus episcopus, spiritualis filius noster, suggessit apostolicæ almitati nostræ, quatenus concederemus suis canonicis & laicis in ecclesia S. Vincentii martyris commorantibus, aliunde ibidem non ordinare episcopum nisi qualem canonici una cum prædictis religiosis laicis inter se elegerint, sicut sacri censent canones; etiam concedimus sibi suisque successoribus, ut honor debitus omni tempore impendatur. Prænominatis etiam canonicis concedimus atque confirmamus omnes res, quæ per præcepta Regum vel largitionem bonorum Christi fidelium utriusque sexus in eodem loco conlatæ sunt, ut inrefragabiliter sine alicujus contradictione in perpetuum habeant. Abbatiam vero S. Clementis martyris, quæ est in suburbio præfatæ civitatis cum omni integritate & ecclesiis atque terris & ancillis, colonis & colonabus sibi pertinentibus; necnon & ecclesiam S. Desiderii in Vergiaco villa sitam cum terrula S. Petri ex episcopatu in prænominata villa conjacente, simulque ecclesiam S. Romani in Cathenaco * villa sitam. Verum etiam nonas & decimas & ex furtis * præsati pagi, atque tertiam partem nemoris juxta Ararim fluvium ab amne, villaque Adolani latam, sicut pius Hludovicus rex dilectus filius noster annuente prætaxato Maimbodo præsule de decimis & terra, pariterque consentientibus Hugone marchione & Leothaldo moderatissimo comite, cujus animus in augmento præfatæ ecclesiæ omnino flagrabat, concessit. Itaque nos per hoc nostrum apostolicum privilegium concedimus detinendum perpetualiter cum decimis S. Albani martyris & Gisario: ita ut amodo & deinceps quicquid in eodem loco donata vel concessa sunt, vel Divina pietas in posterum augere voluerit quacumque persona, absque alicujus impulsionis molestia teneant & possideant. Ea vero ratione, ut nullus Rex, dux, comes, aut exactor vel publicus minister super eos aliquam angariam aut districtionem seu gravamen atque imperationem imponere præsumat, nisi quantam fideles canonici prædicti loci alicui personæ ob suam bonitatem concedere voluerint. Statuentes atque promulgantes coram Deo & terribili ejus examine, per hujus nostrum apostolici privilegii firmamentum sancimus, & beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus, & tam apostolicæ sedis obtestamur futuros pontifices, quam qui ecclesiasticas ministraverint functiones, vel etiam magnas parvasque personas, ne quispiam, quacumque sit dignitate præditus, de omnibus istis capitulis, quæ a nobis concessa sunt quoquomodo licentiam habeant a sæpe sæpius nominato loco, atque specialiter apostolicæ exorationis gratia conjuncta disjungere aut alienare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ hac nostra auctoritate pie & firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictæ ecclesiæ ordinate statuta sunt, refragare in aliquo aut transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate B. Petri Apostolorum principis, cujus immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum; & cum diabolo & ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum. At vero qui pio intuitu custos & observator in omnibus extiterit custodiens hujus nostri apostolici constitutum ad cultum Dei respiciens, benedictionem æternam a misericordiosissimo Domino Deo nostro percipiat & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

* *al.* Cadeniaco.
* *f.* furnis

EJUSDEM AD LEONEM ET BENEDICTUM

In Ecclesias Triventinam & Termolensem intrusos.

Agapitus episcopus servus servorum Dei.

Leoni Presbytero, & Monacho, & Benedicto æque Presbytero irrationabiliter a nobis consecratis Episcopis, & ipsum ordinem.... vestientibus.

MIsimus jam vobis literas quatenus veniretis ad nos, & satisfaceretis accusationibus, & querelis, quas adversus nos habet Joannes Episcopus sanctæ Sedis Beneventanæ, qui interpellavit super nos, atque ostendit privilegia facta a nostris antecessoribus Pontificibus S. R. E. & apostolicæ Sedis cum districto anathemate, ut nullus aliquis præsumat minuere terminos prædictæ Beneventanæ Ecclesiæ, & quod Triventina, & Termolensis Ecclesiæ antiquitus subditæ fuissent Beneventano Episcopo, pariterque & omnes aliæ Ecclesiæ, quæ constructæ, vel construendæ sunt infra terminos istarum

Ex Ughel. Ital. Sac. tom. VIII. pag. 51.

rum & aliarum per civitates, & castra, cunctaque loca Beneventani Principatus ditioni subjecta, & quia renuistis venire, & rationem reddere, cognovimus, vos non per ostium intrasse, sed furtive, ut fures & latrones alium de irrupsisse, & indebite Episcopale ministerium usurpasse; cumque nova præsumptio surrexerit, ut videtur, ut plebes quæ subditæ sunt sub Diœcesi &...., Episcopatus ipsius Beneventanæ Provinciæ contra instituta canonum per præmium & datum elegerunt vos sibi per simoniacam hæresim Episcopos, ideoque excommunicamus vos ex auctoritate B. Petri Apostolorum Principis, ut neque in eisdem Plebibus hoc est Triventina, & Termulana Ecclesia episcopalem Cathedram..... præsumatis, nec in nulla alia Ecclesia permissum habeatis aliquod episcopale officium peragere. Nos denique cognoscentes quod licet illud ab antiquis possessum est Pontificibus, & omnia, & parochias, & diœceses integre Beneventano Principatui retradimus, renovamus atque confirmamus eidem Joanni Beneventano Episcopo, ejusque successoribus in perpetuum possidendum, a nostrorumque successorum nullo aliquid minuendum, propterea admonendo, mandando excommunicamus, auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis Clericos, & cunctam plebem Triventinam, & in Termolis consistentem ut si.... sine Gastaldeis ministerialibus seu Clericus, vel populus ipsarum civitatum præsumpserit quærere supradictos Leonem Monachum & Benedictum æque Presbyterum in ipsis civitatibus excipere ad Pontificalem ordinem exercendum sub anathematis vinculo maneant constricti. Si quis autem quod non optamus ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam d. Beneventanæ Ecclesiæ statuta sunt refragare, aut in quoquam transgredi, aut minuere terminos, sciat se anathematis vinculo innodatum, sed & cum Juda Domini traditore, & cum omnibus impiis æterno supplicio condemnatum. At vero qui pro intuitu observator, & in omnibus extiterit custodiens hujus nostri Apostolici constituti ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordiosissimo Domino nostro multipliciter consequatur: & vitæ æternæ particeps effici mereatur. ANNO CHRISTI 946.

Datum per manus Stephani primicerii sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis, anno Domino propitio pontificatus domini Agapiti I. papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli primo ind. V.

CONCILIUM APUD MONTEM TRAGO

SUB EPISCOPO SALOMONE, Era 985.

Anno Christi 946. celebratum.

SUB ope & imperio Sanctæ Trinitatis, & individuæ Trinitatis, Patris videlicet ingeniti, ac Filii unigeniti, nec non Spiritus Sancti ab utroque procedentis Paracliti, qui Trinus in Personis & in Deitate unus Deus perenniter regnat in secula. Amen. Ego Ranimirus nutu Dei Rex commonitione Almi Antistitis nostri Doni Salomonis Astoricensis Ecclesiæ Episcopus cum omnibus Abbatibus, egregiis Dei servis Presbyteris vel Diaconibus, cunctis habitantibus sub Ditione sua & adfinitatis ejus, die Kalendarum Septembrium in unum apud Montem Tracensem Concilium adglomerare præcepi; & pariter cum eis devotus adveni, ubi cum Domino inspirante de sancta Religione, & de communi voluntate Sanctæ Ecclesiæ attentius tractaremus, Vincemalo Abbas Monasterii S. Mariæ, quod situm est juxta rivulum, quem vocant Tablatello sub monte Trago in confinio Verdigense, inter cetera suppliciter nos deprecavit, ut præfatum Monasterium S. Mariæ ab incursionibus oppressorum nostra Clementia relevaret. Cujus supplicatio cum omnibus qui aderant justa atque dignissima esse judicatur, omnesque ipsum unanimiter deprecarent, justæ illorum petitioni devotus acquievi. Igitur ego jam præfatus Rex Ranimirus ob honorem nominis Christi & Sanctissimæ Genitricis ejusque semper Virginis Mariæ, nec non & Sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, quorum confido patrociniis adjuvari pro remedio animæ meæ & parentum meorum, mando & dono, concedo & confirmo ad ipsum Monasterium de Tablatello supranominatum, & Tibi Patri sanctissimo Vincemalo Abbati in opus Monachorum, Anachoritarum, Clericorum, pauperum, hospitum & omnium ibidem Deo servientium; ipsos montes, & valles ab integro, per terminos de illo Espinazo, quomodo descendit de monte Trago ad ipsum Rivulum, quem vocitant Tablatello, & inde ascendit per alium vallem usque ad terminum qui exit ad vias de Turenzo, & inde tornat per ipsam stratam de Penna Galendi, sicut discurrit per Trolgoso ad illum vallem, qui est juxta ipsam Civitatem desuper Tablatello, & descendit per ipsum vallem ad ipsum rivulum de Tablatello & deinde ascendit per illum vallem qui exit ad Castellum de Xano & reducit ad ipsam stratam de Trago, deinde quomodo concluſit ipsa strata ipsos montes quousque retornat de ipso Espinazo, unde incepit. Offerimus itaque damus, & confirmamus ipsos montes & ipsas Villas ab integro per rerminos supranominatos, & quidquid infra concluditur, itaut ab hodierno die vel tempore sit Dabrasum de nostro jure & in vestro dominio sit traditum vobis jam dicto Vincemalo Abbati & successoribus vestris per partem de ipso suprataxato monasterio de Sancta Maria de Tablatello jure hæreditario in perpetuum possidendum. Cautamus etiam jam supradictum Monasterium per terminos supranominatos, ut nullus potens vel impotens pro nulla calumnia, pro parva sive pro magna, sit ausus deinceps infra ipsos terminos pignorare, vel aliquid violenter facere ævo perenni in secula cuncta. Amen. Adiicio etiam, ut omnes fideles hoc meum votum adimpleant & confirment, si confirmati permaneant in Regno Christi, & Sanctorum ejus. Si quis igitur deinceps & in subsequentibus temporibus tam regia potestas, quam impotens, hoc meum Decretum contempserit, vel quocumque temerario ausu & conatu alienare, immutare aut irrumpere ac violare præsumpserit, quisquis ille fuerit, sit anathema in conspectu Dei Patris omnipotentis & Sanctorum Angelorum ejus, sit condemnatus & perpetua ultione percussus in conspectu Domini Nostri

ſtri Jeſu Chriſti & Sanctorum Apoſtolorum ejus, ſit etiam in conſpectu Sancti Spiritus, & Sanctæ Mariæ, omniumque Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, Virginum Chriſti, ſit repetita anathema marenatha, id eſt duplici perditione damnatus, ut de hoc ſæculo ſicut Datam & Abiram virus terræ continuo abſorveatur hiatu, & tartareas pœnas cum Juda, Chriſti proditore, perenni perſerat cruciatu; & inſuper perſolvat parti meæ partique veſtræ ipſum Monaſterium duplatum, vel triplicatum & hoc meum factum per omnia pleniſſimam obtineat firmitatem. Facta ſerie Teſtamenti die III. Non. Septembris ſub era DCCCCLXXXIV. Ego Ranimirus rex hanc ſeriem Teſtamenti, quam A fieri elegi, manibus meis roboro & confirmo. Salomon Dei gratia Aſturicenſis Epiſcopus, Martinus Abba S. Andreæ, Fortis Abba S. Jacobi, Antonius Abba S. Martinæ, Animius Abba S. Locadiæ, Gutinius Abba S. Andreæ, Andreas Abba S. Coſmæ & Damiani, Orecus Abba S. Facundi, Pimolus Abba S. Martini, Joannes Abba S. Petri, Andericus Abba S. Juſti, Pompejanus Abba S. Luciæ, * Carlus Abba Fer..... Presbyter, Vermudo Ramiriz, Armiger Regis, Sarracenus Ordoniz Comes, Romanus Comes, Oſorio Troilax Comes, Butre Alphonſo Comes, Alvaro teſtis, Manio teſtis, Juliano teſtis, Scemenus Notarius Regis notuit & conf.

ANNO CHRISTI 946.

ANNO CHRIS 946.

* Nome Carlus reſtiſime in teribus currit ſcpturis.

NARBONENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 947.

ANNO CHRIS 947.

In quo Riculfi Helenenſis Epiſcopi electio confirmatur.

Anno 947. habitum.

Ex Manſi Suppl. pag. 1127. Ex capitular. tom. 2. col. 634.

CUM inter præclues, ac profperos antiſtes fierent ſancta concilia in Juſti delubris, atque Paſtoris, quæ ſunt ſita infra metropolis Narbonæ mœnia anno Dom. Incarn. DCCCCXLVII. quipote Aimiricum memoratæ Urbis Archiopilonem, ac Rodaltum Biterrenſem, Giſaudum Carcaſſenſem, Dacbertum Agathenſem, Poncionem Magalonenſem una proruperunt. Sic rebus de eccleſiaſticis cum inſtanti inſtatuiſſent ſtudio, illos potiſſimos atque præclaros bearet adjectio, vel quod magis loquar & * rivatim diſſultaret humanitas, & hoc ex eiſdem patres inter ſe connexæ caritatis ardore multis ex quibuſdam theophariis eccleſiarum diebus ſunt politi. Infra hos præclariſſimos patres aderant topicorum multorum primates, qui nihilominus de ſtatu regendæ eccleſiæ cum ipſis conſulebant, & inter agendum cum conſpicarentur ſuorum affectiones optime promptas de eccleſiarum bene * regendis rebus, etiam cum inventa foret una eademque voluntas, ne viduata baſilicarum aliqua proprio patrono illorum in poteſtate remaneret; edictum eſt Helenenſem Eccleſiam adfore orbatam paſtorali conſortio VVadaldi Epiſcopi. Cui affatim condolentes, eo quod exuiſſet hominem, abunde conſolatoris apoteſia ſpiritus repleti, ipſa * inquiſivere in ſacra ſynodo quis quiviſſet ex hac prænominata Eccleſia regimen vindicare illius Epiſcopii. Hic in illa hora egreſſa eſt in Riculfum digna, & affabilis clericorum electio, B ac conclamatio omnium populorum Helenenſis Eccleſiæ, & in hac acclamatione addunt laudibus ejus haud illum eſſe degenerem necne * neofitum, & idiotam; ſed eſſe illum modeſtum, ſobrium, caſtum, benevolum, hoſpitalem, &c. & quid plura? abundanter attribuunt ei laudes apoſtolicas, quas convenit habere unicuique Epiſcoporum. Hoc audientes memorati patres aſſenſerunt illorum vocibus, nec auſi ſunt contraire, quem electio, atque acclamatio proſequebatur, & præſertim aſſenſum præbuit fatibus illorum domnus Aimericus archipræſul, quo ſtatim ſtuduiſſet * ſublimare jam prædictum præsbyterum fore Epiſcopum in hujuſmodi epiſcopatus Helenſis Eccleſiæ decore. Quod omnimode volentes, ſupernoque regi debitas gra- C tes graviter ſolventes, conjunctim liberaliterque, uti foliti ſunt, cupitæ miniſterium affectionis canonicæ in Riculfum adimplevere, confirmantes ejuſdem electionem, & acclamationem manu propria exarando, & roborationis titulo per hanc membranulam nomine deduxere ſuorum. Acta in publico conventu ſanctorum Epiſcoporum, necnon præculium primatam, & roboratam in loco SS. Juſti, & Paſtoris VI. Calendas Aprilis indictione inſtantis cronois habens luſtrum unum annos * II. Aimericus archipreſul. Sig. Giſaudi epiſcopi, Sig. Dacberti Epiſcopi, Sig. Pontii Epiſcopi, Sig. Alexandi abbatis.

* truvatim diſultaret.

* gerendis

* ipſam

* ſtuduiſ

* annoſq duoc.

CONCILIUM HELENENSE

ANNO circiter CHRISTI 947.

ANNO circiter CHRIS 947.

IN FONTANIS.

CIrca annum DCCCCLVII. habitum eſt concilium in Fontanis, diœceſi Helenenſi, ſub Aymerico Narbonenſi archiepiſcopo: quo in concilio, ſecundum ſententiam Romani Pontificis depoſiti ſunt epiſcopi Gerundenſis & Urgellenſis, ſed ſtatim patrum clementia reſtituti. In eodem ſtatu- D tum, ut epiſcopus Helenenſis poſt Narbonenſem archiepiſcopum primas obtineat tam in conciliis, quam in ordinationibus epiſcoporum. *Hactenus ſchedæ Petri de Marca Pariſienſis archiepiſcopi, qui ſummam hanc Helenenſis iſtius concilii excerpſit ex actis ipſis, quæ in Helenenſi tabulario ſervantur.*

CON-

ANNO CHRISTI 947.

CONCILIUM VIRDUNENSE,

IN QUO SEDES REMENSIS ARTALDO

Adjudicata est, mense Novembri celebratum anno DCCCCXLVII.

De hac synodo scribit Flodoardus tum in chronico, tum in historia Remensi libro IV. *capite* XXXIII. *iisdem fere utrobique verbis in hunc modum:* Anno, *inquit*, DCCCCXLVII. Conventus placiti regum Ludovici & Ottonis super Charam fluvium, intrante mense Augusto, celebratur, Hugone principe circa Mosomum & Duodeciacum castrametato: ubi res litis inter Artaldum & Hugonem Remensis ecclesiæ præsules ab episcopis auditur. Et quia synodus tunc convocata non fuerat, altercatio determinari non potuit: synodus autem circa medium mensis Novembris habenda denunciatur. Interim vero sedes Remensis Artaldo conceditur: Hugo autem præsul in Mosomo commorari permittitur. *Et post alia*: Synodus prædicta Virduni habita est, præsidente Rotberto Treverensi præsule, cum Artaldo Remensi, Odolrico Aquensi, Adelberone Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi Mimegardovvrdensi, Israele Brittone, presente Brunone abbate fratre regis Ottonis, Agenoldo quoque, & Odilone, cum aliis quibusdam venerandis abbatibus. Ad quam Hugo episcopus evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis Adalberone & Goslino, venire noluit. Universa vero synodus domno Artaldo Remensi tenendum adjudicavit episcopium. Indicitur iterum synodus Idibus Januarii habenda.

ANNO CHRISTI 948.

CONCILIUM MOSOMENSE,

IN QUO SEDES REMENSIS ARTALDO

Iterum adjudicata, Hugoni communio usque ad generalem synodum interdicta est: mense Januario celebratum anno DCCCCXLVIII.

Flodoardus *idem in chronico*. Anno, *inquit*, DCCCCXLVIII. Synodus prædicta celebratur in ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, a domno Rotberto cæterisque Treverensis diœceseos episcopis, & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc Hugo præsul, & locutus cum Rotberto, synodum noluit ingredi: literas vero quasdam ex nomine Agapiti papæ misit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remensi redderetur episcopium. Quibus lectis, ineuntes episcopi consilium cum abbatibus & cæteris sapientibus qui aderant, responderunt non esse dignum vel congruum, ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Friderico præsule Moguntiacensi, coram regibus & episcopis tam Galliæ, quam Germaniæ susceperat, & partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas literas intermitteret, quas insidiator Artaldi præsulis exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque præceptum est, ut recitaretur capitulum XIX. Carthaginensis concilii de accusato & accusatore. Quo recitato, judicatum est secundum definitionem ipsius capituli, ut Artaldo præsule retinente communionem & parochiam Remensem, Hugo, qui ad duas synodos evocatus venire contempserat, a communione & regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum, quæ indicebatur Kalendis Augusti, se purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum judicio nequaquam obediturus esset

☞ SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi CMXLVIII. Agapeti II. Papæ II. Ottonis Regis XII.

VVicfridus, Archi-Episcopus Colonienſis, confirmat & ampliat privilegia Ecclesiæ S. Severini.

Considerans curam atque pondus meæ dispensationis, ac curam comissi ovilis, non ausus fui petita præterire: sed jussi in Synodali Conventu, quem tunc proxime in cœna Domini collectam habui, septem sapientes Clericos, & totidem idoneos circummanentes laicos, super capsam S. Petri jurare, qui publice recitarent, ut veracius scirent, & posthæc sic circumducerent, ut in æternum absque lite staret omnis ille terminus, pertinens ad præfatum S. Severini Monasterium. Unde factum est, ut condixerant: Primum omnem salatitiam terram pertinentem ad curtem juxta Monasterium, ubicunque jacerent locorum: & sic terminum ducebant ab *urbis porta*, quam vulgus nominat *altam*, per illam plateam usque ad S. Joannis Ecclesiam, & per septem, & decem jurnales in alia parte plateæ jacentes: ab Ecclesia autem per viam, quæ est dicta Burchstrazza, usque ad villam, & est dicta Thiedenhovene, cum omnibus quæ pertinent ad il-

illam : hinc uſque iterum ad villam, quæ nominatur Holviehen, ac quicquid pertinet ad illam : inde vero ad ſilvam, quæ vocatur Dierlo, & hinc ad Gungenforſt, inde per viam, quæ dicitur Boſſtroeg uſque ad Rhenum, & ſic per littus iterum uſque ad civitatis foſſam ; ut nemo quid juris, vel poteſtatis, aut termini, ac ſaltem ſenatus inter habebat, nec aliquis Decanus, aut Advocatus Morum juramento meo, & communi conſenſu tam Clericorum, quam laicorum tunc aſtantium, niſi præfati Monaſterii Præpoſitus, exceptis XX. domibus, quæ pertinent ad Eccleſiam ſecus Rhenum, ſub honore S. Dei Genitricis fundatam.

ANNO CHRISTI 948.

ANN CHRI 948

CONCILIUM ENGILENHEIMENSE,

IN QUO ARTALDO SEDES REMENSIS

Reſtituta, Hugo comes Ludovico regi perduellis excommunicatus eſt, præſidente Marino ſedis apoſtolicæ legato, celebratum indictione VI. ſeptimo Idus Junias, anno Chriſti DCCCCXLVIII. Agapiti II. papæ anno II. Ludovici ejuſdem tranſmarini regis, qui concilio aderat, anno XIII.

TITULI CANONUM.

I. *Hugo comes, qui Ludovici regnum infeſtabat, excommunicatus.*
II. *Artaldo ſedes Remenſis reſtituta : Hugoni, qui eam uſurpabat, anathema dictum.*
III. *Hugo idem comes ob epiſcopum Laudunenſem ſede ſua ejectum excommunicatus.*
IV. *Ut laici ſine licentia epiſcopi eccleſias non dent, nec auferant.*
V. *Ut laici presbyteros non vexent.*
VI. *Quot diebus faciendum ſit in paſcha & pentecoſte.*
VII. *Ut in litania majore jejunetur.*
VIII. *Ut oblationes altaris a laicis non attingantur.*
IX. *Ut decimarum cauſa non apud ſæculares, ſed in ſynodo diſcutiantur.*
X. *De inceſtis nuptiis.*

PRÆFATIO.

Ex edit. Sirmondi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini DCCCCXLVIII. indictione VI. ſeptimo Idus Junias, anno ſereniſſimi regis Ottonis XIII. ipſo quoque cum illuſtriſſimo rege Ludovico in præſentia manente, ſancta ac generalis ſynodus apud Engilenheim, in eccleſia S. Remigii confeſſoris Chriſti, in pago Nagavvi dicto collecta eſt, præſidente videlicet domni Agapiti papæ apocriſiario, venerabili Polymartienſis eccleſiæ epiſcopo Marino, & conſidentibus archiepiſcopis, VVicfredo ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopo, Friderico ſanctæ Moguntinæ ſedis archiepiſcopo, Rotberto ſanctæ Treverenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Artaldo ſanctæ Remenſis eccleſiæ epiſcopo, Adalgago ſanctæ Hammaburgenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Richavone Vangionenſis eccleſiæ epiſcopo, Geroldo Juvavenſis eccleſiæ epiſcopo, Udalrico Auguſtenſis eccleſiæ epiſcopo, Bernardo Halberſtatenſis eccleſiæ epiſcopo, Theodardo Hildinesheimenſis eccleſiæ epiſcopo, Dudone Padebrunnenſis eccleſiæ epiſcopo, Conrado Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopo, Starcando Eiſtetenſis eccleſiæ epiſcopo, Reginbaldo Nemetenſis eccleſiæ epiſcopo, Poppone VVirciburgenſis eccleſiæ epiſcopo, Adalberone Metenſis eccleſiæ epiſcopo, Goslino Tullenſis eccleſiæ epiſcopo, Berengero Virdunenſis eccleſiæ epiſcopo, Balderico Trajectenſis eccleſiæ epiſcopo, VVichardo Baſileenſis eccleſiæ epiſcopo, Dodone Oſnaburgenſis eccleſiæ epiſcopo, Eboriſo Mimidonenſis eccleſiæ epiſcopo, Hildiboldo Mimigardeuurdenſis eccleſiæ epiſcopo, Faraberto Tungrenſis eccleſiæ epiſcopo, Fulberto Cameracenſis eccleſiæ epiſcopo, Rudolfo Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopo, Michaele Ratisbonenſis eccleſiæ epiſcopo, Adalberto Laureacenſis eccleſiæ epiſcopo, Liopdago Ripuenſis eccleſiæ epiſcopo, Oredo Suevvicenſis eccleſiæ epiſcopo, Reginbrando Aruſvenſis eccleſiæ epiſcopo, cum cœtu abbatum, canonicorum, necnon & monachorum, unius ſpiritus amore ferventium, quatenus cælitus adminiculati, zizania divini cultus agro ab inimica manu ſuperſita canonicarum ſarculis ſententiam radicitus extirparentur.

Igitur recitato primitus evangelio, oramineque finito, & ſanctorum canonum quamplurimis inſtitutionibus linguarum clavibus coram recluſis, miſſus apoſtolicæ ſedis chartam ſuæ legationis honorifice protulit, in qua pro debitæ reverentiæ dono Romano pontifici exhibendo commoniti ſunt, ut univerſalis eccleſiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui ſecura ſuccedat, ſeque procelloſo tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum eſt autem in ejuſdem recitaminis ſententia, prædictum præſulem Marinum ab ipſo univerſali papa tali tenore ad noſtros fines directum fuiſſe, quo in omni eccleſiaſticarum legum diſcuſſione ipſius exiſtens vicarius, quæcumque liganda eſſent, apoſtolica auctoritate ligaret ; & quæ ſolvenda viderentur, paDrili ſolveret poteſtate. Hujuſmodi proculdubio affaminis tam ſalubri miſſatico glorioſiſſimi reges præfati, cum pontificibus, omnique clero, congratulantes, ut dignum fuit, ſe in omnibus conſentire & obedire profeſſi ſunt. A quibus, auctorante & confirmante legato apoſtolico, capitula ſubſequentia ſtatuta ſunt. Dehinc ex ſeſſionis ſuæ loco ſe ſubrigens inclytus rex Ludovicus, ad præſentiam ſereniſſimi regis Ottonis, totiuſque ſanctiſſimi concilii unanimitatem, ſatis lacrymoſi conqueſtus protulit querimoniam : videlicet quod regia privaretur poteſtate a quodam principe Hugone nominato, quondamque ſibi ſubjecto. Cujus anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in unitate ſpiritus coadunati ſanctiſſimi patres, ejuſmodi ſuper hac re ſententiam protulere.

CA-

ANNO CHRISTI 948.

CANONES.

I.

NUllus deinceps regiam poteſtatem præſumat populari, ſeu aliquam perfidiæ maculam ſibi fallaciter exhibere. Decrevimus enim, Toletani Concilii judicium exequendo, Hugonem regis Ludovici regni invaſorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, niſi forte tempore ſtatuto ad ſynodale concilium veniat, & a tam nefaria protervitate ſatisfaciendo reſipiſcat.

II.

Artaldus Remenſis eccleſiæ archiepiſcopus propria de ſede expulſus, ex canonica auctoritate in priſtinum honorem inthronizatus; Hugo autem, qui ejus ſedem contra fas ſibi uſurpat, anathematis eſt mucrone mulctatus: ejuſque ordinatores, & qui ab eo ſunt ordinati, niſi VI. Idus Septembris Treviris veniant, & ibi pro erratibus dignam ſatisfaciendo pœnitentiam ſubeant, ſimilem excommunicationis ſententiam ſuſtineant.

III.

De antedicto Hugone comite, qui Rudolfum Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopum propria de ſede, non cauſa alicujus criminis, ſed pro fidelitate Ludovici regis proprii ſenioris expulit, decrevimus eum in ſancta ſynodo pro hac re, ſicut de præſcripta, excommunicandum, niſi veniendo ſatisfecerit.

IV.

Ut laici ſine epiſcopali licentia presbyteris eccleſias dare, vel eos dimittere non præſumant.

V.

Ut nullus laicorum presbyterum flagitare, ſeu fatigare, vel aliquam ſibi injuriam inferre audeat.

VI.

Ut paſchalis hebdomada feſtive tota celebretur, & in pentecoſten ſecunda, tertia, quarta feria, non minus quam dies dominicus, ſolemniter honorentur.

VII.

In litania majore jejunium, ſicut in rogationibus ante aſcenſionem Domini, exerceatur.

VIII.

Ut oblationes fidelium, quatenus altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant poteſtatem, dicente ſcriptura: *Qui altario deſerviunt, de altario participentur.*

IX.

Ut decimæ, quas Dominus præcipit in horreum ſuum deferri, ſi eccleſiis Dei non fuerint redditæ, ſed nefaria cupiditate, quæ ſævior Ætnæ ignibus ardet, a ſæcularibus fuerint retentæ, ſæcularia ſuper hoc non exerceantur judicia, nec in forenſibus diſcutiantur cauſis, ſed in ſancta ſynodo ab ipſis ſacerdotibus, quorum deputatæ ſunt uſibus, quid exinde debeat actitari certis diffiniatur promulgationibus.

X.

Ut evangelica auctoritate & ſacrorum canonum inſtitutione pœnaſque proponere divini judicii, ut noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio. Cavendum eſt quippe, quod de earum moribus actibuſque beatus Paulus teſtatur apoſtolus. Quod plenius exponere prætermimus, ne ſexus inſtabilis non tam deterreri, quam admoneri videatur.

SYNODI EJUSDEM APUD ENGILENHEIM HABITÆ ACTORUM NARRATIO ALTERA.

Ex Flodoardo lib. IV. *hiſtoriæ Remenſis cap.* XXXV.

DOmnus igitur Agapitus papa vicarium ſuum Marinum epiſcopum mittit ad Ottonem propter evocandam & congregandam generalem ſynodum: literæque ipſius papæ mittuntur ab urbe Romana ſpeciatim quibuſdam epiſcopis Galliæ Germaniæque, vocantes eos ad ſynodum. Quæ ſynodus congregata eſt in Engelenheim palatio regali, in eccleſia beati Remigii honori dicata, VII. Idus Junii, cauſa videlicet maximarum diſſenſionum, quæ agitabantur inter regem Ludovicum & Hugonem principem, inter Artaldum quoque Remenſem epiſcopum & Hugonem illicite ſubſtitutum ejuſdem urbis præſulem: quæ diſſenſiones omne perturbaverant regnum Francorum. Ad quam ſynodum celebrandam, adveniente prædicto Marino ſedis apoſtolicæ vicario, convenerunt etiam Germaniæ præſules, cum quibuſdam Galliarum epiſcopis. Rotbertus videlicet Trevirenſis archiepiſcopi, Artaldus Remenſis, * VVicfridus Colonienſis, * Hildebaldus Mimigardovurdenſis, * Adalbero Metenſis, Berengarius Virdunenſis, Fulbertus Cameracenſis, Rodultus Laudunenſis, Richoo VVarmatienſis, Raimbaldus Spirenſis, Poppo VVirzburgenſis, Conradus Conſtantienſis, Odelricus Auguſtenſis, Tethardus Hildesheimenſis, Bernardus Halberſtatenſis, Dudo Paderbornenſis, Fridericus Moguntinenſis, Adalgagus Hammaburgenſis, Goslenus Tullenſis, Michael Ratiſponenſis, Farabertus Tungrenſis, Lioptacus Ribunenſis, Dodo Oſnaburgenſis, Everis Mindenſis, Baldricus Trajectenſis, Heroldus Salzburgenſis, Adelbertus Bazſoenſis, Starcandus Eiſtadienſis, Horat Neovicenſis, VVicardus Baſileenſis, Lidac Ribuenſis. Reſidentibus his præſulibus in eccleſia dicti loci, poſt præmiſſas preces ſecundum ordinem celebrandi concilii, & poſt lectiones ſacræ auctoritatis, ingreſſis glorioſis regibus Ottone ac Ludovico, & ſimul reſidentibus, poſt allocutionem præfati Marini ſedis apoſtolicæ legati, exurgens Ludovicus rex e latere & conſenſu domni regis Ottonis, proclamationis ſuæ querimoniam propalavit coram præmiſſo Romanæ ſedis vicario, cæteriſque conſidentibus epiſcopis: referens qualiter accerſitus fuerit a tranſma-

Hæc Sirmondus ad libri marginem manu ſua annotarat.

* Fridericus Moguntinenſis.
* Adeidacus Hammaburgenſis.
* Goslenus Tullenſis.

rinis regionibus per legatos Hugonis, cæterorumque Franciæ principum, ad suscipiendum suæ paternæ hæreditatis regnum, cunctorumque votis & acclamationibus procerum, militiæque Francorum, sublimatus & consecratus sit ad apicem regalis moderaminis obtinendum: postea vero ejectus sit a præfato Hugone, & dolis appetitus ac comprehensus per annum integrum sub custodia fuerit ab eo detentus: nec aliter ejus absolutio potuerit obtineri, nisi Laudunum castrum, quod solum tunc regina Gelberga cum fidelibus suis regiis sedibus retinebat, Hugone id occupante dimitteret. De his omnibus malis, quæ post regni susceptionem passus fuerat, si quis objiceret quod sui facinoris causa eidem fuissent illata, inde se juxta synodale judicium, & regis Ottonis præceptionem purgaret, vel certamine singulari defenderet. Deinde surgens Attaldus archiepiscopus protulit secundum jussionem papæ Romani, quam ei delegaverat, initium atque tenorem litis, quæ versabatur inter ipsum & Hugonem subrogatum sibi ecclesiæ Remensis antistitem. Et recitatæ sunt literæ quæ sequuntur.

ANNO CHRISTI 948.

Sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis vicario domno Marino, universæque sanctæ synodo apud Engelenheim congregatæ, Artaldus divina propitiante clementia Remorum archiepiscopus.

DOmnus Agapitus papa literas nobis & cæteris coepiscopis nostræ diœceseos direxit, in quibus præcepit, ut ad hoc sanctitatis vestræ concilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus, ut rei veritas de miseriis nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium cœperit litis hujus, quæ adhuc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo archiepiscopo, Seulfum, qui archidiaconatus urbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum ejusdem sedis elegimus. Qui pontifex ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis, scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti comitis, quam dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit, eo tenore ut post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti; idem vero comes fratrem Herivei præsulis, & nepotes ipsius, a participatione rerum Remensis episcopii separaret. Quibus patratis, insimulati sunt iidem propinqui Herivei præsulis a consiliariis Seulfi episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto comite cum pluribus suis jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos, a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt, atque deducti per Heribertum comitem ad Robertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui episcopatus anno Seulfus episcopus, ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Remensem adiit, & ecclesiæ milites, clericorum quoque quosdam, de rectoris electione ad suum consilium, ceu juratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore, ut tam clericis, quam laicis debitum honorem concederet & conservaret, nec injustitiam alicui faceret: sed ipsum episcopium æquo jure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eamdem urbem regressus, res episcopii, prout sibi placuit, fautoribus suis divisit, cæteris abstulit, & absque ullo judicio vel lege, quos voluit rebus expoliavit, vel ab urbe pepulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare præcepit. Sicque annos sex, & eo amplius, idem episcopium suo dominio vindicavit, pro libitu proprio illud tractans, & in sede præsulis residens tam ipse quam conjux sua; donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulphus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam episcopis quam comitibus, Remorum obsidet urbem, succensentibus sibi episcopis, & conquerentibus adversus eum, quod tam diuturno tempore contra divinæ legis auctoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex admonet clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis, quam laicis qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum, qui clausi tenebantur, in idipsum faventibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus quam civibus portas urbis regi Rodulpho, & episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis, qui erant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero universo, quam reliquis civibus, inthronizatus ab episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi, ordinans per diœcesim episcopos octo, & in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos: quousque nono postmodum anno, postquam Ludovicum regem, favente Hugone, cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo comes iracundia, quod ei consentire vel conjungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite, & VVilelmo Nortmannorum principe, Remensem obsidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ: sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire. A quibus coarctatus & conterritus cogor memet episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autisiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt, & civitate potiuntur. Ludovicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, & assumens secum simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingredimur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retrudantur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem late perpetrantur. Interea convocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione

ANNO CHRIST. 948.

ne Hugonis filii Heriberti. Qui Sueſſionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium epiſcopum, cum aliis quibuſdam legatis, mandantes ut ad eos venirem, ad conſentiendum ſcilicet hujus ordinationis perverſitati. Quibus remandavi, quod non eſſet mihi competens ad eos illo proficiſci, ubi adverſarii & inimici mei cum ipſis erant aggregati. Quod ſi loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi ſine periculo ad eos accedere poſſem. Quibus advenientibus in locum ab eiſdem delectum, profectus ſum ad eos, venienſque proſternor coram ipſis, obſecrans ut propter amorem & honorem Dei tam mihi, quam ſibi competens conſilium dare ſtuderent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis ſuadere, ut eis in hac ordinatione conſenſum præberem; promittentes res nonnullas epiſcopii mihi ſe impetraturos. At ego, poſtquam reſponſum diu diſtuleram, videns eos cunctos in propoſito quod cœperant perſeverantes, ſurgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti, ut nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in epiſcopali honore me vivente manus imponeret; ſed nec ullus eamdem benedictionem ſuſcipere præſumeret. Quod ſi forte fieret, ad ſedem apoſtolicam eos provocabam. Illis inde furentibus, ut poſſem exire de medio eorum, & Laudunum reverti, temperavi reſponſum, dicens ut mitterent mecum qui eis renunciaret, quid conſilii reperire valerem ſuper hac re in domina mea regina & fidelibus ejus, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum epiſcopum, putantes me eſſe mutaturum conſilium. Quo veniente, & coram domina regina & fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exurgens præfatæ modum excommunicationis in eoſdem epiſcopos jaculatus ſum: vocationem quoque ad ſedem apoſtolicam iterare curavi, excommunicans ipſum hunc Deroldum, ut id eis omnino non taceret, ſed cunctis manifeſte proferret. His ita geſtis, parvi pendentes illi noſtram excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt, quidam vero ſe ſubduxiſſe ſciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille ſcitur anguſtias pertuliſſe, & ſecum pertuli; & quando cum bello aggreſſi ſunt Hugo & Heribertus, cum ipſo eram, & vix evaſi mortis periculum. Prolapſus itaque, auxilio & protectione Dei, de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca invia quæque ſilvaſque perluſtro, non auſus certo conſiſtere loco. Comites autem Hugo & Heribertus, affati quoſdam amicos noſtros ſibi ſubditos, ſuadent ut me requirentes ad ipſos deducant, pollicentes ſe mihi benefacturos, & rebus quas ipſi petiſſent, ditaturos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diverſa vagantem, & ita perducor a fratribus meis & amicis ad præfatos comites. Qui poſtquam me in poteſtate ſua conſpiciunt, quærere cœperunt, ut eis pallium a ſede Romana mihi collatum traderem, & ſacerdotali me miniſterio penitus abjurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore vitæ hujus præſentis, atteſtor. Diſtrictus igitur, & coanguſtiatus ab eis, epiſcopii tandem rebus abrenunciare compellor: ſicque rurſus ad ſanctum Baſolum, quaſi vacans, habitaturus deducor. Manſi denique paucis diebus in ipſo cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuncios, quod ab eo male de mea tractabatur pervetione, iterum iterumque nunciis hujuſmodi padifactus & impulſus, locum deſerui, & abdita luſtra ſilvarum vagabundus repetii: horiſque ſilentibus, & itinere devio, Laudunum revertor, ibique ſuſceptus a rege ſecum manere conſtituor. Manſi vero ibidem cum ipſo vel fidelibus ejus, expectans & deprecans miſericordiam Dei, donec ipſe eſt dignatus in cor domini regis Ottonis mittere, ut ad ſubventionem ſenioris mei regis, & noſtram, properaret in Franciam. Denique, poſtquam domina noſtra regina Laudunum propter abſolutionem domini regis reliquerat, egreſſus inde ad dominum regem Ottonem cum ſeniore meo deveni rege, ſimulque Remos acceſſimus. Cingitur itaque urbs exercitibus, & epiſcopi qui aderant, me ſedi noſtræ reſtitui cenſent. Mandatur ergo Hugoni a domino rege Ottone, ut egrediatur, & pervaſam deſerat urbem. At ille nutans aliquamdiu, & pro poſſe, ubi vidit ad reſiſtendum penitus ſufficere ſe nequaquam valere, nec amicorum ſibi præſidia ſubvenire, decernit exeundum, quærens ut liber cum ſuis dimitteretur abſcedere. Permittitur itaque ſanus exire cum omnibus qui ſecum voluere comitari: & quæcumque ſecum voluit ferre, nullo contradicente aſportavit. Sicque cum regibus introgreſſus urbem, præcipior loco noſtro & honori reſtitui. Suſceptus igitur a dominis archiepiſcopis, Rotberto Treverenſi, & Frederico Moguntiacenſi, comitantibus cæteris, & congratulantibus, tam clericis eccleſiæ noſtræ, quam reliquis civibus, ab ipſis reſtituor cathedræ epiſcopali. Hugo vero Remis egreſſus Moſomum caſtrum cum ſuis occupat, & muniens contra fideles regis ſenioris noſtri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, ſeniorem meum videlicet ac dominum Ottonem, ſuper Charam fluvium, convenimus ad illud tam ego quam ipſe Hugo cum ordinatoribus ſuis. Ibique res litis hujus ab epiſcopis auditur: protulitque literas ad ſedem Romanam quaſi ex perſona noſtra datas excuſationis meæ, ac ſi vacationem petentes adminiſtrationis epiſcopii noſtri; quas me unquam dictaſſe, neque ſubſcribendo aliquatenus corroboraſſe, proteſtatus ſum, atque proteſtor. Et quia tunc ſynodus convocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipſius Hugonis, altercatio noſtra determinari non potuit. Synodus autem circa medium menſis Novembris habenda Virduni, utriuſque partis epiſcopis annuentibus, denunciatur. Interim vero ſedes Remenſis mihi regenda decernitur; idem vero Hugo Moſomi commorari permittitur. Nec longum, inſtante ſcilicet vindemiæ tempore, hic noſter æmulus Hugo, aſſumens ſecum Theobaldum regis inimicum, & regni noſtri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remenſis epiſcopii contiguas urbi devenit, & omne pene vinum ex his colligens in diverſos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & eccleſiæ noſtræ homines captivi abducti, & ad redemptionem variis ſunt adacti tormentis. Synodus autem denunciata Virduni celebratur, præſidente Rotberto præſule Trevirenſi, præcepto domni papæ Romani, præſente quoque domino Brunone, cum epiſcopis & abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo evocatus, miſſis etiam duobus ad eum deducendum epiſcopis, Adalberone & Gozlino, venire contempſit. Univerſa vero ſynodus mihi Remenſe regendum decernit epiſcopium. Indiciturque iterum ſynodus habenda die Iduum menſis Januarii, quæ & aggregatur, ut denuntiatum fuerat, in eccleſia ſancti Petri, ante proſpectum caſtri Moſomi, a domino Rotberto, convenientibus cæteris

quo-

ANNO CHRISTI 948.

ANNO CHRISTI 948.

quoque Treverenſis diœceſeos epiſcopis, & aliquibus Remenſis. Veniens autem illuc æmulus noſter Hugo, & locutus cum domino Rotberto, ſynodum noluit ingredi: literas vero quaſi ex nomine domini papæ direxit ad epiſcopos per clericum ſuum, qui eas Roma detuliſſe ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, ſed hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remenſi redderetur epiſcopium. Quibus recitatis, ineuntes epiſcopi conſilium cum abbatibus, & cæteris qui aderant, ſapientibus, reſponderunt non eſſe dignum vel congruum, ut mandatum legationis apoſtolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiſcopus, deferente Friderico præſule Moguntiacenſi, coram regibus & epiſcopis tam Galliæ, quam Germaniæ ſuſceperat, & partem jam præceptionis ipſius exegerat, propter illas literas intermitteret, quas inſidiator noſter exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, ut canonice pertractaretur unanimiter cenſent. Præcipiturque recitari capitulum Carthaginenſis concilii XIX. de accuſato & accuſatore. Quo recitato, judicatum eſt juxta definitionem ipſius capituli, ut communionem & parochiam Remenſem me retinente, Hugo qui ad duas jam ſynodos evocatus intereſſe contempſerat, a communione & regimine Remenſis epiſcopii abſtineret, donec ad univerſalem ſynodum, quæ indicebatur ad Kalendas Auguſti, ſeſe purgaturus, vel rationem redditurus, præſentaret. Ipſumque capitulum mox in charta epiſcopi coram ſe deſcribi fecerunt, ſubnectentes hanc etiam definitionem ſuam. Qui poſt alteram diem chartam eamdem Rotberto præſuli remiſit, hoc verbis remandans, quod ipſorum judicio nequaquam obediturus exiſteret. Sicque abſoluto concilio ipſe Moſomum contra mandata regum & epiſcoporum retinet: & ego Remos regreſſus, reclamationis mox querelas ad ſedem Romanam per legatos domini regis Ottonis deſtinavi, præſtolans mandata ipſius ſedis, ejus decretis, & univerſalis hujus ſancti concilii veſtri judiciis parere paratus.

Poſt quam literarum recitationem, & earum propter reges juxta Theotiſcam linguam interpretationem, ingreſſus ſynodum quidam Sigeboldus, præmiſſi Hugonis clericus, attulit literas quas Roma detulerat, quaſque jam in alia ſynodo Moſomi propalaverat, aſſerens eaſdem literas ſibi Romæ ab ipſo qui aderat, Marino vicario datas. Qui Marinus proferens literas quas idem Sigeboldus Romam tulerat, præcepit eas coram ſynodo recitari. In quarum recitatione repertum eſt, prout ipſæ literæ fatebantur, quod VVido epiſcopus Sueſſionicus, Hildegarius quoque Bellovacenſis, Rodulfus Laudunenſis, cæterique cuncti Remenſis diœceſeos epiſcopi, eaſdem literas ad ſedem delegaverant apoſtolicam pro reſtauratione Hugonis in ſede Remenſi, & expulſione Artaldi. Poſt quorum lectionem exurgentes Artaldus & præfatus Rodulphus, qui in iiſdem literis nominabantur, Fulbertus quoque Cameracenſis antiſtes, eaſdem literas refutarunt, adſtruentes, quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione conſenſum præbuerint. Quibus cum idem clericus contraire non poſſet, licet in eos calumniis obſtrepens, præcepit dominus Marinus, ſuggerens univerſæ ſynodo, ut ſibi conſilium & rectum judicium proferrent ſuper hujuſmodi calumniatore, & calumniarum in epiſcopos delatore. At illi, poſtquam delator publice confutatus eſt falſa detuliſſe, lectis capitulis de hujuſmodi calumniatoribus, judicant & unanimiter cenſent, eum qui fruebatur honore privari debere, ac ſecundum capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur, quo fungebatur, miniſterio multatus, a conſpectu ſynodi reprobatus abſceſſit. Artaldo vero præſuli, qui omnibus ſe ſynodis præſentabilem fecerat, non refugiens ſynodale judicium, epiſcopium Remenſe juxta canonum conſtituta, & ſanctorum patrum decreta, omnino retinendum atque diſponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda confeſſionis die, poſt recitatas divinæ auctoritatis lectiones, & Marini vicarii allocutionem, ſuggeſſit dominus Rotbertus Trevirenſis archiepiſcopus, ut quoniam juxta ſacræ legis inſtituta reſtauratum atque reſtitutum fuerat Remenſe Artaldo præſuli epiſcopium, in ejuſdem ſedis invaſorem ſynodale perageretur judicium. Præcepit itaque Marinus vicarius, ut canonicam ſuper hac præſumptione ſynodus proferret ſententiam. Jubentur ergo ſanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, ſecundum ſacrorum canonum, & ſanctorum decreta patrum Sixti, Alexandri, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cæleſtini, Leonis, Symmachi, cæterorumque ſanctorum eccleſiæ doctorum, excommunicaverunt, atque ab eccleſiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remenſis eccleſiæ pervaſorem, donec ad pœnitentiam & dignam ſatisfactionem venire procuraret. Cæteris quoque diebus tractata ſunt quædam neceſſaria de inceſtis conjugiis, & eccleſiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immo venumdabantur indebite, & auferebantur a laicis illicite. Prohibitum igitur atque ſtatutum eſt, ne id omnino præſumeretur ab aliquo. Sed & de aliis eccleſiæ Dei utilitatibus tractata ſunt & definita nonnulla.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Synodi ejuſdem*. Narrationis hujus prior pars, quæ Artaldi epiſtolam ad ſynodum antecedit, ex Flodoardi chronico petita eſt, epiſtola ex hiſtoria Remenſi ejuſdem. Quæ vero epiſtolæ ſubjiciuntur, eadem ad verbum leguntur in chronico & in hiſtoria. Cæterum in elencho epiſcoporum ſynodi, quædam interpolata paulo aliter quam apud Flodoardum.

CONVENTUS EPISCOPORUM

IN ECCLESIA S. VINCENTII LAUDUNENSIS.

Ex P. Sirmondo.

De hoc epiſcoporum conventu; ejuſque actis, ſcribit in chronico Flodoardus, ubi res bellicas a Ludovico rege, Lotharienſibuſque cum eo Conrado duce conjunctis, hoc anno adverſus Hugonem comitem geſtas perſequitur. Obſident, *inquit*, dux & exercitus quamdam munitionem, quam ædificaverat, & tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum oppugnantes tandem, non ſine mora capiunt. Indeque Laudunum adeunt, & in eccleſia ſancti Vincentii epiſcopi prædictum Tetbaldum excommunicant. Hugonem vero principem vocant literis ex parte Marini legati apoſtolicæ ſedis, & ſua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & epiſcopos egerat.

CON-

ANNO CHRISTI 948.

CONCILIUM TREVIRENSE

IN QUO EXCOMMUNICATUR ITERUM HUGO COMES,

Ludovici regis perduellis, cum episcopis aliquot ab Hugone Remensi ordinatis a Marino legato celebratum eodem anno DCCCCXLVIII.

Actorum synodalium breviarium ex chronico Flodoardi.

POsthæc Artaldus Treviros proficiscitur ad synodum, cum episcopis VVidone Suessonico, Rodulfo Laudunensi, & VVicfredo Morinensi. Quo pervenientes Marinum sese præstolantem repererunt cum Rotberto archiepiscopo Trevirensi: cæterorum vero Lothariensium atque Germanorum præsulum illic invenere neminem. Confidentibus igitur illis, sciscitari cœpit Marinus vicarius, quid egisset post præmissam synodum Hugo princeps erga ipsos & regem Ludovicum. At illi referunt supra memorata, quæ ipsis & ecclesiis eorum intulerat, mala. Requirit ergo de vocatione ipsius principis Marinus, utrum perlatæ fuissent literæ vocationis, quas ei perferendas delegaverat. Cui respondetur ab Artaldo archiepiscopo, quod quædam earum perlatæ sunt, quædam vero perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipsis grassatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam literis quam internunciis. Requiritur itaque, si adsit aliquis ex parte ipsius legatus: ubi cum nullus fuisset inventus, decernitur expectandum, si forte adventurus esset in crastinum.

Quod cum minime contigisset, & omnes qui aderant tam clerici quam illustres laici, excommunicandum esse acclamarent, definitur ab episcopis hanc excommunicationem differendam usque ad diem tertiam. Tractatur autem de episcopis qui vocati fuerant, & venire distulerant, vel his qui ordinationis Hugonis participes extiterant. Et VVido quidem Suessionicus se culpabilem, prostratus coram Marino vicario & Artaldo archiepiscopo, profitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artaldo archiepiscopis, absolvi ab hac noxa meretur. VVicfredus Morinensis immunis ab hac ordinatione reperitur. Adest Transmari Noviomensis episcopi legatus quidam presbyter, adstruens eumdem præsulem ita gravi languore detentum, ut ad eamdem synodum venire non valuerit: idque nostrates qui aderant testabantur episcopi. Sessio III.

Tertia tandem die, insistente præcipue Liudulfo legato & capellano regis Ottonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo comes, inimicus Ludovici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis: eo tamen modo, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino vicario, vel episcopis, quibus injuriam fecit, deveniat. Quod si facere contempserit, Romam pro absolutione sui proficiscatur. Excommunicantur & duo pseudoepiscopi ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus & Ivo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi urbe, alter post damnationem ejusdem Hugonis in Silvanectensi ab eo constituti. Excommunicatur etiam clericus Laudunensis, nomine Adelomus, quem accusavit Rodulfus episcopus suus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Bellovacensis episcopus literis præfati Marini ut veniat coram eo, vel eat Romam, rationem redditurus coram domino papa pro illicita ordinatione prædictorum pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus, Heriberti comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis quæ contra episcopos agebat. His gestis, episcopi revertuntur ad sua.

NOTA SEVERINI BINII.

Causa concilii. Marinus duplici de causa missus fuerat ab Agapito in Galliam. Quarum prima erat, ut controversia inter Hugonem & Artaldum de Remensi archiepiscopatu decideretur: altera erat, ut regnum Ludovici, quod factione Hugonis principis variis tumultibus nutabat, ille stabiliret. Illud prius præcedente concilio peractum fuit: hoc posterius præstitum est Treviris in ista synodo, quam compendiose Flodoardus lib. 4. cap. 36. & 37. describit his verbis: *Post hæc Artaldus Treviros proficiscitur*, &c. ut supra.

CONCILIUM LONDONIIS

HABITUM SUB EDREDO REGE TOTIUS ANGLIÆ,

In nativitate beatæ Mariæ virginis, anno Domini DCCCCXLVIII. præsentibus VVulstano archiepiscopo Eborum, Odone archiepiscopo Doroberniæ, cæterisque episcopis, abbatibus, ducibus, & comitibus, in quo agitur de negotiis regni, & confirmatur charta regis Edredi monasterio Croylandensi facta, quam dictavit dudum cancellarius regis Turketulus, modo abbas ibidem constitutus, & de more regum Angliæ pastorali baculo investitus.

DE *hoc concilio ita Ingulphus*: In festo ergo nativitatis B. Mariæ, cum universi magnates regni per regium edictum summoniti, tam archiepiscopi, & episcopi, ac abbates, quam cæteri totius regni proceres & optimates, Londoniis convenissent, ad tractandum de negotiis publicis totius regni: consummatis omnibus, coram universis, domino Turketulo abbati, monachisque suis accersitis rex Edredus dedit monasterium Croyland per chartam suam, dictatam ab eodem Turketulo abbate, jamdudum regis cancellario, consiliarioque familiarissimo, & conscriptam in his verbis.

Pax in summæ Trinitatis nomine, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Ego Edredus rex terrenus sub imperiali potentia regis sæculorum æternique principis magnæ Britanniæ temporale gerens imperium, universis Christianis tam præsentibus quam posteris, salutis beneficium in auctore salutis. Vobis liqueat omnibus quod, &c.

Vide

ANNO CHRISTI 948.

Vide chartam, ſi deſideres, longam ſatis, utpote præ-dia plurima & libertates continentem, apud Ingulphum ipſum p. 874. *ubi ſic in fine:* Stabilivi, *inquit rex Edredus*, in anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti nongenteſimo quadrageſimo octavo, in præſentia archiepiſcoporum, epiſcoporum, & procerum regni mei ſubſcriptorum.

Ego VVlſtanus archiepiſcopus Eboracenſis devotus ſubnotavi.

Ego Odo Dorobernenſis archiepiſcopus conſilium & conſenſum meum ad iſtud dedi.

Ego Alfredus Schireburnenſis epiſcopus affectavi, *&c.*

Inferius autem ſic Ingulphus: Tandem advenien-A te feſto beati Bartholomæi apoſtoli, in præſentia regis, *Turketulus* monachus factus, & ſtatim baculo paſtorali a rege donatus, & ab epiſcopo benedictus, univerſum monaſterium cum omnibus ejus poſſeſſionibus in manum regis reſignavit. Qui apud London in communi concilio coram archiepiſcopis, epiſcopis & totius terræ magnatibus dictum monaſterium cum omnibus terris ejus, B tam ab antiquo ei pertinentibus, quam ab eodem Turketulo noviter datis ac acquiſitis, dicto domino Turketulo abbati, monachiſque ſuis reddidit, & cum charta ſua (prout præmiſſum) liberum & ſolutum ab omni terreno ſervitio in perpetuam eleemoſynam confirmavit, *&c.*

ANNO CHRISTI 949. Ex P. Sirmondo.

ANNO CHRISTI 949.

CONCILIUM ROMANUM,

IN QUO CONFIRMATA EST SYNODUS ENGILENHEIMENSIS.

HUjus *ſynodi paucis etiam meminit Flodoardus in chronico anni* DCCCCXLIX. Agapitus, *inquit*, papa ſynodum habuit apud ſanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis epiſcopi apud In-C gulenheim factam confirmavit: excommunicans etiam Hugonem principem, donec Ludovico regi ſatisfaciat.

C ANNUM CHRISTI 950. Ex tom. 1. Concil. Britan.

C. ANNUM CHRISTI 950.

SYNODUS LANDAVENSIS.

SUB PATRE VIGESIMO QUINTO IBIDEM EPISCOPO

Sacrilegii cauſa in regem Nougui in eccleſia Mainuon congregata.

NOugui rex filius Guriat vaſtavit Arcoit filium Diſſaith in podo Mainuon in medio Triloc podo ſanctorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, per iram ſuam, & furore nimio, & violato ſanctorum refugio, epiſcopus Pater congregavit clericos totius parochiæ infra *Taratir* & *Tivi*, propter factam vim ſacrilegii. Et audiens Nougui rex adventum epiſcopi, & conventam ſynodum negotio ſacrilegii facti, & violati refugii, veniam requiſivit apud Patrem epiſcopum & totam ſynodum in eccleſia Mainuon, & redditis rebus eccleſiæ omnibus, cum ſatisfactione & lacrymarum D effuſione, protinus cadens in terram, ut data ſibi venia, & juncta pœnitentia, largitus eſt in eleemoſyna Deo & ſanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri epiſcopo, & omnibus epiſcopis Landaviæ, villam *Guidcon* cum toto ſuo territorio, id eſt cum tribus modiis terræ, & cum tota ſua libertate, & omni communione in campis & in ſilvis, in aqua & in paſcuis. De clericis teſtes ſunt Pater epiſcopus, Diſſaith lector, Dunin ſacerdos, *&c.* De laicis Nougui rex, *&c.* Quicumque cuſtodierit, *&c.*

Ex Beſſin Concil. Rotom. Provinc. p. 36.

CONCILIUM INCERTI LOCI ET TEMPORIS

In Normannia ſimul cum Armonicis Antiſtitibus celebratum.

Ex Mſ. Codice Pratellenſi ann. circ. 700.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Noni aut decimi ſeculi eſſe hoc Concilium ſuadent verba non pauca, quæ cum paſſim in illius ævi actis occurrant, poſteriori ævo uſurpari deſiere; cap. 3. & 12. *neglegat neglegentiæ*, pro *negligat negligentiæ*, cap. 11. *parochia* pro *diœceſi*; 13. *conciliari* pro *reconciliari*; 17. *baptizare in aliqua feſta Sanctorum*. Inſuper cap. 17. prohibentur baptizari parvuli, excepta cauſa infirmitatis, præterquam in pervigiliis Reſurrectionis Domini & Penteceſtes; in Concilio autem Rotomagenſi anni 1072. cap. 23. *Hoc quidem ſervato, quod parvulis, quocumque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur*. Quis non advertat prioris canonis rigorem poſteriore fuiſſe emollitum atque temperatum?

I.

Omnium Presbyterorum vitæ inquirantur, qualiter religionem in ſuis oſtendunt locis.

E

II.

Ut nullus Chriſtianus in die dominica audeat aliquid operis exercere.

III.

De Feſtivitatibus Sanctorum celebrandis,

dis, ideſt beati Petri & cæterorum Apoſtolorum, nec non & S. Mariæ, & S. Joannis, & S. Laurentii, & cæterorum, quæ a presbyteris nunciantur; ut quicumque in hoc ſæculo Deo vult placere, non neglegat.

IV.

De decimis dandis de omnibus quæ nutriuntur, aut laborant: quia manifeſtum eſt ideo evenire famem & peſtilentiam ſuper terram: & iram Dei incumbere ſuper nos, quando ſecundum præceptum Dei non dantur decimæ quæcumque.

V.

De manifeſtis inceſtuoſis.

VI.

De meretricibus a cunctis locis abjiciendis; & de magicis artibus aruſpicum, cunctorumque incantatorum, ſeu hiſtrionum penitus delendis.

VII.

Ut nullus presbyter audeat contemnere de omnibus quæ nuntiat ex parte ſui epiſcopi in eccleſia faciendum, ſive de celebratione ſanctorum, ſive de uno, vel de omnibus quæ nuntiat.

VIII.

Ut nullus in die dominico, cum ad Miſſam venerit, aut in eccleſia fuerit audeat placitare; ſed potius verbum Dei in ipſa die intente audire, & ſuis presbyteris in omnibus obedire.

IX.

Ut omnes qui ad ſignandum atque confirmandum veniunt, jejuni ſint, propter gratiam Spiritus ſancti quam accipere deſiderant.

X.

Ut inceſtuoſi, nec non & adulteri, qui ſeparantur a presbyteris, ipſis locis & major & decanus illorum habeant providentiam, nec iterum inſtigante diabolo conjungi poſſint.

XI.

Ut omnes qui in parochia noſtra ſunt, filios ſuos ad erudiendum in ſcholam ad civitatem dirigant, præter eos qui cum presbyteris illarum propter officium remaneant.

XII.

De Communione corporis & ſanguinis Domini ulterius non neglegenda, ab illis tamen qui idoneos & conſcios ſe ſentiunt ad percipiendum: quia ſicut ipſi qui indigni illud corpus ſumunt, corruunt in ruinam, ita ſi qui digne ſumere poterant, & propter vanitatem neglegunt, nihilominus alieni ſunt a Domino: quia ſicut corpus ſine cibo non vivit, ita anima ſine communione corporis Domini, & verbi divini, eſuriens moritur.

XIII.

Ut omnes infirmi, qui in lecto ægritudinis fuerint, presbyteros ad ſe convocent, & ſuas renovent confeſſiones, ut conciliari poſſint: & ungantur oleo, & ab ipſis presbyteris ante exitum communionem percipiant.

XIV.

De renovanda pœnitentia: & ut omnes, quicumque ſalvari deſiderant, de octo vitiis principalibus ſuas confeſſiones donent. Et quicumque poſt baptiſmum unum ex iſtis octo admiſerit, ſciat januam regni cæleſtis clauſam ſibi in futuro, niſi prius aut per confeſſionem, aut per compunctionem cordis, fletumque lacrymarum, aut cum cæteris bonis operibus purgaverit, minime delendum.

XV.

Ut omnes Chriſtiani octo criminalia peccata per nomina cognoſcant, ut ſi inſtinctu dæmoniaco lapſi in aliquo, remedium ſumere poſſint. Primum vitium ſuperbia eſt. De cujus radice oriuntur, inanis gloria, invidia, ira, triſtitia, avaritia, ventris ingluvies, & luxuria.

XVI.

De triduano, indictoque jejunio, ut ab omnibus unanimiter obſervetur.

XVII.

Ut nullus potens, vel pauper, præſumat filium ſuum ducere ad baptiſmum, aut rogare presbyterum baptizare in aliqua feſta Sanctorum, excepta infirmitatis cauſa, niſi in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.

XVIII.

Ut nullus potens, vel pauper, audeat presbyterum de ſua ejicere eccleſia, niſi juſſione ſui epiſcopi.

XIX.

Ut omnes laici religioſis presbyteris & clericis honorem præbeant, ſicut Dei miniſtris.

XX.

Ut omnes Catholici fidem catholicam teneant, ideſt ſymbolum & orationem dominicam; & quando ſuas confeſſiones donant, tunc ſuis presbyteris hoc reddant, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

NOTÆ.

Ad Can. I.) Vide Concil. Aurel. III. an. 538. c. 28. Matiſcon. II. an. 585. c. 1. Narbon. an. 627. c. 4. Cabilon. an. 650. c. 18. Arelat. VI. an. 813. c. 16. Mogunt. ejuſdem an. c. 37. Pariſ. VI. an. 829. c. 50.

Can. III.) Concil. Rotom. an. 650. cap. 15. Mogunt. an. 813. c. 36.

Can. IV. Conc. Matiſcon. II. c. 5. Epiſtola ſynodica poſt Conc. Turon. II. an. 567.

Can. V.) Inceſtuoſis antiqua Galliæ Concilia, Agath. c. 61. Epaon. c. 30. &c. *Nihil prorſus veniæ reſervant, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint.*

Can. VI.) Lege divina tum veteris, tum novi Teſtamenti prorſus abjiciendæ meretrices. Malefici vero, vel incantatores in Capitular. Aquiſgran. an. 789. c. 18. damnantur ex Conc. Laodic. c. 36.

Can. VIII.) Ne in eccleſiis, earumve atriis fiant placita, vetant Conc. Arelat. VI. c. 22. & Turon. III. c. 39. an. 813. Item Capitul. Aquiſgran. I. c. 81. & II. c. 18.

Can. IX. Herardus Turon. Archiep. c. 75. Canon, *Ut jejuni* diſt. 5. de conſecr. Idem præcipiunt, ut alia taceam, Conc. Rotom. an. 1072. & 1581.

Can. XII.) Capitulare Theodulphi an. 787. c. 44. *Admo-*

C. ANNUM CHRISTI 950.

monendus est populus, ut ad sacrosanctum Sacramentum corporis & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat: sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere conjugali abstineat, & vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, Conc. Turon. III. an. 813. c. 50. *Ut, si non frequentius; vel ter laici homines in anno communicent.*

Can. XIII.) Herard. Turon. Archiep. an. 858. capitul. 21. *Ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, & viaticum viventes accipiant, & benedictione sacrati olei non careant.*

Can. XIV.) Theodulphi capitul. 13. Conc. Cabil. II. c. 32. *Instruendus est peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat.*

Can. XXIII.) In solemnitate Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes baptismata apud Græcos conferri solitum docent Greg. Nazianz. orat. 39. & 40. Chrysost. orat. de baptismo Christi, & alii. Apud Latinos, etsi id sibi sumpsere non pauci, quos ideo carpit Siricius Pont. Ep. ad Himerium Tarracon. c. 2. ut in Natalitiis Christi Epiph. & Apostolorum festivitatibus baptismum conferrent. Etsi quoque, quod ad Epiph. attinet, id etiam præstarent Episcopi Siciliæ, quos ideo graviter S. Leo ep. 16. reprehendit. Etsi alii, adhuc ultra progressi, (quibus ideo succensent Conc. Matisc. II. an. 585. c. 3.) pene per singulos martyrum natales filios suos baptizarent. Et si denique id etiam viri gravissimi olim in Christi natali usurparent, quo die baptizatum Clodoveum Regem perhibet Avitus Vien. in quadam ad ipsum epistola: quo etiam die baptizatos Anglos legimus, ab Augustino Anglorum Apostolo. Ea tamen fuit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut in Pascha, Pentecosteque, & quidem solis, baptismus administraretur. Hæc duo solum tempora notant Tertull. l. de bapt. c. 19. Siricius mox laudatus, Leo I. ep. 16. & 136. Gelasius ep. 3. ad Episcopos Lucaniæ, Gregorius II. epist. 3. ad universum clerum & plebem Thuringiæ, Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 69. Idem plurima sanxere Concilia, Gerund. ann. 517. Matisc. II. supra citatum, Moguntinum I. an. 813. Paris. VI. an. 829. VVormat. an. 868. & Tribur. an. 895. Eam denique suis temporibus consuetudinem observatam perhibent sæculi IX. auctores, qui de divinis officiis scripsere. Atque intra tempus illud & Ruperti ætatem, qui an. 1135. decessit, desiit paullatim hæc consuetudo.

C. ANNO CHRIS.

☞ FRANCOFURDENSIS CONVENTUS REGIS OTTONIS I.

Episcoporum, Comitum, & fidelium complurium anno Christi CMLII. *Agapeti II. Papæ IV.*

Ottonis I. Regis XV.

Ex veteri cod. MS. membranaceo Bibliothecæ Palatinæ in Vaticano Romæ asservato N. 583. descripsit cl. Schannatus B. M.

ANno Incarnationis Domini CMLII. indict. X. constitutum est in Francofurt a Rege gloriosissimo Ottone anno illius XV. consentientibus Episcopis, Comitibus, aliisque fidelibus compluribus canonum, Sanctorumque Patrum auctoritate, nec non capitularium præcedentium Regum institutis coram positis.

I. Ne oppressio Virginum, aut viduarum, vel raptus ab ullis hominibus fiat, & ut qui rapiunt eos sub nomine simul habitandi, cooperantes, & convenientes raptoribus, siquidem clerici sunt, decidant a gradu proprio; si vero laici anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuo maneant: quod si post hæc jungere se præsumpserint, utrique anathematizentur.

II. Inventum est etiam a præfato Rege, ut nulla Abbatia, quæ per se electionem habet, ad Monasterium, nec alicui in proprium dari possit: illæ vero, quæ electione carent, Regis donatione, & privilegio ad illud Monasterium, quod sub ejus Mundiburdio constitit, subrogari posse.

ANNO CHRISTI 952. Graviter erravit Binius qui hanc synodum sub Joann. XII. collocavit, cum revera ad Agapiti II. tempora pertineat, ut pater ex æra & indictione in ipsius præfatione signatis.

ANNO CHRIST 947.

SYNODUS AUGUSTANA,

IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ.

Anno Domini DCCCCLII. tempore Agapiti papæ II. celebrata.

PRÆFATIO.

CUm excellentissimus piissimusque Otto rex, superna attractus clementia, non minus de negotio spiritali quam de statu Christiani imperii tractaret, in primis pontificum aliorumque primatum suorum communi consilio fretus, anno incarnationis DCCCCLII. indictione decima, anno vero regni ejus XVI. sub die VII. Idus Augusti, placitum conventumque synodalem Augustæ fieri decrevit, quatenus concordi diligentia, tam sancti cleri, quam populi ecclesiæ stabilitatis profectus, & totius Christianitatis utilitates tractarentur. Cujus divinæ rei dispositionem per reverendissimi atque prudentissimi Frithurici, Moguntinæ sedis archiepiscopi, industriam maxime gubernari deliberavit. Geroldo etiam * Juvavensis ecclesiæ archiepiscopo, Manasse quoque Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopo, Petro Ravennate archiepiscopo, cæterisque Italiæ, Galliæ, Germaniæ subnotatis pontificibus, huic discussioni operam exigentibus, Udalrico Augustensis ecclesiæ episcopo, Annone VVangionensis ecclesiæ episcopo, Starcando Eistetensis ecclesiæ episcopo, Conrado Constantiensis ecclesiæ episcopo, Poppone VVirciburgensis ecclesiæ episcopo, & similiter Godefrido Nemetensis ecclesiæ episcopo, Hartberto Curiensis ecclesiæ episcopo, Votone Argentinensis ecclesiæ episcopo, Lantberto Frisingensis ecclesiæ episcopo, Hugone Aritiensis ecclesiæ episcopo, Michaele Ratisponensis ecclesiæ piscopo, Adalberto Patavensis ecclesiæ episcopo, * Ludfrido Ticinensis ecclesiæ episcopo, Gisibrando Terdonensis ecclesiæ episcopo, Antonio Brixiensis ecclesiæ episcopo, Vultone Cumano episcopo, Deodato Parmensis, Adelardo Regiensis ecclesiæ episcopo, Sigolpho Placentinæ ecclesiæ episcopo, Adalgiso Aquensis ecclesiæ episcopo, cum eorum unanimis diligentia huic ecclesiastico negotio vigilanter instaret, omnibus ratum putabatur, principem regni, beatæ matris ecclesiæ devotum filium postulare, quatenus ibidem divina discutientibus interesse dignaretur. Tum die præfinito ei veniens dulcisona modulationum jucunditate, honorifice, uti regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, Missa celebrata finita, satisfaciendo pontificum petitioni, cum insigni privatim turba synodum intravit. Interim reverendus Moguntinæ sedis

* hoc est Salisburgensis.

* al. Liuthredo.

dis archiepiscopus Frithuricus se e solio erigens, humiliter strenueque sermonem regulari studio congruentem protulerat, deinde cuncta, quæ de jure ecclesiastico juxta canonicam auctoritatem & imitanda sanctorum patrum decreta erant ventilata, pronuncians, in hisce omnibus huic rei necessariis se in commune ejus præsidium sentire postulabat. Quibus rex superni amoris igne succensus, & zelo divini amoris animatus, mentis corporisque nisu ecclesiasticarum rerum auxiliatorem, defensorem promptissimum se esse promittendo certificavit. Hac videlicet promissione audita regali, prælibatus archiepiscopus residens, communi cæterorum assensu, capitula subsequentia titulari præcepit.

CAPITULA.

I.

SI quis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorumque, uxorem accepit, a sibi injuncto officio deponendus est, sicut in concilio Carthaginensi tenetur, cap. 25.

II.

Episcopos, presbyteros, vel aliquem de clero, canes venandi amore vel accipitres habere non licet, sicut in concilio legitur Toletano cap. 10. Quisquis autem personarum hujusmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni ecclesiastico officio cesset.

III.

Episcopus, presbyter, aut diaconus, aleæ vacans, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in canone apostolorum habetur cap. 42. deponendus erit.

IV.

Nullus in clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. Si vero aliqua suspicionum maculis aspersa contra hæc agere tentaverit, ab episcopo vel ejus misso virgis cæsa detondeatur. Si autem sæcularis potestas fieri prohibuerit, regia potestate fœmina coacta prælatæ sententiæ subjaceat.

V.

Diversa sæcularis vitæ negotia fugientes, monasticæ institutionis normam aggredientes, extra claustrum sine licentia proprii abbatis ire non licet: sed tantummodo jejunio & orationi vacare: in locis quibus renunciaverunt sæculo permanentes, sicut in concilio Chalcedonensi præcipitur.

VI.

Oportet etiam episcopum, in cujus diœcesi cœnobium situm est, monachorum providentiam gerere: & si aliquid correctione dignum reperit, corrigere festinet.

VII.

Clericis monachicum habitum sequi cupientibus, & pro remuneratione divina sæcularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo denegetur, sed potius eum in tali conversatione perstare exhortari conetur, sicut in concilio Toletano habetur capitulo 50.

VIII.

Sanctimonialis, quæ spontanea voluntate strictiori vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione dispositum fuerat peragendum, ab episcopo impediatur.

IX.

Ut laici presbyteros sine conscientia & consensu proprii episcopi ab ecclesiis eis canonice commendatis non ejicere præsumant, nec alios locum eorum subire faciant; quia ut ab episcopis ordinantur; ita necesse est ab ipsis ecclesias procurandas accipiant, sicut in concilio habetur Arelatensi cap. 4.

X.

Ut omnis decimatio in potestate episcopi sit, & si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram episcopo ejusve misso corrigatur.

XI.

Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, ut in multis conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes ad continentiam cogantur.

CONCILIUM APUD S. THEODERICUM,

ADVERSUS RAGENOLDUM COMITEM,

FLodoardus *in chronico*. Anno DCCCCLIII. Synodus quinque episcoporum apud sanctum Theodericum in territorio Remensi celebratur, Artaldo archiepiscopo præsidente: ad quam vocatus Ragenoldus comes, ob res ecclesiasticas ab eo pervasas, venire noluit; sed deprecatus est regem, ne excommunicaretur, ut ad synodum mitteret: cujus excommunicatio, rege petente, tunc intermissa est. *Idem auctor ab Odalrico Artaldi successore anno tandem* DCCCCLVI. *excommunicatum docet*. Odelricus, *inquit*, archiepiscopus Ragenoldum comitem excommunicat pro villis ecclesiæ Remensis, quas pertinaciter detinebat: & ipse comes loca quædam ejusdem episcopii cum suis pervadens, rapinis incendiisque devastat.

ANNO CHRISTI 954.

CONCILIUM RAVENNENSE,

In quo Ferrarienſi epiſcopo bona reſtituta, anno Domini DCCCCLIV.

Ex Labb. Append. tom. 9.

RUbeus *hiſt. Raven. lib.* v. *ad annum* DCCCCLIV. Petrus, *inquit*, archiepiſcopus conventum Ravennæ habuit aliquot epiſcoporum ſibi ſubjunctorum, ubi epiſcopi Ferrarienſis precibus, de multis prædiis, quæ occupari ab aliis dicebantur, a patribus tractatum eſt: tandemque communi conſilio Petrus archiepiſcopus maſſam Cupariam, compluraque alia, Ferrarienſi epiſcopo attribuit. Qui autem interfuere, ut ex ipſius actis conventus, quæ adhuc in Urſiana bibliotheca ſervantur charactere Longobardico ſcripta, collegi, anno Berengarii & Adalberti regum quinto, Indict. XIII. nam Agapiti pontificis annus, quod eſſet exeſus, legi non potuit; ii ſunt: Martinus ſanctæ Ferrarien. eccleſiæ. N. Livien..... Gonfredus epiſcopus Cæſen. Harnaldus epiſcopus Popilien. eccleſiæ. Joannes epiſcopus Cornelien. Gerardus epiſcopus Faventinus. Dominicus religioſus presbyter & abbas regularis ſancti Apollinaris, qui A vocatur in Claſſe: Martinus presbyter & abbas regularis ſancti Severi: Petrus miſericordia Dei presbyter & abbas regularis ſancti Laurentii: qui vocatur in Cæſarea: Petrus reverentiſſimus diaconus ſanctæ Ravenn. eccleſiæ: Leo venerabilis diaconus ſanctæ Ravenn. eccleſiæ: Petrus ſubdiaconus: Honeſtus ſubdiaconus, filius quondam Joannis, qui vocatur Joannes Dux. Poſt hos numerantur multi ſacrati viri Ferrarienſis & Cornelienſis eccleſiæ, quos, ne inutili ſerie ſola nomina continente, tædio ſim, prætereo. Sequuntur deinde ii profani ordinis, viri nobiles, Petri filius quondam Paulus dux: Romualdus dux .... & plerique alii. Ibique dominus Petrus ſanctiſſimus, & coangelicus archiepiſcopus. Subſcripſere huic B ſynodi decreto, poſt ſacros viros, qui ſupra nominati ſunt, Joannes conſul Comaclenſis, Joannes miſericordia Dei dux. Hæc Ravennæ hoc anno acta.

☞ RAVENNATENSE CONCILIUM

In cauſa jurium quorundam eccleſiæ Ravennatenſis anno 954.

Anno 954. Ex Supplemento Manſi Appendix P. 47.

„ RAvennatenſis Concilii provincialis indicante Rubeo Hiſt. Raven. lib. 5. ad annum 954.
„ noti, actorum ſummam ab eodem Rubeo acce-
„ ptam Labbeus dedit; nec ulterius quidquam no-
„ vit. Chartam ipſam, ſeu potius acta genuina
„ ejus Concilii jam tandem prodiiſſe excuſam in
„ appendice diſſertationis de juriſdictione Raven-
„ natum Epiſcoporum in civitate, & diœceſi Fer-
„ rarienſi per hos annos, ignoto auctore, & loco
„ editionis, vulgatæ, admonuit me per literas Cl.
„ vir P. Angelus Calogera Camaldulenſis mona-
„ chus, doctrina pariter & humanitate conſpicuus.
„ Hanc ut haberem rogatus per literas Rev. D.
„ Antonius Fabri parochus S. Mariæ in Cælo au-
„ reo, vir doctus, diligentiſſime & amice curavit.
„ En igitur viri illius amici largitione, ex qua
„ Rubeus ſua hauſit, chartam autographam.
„ Doleo tamen præclarum hoc antiquitatis mo-
„ numentum literis identidem eraſis ad nos per-
„ veniſſe mutilum. Quale quale tamen illud da-
„ ri præſtat, ne tandem totum abſumptum inte-
„ gre diſpereat.

..... tio pontificatus Domini noſtri Hagapiti ſummi Pontificis, & univerſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati pe.... Adalberto ejus filio ambobus piiſſimis & glorioſiſſimis regibus anno regni pietatis ejus ſedis quinto, die vigeſima ſe.... gulis ordo vera demonſtrat auctoritas, ut ſiquis pro ſue cautele intentiones cauſæ definitum ſettierit, abſque ſcriptu.... eſſe videntur prolixis temporibus memoriter retineri non poſſunt. Ideoque dum reſidere in Sinodum D. Petro reverentiſſimo.... cum eo ibique reſidentes reverentiſſimi Epiſcopi, atque aſtantibus religioſiſſimis abbatibus, atque presbiteris, diaconibus & ſubdiaconibus, & maxima pars pop..... ego ciatoribus, tabellionibus eorum nomina plura notantur, Ideſt in primis Martinus reverentiſſimus Epiſcopus ſce ferarienſis Eccle. ſicque Urſus gratia.... epiſcopus ſce Cumiaclenſis eccleſiæ, Gunfredus Epiſcopus ſce Ceſſinate Eccleſiæ, Arnaldus epiſcopus ſce Popilienſe Eccleſiæ, Joannes epiſcopus ſce Cornelienſe Eccleſiæ Ubert..... ſce..... enſis Eccleſiæ, Gerardus Epiſcopus ſce. Fav. eccleſiæ, Dominicus religioſus presbiter & Abbas regularis ſci Apolenaris, qui vocatur in Claſſe. Martinus religioſiſſ. presbiter & abbas re.... Apoſtoli, & Evangelis.... Abbas regularis ſci Laurentii qui vocatur in cefarea, Petrus civ..... Rav. Eccleſiæ P..... eccleſiæ, Petrus reverentiſſimus Diaconus item ſce Raven. Eccleſiæ, Leo venerabilis diaconus item ſce Raven. Eccleſie, Petrus item ſubdiaconus ſce Rav. Eccleſiæ, Honeſtus ſubdiaconus ſce Rav. Eccleſiæ fil. q. Joh., dativus, Johannes ſubdiaconus ſce Rav. Eccleſiæ fil..... ſubdiaconus fil. Johannes dux, D Honeſtus ſubdiaconus, Georgius item ſubdiaconus; iſti omnes ſce Rav. Eccleſiæ, Anſelmus presbyter, Stefanus presbiter..... Leo archidiaconus a.... nus presbiter, qui vocatur calbus, Paulus presbyter, Petrus presbiter, et alio Petrus presbiter, iſti omnes ſce Ferrarien. Eccleſiæ. De laici autem, ideſt.... dux, qui vocatur de romanus, dux, Johannes Dei pietate dux filius quondam Sergius dux, & Sergius nobili viro filio ſuo, Petrus Dei pietate, & Severo germanis Com..... & Gerardus viri laudabilis germanis item comitibus Petrus Chriſti miſericordia magiſter militum, Andreas fil. Andreas dativus Faro.... &.... ero filius quondam Johannis, Conradus, qui vocatur Teudus filius quondam Leo de Petro nati. Gui- E do filius quondam Johannis, qui vocatur de Senatore, Natalis dux filius quondam Johannis dux, Petrus filius quondam Paulus dux, qui vocabatur.... averſaria Teofilactus filius quondam. Andreas pater Tuimguini, Giſius qui vocatur Guinicius, Johannes filius quondam item Joannes dativus,

vus, Leo qui Liudus filius quondam, Romanus qui vocabatur debeſi Petrus filius quondam Mari..... tur de Criſtoduli Johannes & Leo f..... de Cumiaclo, Eleuterius fil. quondam Oneſtus dux, Marinus, qui vocatur Bonizones, Petrus tabellio & curialis, Romualdus dux, Teudaldo qui v.... cis, & Johannes.... etrus tabellioni, Joannes tabellio & aliis & aliis ceteris, que longum eſt ad ſcribendum. In..... ſtorum omnium preſentia, veſtus eſt Domnus Petrus reverentiſſimus & coangelicus archjepiſcopus ſupra predicto Martinus epiſcopus ſce ferrarienſis eccleſiæ, eo quod detinebat res ſce ſuæ rav..... de Maſſa que vocatur Cuparius, quas totam ipſam integram Maſſam cum fundis, & caſalibus, ſeu appendicibus ſuis olim ordinatam abuerat quondam ſce memor. Dominicus Archiepiſcopus anteceſſor ſuus in quondam Urſum Archipresbiterum & in aliis colonis, ſicut in ipſum relegitur libellum, quas in ipſum ſinodum oſtendebat; & relectum eſt per Johannem tabellium qui vocatur de porta triani; & etiam ipſe Dom. Petrus Archiepiſcopus ipſam integram Maſſam habuit & detinuit, & ea qua ſtare juſſit. Et ſic iſte Martinus Epiſcopus in parte de ipſa Maſſa invaſus eſt contra meam voluntatem, & eam injuſte mihi detinet. At ec reſpondens ipſe Martinus venerabilis epiſcopus: de ipſa prædicta Maſſa, que atverſum me dicis, vere ego de ipſa Maſſa in parte invaſus ſum, & detineo, putavit quod juris eſſet ſce mee Ferrarienſis Eccleſiæ, & fecit exinde inquiſitionem cum meo clero in archivo ſce noſtræ Ferrarienſis Eccleſiæ, & nullas monitiones cartarum exinde invenimus nec in antea invenire.... Si poſſumus. Nunc autem per omnia cognoſco quia ipſa integra Maſſa juris eſt ſancte veſtre raven. eccleſiæ, & per omnia me exinde recredo, quia nihil exinde pertinet ad meam eccleſiam prefatis vero.... ligioſiſſimis Epiſcopis tales profeſſiones, & recrediciones audientes dixerunt; at ipſe prefatus Martinus epiſcopus ut corporaliter per fuſtem inveſtiret ipſe Domnus archiepiſcopus &... dare... ſuum miſſum, qui corporaliter illum vel ſuum miſſum de ipſa re inveſtiret; & ſtatim apreendens ipſe Martinus vener. Epiſcopus fuſticellum de pino, & poſuit in manum præfati Domni Pe.... & dixit ei inveſtito tibi de ipſa res quas atverſum me queſiſtis, quia nihil pertinet ad ſanctam meam ferar. Eccleſiam & iterum apprendens ipſe Martinus Epiſcopus per manu.... por.... qu.... ſanctæ ſue ferarienſe Eccleſie & miſit eum in manum domnus Archiepiſcopus ut corporaliter de ipſas res inveſtiret illum vel ſuum miſſum ſicut ipſi religioſiſſimi Epiſcopi S..... Eccleſiis ſtatutis decretum ut qui alienam invadit non exſcat imponitus ſet eum multiplicationem reſtituat unde in evvangelio ſcriptum eſt. quod..... ſi aliquit defraudavit redde quadruplum; in lege quoque cautum eſt, maledictus omnes qui transfert terminos proximi ſui &.... omnes populo amen.

Hoc factum eſt ſub.... Indictione tertiadecima Ravenne.

Martinus Epiſcopus ſce ferr. Eccleſiæ huic paginam recredicionis & inveſticionis a me facta ſicut ſupra.... ps ſce Liv. Eccleſie in ac recredicione, & inveſticione ut ſup. l. interfui & ſs. ANNO CHRISTI 954.

..... s Eccleſie in hanc recredicione, & inveſticione ut ſuper legitur interfuit & ſs. Ego Cirardus fav. Epiſcopus ſs.

..... edicione & inveſticione ut ſup. l. interfui, & ſs.

..... ſis Eccleſie in hac recredicione, & inveſticione ut ſup. l. interfui & ſs.

..... nſis Eccleſie in hanc recredicione & inveſticione ut ſup. l. interfui & ſs.

..... Eccleſie in hanc recredicione, & inveſticione ut ſup. l. interfui & ſs.

..... ac recredicione & inveſticione ut ſup. l. interfuit & ſs.

..... onis interfui & ſs. P. Gregorius Diaconus & Abbas Monaſterii ſci Severi ut ſup. l. interfui & ſs. ✠ Martinus ſervus dilectiſſimi Dei Apoſtoli & Evangel. Johis ut ſup. l. interfui & ſs.

..... Eccleſie ut ſup. l. interfui & ſs. ✠ Joh. ſce rav. Eccleſie in hac recredicione ſc.

..... is Eccleſie ut ſup. interfui & ſs. ✠ Petrus ſubdiac. ſce rav. Eccleſie ut ſup. l. interfui & ſs.

..... Diaconus ſce rav. Eccleſie ut ſup. l. interfui & ſs.

..... Dia ſce rav. Eccleſie ut ſuperius legitur interfui & ſs.

✠ Oneſtus ſubdiaconus ſce rav. Eccleſiæ ut ſup. l. interfui & ſs.

✠ Johannes ſubdiaconus ſce rav. Eccleſie ut ſup. l. interfui & ſs.

✠ Leo Archidiaconus ſce ferrar. Eccleſie ut ſuperius legitur conſenſi & ſs. ✠ Joſephus presbiter in hac recredicione & inveſticione ut ſuperius legitur conſenſi & ſs.

✠ Stephauus presbit. ſecundarius ſce Ferr. Eccleſie ut ſupra conſenſi & ſs.

✠ Arulfo presbiter ſce fer. Eccleſie ut ſup. l. conſenſi, & m m ſub. ✠ Paulus presbiter ſce ferr. Eccleſie ut ſup. l. conſenſi & ſs.

✠ Petrus presbyter ſce ffr Eccleſie ut ſup. l. conſenſi & ſs.

✠ Petrus presbiter ſce ff. Eccleſie ut ſup. l. conſenſi & ſs.

✠ Natalis dux in hac recredicione, atque inveſticione ut ſup. l. interfui & ſs.

✠ Petrus filio quondam Paulus dux in ac recredicione & inveſticione ut ſup. l. interfui & ſs. ✠ ✠

✠ Joh. filio Leo conſul ut ſup. interfui & ſs.

† Leo nobilis vir in ac recredicione & inveſticione ut ſupl. interfui, & ſs.

† Johs miachli dux in hac recredicione, &...

† Johs conſul de cumanlo in ac recredicione & inveſticio... Oldo conſul cumiaclenſis in hac recredicione &....

† Stefanus in Dei nomine tabelliorum omnium hujuſque rav. S..... recredicionis & inveſticionis ſicut ſuper ſe..... 60..... Epiſcopis & Diaconibus, & Subdiaconibus et da:..... negociatoribus complevi..... & ſs.

PATAVINA SYNODUS

ANNO CHRISTI 955.

Ab Adalberto Patavino epiſcopo pro confirmanda latifundiorum largitione, quæ deceſſores ſui canonicis Patavinis conceſſerant Anno forte 955. Berengarii VI. celebrata.

ANno ab incarnatione Domini nongenteſimo ſexageſimo quinto (a) (lege forte 955.) Anno imperii D. Berengarii invictiſſimi auguſti ſexto Ind. VIII. dum Dominus Aldibertus S. Pata-

(a) Urſatus legit *anno ab Incarnatione* 964. *anno imperii D. Berengarii VI. indict. V.* Sed utraque lectio mendoſa

tavensis ecclesiæ episcopus resideret in cathedra sui episcopii in domo S. Mariæ matris ecclesiæ convocata sacerdotum, levitarum, reliquorumque caterva, tam ex cardine urbis ejusdem, quamque ex singulis plebibus vel oraculis in synodali eventu, ut solerti providentia mentes cunctorum divini verbi epulis reficeret, & spirituali admonitione, juxta sanctorum statuta patrum, singulos quousque instrueret, atque regulariter in synodo peragenda ac deliberanda sunt Deo suffragante salubriter perficeret; tunc universo clero ipsius sanctæ sedis cum cæteris sacerdotibus, & levitis, reliquorumque graduum ordinibus S. Patavienſis ecclesiæ ante prædictum D. Ildebertum episcopum venientibus præsentia, quatenus ob animæ suæ remedium, seu & prædecessorum suorum, quamque etiam pro statu successorum suorum episcoporum eis misericorditer subvenire dignaretur, petentes, & misericordiam postulantes, quatenus suæ scriptioni, & concessioni de territoriis, & vineis sacræ ipsius canonicæ, quam ipsi per datum, atque concessum prædecessorum suorum episcoporum ad possessionem sacræ ipsius canonicæ habebant, & detinebant, concedere dignaretur, quoniam antiqua munimina chartarum propter rabiem paganorum igne cremata, & consummata, atque perdita habebant. Tum sanctissimus, & reverendissimus per omnia pontifex zelo Dei eos compatiens, & eorumdem petitiones in antro pectoris rimatim pertractans, & considerans illud veracissime dictum, quod in lege Domini contineri dignoscitur, ut qui altari deserviunt, cum altare participent, & qui evangelio evangelizant, de evangelio debent vivere, quatenus suam habentes justitiam secure possint in sancta Dei ecclesia militare. His igitur motus traditionibus una per concessum, voluntatemque ipsorum sacerdotum, cunctorumque ecclesiastici ordinis, tradidit eis jam dictus D. Hildebertus per ferulam pastoralem indagatricem sui episcopii, quam in manu sua tenebat, & per hanc concessionis cartulam in integrum omnibus rebus illis, quas hactenus tenuerunt, tempore videlicet D. Sibichonis bonæ recordationis episcopi, successorum, & antecessorum episcoporum, & nunc ad partem ipsius canonicæ detinent; idest in primis oratorium S. Luciæ cum omnibus pertinentiis suis in integrum, seu & terris casalivis, & sedimina earum cum curtis, hortis, areis & terris, cum vineis quoque & aratoriis cultis & incultis infra eamdem civitatem, sicut hactenus tenuerunt in confinio, ubi dicitur Bruziniga minore. Concessit etiam eisdem sacerdotibus terras cum vineis extra eamdem civitatem, ubi dicitur Pons Curvus, quæ antiquitus vinea cellæ canonicæ dicebatur. Iterumque concessit supradictis canonicis aliquantulum terræ aratoriæ in locum, qui dicitur Pavezolo, quantum potest esse per æstimationem inter cultum, & incultum vigras quinquaginta, & silva S. Mariæ, quod est juxta flumen, qui dicitur Retrone, & de uno latere & de uno capite ipso Retrone percurrente, de alia parte palude adjacente, & de alio latere Patavinos consortes habente; decimas vero ejusdem civitatis cum omnibus titulis vel villis suis ad eamdem civitatem antiquitus pertinentibus vel aspicientibus, quæ a fidelibus populo dantur; item concessit, atque largivit, tam de fructibus terræ, quam de animalibus per omnia; videlicet in primis villa, quæ dicitur Limena, & villa quæ dicitur Arzere, Alticheria, & Turre, & Noventa, & villa quæ dicitur Berga & Runcalieteri, & villa Casale, & villa, quæ nominatur Albignasega, & Maserada, & cæteris aliis per omnia ad eandem civitatem pertinentibus. Donationes vero, vel offersiones a quocumque antecessorum suorum episcoporum datæ, & concessæ fuerint, si aliquo casu perditæ sunt, & concessiones earumdem concessit & confirmavit, & corroboravit. Hæc autem omnia superius comprehensa dedit, cessit, & confirmavit supradictis filiis, & sacerdotibus canonicæ ordinis ipsius S. matris ecclesiæ, tam eis, qui moderno tempore sunt, quam posteris eorum usque in perpetuum, ut habeant, teneant, firmiter possideant, & inter se divideant, prout melius videbitur illis, qui moderno tempore sunt, vel successoribus eorum, secundum qualitatem uniuscujusque ordinis, absque ulla sua, vel successoribus suis diminutione. Si quis autem hujus concessionis, & ordinationis, quas per consensum sacerdotum, levitarum, cæterorumque ord. graduum tum ex cardine ejusdem ecclesiæ, quam ex singulis plebibus vel oraculis sac. synodi, quam ipse D. Hildebertus bene ordinavit, si aliquis corrumpere, aut infringere, vel molestare præsumpserit ex successoribus suis, mereat pro peccatis suis a liminibus ecclesiæ esse extraneus, & veniant super eum omnes illæ maledictiones, quas Dominus percussit Ægyptum, & in secundo adventu Christi cum Juda traditore accipiat damnationem in perpetuam perditionem. Et ut neque ab eo, neque a successoribus suis a proprio statu removeri possit, manu propria roboravit.

Ego Hildebertus episcopus Patavienſis ad omnia supraſ. a me facta man. ss.

Ego Urso (*b*) episc. hanc chartam confirmo & laudo manu mea &c.

Ego Anselmus Archipresbyter S. Patavienſis ecclesiæ huic descriptioni, & concessioni consensi, & subscripsi.

Ego Regenso archidiaconus consensi, & subscripsi.

Ego Dominicus presbyter consensi & subscripsi.

Ego Martinus presbyter consensi & subscripsi.

Ego Rodivertus presbyter consensi, & subscripsi.

Signum man. Regenæ, & Gribest & . . . . ejusdem D. Ildeberti episcopi rogati, & D. Ildeberto episcopo huic inscriptioni manus suas posuerunt.

Signum manibus Bonorestaldo, & Dardalco, & Bulpario de eadem civitate testes.

Signum manibus Martino decano, & Dominico, & Joanne qui dicitur Silib. testes.

Ego Adelbertus subdiaconus, atque cancellarius S. Patavensis ecclesiæ ex jussione D. Hildeberti consensu cunctorum sacerdotum, & levitorum hanc concessionis chartulam rogatus, atque post traditam complevi.

S Y-

---

sa est: nam anno 964. currebat indictio VII. & Berengarii annus regni XIV. Anno vero 965. desierat Berengarii regnum. Propterea si in describenda regni Berengarii epocha error non irrepsit, hoc documentum ad annum Christi 955. referendum, qui erat sextus Berengarii junioris, & pro VIII. Indictione reponenda XIII. atque ita evanescit XXX. annorum illud interpontificium, quod Scardoneus ab anno 922. ad 952. statuit. Nam Ildebertus Ardemanno successerit anno 944. cujus donatio canonicis facta emanaverit anno 955. quandiu autem vixerit incompertum. *Editor Ughelli*.

(*b*) Quisnam fuerit, & cujus sedis episcopus hic Urso nobis latet, ni opinari velimus hanc esse confirmationem Ursonis Patavini infra numerandi inter successores Hildeberti. *Editor Ughellii*.

ANNO CHRISTI

SYNODUS LANDAVENSIS

ANNO CHRISTI

SUB PATRE VIGESIMO QUINTO ibidem episcopo habita.

ANno DCCCCLV. indictione XIII. a nativitate Domini hoc nefarium opus factum est. In diebus enim Nougui filii Guriat, atque Patris episcopi sedis episcopalis famosissimæ, quæ ad ripam Tavi fluminis posita est, quadam die tempore messis quidam diaconus nomine Ili filius Beli, quem in uno eodemque anno ordinavit episc. transiens per segetes, obviavit ei quidam rusticus nomine Merdutir filius Iuduc, vituperando dicens, ait: Quid tibi timidissime, & armis? Dum verbis vituperationis colloquebantur, irruit Merdutir in eum, extendens manum ad gladium ejus, gladio evaginato succidit digitum illius diaconi. Derivante autem sanguine ejus, ait ad eum: Reverte ad me, ut liges digitum meum. Convertens autem ad eum, & ligans digitum ejus, jugulavi eum diaconus, & statim defunctus est. Ipse autem diaconus vertens se in fugam, declinavit ad ecclesiam sanctorum Jarmen & Febric, refugium inquirens. Dum autem hæc aguntur, nunciatum est amicis defuncti. Postea congregati sunt amicorum ejus multi, & conati sunt frangere ecclesiam, in qua erat diaconus. Tunc adfuit famosissimus ille vir Bledcuirit filius Enniaun, qui prohibuit eos ne ecclesiam frangerent, quod scelus erat dictu. Noviſſime vero adfuerunt sex viri de familia Nougui, quorum autem sunt nomina, Birtulf & Britilm frater ejus, Budat & Biguan filius ejus, & alii duo fratres filii Cunuic, Guodcun, & Alla. Statim venientes irruerunt in ecclesiam, & occiderunt diaconum ante altare sanctorum, scelus dictu, respersо sanguine in altari & in parietibus ecclesiæ.

His malis peractis, nunciatum est episcopo qui tunc morabatur apud Hovel Britannicum regem in regione Bracham. Ipse statim ut audivit, transmisit nuncios ad monasteria omnium provinciarum totius parochiæ infra ostium *Taratir ig gui* usque ad ripam *Tingui*: quarum obedientiæ subjectæ sunt ecclesiæ Landaviæ & sanctis ejusdem Dubricio, Teliavo, Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis succedentibus in perpetuo, ut congregarentur sacerdotes, diaconi, & omnes gradus ecclesiastici in unum convenirent. Audiente quoque Nougui cum optimatibus suis totius ecclesiæ maledictionem irruentem in se, & descendentem super eum, non audens tale pondus maledictionis sustinere, inito consilio cum doctissimis regionis suæ, & legatis transmissis, appellavit episcopum ad se. Postea vero obviarunt sibi Nougui, & episcopus cum optimatibus suis in Guentonia urbe, & ex consilio omnium doctorum utriusque partis dati sunt illi sex viri crudeles in manu Episcopi. Adducti sunt ad monasterium S. Teliavi, illis facientibus sex menses in ferreis carceribus. Nougui iterum postulavit ut adducerentur viri illi ad supradictum monasterium, in quo occiderunt diaconum, & illic divinum judicium acciperent.

Judicium in homicidas sacrilegos.

Synodo quoque judicante definitum est, ut unusquisque eorum suum agrum, suamque totam substantiam, insuper & pretium animæ suæ, hoc est septem libras argenti redderet ecclesiæ quam maculaverat. Sed hoc prætereundum non est, quod ante judicium, redacti sunt viri illi Idguallaun filius Moruid, & Guinan, Junathan, & Guelfird, tres filii Ceretic, & totus ager generationis Guorvot, cum campo & fontibus, cum silvis & accipitribus, cum omni censu qui antea dabatur regi, in manu episcopi, & in potestate ecclesiæ S. Teliavi. Determinantibus omnibus divino judicio surrexit episcopus in medio, & omnes steterunt juxta eum, tenentes evangelium, & ait ad Nougui: Pone manum tuam super hoc evangelium. Et extendit Nougui manum super evangelium, dicens: Sit hæc terra cum incolis suis in sempiterna consecratione Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis Landaviæ, libera ab omni laicali servitio, nisi tantum oratione quotidiana in perpetuo. De clericis testes sunt Pater episcopus, Dium sacerdos, Dissaith lector, *&c.* De laicis Nougui rex, *&c.* Quicumque custodierit, custodiat illum Deus. Qui autem ab ecclesia Landaviæ se separaverit, anathema sit. Amen.

ANNO CIRCITER CHRISTI 955.

CONCILIUM INCERTI LOCI

ANNO CIRCITER CHRISTI 955.

EPISCOPORUM QUI IN FINIBUS BURGUNDIÆ.

Anno circiter DCCCCLV. sub Agapito papa II. in quo actum de excommunicatione Isuardi, qui agros ad abbatiam S. Symphoriani pertinentes injuste detinebat.

COncilii istius nihil nobis supereſt præter Commonitorium episcoporum, cujus exemplar, uti & cæterorum quæ ad Isuardi excommunicationem pertinent, debemus viro eruditissimo Francisco Chifletio S. J. qui ea descripta ex tabulis sancti Symphoriani Augustodunensis nobiscum humanissime communicavit.

COMMONITORIUM EPISCOPORUM

In finibus Burgundiæ, de excommunicatione Isuardi.

SUmmorum summo, primorum primo, domno Manasse, Metropolitanæ sedis Arelatensis archiepiscopo, cum cæteris coepiscopis, Landrico Avenionensi, Odolberto Vallensi, & aliis Provinciæ episcopis, Emblardus Lugdunensium sedis ar-

ANNO CHRISTI 955.

archiepiscopus, Rodmundus Eduensium episcopus, Hermannus Senonensis ecclesiæ archiepiscopus, Hildebodus Cabilonensium episcopus, Maimbodus Matisconensium episcopus, Acardus Lingonensium episcopus, Ansegisus Trecassensium episcopus, VVido Altissiodorensium episcopus, Gautbertus Nevernensium episcopus, cum cæteris episcopis, Burgundiæ partibus commorantibus, assiduas in Christo orationes. Sciat vestra fraternitas, quod cura nostri officii est, causas sanctarum ecclesiarum inquirere, & ad meliora quæque provocando reparare. Nam domnus Rodmundus nuper a Roma veniens, detulit literas ex parte domni Agapiti papæ, in primis admonitorias de terra sancti Symphoriani, quæ conjacet in partibus provinciæ: scilicet in circuitu Arelatensi, & Avenionensi: quam tenent Isuardus & socii ejus, sine voluntate illorum, qui corpus S. Symphoriani custodiunt & venerantur. Vos enim estis in partibus illorum: & vos intelligere potestis rationem S. Symphoriani, ut impleatur illud apostoli: *Frater fratrem adjuvet, & amba consolentur.* Ergo petimus communiter, ut omnes illos invasores terræ S. Symphoriani, semel, bis, & ter vocando ammoneatis ut resipiscant a talibus, & permittant tenere S. Symphoriani ecclesiam quod suum est. Et, si tenere voluerint, impetrent ab eo qui loco sancti Symphoriani præest, quoquo modo impetrare potuerint. Sin autem nec reddere voluerint, nec impetrare: sicut scriptum est & mandatum nobis a domno papa, ex parte illius & ex parte nostra sint anathematizati & damnati, & societate Christianorum separati: in ecclesiam Dei non intrent, Missam non audiant, pacem cum Christiano non faciant: nec manducent, nec bibant, nec dormiant cum ullo Christiano: si infirmati fuerint, non visitentur; & si mortui, non sepeliantur: sed in baratrum confusionis & perditionis, cum Core, Dathan, & Abiron, quos vivos terra absorbuit, demergantur.

ANN CHRIST 955

Cum nihil profuisset ea excommunicatio, & Agapito papæ successisset Joannes XII. ab eo Girardus Augustodunensis episcopus, eam quæ sequitur in prædictos rerum sancti Symphoriani invasores sententiam obtinuit. *Eam vide infra ad annum 959. sub Joanne papa X.*

VITA
ET EPISTOLA
JOANNIS PAPÆ XII.

Joannes qua ætate pontifex factus sit.

JOannes Alberici illius qui urbi dominabatur filius, apostolicam sedem invasit anno Domini DCCCCLV. tempore Constantini VIII. imperatoris. Et quamquam huic legitima ætas aliaque omnia deessent, quæ in legitimo pontifice requiruntur; tamen accedente postea consensu totius cleri visum est hunc potius esse tolerandum, quam ecclesiam schismate aliquo, quod alioquin exortum fuisset dividendam. Cumque universa ecclesia catholica sciret minus malum esse, caput quantumlibet monstrosum proferre, quam unum corpus in duo secari, & duobus capitibus informari, eumdem toto orbe terrarum tanquam verum & legitimum pontificem venerata fuit. Hic revera primus est inventus, qui sibi nomen mutavit, quique ex Octaviano, pro mutata non exuta tyrannide, voluit Joannes nominari. Ob temporale urbis dominium, Albericus pater filium suum Octavianum nominaverat: ille contra pontificatum & spirituale dominium totius orbis consecutus, spirituali nomine hoc Joannis appellari voluit. Idem juvenili ardore spirans minarum & cædis, collecto exercitu copiisque auxiliariis ex Spoletano ducatu conductis, adversus principem Capuanum nomine Pandulphum bellum movit: cui cum ille Salernitanorum ope & auxilio fortiter resisteret, ad propria redire pacemque per legatos petere coactus fuit. Hujus tempore Berengarius solutus timore defuncti Luithulphi filii Ottonis, qui ad coercendam ipsius Berengarii tyrannidem in Italiam missus erat, per universalem Italiam impune grassabatur, & profana simul & sacra absque delectu devastabat. Qua de causa Joannes papa tyrannidem illam non amplius ferens, legationem misit ad Ottonem regem Germaniæ, supplici-ter, auctore Luitprando, literis & signis regem orans, quatenus pro Dei amore, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam ecclesiam ex suorum inimicorum faucibus liberaret, ac saluti & pristinæ libertati restitueret. Cumque idem eodem tempore auctore Deo Mediolanenses per deputatam legationem petivissent, Otto, antequam e Germania recederet, VVormatiæ comitia habuit, in quibus filium suum Ottonem, ex Adelheide genitum, creavit regem, eumque VVilelmo Moguntino archiepiscopo ex alia uxore filio nutriendum commisit, præstitaque per juramentum fidelitate & securitate sedi apostolicæ, de futura successione in Romano imperio ejusque juribus ac titulis promissionem accepit. His præviis rex piissimus, inquit Luitprandus, collectis copiis in Italiam percitus venit, tantoque Berengarium atque Adelbertum celerius expulit, quanto evidentius constat, quod commilitones Petrum & Paulum sanctissimos apostolos habuit. Postquam ablata suis quæque dominis restituisset, anno Christi Redemptoris 962. qui erat 7. an. pontificatus Joannis, Romam venit, ibique magno cum honore miroque ornatu, & apparatu susceptus a pontifice cum applausu totius populi imperator & Augustus vocatus, & ordinatus, unctionem imperii suscepit. Quæ vero post hæc legitime peracta Joanni papæ restituerit, quæque dona ille ecclesiæ Romanæ adjecerit, indicat ipsum auctenticum donationis diploma, quod aureis literis exaratum Romæ in castello S. Angeli asservatur. Pro gratia referenda pontifex omnesque urbis optimates supra corpus beati Petri jurarunt, se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturos: atque ita imperator Roma discedens Papiam se contulit.

Nomen suum primus post Petrum mutavit.

Legationem ad Ottonem misit Joannes.

Ottonem imperatorem creat.

Interea Joannes pontifex ad defectionem solicitatus, immemor juramenti præstiti, Adelberto se conjunxit. Quod cum imperator per nuncios undique redeuntes verum esse intellexisset, Luitprandus eum di-

Joannes deficit ab imperatore.

„ dixisse scribit: Puer est, facile bonorum im-
„ mutabitur exemplo virorum: spero eum objur-
„ gatione honesta, suasione liberali facile ex illis
„ sese emersurum malis. Cum hac de causa impe-
rator Romam rediisset, papa simul & Adelbertus
aufugerunt. " Cives vero, inquit Luitprandus, san-
„ ctum imperatorem cum suis omnibus in urbem su-
„ sceperunt, fidelitatemque promiserunt: hæc ad-
„ dentes, firmiterque jurantes, nunquam se pa-
„ pam electuros aut ordinaturos præter consensum
„ atque electionem domini imperatoris Ottonis
„ Cæsaris Augusti, filiique ipsius regis Ottonis.
Post triduum quam Romam veniisset, auctoritate
Ottonis habita est pseudosynodus, qua Joanne in
ordinem redacto subrogatus est pseudopapa Leo
VIII. quem ille, post obitum Ottonis in urbem
revocatus, velut adulterum & invasorem sedis de-
posuit, rescissis omnibus illius conciliabuli actis,
quibus nullo juris & antiquitatis ordine servato,
Joanne papa amoto, suffectus fuerat. De infau-
sto Joannis papæ exitu, auctor qui asseritur
Luitprandus hæc scribit: „ Quadam nocte extra
„ Romam dum se cum cujusdam viri uxore ob-
„ lectaret, in temporibus adeo a diabolo est per-
„ cussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit
„ vulnere mortuus. Non quia, ut ille ait, juste
damnatus, & juste receptus fuerit; sed quia tot
tantisque vexationibus a Deo admonitus, a pec-
catis consuetis non abstinuit. Quamquam ista quæ
apud Luitprandum narrantur, non tam ipsius sint,
quam hominis adversarii, & Ottoni plus nimio
adscribentis: tamen veritatem eorum non con-
troverto, utpote quod nullum dispendium afferant
fidei catholicæ, de qua unanimi consensu profi-
temur, Petrum Petrique successores post acceptam
Christi promissionem, in moribus quidem, non
autem in fide, deficere posse. Contigisse obitum
Joannis papæ anno 964. pridie Idus Maii, in Re-
ginonis auctario asseritur.

EPISTOLA JOANNIS PP. XII.

AD SANCTUM DUNSTANUM, CANTUARIENSEM EPISCOPUM,

De concessione pallii.

Joannes episcopus servus servorum Dei confratri Dunstano Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopo, vitæ perpetuæ permanendam in Christo salutem.

SI pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & oculis conspectant vigilantibus, ne aliqua ex ovibus aut errando pereat, aut laniata morsibus rapiatur: quanta cura quantoque sudore debemus esse pervigiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores esse earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam ovium dominicarum, ne quasi lupo veniente territi fugiamus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem & negligentia vestra excruciemur, unde modo honoris reverentia in sublimiore arce ceteris dijudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more antecessorum tuorum vices apostolicæ sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut beatum Augustinum ejusque successores præfatæ ecclesiæ pontifices habuisse dignoscitur.

Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad missarum solemnia celebranda commendamus: quo tibi non aliter uti concedimus, quam eo usu quo antecessores nostri prodiderunt, ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel quicumque, quantum indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus, Deo auctore, posses esse conspicuus, ita ut vita filiis tuis sit regula: & in illa, si qua fortitudo illis inest, dirigantur, dum in ea quæ imitentur aspiciant. *Et in fine epistolæ.*

Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui viam te dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem ad æternam pervenire simul mereamur dulcedinem. Et hoc scriptum est per manum Leonis scriniarii sedis apostolicæ, in mense Octobris, indictione quarta, die primo Kalend. Octob. anno * duodecimo summi pontificis Joannis.

* sexto Joannis pontificis.

RESCRIPTUM JOANNIS PAPÆ XII. pro excommunicatione Isuardi & sociorum.

EGO in Dei nomine Joannes papa, sedis apostolicæ, & Romanæ urbis apostolicus, divina clementia largiente, notum volo fieri omnibus qualiter veniens quidam episc. a partibus Galliarum, nomine Girardus, Augustudunensis civitatis præsul egregius, pro regis etiam amore, & beati Petri principis apostolorum servitio Romam expetiit: nostram honorifice adgressus præsentiam. Qui dum nobis pro sua industria, & honoris magnificentia gratus, acceptabilis, & carus existeret: dum de pluribus sermo inter nos haberetur, manifestavit mihi humillime reclamando de quibusdam hominibus, qui terram de suo episcopatu præsumptuose & violenter tenere videntur. Insuper deprecatus est, ut eos excommunicaremus, & maledictionis jaculo illos damnaremus. Cujus petitionem benevole suscipiens, jussi ego Joannes papa, servus servorum Dei, talem excommunicationem & maledictionem fieri, scriptam manu propria Benedicti archiepiscopi nostri. Conjacet autem eadem terra, in patria quæ dicitur Provincia, de abbatia S. Symphoriani. Quicumque ergo eam tenent terram S. Symphoriani, aut aliquid ex terra S. Nazarii, sine assensu Girardi ejus civitatis episc. ex auctoritate Dei patris omnipotentis, & Filii, & S. sancti, omniumque sanctorum Dei: potestate insuper beati Petri senioris nostri, cum ceteris apostolis quibus data est potestas ligandi atque solvendi, & ex ministerio nostro, sint excommunicati & anathematizati, atque a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alienati: nisi conversi ad satisfactionem venerint. Omnes enim maledictiones, quæ in veteri testamento & novo scriptæ sunt, veniant super eos nisi ad emendationem venerint. Sint maledicti in civitatibus, in villis, in agris, in viis, in castellis, in silvis, & in omnibus locis. Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, nisi resipiscendi ad satisfactionem & emendationem venerint: Fiat.

De hoc Isuardo vide paulo ante Concilium Episcoporum finium Burgundiæ, H.

Transmissio excommunicationis.

ANno incarnationis Dominicæ DCCCCLIX. indictione III. imperante Michaele imperatore Constantinopoli, domno autem Joanne apostolico Romæ præsidente, regnante vero Lothario Francorum rege, transmissa est hæc excommunicatio archiepisc. Franciæ, & Burgundiæ; Artaldo Remensis ecclesiæ archiepisc. & subjectis sibi episcopis; Amblardo Lugdunensis ecclesiæ archiep. Rodmundo Edunensis ecclesiæ episc. Achardo Lingonensis sedis episc. Frotgario Cabilonensis ecclesiæ

epiſc. Natrano Nivernenſi epiſc. Richardo Autiſ-
ANNO CHRISTI 959. ſiodorenſi epiſc. de terra, & alodo S. Fauſti, & ſanctæ Auguſtæ, & S. Symphoriani, quæ eſt in regione Provinciæ, in finibus loci qui vocatur Magna: quam tenet per poteſtatem Iſuardus, & ſocii ejus.

Excommunicatio.

AUctoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ordine omnium ſanctorum, & noſtra communi excommunicatione alligamus, & anathematizamus Iſuardum, & omnes ſocios ejus, qui tenent terram S. Symphoriani. Ut nullus eorum poſtquam hoc audierit, eccleſiam non intret, Miſſam non audiat, pacem cum Chriſtiano non faciat: neque manducet, neque bibat, neque dormiat: & ſi infirmaverit, non viſitetur; & ſi mortuus fuerit, non ſepeliatur, neque pro eo oretur; niſi ad emendationem & ſatisfactionem venerit.

De his terris S. Symphoriani, quæ ſitæ ſunt in comitatibus, Avenionenſe, & Cavellico, tandem ſatisfecit Iſuardus Girardo Auguſtodunenſi epiſcopo. Feria III. XVII. Kalendas Auguſti, anno Domini DCCCCLXXII. Indictione XV. regnante quidem rege Gondrado. Rerum autem in Cavellicenſi epiſcopatu ſitarum reſtitutionem, Hugoni eccleſiæ S. Symphoriani Cavellicenſis decano, & clericis ejus factam, confirmavit Deſiderius epiſc. Cavellicenſis.

DIPLOMA OTTONIS IMPERATORIS
ANNO CHRISTI 962.

De confirmatione jurium Romanæ eccleſiæ.

Autographum ipſum aureis literis exaratum aſſervatur Romæ in caſtello S. Angeli.

In nomine Domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

EGO Otto Dei gratia imperator Auguſtus, una cum Ottone glorioſo rege filio noſtro, divina ordinante providentia, ſpondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi beato Petro principi apoſtolorum & clavigero regni cælorum, & per te vicario tuo domno Joanni ſummo pontifici & univerſali XII. papæ, ſicut a prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate atque ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis civitatem Romanam, cum ducatu ſuo, & ſuburbanis ſuis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, & maritimis, litoribus atque portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis Tuſciæ partibus, id eſt Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrium, Nepem, Caſtellum, Galliſem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Peruſiam cum tribus inſulis ſuis, id eſt Majore, Minore, Pulvenſim, Narniam, & Utriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad ſupraſcriptas civitates pertinentibus. Nec non exarchatum Ravennatem ſub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ piæ recordationis domnus Pippinus, & domnus Carolus excellentiſſimus imperator, prædeceſſores videlicet noſtri, beato Petro apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris, jamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc eſt civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Ceſenam, * Forum populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaculum, & Hadrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, terra marique ad ſupraſcriptas civitates pertinentibus: ſimul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auſimum, Humanam, Heſim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Urbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus.

* Forum Pompilii.

Eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut a domno Carolo imperatore anteceſſore noſtro, beato Petro apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum Caſtellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Nartam, Tuſcanam, Suanam, Populonium, Roſellas, cum ſuburbanis atque viculis omnibus, & territoriis ac maritimis, oppidis ac viculis ſeu finibus omnibus. Itemque Almus cum inſula Corſica, deinde in Soriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis, atque Provincia Venetiarum, & Iſtria, nec non & cunctum ducatum Spoletanum, ſeu Beneventanum, una cum eccleſia S. Chriſtianæ poſita prope * Papiam juxta Padum quarto milliario.

* Paduæ

Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, necnon patrimonia ad poteſtatem & ditionem veſtram pertinentia, ſicuti eſt patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ ſuperioris & inferioris. De civitate autem Neapolitana, cum caſtellis & territoriis & finibus & inſulis ſuis ſibi pertinentibus, ſicut ad eaſdem reſpicere videntur, necnon patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Cajetam & Fundum cum omnibus earum pertinentiis.

Inſuper offerimus tibi, beate Petre apoſtole, vicarioque tuo domno Joanni papæ, & ſucceſſoribus ejus, pro noſtræ animæ remedio, noſtrique filii, & noſtrorum parentum, de proprio noſtro regno civitates & oppida cum piſcariis ſuis, id eſt, Reatem, Amiternum, Furconem, Nurſiam, Baluam, & Marſim, & alibi civitatem Interamnem cum pertinentiis ſuis.

Has omnes ſupradictas provincias, urbes, civitates, oppida, & caſtella, viculos, & territoria, ſimulque & patrimonia pro remedio animæ noſtræ, & filii noſtri, ſive parentum noſtrorum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & pro cuncto a Deo conſervato atque conſervando Francorum populo, jam dictæ eccleſiæ tuæ, beate Petre apoſtole, & per te vicario tuo ſpirituali patri noſtro domno Joanni ſummo pontifici & univerſali papæ, ejuſque ſucceſſoribus, uſque ad finem ſæculi, eo modo confirmamus, ut in ſuo detineat jure, principatu atque ditione.

Simili modo per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis domnus Pippinus rex, & poſtea domnus Carolus excellentiſſimus imperator, beato Petro apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt: necnon & cenſum vel penſionem, ſeu cæteras dationes, quæ annuatim in palatium regis Longobardorum inferri ſolebant, ſive de Tuſcia, ſive de ducatu Spoletano, ſicut & in ſupraſcriptis donationibus continetur, & inter ſanctæ memoriæ Hadrianum papam, & domnum Carolum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de ſupraſcriptis ducatibus, id eſt Tuſcano & Spoletano, ſuæ auctoritatis præceptum confirmavit: eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis prædictus cenſus ad partem

ANNO CHRISTI 962.

tem ecclesiæ beati Petri apostoli persolvatur: salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem & filii nostri subjectione. Cæterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant jure, principatu atque ditione: & neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum, sive machinationem, in quacumque parte vestra potestas imminuatur; aut a vobis inde aliquid subtrahatur de suprascriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis, atque patrimoniis, necnon & pensionibus atque censibus: ita ut neque nos ea facturi simus, neque quibuslibet ea facere volentibus consentiamus. Sed potius omnium quæ superius leguntur, id est, provinciæ, civitates, urbes, oppida, castella, territoria, & patrimonia, atque insulæ, censusque & pensiones ad partem ecclesiæ beati Petri apostoli, atque pontificum in sacratissima illius sede residentium, nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc, ut ea in illius ditione, ad utendum, & fruendum, atque disponendum firmiter valeant obtineri: salva in omnibus potestate nostra, & filii nostri, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto & constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis, successorumque illius, continetur, id est,

Ut omnis clerus, & universa populi Romani nobilitas, propter diversas necessitates, pontificum irrationabiles erga populum sibi subjectum asperitates retundendas, sacramento se obligent: quatenus futura pontificum electio (quantum uniuscujusque intellectus fuerit) canonice & juste fiat; & ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente, consecratus fiat pontifex, priusquam talem in præsentia missorum nostrorum, vel filii nostri, seu universæ generalitatis, faciat promissionem pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem domnus & venerandus spiritualis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.

Præterea alia minora huic operi inserenda prævidimus, videlicet, ut in electione pontificum, neque liber, neque servus, ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram institutionem ire præsumpserit, exilio tradatur.

Insuper, ut nullus missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere in præfatam electionem audeat, prohibemus. Nam & hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione domni apostolici sive nostra fuerint susceptI, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis quemquam illorum qui hoc promeruerunt violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum.

Illud etiam confirmamus, ut domno apostolico justam in omnibus servent obedientiam, sive ducibus ac judicibus suis ad justitiam faciendam. Huic enim institutioni hoc necessario annectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli duces ac judices populo justitiam faciant. Hanc imperialem constitutionem quomodo observent qui missi, decernimus ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam ducum seu judicum fuerint inventi, ad notitiam domni apostolici deferant. Et ipse unum e duobus eligat, aut statim per eosdem missos fiant ipsæ necessitates emendatæ, aut misso nostro nobis renunciante per nostros missos a nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris firmum esse credatur, propriæ manus signaculo & nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roboravimus, & bullæ nostræ impressione obsignari jussimus. ANNO CHRISTI 962.

Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris, ac suorum episcoporum abbatum & comitum.

Signum Adalgagi Hammaburgensis ecclesiæ archiepiscopi.

Signum Hartberti Curiensis ecclesiæ episcopi.
Signum Druogonis Osnaburgensis ecclesiæ episc.
Signum Votonis Argentinensis ecclesiæ episc.
Signum Otvvini Hildesheimensis ecclesiæ episc.
Signum Landvvarti Mindonensis ecclesiæ episc.
Signum Otgeri Nemetinensis ecclesiæ episcopi.
Signum Gezonis Tortonensis ecclesiæ episcopi.
Signum Hucberti Parmensis ecclesiæ episcopi.
Signum VVidonis Msitinensis ecclesiæ episcopi.
Signum Attonis Fuldensis monasterii abbatis.
Signum Gunthari Herofeldensis monasterii abbatis.

Signum Eberarti comitis.
Signum Guntharii comitis.
Signum Burgharti comitis.
Signum Utonis comitis.
Signum Cronratis comitis.
Signum Ernustes.

Signum Thietheris, Ricdages, Liupen, Hartvviges, Arnolves, Ingilthies, Burchartes, Retinges.

Anno dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, mense Februarii, decimotertio die ejusdem mensis, anno vero domini Ottonis imperii invictissimi imperatoris vigesimoseptimo, facta est hæc pactio feliciter.

EX CONSTITUTIONE IMP. PRIMI OTHONIS ET PRIMI HENRICI.

Edidit Holstenius in collectione Romana. Pars est superioris diplomatis, quæ propter clausulam hic edenda visa est.

Ex Anselmo Lucense lib. VI. cap. XXXV.

Ut in electione Romani pontificis nullus se audeat interponere, præter eos quos antiqua consuetudo admittit.

IN electione Romani pontificis neque liber, neque servus ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem SS. Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquot faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram institutionem præsumpserit, exilio tradatur.

Insuper etiam, ut nullus missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere in præfata electione audeat, prohibemus. Nam & hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione domni apostolici, sive nostra, fuerint susceptI, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis quemquam illorum, qui hoc promernerint, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Et subscripserunt ambo imperatores, quisque suo tempore, & episcopi XXIII. & abbates VI. comites XIII. optimates XVII.

ANNO CHRISTI 956.

JOANNIS XII. EPISTOLARUM

APPENDIX

Ex Mansi Suppl. pag. 1131.

JOANNES AEDREDO ANGLORUM REGI

Privilegium monachi cœnobii SS. Petri & Pauli concedit.

Johannes episcopus servus servorum Dei, Ædredo regi excellentissimo, atque omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus, & cuncto fideli populo Anglicæ gentis, charissimam salutem, & apostolicam benedictionem.

Ex Wilkins Conc. Magnæ Britan. tom. I. pag. 323.

STudio divini cultus promovemus pro venerabilium locorum semper percogitare stabilitate, quatenus proveniente pio labore animæ Christo dicatæ, quæ se illic diebus vitæ eorum servire decreverint, sub regulari institutione perseverent imperturbatæ; nec non illa maneant fidetenus inconvulsa, quæ ob religionis cultum in Dei laude constructa sunt. Quapropter mando tibi, rex inclyte ac fili charissime, & cæteris omnibus prædictæ gentis filiis nostris spiritualibus, ut monasterium penes vos in honore beatorum apostolorum principis Petri, & doctoris gentium Pauli instructum, sub cura nostra habere dignemini, ne alicujus magnæ, parvæque personæ perturbentur inquietudine; sed abbas, & monachi inibi Deo servientes vestro uti communi subsidio, & quæque juri eorum pertinere videntur, libere possidentes, efficacius in sancta conversatione suam queant ducere vitam. Cum vero abbatem ipsum obiisse contigerit, non aliunde, quam ex eadem congregatione, quem ipsi communi consilio elegerint, constituatur, in loco eodem consecretur (& gregi) dominico præficiatur. Nullus ibi præsulum aliquam sibi auctoritatem usurpet, sed nec ibi, nisi ab abbate invitatus, illorum missam celebrare præsumat; per omnia sicut prædecessores nostri juris apostolici, Deoque digni, in suis privilegiis eidem contulerunt ecclesiæ. Quibus ne quisquam temerario ausu refragari audeat, etiam nostræ parvitatis scripta ex auctoritate apostolica superaddere curavimus. Constat igitur præfatum monasterium primum esse omni ab initio vestræ nascentis ecclesiæ sanctorum monachorum religione decoratum; quod Æthelbertus, rex christianissimus, a beato Augustino, beatæ memoriæ Gregorii discipulo, ad Christi fidem perductus, hortatu ejusdem patris, apostoli vestri Augustini, a fundamentis construxit, ibique Petrum monachum, ab hac apostolica sede directum, monachis Dominum timentibus abbatem præposuit; ubi etiam ex præcepto ejusdem Gregorii prædictus pater Augustinus ipsi regi, sibique & successoribus suis regibus, atque archiepiscopis ubi corporales eorum exuviæ diem resurrectionis expectarent locum elegit. Si quis vero hoc sanctæ religionis propositum contaminare, vel delere conaverit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo innodatum, & cum Juda traditore Domini, æterni incendii supplicio concremandum. Unde canonicis de monasterio S. Salvatoris illi loco insidentibus, præcipimus omnimodis, ne sanctæ hujus devotionis cultum inquietare præsumant. Quod si fecerint, eodem anathemate puniantur: In Christo cum omnibus tuis, Domine fili valeas. Data decimo die calend. Maii, imperante Domino piissimo Augusto Othone anno undecimo regni ejus, indictione undecima.

AEJUSDEM AD EUNDEM REGEM ET CLERUM ANGLIÆ.

Privilegium eidem monasterio indulget.

Johannes episcopus servus servorum Dei Ædredo, regi Anglorum excellentissimo, dilectissimoque filio nostro Odoni Dorovernensis ecclesiæ archipræsuli, cum omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus, & cuncto fideli populo Anglicæ gentis, salutem & apostolicam benedictionem.

INter præclaras sacræ fidei vestræ virtutes, quibus & vos, præcellentissime fili, & subjectos vobis reges cum optimatibus vestris, & populis christianæ religioni subjecistis, hanc charitatis vestræ flagrantiam familiarius amplectimur, quod primitivum regni vestri monasterium in suburbio Doroberniæ situm (in honore principum apostolorum Petri & Pauli consecratum a primo doctore & apostolo Anglorum Augustino, & a primo regum Anglorum christiano, Deo amabili rege Æthelberto fundatum; ubi scilicet in perpetuum apostolica auctoritate sepeliantur corpora regum, & archiepiscoporum Cantuariæ) vestra regalis eminentia postulat etiam per nos antiqua sua dignitate confirmari, ac libertate; sicut videlicet antecessores vestri reges, & prædecessores nostri pontifices descriptis apostolicis privilegiis sanxere. Ergo & nos gratifice annuentes statuimus, quatenus ipsa apostolica ecclesia, sicut in gratia principum apostolorum censentur apud vos primogenita, sic cæterorum monasteriorum vestri regni, quæ post surrexere, vel deinceps in omnem posteritatem nascentur, mater primaria, sit (inquam) regia & apostolica confirmatione regalis & apostolica, sit ab omni sæculari servitute libera; ita ut nullus episcoporum, nullus successorum vestrorum regum in aliquo eam lædere, aut inquietare præsumat, nec aliqua unquam servitutis occasio de rebus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, vel in minimo ab ullo exigatur; quatenus sub rege suo, defensore, non tyranno, libere Christo soli deserviat. Dilecto etiam filio nostro, & consacerdoti Dorovernensis ecclesiæ Odoni, vice beatorum apostolorum principis Petri, in omnibus mandamus, ut non typho prælationis, ed officio charitatis ubi poscitur, se impendat; abbatemque ipsius ac in Romanum legatum, & comministrum Evangelii pacis habeat & fraternum sibi socium æstimet, non subjectum, per omnia, sicut sancti & Deo dilecti filii, sedis apostolicæ archipræsul Theodorus & abbas Adrianus se habuere. Nullum vero potentatum in hanc ecclesiam præripiat, nec (præter ordinationem abbatis) quodlibet officium sine ipsius favore, & fratrum sibi arroget; sed neque ab ipsis intimis, & peculiaribus locis, aut parochiis, vel in omni privilegio ipsius juris quicquam præter ejusdem abbatis assensum accipiat, vel faciat, ne qua scilicet abusione pacem perturbet gregis Dominici; quales scandelizare est cum mola asinaria in profundum demergi. Abbas quo-

que

que jus reliquis prior habeatur; ita dumtaxat, ut ad sacræ fidei, charitatis, & concordiæ compaginationem loco primogeniti, & vice Romana affectuose magis, quam imperiose præluceat confratribus. Hæc igitur & cætera quæcumque tam sunt a vobis, quam ab antecessoribus vestris, aut a vobis, aut a successoribus vestris, vel a quibuslibet personis usque in finem jura tradentur, juxta vestram postulationem, ita observanda ab omnibus regibus & principibus ac plebibus Britanniæ contestamur; ne quis prævaricator (quod absit) excommunicationis S. Petri principis apostolorum gladio excisus intereat, sed magis favens ecclesiæ ipsius clave admissus regno gaudeat.

INCERTI LOCI, sed forte ROMANUM CONCILIUM

ANNO CHRISTI circiter 957.

Pro restituendo sedi suæ Ratherio episcopo Veronensi, per summam injuriam ex ea depulso.

Anno circiter 957. a Joanne XII. pontifice, ut arbitror, celebratum.

ANno 956. a sede Leodiensi pulsus Ratherius, qui ante Veronensem sedem deserere coactus ad eamdem Leodiensem translatus fuerat, rediit in Italiam, ubi, favore Ottonis regis, Romani pontificis, & synodi, pristinum Veronensem episcopatum recepit. Synodi hujus loco incerto habitæ, sed non alibi facile nisi Romæ a Joanne XII. pontifice, mentio extat apud eumdem Ratherium in itinerario suo Romano his verbis: *Iterum eo misericordia piissimi Cæsaris, præcepto apostolici, qui tunc Romanæ præerat sedi, judicio episcoporum synodaliter restitutus est.*

INGELENHEIMENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 958.

Ad substituendum in Saltzburgensi Archiepiscopatu Fridericum pro Heroldo luminibus orbato.

Anno 958. celebratum.

HEroldus Saltzburgensis archiepiscopus, ejus conjurationis quam Liudolfus Ottonis, tunc regis mox imperatoris, filius molitus fuit, consortem se præbuerat; cujus delicti pœnam Henricus dux, Ottonis frater, exacturus, captum illum luminibus orbavit. Ea de causa cum minus aptus muneribus episcopatus Heroldus factus esset, episcopi in octavis Paschæ anni 958. in synodum ad Ingelenheim convocati, Fridericum, assentiente Heroldo, substituerunt. En verba Annalistæ Saxonis Eccardi, quæ pariter & apud Continuatorem Reginonis recurrunt. *In octavis paschæ consensu Heroldi archiepiscopi cæcati, apud Ingelenheim in præsentia regis habita XLI. episcoporum synodo, Fridericus Saltzburgensi ecclesiæ episcopus ordinatur.*

CONCILIUM APUD MONT. S. MARIÆ

in pago Tardanensi anno 961.

Rorico episcopus restituit monachos in abbatia S. Vincentii Laud.

AUxiliante supernæ propitiationis clementia, ego Rorico etsi indignus sanctæ Laudunensis ecclesiæ præsulatum indeptus, considerans ultimæ evocationis sortem ut cæteris, mihi quoque imminere, peccatorum quoque meorum quam magno depressus gravamine, cœpi apud me tacita deliberatione tractare quiddam huic sedi, cui, auctore Deo præsideo, profuturum, meis vero, ut opinor, consulendis criminibus perneccessarium; siquidem in latere montis, cui præeminet civitas, in prospectu scilicet ejus est ecclesia sita se Vincentii egregii martyris cultu & honore venerabilis, super qua fama ferebatur antiquis temporibus insigne fuisse monasticæ conversationis quæ quidem moderno tempore omni destitutionis succumbebat pecuniæ, donec prædecessor noster Adelmus undequaque sumptibus duodecim Canonicorum, in ea assiduum constituit servitutis conventum, ordine vivendi religiosum. Quo ita defuncto, crescentibus diversarum cladium malis, pene ad pristinum relapsa est desolationis detrimentum: quod ego non æquanimis ferens, maxime quia non tantum hujus sedis episcoporum, sed etiam Canonicorum, clericorum, nobilium, nec non laicorum habebatur sepultura: accito generali conventu, ipsius consilio deliberavi in antiquum, ut fama erat, monasticæ conversationis statum reformare, & prout temporis dictabat opportunitas, quantulumque monachorum ibidem numerum aggregare. Evocatis igitur a monasterio S. Benedicti supra Liperim sito, duodecim monachis, venerabilem eis Melcalanum præfeci abbatem; quibus inter cætera beneficia a me sibi collata, secundæ sedis dignitatem episcopatus ab antecessoribus nostris antiquitus eidem ecclesiæ concessam approbans confirmavi; sepulturam quoque Episcoporum, canonicorum captorum, custodum matris Ecclesiæ, capellanorum & servientium ac familiarium eorum. Concessi etiam procinctum montis & vallis districtum, quæ ut sine aliqua calumnia teneant sicut

☞ sicut dedi, ita & consilio & assensu prædicti conventus determinavi..... sigillo, quod etiam clericorum nostrorum & nobilium laicorum testimonio subtus roborare censuimus. Signum Roriconis indigni Laudunensium præsulis. Statuimus ergo eam mittere venerandæ synodo, quæ habita est apud montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi mense Majo, ubi recitatum est hoc, residente domno Adalberone archiepiscopo cum coepiscopis atque omnium assensu ab eis roborATum. Ego Adalbero sanctæ Rhemensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi & corroboravi. Ego Guido Suessionensis eccl. episcopus subscripsi. Ego Adulfus Noviomensis episcopus subscripsi. Ego Hildegarius Belvacensis episcopus subscripsi. Ego Tetboldus Ambianensis episcopus subscripsi. Sign. Rodulphi præpositi. Sign. Heriberti archidiac. &c. Actum Lauduni an. Incarn. Domini N. J. C. 961. indictione IV. Kalendis Octobris in anno VII. Lotharii regis. ANNO CHRISTI 918. ANNO CHRIST 918.

CONCILIUM AD MATRONAM FLUVIUM IN PAGO MELDENSI,

Anno DCCCCLXII.

Ex edit. P. Sirmondi.

POST *obitum Artaldi archiepiscopi, quem anno* DCCCCLXI. *pridie Kalendas Septembres vita functum tradunt, annitentibus episcopis quibusdam, ut Hugoni vacua jam sedes Remensis redderetur, res in synodo discussa est episcoporum* XIII. *qui ex duabus provinciis, ut auctor est in chronico Flodoardus, hoc anno sub medium Aprilem convenere, nihilque sibi de Hugonis causa inconsulto Romano pontifice statuendum censuere.* Synodus, *inquit*, tredecim episcoporum in pago Meldensi super Maternam fluvium, ex Remensi videlicet ac Senonensi diœcesi celebratur, præsidente Senonensi præsule, satagentibus quibusdam episcopis, ut Hugoni sæpe dicto redderetur Remense episcopium: renitentibus autem præcipue Roricone Laudunensi & Gibuino Catalaunensi præsulibus, & asserentibus quod a tot episcopis excommunicatus a minore numero absolvi non poterat. Ita relinquitur usque ad interrogationem papæ Romani. *Et paucis interjectis, post allatum Roma responsum, rejecto Hugone, Odalricum in Remensi ecclesia ordinatum fuisse docet his verbis:* Legatio veniens ab Joanne papa intimat præfatum Hugonem, quondam episcopum, tam ab ipso papa, quam ab omni Romana synodo excommunicatum: sed & ab alia synodo apud Papiam celebrata. Cujus legationis redditi certiores per Brunonem archiepiscopum, elegimus ad episcopium Remense Odalricum illustrem clericum, Hugonis cujusdam comitis filium, favente Lothario rege, cum regina matre, præfatoque Brunone: quique Remis ordinatur ab episcopis VVidone Suessonico, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Noviomensi, VVicfreda Virdunensi. B *Hugo Flaviniacensis in chronico concilium hoc tribuit anno antecedenti, & alia quædam addit, quæ a Flodoardo non commemorantur.* Eodem, *inquit*, anno (DCCCCLXI.) obiit Artaldus Remensis episcopus, & celebrata est synodus in pago Meldensi ad Maternam fluvium, ubi ordinatus est VVigfridus Virdunensis episcopus, vivente adhuc domno Berengario Virdunensi episcopo, & sedem episcopatus tenente. Ordinatus est autem ab eis absque conscientia metropolitani, eo quod domno Berengario inimicarentur, quod conciliis eorum interesse nollet, & quædam eorum facta improbaret. Unde nacti occasionem, cum incumberet eis ordinatio Remensis ecclesiæ, cujus erant suffraganei, ordinaverunt & hunc, ut haberent cum conciliorum suorum consortem & operis participem, quasi qui alium qui præsidebat pro nullo haberent, quem sibi in nullo videban adclinem. Abjectus est etiam ibi Hugo Remensis pervasor, a Romana synodo excommunicatus, & Odalricus inthronizatus a VVidone Suessionensi, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, VVigfredo Virdunensi, Aistulfo * Noviomensi. C D * Hadulfo vel Haidulfo

NOTA SEVERINI BINII.

Per obitum Arthaldi Remensis archiepiscopi vacabat sedes Remensis, in quam cum Hugo nuper per Agapitum dejectus, favore Lotharii regis iterum intrusus fuisset, convocata est hæc synodus tredecim episcoporum; qui in Meldensi pago congregati decreverunt quæ a Flodoardo in chronico describuntur. Ex quibus intelliges, quod sæpius inculcandum est, qua reverentia episcopi colerent apostolicæ sedis antistitem, licet sedentem in ea juvenculum, & pravis moribus depravatum pontificem: quem sic observant & venerantur, ut omnis ille conventus inter se dissidens ex ejus responsione quiesceret.

☞CONCILIUM ROMANUM

Ad privilegia sedis apostolicæ, aliaque ecclesiarum negotia tractanda.

A Joanne XII. pontifice, Ottone I. imperatore præsente, anno 962. Februario mense, celebratum.

Anno 962. Ex Supplemento Manfi p. 1133.

QUO tempore Otto I. Germaniæ rex ad imperialem coronam recipiendam Romam venit, accitus a Joanne XII. pontifice, Synodum utroque præsente habitam fuisse discimus ex præfatione legum Ottonis II. imperatoris, legenda in accessionibus ad leges illas, editis a Muratorio Rerum Italic. tom. I. par. II. ita se eodem Ottone II. exprimente: *Tempore quo piissimus rex Otto Romæ unctionem imperii suscepit, residente in* E *Synodo summo & universali papa Domino Joanne XIII.* (lege XII.) *anno* (sic, sed forte legendum I. anno imperii Ottonis) *ab Italiæ proceribus est proclamatum, ut imperator sanctus mutata lege facinus indignum destrueret, per quod etsi corpore quispiam dives fieret, anima tamen pauper in æternum maneret &c.* Ista lex, quam abrogari principes petebant, ferebat, ut si quæ instrumenta ad probandam rei alicujus possessionem in judicio afferrentur;

tur; eaque ſuſpicione falſi arguerentur ab adverſario, interpoſita ſacramenti religione, ab eo qui ſcripta illa proferebat, ſuſpicio omnis purgaretur. Id vero quoniam ad perjuria ſæpe allicie-
bat, tollendum Principes cenſebant. Rem tamen ad concilium Ravennatenſe, mox indicendum, dilatam concilii patres voluere. Cum neque in eo concilio quidquam fuerit decretum, res integra tranſiit ad conventum Veronenſem anni 983. in quo Ottonis II. auctoritate lex illa antiquata eſt.

In hoc Romano concilio Otto I. novus imperator, Romanæ eccleſiæ privilegia aſſeruit, promulgato illo diplomate, quod ſubſcriptione epiſcoporum concilio huic præſentium dedit Labbeus tom. IX. col. 875. edit. Venet.

In eodem pariter Magdeburgenſis archiepiſcopatus, & Merſeburgenſis epiſcopatus inſtitutio pontificis Romani auctoritate ſancitur, edita bulla, quam ex annaliſta Saxone Eccardi ad hunc annum hic damus. Quamquam vero archiepiſcopatus Magdeburgenſis inſtitutio auctoritate concilii Ravennatenſis anno 967. præſidente Joanne XIII. pontifice habiti facta eſt; nihil tamen id obſtat bullæ hujus veritati, nam ait idem annaliſta Saxo ad an. 962. *Iſte Joannes* (XIII.) *in Magdaburg. perfecit quod anteceſſor ſuus incœpit*. Bullæ Joannis adjeci quinque illos canones, quos bullæ illi ſtatim ſubjungit idem annaliſta, ſubjunctoſque offendit pariter in ſuo Codice P. Martene, ut monet in collectione Veterum monum. tom. VII. pag. 43. unde non improbabili conjectura ſtatueremus, ab eodem Romano concilio ſanctiones haſce prodiiſſe.

BULLA JOANNIS XII.

Pro erectione archiepiſcopatus Magdeburgenſis, & Merſeburgenſis epiſcopatus.

Johannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis confratribus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, monachis, primatibus, omni clero & populo in Gallia, Germania, Bauvaria conſtitutis.

QUociens ad profectum novæ chriſtianitatis conceſſionis, firmitatiſque privilegium a ſancta Romana eccleſia, cui Deo auctore deſervimus, expoſcitur, tociens omni diligentia omnique amore impertiri operæ precium duximus, ne quod erga pia deſideria propenſius impendi convenit, callidi hoſtis invidia ob deſidiam indeficienter ſubripiat. Totis ergo viribus, cariſſimi fratres, certandum eſt, ut chriſtianitatem, quam Deus omnipotens per ſervos ſuos cæleſti tropheo quotidie extendit & provehit, noſtro quoque per eum adjutorio in eodem ſolidetur & maneat. Nunc vero, Dei operante clementia, cariſſimus & chriſtianiſſimus filius noſter rex Otto devictis barbaris gentibus, Avaribus ſcilicet, aliiſque quamplurimis, ut ad defenſionem ſanctæ Dei eccleſiæ triumphalem victoriæ imperii culmen, per nos a beato Petro Apoſtolorum principe ſuſciperet coronam, ſummam & univerſalem, cui Deo præſidemus auctore, adiit ſedem: quem paterno affectu ſuſcipientes ob defenſionem ſanctæ Dei eccleſiæ in imperatorem cum beati Petri benedictione unximus; cumque in eccleſia beati Petri apoſtoli de ſtatu & regimine totius chriſtianitatis tractantes, quæ utilia ſunt utiliter ſecundum Deum tractarentur; præfatus piiſſimus imperator Otto, qualiter Sclavos, quos ipſe devicit, in catholica fide noviter ſundaverat, noſtræ innotuit paternitati, deprecans, & obnoxie poſtulans, ne oves, quas ipſe in Chriſto acquiſierat, ob paſtoris defectionem antiqui ſerpentis verſutia damnarentur. Ad hanc itaque petitionem aſſenſum, fratres cariſſimi, merito præbuimus: totis ergo medullis cordis, prout dignum eſt, ut novella hæc plantatio ſuper verticem montis in petra, quæ Chriſtus eſt, fundetur, intendamus. Dabit vires, qui neminem vult perire, cujus annuente clementia volumus, & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Magdaburgenſe monaſterium in regno Saxonum juxta Albim conſtructum, quod prælibatus ſanctiſſimus imperator ob novam chriſtianitatem conſtruxit, quia vicinius id locorum gentibus eſt, in archiepiſcopalem transferatur ſedem, quæ per ſubditos ſuffraganeos totum Dei gregem regere, & gubernare valeat. Volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Mersburgenſe monaſterium, quod ipſe piiſſimus imperator, quia Ungaros proſtravit, futurum Deo devovit, in epiſcopalem debeatur * ſedem, quæ Magedaburgenſi ſit ſubdita ſedi; & quia tot gentes ſub uno paſtore regi minime poſſunt, volumus, & per noſtræ auctoritatis privilegium cenſemus, ut cenſum, & decimationem omnium gentium, quas idem piiſſimus imperator baptizavit, vel per eum, ſuumque filium æquivocum regem ſucceſſoreſque eorum baptizandæ ſunt, ipſi ſucceſſoreſque eorum Deo annuente poteſtatem habeant diſtribuendi, ſubdendi Magedaburgenſi, Mersburgenſi, vel cuique velint, futuræ ſedi. Volumus etiam, cariſſimi confratres, & ex beati Petri apoſtoli juſſione præcipimus, ut Mogontienſis, Trevirenſis, Colonienſis, Salzburgenſis, Hammaburgenſis archipræſules Magedaburgenſis monaſterii in archiepiſcopalem & Mersburgenſis translationem in epiſcopalem ſedem totis cordis corporiſque viribus conſentanei fautores perſiſtant. Cum vero Deus omnipotens per prætexatum ſervum ſuum invictiſſimum imperatorem, ſuumque filium regem ſucceſſoreſque eorum vicinam Slavorum gentem ad cultum Chriſtianæ fidei perduxerint, per eos in convenientibus locis ſecundum opportunitatem epiſcopatus conſtitui, & in eiſdem per conſenſum prædictorum quinque archipræſulum, ſucceſſorumque eorum ab archiepiſcopo Magdaburgenſi epiſcopos conſecrari volumus ſuffraganeos; ſed tamen ſi præfati filii noſtri piiſſimi imperatoris, ſuique filii æquivoci regis ſucceſſores eorum ſtatuta frangere tentaverint, aut prædictarum eccleſiarum, cæterique præſules ſucceſſoreſque eorum Magedaburgenſi archiepiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus, eorumque ſuffraganeis, & eorum ſucceſſoribus adjutores, conſentaneique non fuerint, anathematis mucrone feriantur, a ſummoque retributore damnationem ſine fine recipiant. Omnipotens itaque Deus ſereniſſimo imperatori Ottoni, ſuoque nato æquivoco regi ſpiritualibus filiis noſtris longævam tribuat vitam, quatenus in hoc ſæculo tranquille viventes, in futuro immarceſcibili gloriæ percipiant palmam. Scriptum per manum Leonis Scriniarii ſanctæ Sedis apoſtolicæ in menſe Febr. indict. 5. Data II. Id. Febr. per manum Georgii ſecundi cerei ſanctæ Sedis apoſtolicæ anno Deo propicio pontificatus DD. Johannis ſummi pontificis, & univerſalis papæ VII. imperii DD. piiſſimi auguſti Ottonis a Deo coronati magni imperatoris anno primo in menſe & indictione 5. factum.

ANNO CHRISTI 958.

* f. erigatur.

CA-

ANNO CHRISTI 918.

CANONES.

I.

Quod antiquæ Ecclesiæ a novis nec decimis, nec ulla possessione sunt spoliandæ.

II.

Quod dotes Ecclesiæ non auferantur.

III.

Quod ecclesiastica statuta, & privilegia ab Apostolis, & reliquis magistris ecclesiæ tradita integra serventur, & prævaricatores eorum excommunicentur.

IV.

Quod consuetudines ecclesiasticæ pro lege sunt tenendæ.

V.

Quod tricennalis possessio firma sit.

VI.

* *Martene legit triennalis; sed male, nam canones præscriptionem hanc ad XXX. annos definiunt. Vide Conc. Belsuense, anni* 1114.

Sicut Diœcesim alienam tricennalis * possessio tollit; ita territorii conventum non admittit. Ideoque basilicæ, quæ novæ conditæ fuerint, ad eum proculdubio episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

MANSI.

OTTONIS I. DIPLOMA,

In eadem Romana synodo datum, quo monasterium S. Petri Ratisponense sub imperialis muniminis tuitione recipit.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Otto, divina favente clementia, imperator Augustus. Si fidelium, ac servorum Dei nobis fideliter ac devote famulantium petitiones, dum nobis pro suis & nostris utilitatibus ac necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus; non solum antecessorum nostrorum regum atque imperatorum imitando consuetudinem, verum etiam ad beatæ, æternæ remunerationis mercedem talia nobis facta profutura prodesse, liquido credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque, tam præsentium, quam & futurorum cognoscat industria, quia antecessor noster Karolus magnus pro æternæ mercedis augmento quoddam monasterium in Ratispona civitate, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ matris Domini, & principis apostolorum Petri, & pretiosi martyris Emmerammi, ubi venerabile corpus ejus requiescit humatum, & cum eo corpora & multæ reliquiæ sanctorum sunt locatæ, recta ratione fideliter in suam & successorum ejus potestatem recepit. Proinde ipse cum auctoritate papæ Leonis, filiusque ejus Lidivvicus cum Eugenio papa, & pius Lodivvicus rex cum Nicolao papa, & Arnolfus imperator cum Formoso papa confirmaverunt de prædicto monasterio unoquoque anno VII. aureos persolvi ad altare sancti Petri. Idcirco cunctorum sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, præsentis sc. temporis ac futuri manifestetur collegio, quod nos per interventum dulcissimi fratris nostri Heinrici ducis Bajoariorum eumdem locum in synodali concilio ante altare principis apostolorum Petri in præsentia Domni & venerabilis papæ Johannis, & in præsentia episcoporum CX. & VII. confirmamus, in potestate imperatorum sive regum usque in ævum permanere. Propter improbitatem episcoporum ejusdem civitatis, quia non omnes, sed multi ex eis semper invidiose contendebant contra eumdem sanctum locum; propterea volumus ob amorem & honorem sancti Petri de prædicto monasterio censum augeri, ut rectores ejusdem cœnobii pro defensione & libertate ejusdem loci unoquoque anno offerant Romanæ dimidiam libram cocti auri ad altare sancti Petri, & ita confirmamus cum auctoritate papæ & episcoporum Pisensis, Aunensis, Avecensis, Vulterrensis, Clusensis, Fesulanus, Florentinus, Senensis, Aretiensis, Sutriensis, de sancta Rufina, Concensis, Albensis, Sessulanus, Terratiensis, Prænestinus, Tusculanus, Cajetanus, Fundanus, Beneventanus, Capuanus, Salernitanus, Neapolitanus, Sipontinus, Ascolanus, Auceriensis, Narniensis, Nucerinensis, Fulingiensis, Spoletanus, Perusinus, Firmiensis, Ortensis, Anconitanus, Fanensis, Sinogallicnsis, Humanus, Pensaurensis, Ariminensis, Pinnensis, Ravennas, Mutinensis, Regiensis, Parmensis, Placentinus, Polonicnsis, Imulensis, Faventinus, Forumpoliensis, Bobiensis, Cisenensis, Cervicnsis, Commaculensis, Ferrariensis, Adriensis, Aquilejanensis, Tarvisiensis, Cenodensis, Cremonensis, Novariensis, Yporejensis, Artensis, Taurinensis, Aquensis, Bellonensis, Trigestinus, Tridentinus, Veronensis, Cumanus, Vincentinus, Parentinus, Concordiensis, Bidenensis, Mantuanus, Gradensis, Mediolanensis, Vercellensis, Laudensis, Pergamensis, Papiensis, Albitigenensis, Remensis, Pictavensis, Turonensis, Parisiensis, Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis, Genovensis, Lausosanensis, Mogontinus, Magdaburgensis, VVormacicnsis, Constantiensis, VVrcipurgensis, Rubilocensis, Augustensis, Halberstadensis, Spirensis, Curiensis, Colonicnsis, Leodicensis, Trejectensis, Mindensis, Osembrukensis, Treverensis, Mettensis, Citicensis, Verdonensis, Tullensis, Juvavicnsis, Patavicnsis, Frisingensis, Brixinensis, Bragensis, Michael Ratisbonensis; ut si quis imperator, aut rex eamdem ecclesiam tam sanctam alicui præstet, sit anathema, maranatha, idest perditio in adventu Domini, & in ea maledictione persistet, quam sanctus Formosus papa super eum confirmavit usque dum resipiscat. Et præfatum monasterium cum monachis, & omnibus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis, in immunitatem papæ, & in nostram recipimus. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora diligentius observetur, manu propria nostra eam confirmavimus, annulique nostri impressione muniri præcipientes.

ANNO CHRISTI 938.

Sedium istarum episcoporum nomina fide deformata sunt.

JOANNIS DOMINICI MANSI

In superiorem Bullam

ADNOTATIO.

DE Bullæ hujus sinceritate plurimum ambigo; tum quod ab ætatis illius more abhorreat *sancti* elogium Formoso papæ datum; tum etiam quod inter tot episcopos nec Hamburgensis, nec Dertonensis, nec Nemetensis appareant; qui tamen ad exitum usque concilio interfuerunt, nam subscribunt privilegio Ottonis Romanæ ecclesiæ in eodem concilio firmato apud Labbe tom. XI. pag. 878. Venet. edit.

ANNO CHRISTI 963.

CONCILIABULUM ROMANUM

QUO JOANNES PAPA XII. DEPONITUR,

Et Leo quidam, quem ſcriptores perperam octavum ejus nominis appellatum inter veros pontifices annumerant, in locum ejus ſubrogatur: habitum fuit anno Domini DCCCCLXIII. in præſentia Ottonis imperatoris.

Acta conciliabuli extant apud Luitprandum lib. 6. cap. 67, & ſequentibus; quæ capita non eſſe Luitprandi, ſed alterius cujuſdam, ſcribit Baronius anno 963. num. 3. ſunt autem hæc.

POſt triduum, rogantibus tam Romanis epiſcopis quam plebe, magnus in ſancti Petri eccleſia fit conventus, ſederuntque cum imperatore archiepiſcopi. Ab Italia pro Angelfrido Aquilejenſi patriarcha, quem in eadem urbe languor repente, ut fit, ortus arripuerat, Rodulphus diaconus, VValbertus Mediolanenſis, Petrus Ravennas. A Saxonia, * Adeltac archiepiſcopus, & Landolardus epiſcopus * Numedenſis, A Francia, Otgerius epiſcopus Spirenſis, Buptus * Parmenſis. Ab Italia, Luitprandus Cremonenſis, Hermelandus Regenſis, A Tuſcia, Conradus Lucenſis, Everarius Aricienſis, Piſanus * Senenſis, Florentius Piſtorienſis. Ex aliis Italiæ locis, Petrus Camerinenſis, Romanus Spoletinus, Gregorius Albanenſis, Sico Oſtienſis, Benedictus Portuenſis, Lucidus Cannenſis, Theophylactus Prænestinus, VVido Silvæ candidæ, Leo Velitrenſis, Sico Blerenſis, Stephanus Senenſis, Joannes Nepeſinus, Joannes Tiburtinus, Joannes Forojulienſis, Romanus Ferentinenſis, Joannes * Hormenſis, Joannes Verulenſis, Martinus Sutrinus, Joannes Narnienſis, Joannes Sabinenſis, Joannes Gallacenſis, ... Phalarenſis, ...r.... Alatrenſis, ... Hortanus, Joannes Anagnienſis .... Trebenſis, Salibatinus Tarraconenſis. Hucuſque epiſcopi, ſequuntur cardinales. Stephanus cardinalis archipresbyter tituli Balbinæ, Dominicus tituli Anaſtaſiæ, Petrus tituli Damaſi, Theophylactus tituli Chryſogoni, Joannes tituli Equitii, Joannes tituli Suſannæ, Petrus tituli Pammachii, Hadrianus tituli Calliſti, Joannes tituli Cæciliæ, Hadrianus tituli Lucinæ, Benedictus tituli Sixti..... tituli quatuor Coronatorum, Stephanus tituli Sabinæ, Benedictus cardinalis archidiaconus, Joannes diaconus, Bonfilius cardinalis diaconus primicerius, Georgius ſecundicerius, Stephanus adminiculator, Andreas arcarius, Sergius primicerius defenſorum, Joannes Sacellarius, Stephanus, Theophylactus, Hadrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Hadrianus, Romanus, Leo, Benedictus, item Leo, & Leo ſcriniarii, Leo primicerius ſcholæ cantorum, Benedictus, ſubdiaconus & oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Joannes, Amicus, Sergius, Benedictus, Benedictus ſubdiaconus, ſubpulmentarius, Urſo, Joannes, Stephanus archidiaconus cum omnibus acolythis & regionariis.

Hucuſque ex clero Romano. Interfuerunt & proceres Romanorum ab eodem Luitprando ſic recenſiti:

Ex primatibus Romanæ civitatis Stephanus filius Joannis ſuperiſta, Demetrius Melioſi, Creſcentius Caballi marmorei. Joannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Ruſina, Joannes de Primicerio, Leo de Carmizuli, Richardus..... Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio ſuo explebe, Petrus qui & imperiola eſt dictus, cum omni Romanorum militia.

His ita reſidentibus, ſilentiumque ſummum tenentibus, ita ſanctus eſt imperator exorſus: Quoniam decorum eſſet tam claro ſanctoque papam Joannem intereſſe concilio, cur tantum declinaverit cœtum, vos, o ſancti patres, conſulimus, quibus communis labor eccleſiaſticus ac commune negotium exiſtit.

Tunc Romani pontifices, epiſcopi ſcilicet ſuffraganei, & cardinales presbyteri ac diaconi, cum univerſa plebe, dixerunt: Miramur ſanctiſſimam prudentiam veſtram nos hoc velle percontari, quod nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas latet: ita aperte diabolica pertractat negotia, ut nil circuitionis utatur. Imperator reſpondit: Juſtum nobis videtur, ut accuſationes nominatim exprimantur: deinde quod agendum eſt, communi conſilio pertractetur. Quæ Joanni objecta ſunt crimina.

Tunc conſurgens Petrus cardinalis presbyter, ſe vidiſſe illum Miſſam celebraſſe, & non communicaſſe, teſtatus eſt. Joannes epiſcopus Narnienſis, & Joannes cardinalis diaconus, ſe vidiſſe illum diaconum ordinaſſe in equorum ſtabulo non certis temporibus, ſunt profeſſi. Benedictus cum cæteris condiaconis & presbyteris dixit, ſe ſcire quod ordinationes epiſcoporum faceret pretio, & quod annorum decem epiſcopum in Tudertina civitate ordinarit. De ſacrilegio non eſt neceſſe percontari, quia plus videndo & quam audiendo ſcire potuiſſemus. De adulterio, dixerunt quod oculis non viderant, ſed pro certo ſcirent, viduam Rainarii, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam, cum nepte ſua abuſum eſſe, & ſanctum palatium lupanar & proſtibulum feciſſe. Venationem dixerunt publice exercuiſſe, Benedictum ſpiritualem patrem ſuum lumine privaſſe, & mox mortuum eſſe: Joannem cardinalem ſubdiaconum, virilibus amputatis, occidiſſe, incendia feciſſe, enſe accinctum, galea & lorica indutum fuiſſe teſtati ſunt. Diaboli in amorem vinum bibiſſe omnes tam clerici quam laici acclamarunt. In ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium popoſciſſe dixerunt. Matutinas & canonicas horas eum non celebraſſe, nec ſigno crucis ſe muniſſe profeſſi ſunt.

His auditis imperator, quia Romani ejus loquelam propriam, id eſt Saxonicam, inteſligere nequibant, Luitprando Cremonenſi epiſcopo præcipit, ut Latino ſermone hæc Romanis omnibus quæ ſequuntur exprimeret. Surgens itaque ſic cœpit:

Perſæpe contigit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus conſtituti invidorum infamia maculentur: diſplicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei eſt, quod hanc in papam accuſationem, quam modo Benedictus cardinalis diaconus legit, & vobiſcum fecit, amphibolam retinemus, incerti utrum e zelo juſtitiæ an impietatis livore proruperit. Unde mihi indigno ſecundum conceſſæ dignitatis auctoritatem, omnes obteſtor per Deum, quem falle re. Luitprandus lib. 6. cap. 8. Otto dubitat an calumnioſe Joannes ſit accuſatus.

re, etsi vult, nemo potest, sanctamque ejus genitricem intemeratam virginem Mariam, perque pretiosissimum apostolorum principis corpus, in cujus hæc recitantur ecclesia, ut nulla in dominum papam jaculentur convicia, quæ non sint ab ipso patrata, atque a viris probatissimis visa. ANNO CHRISTI 963.

Publica omnium conclamatio de facinoribus Joannis.

Tunc episcopi, diaconi, clerus, & cunctus Romanorum populus, quasi vir unus, dixerunt: Si non & quæ per Benedictum diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora, Joannes papa indigna commisit facinora, non nos a peccatorum vinculis absolvat apostolorum princeps B. Petrus, qui verbo cælum indignis claudit, justis aperit: simus anathematis vinculo innodati, atque in die novissima in sinistra parte positi cum eis qui dixerunt Domino Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Quod si fidem non adhibetis, exercitui domini imperatoris saltem debetis credere, cui ante quinque dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit. Solus Tiberis qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impedivit. *Job* 21.

Mox sanctus imperator dixit: Tot sunt hujus rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta synodus dixit: Si placet domino imperatori, mittantur literæ domino papæ, ut adveniat, seque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ destinatæ, quæ sic se habent.

Summo pontifici & universali domino Joanni, Otto divinæ respectu clementiæ imperator Augustus, cum archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino salutem.

Synodalis epistola ad Joannem.

ROmam ob servitium Dei venientes, dum filios vestros, Romanos scilicet episcopos, cardinales presbyteros, diaconos, & universam plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quod nos ecclesiæ vestræ vestrique defensores videre noluissetis: talia de vobis, tamquæ obscœna protulerunt, ut si de histrionibus diceretur, nobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram lateant omnia, quædam vobis sub brevitate describimus, quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret. Noveritis itaque, non a paucis, sed ab omnibus tam vestri, quam alterius ordinis, vos homicidii, perjurii, sacrilegii, & ex propria cognatione atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse: in ludo aleæ Jovis, Veneris cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque paternitatem vestram obnixe venire, atque ex his vos omnibus purgare non dissimuletis. Si forte vim temerariæ multitudinis formidatis, juramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data VIII. Idus Novembris.

Hanc epistolam cum legisset, hujusmodi apologeticum scripsit:

Joannes episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis.

Quæ rescripserit Joannes papa ad synodum.

NOs audivimus dicere, quod vos vultis alium papam facere. Si hæc feceritis, excommunico vos de Deo omnipotenti, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare.

Cum hæc epistola in sancta synodo legeretur, advenerunt qui prius defuerant religiosi a Lotharingia, Henricus Trevirensis archiepiscopus, ab Æmilia & Liguria VVido * Mutiensis, Gezo Tortonensis, Sigulphus Placentinus: quorum consilio domino papæ ita rescribunt: ANNO CHRIS. 963.

* Mutinen.

Alia epist. e synodo ad Joannem papam.

Summo pontifici & universali papæ domino Joanni Otto divinæ respectu clementiæ imperator Augustus, sed & sancta Synodus Romæ ob servitium Dei congregata, in Domino salutem.

PRæterita synodo quæ celebrata est VIII. Idus Novembris, literas vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ continebantur. Rogavimus etiam iisdem literis magnitudinem vestram, quemadmodum justum est. A vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad synodum rationabilis esse excusatio debuit: sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuncii interesse, qui aut ægritudinis, aut certe difficultatis causa, satisfacerent sanctam vos synodum declinasse. Est & aliud vestris literis scriptum, quod non episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret: excommunicastis enim omnes, ut non habeamus licentiam canendi missam, ordinandi ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ sedi constitueremus episcopum; ita enim scriptum erat: Non habeatis licentiam ullum ordinare. Nunc usque putavimus, immo credimus, duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra auctoritas priscorum sententias infirmaret auctorum. Nos vero intentioni vestræ, non verbis, respondeamus. Si ad Synodum venire & objecta purgare non differtis, auctoritati vestræ proculdubio obediemus. Sed si, quod absit, venire, & objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cum præsertim vos venire nihil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem vestram parvipendemus: eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem juste facere possumus. Judas Domini nostri Jesu Christi proditor, immo venditor, cum cæteris prius ligandi atque solvendi potestatem a magistro in hæc verba accepit: *Amen dico vobis: Quæcumque ligaveritis super terram*, &c. Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque solvere valuit. Postquam vero cupiditatis veneno homicida factus vitam occidere voluit: quem postea ligatum solvere, solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infeliciissimo laqueo strangulavit? Data X. Kalendas Decembris, & missa per Hadrianum cardinalem presbyterum, & Benedictum cardinalem diaconum. *Matth.* 18

Joannes non invenitur.

Qui cum ad Tiberim perveniissent, eum non invenerunt: pharetratus enim in campestria jam abjerat: nec quisquam erat, qui, ubi ipse erat, indicare posset. Cumque eum invenire non possent, cum iisdem literis ad sanctam synodum, quæ tunc tertio est habita, sunt reversi.

Ottonis Joannem querela.

Mox imperator ait: Expectavimus adventum ejus ut, præsente eo, quod nobis egerit quereremur. Verum quoniam eum non affuturum certo scimus, quam perfide nobiscum egerit ut diligenter agnoscatis etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus archiepiscopis, episcopis, presbyteris, diaconis, reliquoque clero, necnon & comitibus, & judicibus, omnique plebi, quod idem Joannes papa oppressus a Berengario atque Adelberto rebellibus nostris, misit in Saxoniam nuncios, rogans ut pro amore Dei in Italiam veniremus, & ecclesiam sancti Petri, & seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos ve-

ro Deo adjuvante quantum fecerimus non est necesse dicere, ut impræsentiarum videtis. Ereptus vero mea opera ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus juramenti & fidelitatis quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eumdem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat.

Ad hæc Romani pontifices, suffraganei scilicet episcopi, reliquusque clerus, & cunctus populus, dixerunt: Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum: si corruptis moribus sibi soli & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti, hujus facti sunt imitatione incesti? quot probi, hujus exemplo conversationis sunt reprobi? petimus itaque magnitudinem imperii vestri, monstrum illud nulla virtute redemptum a vitiis, a sancta Romana ecclesia pelli, aliumque loco ejus constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis præesse valeat, & prodesse sibi: recte vivat, & bene vivendi nobis exemplum præbeat.

Tunc imperator: Placet, inquit, quod dicitis, nihilque gratius nobis, quam ut talis qui huic sanctæ & universali sedi præponatur inveniri possit.

His dictis, omnes una voce dixerunt: Leonem venerabilem sanctæ Romanæ ecclesiæ protoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem eligimus, ut sit summus & universalis papa Romanæ ecclesiæ, reprobato ob mores improbos Joanne apostata. Cum hoc omnes tertio dixissent, annuente imperatore, nominatum Leonem ad Lateranense palatium, secundum consuetudinem, cum cardinalibus ducunt, & certo tempore in ecclesia S. Petri ad summum sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei adfuturos jurejurando promittunt.

His ita gestis sperans sanctissimus imperator cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis ut redirent licentiam dedit.

Nota Severini Binii.

Nullus unquam habitus est orthodoxorum conventus synodalis, in quo contra jus ecclesiasticum, sacros canones, & traditiones apostolicas, peccatum fuerit sæpius quam in hoc conciliabulo. Omnes episcopi in concilio Romano sub Symmacho publice contestati leguntur, quod contra pontificem, absque illius consensu, cogendi concilii facultatem nullam habeant. Illegitima est ergo hæc synodus, quæ in causa Joannis papæ, quem episcopi hic congregati literis ad eum datis pro capite ecclesiæ venerati fuerunt, sine ejus consensu & auctorirate, indicta & congregata fuit. Secundo in concilio Suessionensi contra Marcellinum habito, requisitus est septuaginta duorum testium numerus: contra Joannem in hoc patrum conventu præter accusatores vix unus testis productus fuisse legitur. Tertio, ut minimum, ter vocari & citari debebat, cum in nullo concilio quisquam hæreticus ante tertiam citationem legatur fuisse condemnatus. Quarto, nulla concessa est dilatio pontifici, quæ ne quidem vilissimo homuncioni unquam in judicio etiam externo & politico negata fuit. Quinto, contra morem omnium conciliorum hactenus habitorum, petitum est ab imperatore, ut ille Romanum pontificem condemnet, qui nec clericum ullum condemnare debebat. Sexto, sine ulla sententia abdicatus est Joannes: & quidam Leo quem octavum nominant, in locum illius subrogatus fuit; adeoque, quod omni juris ordini repugnat, ab executione processum inchoarunt. Septimo, universa synodus eum judicare præsumpsit, qui a jurisdictione sua plane exemptus erat. In concilio sub Marcellino, & Romanis duobus sub Symmacho & Leone tertio, una vox episcoporum omnium erat ista: *Prima sedes non judicatur a quoquam*. Insigni ergo impudentia vel ignorantia hic patrum orthodoxorum conventus Romanum pontificem condemnavit, in quem nemo alius quam hæreticus vel schismaticus ullum sibi judicium hactenus usurpavit. Accedit ad hæc, quod in epistola ad Joannem scripta aperte profiteantur, idque exemplo Judæ proditoris confirment, propter peccatum, clavium potestatem a pontificibus auferri, eosque tradita sibi a Deo ligandi atque solvendi facultate privari & destitui; quod hæreticum & erroneum esse nemo catholicus unquam negaverit. Præterea ab omni ecclesiastica consuetudine abhorret, quod Romanos pontifices sedis Romanæ suffraganeos appellant: quodque stultissime reprehendunt Joannem, quod in sua responsione dixisset: *Non habeatis licentiam ullum ordinare*: putantes enim ipsi, idem esse *ullum quod nullum*, summa cum ignorantiæ suæ proditione redarguerunt eum, quod duabus negationibus affirmasset illud idem quod prohibere intendebat. Ad extremum non est silentio prætereunda præposterа illa nomenclatura, quæ contra morem majorum, inverso penitus loquendi usu, imperatorem, sanctissimum, & pontificem, magnum nominant: cum ante sententiam consuetos honorum titulos nemini adimere liceret · prout in actis miænæ Chalcedonensis synodi factum apparet Nestorio, qui quamvis hæresiarcha accusatus & convictus esset, nunquam tamen eum nisi post prolatam sententiam patres delierunt reverendissimum & sanctissimum nominare.

Cum ergo propter tot nullitates, quas vocant, in hoc judicio commissas; nulla sit sententia, sitque nullum & irritum judicium cum omnibus actis quæ in eo gesta fuerunt: nullam & plane irritam esse oportet abdicationem Joannis, & subrogationem alterius, qui vero pontifici adhuc viventi, nulloque jure abdicato suffectus fuit. Tollatur igitur & explodatur e numero & ordine pontificum Leo ille schismaticus, quem scriptores infiniti numeri octavum ejus nominis Joanni XII. subjungunt, commissoque Benedicto V. tanquam sedis invasore illegitimo, Joanni XIII. anteponunt.

Leo VIII. e numero pontificum eximendus.

CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM

IN CAUSA NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTALIS

habitum anno Domini DCCCCLXIII. tempore Joannis papæ XII.

Occasio concilii.

Defunctis hoc anno duobus in oriente imperatoribus, Leone, ejusque filio Romano, acclamatus fuit ab exercitu successor imperii Nicephorus Phocas victoriis clarissimus. Coronatus a Polyeucto patriarcha Constantipolitano, voluit in uxorem accipere Theophanem relictam Romani imperatoris defuncti viduam. Qua de causa cum illi Polyeuctus resisteret, tum quod non liceret ei absque quadam pœnitentia secundam uxorem ducere; tum etiam quod filium Theophanes in baptismate suscepisset, convocata est hæc synodus, ejusque sententia indultum (crimen enim quod illi objiciebatur probari non poterat) ut prædictæ Theophani connubio legitimo jungeretur. *Hæc Curopolates.*

Causa & acta concilii.

ANNO CHRISTI 964.

CONCILIUM ROMANUM,

AUCTORITATE JOANNIS PAPÆ CONGREGATUM,

quo Leo ſchiſmaticus pſeudopapa eſſe declaratur, actaque præcedentis conciliabuli Romani reprobantur, anno Domini DCCCCLXIV.

ANno Domini nongenteſimo ſexageſimo quarto, domini Ottonis imperatoris tertio, indictione ſeptima, habitum eſt concilium in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis, v. Kalendas Martii, hoc eſt menſe Februarii die vigeſima ſexta, indictione VII. Poſitis in medio ſacroſanctis Chriſti quatuor evangeliis, præſidente piiſſimo & coangelico domno Joanne ſummo pontifice, ſacræ Romanæ eccleſiæ duodecimo papa, in venerabili baſilica ejuſdem, præſidentibus etiam cum eo reverendiſſimis epiſcopis, videlicet Joanne Galleſianæ eccleſiæ epiſcopo, item Joanne eccleſiæ Anagniæ epiſcopo, Joanne item Narnienſis eccleſiæ epiſcopo, Joanne Numentanæ eccleſiæ epiſcopo, item Joanne eccleſiæ Verulenſis epiſcopo, VVidone ſanctæ Silvæ candidæ eccleſiæ epiſcopo, Gregorio ſanctæ Albanenſis eccleſiæ epiſcopo, Luniſſo ſanctæ eccleſiæ Lavicanenſis epiſcopo, Romano ſanctæ eccleſiæ Ferentinatis epiſcopo, [1] Sabbatino ſanctæ eccleſiæ Ferrarienſis epiſcopo, Zachæo ſanctæ eccleſiæ Gentianæ epiſcopo, Joanne * Marturanenſis eccleſiæ epiſcopo, item Joanne Sabinenſis eccleſiæ epiſcopo, item Joanne ſanctæ Nepeſinæ eccleſiæ epiſcopo, Benedicto ſanctæ Trevicenſis, Joanne ſanctæ Salernitanæ eccleſiæ epiſcopo, ſeu venerabilibus presbyteris, Stephano archipreſbytero tituli ſanctorum Nerei & Achillei, Leone presbytero tituli ſanctæ Balbinæ, Domino preſbytero tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Petro presbytero tituli ſancti Laurentii, Hadriano presbytero tituli ſanctæ Mariæ, Theophylacto presbytero tituli ſancti Chryſogoni, item Theophylacto presbytero tituli ſanctorum quatuor Coronatorum, Joanne presbytero tituli ſanctorum Silveſtri & Martini, Stephano presbytero tituli ſanctæ Sabinæ, Benedicto presbytero tituli ſancti Sixti, Joanne presbytero tituli ſanctæ Cæciliæ, Hadriano presbytero tituli ſancti Laurentii in Lucina. Aſtantibus diaconis, videlicet Benedicto archidiacono, item Benedicto diacono, Bonfilio diacono, ſeu reliquis aſtantibus.

* Mantuanenſis.

ACTIO PRIMA.

Concilium ſchiſmaticorum damnatur.

Joannes piiſſimus ac ſanctiſſimus ſanctæ Romanæ eccleſiæ papa dixit: Scitis dilectiſſimi fratres, me fuiſſe expulſum imperiali vi a propria ſede per duos menſes. Quapropter vos plurimum rogo, ſi dici poteſt regulariter ſynodus illa quæ habita eſt me abſente in eccleſia mea, quarto videlicet Decembris, ab Ottone imperatore ſuiſque archiepiſcopis atque epiſcopis, an non? Sanctum concilium reſpondit: Proſtibulum favens adultero, invaſori ſcilicet alienæ ſponſæ, nempe Leoni intruſo. Piiſſimus ac ſanctiſſimus papa dixit: Ergo damnanda eſt a nobis? Sanctum concilium reſpondit: Auctoritate ſanctorum patrum damnanda. Tunc piiſſimus ac ſanctiſſimus papa damnavit eam in perpetuum, cum eorumdem epiſcoporum conſona reſponſione.

De ordinatoribus Leonis ſchiſmatici.

Poſt hæc autem interrogavit idem papa ſanctum concilium, dicens: Dicite, dilectiſſimi fratres, ſi epiſcopi a nobis ordinati, in noſtro patriarchio ordinationem facere potuerunt, an non? Sanctum concilium reſpondit: Minime. Piiſſimus ac ſanctiſſimus papa dixit: Quid cenſetis de Sicone epiſcopo a nobis dudum conſecrato, qui in noſtro patriarchio Leonem curialem & neophytum, atque perjurum noſtrum, jam oſtiarium, lectorem, acolytum, ſubdiaconum, diaconum, atque ſubito presbyterum ordinavit, eumque ſine aliqua probatione contra cuncta ſanctorum patrum ſtatuta in noſtra apoſtolica ſede conſecrare non formidavit? Sanctum concilium reſpondit: Deponatur ipſe qui ordinavit, & qui ab eo eſt ordinatus. Piiſſimus atque ſanctiſſimus papa dixit: Neſcitur ubi latet. Sanctum concilium reſpondit: Requiratur diligenter, ſi placet, uſque ad tertium conventum. Quod ſi minime repertus fuerit, canonica feriatur ſententia. Piiſſimus ac ſanctiſſimus papa dixit: Placet.

Tune ſanctiſſimus papa conſuluit concilium, dicens: Quid igitur, reverendiſſimi fratres, ſancitis de iſtis duobus epiſcopis, a nobis ordinatis, Benedicto ſcilicet Portuenſi, & Gregorio Albanenſi, qui ſuper præfatum curialem, & neophytum atque perjurum noſtrum orationes dederunt? Sanctum concilium reſpondit: Simili pœna mulctentur, ſed veſtræ interim relinquantur poteſtati uſque ad tertium conventum. Piiſſimus ac ſanctiſſimus papa dixit: Quid ergo de illo curiali & neophyto, perjurio atque invaſore noſtræ ſedis cenſetis? Sanctum concilium reſpondit: Omnino damnetur, ut nullus deinceps curialium aut neophytorum, aut judicum, aut publice pœnitentium, ad ſummum eccleſiæ gradum aſpirare præſumat. Tunc piiſſimus ac ſanctiſſimus papa dixit: Sit Leo curialis ac neophytus ac perjurus noſter, Domini omnipotentis ac beatorum apoſtolorum principum Petri & Pauli, & omnium ſimul ſanctorum, atque venerandorum & univerſalium conciliorum, auctoritate, necnon & Spiritus ſancti per nos judicio, omni ſacerdotali honore & nomine alienus, & omni clericatus officio prorſus exutus. Ita ut ſi poſt hanc conſtitutionem divina inſpiratione depromptam, & unanimitate atque concordia ſancti concilii promulgatam, tentaverit in apoſtolico throno reſidere, aut ſi ulterius auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio more ſacerdotis contingere, juxta præcedentem conſuetudinem, nullo modo liceat ei communionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis, ſed anathematis vinculis innodatus maneat una cum ſociis ſuis atque fautoribus perpetuo, Dei per noſtram mediocritatem judicio ac ſententia, & ſacrum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti non niſi vicino mortis periculo omnino percipiat. Quicumque autem prædicto curiali & neophyto atque invaſori ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ

Leo ſchiſmaticus damnatus.

1 Sabbatinus, qui Ferrarienſis epiſcopus hic vocatur, anni ſuperioris *Salibatinus Tarraconenſis* nominatur, ubi Tarracinenſis dicendus. Idem in Romano Conciliabulo reponendum levi mutatione, *Sabbatinus Terracinenſis*.

siæ consilium aut adjutorium dederit ad perci- A piendum ecclesiasticum honorem, quo regulariter expoliatus est, anathema sit. Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Quid sentitis de iis qui ab eo ordinati sunt? Sanctum concilium respondit: Priventur honore quem ab ipso acceperunt. Tunc idem benignissimus papa præcepit ingredi eos in concilium cum vestimentis, planetis, atque stolis, & unumquemque eorum in chartula scribere fecit hujusmodi verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Et sic eos exutos privavit honore quem dederat eis ipse invasor & neophytus atque curialis, & revocavit eos in pristinum gradum.

ANNO CHRISTI 964.

Actio secunda.

Joannes piissimus atque benignissimus papa dixit: Recordari credimus vestram dilectionem, qualiter de Sicone refuga episcopo, hesterno die definitum est in præsentia vestra, ut diligenter inquireretur: sed plurimum quæsitus inveniri non potuit. Nunc decernite quid agendum sit de eo. Sanctum concilium respondit: Suspendatur ejus damnatio, si placet, usque ad tertium concilium. Piissimus ac mitissimus papa dixit: Fiat secundum vestram sanctionem.

Tunc convocavit episcopos, Benedictum Portuensem & Gregorium Albanensem, qui super ipsum neophytum orationes dederant. Et fecit tenere eos chartulas in manibus, continentes hæc C verba: Ego Benedictus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ, vivente patre meo consecravi in loco ejus Leonem curialem & neophytum atque perjurum illius, contra statuta sanctorum patrum. Ego Gregorius episcopus sanctæ Albanensis ecclesiæ, vivente patre meo consecravi in loco ejus Leonem curialem & neophytum atque perjurum illius, contra statuta sanctorum patrum. Post hæc autem piissimus atque sanctissimus papa consuluit concilium, dicens: Quid agendum sit de his dicite. Sanctum concilium respondit, dicens: Suspendantur & isti, si placet, usque ad tertium concilium.

Tunc idem piissimus ac sanctissimus papa consuluit iterum concilium, dicens: Quid censetis, D dilectissimi fratres, de his qui præfato neophyto pretium accommodaverunt ad * tuendam gratiam Dei quæ vendi non potest? Sanctum concilium respondit: Si episcopus fuerit, aut presbyter, aut diaconus, proprii gradus periculo subjaceat. Si vero monachus aut laicus, anathematizetur. Benignissimus atque sanctissimus papa dixit: Recte judicastis. Idem sanctissimus papa dixit: Dicite, quæso, quid agendum sit de abbatibus nostris qui supradictæ damnatæ synodo interfuerunt. Sanctum concilium respondit: Hi autem vestro relinquantur judicio, in cujus potestate consistunt. Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Potest aliquis vendere suum ecclesiasticum gradum cuiquam, an non? Sanctum concilium respondit: Minime, quo- E niam neque vendi, neque emi ab alio potest. Benignissimus atque sanctissimus papa dixit. Hoc etiam statuite, ut nunquam minor majori suo gradum tollere præsumat; si autem fecerit, communione privetur usque ad emendationem. Simili modo statuite, ut monachi in locis quibus sæculo renunciaverunt habitent; sin alias fecerint, revocentur ad loca quæ dimiserint, aut communione priventur, donec resipuerint. Sanctum concilium dixit: Statutum atque confirmatum hoc nobis maneat.

Actio tertia.

ANNO CHRISTI 964.

Joannes piissimus atque sanctissimus papa dixit: Reverendissimi fratres, Domino protegente, jam ad tertium venimus concilium: modo finite de Sicone episcopo ordinatore ipsius neophyti quid agendum sit: nam a nostris diu quæsitus, sed minime inventus est. Sanctum concilium respondit: Canonico mucrone feriatur. Tunc benignissimus atque sanctissimus papa dixit: Siconem, qui sanctæ Ostiensi ecclesiæ irregulariter atque Deo contempto, præfuit, & Leonem curialem & laicum, necnon & perjurum nostrum, subito consecrare in pontificali honore non formidavit, sancimus, B & juxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate definimus atque statuimus, omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio: ita ut nullo modo liceat ei, in qualibet synodo, restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Et omnes communicantes ei ab ecclesia abjiciantur; sed & ipsi anathema sunto. Eos vero quos ipse Leo neophytus & invasor sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ in quolibet ecclesiastico ordine provexit, apostolica atque canonica auctoritate & synodali decreto in pristinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit. Sicuti olim C noster prædecessor piæ memoriæ papa Stephanus sententiam tulit de iis qui ordinati fuerant a Constantino quodam neophyto & invasore sanctæ sedis apostolicæ, & postmodum quosdam eorum sibi placabiles presbyteros aut diaconos consecravit, statuens ut qui ab eo consecrati erant nunquam ad superiorem honorem ascenderent, nec ad pontificatus culmen promoverentur, ne talis impiæ novitatis error in ecclesia pullularet.

Sententia in Siconem epiſcopum Oſtienſem.

Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Et hoc nefarium est: statuite, si placet, dilectissimi fratres, ut in circuitu altaris, aut in presbyterio, nullus laicorum stare præsumat, quoties missarum solemnia celebrantur: quod si fecerit quis, communione privatus maneat usque ad emendationem. Sanctum concilium respondit: Hoc quoque omnibus placet. Secuta subscriptio.

Canones sanciti in hac synodo.

Joannes sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus, huic decreto a nobis, ut supra legitur, promulgato subscripsi.

Et sic cæteri præfati episcopi fecerunt: & finis impositus est præsenti concilio.

Nota Severini Binii.

De hac Synodo Sigebertus, qui acta synodalia legisse visus est: dum ea summatim refert in chronico, hæc ait: *Joannes synodo collecta Leonem deposuit, & ejus gesta cassavit: statutum quoque est publico omnium judicio synodum a Leone habitam nec nominandam synodum, sed prostibulum favens adulteris* (ita Leonem nominabat, quod is Romanam ecclesiam alteri desponsatam invasisset) *Quicumque eo ordinante erant damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit: & sic depositi remanserunt in illis gradibus quos habuerant nondum a Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, ut non accepta prius consecratione ordinantur, indicto illis eodem decreto quod & damnatis a Constantino neophyto.* Hæc Sigebertus.

Argumentum actorum synodalium ex Sigeberto.

Tollatur ergo & explodatur e numero verorum pontificum pseudopontifex & antipapa schismaticus; iterum clamo, tollatur: faceſſat illorum qui post hæc tempora vixerunt, & pseudoleonem inter legitimos sacræ Romanæ ecclesiæ pontifices numerarunt, inscitia: damnetur vero illorum qui ista tunc perpetrarunt, occasionemque errandi posteris dederunt, temeritas, & in sacerdotibus non toleranda vel excusanda sacrorum canonum

Leo VIII. pseudopontifex.

num ignorantia, & antiquarum traditionum ecclesiasticarum imperitia. Imperatoris autem factum excusatur verbis Apostoli dicentis: *Testimonium illis perhibeo quod zelum habent, sed non secundum scientiam.* Nimis enim leviter existimabant, una cum moribus depravatis minui atque penitus tolli Romani pontificis auctoritatem. Quod cum erroneum sit, ut supra notavi, sitque ab hæreticis Donatistis olim cum periculo totius ecclesiasticæ œconomiæ disseminatum: nemo sane prudens defenderit, quod Joannes pontifex ob vitam non satis integram, per conciliabulum Ottonis imperatoris auctoritate collectum, recte & legitime depositus. Et Leo ejus nominis octavus eidem juste subrogatus fuerit. Si dicas, Leonem hunc communi scriptorum sententia & consensu inter Romanos pontifices numerari, Leonemque octavum nominari; adeoque temerarium esse, qui ab ista vulgari opinione dissentit: respondeo: scriptorum error veritati nihil præjudicare potest. Nam sicut canis aliquis Leonis nomine insignitus, vel etiam in numerum leonum relatus, per solam nominationem vel numerationem, canis naturam non immutaret, neque leo esse inciperet: ita non incipiet esse verus Leo pontifex ejus nominis octavus, quem errantium scriptorum communis sententia inter pontifices veros numerat, & Leonem octavum nominat. Ab eo enim quod res est vel non est, rectissime, inquit Aristoteles, oratio vera est vel falsa. Simili censura perstringatur quidquid de juribus vel constitutionibus hujus pseudopapæ inconsiderate nimis suo more Gratianus, & ignoranter Crantzius, scripserunt, locis quæ infra in notis pseudosynodi Lateranensis sub Benedicto V. assignabimus.

ANNO CHRISTI 964. *Rom.* 10.

Refellitur objectio.

ANNO CHRISTI 964.

Gratianus, Crantzius redarguitur

ANNO CIRCITER CHRISTI 964.

CONCILIUM BRANDANFORDIÆ

AB EDGARO REGE CONVOCATUM,

ANNO CIRCITER CHRISTI 964.

In quo Edvvini regis decreta rescinduntur, ablata ecclesiæ restituuntur, & Dunstanus ab exilio revocatur.

Ex Osburno & Malmesb.

NOn occurrunt in concilio actorum formulæ: breviter autem sic notantur in antiquitatibus Britannicæ ecclesiæ cap. 13. Interea Mercii & Norrenses, ac inter Humbrum & Thamesim mediterranei, in regem Edvvinum arma capiunt. A quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi caute omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regni partem obtinet. Hi multis utrimque illatis præliis, regni vires labefactarunt: sed Edgarus tandem potior, convocato ad Brandan fordiam regni concilio, fratris Edvvini acta & decreta rescindit, ablatas ecclesiis & monasteriis opes restituit, Dunstanumque ab exilio ad pristinum honorem revocat, deinde ad episcopatum VVigornensem, nolentem, ut ajunt, & volentem promovit, postea ad Londinensem, tandem biennio vix transacto ad Cantuariensem archipræsulatum.

PRIVILEGIUM QUO REX EDGARUS confirmat Dorobernensem ecclesiam matrem esse & dominam aliarum ecclesiarum regni sui.

Datum anno 959. sed hic occasione superioris concilii collocatum.

ANno dominicæ incarnationis 958. *. Ego nempe Edgarus rex Anglorum, divinaque concedente clementia monarchus, regum antiquorum Ethelberti & successorum illius, ac archiepiscoporum Brythvvaldi & Athelardi statuta, & privilegia monasteriorum Kancegenum, cum venerabilis archipontificis Dunstani consultu atque consilio, ad maledictionem impiorum raptorum, immo magis Deo favente ad benevolentiam justorumque benedictionem, æterna conclusione renovamus, & in Domino summo roboramus, statuentes,

Cor. 910.

Ut ecclesia Christi in Dorobernia, aliarum ecclesiarum regni nostri mater sit & domina, & cum suis omnibus perpetualiter sit ubique libera, præter expeditionem, pontis, & arcis constructionem.

ANNO CHRISTI 964.

VITA

ANNO CHRISTI 964.

BENEDICTI PAPÆ V.

BEnedictus ex Romanæ ecclesiæ diacono, totius cleri & populi Romani unanimi consensu in locum Joannis XII. defuncti electus est anno Domini 964. tempore Ottonis & Nicephori imperatorum. Quo facto, cum Romani proceres contra datam fidem juramento firmatam egissent, Otto imperator, inquit Luitprandus, collecta undique secum fidelium suorum multitudine Romam adiit, & firma eam omni parte obsidione, ne quis pateret exitus, munivit. Cives vero hortatu Benedicti pontificis valde animati, obsidionem tamdiu sustinuerunt: donec fame constricti, ad urbis deditionem cogerentur. Post urbem captam, Benedicto Hamburgum relegato, in sedem pseudopontifex Leo quidam ejus nominis octavus elevatur, pseudosynodus indicitur, vanæque constitutiones decernuntur. Quibus peractis discessit ab urbe imperator; sed Dei vindicis pœnam non evasit: nam ob sacrilegium quod hac in re commiserat, tanta exercitum ejus, ut habet appendix Reginonis, pestis & mortalitas invasit, ut vix sanus quis a mane usque ad vesperam, & a vespera usque ad mane se victurum speraret.

Benedictus obiit in exilio anno Domini 965. titulo ac honore martyrii condecoratus instar Pontiani & Martini pontificum, qui ob gloriosam Christi confessionem pro nomine ejus exilium aliasque injurias ac contumelias sustinuerunt. Ossa ejusdem Benedicti, Ditmaro apud Reginonem attestante, Romam relata fuerunt. Hunc scriptorum alii velut injuste intrusum omittunt, alii Leoni schismatico & antipapæ eundem anteponunt; sed utramlibet harum sententiam tuentes falluntur. Nam ex iis quæ supra dixi manifeste constat, Leonem nunquam nisi pseudopontificem & antipapam fuisse, indignum qui nomine pontificio condecoratus in numerum eorumdem referatur.

Benedictus martyr.

Benedictus quibusdam chronographis e numero pontificum male eximitur.

CON-

ANNO CHRISTI 964. ANNO CHRISTI 964.

CONCILIABULUM ROMANUM,

Quo per Leonem Antipapam, & ſedis apoſtolicæ invaſorem ſchiſmaticum, Benedictus papa V. exauctoratur, & Hamburgum relegatur anno Domini DCCCCLXIV. *ſub Ottone & Nicephoro Phoca imperatoribus.*

Luitprand lib. c. 11.

REſidentibus itaque domno Leone ſummo & A universali papa in eccleſia Lateranenſi, necnon & imperatore ſanctiſſimo Ottone, & epiſcopis Romanis, Italicis, a Lotaringia & Saxonia, archiepiſcopis, presbyteris, diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina ſuperius * adſcribuntur, advenit Benedictus apoſtolicæ ſedis invaſor, eorum qui ſe elegerant manibus adductus pontificalibus veſtibus indutus. Quem Benedictus cardinalis archidiaconus tali eſt ſermone aggreſſus: Qua tibi auctoritate, quave lege, o invaſor, hæc pontificalia indumenta uſurpaſti, ſuperſtite hoc præſente domno noſtro venerabili papa Leone, quem tu nobiſcum, accuſato & reprobato Joanne, ad apoſtolatus culmen elegiſti? Num inficiari potes, præſente domino imperatori juramento promiſiſſe, nunquam te cum cæteris Romanis papam electurum, aut ordinaturum, abſque illius filiique ſui regis Ottonis conſenſu?

B

Benedictus reſpondit: Si quid peccavi, miſeremini. Tunc imperator, effuſis lacrymis, quam miſericors eſſet oſtendens, rogavit ſynodum, ne Benedicto præjudicium fieret: ſi vellet, & poſſet, ad interrogata reſponderet; quod ſi non poſſet, aut nollet, ac ſe culpabilem redderet, tamen C pro timore Dei miſericordiam aliquam inveniret. Quo audito, ad domni Leonis papæ pedes, ipſiuſque imperatoris, idem Benedictus concite procidens, ſe peccaſſe, ſeque ſanctæ Romanæ ſedis invaſorem eſſe acclamavit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum pontificali ferula, quam manu geſtabat, domino papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem papa fregit, & fractam populo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit: cui caſulam, quam planetam vocant, cum ſtola pariter abſtulit. Poſt autem omnibus epiſcopis dixit: Benedictum ſanctæ & apoſtolicæ ſedis Romanæ invaſorem omni pontificatus & D presbyteratus honore privamus: ob eleemoſynam vero domini imperatoris Ottonis, cujus ſumus opera in ſedem debitam reſtituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.

Labb. Apparat. Tom. 9.

Iis quæ de hoc conciliabulo ſupra ex Luitprando deſcripta ſunt, addi poſſunt iſta ex Hildensheimenſi chronico ad annum DCCCCLXIII. *quæ ſequentis anni charactere inſigniri debuiſſent.* Hoc anno, *inquit*, magnum ſynodale judicium factum eſt Romæ in E eccleſia S. Petri. Ibi præſidebat Otto Imp. Aug. cum magna multitudine epiſcoporum, abbatum, monachorum, ac clericorum. Illicque Benedictus papa ab apoſtolica ſede dejectus eſt, & Adaldago archiepiſcopo commiſſus, in Saxoniamque deductus, illic vitam finiit.

Nota Severini Binii.

An Luitprandus hujus concilii acta viderit, & uſus eis fuerit. *Ezech.* 1

Hæc acta extant libro 6. capite 11. illius auctoris, qui Luitprandus male inſcribitur, quique ut anterioribus capitibus in Joannem XII. ita & multo magis in Benedictum ſe iniquum oſtendit, & pluſquam oportebat (ut teſtantur ſcriptores Germaniæ) Ottoni favit. Non tantum ipſe graviter erravit, verum etiam aliis errandi viam ſatis amplam aperuit, vivificans, ut ait propheta, eos qui non vivunt, & interficiens qui non moriuntur: dum quos judicare non potuit ſynodus, condemnatos abijicit, & quem alio vivente ipſa eligere non potuit, nec debuit, Leonem VIII. velut legitimum colendum exhibuit. Apud Gratianum inconſiderate nimis hæc aliaque his ſimilia tractantem diſtinctione 63. ſub nomine & titulo hujus pſeudoſynodi Romanæ Canon 23. reperitur, quo profitetur Leo pſeudopapa octavus ejus nominis, ſe de electione Romanorum pontificum, aliorumque epiſcoporum imperii, idem jus eademque poteſtatem Ottoni imperatori concedere, quam facultatem Hadrianus ſecundus Carolo imperatori olim per privilegium attribuerat. Sed cum ſupra in notis ad vitam Hadriani II. copioſe oſtenderim, totum illud quod de jure eligendi & inveſtiendi epiſcopos Carolo imperatori conceſſo Sigebertus in gratiam Henrici imperatoris ſcripſit, fabuloſum eſſe commentum: iiſdem rationibus detegitur impoſtura hujus privilegii, quod Gratianus per Leonem octavum Ottoni imperatori collatum ſuo more fabulatur. Cum enim ad exemplum Hadriani hanc gratiam imperatori a Leone fuiſſe conceſſam ſcribat: nihil illi collatum profitetur, quoniam Hadrianus, ut ſupra probavi, horum jurium nihil Carolo unquam obtulit. Quæ ſi non ſufficiant, addimus alia adhuc eſſe plura, quibus eadem conſtitutio manifeſtæ falſitatis arguitur. Primum illud, quod Otto jam ſupra a Joanne XII. imperator conſecratus, hic rex atque patricius conſtituatur; quaſi cum imperio non fuerit eidem regia & patricia poteſtas conceſſa. Præterea quod illic in fine legitur, ut ultimo afficiatur ſupplicio, ſi quis ejus conſtitutionis tranſgreſſor inveniatur. Quantopere autem illud a Romanorum pontificum conſtitutionibus, quarum violatoribus irrogatur non pœna mortis, ſed anathematis dumtaxat, vel ſuſpenſionis, aliaque eccleſiaſtica cenſura, abhorreat, quiſquis harum pauculas legerit, facile intelliget. Addo ad extremum, etiamſi hæc conſtitutio vere contigiſſet, nullius tamen roboris eſſet, quod non e legitimo papa, ſed ſchiſmatico, quod pſeudoleone & antipapa promulgata fuerit. Simili cenſura perſtringatur illa Leonis VIII. apud Crantzii metropolim lib. 4. cap. 10. recitata, qua profitetur ipſe pſeupopontifex ſe Ottoni imperatori reſtituere, quæcumque ipſum Romanum occidentale imperium antehac poſſediſſet, atque eccleſiæ Romanæ donaſſet. Impoſturam illius deteges, ſi promulgatæ conſtitutionis tempus cum tempore advenientis Ottonis in urbem conferas, & ſi nomina ſubſcriptorum epiſcoporum, cum nominibus epiſcoporum eorum qui Romano conciliabulo ſub Joanne XII. interfuerunt, compares. Item ex eo commentitiam fuiſſe probaveris, quod profiteatur ſe etiam reſtituere ea quæ Romana eccleſia dono acceperat a Juſtiniano, qui Silverii & Vigilii perſecutor potius quam remunerator exiſtens, ne unam quidem glebam Romanæ eccleſiæ contuliſſe alibi legitur. Sicut ergo præcedentes conſtitutiones probantur excogitatæ & effictæ ab iis qui tempore ſchiſmatis ipſis ſchiſmaticis imperatoribus adhærebant: ita probabile eſt, hanc conſtitutionem ab iiſdem excogitatam eſſe. *Sed Deo gratias*, anno 964. ait Baronius, *quod impoſtor inſulſus, ineptus, ſtolidus, talis extiterit, qui adeo affectata mendacia veſtire neſcivit, ſed opprobrio ſempiterno nudata deridenda reliquit.*

Jus eligendi epiſcopos Germaniæ nullus pontifex Carolo vel Ottoni magno conceſſit.

An Leo VIII. dona Romanæ eccleſiæ collata reſtituerit.

ANNO CHRISTI 964.

EDGARI REGIS ANGLORUM

CHARTA DE OSVVADE S. LAU, HOC EST,

De ejiciendis clericis uxoratis & introducendis monachis.

Ex Tom. 1. Concil. Britan.

ALtitonantis Dei largiflua clementia, qui eſt rex regum & dominus dominantium, ego Edgarus Anglorum baſileus, omniumque regum inſularum Oceani quæ Britanniam circumjacent, cunctarumque nationum quæ infra eam includuntur, imperator & dominus, gratias ago ipſi Deo omnipotenti regi meo, qui meum imperium ſic ampliavit & exaltavit ſuper regnum patrum meorum, qui licet monarchiam totius Angliæ adepti ſint, a tempore Æſtelſtani, qui primus regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt ſibi armis ſubegit; nullus tamen eorum ultra ejus fines imperium ſuum dilatare aggreſſus eſt. Mihi autem conceſſit propitia divinitas, cum Anglorum imperio omnia regna inſularum Oceani cum ſuis ferociſſimis regibus uſque Norvegiam, maximam partem Hiberniæ, cum ſua nobiliſſima civitate Dublina, Anglorum regno ſubjugare: quos etiam omnes meis imperiis colla ſubdere, Dei favente gratia, coegi.

Æthelſtanus primus monarcha Angliæ.

Edgarus ultra dominatur.

Quapropter & ego Chriſti gloriam & laudem in regno meo exaltare, & ejus ſervitium amplificare, devotus diſpoſui: & per meos fideles fautores, Dunſtanum videlicet archiepiſcopum, & Athelvvoldum ac Oſvvaldum epiſcopos (quos mihi patres ſpirituales & conſiliatores elegi) magna ex parte, ſecundum quod diſpoſui, perfeci, *&c.*

Monaſteria pene deleta per totam Angliam reficit.

Si quidem temporibus anteceſſorum meorum regum Anglorum, monaſteria, tam monachorum quam virginum, deſtructa, penitus rejecta in tota Anglia erant: quæ ego ad Dei laudem pro remedio animæ meæ reparare, & ſervorum & ancillarum Dei numerum multiplicare devovi. Et ipſis ſupradictis meis cooperatoribus ſtrenue annitentibus, jam quadraginta & ſeptem monaſteria cum monachis & ſanctimonialibus conſtitui: & ſi Chriſtus vitam mihi tamdiu conceſſerit, uſque ad quinquageſimum * remiſſionis numerum, meæ devotæ Dei munificentiæ oblationem protendere decrevi.

Conſtituit 47 monaſteria, & quinquageſimum ſpondet.

* *id eſt*, jubilæi.

Unde nunc in præſenti monaſterium, quod prædictus reverendus epiſcopus Oſvvaldus, in ſede epiſcopali VViogreceaſtere, in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ amplificavit, & eliminatis clericorum næviis & ſpurcis laſciviis, religioſis Dei ſervis monachis meo conſenſu & favore * conſultus locavit: ego ipſis monaſticæ religionis viris regali auctoritate confirmo, & conſilio & aſtipulatione principum & optimatum meorum corroboro & conſigno. Ita ut jam amplius non ſit fas neque jus clericis reclamandi quidquam inde: quippe qui magis elegerunt, cum ſui ordinis periculo & eccleſiaſtici beneficii diſpendio, ſuis uxoribus adhærere, quam Deo caſte & canonice ſervire. Et ideo cuncta quæ illi de eccleſia poſſederunt, cum ipſa eccleſia, ſive eccleſiaſtica, ſive ſæcularia, tam mobilia quam immobilia, ipſis Dei ſervis monachis ab hac die perpetualiter regiæ munificentiæ jure deinceps poſſidenda trado & conſigno, ita firmiter, ut nulli principum, nec etiam ulli epiſcopo ſuccedenti, fas ſit aut licitum quidquam inde ſubtrahere, aut pervadere, aut ab eorum poteſtate ſurripere, & in clericorum jus iterum traducere, quamdiu fides Chriſtiana in Anglia perduravit, *&c.*

* *Al.* Suſtua. Rex hoc confirmat immutabiliter.

Oſvvaldus epiſcopus clericos uxoratos eiicit VVigornia.

Facta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis DCCCCLXIV. indictione VIII. regni vero Edgari Anglorum regis ſexto, in regia urbe quæ ab incolis .... nominatur; in natali Domini, feſtivitate ſanctorum innocentium, feria quarta.

Datio.

SUBSCRIPTIONES.

Ego *Eadgar* baſileus Anglorum, & imperator regum gentium, cum conſenſu & principum & archiepiſcoporum meorum, hanc munificentiam ſigno crucis corroboro.

Ego *Ælfrith* regina conſenſi, & ſigno crucis confirmavi.

Ego *Dunſtan* archiepiſcopus Dorobernenſis eccleſiæ Chriſti, conſenſi & ſubſcripſi.

Ego *Oſcitel* archiepiſcopus Eboracenſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.

Ego *Aſeric* dux.

Ego *Bruthnod* dux.

Ego *Adrigari* dux.

ANNO CHRISTI 965.

VITA ET EPISTOLA
JOANNIS PAPÆ VIII.

Joannes XIII. quando papa factus.

JOannes Narnienſis epiſcopus poſt obitum Leonis pontificis pſeudopapæ (vivente, an defundo Benedicto quinto, incertum) factus eſt pontifex anno Domini *965.* temporibus Ottonis & Nicephori Phocæ imperatorum. Qui cum initio pontificatus optimates Romanorum acrius fortaſſe quam oportebat inſequeretur, eorum monitu ab urbis præfecto captus, relegatus eſt in Campaniam. Sed dum imperatori Ottoni hæc innotuiſſent, ad vindicandam injuriam pontifici illatam, ipſe in Italiam profectus eſt, reſtitutoque Joanne, de illius hoſtibus vindictam ſumpſit iſtam. Præfectum urbis viventem curavit denudari, impoſitumque aſino & utre redimitum, ad ludibrium circumduci, virgiſque cædi, ac demum carceribus mancipari: cadaver defuncti præfecti, a quo Joannes papa urbe ejectus erat, e ſepulcro extractum in diverſa loca diſtrahi ac diſſipari præcepit. *Regino.* Ad converſionem Polonorum Ægidium Tuſculanum epiſcopum legatum a latere miſit, data illi poteſtate regem Miezislaum, qui per connubium Chriſtianæ uxoris Dambronuuchæ Bohemorum primi ducis filiæ converſus erat, in fide cum populo ſtabiliendi, epiſcopatus erigendi, eaque faciendi quæ ad totius regni converſionem populique inſtructionem pertinere videntur.

Per Ottonem ab exilio liberatus.

Polonos & VVandalos ad fidem Chriſti convertit.

Idem

Idem ad convertendos VVandalos, VVillibaldum, Prochorium, alioſque viros doctiſſimos emiſit: qui & Meiſconem monarcham (verba Stanislai Orichovii apud Sanderum de viſibili monarchia num. 695. refero) & genus noſtrum illi „ ſubjectum ſacri baptiſmatis undis ab originali „ culpa abluerent, & ex civitate diaboli ablutos „ & mundatos in civitatem Dei transferrent, in „ Chriſtique eccleſiam dicarent: quod etiam fa„ ctum eſt. Nam illi viri ſanctiſſimi VVandaliam „ (ſive tu malis Poloniam dici) ingreſſi prædica„ bant nobis Chriſtum, & gratiam ejus, qua nos „ in communionem ſuorum Deus convocaverat, „ celebrabant: homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant: idola ex VVandalia exterminabant. Ottonem juniorem magni illius Ottonis filium imperatorem coronavit. Roma cum imperatore Capuam profectus, Capuenſem eccleſiam, eo quod ſe Roma fugatum honorifice excepiſſet, digneque habuiſſet, & ab inſidiis Pandulphi principis Capuani fideliter cuſtodiviſſet, archiepiſcopatus dignitate gratitudinis ergo inſignivit. His peractis contigit, cum ad urbem revertiſset, primariam Lateranenſis eccleſiæ campanam, miræ magnitudinis, recens fuſam, ſuper campanile elevari, quam primum idem pontifex ſacris ritibus Deo conſecravit, atque nomine Joannis Baptiſtæ haud dubie, cui ipſa eccleſia dicata erat, nuncupavit. Agnoſcunt illud & redarguunt novatores hæretici, quaſi ille hoc exemplo poſteros omnes pontifices & epiſcopos in illum errorem induxiſſet, ut campanis ſacramentum baptiſmatis impendendum eſſe crederent & docerent: ſed falluntur imperiti, cum non tam baptizentur, quam prævia benedictione ſacriſque ritibus, ſicut etiam alia vaſa ſacra, cultui divino dicentur & conſecrentur: in qua conſecratione imponuntur iis nomina, vel ut a cæteris campanis diſcernantur; vel ſaltem, quod magis ad pietatem conduceret, ſi voce alicujus ſancti populus ad eccleſiam convocari diceretur.

Ad Theophanem Nicephori imperatoris orientalis filiam Ottoni imperatori juniori deſponſandam legationem miſit, qua functus eſt Luitprandus Cremonenſis epiſcopus. Sed cum Nicephorus coronatione duorum Ottonum graviter exacerbatus huic legationi nihil detuliſſet, Græca tamen tamen fide, ſub falſo prætextu nuptiarum, legationem ipſe ad Ottonem remiſit, nuncians illi ut nuptias pararet: ſe cum filia brevi adfuturum. Cumque hac occaſione exercitus Ottonis in nuptiis parandis occuparetur: orientales ex improviſo militem imperatoris aggreſſi, eumdem magna ſtrage fugarunt. Verum quando ea victoria elati ſecundo eumdem exercitum aggrederentur, innumera multitudo hoſtium cæſa fuit. Contigit hac de cauſa Nicephorum interfici, eique Joannem quemdam cognomento Zemiſces ad imperium elevari. Qui paulo poſt quam imperator factus eſſet, occiſi imperatoris Nicephori filiam ad Ottonem miſit: quam ipſe, ut ait VVitichindus, ſtatim filio tradidit, celebratiſque magnifice nuptiis omnem Italiam ſuper hoc & Germaniam lætiores reddidit. Eamdem a Joanne papa coronatam imperatricem fuiſſe teſtatur Sigebertus.

Per catenam S. Petri, arreptitii collo circumdatam, dæmonem expulit. In Magdeburgenſi civitate recens ab Ottone condita primum epiſcopum Adelbertum conſtituit. Cumque ſedem apoſtolicam annos ſex, menſes undecim, & dies viginti quinque tenuiſſet, VIII. Idus Septembris obiit. Sepultus eſt in baſilica S. Petri, ut videre eſt in epitaphio quod extat apud Baronium an. 972. n. 1.

EPISTOLA I. JOANNIS PAPÆ XIII.
AD EPISCOPOS CITERIORIS BRITANNIÆ,

Ut archiepiſcopo Turonenſi debitam reverentiam exhibeant.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, epiſcopus Romanæ urbis, in Chriſto fratribus univerſis epiſcopis citerioris Britanniæ ſalutem in Chriſto & viſitationem.

QUia vice B. Petri apoſtolorum principis, Domino Deo dignante, omnium eccleſiarum curam ſuſcepimus: ſolicitudinem, qua uniuſcujuſque fides integra in eodem Domino reſervetur, ſine qua nullus ei placere valebit, ubique ſevere obſervare debemus. Ideoque notum ſit vobis, quoniam cariſſimus frater noſter Arduinus, S. Turonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, veniens ad apoſtolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura ſui archiepiſcopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta ſanctorum pontificum ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ ſuis prædeceſſoribus conceſſa & confirmata fuerunt, a veſtro archiepiſcopo, & ſuis deceſſoribus, per violentiam, & paganorum Northmannorum contrarietatem ſublata videntur. Unde apoſtolica auctoritate vobis ſciatis eſſe interdictum, ne illius ullo modo juri reſiſtatis deinceps de omnibus, quæ prædictus archiepiſcopus confirmat archiepiſcopatui ſuo pertinere debere, quouſque ille veſter archiepiſcopus, aut aliquis ex vobis, cum Arduino archiepiſcopo, ſive cum ſuo ſuffraganeo, vel alio fideli miſſo, ad noſtram ſanctam matrem eccleſiam veniat: ut ibi percognitis cauſis inter vos & illum, quod æquum comprobabimus, diffiniatur ad laudem Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quod ſi aliter quam quod jubemus, contra voluntatem ejus feceritis: cognoſcatis voſmetipſos Dei & B. Petri principis apoſtolorum, per noſtræ humilitatis mandatum, auctoritate excommunicatos ab omni eccleſiaſtico officio. Quod ſi vero debitam reverentiam circa prædictum fratrem noſtrum obſervare vobis placuerit: ſecundum juſtitiæ decretum a ſancta Romana eccleſia ſtatutum, permaneatis cum Dei benedictione in unitate noſtræ catholicæ communionis. Inter hæc ſciant veſtri regni homines, maxime nobiliores, nominatim Berengarius, & filius ſuus Conanus, & Hoel cum fratre ſuo Guerech, cum cæteris majoribus, ut ſi contra juſtitiam inobedientes fuerint huic noſtræ juſſioni, & contrarii ſeu rebelles extiterint prædicto fratri noſtro Turonenſi epiſcopo, ſint & ipſi excommunicati, & noſtra benedictione apoſtolica privati.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

Epiſtola I. Joannis XIII. Meminit hujus epiſtolæ Innocentius III. libro II. ad Bartholomæum Turonenſem. Quotus numero Joannes hic fuerit, vetus exemplar non exprimit. Nos ex Arduini Turonenſis archiepiſcopi ætate Joannem XIII. conjecimus. Quod ſi exploratum non eſt: veriſimilius certe, quam ut ex aliorum ſententia Joanni X. tribuatur, cui convenire non poteſt.

EPISTOLA II. AD EDGARUM REGEM ANGLORUM

De episcopatu VVintonienſi expellendis clericis, & introducendis monachis.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Edgaro regi excellentiſſimo, atque omnibus epiſcopis, ducibus, comitibus, abbatibus, & cuncto fideli populo Anglicæ gentis, Chriſtianam ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam ſemper ſunt concedenda quæ rationalibus quæruntur deſideriis, oportet ut veſtræ piæ petitionis ſtudium in privilegiis minime offendatur præſtandis. Scimus enim, glorioſe fili, imperii veſtri dignitatem zelo divinæ legis ita undique munitam, ut indeſinenter pro venerabilium locorum percogitet ſtabilitate; quatenus proveniente pro labore, ſchola dominici multipliciter ſervitii, & largitori omnium Deo abunde fructus referantur milleni. Quare, rex inclyte ac fili cariſſime, quod veſtra excellentia per fratrem & coepiſcopum noſtrum Dunſtanum ab hac apoſtolica ſede, cui licet immeriti præſidemus, expoſcit, omnibus modis concedimus, auctoritate apoſtolica ſancientes, ut de monaſterio in VVintonia civitate, in honorem ſanctæ Trinitatis & beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtructo, quod vetus, differentia novi illius quod iuxta eſt cœnobii, cognominatur, canonici, Domino, epiſcopo, & omnibus catholicæ fidei cultoribus ex patentibus culparum ſuarum turpitudinibus odibiles, & in eiſdem ſecundum impœnitens cor eorum inverecunde perdurantes, cum ſuo præpoſito, utpote vaſa diaboli, ejiciantur: & ſicut veſtra ſublimitas deſiderat, dilectiſſimus frater & coepiſcopus noſter Ethevvaldus, regularibus diſciplinis apprime imbutus, monachorum ſecundum præcepta regulæ viventium gregem enutriat, eiſque inibi perpetuam manſionem ſtatuat ille: qui eorum vitam ita ſanctitatis moribus exornet, ut paſtore ad laboris ſui præmium vocato, non aliunde quam ex illa congregatione alter in locum regiminis ſuccedat. Quod ſi impedientibus, quod abſit, peccatis, ad hoc pontificale officium in eadem congregatione idoneum inveniri minime poſſe contigerit: auctoritate apoſtolorum principis Petri, cui Dominus ac ſalvator noſter ligandi ſolvendique poteſtatem contradidit, præcipimus, ut nemo ex clericorum ordine ad hujus regimen eccleſiæ promoveatur: ſed potius ex alia qualiter congregatione qui dignus inventus fuerit monachus aſſumatur, & huic eccleſiæ præficiatur. Si quis enim interea, quod non credimus, hæc apoſtolicæ ſedis privilegii decreta irrita facere, & ea quæ nobis pie indulta ſunt intaminare præſumpſerit: auctoritate ejuſdem cæleſtis clavigeri Petri, omniumque ſucceſſorum ejus, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & in illo magni judicii die perpetualiter damnandum. In Chriſto valeas, domine fili.

EPISTOLA III. AD BERENGARIUM EPISCOPUM VIRDUNENSEM.

Ex bibl. Mſſ. La. Tom. 1.

Privilegium monaſterii a Berengario conſtructi.

Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Berengario fratri noſtro, Virdunenſis eccleſiæ epiſcopo, cum omnibus ſibi a Domino commiſſis, bravium æternæ remunerationis.

CONvenit apoſtolico moderamini, pia religione pollentibus benevola caritate favere, & poſcentium animis alacri devotione aſſenſum præbere. Ex hoc enim potiſſimum præmium lucri a conditore omnium Domino promerebimur, ſi venerabilia ſanctorum loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint ſtatum noſtra auctoritate perducta. Igitur quoniam te, cariſſime frater, inter cætera ſanctæ converſationis exercitia comperimus quoddam monaſterium in tuo epiſcopio, juxta civitatem Virduni, in eccleſia B. Petri, pro amore Dei conſtruxiſſe, in quo requieſcunt corpora ſanctorum confeſſorum, atque præfatæ eccleſiæ S. Mariæ quondam epiſcoporum, Vitoni, Pulcronii, Poſſeſſoris, atque Firmini, & de rebus tuæ eccleſiæ provida conſideratione ſublevaſſe: ut ſi quando filii eccleſiæ tuæ, compuncti amore, terrena deſpicientes ad contemplativæ vitæ perfectionem confugere deſiderarent, ne a tua penitus eccleſia diſſociati viderentur, in monaſterio, quod membrum eſt ejuſdem eccleſiæ, ſolatii refugium ſub habitu religionis ſibi invenirent, & Domino quieta tranquillitate inibi famularentur. Noverit omnium fidelium, tam præſentium, quam & futurorum induſtria, nos idem monaſterium tua ordinatione conſtructum, cum omnibus rebus, regalibus præceptis tuo conſultu ſibi ſancitis, in æternum velle permanere inconvulſum: Scanciam cum ſuis pertinentiis: abbatiam ſancti Amantii, & quidquid ad eam pertinet: Novavillam cum ſuis locis: Amantionis curtem quantum ad eam pertinet: Parridum cum ſuis adjacentiis: Harbodi villam cum ſuis pertinentiis: Caſtonis curtis eccleſiam cum his quæ ad eam pertinent: eccleſiam de Marleio cum ſuis adjacentiis: eccleſiam de Marculfi curte cum ſuis adjacentiis: eccleſiam de Amonzei villa cum ſuis adjacentiis, cum terris, vineis, molendinis, cum ſervis & ancillis; abbatiam S. Petri & eccleſiam de Marca: ad Liriacum quidquid ad illum locum pertinet: ad Novamvillam in Barrenſi comitatu, quod ad eum locum pertinet. Hæc vero omnia prædicta loca cum ſuis omnibus generaliter & ſpecialiter pertinentiis, & quidquid domino opitulante, voto fidelium huic monaſterio conceſſum fuerit, in futuro tempore, per hoc noſtrum apoſtolicum privilegium perenniter firmamus, tam vobis, quam veſtris ſucceſſoribus, & inſuper hoc noſtræ auctoritatis privilegio eſſe corroboratum volumus: quatenus eadem Virdunenſis eccleſia, quæ hactenus de filiis ab ipſis infantiæ rudimentis in gremio ſuo expoſitis, dum ad externa monaſteria confugerunt, fraudabatur, abhinc & deinceps, in membro ſibi ſubjecto, conſilio ſui epiſcopi, atque providentia glorioſi abbatis Humberti, de eorum ſancta converſatione ſublimata glorietur. Si autem temerario auſu magna parvaque perſona, cujuſcumque ordinis aut poteſtatis, contra hanc noſtram apoſtolicam præceptionem ire tentaverit: ſciat ſe auctoritate B. Petri apoſtolorum principis excommunicatum, atque anathematis vinculo innodatum, & a regno Dei alienum, cum omnibuſque impiis

æter-

æterno incendio atque supplicio condemnatum. Qui vero observator extiterit hujus nostri præcepti, gratiam, atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Januario per Indictionem XIV. Datum quinto Idus Januarii per manum Marini episcopi & sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii, anno, Domino propitio, pontificatus domni Joannis summi pontificis & universi XIII. papæ in sanctissima beati Petri apostoli sede, decimo, primo in mense, Indict. XIV. anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXI.

EPISTOLA IV. AD ADALBERONEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Privilegium Monasterii S. Remigii.

Joannes episcopus servus servorum Dei, dilectissimo in Domino fratri Adalberoni, sanctæ Remensis ecclesiæ dignissimo archipræsuli, perpetuam salutem.

CONvenit apostolatui nostro, pro universis Dei ecclesiis, ne damna rerum suarum sustineant, sed magis semper in melius augeantur & crescant, curam habere. Igitur quia fraternitatis tuæ dilectio nos postulavit, quatenus monasterium quod corpore beati Remigii nobilitatur, privilegio sanctæ nostræ sedis apostolicæ muniremus, quo ad Dei omnipotentis laudem, & ejusdem beati Remigii honorificentiam, nullius hominis avaritia & temeritate valeat in quoquam violari & minui, sed potius augeatur & crescat. Quapropter per interventum tuæ dilectionis, archimonasterio, quod in Francia situm est non longe a civitate Remensi, cui præesse videris, confirmamus & corroboramus hoc nostræ auctoritatis privilegio omnes possessiones, omnesque res mobiles & immobiles, quæ dici & nominari possunt; de terris, vineis, servis & ancillis, colonis & colonabus, ædificiis & habitationibus, thesauris, & ornamentis, & quibuslibet pecuniis. Statuentes sub divini judicii obtestatione, & anathematis validis interdictionibus, ut nunquam, neque ullus rex, neque archiepiscopus vel episcopus, vel etiam quorumlibet hominum magna parvaque persona, præsumat eidem archimonasterio ad damnum sive molestiam incumbere, sive de rebus & possessionibus ipsius auferre & alienare. Promulgamus autem & hoc auctoritate B. Petri apostolorum principis, per hujus nostri apostolici privilegii constitutionem, ut omnia quæ a te vel a quibuslibet Christi fidelibus eidem archimonasterio donata sunt, vel in futurum donata fuerint, firma stabilitate ad jus & dominium ipsius permaneant: nec licentia sit cuiquam homini, vel conferre, vel alienare quid ex omnibus quæ ad illud pertinent, nisi ad communem utilitatem roborandam justitiæ, & gratiam competentis commutationis. Insuper abbatiam sancti Timothei, quam eidem sancto Remigio ad usum hospitalitatis tua largita est industria, quatenus cum tuorum, tum etiam successorum atque monachorum, ad hospitum necessaria, rara benevolentia non deficiat, abbas loci provideat, atque ad communem utilitatem distribuat: ita dumtaxat, ne archiepiscopalis affluentia in suis nimium, non prout ferre locus possit, excedat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu, contra hujus nostri apostolici privilegii paginam sciens agere præsumpserit, sciat se Dei, & S. Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis judicio excommunicatum, immo anathematizatum cum diabolo & omnibus impiis, quibus præparatus est cruciatus æternus. Qui vero pio intuitu hoc observare & custodire studuerit, a misericordissimo Domino Deo nostro benedictionis gratiam, & æternæ vitæ gloriam inter sanctos & electos consequi mereatur.

Scripta per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Apr. Indict. XV. Datum per manum Andreæ episcopi VIII. Kalend. Maii anno pontificatus domini nostri Joannis sanctissimi & tertii decimi papæ VIII. imperii autem domini Ottonis majoris Augusti XI. junioris vero V. in mense 4. Indictione quintodecima. An. 972. Cor. VII.

CÆSARII ABBATIS *S. Cæciliæ in Monteferrato, qui se profitebatur Archiepiscopum Tarraconensem esse, epistola ad Joannem Papam XIV.*

Ex Baluz. Miscel. T. 7. p. 57.

SYderco fulgore veluti clari poli luminaria virtutum meritis radianti, florenti ut olori opinione alma, candenti ut lilium, pudicitiæ cingulo rubenti ut rosa, prolixa execratione ecclesiasticæ ut apparet gaudium jejuniorum vigiliarumque, ac obedientiæ colla submittentium, fragranti respersione, odorifera unitate, dissociabili pacis, amoris, ac benignitatis, & suavitatis vinculis connexum, quorum oratio in alto æthereoque throno penetrat sicut incensum.... nitore & humilitatis volatio resplendet color, & laus ac minus vel prope resonare cernitur, Domno meo JOHANNI, ego Cæsarius indignus gratia Dei Archiepiscopus provinciæ Tarraconæ, quæ est fundata in Spania. O Domine mi Pater, sanctissime apostolice, audite me, Pater, quomodo ego pergi ad domum sancti Jacobi apostolicæ sedis, qui est tumulatus in suam apostolicam sedem Galiciæ. Et ego indignus supradictus fui ad domum sancti Jacobi, & petivi benedictionem de provincia Tarragona, vel suis munificentiis, hoc est, Barquinona, Egara, Jerunda, Ympurias, Ausona, Urgello, Hilerta, Hycto, Tortuosa, Cæsaraugusta, Oscha, Pamplona, Aucha, Calaorra, Tirasona. Et fiunt XVI. civitates sub metropolitana Tarraconensi. Petivi ego benedictionem de ista provincia supra nominata, & inveni ea.... me Dominum gloriosissimum Sisinandum condam, qui præfuit cum suis Pontificibus, id est, glorioſissimo viro & Christo dilectissimo Ermegildo nomine. Aspectu pulcherrimus Lucensis Metropolitanus in Christi nomine respondit: Scimus etenim quia a sanctis patribus constitutum est ut in unaquaque provincia Metropolitanus Episcopus ordinetur. Nam & Tarracona, scimus, quia in principio civitas metropolitana nominata est, & Conciliis in eadem ..... usque dum ab Hismahelitanis regnum nostrum destructum est. Et nos in recuperationem sanctorum restituere debemus, vel benedicere hunc Præsulem, ut cito faciamus. VVilolfus fulgentissimus vir Tudensis Episcopus clarissimo vultu dixit: Nostra præsumptio faciendi: quia a Principibus nostris jussum est, & a Conciliis Toletanis conscriptum, ut quod juste invenerimus, condiligendi haberemus potestatem. Festinemus. Hoc justum est. Rudesindus Dumiensis Episcopus, Gundissalus Legionensis Episcopus, Adovarius Austoriacensis sedis Episcopus, Domenicus Numentinæ, quæ modo Zamora nuncupatur, sedis Episcopus, Tudemundus Salmantisensis sedis Episcopus, Eredulfus Aurensis sedis Episcopus, Ornatus Lamatensis sedis Episcopus, Didacus Portucalensis sedis Episcopus. Adamantius

tius Abba vir sanctissimus & timoratus hilari aspectu ait: Regulari subjectione continetur, & ea diligenter instruimus, & præcepta canonum observanda referimus, & hunc ad Præsulem dignitatis oportet obtineri. Alii autem plures cum magna exultatione dixerunt: Verum est hoc. Novimus quia hic famulus Dei prædictus Cæsarius Abba, Archiepiscopum eum debemus eligere. Sancio huic provisioni subscripsi sub die III. Kalend. Decembris æra DCCCCXXXIII. Hæc omnes in una collegio sancimus atque corroboramus. Isti Episcopi superius exarati unxerunt me, & benedixerunt de ipsa provincia Tarraconensi, vel cum suis munificentiis, civitates exaratas. Et ego Cæsarius Archipræsul reversus ad provinciam meam nominatam, contradixerunt me Episcopi his nominibus, Petrus Barchinonensis Episcopus, Arnulphus quondam qui fuit sedis Gerundensis Episcopus, VVisaldus Urgelitanensis sedis Episcopus, & Emericus Metropolitanus sedis Narbonensis Episcopus. Isti jam suprascripti & nominati, quia istum apostolatum, quod est nominatum Spania & occidentalia, dixerunt non erat apostolatum sancti Jacobi, quia ille Apostolus interfectus hic venit, nullo modo autem vivus. Et ego responsum dedi illis secundum canonicam auctoritatem de Nicæno Concilio; ubi fuerunt trescentum decem & octo Episcopi, & secundum canonem Toletanum, ubi subscripserunt Episcopi LXVI. Episcoporum Spaniæ & Gotthiæ provinciarum edita ann. III. regnante Domino Sisenando die Nonas Decembris æra DCLXXI. O Domine, sciatis vos quia Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus qui interpretatur filius Zebedæi, frater Johannis Apostoli & Evangelistæ, Spaniam & occidentalia loca prædicavit & sub Herode gladio cæsus occubuit. Johannes qui interpretatur Zebedhei filius, Apostolus & Evangelista, Asiam prædicavit & Ephesum. Thomas Indiam prædicavit, Matthæus Macedoniam, Philippus Galatiam, Bartholomæus Lichoniam, Simeon Zelotes Ægyptum, Matthias Judæam, Jacobi frater Domini Jerosolymam, Judas Jacobi Mesopotamiam. Paulo autem cum cæteris Apostolis nulla sors propria traditur, sed est prædicator gentium. O Pater sancte, ego dico qui hoc contradicit quod verum non esset, contradictor est Domini & legis. O Domine mi, cognoscite de sententia canonica auctoritate, ubi dicitur de Metropolitanis singularum provinciarum. *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrunt.* Precor vos, Pater, per Deum Patrem omnipotentem ut vestrum consilium & vestras gramatas mihi tramittere faciatis per istum sacerdotem nominativum nomine Galindo. Et quandocunque ego citius potuero, cum reverentia magna honore pergere facio ad limitem sancti Petri Apostoli. Et ego cupio vestros pedes osculare & vultum vestrum hilarem videre. Rogamus ut talem nobis donetis ex vestris consiliis quomodo ego possim explicari super illos. Tantum agite ut rogamus, & nostris precibus vestras dignate accommodare aures, Domine & venerabilis Papa. Amen. Fiat.

Conc. Antioch. c. 9.

Notæ Stephani Baluzii.

Quamvis certum sit Cæsarium Abbatem sanctæ Cæciliæ in Monteferrato se tulisse pro Archiepiscopo Tarraconensi, difficile tamen videtur certo constituere quo demum tempore hunc titulum usurpavit. Error enim manifestus est in numero ceræ quæ annotata est in epistola ejus ad Papam. Quippe constat ex bulla Benedicti Papæ VI. ad eum data indictione XV. id est anno Christi DCCCCLXXII. illum fuisse tum Abbatem tantum. Puto tamen, illum factum esse Archiepiscopum ea tempestate. Certis enim testimoniis probari potest, Episcopos provinciæ qui ordinationi ejus contradixere, nimirum Ayrmericum Narbonensem Metropolitanum provinciæ Tarraconensis, Petrum Episcopum Barcinonensem, Arnulphum Gerundensem, Attonem Ausonensem, & VVisadum Urgellensem, probari inqnam potest certissimis testimoniis, Episcopos illos ea tempestate tenuisse cathedras illic enunciatas. Poterant illi jure meritoque Cæsarii ordinationem repudiare. Primo, quia tum provincia Tarraconensis habebat suum Metropolitanum, Narbonensem nimirum Archiepiscopum. Secundo, quia Cæsarius fuerat ordinatus ab Episcopis alterius provinciæ & alterius regni, qui nullam potestatem habebant ordinandi Metropolitanum in aliena provincia. Itaque juste rejectus est. Nomina Episcoporum, qui eum ordinaverunt, expressa sunt in epistola Cæsarii. Verum adeo manci & imperfecti sunt catalogi veterum Episcoporum Hilpaniæ, ut admodum difficile sit quicquam veri proferre de episcopis qui hujus pravæ ordinationis auctores fuere. Reperi tamen Rudesindum, qui prius fuerat Episcopus Dumiensis, fuisse per ea tempora Episcopum Compostellanum, Teodemundum Salmanticensem, & Odearium Asturicensem. De cæteris nihil invenire potui.

Cum ergo Cæsarius pateretur contradictionem ab Episcopis provinciæ Tarraconensis, eaque res illum male haberet, imploravit auxilium & auctoritatem Papæ Joannis, qui tum erat Joannes XIV. istius nominis in sedem apostolicam evectus anno DCCCCLXXXIV. longo intervallo post annum DCCCCLXXII. quo puto, Cæsarium ambitione incensum ad perpetrandum hoc facinus prorupisse. Conatus tamen ejus frustra fuit, nequicquam eum juvante auctoritate apostolatus sancti Jacobi, ut dixi in libro quarto Marcæ Hispanicæ pag. 404.

Cæterum valde notandum est quod Cæsarius ait in hac epistola, Episcopos qui ei contradicebant dixisse Jacobum Apostolum interfectum Compostellam venisse, nullo modo autem vivum. Cui illorum sententiæ consonant literæ Adefonsi Regis Hispaniæ datæ anno DCCCCVI. in quibus scriptum est hujus Apostoli corpus, ut multæ veridicæ continent historiæ; manu Domini gubernante per ratem portatum Compostellam fuisse atque sepultum. Istæ literæ editæ sunt ab Andrea Ducheſnio in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem. Ego vero eas vidi in chartulario Ecclesiæ S. Martini Turonensis. Pro eo autem quod in editione scriptum est, *per mansionem & datum*, legendum est *per Mansionem & Datum*.

Emendabo quoque, data occasione, nonnulla ex Concilio Toletano quarto. Editiones præferunt illi interfuisse LXII. Episcopos. At in vetustissima canonum collectione Hispanica, cujus duo vetustissima exemplaria vidi, unum ex bibliotheca Ecclesiæ Lugdunensis, aliud in Colbertina, diserte scriptum est LXVI. Episcopos interfuisse huic Concilio. Rursum in editionibus scriptum est, illud fuisse habitum die nono Decembris. At libri veteres & epistola Cæsarii habent *die Nonas*. In præfatione legitur *sanctæ confessoris Leucadiæ*, in veteribus libris, *sanctæ martyris Leocadiæ*, quod est multo melius.

AD

ANNO CHRISTI

ANNO CHRISTI 965.

AD JOANNIS XIII. PAPÆ EPISTOLAS

APPENDIX.

AD GALLIARUM EPISCOPOS.

Ecclesiam Ausonensem in archiepiscopalem erigit.

Johannes episcopus, servus servorum Dei, omnibus in Christo dilectissimis confratribus nostris in Galliarum partibus commanentibus, carissimis, reverendissimis archiepiscopis atque episcopis apostolicam benedictionem, & perpetuam in Christo salutem.

Dilectionem & fraternitatem vestram scire volumus, qualiter Borellus honorabilis & laudabilis comes orationis, & redemptionis suæ causa apostolorum Petri & Pauli limina veniens, prostratus pedibus nostris, lacrymabiliter questus est, quemadmodum Tarraconensem archiepiscopatum, qui olim caput in illis partibus fuerat, Ausonensi ecclesiæ subderemus, eo quod peccatis merentibus, ipsa jam dicta civitas Tarraconensis a Saracenis capta & pastore destituta, nullum recuperandi locum, aut inhabitandi usque hactenus reperire valeat. Propter quam causam prædecessorum meorum secutus auctoritatem, amodo, & usque in perpetuum volumus, atque statuentes roboramus, & confirmamus, ut Ausonensis ecclesia potestatem, & primatum teneat Tarraconensis ecclesiæ, ... ad Ausonensem ecclesiam confugiant, & quando aliquis ex illis ab hac luce migraverit, successor illius ab Ausonensi archiepiscopo, qui a nostra apostolica sede confirmatus est, succedat & consecretur. Unde quia sine sanctorum Patrum auctoritate hoc nostrum privilegium confirmare nolumus, ante omnia & super omnia beatissimi & egregii papæ Gregorii instrumenta, & documenta declarare depromimus, ubi ait ad Benenatum episcopum Musitanæ ecclesiæ: & temporis qualitas & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam, atque Musitanam unire debeamus ecclesias; quoniam hæ non longo a se itineris spario fejunctæ sunt, nec, peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum hujus explevit, utramque nos ecclesiam præsentis auctoritatis pagina inesse tibique commisisse cognosce, propriumque utrarumque ecclesiarum scito te esse pontificem. Et ideo te quæcumque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione, sive promotione juxta canonum statuta visa fuerint ordinare, atque disponere habebis, ut proprius revera sacerdos liberam, & nostræ auctoritatis consensu, atque permissione licentiam. Similiter episcopo VVillitrano, atque Fundano, & Squalitano ita in cunctis: temporis qualitas admonet episcoporum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus, ejus diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possit periculum facilius declinari. Et quia longum esset enarrare qualia & quanta documenta a sanctis doctoribus exinde dicta sunt, prout melius scimus & possumus, nostrum privilegium abbreviare curavimus, & Othonem virum venerabilem nuper episcopum ex modo, & in antea, Deo favente, archipræsulem ejusdem Ausonensis ecclesiæ præesse (*a*) decrevimus; ita sane ut nullus nostrorum successorum pontificum dictum Othonem archipræsulem confratrem nostrum, in omnibus quæ superius exarata sunt vel scripta audeat inquietare, vel in aliquo diminuere, sed magis quiete, & secure conservet ipsum successoresque suos. Nam si aliter quod absit, qualiscumque homo sit dignitatis, qui hoc nostrum privilegium qualibet causa, de omnibus quæ superius scripta sunt, infringere aut diminuere voluerit, sciat se auctoritate Dei, apostolorumque Petri, & Pauli principum, quamvis nos indigni eorum vicariatione fungamur, a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi esse alienum, & cum iniquis & transgressoribus a gremio sanctæ ecclesiæ segregatum. At vero qui pro intuitu custos, & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam, & misericordiam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Gregorii notarii, & secretarii, & scriniarii, S. R. E. in mense januario, indictione XIV. Bene valete.

CONVENTUS EPISCOPORUM APUD COLONIAM

Anno 965. in quo præsente Ottone Imperatore, Ottone rege ejus filio, ac Lothario Francorum rege, fundatio collegiatæ S. Martini Leodiensis Ecclesiæ confirmatur.

In nomine Domini Jesu Christi salvatoris, & individuæ Trinitatis, Everaccus, servorum Christi servus, universis Ecclesiæ Catholicæ, & apostolicæ filiis.

Quam sit arduum, & antiquum proclive sed ipsum regere, virtutibus indulgere, vitiis temperare, cum prudens quisque sui, suorumque curam gerens considerat, nescio an quicquam sublimius hanc vitam degens agere queat, si tamen ab animi sui deliberatione exeat homo ad opus suum, & operationem suam extendat usque ad vesperam. Inde mihi * aliud solicite meditanti

* *illud*

post-

(*a*) Hoc decretum effectu caruisse asserit Petrus de Marca in Marcæ Hispanicæ lib. 4. pag. 403. eo quod inaudito archiepiscopo Narbonensi conditum fuisset. *Martene.*

☞ postquam voluntate Domini mei dictum est: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia quanta tibi fecerit Dominus.* Inde, inquam, anguſtiæ mihi factæ ſunt undique, & quid deligerem, ignoravi. Subdita eſt mihi cogitatio frequenti impulſu ſummi, & incomparabilis viri domni Brunonis Archiepiſcopi, ut ſi quos poſſem ad apoſtolicam colligerem diſciplinam, ubi multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Hoc eſt enim, niſi fallor, quod bonum, & jucundum monſtrat pſalmiſta habitare fratres in unum, Monacho quidem omni, ſed ſoli aptum; & ut antiquus noſtræ ſedis locus ipſe quoque in perpetuum honorabilis habeatur, nec ob noſtri rudimenta laboris detrimentum aliquod patiatur, delegi locum ſatis amœnum in edita montis ſpecula, cui publicum nomen eſt, quo & ſedem noſtram, & eam quæ Domus Epiſcopi dicetur, auctoritate domni Brunonis archiepiſcopi, cui omnia debeo, juſſu etiam magni imperatoris, & Cæſaris auguſti Ottonis, cleri quoque noſtri, & plebis quiſque vir melior eſſet aſſenſu transferrem, ubi in Eccleſia, cujus ego fundamenta jeci in honore beatiſſimæ Dei genitricis & virginis Mariæ, ſanctique Lamberti pontificis, & martyris, (*a*) de prædiis quæ vel precariis, vel ingenio quolibet contraxi, quæve de antiquioribus eccleſiæ rebus rationabiliter his addere potui, ſecundum ſtatuta canonum, & decreta, vel conſilio confratrum meorum, quorum id intererat, cum præceptis regiis oves Dominicas, quæ ſummi paſtoris vocem audiant, pro captu meo facere deſtinavi, quorum vitam conſtituimus ut (*b*) unum cibum capiant, propter dormiant, prælatis obediant, nihil citra præfixam ſibi legem faciant, ad ſummam domitores exiſtant ſuæ voluntatis, ut pax illis ſit in terra hominibus bonæ voluntatis. Quod ut notum eſſe poſſit, non his tantum qui modo ſunt, ſed etiam poſteris noſtris hoc monimentum confirmationis conſcribi fecimus, quod & imperatoria dignitate, & Principum aſſenſu, bonorumque omnium notitia, & pro favore roborari volumus: in quo & prædia, quæ in præmemorato loco ad ſervientibus Deo victum, & veſtitum miniſtrare ſufficiant, & teſtes, quibus hæc probentur, aſcribi ſanximus. Eccleſiam in Bertheim, Butſeheim, Oreſeheim VVitteresluckа, Eccleſiam in Villa Beinchovum, Flaredesheim cum eccleſia, villam Benoite cum eccleſia VVoltenſi, villam Camus cum eccleſia: in villa Helſi tres manſos, in villa Althuolfe I. in villa Hakeſi II. in villa Frora V. Utheri, Geroldigum, VVoromia cum eccleſia, Valez cum Eccleſia, Ruvanſeis, Sluzin. In villa Liedes manſum I. Scozes Malgreis eccleſiam in Olfejo, Summa Fumenſuſmont, marchinus, Slies, Asleza cum Eccleſia.

ANNO CHRISTI 965.

ANNO CHRISTI 965.

Signum Ottonis invictiſſimi Cæſaris.
Signum Ottonis invictiſſimi regis.
Signum Lotharii regis.
Signum Brunonis Colonienſis archiepiſcopi.
Signum Thiederici Trevirenſis archiepiſcopi.
Vodalrici Remenſis archiepiſcopi.
Everacri Leodienſis.
Baldrici Trajectenſis.
Hideboldi Mimigadefurenſis.
Lantevvardi Mindenſis.
Drogonis Oſneburgenſis.
Thiederici Metenſis.
VVicfridi Virdunenſis.
Gerardi Tullenſis.
Ingranni Cameracenſis.
Ingranni Abbatis.
Alberti Abbatis.

CHARTA REGIS EDGARI NOVO WINTONIÆ MONASTERIO,

ANNO CHRISTI 966.

ANNO CHRISTI 996.

Quod Hydam vocant, confecta, coram epiſcopis, & proceribus,

Ex Tom. 1. Concil. Britan.

In qua angelorum refert creationem atque lapſum, hominem fieri ad capeſſendum cum prole ſua vacuum jam ipſorum ordinem. Invidet, inquit, hoc diabolus, fraudeque circumventum ſui cum prole reddit ſimilem: hos miſertus Chriſtus redemit, & hos inter, ipſum regem Edgarum, qui tanta raptus benignitate, totum ſe effundit in gratitudinem & bona opera. Chriſto igitur & familiæ ſuæ plurima condit monaſteria, unumque hoc VVintoniæ: cujus cœnobitis vitæ regulas & honeſtatis imponit, tam eccleſiaſticas, quam ſæculares.

Ex chronico monaſterii Wintonienſis quod Hyda dicebatur.

INcipit charta privilegii Edgari benigniſſimi principis conceſſa novo monaſterio VVintoniæ quod modo Hyda appellatur: cujus rubrica ſic cancellatur:

EDGAR REX HOC PRIVILEGIUM NOVO edidit monaſterio, ac omnipotenti Domino ejuſque genitrici Mariæ ejus laudis magnalia conceſſit.

CAPITULUM I.

Omnipotens totius machinæ conditor, ineffabili pietate univerſa mirifice moderatur quæ condidit, qui coæterno videlicet Verbo, quædam ex nihilo edidit, quædam ex informi ſubtilis artifex propagavit materia. Angelica quippe creatura, ut informis materia, nullis rebus exiſtentibus, divinitus formata luculento reſplenduit vultu. Male, proh dolor! libero utens arbitrio, contumaci ardigenans, ſemetipſum creatori æquiparans, æterni barathri incendiis cum ſuis complicibus demerſus, jugi merito cruciatur miſeria. Hoc itaque themate totius ſceleris peccatum exorſum eſt.

II.

Quare hominem condidit, & quid ei commiſit.

Evacuata * animaque polorum ſede, & eliminata tumidi faſtus ſpurcitia, ſummus totius bonitatis arbiter lucidas cælorum ſedes non ſine cultore paſſus torpere, formatis ex informi materia diverſarum rerum ſpeciebus, hominem tandem ex limo conditum, vitæ ſpiraculo ad ſui formavit ſimilitudinem, cui univerſa totius coſmi ſuperficie condita ſubiiciens, ſeipſum ſuoſque poſteros ſibi ſubiecit, quatenus ejus executura poſteritas angelorum ſuppleret numerum, cælorum ſedibus ſuperbia turgente detruſum.

* *Forte* namque. *H.*

III.

(*a*) Adde & beati Confeſſoris Martyris, quæ verba ſcriptoris oſcitantia videntur omiſſa. *Martene.*
(*b*) *f.* una.

III.

Qualiter in paradiſo ſine crimine converſatus ſit.

ANNO CHRISTI 966.

Qui paradiſiacæ voluptatis amœnitate locatus, nullius rei patiebatur diſpendium, ſed ei totius mundi ad votum ſuppeditabat facultas. Totius namque bonitatis ubertate fruenti nulla ei res inſtita reſiſtebat. Amore altithrono devote obſequenti creatura cuncta famulabatur ſubjecta, Fruebatur lætabundus creatoris tripudio, & angelorum alacriter utebatur conſortio. Non eum corporalis debilitabat imbecillitas, nec animi affligebat anxietas. Non typho levis raptabatur ſuperbiæ, ſed ſuo ſe conjungens auctori, humilis pollebat mirifice. Non eum inanis tumidum vexabat gloria, ſed devotum creatoris magnificabat memoria. Non invidia eum alieno torquebat profectu, ſed caritas jugiter lætabatur amplexu. Non ira cruciabatur infeſtus, ſed caritatis tranquillitate leviabatur patientiſſimus. Non eum triſtitia mœrore dejiciebat, ſed gaudii ſpiritalis ſpe pollente florebat. Non avaritia nimium incitabatur cupidus, ſed dapſilitatis ſtudio exercebatur largiſſimus. Non illicito maſſicus delectabatur edulio, ſed parcitate contentus licito utebatur cibario. Non luxuria eum ſtimulabat nefaria, ſed continentia competens conſtringebat ad præmia: omnium polycrates virtutum, cunctis carens adverſis, omnibus florens proſperis, rite pollebat ingenuus.

IV.

Quomodo cælum ſine morte conſcendere confidebat, & diabolus invidus ne aſcenderet impediebat.

Qui prole ad numerum patrata, ſuperbientium angelorum univerſa comitante proſapia, * fine loto guſtato ligni vetiti fructu, æthereos æternæ beatitudinis ſuggeſtus trinitatim cum Domino regnans conſcendere macrobius confidebat. Invidus igitur hoc animadvertens zabulus, nimia perculſus invidia, rimari callide verſutus cœperat, qui inſidiis, ne ad tantam numinis conſcenderet gloriam, ſubdolus deciperet: pro nihilo forte ducens conceſſa, illicita nimium adlubeſcendo laudans, mulierem admodum fragilem pellexit. Quæ ſui detrimenti minime contenta, virum muliebriter victum blandis ſuaſionibus delinitum, exili heu malo guſtato ſibi ſimilem faciens, perdidit.

* *Forte*, fine loto. *H.*

V.

*Quomodo in hac miſeria omnibus privati virtutibus dejiciuntur, tandemque cataclyſmate * de....*

Utrique tandem præfatis privati odonariis, paradiſi eliminati metis, in præſentis vitæ ærumna miſerrimi dejiciuntur: contemnentes conditorem, a cunctis inſequuntur creatis. Vita deſiit, mors inolevit. Virtutum caterva recedente, vitiorum cumulus ſucceſſit. Succedente nepotum proſapia, ſucceſſit cumulata criminum collegio *: univerſi cum ſuis ſceleribus cataclyſmate dempti, tandem, octo utriuſque ſexus reſervatis, tabeſcendo deficiunt. Vitiis copioſe ſurgentibus, conditor ſe hominem feciſſe indoluit. Poſtremo miſericors mortalibus, ut pollicitus eſt, ſuccurrit.

* *Forte*, collectio. *H.*

VI.

Quomodo Chriſtus natus ſua nos paſſione redemit, & cælos conſcendere fecit.

Stella emicuit matutina, quæ ſuo radio, mundi tenebras fugaret. Fauſta reſplenduit Maria, cujus utero virginali Chriſtus ineffabiliter editus, peccatorum tenebras mediator clementiſſimus dempſit. Viguit Chriſtus virtutibus plenus. Incanduit Judæa ingenti rancore repleta. Carnem ſuſcipiens pro nobis pati voluit: quod ejus permiſſu infelix audacter complevit Judæa. Ligno quippe perditum, ligni ſcandens gabulum, genus redemit humanum. Univerſas namque hominum dæmon nationes ludificando inſultans, jure ut mandati tranſgreſſorem poſſidens, morte mulctabat perpetua. Sanguis vero a mortuis ultorem trophæo crucis diviſit. Prædam de perfidi leonis ore tulit, ſecumque ſuper æthera vehens ſuperius angelorum cœtibus conſociavit: ut cum eo communi contubernio fruentes, bonitate perſpicui, virtutum omnium ubertate referti, expertes peccati, omni contagione privati, ſine fine poſt diem judicii reſtauratis corporibus exultantes regnarent. Hanc præcipuam ſine dubio gloriam credentibus, qui Trinitatis veræque unitatis fidem bonis inſudantes operibus ſectantur, pollicitus, non credentibus ſupplicium minatus æternum perpetuis barathri incendiis, juſtiſſime ſpopondit.

ANNO CHRISTI 966.

VII.

De benevolo regis meditamine.

Hinc ego Edgarus, divina favente gratia totius Albionis baſileus, rimari magnopere cœperam quid operum ſtudio exercerem, ut ad tantam gloriam perveniens, Chriſti ſanctorumque ejus cælo collocatorum contubernio coronatus fruerer, tantamque inferni miſeriam devitarem. Inſtigante etenim Domini clementia, occurrit animo ut ipſe criminibus ceſſarem cunctis, atque bonis operibus inſiſtens, forma factus gregi, quouſque noſtri regiminis gubernamine degentes lucrifacerem. Quoſdam igitur ſuaſionibus invitans ad præmia, quoſdam terroribus compellens ad gloriam, bona ædificans, mala, ut domino faciente potui, diſſipavi. Scriptum quippe per Jeremiam memini prophetam: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Talibus igitur exhortatus doctoribus, quibus nos Dominus per prophetam clementer admonuit, agens Chriſto favente in terris quod ipſe juſte egit in cælis, extricans videlicet Domini cultura criminum ſpurcitias, virtutum ſemina ſedulus agricola inſerui. *Jerem. 1.*

VIII.

Qua ratione clericos eliminans, monachos collocavit.

Timens ne æternam incurrerem miſeriam, ſi adepta poteſtate non facerem quod ipſe, qui operatur omnia quæ in cælo vult & in terra, ſuis exemplis juſtus examinator innotuit, vitioſorum cuneos canonicorum e diverſis noſtri regiminis cœnobiis Chriſti vicarius eliminavi: quod nullis mihi interceſſionibus prodeſſe poterant, ſed potius, ut beatus ait Gregorius, juſti vindictam judicis provocarent, qui vicariis vitiorum nævis contaminati, non agentes quæ Deus jubendo volebat, omnia quæ nolebat rebelles faciebant: avidus inquiſitor advertens gratos Domino monachorum cuneos, qui pro nobis incunctanter intercederent, noſtri juris monaſteriis devotus hilariter collocavi.

IX.

Quod ſancti Spiritus gratia compunctus abbatem & monachos in novo conſtituit monaſterio.

Hac itaque ratione, ſancti Spiritus attactus flamine, locum Domini mundans VVintonienſis eccleſiæ, novi monaſterii * arciſterium * noſtro ſalvatori ejuſque genitrici ſemper virgini Mariæ, & omnibus apoſtolicis, cum cæteris ſanctis, dicatum reſtauravi. Sciens ſcriptum: Conſentientes & facientes pari conſtringuntur pœna rebellionis, omnipotentis voluntati obviantes. Poſſeſſionem Domini uſurpare non ſuſtinens, clericos laſcivientes repuli, ac veros Dei cultores monachico gradu fungentes, qui pro noſtris noſtrorumque inibi quieſcentium exceſſibus ſedulo intercederent ſervitio, quo eorum interceſſionibus noſtri regiminis

* *Forte*, aſceterium. *H.* * *hoc eſt*, monaſterium.

ANNO CHRISTI 966.

nis ſtatus vigeret munitus, abbatem Chriſto cooperante eligens, altithrono ſubjectus illic devote ordinavi. Hoc ſubnixe efflagitans depoſco, ut quod in ſuis egi, hoc agat in mihi ab ipſo collatis: ſcilicet adverſarios noſtros dejiciens, amicos ſublimando provehat; ut inimicos ſanctæ Dei eccleſiæ deprimens, amicos ejus monachos videlicet beatificans juſtificavi.

X.

De illorum anathemate qui monachis inſidiantur.

Si autem qualibet occaſione, diabolo inſtigante, contigerit, ut faſtu ſuperbientis arrogantiæ, dejecti canonici, monachorum gregem, quem ego venerans cum paſtore in Dei conſtitui poſſeſſione, dejicere inſidiando voluerint: agatur de eis, & de omnibus qui quolibet munere cæcati juvamen eis impenderint, quod actum eſt de angelis ſuperbientibus, & de protoplaſto diabolo fraude ſeducto; ut paradiſi videlicet * limitibus ſublimibuſque regni cælorum ſedilibus ejecti, cum iis qui Domini famulatum aſpernantes contempſerunt, barathri incendiis detruſi, jugi crucientur miſeria. Nec inde evulſi ſe glorientur evaſiſſe tormenta, ſed cum Juda Chriſti proditore, ejuſque complicibus, Acheronte conglutinati, frigore ſtridentes, fervore peruſti, lætitia privati, mœrore anxii, catenis igneis compediti, lictorum metu perculſi, ſcelerum memoria confuſi, totius bonitatis recordatione ſemoti, æterno lugubres puniantur cruciatu.

* *Forte*, liminibus. *H.*

XI.

Item de anathemate inſidiantium.

Qui autem jam prædictos novi VVintonienſis eccleſiæ cœnobii monachos, vel quoslibet ejuſdem ordinis noſtro regimine degentes, monaſteriis, quæ vitiorum ſpurcitiis expurgans, Jeſu Chriſto Domino noſtro, victo dæmone, acquiſivi, eliminare præſumens voluerit, anathema ſit: & eadem maledictione qua Cain parricida, qui fratrem ſuum Abel, ſtimulante invidia lividus interemit mactigia, adductus eſt, ſine termino teneatur obnoxius: atque in Dei perſecutione continuo perſeverans, in hac vita nullum dignitatis acquirat honorem, nec in futuro ſine miſeria nunquam perſiſtat, ſed cum Anania & Sapphira una Styx * porragine ejulantem crucians complectatur.

* *forte* voragine

XII.

De benedictione monachos venerantium.

Quicumque prætitulatos monachos bonis quibuslibet locupletans ditare voluerit, creator cunctitenens clementer eos eorumque progeniem totius ubertate proſperitatis hic & in futuro ſæculo ditando locupletet. Scriptis decenter eorum in libro vitæ nominibus, cum Chriſto portionem in cælorum habitaculis habeant, qui monachos ſuos, quos noſtris congregatos temporibus poſſidet, vel verbis, vel factis, ſanctitatis ſtudio honoraverint.

XIII.

Quales & qualiter monachi in hoc monaſterio conſerventur.

Regulares igitur monachi, non ſæculares, in præfato, Chriſto comite, degentes monaſterio, regulæ moribus obtemperent: patres venerantes ſpirituales, ſanctorum patrum imitentur exempla: nil agentes, niſi quod communis monaſterii regula, vel majorum demonſtravit norma. A ſæcularibus igitur pompis remoti, toto niſu corporis cuſtodiant & animæ caſtitatem. Humilitatis ſtudio pollentes, & corpus parcimoniæ vigore minuentes, alacri conſtringant animo. Civium convivæ intra urbem perpetuo interdictu fieri erubeſcant. In civitate degentes, in refectorio pompaticas laſcivaſque ſæcularium delicias ut melancholiam aporiantes, licitis caritatum utantur cibariis; extra refectorium autem minime, niſi in domo infirmorum ægroti decubuerint, edentes licite quæ juſſi fuerint. Sacri ſummique ordinis hoſpites, ſi ratio exegerit, & peregrini ordinati, longo terrarum ſpatio venientes, ad abbatis menſam in refectorio cautiſſime invitentur: laicis in hoſpitio condecens exhibeatur humanitas. Monachorum quiſpiam manducandi vel bibendi cum eis ſecundum patrum decreta licentiam non habeat: in refectorio autem edendi cauſa vel bibendi non introducantur. Pauperes, ut Chriſti, ingenti cordis ſuſcipiantur tripudio.

XIV.

De abbatum electione.

Divinarum ſtudio ſcripturarum luculentiſſime eruditi, orationum frequentia aſſidue occupati, caritatis amplexu lætiſſimi, fidei exercitio promptiſſimi, ſpe provehente ſinceriſſimi, pace concorditer fixi, omniumque virtutum flore decorati, ad finem uſque, cœptum tantæ bonitatis initium, Chriſto juvante, perducentes, eadem glorioſi fruantur libertate, quam beatus patronus Benedictus omnibus regulæ præcepto ſubjectis inſtituit, ſcilicet ut poſt abbatis obitum tunc temporis regentis, abbatem..... ordinent congregatione, quem ſibi omnis concors congregatio, ſive pars quamvis minima congregationis, ſalubriori elegerit conſilio.

XV.

Qualiter rex abbatem & monachos venerans muniat.

Reges itaque, quicumque noſtri fuerint ſucceſſores, nullam extraneam perſonam jus tyrannidis ſuper monachos exercentem imponant: ne forte Deus eos damnans, & regno deponat & vita. Electum vero a fratribus Chriſti vicarium dignanter ſuſcipiant, eumque caritatis igne ſuccenſi locupletando venerentur: juvamen, in quantum indiguerit, Chriſti amore compuncti, alacriter impendant. Mutuo namque confortati juvamine, in nullo a regulæ præceptis diſcordantes, Domini gregem, non mercenarii, ſed paſtores fidiſſimi, luporum rictibus eximentes, intrepidi defendant.

XVI.

Qualiter abbas & monachi regem a dæmonum tentatione eripiant.

Abbas autem armis ſuccinctus ſpiritalibus, monachorum cuneo hinc inde vallatus, chariſmatum cæleſtium rore perfuſus, aereas dæmonum expugnans verſutias, regem, omnemque ſui regiminis clerum, Chriſto, cujus virtute dimicant, juvante, a rabida hoſtium perſecutione inviſibilium ſolerter ſpiritus gladia defendens, fidei ſcuto ſubtili protegens tutamine, robuſto prælians triumpho, miles eripiat imperterritus.

XVII.

Qualiter rex abbatem & monachos ab hominum perſecutione defendat.

Rex itidem terrenus, cæleſtis caſtra regis fortiſſimo roborans munimine, armis ſæcularibus viſibiles expugnans adverſarios, hoſtiumque rabiem ſævientium annihilando dejiciens, conditoris ſui paſcua gregemque ſolicita inexpugnabilis tueatur cuſtodia, quatenus ad vitæ bravium perveniens, æternis tripudians fruatur bonis, quæ nec oculus videre aliquatenus potuit humanus, nec in hominis cor ullatenus aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

XVIII.

De monaſticæ poſſeſſionis libertate.

Sint præfati monaſterii rura, omnis monachorum poſſeſſio, in rebus magnis vel modicis, internis

ANNO CHRISTI 66.

ternis vel externis, in urbanis vel suburbanis, prædiis, campis, pratis, pascuis, silvis, molendinis, rivulorum cursibus, æterna libertate in Christi nomine ejusque genitricis ditata.

XIX.

Quod nullus sæcularium monasterii possessionem illicite usurpet.

Sæcularium quispiam ausu temerario jus tyrannidis non in Christi cultura præsumptuosus exerceat. non minuet, instigante diabolo, quod sancti Spiritus instinctu tam a me quam a prædecessoribus meis, necnon a catholicis utriusque sexus hominibus, largiflua concessum est dapsilitate.

XX.

De benedictione augentium.

Augenti tribuat rerum cunctarum opifex tranquillum vitæ præsentis excursum, longævum instantis temporis, futurum æternæ beatitudinis talionem, sufficientem victualium ubertatem, interminabile prosperitatis augmentum, copiosum virtutum omnium juvamen.

XXI.

De maledictione minuentium.

Minuentem perpetua possideat miseria: in Domini manens persecutione, ejus genitricis sanctorumque omnium incurrat offensam: præsentis vitæ adversitas illi semper eveniat: nulla eis bonitatis accidat prosperitas: omnia ejus peculia inimici astantes diripiant: in futuro autem, æterni misetrimum cum hœdis in sinistra positum damnent cruciatus, si non satisfactione emendaverit congrua quod in Domini usurpans detraxit censura.

habe- hus ti- put in ripto.

XXII.

Quibus modis sæcularibus obtemperent, & quod nullus reatus hoc Domini privilegium minuere valeat.

Tribus tantummodo causis, sæcularibus obtemperent præceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arcisve constructione: alias æterna ditati glorientur libertate. Reatus quidpiam si incitante dæmone seductus vel abbas vel fratrum aliquis fragiliter, quod absit, contraxerit, justitia purgante secundum regulæ præceptum abolitus damnetur, maneatque præfatæ munificentiæ libertas altithrono per nostram humilitatem oblata, ad monachorum usus gratuite sibi famulantium inviolabilis, æterna libertate jocunda: quia Deus, qui hanc privilegii largifluam donationem, locumque cum universa monachorum familia, juraque omnia sacro subjecta cœnobio possidet, nunquam reatum commisit, nec ullo unquam tempore committet. Sit igitur præfata libertas æterna, quia Deus libertatis possessor æternus est.

XXIII.

Quoties & quare in anni circulo hoc fratribus legatur privilegium.

capitu- ujus bis ur.

Anno incarnationis dominicæ nongentesimo sexagesimo sexto scripta est hujus privilegii syngrapha, his testibus consentientibus, quorum inferius nomina ordinatim charaxantur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgar, divina largiente gratia, Anglorum basileus, hoc privilegii donum nostro largiens redemptori, locoque ejus sanctissimo, primus omnium regum, monachorum inibi collegium constituens, manu propria signum hagiæ crucis imprimens confirmavi.

Ego Dunstan Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, largifluam benevoli regis donationem venerans, crucis signaculo corroboravi.

Ego Eadmund clytos legitimus præfati filius, crucis signaculum, infantuli florens ætate, propria indidi manu. ANNO CHRISTI 966.

Ego Edvvard eodem rege clyto procreatus, præfatam patris munificentiam crucis signo consolidavi.

Ego Ælfthryth legitima præfati regis conjux, mea legatione monachos eodem loco rege annuente constituens, crucem impressi.

Ego Eadgifa prædicti regis ava, hoc opus egregium crucis thaumate consolidavi.

Ego Oscytyl Eboracensis ecclesiæ archiepiscopus firmavi.

Ego Athelvvold ecclesiæ VVintonienſis episcopus, regis glorioſissimi benevolentiam, abbatem mea altum mediocritate, & alumnos quos educavi, illi commendans, crucis signaculo benedixi.

Ego Ælfstan Londonienſis ecclesiæ pontifex consolidavi.

Ego Osulf episcopus confirmavi.
Ego Osvvold episcopus consignavi.
Ego Byssentelm episcopus confirmavi.
Eælfstan episcopus consolidavi.
Ego Eadelm episcopus confirmavi.
Ego Athulf episcopus consignavi.
Ego Urynryge episcopus confirmavi.
Ærcvvig abbas consolidavi.
Ego Osgar abbas consignavi.
Ego Orobyrihe abbas.
Ego Ælfstan abbas.
Ego Adelgar abbas primus huic loco abbas ordinatus.
Ego Osdgar dux.
Ego Æthelstan dux.
Ego Athelvvine dux.
Ego Æthelvveard m.
Ego Elfvveard m.
Ego VVulrtan m.

Omnes qui nominatim huic privilegio regis jussu descripti videntur, posteritatis nostræ prosapiam subnixe deposcimus, ut manuum nostrarum vadimonium Christi cruce firmatum nequaquam violantes irritum faciant: si successorum quispiam humilitatis ausu violare præsumpserit, corporis & sanguinis Jesu Christi participatione privatus, perpetua damnatus perditione, anathema sit, nisi divino propitiante respectu ad humilem satisfactionem resipiscens conversus fuerit.

ALIA CHARTA EDGARI REGIS,

QUA NULLOS UNQUAM FUISSE PERHIBET in VVintonienſi hoc cœnobio monachos, ante hos quos ipse jam introduxit e monasterio Abingtonienſi.

ANnuente altithroni moderatoris imperio totius Albionis triniatim potitus regimine, non immemor ob hoc recidiva fore concessa, ut his strenue æterna lucrarer: quapropter ego Edgar totius Britanniæ basileus, quasdam villas, ut nominantur, Dunkitone habens, quinque hydas terræ, & ecclesiam Sueyse, cum viginti octo hydis terræ, & ecclesiam Titlescumbe cum decem hydis terræ, & quamdam ruris portionem, duos videlicet cassatos terræ, loco qui celebri VVynterburna nuncupatur vocabulo, do & concedo in puram & perpetuam eleemosynam novæ VVintonienſi ecclesiæ, B. Petro apostolorum principi dicatæ, necnon S. Edotio, cujus reliquiæ inibi miraculis claresçunt, cum omnibus utensibilibus, pratis videlicet, pascuis, rivulis, æterna largita sint hæreditate perspicuis, ut canonicos qui in-

corrigibiles perdurarent de ecclesia dicta ejeci, monachos de Abundonie loco substitui. Sint autem prædictæ villæ, rus, mansiones, terræ, rivuli, omni terrenæ servitutis jugo liberæ in perpetuum, tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arcisve restauratione. Si quis autem hanc nostram donationem in aliud quam constituimus transferre voluerit, privatus consortio sanctæ Dei ecclesiæ, æternis barathri incendiis lugubris jugiter cum Juda Christi proditore ejusque complicibus puniatur, si non satisfactione emendaverit congrua quod contra nostrum deliquit decretum.

ANNO CHRISTI 966.

ANNO CHRISTI 966.

ANNO CHRISTI 967.

ANNO CHRISTI 967

CONCILIUM RAVENNATENSE

IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ

Celebratum anno Domini DCCCCLXVII. tempore Joannis papæ XIII.

* *Dicere debuit Binius Reginonis continuatorem.*

*De hac synodo fit mentio apud Reginonem * bis verbis*: Anno dominicæ incarn. DCCCCLXVII. Otto imperator natalem Domini celebravit: & excepto præfecto urbis, qui aufugerat, tredecim ex majoribus Romanorum, qui auctores expulsionis domini Joannis papæ fuerant, suspendio interire jussit. Inde progrediens per Spoletum, Ravennam adiit: ibique pascha celebrans cum domino Joanne papa, plurimos ex Italia & Romania episcopos coadunavit, & habita synodo, multa ad utilitatem sanctæ ecclesiæ adinvenit. Et apostolico Joanni urbem & terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis pontificibus ablata, reddidit: (*vel potius restitutionem jam ante factam confirmavit*) eumque inde Romam cum magna lætitia remisit.

DIPLOMA JOANNIS PAPÆ XIII.

In Ravennatensi concilio datum: quo Heroldum Salisburgensem archiepiscopum deponit, & excommunicat; Fridericum vero, ejus loco archiepiscopum creat.

Joannes sanctæ Romanæ & apostolicæ ecclesiæ præsul, Omnibus archiepiscopis & episcopis, nostris dilectis in Christo fratribus apud S. synodum Ravennæ nobiscum aggregatis, æternæ beatitudinis gaudia.

SAnctitati ac dilectioni notum vestræ esse volumus, quod Heroldus dudum Salisburgensis ecclesiæ archiepiscopus, contra canonicam & apostolicam auctoritatem nefaria præsumptione post suorum oculorum amissionem videatur sacrum celebrare mysterium; &, quod ridiculum est, pallium gestare solemniter. Hoc namque non ad modicam hæreseos vesaniam attinet, & nobis, omniumque fratrum orthodoxorum prudentiæ debet videri execrabile: præsertim cum ipse pro sua culpa & perfidiæ temeritate exoculatus sit, eo quod ecclesias Dei expoliaverit, thesaurum paganis erogaverit, seseque eis junxerit, in Christianorum necem & deprædationem, contra dominum & piissimum imperatorem suum seniorem rebellis & infidelis extiterit: & proinde a decessoribus nostris sanctæ memoriæ pontificibus omne sacerdotale officium sæpe ei sit interdictum: atque electione & postulatione omnium pene nobilium, Bavvariorum scilicet clericorum & laicorum, S. Romana mater ecclesia, suæ auctoritatis privilegio Fridericum virum venerabilem & cunctis laudabilem loco ejusdem Heroldi fieri esseque archiepiscopum omnino decreverit. Quapropter itaque nostrorum decessorum auctoritatem sequentes, vestræque omnium fraternitatis assensione roborati, ipsius Heroldi hæreticam & temerariam pravitatem amodo ac deinceps damnamus ac penitus confutamus ex vice B. Petri principis apostolorum, necnon omnes sequentes cæcitatem corporis & mentis ejus in tali præsumptione: eique communicantes excommunicamus primo & anathematizamus usque ad plenissimam emendationem. Insuper jam dicto Friderico per auctoritatem sedis apostolicæ dignissimo archiepiscopo honorem & dignitatem Salzburgensis archiepiscopatus confirmamus, & corroboramus, & universos humilitati ejus allubescentes, benedicimus, & catholicos approbamus. Unde rogantes hortamur sanctitatem vestræ fraternitatis, * & in hoc nobiscum pariter assentiatis, & huic nostræ apostolicæ sanctioni vestram confirmationem præbeatis.

* *Forte, Hard.*

Joannes sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ huic sanctioni editæ a me synodo apud Ravennam subscripsi.

Mendosissim. subscriptiones.

Signum domini Ottonis serenissimi imperatoris.

Rodoaldus patriarcha Aquilegensis ecclesiæ interfui & subscripsi.

Petrus S. Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus.

VValpertus S. Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus.

Lanvvardus S. Mindensis ecclesiæ episcopus.

Otkerus S. Spirensis ecclesiæ episcopus.

VVindo S. Silvæ candidæ ecclesiæ episcopus, & bibliothecarius apostolicæ sedis.

Martinus S. Sutriensis ecclesiæ episcopus.

Benedictus S. Portuensis ecclesiæ episcopus.

Everardus episcopus Aretinensis.

Sichelmus episcopus Florentinæ.

Petrus episcopus S. Volternensis ecclesiæ.

Joannes S. Ariminensis ecclesiæ episcopus.

Hubertus * S. Lunensis ecclesiæ episcopus.

* *Adalbert.*

Honestus episcopus S. Perusinæ ecclesiæ.

Petrus S. Camerinæ ecclesiæ.

Ingizo episcopus S. Asisinatæ ecclesiæ.

Leo episcopus S. Asinatæ ecclesiæ.

Joannes episcopus S. Calliensis ecclesiæ.

Erfemarius Anconitanæ ecclesiæ episcopus.

Attingus episcopus Auximanensis ecclesiæ.

Benedictus Humanatæ ecclesiæ episcopus.

Eberardus * Esinatæ ecclesiæ episcopus.

* *Æsinatæ*

Benedictus Fuliginæ ecclesiæ episcopus.

Julianus Lucerniæ ecclesiæ episcopus.

Gregorius Comaclensis ecclesiæ episcopus.

Ruodo S. Cesinatæ ecclesiæ episcopus.

Arnaldus Popilienſis episcopus.

Radaldus Rosilienſis episcopus.

Martinus Mantuanensis episcopus.

Stephanus Ficodensis episcopus.

Joannes Bellunensis episcopus.

Albericus Perusunensis episcopus.

Ro-

Rodulphus Vicentinus episcopus.
Gerhardus Faventinæ ecclesiæ episcopus.
Petrus Metaumaucensis episcopus.
Hubertus Parmensis episcopus.
Luizo Cremonensis.
Ermenaldus Regionensis episcopus.
Gorboldus Polonensis episcopus.
Gauslinus Patavensis episcopus.
Arnaldus Tridentinus episcopus.
Teutpertus * Feltrensis episcopus.
Zenobius Fesulanus episcopus.
Gothofredus Aquensis episcopus.
Roilo Astensis episcopus.
Luido Glosinensis episcopus.
Adalbertus * Bonensis episcopus.
VVido Mutinensis episcopus.
Joannes Imolensis episcopus.
Ratherius Veronensis episcopus.
Antonius Brisuensis episcopus.
Udalricus Bergomensis episcopus.
Joannes Jordanensis episcopus.
Aupaldus Novariensis episcopus.
Lupus Spoletinæ ecclesiæ.
Sigihardus Cetensis episcopus.
Rihelardus Fanensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Actum Ravennæ VII. Kal. Maii, per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ. In mense Aprili, & indictione decima: in præsentia omnium sanctorum episcoporum.

INSTITUTIO ARCHIEP. MARDEBURG. in Concilio Ravennatensi.

ANno incarnationis dominicæ plus minusve nongentesimo sexagesimo septimo, regnante Ottone imperatore Augusto, Christianæ religionis ac divinæ servitutis propagatore solertissimo, ejusdem imperatoris industria, habita est synodus Ravennæ in suburbio, in ecclesia beati confessoris episcopi Severi, residentibus domno Joanne summo universali pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, ac Galliæ præsulibus, & de statu ecclesiæ tractantibus, adstante etiam innumerabili clero & populo. Idem ergo sereniſſimus imperator Augustus Otto, qui eandem sanctam synodum ob communem imperii sui salutem congregaverunt, plurimas Sclavorum nationes ultra flumen Albiæ in confinio Saxoniæ multo se labore & maximis sæpe periculis ad Christum convertisse coram omnibus retulit. Et quia rudes & necdum stabiles erant, qua tuitione, quave custodia & quotidiana solicitudine in fide corroborari deberent, S. synodum consuluit: rogans, ut quod ipse summo studio Deo mancipaverat, pastoris negligentia ad vomitum redire non sineret. Hujus dignam relationem, & tantam fidei confessionem S. synodus benigna aure suscipiens, Deoque in his omnibus gratias agens, tot Sclavorum populos ad Deum noviter conversos nonnisi per episcopos in convenientibus locis, in unaquaque eorum provincia, secundum populi quantitatem, in rationabilem terræ divisionem constituendos, ad hoc animari atque erudiri posse censuit, & ratum æstimavit. Ad quod agendum, ut major firmitas, & tutior in episcopis ordinandis sit opportunitas, archiepiscopum, ad quem negotium suum, & controversiam, si qua orta fuerit, quasi ad caput referre, & discutere valeant, eis constitui atque præponi, communi deliberatione, censuit; & hoc ejus judicio & discretione, in quo maxima reparandæ, & confirmandæ religionis post Deum fiducia erat, fieri debere, omni-

ANNO CHRISTI 967.

Ano indicavit. Est præterea civitas in parochia Halberstadensis episcopii, Magdeburg dicta, in confinio Saxonum, & Sclavonum, in ripa prædicti fluminis Albiæ: in qua isdem sereniſſimus Cæsar populi multitudinem adunavit, ecclesias construxit, plurimorumque martyrum, beati scilicet Mauritii, & Innocentii, aliorumque innumerabilia corpora sanctorum illuc transferens, canonicosque inibi Deo famulantes constituens, ad eorumdem victum & ecclesiæ utilitatem, castra, villas, prædia, decimasque cum universis adjacentiis affluenter ex proprio concessit. Placuit igitur omnibus, apud prædictam civitatem Magdeburg archiepiscopalem fieri cathedram, eo quod hæc in confinio Sclavorum, ut prædiximus, loco videretur opportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris esset amplior. Ad hæc Imperator precibus & Dei voluntate commotus, sanctæ congregationis decreto paruit, & hoc privilegio apostolicæ sedis corroborari dignum duxit: quod & actum est, & a summo pontifice, omnibusque præsulibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Cæterum quia præsul Halberstadensis synodo huic non affuit, causæ clausulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipse in debito subjectionis absolveret, & tunc demum privilegium & subscriptio illibata fieret. Anno igitur integro, & dimidio jam evoluto, cum Hatto archipræsul Magontiensis cum præfato Hildevvardo, suo videlicet suffraganeo, eo devenisset, & Imperator illos pro prædicta causa blanda petitione convenisset: Hildevvardus episcopus, tam ex archiepiscopi consensu, quam omnium qui aderant consulto, prompta & hilari mente, piæ ejus petitioni annuit, ac facto impræsentiarum pari æstimatione concambio synodali decreto S. Mauritio Magdeburg, sanctoque Laurentio Merseburg, quæque petita tradidit, id est omnem parochiam sitam inter fluvios Albiam, Salam, Horam & Bodam, usque ad ea loca, ubi castra Unnesburch, Unantzleva, Hortesleva, cum omnibus pertinentiis, & villis, quæ Burchvvart appellantur, versus occidentem longius protenso fine terminantur, cum omni decimatione, banno, subjectione, obedientis in omni ecclesiastico ordine, prout Halberstadensis ecclesia visa est eatenus possedisse. Recepit autem ad vicem ab Imperatore, in partem & utilitatem suæ ecclesiæ, omnem decimationem in Holsgovve, ut terminatur in fluviis Sala VVillerbiche, & VVippera, cum omni possessione, quam de abbatia in honore B. VVicberti in territorio Herolvesfelt constructa, idem imperator æqua commutatione acquisierat, cujus etiam abbatiæ ipse fundator erat. Huic autem concambio confirmando jussione domni Joannis summi & universalis pontificis, & Cæsaris Augusti Ottonis, petitione quoque Hildevvardi Halberstadensis antistis, Ambrosius Palatinus cancellarius, & Petrus sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus, alii quoque quamplurimi episcopi Italiæ, & Germaniæ subscripsere, quorum etiam nomina in præsenti paginula studuimus annotare.

Mendosissima subscriptiones.

Ego Ambrosius Palatinus cancellarius subscripsi, complevi, & dedi.

Petrus archiepiscopus S. Ravennatis ecclesiæ interfui, & subscripsi.

Hatto Moguntinus archiepiscopus interfui, & subscripsi.

Ego Hildivvardus Halberstadensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ungfridus * sanctæ Virdunensis ecclesiæ episcopus & pastor libens subscripsi.

* *cor.* VVigfridus.

ANNO CHRISTI 967.

Ego Reginoldus Rubilocensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Evverardus sanctæ Leodicensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Adelbertus Lunensis episcopus interfui, & subscripsi.

* *vel* Teutpertus

Ego Rupertus * sanctæ Feltrensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Albertus sanctæ Tarvisiacensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Guaslinus sanctæ Patavienſis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Abraham S. Frisingensis ecclesiæ episcopus interfui.

* *f* Sutrien. sis ecclesiæ

Martinus episcopus S. Fr * . . . . . episc. interfui, & subscr.

* Vido

Vinth * episcopus sanctæ Mutinensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

* *f.* Vicentinus

Rudolfus episcopus * consensi, & subscripsi.

* *f* Albericus Conc. episcopus. Hunc omisit Ughellus, quanquam in Adamo Parent. episcopo, ejus mentio, apud ipsum.

Elberich * consensi, & subscripsi.

Joannes episcopus Eugubienſis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Ego Lirgiso episcopus sanctæ Ordinatæ ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Joannes episcopus Callienſis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

* Lupus

Luto * episcopus sanctæ Clusensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Albericus episcopus sanctæ Pisensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Ludini episcopus consensit, & subscripsit.

Hubertus episcopus subscripsit.

Sichelmus sanctæ Florentinæ ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Adalbertus S. Bononiensis ecclesiæ episcop. consensi.

Arnolfus episcopus consensi.

Joannes Imolensis eccl. episcopus interfui, & subscripsi.

Luitprandus S. Cremonensis episcopus ecclesiæ interfui, & subscripsi, his juste peractis Constantinopolim rediens.

Odelricus Bergomensis episcopus interfui, & subscripsi.

Grimoaldus sanctæ Rhegiensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Antonius Brixiensis eccl. episcopus consensi, & subscripsi.

Sigulfus episcopus consensi, & subscripsi.

Sigulfus S. Placentinæ eccl. episcopus consensi, & subscripsi.

Petrus episcopus subscripsit.

Explicit fundatio archiepiscopatus Magdeburgensis.

G. C. Hæc repræsentavimus ex chron. M. S. Anonymi Saxonis, desinente in an. Christi 1180. cujus hoc fragmentum ad nos transmissum est ab eruditissimo viro Alexandro Viltheim S. I. Henricus Meibomius, post VVitichindi annal. Saxonicos edidit hujus archiepiscop. instituti narrationes duas: quarum prioris idem est initium, & eadem fere verba, atque hujus nostræ; posterioris, idem finis. Hanc cum istis conferre inutile non erit. Episcoporum subscriptiones ex Meibomio, apud quem sunt ampliores, quamquam & in multis mendosæ, edidimus. Quæ deinde consecuta sunt, quamquam pars non sunt concilii: quia tamen ad integram rei in concilio constitutæ notitiam pertinent, ex eodem M.S. cod. hic exhibeo.

His ita peractis, Cæsar admodum lætatus, nec minus pro adhuc peragendis secundum Deum solicitus, accersito Richario Magdeburgensis cœnobii abbate tertio, coram Annone VVormacienſi, & Othvvino Hildinesheimenſi episc. secum tunc forte commorantibus, volebat illum officio episcopatus fungi, in ipsa mutatione sedis suæ. Sed impedierunt quidam occulto consilio, & Imperatori pro hoc secreto delatæ literæ. Qui dum se tanto honore privatum intelligens minus æquo animo ferret, ac in impediendo tam sancto proposito, Imperatori quoquo pacto obviare proponeret: ne malitia mutaret intellectum illius, brevi pulsatus valetudine, terrena mutavit cælestibus, succeſſitque in ipsa sedis mutatione Herdingius in eadem congregatione nutritus, & electus. Transmutata est itaque abbatia in montem suburbio ejusdem civitatis adjacentem, deputaturque sancto Joanni Baptistæ, & adhuc habetur, & o utinam diu feliciterque habeatur, famulatura. Monachi quoque succedentibus sibi clericis reliquerunt in libris, & aliis rebus, plurima ornamenta, quæ ibidem imperiali munere, & propria industria fuerant congregata. Cumque illorum corda de hac migratione non immerito gravaret tristitia: Cæsar eis pro consolatione, prædiorum suæ hæreditatis non parva dona adjecit, & quocumque in loco cum canonicis in una statione conveniant, ipsi dextra in parte supremum locum obtineant constituit; sed & præterea ut recurrente annuatim translationis hujus die, quæ est v. Idus Augusti, id est, in vigilia victoris ignium levitæ Laurentii, pedibus nudis processione lugubri sedem suam visitantes, missam celebrent: quo dum apud canonicos, quam & apud monachos facti perpetim hujus staret inviolabilis memoria, eos quoque dilectio jungeret indivulsa: quatenus illi hos tanquam primos ecclesiæ suæ patres omni honoris exhibitione præveniant, illique non dispari talione quod membra debent capiti, quod etiam testator hæredi, plena devotione restituant. Sed nec fefellit adinventorum tam prudens consilium, sicut est usque hodie cuique scire volenti publicum. Erat tunc temporis quidam magni nominis & meriti Adelbertus: qui dudum Treviris de cœnobio S. Maximini monachus abstractus, & episcopus consecratus, sicut in superioribus partim tractavimus, ad prædicandum Rugis fuerat destinatus. Sed populus exasperans dura fronte, & indomabili corde, expulit illum de finibus suis, contemnens evangelium pacis, quia Dei providentia in terra nostra populus illi committendus erat novæ acquisitionis.

ANNO CHRISTI 967.

Anno Domini dccccLxx. Ottonis xxxiv.

Igitur Imperator prædictum Adelbertum de VVizinburgensi abbatia, quam interim regebat, assumptum, prædictæ ecclesiæ, per omnia dignum, & probatum, sacerdotio promovit, eumque pro pallio, & privilegio ab apostolica sede suscipiendo, cum literis suæ auctoritatis direxit. Quem Joannes apostolicus nomine illius XIII. in ordine vero Romanorum pontificum CXXXVI. benignissime suscipiens, proprio etiam studio glorioſissimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat, gaudens, ideoque justis ejus petitionibus annuens, apostolica illum auctoritate archiepiscopum fore, ejusque successores, decrevit. Dans etiam eidem pallium ad missarum solemnia celebranda, nimia dilectione * commonitus, xv. Kal. Novemb. id est, in festo sancti Lucæ evangelistæ, ipse circumposuit, & privilegio apostolicæ auctoritatis sanxit, ac confirmavit, eum in omni ecclesiastico ordine primatum habere omnium ecclesiarum, archiepiscoporum, qui in Germania ordinati sunt; in Gallia quoque, Colonienſi, Magontienſi, Trevirenſi archiepiscopis per omnia honore similem esse. Crucis signaculum

* *Forte*, Commotus. *Harduinus.*

ante

ante se ferre, & inter cardinales episcopos Romanæ sedis consortium habere. Præterea XII. presbyteros, VII. diaconos, XXIV. subdiaconos cardinales, ad morem sanctæ Romanæ ecclesiæ ordinare, qui ad principale altare ministrantes quotidie, excepto jejunio, dalmaticis; festis vero, sandaliis uterentur: & ut presbyteri & abbates sancti Joannis Baptistæ, tunicis induerentur: & ut his exceptis, & episc. super altare in honore beati Mauritii dedicatum, missam celebrare aliquis nullo modo præsumeret. Præterea statuit, eum esse metropolitanum totius ultra Salam, & Albiam, Sclavorum gentis, tunc ad Deum conversæ, vel convertendæ, & ut secundum desiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima viguit superstitio, id est Cizi, Misni, Merseburg, Brandenburg, Havelberga, Poznani, in honore domini episcopi fundarentur, quorum pastores, secundum canonicam auctoritatem, Magdeburgensi archiepiscopo fidem & subjectionem debendo, sociarentur. His & aliis, quæ privilegia adhuc inibi conservata testantur, synodali decreto ordinatis, & sub interminatione Dei, & apostolici nominis confirmatis, præfatus archiepiscopus, cum legatis Romanæ ecclesiæ, VVidone scilicet episcopo, bibliothecario, & Benedicto cardinali, illum cum Hildvvardo Halverstadensi episcopo sedi suæ inthronizarent, dimissus, ad Imperatorem remeavit lætus, quem Imperator nihilominus gaudens, utpote beati desiderii compos, cum literis commendatitiis Magdeburg destinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris, episcopi, marchiones, & reliqui Saxoniæ principes convenientes, ipsum honorifice susceperunt, & vocum acclamatione, manuumque elevatione electum, cum præfatis apostolicæ sedis legatis, celebri ritu inthronizaverunt. Adfuit omnis sexus, & ætas gaudentium, fuit prorsus generale tripudium, ubi ad confirmationem sui, idem archiepiscopus in præsentia eorumdem natalem Domini secum celebrantium, Bosonem monachum, Merseburgensi; Burchardum, Misnensi; Hugonem, Cizensi ecclesiis, primos episcopos ordinavit: & Adeldagum primum ecclesiæ Magdeburgensi præpositum instituit. Dudo quoque Havelbergensis, & Dudelinus Brandeburgensis episcopi, primus quidem Moguntino episc. subjecti, sed tunc agente Imperatore a debita sibi obedientia absoluti, Magdeburgensi ecclesiæ, ejusque archiepiscopo cum præfatis confratribus fidem, & subjectionem promisere. Ipse namque felicis memoriæ imperator Otto, erat constructor omnium harum, quas archiepiscopatui subjecerat, episcopalium sedium: nimirum infinitæ hæreditatis suæ potissimum cupiens hæredem esse Deum, non pauca tamen relinquens successioni filiorum. In tanti ergo talisque solemni pro summi regis exortu celebratione, tum etiam pro nova populi ipsius, vel cultus augmentatione, gaudebat chorus Magdeburgensium a summo principe missum principem, canit frequentia principum, palamque a pastoribus ecclesiæ, laudabili numero hic adauctis, laudatur pastor creator omnium.

ANNO CHRISTI 967.

ANNO CHRISTI 967.

☞ JOANNIS DOMINICI MANSI IN SEQUENTEM BULLAM JOANNIS XIII. &c. PRÆMONITIO.

Quas modo subjicio Joannis Papæ litteræ transmissæ ad me sunt a viro clarissimo Bartholomæo Prospero Camellini Regiensi sed Mutinæ modo agente. Illas vero ipse recepit a clarissimo Antonio Uldarico Eraht qui illas extraxerat e tabulario Principali Brusvigensi ejus curæ commisso. Utriusque nomen mihi reserandum fuit, ut publicum sciret quibus potissimum ejus accepti gratiæ referendæ sint. Quamquam, ut vera fatear, nonnulla in iis occurrunt quæ dubietatem ingenerant de hujus scripti sinceritate; cum insuetæ Joanni XIII. formulæ in eis occurrant, ut illa nostræ &c. Archifratribus sicut & cætera statim in principio corporis & mentis &c. Nonnulla etiam in nominibus Episcoporum offendunt menda, quæ forte sunt vel esse possunt Amanuensis. Demum Indictio plane hic fallit. Utcumque res habeat sese, imprimendam hanc bullam censui, relicto lectoribus eruditis judicio. Neque tantum mihi sumo ut fictam hanc bullam, tanquam ex tripode, certo pronunciem, cum præsertim cetera quæ hic leguntur Joannis XIII. ætati satis quadrent. Qui vero in fine appingitur literarum nexus, alterius & recentioris, est manus, ut per literas idem Cl. Eraht admonuit, nec satis OEdipus sum ut arcanum istud divinem.

☞ BULLA JOANNIS XIII.

PRO ASCETERIO QUINTELEIMBURGENSI.

JOannes Episcopus Servus Servorum Dei. Corporis & mentis generositate præfulgidæ, utpote Augustæ liberalitatis Mahetildæ incoparabiliter laudabili Abbatissæ venerabilis Monasterij dicti Quitiliggaburgh, & per se omnibus posteris tuis, & sanctæ Congregationi ancillarum Christi ibi degentium, supernæ gratiæ plenitudinem, apostolicamque benedictionem.

Quia per Beatum Petrum Apostolorum Principem, cujus vice licet minus idonei fungimur, Ecclesiasticæ potestatis jura ubique terrarum auctoritate Evangelica atque authentica Sanctorum Patrum habere videmur, idcirco specialiter dispensare cuncta ad omnipotentis Dei laudem, & orthodoxam religionem, nullo catholicorum resistents, posse confidimus. Ideoque universitas enristifidelium cupimus ut cognoscat, qualiter nos per interventum carissimi, & spiritualis filii nostri Domni Ottonis semper Augusti genitoris tui, & sanctissimæ matris ejus Mahetildæ Augustæ Serenissimæ Aviæ tuæ, præfatum Quitilingaburg, locum situm in territorio Saxonico, cui præesse videris, suscepimus sub jure & continua tuicione Sanctæ Romanæ Matris, cui præsidemus,

mus, Eccleſiæ; allubeſcentibus, conſentientibuſque in hoc noſtræ Apoſtolicæ paternitati Archifratribus in Synodum Ravennæ aggregatis, videlicet Petro Ravennatenſe, Rodaldo Patriarcha Aquilagenſe, cæteris & Epiſcopis VVidone Sylvæ Candidenſe, Benedicto Portuenſe, Marino Lutricenſi, Siccone Bleſano, Joanne Spirenſe, Londoardo Mindonenſe, Lutifrido etiam Papigenſe, Luitprando Cremonenſe, Huberto Parmenſe, aliiſque ſimul Confratribus noſtris Epiſcopis Italicis & Ultramontanis numero quinquaginta, ita ut a præſenti decima Kalendarum Maij ſub patrocinio & tuicione Beati Petri Principis Apoſtolorum ejuſque Vicarij perpetuis temporibus cum omnibus ſe attinentibus conſtitutum, locatumque ſpecialiter eſſe noſcatur. Quapropter ſtatuimus Apoſtolica Cenſura, ut idem Monaſterium omnimodo liberum amodo, & uſque in finem ſeculi perſeveret per auctoritatem Dei, & Domini noſtri Jheſu Chriſti, qui ſuper Petrum habet Eccleſiam, per quem jubemus, & monendo proteſtamur, ut nullus Imperator, Rex, Dux nullus, nec Epiſcopus, nullaque cujuslibet dignitatis, ſive poteſtatis, vel ſacræ, vel mundanæ perſona, audeat ejuſdem loci Abbatiſſas moleſtare, & inquietare, ſive de omnibus rebus ejuſdem ſacri Monaſterij in aliquo diſtrahere, vel de his quæ ad illud pertinent diminuere. Verum igitur quietum, & inconcuſſum perſiſtat cum cunctis ſubſiſtenciis ſuis, cum ſervis, & ancillis, liberis, & aſcripticiis, terris cultis, & incultis, & univerſis rebus, quæ dici & nominari poſſunt, quas nunc habet, & in antea quolibet contractu habere debet. Sane ob mundiburdium tui, tuorumque pro lumynariis concinnandis ante corpus prædicti Apoſtolorum Principis libram unam argenti annuatim noſtræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ a te poſteriſque tuis, quæ eidem loco Sancto præfuerint perſolvendam fore ſancimus. Verum ſi fort... iter actionis difficultate ſingulis annis eadem penſio minime perſolvi potuerit, licentia ſit vel poſtea temporibus aliis coadunatim ut Romanæ Eccleſiæ tranſmittatur. Si quis vero, quod minime credimus, contra Deum irritam hujus privilegij ſeriem in quoquam agere temtaverit, & idipſum Monaſterium juri Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ auferre conatus fuerit, niſi reſipuerit, perpetuæ anathematis vinculo innodatus ex auctoritate Dei, ejuſque ſummi clavigeri, ac per noſtram, & omnium noſtrorum Pontificum Succeſſorum humilitatem cum Juda traditore Domini perpetim Diabolo ſocietur. Qui autem obſervator ejus & cuſtos eſſe ſtuduerit, omnium delictorum ſuorum veniam, & cum beatiſſimo Petro cœtibus Sanctorum ſociatus, gaudia ſine fine conſequi mereatur. De cætero præcipimus, ut Abbatiſſa ibi nunquam ulla niſi ex electione, & gratia, ac voluntate omnium ſanctarum ſororum, quæ ibidem pro tempore Deo ſervire viſæ fuerint, a quoquam ordinetur, aut conſtituatur. Bene valete. Scriptum per manum Stephani Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Aprili;

Indictione ſexta decima ✠ Dat. decima Kal. Maji per manum VVidonis Epiſcopi Sanctæ Silvæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ✠ Anno Deo propitio Pontificatus Domini Johannis Summi Pontificis & univerſalis tertij decimi proviſoris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, videlicet undecimo ejuſdem piiſſimi PP. anno, Auguſt. Ottone a Deo coronato Magno Imperatore anno ſexto Monarchiam Romani Imperii feliciter gubernante. Indictione VI. decima.

✠ R F

Observatio P. Pagi

ad an. Chr. 967. n. 4. & 5.

Duo concilia Ravennenſia ſunt hic diſtinguenda, quorum alterum an. 967. alterum inſequenti indictum. De priori tantum loquitur Baronius, & ex eo Collectores Conciliorum, in eoque inſtitutio Archiepiſcopatus Magdeburgenſis rata habita. In ſecundo an. 968. celebrato ad finem perductum, quod an. 967. circa Magdeburgenſis Archiepiſcopatus inſtitutionem inchoatum fuerat. Utriuſque Concilii diſerta mentio in inſtrumento de Inſtitutione hujus Archiepiſcopatus relato a Labbeo ſupra, & a Meibomio in fine ſuarum ad VVitichindum notarum pag. 108. ſed inſtrumento a Labbeo recitato a quopiam interpolatore male additus eſt annus Incarn. 967. qui rectius abeſt ab exemplari, quo uſus eſt Meibomius; certum enim illud anno tantum ſequenti exaratum fuiſſe, ut ex ejus lectione manifeſte liquet. In eo de prima Synodo dicitur: *Habita eſt Synodus Ravennæ in ſuburbio in Eccleſia beati Confeſſoris Epiſcopi Severi, reſidentibus domno Joanne ſummo univerſali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, & Galliæ Præſulibus, & de ſtatu Eccleſiæ tractantibus, adſtante etiam innumerabili clero & populo.* Otto Auguſtus ſanctam Synodum conſuluit, rogans, ut quod ipſe ſummo ſtudio Deo mancipaverat, Paſtoris negligentia ad vomitum redire non ſineret. Synodus judicavit, tot Sclavorum populos ad Deum noviter converſos ab Archiepiſcopo regi, & erudiri oportere. *Placuit igitur omnibus apud prædictam civitatem Magdeburg Archiepiſcopalem fieri cathedram, eo quod hæc in confinio Sclavorum, loco videretur opportunior, & in ejus purgatione voluntas Imperatoris eſſet amplior. Adhæc Imperator precibus, & Dei voluntate commotus ſanctæ congregationis decreto paruit, & hoc privilegio Apoſtolicæ ſedis corroborari dignum duxit: quod & actum eſt, & a ſummo Pontifice, omnibuſque Præſulibus Italiæ, & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Cæterum quia Præſul Halber ſtadenſis Synodo huic non affuit, cauſæ clauſulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipſe a debito ſubjectionis abſolveret, & tunc demum privilegium & ſubſcriptio illibata fieret.* Hæc de priori Synodo Ravennenſi hoc anno congregata.

De ſecunda Synodo Ravennenſi in præfato inſtrumento poſt recitata ex eo verba ſtatim ſubjicitur: *Eo ergo revoluto* anno (nempe 967.) *& altero dimidio tranſacto, cum Hattonem Archiepiſcopum Mogunciacenſem, & Hildivvaldum Epiſcopum Halberſtadenſem Ravennam convenire contingeret, ſanctiſſimus Imperator, ſi bona voluntate commutationem parochiæ Halberſtadenſis eccleſiæ ad Magdeburgenſem fieri vel coram Archiepiſcopo Ravennate & epiſcopis comprovincialibus eos omni dilectioni convenit. Tunc venerabilis Hildevvardus Epiſcopus in præſentia omnium & prædicti Præſulis Hattonis hoc ſe pro Deo nullo modo negare & contradicere poſſe.* Deinde narratur concambium inter Eccleſiam Magdeburgenſem, & Halberſtadenſem in Synodo factum, idque anno 968. poſt annum nempe & dimidium a priori Synodo, quæ ideo poſt Paſcha habita fuerat. Idem legitur in Chronico Magdeburgenſi, in quo etiam dicitur: *Huic etiam concambio Petrus Ravennæ Archiepiſcopus, & plurimi Epiſcoporum Italiæ & Germaniæ ſubſcripſere anno Domini Incarnationis 968. Indictione XII. imperii autem ipſius domini Ottonis VII. regni vero XXXIV.* ſed loco, *regni XXXIV.* legendum *regni XXXIII.* certum enim Ottonem annos Regni ab anno 936. deduxiſſe. Porro ex Indictione XII. Kalendis Septembris in Italia anno 968. incœpta apparet ſecundum Concilium Ravennenſe poſt illum diem celebratum.

AD

ANNO CHRISTI 967.

AD SYNODUM RAVENNATENSEM

Anno 967. aprilis menſe habitam

ADDITIO.

no 967. Supplento Man. p. 1146.

ARchiepiſcopatus Magdeburgenſis inſtituendi opus ſub Joanne XII. cœptum, ſed nondum abſolutum, tandem in duplici Ravennatenſi concilio peractum fuit. Horum conciliorum aliud aprili menſe anni 967. habitum eſt, eidemque adfuit cum Othone I. imperatore Joannes pontifex, a quo data eſt pro ea erectione bulla ſtatim hic a me ex Lunigii ſpicilegio eccleſ. pag. 12. num. 44. in Supplem. afferenda. Conciliare vero decretum, quod potius dicendum eſſet ſtipulatio conventionis inter epiſcopum Halberſtadenſem, & eos, quorum intererat, ut archiepiſcopatus ille erigeretur, ad concilium Ravennatenſe alterum anni 968. pertinet. De quo tamen poſteriori Ravennatenſi concilio inferius agemus.

JOANNIS XIII. PAPÆ BULLA

In ſynodo Ravennatenſi data pro inſtitutione archiepiſcopatus Magdeburgenſis.

Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, epiſcopus urbis Romæ, archiepiſcopis, epiſcopis, & cunctis timentibus Deum, omnique cœtui Chriſtianorum.

NOtum eſſe volumus, qualiter inſpirante ſancto Spiritu, meritiſque apoſtolorum principis Petri, & vaſis electionis ſanctiſſimi Pauli, ac millia millium martyrum Chriſti, Roma caput totius mundi, & eccleſia univerſalis ab iniquis pene peſſumdata, a Domino Ottone auguſto imperatore, a Deo coronato Cæſare, & magno & ter benedicto, anno apoſtolatus noſtri ſecundo, ipſiuſque prænominati noſtri ſpiritualis filii ſanctiſſimi imperii ſexto, erecta eſt, & in priſtinum honorem omni reverentia redacta. Ipſo namque anno una nobiſcum, favente, & conſentiente invictiſſimo prædicto imperatore, acta eſt magna ſynodus Ravennæ XII. Kal. Maji, convenientibus archiepiſcopis & epiſcopis circumquaque ex omni Italia, reſidentibus nobis in eccleſia beati Severi confeſſoris Chriſti, & ibi ſtatutis omnibus rebus eccleſiaſticis, ſecundum ſtatuta canonum, & decreta anteceſſorum noſtrorum, idem ſanctiſſimus imperator ardentiſſimo cœpit amore perquirere, quomodo noſtra apoſtolica auctoritate a primordio nomen chriſtianitatis in aquilonaribus partibus dilataretur. Nos vero ejus animum in Dei ſervitio ita mirifice detentum mirantes, conniveA re ei dignum duximus, ſtatuentes, præſente & conſentiente ſancta Synodo, & ipſo imperatore, ut Magdeburg ſita juxta Albiam fluvium, ubi ipſe a Deo benedictus imperator corpus ſancti Mauritii cum multis martyribus collocaverat, & miræ magnitudinis eccleſiam conſtruxerat, deinceps metropolis ſit & nominetur auctoritate beati Petri apoſtolorum principis, & ea, qua prædeceſſores noſtri Conſtantinopolim ſtatuerunt. Ideo quia filius noſter, ſæpe jam nominatus Otto, omnium auguſtorum auguſtiſſimus, tertius poſt Conſtantinum, maxime Romanam eccleſiam exaltavit, conceſſimus, ut non poſterior ſit B cæteris urbibus Metropolitanis, ſed cum primis prima, & cum antiquis antiqua inconvulſa permaneat. Suffraganeos vero eidem metropoli omnes unanimiter præordinavimus, Brandenburgenſem epiſcopum, & Havelbergenſem, iis cunctis quibuſcumque imperator voluit in urbe Magdeburg archiepiſcopus conſecretur. Poſtea vero idem archiepiſcopus & ſucceſſores ejus habeant poteſtatem per congrua loca, ubi per illorum prædicationem chriſtianitas creverit, epiſcopos ordinare nominatim, nunc & præſentialiter Merſeburg Cici, & Miſni, a præſenti decima Indictione perpetualiter confirmamus permanendum. Statuentes apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interdictionibus, nulli licere noſtrorum ſucceſſorum, atque pontificum, vel alii cuilibet perſonæ, hæc, quæ a nobis pia intentione ſtatuta ſunt in quoſcumque convellere, ſed potius firma ſtabilitate inconvulſa manere definimus. Si quis autem, quod non credimus temerario auſu contra hoc noſtrum apoſtolicum agere præſumpſerit decretum, ſciat ſe anathematis vinculis innodatum, & a regno Dei alienum, & cum impiis æterno ſupplicio deputatum. Et vero qui pio amore obſervator hujus noſtri priD vilegii extiterit, benedictionem a miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur, & vitæ æternæ particeps, atque cum ſanctis omnibus ſine fine lætetur. Scriptum per manum Stephani notarii, regionarii & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe aprili, & Indict. x. Johannes ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ præſul huic decreto a nobis facto pro confirmatione ſubſcripſi. Signum domini Ottonis piiſſimi imperatoris, Ego Rudoaldus patriarcha ſanctæ Aquilegienſis eccleſiæ interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Sequens pariter decretum in eodem concilio Joannes dedit pro confirmanda donatione quadam Bononienſibus canonicis ab eorum epiſcopo facta. Ughellius quidem tom. II. in Bononienſibus pag. 13. nov. edit. in annum 969. illud confert, invitis tamen omnibus temporis caracteribus. Indictio enim X. anni Ottonis & Joannis cum anno 967. congruunt, quo reipſa Joannes Ravennæ cum epiſcopis Italicis agebat, ut ipſe eodem decreto ſuo prodit. Ita ergo Joannes in eo Ravennatenſi conventu edixit.

JOANNES EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

CUM ego Joannes ſanctæ, & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ XIII. papa reſiderem in Ravennate civitate una cum meis, & Italicis epiE ſcopis, adfuerunt præſentiæ noſtræ religioſi presbyteri & diaconi ſanctæ Bononienſis eccleſiæ, ac pro univerſo clero canonicæ congregationis humo proſtrati, noſtros oſculantes pedes, obtulerunt epiſtolam tuitionis ſanct. rec. Domini Leonis V. papæ, ut nullam donationem, vel redditum publicum facerent. Unde compuncti divina mi-

misericordia ad eorum petitionem commodavimus sensum; & ideo a præsenti decima indictione omnibus ducibus, marchionibus, comitibus, judicibusque, & universo populo a magno usque ad parvum in Bononiensi oppido commorantibus, dilectis fidelibus nostris notum esse volumus, ut omnes Bononiensis ecclesiæ filii, idest sacerdotes, & levitæ, seu cunctus clerus ingesserunt nostro apostolatui, vim, ac violentiam perpeti in suis facultatibus, & rebus, & possessionibus, & publica ab illis exigi servitia, tam in ecclesiasticis, quam in suis mobilibus, & immobilibus substantiis: quod contra omnium statuta sanctorum Patrum, & canonicam auctoritatem esse cerneretur. Quare illorum calamitatibus condolentes, per has nostras literas omnino interdicimus & prohibemus, eorum nihil ab eis, vel successoribus illorum exigi ab aliqua magna parvaque persona, quæ illis jure, & legaliter compertum. Insuper interdicimus, ut nec portaticum, neque ripaticum, aut teloneum, sive ostaticum, neque paratam, vel sacramentum, quod dici nefas est, faciant. Sed sine aliquorum hominum, publicas sibi gerentium actiones, perturbatione atque molestia persistere securi, quietique nullam sustinentes violentiam in suis facultatibus vel omnibus rebus tam mobilibus, quam immobilibus, tam de suis propriis, quam etiam de ecclesiasticis, sed in Dei servitio, & laudibus quieti, & pacifici perseverent, quatenus pro nobis, & cuncto populo christiano securi Domino quotidie exorent. Datum 18. cal. Maii, pontificatus nostri anno 2. Othonis imperatoris an. 6. indictione suprascripta.

ANNO CHRISTI 967.

ANNO CHRISTI 967.

VERONENSE CONCILIUM DIOECESANUM

Pro mandandis exequutioni decretis Concilii Ravennatensis

A Ratherio Veronensi episcopo anno 967. celebratum.

Anno 967.

RAtherius Veronensis episcopus inter præsules concilio Ravennatensi anni 967. adfuit, idque de se affirmat ipse Ratherius in epistola ad Ambrosium apud Pez in codice diplomatico col. 94. Mox ab eo concilio expeditus, sedique suæ restitutus, concilium habuit, ea exequuturus quæ Ravennæ in concilio cum cæteris patribus stabiliverat. Quænam illa fuerint, paucis verbis idem Ratherius in eadem epistola indicat, cujus proinde fragmentum, cum simul concilii Ravennatensis acta expediat, ut hic darem, operæ pretium arbitratus sum.

RATHERII VERONENSIS EPISCOPI AD AMBROSIUM EPISTOLA

De rebus a se post reditum a Synodo Ravennate actis.

CElebrata mediante aprili universali Synodo Ravennæ, reversus convocavi ex omnibus nostræ Diœcesis plebibus presbyteros & diaconos, relaturus ex præcepto sereniſſimi imperatoris, quæ inibi constituta sunt. Ad concilium omnes. Cumque versutia mihi semper rebellium, vitæque meæ insidiantium nostræ matris ecclesiæ majorum venire quidam sint dedignati, illorum ex his, qui convenerant, aliqui cum maxima deliberaverunt superbia, quod neque mulierositatem relinquerent, neque ab officio cessarent, quos comprehendi & custodiæ mancipari usque ad satisfactionem præcepi. Satisfactionis vero summam in restaurando, sive quod verius est, decoranda beatæ Genitricis ecclesia spe hujusmodi contuli, ut quia illi in agenda pœnitentia inefficaciſſimi, utpote ebrioſiſſimi erant, matris interceſſio Domini illis saltem obtinere dignaretur veniam, qui ex se emendationem aliam facerent nullam.

LEGES ECCLESIASTICÆ

REGIS EDGARDI UT PER SE HABENTUR IN SAXONICO

Libro, a sæcularibus disjunctæ, & a Lambardo versæ.

Ex Tom. 1. Concil. Britan.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De immunitate ecclesiæ, & debitis eidem reddendis.*
II. *De censu ecclesiastico, sive primitiis seminum.*
III. *De decimis.*
IV. *De denario in domos singulas impositio.*
V. *De diebus festis, & jejunio.*

LEGES EDGARI REGIS.

LEges quas Edgarus rex frequenti senatu ad Dei gloriam, regiæ majestatis ornamentum, ac reipublicæ utilitatem sancivit.

I.

Primum, ecclesia Dei jura atque immunitates suas omnes habeto: decimas quisque primariæ (cui is fuerit subjectus) ecclesiæ, ut ipsum quidem circumducitur aratrum, dato, sive id in prædiis thanorum propriis, sive in terris villicorum fuerit.

II.

Thanus si in terra ex scripto possessa templum habuerit, circum quod fuerit destinatus sepulturæ locus, decimarum suarum trientem unum in id conferre ei integrum esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationi locus: dato qui est fundi dominus sacerdoti novem partium reliquiarum quantulum visum fuerit. Atque ex omni quidem ingenuorum terra, ipsæ seminum primitiæ, primariæ penduntor ecclesiæ.

III.

Quisque fetuum decimas omnes ante pentecosten persolvito: terræ quidem fructuum decimas ante æquinoctium pendito: ipsas autem seminum primitias sub festum divi Martini reddito. Si quis non solverit, pœnas, ut judiciali libro proditum est, dato. Atque si quis decimas, ad eum quem diximus modum, dare noluerit: præpositus regius, illius loci episcopus, & sacerdos conveniunto, atque eo vel invito decimam ecclesiæ cui debeatur, partem, nona ei reliqua facta, redduntur

dunto. Quod ad reſiduas octo partes attinet, quatuor dominus, quatuor epiſcopus habeto: id quod fiat, ſive is fuerit miniſter regis, ſive thani alterius cujuſcumque.

IV.

Denarius autem in domos ſingulas impoſitus, ante feſtum divi Petri redditor. Qui tum non ſolverit, denarium illum ac alios præterea triginta ad Romam comportato, certaque literarum teſtificatione, domum rediens, ſe eo detuliſſe confirmato, ac regi denique centum viginti ſolidos numerato. Si quis ſecundo non dederit, denarium illum ac præterea ter denos Romam deferat, regique poſtquam redierit ducentos ſolidos dependito. Sin tertio deliquerit, rebus ſuis omnibus exuitor.

V.

Dies ſabbati ab ipſa diei Saturni hora pomeridiana tertia uſque in lunaris diei diluculum feſtus agitor: qui non celebrarit, pœnas in judiciali libro deſcriptas pendito. Cæteri autem dies, perinde ut fuerint a ſacerdote indicti, feſti aguntor. Inſtituta etiam quam religioſiſſime obſervantor jejunia.

LEGUM ECCLESIATICARUM
Edgari Regis prisca versio.

I. *De debitis eccleſiæ reddendis.*
II. *De eccleſiis ubi eſt cœmeterium.*
III. *De terminis decimandi.*
IV. *De nolente decimas dare.*
V. *De non ſolventibus denarium S. Petri.*
VI. *De ſolemnitatibus & terminis obſervandis.*

HOc eſt inſtitutum quod Edgarus rex conſilio ſapientum ſuorum inſtituit Deo ad gloriam, & ſibi ad regiam dignitatem, & genti ſuæ ad commodum.

I.

Primum eſt, ut eccleſiæ Dei, recti ſui dignæ ſint, & reddatur omnis decimatio ad matrem eccleſiam, cui parochia adjacet de terra thaynorum & villanorum, ſicut aratrum peragrabit.

II.

Si quis thaynorum ſit qui ſeodo ſuo eccleſiam habeat ubi cœmeterium ſit, det ei tertiam partem decimæ ſuæ. Si non ſit ibi atrium, det ex ſuis novem partibus presbytero quod vult, & etiam omne ciricſceatum ad matrem eccleſiam de omni libera domo.

III.

Et omnis decimatio juventutis reddita ſit ad pentecoſten, & terræ frugum ad æquinoctium, & omne ciricſceatum ad feſtum S. Martini, per plenam foriſfacturam quam judicialis liber dicit.

IV.

Si quis decimam dare noluerit, ſicût diximus, adeſt præpoſitus regis & epiſcopi * ſacerdos illius eccleſiæ, & reddat eccleſiæ cui pertinebit decimam ſuam, & nonam partem dimittant ei qui decimam ſuam detinuit, & octo partes in duo dividantur, dimidium domino, dimidium epiſcopo, ſit homo regis, ſit homo thayni.

V.

Et omnis heordpen reddat ad feſtum S. Petri: & qui non ſolvit ad terminum illum, deferat eum Romam, & etiam triginta denarios, & afferat inde ſignificationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti ſolidos. Et ſi iterum reddere nolit, deferat eum Romam, & emendationem eamdem. Et cum redierit, emendet centum viginti ſolidos regi. Ad tertiam vicem, ſi adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI.

Et ſolemne diei dominicæ conſervetur ab hora nona ſabbati uſque ad lucidum diei lunæ, ſuper foriſfactura quam liber judiciorum dicit & docet. Et alia feſtivitas, ſicut a ſacerdote nunciabitur. Et omne indictum jejunium cum omni devotione ſervetur.

CANONES EDITI SUB EDGARDO REGE,
et ad leges suas pertinentes,

Ut in veterrimo manuſcripto codice Saxonico collegii corporis Chriſti Cantabrigiæ reperiuntur, in hoc frontiſpicio.

☞ *Hoc pertinet nunc ad Eadgari inſtitutum de ſacris initiatorum vivendi formula.*

I. DOcemus ut Dei miniſtri ſint devote Deo ſervientes, & miniſtrantes, & pro omni populo chriſtiano intercedentes, & ut omnes illi ſenioribus ſuis ſint fideles & obedientes, & omnes promoti in communi neceſſitate, ac ut quilibet ſit aliis auxilio & adjutorio tam coram Deo, quam coram hominibus, & ut ſint etiam dominis ſuis mundanis fidi & veri. Ex Wilkins tom. 1. pag. 225.

II. Docemus etiam, ut quilibet honoret alterum, & juniores diligenter audiant ſeniores ſuos & ament, & ſeniores diligenter doceant juniores ſuos.

III. Docemus etiam, ut illi ad quamlibet ſynodum (abeant &) habeant quotannis libros & veſtimenta ad ſervitium eccleſiaſticum, & atramentum ac pergamenas ad eorum conſtitutiones, & trium dierum commeatum.

IV. Docemus etiam, ut ſacerdos quilibet ad ſynodum (abiens) habeat clericum ſuum & aptum hominem pro miniſtro, & non ignotum aliquem, qui ſtultitiam amet, ſed proficiſcantur omnes in ordine, & in Dei omnipotentis timore.

V. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos in ſynodo enunciet, ſi quid ei noceat, & ſi aliquis magnam ipſi injuriam fecerit; & tunc illi omnes ſuſcipiant quaſi ſibi omnibus factam, & adjuvent ad compenſationem, prouti epiſcopus adnotaverit.

VI. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos in ſynodo enunciet, ſi in parochia ſua noſcat aliquem erga Deum contumacem, vel qui in peccatum mortale male inciderit, quem ad emendationem inclinare nequit, vel non audet propter ſæculares.

VII. Docemus etiam, ut nullum negotium, quod inter ſacerdotes eſt, deferatur ad judicium ſæculare, ſed componant, ac pacificent (illud) proprii illorum ſocii, vel transferant ad epiſcopum ſi opus fuerit.

VIII. Docemus etiam, ut nullus presbyter ſponte eccleſiam deſerat, cui conſecratus erat, ſed habeat eam pro legitima conjuge.

IX. Docemus etiam, ut nullus ſacerdos faciat aliquid eorum, quæ ad alterum ſpectant; non in eccleſia ejus, nec in parochia ejus, neque in ſocietate illius, neque in aliqua earum rerum, quæ ad eum pertinent.

X. Docemus etiam, ut nullus ſacerdos ſuſcipiat alterius ſcholarem abſque venia ejus, quem prius ſequebatur.

XI. Docemus etiam ut quilibet ſacerdos augendæ ſcientiæ cauſa diligenter diſcat opificium.

XII. Docemus etiam, ut quis doctus ſacerdos non contumelia afficiat ſemidoctum, ſed corrigat eum, ſi melius norit.

XIII. Docemus etiam, ut nullus ſacerdos illuſtri loco natus, contemnat inferioris conditionis ſacerdotem; ſi quis hoc recte contempletur, omnes homines ejuſdem eſſe nativitatis (inveniet.)

XIV. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos decenter ſe gerat, & non ſit emptor injuſtus, nec avarus mercator.

XV. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos baptiſmum peragat, ſimul ac requiritur; & deinde in parochia ſua præcipiat, ut quilibet infans baptizetur intra XXXVII. dies; & ut nemo nimis diu ab epiſcopo confirmari differat.

XVI. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos chriſtianiſmum diligenter promoveat, & omnem gentiliſmum omnino extinguat, & prohibeat fontium adorationem, & necromantiam, & auguria, & incantationes, & divinum hominis cultum, & offacias, quæ exercentur in variis præſtigiis, & in tedis, & in ſortilegiis, & in ulnis, & etiam in variis arboribus, & in ſaxis, & in multis aliis phantaſmatibus, quibus multi eorum qui non deberent, decipiuntur.

XVII. Docemus etiam, ut quilibet chriſtianus infantem ſuum ad chriſtianiſmum diligenter adſueſcat, & eum „ Pater noſter „ & „ Credo „ doceat.

XVIII. Docemus etiam, ut diebus feſtis ceſſent prophana cantica, & ludi diabolici.

XIX. Docemus etiam, ut ceſſent diebus ſolis mercaturæ, & conventus populi.

XX. Docemus etiam, ut ceſſent falſa & ſtulta colloquia, & ignominioſæ tonſuræ.

XXI. Docemus etiam, ut ceſſent concubinatus, & amentur juſta conjugia.

XXII. Docemus etiam, ut quilibet diſcat „ *Pater noſter* „ & „ *Credo*, „ ſi quando in conſecrato cœmeterio jacere, vel euchariſtiam ſacram percipere velit; propterea quia is non eſt bonus chriſtianus, qui hoc diſcere non vult, nec jure poteſt alios e baptiſmate levare, nec epiſcopi manum accipere (in confirmatione) niſi hoc prius addiſcat.

XXIII. Docemus etiam, ut in diebus feſtis & ſtatis jejuniis nulla omnino contentio ſit inter quoſcumque homines.

XXIV. Docemus etiam, ut in diebus feſtis & jejuniis juramenta, & ordalia prætermittantur.

XXV. Docemus etiam, ut quilibet vir abſtineat ab uxore ſua in diebus feſtis, & ſtatis jejuniis.

XXVI. Docemus etiam, ut presbyteri eccleſias cuſtodiant cum omni veneratione ad eccleſiaſticum miniſterium, & ad purum ſervitium, & ad nullas alias res; neque ſit aliquid inutile ibi, neque in vicinia; non permittantur vana colloquia, nec vanæ actiones, neque indecora compotatio, neque unquam alia vanitas, neque intra eccleſiæ ſepem canis aliquis veniat, neque por corum plures, quam quis regere poſſit.

XXVII. Docemus etiam, ut nihil in eccleſia reponatur, quod ibidem indecens ſit.

XXVIII. Docemus etiam, ut (omnes) in eccleſiæ encæniis valde ſobrii ſint, & diligenter orent, nec pocula, neque aliquid inutile ibi exerceant.

XXIX. Docemus etiam, ut in eccleſia nemo ſepeliatur, niſi ſciatur quod in vita Deo bene placuerit, ut inde judicetur, quod ſit ſepultura dignus.

XXX. Docemus etiam, ut ſacerdos in nulla domo miſſam celebret, niſi in conſecratis eccleſiis, præterquam ob extremam alicujus ægritudinem.

XXXI. Docemus etiam, ut ſacerdos nunquam ſaltem miſſam celebret niſi ſuper conſecratum altare.

XXXII. Docemus etiam, ut ſacerdos nunquam miſſam celebret abſque libro, & ſit canon ei ante oculos poſitus, ſi velit, ne forte impingat.

XXXIII. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos habeat corporalem veſtem, quum miſſam celebrat, & ſubuculam ſub alba ſua, & omnia veſtimenta miſſæ debite contexta.

XXXIV. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos diligenter curet, ut bonum & ſaltem juſtum librum habeat.

XXXV. Docemus etiam, ut nullus ſacerdos ſolus miſſam celebret, ſi non habeat eum, qui ipſi reſpondeat.

XXXVI. Docemus etiam, ut quilibet ſacerdos euchariſtiam accipiat jejunans, niſi ob extremam ægritudinem.

XXXVII. Docemus etiam, ut nullus ſacerdos uno die ſæpius quam ter ad ſummum miſſam celebret.

XXXVIII. Docemus etiam, ut ſacerdos ſemper habeat paratam euchariſtiam, prout opus fuerit, & hanc diligenter in puritate cuſtodiat, & caveat ne invetereſcat, ſi autem inveteraverit, ut accipi nequeat, tunc comburatur in puro igne, & cineres ſub altari condantur, & diligenter apud Deum emendet, qui hoc neglexit.

XXXIX. Docemus etiam, ut ſacerdos nunquam præſumat miſſam celebrare, niſi omnia habeat, quæ ad S. euchariſtiam pertinent, hoc eſt puram oblationem, & vinum purum, & aquam puram. Væ illi, qui miſſam inchoat, antequam hæc omnia habeat; & væ illi, qui impurum quid addit illis; hoc ſimile eſſet ei, quod Judæi fecerunt, quum acetum & fel ſimul miſcerent, & illud poſtea Chriſto in ludibrium porrigerent.

XL. Docemus etiam, quod ſacerdos nunquam ſit dignus miſſam celebrare, qui non ipſe S. euchariſtiam percipit; nec conſecratum unquam denuo conſecretur.

XLI. Docemus etiam, ut quilibet calix fuſus ſit, in quo S. euchariſtia conſecretur, & in ligneo nunquam conſecretur.

XLII. Docemus etiam, ut omnia, quæ altari appropinquant, & ad eccleſiam pertinent, ſint valde pura, & digne diſpoſita, & nihil (impurum) appropinquet illud, ſed reponatur ſanctuarium valde honorifice, & ſemper lumen ardeat in eccleſia, quum miſſa decantatur.

XLIII. Docemus etiam, ut non negligatur aliquid conſecratum, non aqua conſecrata, nec ſal, nec thus, nec panis, nec aliquid ſanctum.

XLIV. Docemus etiam, ut nulla uxor altare appropinquet, quamdiu miſſa celebratur.

XLV. Docemus etiam, ut juſto ſtato tempore campana pulſetur, & ſacerdos quilibet cantum ſuum horarium in eccleſia pſallat, & ibi cum Dei timore ſedulo oret, & pro omni populo intercedat.

XLVI. Docemus etiam, ut ſacerdos ſæcularis, vel conventualis aliquis non veniat intra oſtium eccleſiæ, nec intra ſacrarium, abſque ſuperpelliceo ſuo, neque ſaltem ad altare, ut ibi miniſtret abſque veſtitu illo.

XLVII. Docemus etiam, ut nullus ſacris initiatus homo tonſuram ſuam conſecret, nec eam male tonderi permittat, nec barbam ſuam per aliquod tempus alat, ſiquidem benedictionem Dei, & S. Petri, & noſtram habere velit.

XLVIII. Docemus etiam, ut omnes ſacerdotes feſtis diebus, & jejuniis unanimes ſint, &

omnes

☞ omnes uno modo orent, ne populum in errorem ducant.

XLIX. Docemus etiam, ut quodlibet jejunium eleemosynis honorificetur, hoc est, ut quisquis ex devotione erga Deum eleemosynam sedulo dare velit, tunc jejunium ipsius Deo sit gratius.

L. Docemus etiam, ut sacerdotes in ecclesiæ ministeriis omnes simul operam navent, & sit æquale salarium in anni spatio in omnibus ecclesiæ ministeriis.

LI. Docemus etiam, ut sacerdotes juventutem sedulo doceant, & ad opificia trahant, ut ecclesiæ auxilium (inde) habeant.

LII. Docemus etiam, ut sacerdotes quolibet die solis ad populum prædicent, & semper bonum iis præbeant exemplum.

LIII. Docemus etiam, ut nullus christianus sanguinem comedat alicujus generis.

LIV. Docemus etiam, ut sacerdotes populum admoneant ejus, quod sedulo Deo facere debent, ut justi sint in reddendis decimis & aliis rebus, primo aratri eleemosynis xv. dies a paschate, & fœtuum decimis ad pentecosten, & frugum terræ ad omnium sanctorum (festum) & denarii S. Petri ad Petri festum, & census ecclesiæ ad Martini festum.

LV. Docemus etiam, ut sacerdotes ita populi eleemosynam distribuant, ut illis tam Deum propitium reddant, quam populum ad eleemosynas adsuescant.

LVI. Docemus etiam, ut sacerdotes psalmos cantent, quum eleemosynas distribuunt, & pauperes diligenter orent, ut his pro populo intercedant sedulo.

LVII. Docemus etiam, ut sacerdotes sibi caveant ab ebrietate, & illam diligenter reprehendendo interdicant aliis hominibus.

LVIII. Docemus etiam, ut nullus sacerdos sit cerevisiarius, nec aliquo modo scurram agat secum ipso, vel aliis; sed sit, sicut ordinem ejus decet, prudens & venerandus.

LIX. Docemus etiam, ut sacerdotes a juramento sedulo sibi caveant, & illud valde etiam prohibeant.

LX. Docemus etiam, ut nullus sacerdos mulierum consortium nimis amet, sed diligat legitimam suam uxorem, idest ecclesiam suam.

LXI. Docemus etiam, ut nullus sacerdos adstet falso testimonio, neque a consiliis furum sit.

LXII. Docemus etiam, ut sacerdos nunquam ordalia visitet, aut juramenta.

LXIII. Docemus etiam, ut sacerdos contra thanum non juret in compurgatione, nisi thanus præjuraverit.

LXIV. Docemus etiam, ut sacerdos non sit venator, neque accipitrarius, neque potator, sed incumbat libris suis, sicut ordinem ipsius decet.

LXV. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos confessionem, & pœnitentiam doceat eum, qui ipsi confitetur, & ad emendationem quoque adjuvet, & ægroto S. Eucharistiam præbeat, quum ei opus est, & ungat illum quoque, si hoc desideret, & post obitum diligenter involvat; neque permittatur aliquid vanum circa corpus, sed cum Dei timore decenter sepeliatur.

LXVI. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos oleum habeat tam ad baptismum, quam ad ægrotos inungendos; sit etiam paratus jus populi & christianismum sedulo promovere quovis modo tam bene prædicando, quam bonum exemplum præbendo; tunc largietur ei Deus omnipotens, quod ipsi maxime acceptum erit.

LXVII. Docemus etiam, ut quilibet sacerdos

A norit respondere, quum chrisma tollit, quid in orationibus pro rege & episcopo fecerit.

De confessione.

I. Quando aliquis voluerit confessionem facere peccatorum suorum, viriliter agat, & non erubescat confiteri scelera, & facinora se accusando; quia inde venit indulgentia, & quia sine confessione nulla est venia. Confessio enim sanat, confessio justificat.

Magna hic lacuna, sive spatium in mſ. codice, cui cætera alias inserturus videbatur scriba.

Præveniat hunc famulum tuum quæso, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur per Jesum Christum Dominum nostrum.

B Exaudi quæso, Domine, supplicum preces clamantium ad te, quæso, Domine.

II. Quicumque est medicus animarum hominum, & earum actiones norit, studeat divisionem, & discrimen, quomodo hominum actionibus pœnitentiam injungat; attamen non condemnet eos, neque desperare faciat. Cum homo delicta sua ei confiteri vult, exaudiat eum primo patienter, quam prudens ipsius sit intentio: si velit & possit humiliter actiones suas confiteri, & tu percipias, quod pœniteat peccatorum suorum, doce ipsum amanter, & cum misericordia. Si non possit actiones suas confiteri, & reatus suos examinare,

III. Interroga eum de moribus ipsius, & extorque reatus illius, & expone actiones ejus, & cogita quod nunquam debeas eodem modo judicare divites & pauperes, liberos & servos, senes & juvenes, sanos & infirmos, humiles, & superbos, fortes, & debiles, sacris initiatos & laicos.

C

Quodlibet factum judex prudens discernere debet prudenter, quando factum sit, & ubi, vel quando: nullo tempore injustum permissum est, attamen quis diebus festis & jejuniis & locis festivis quam diligentissime ab eo sibi caveat. Et quanto potentioris & majoris ordinis homo sit, tanto gravius coram Deo, & coram mundo injustitiam emendare debet, quoniam potens & impotens non possunt æqualia onera habere, nec infirmus firmo similis esse; hi ergo sunt distin-

D guendi, & discrete discernendi.

IV. Posthæc surgat humiliter ad confessorem suum, & dicat primo: Ego credo in Dominum summum patrem, omnium rerum gubernatorem, & in Filium, & in Spiritum sanctum, & ego credo vivere post mortem; & ego credo resurgere in die judicii, & omne hoc credo per Dei potentiam & misericordiam ejus mereri.

V. Et tunc dicat animo pœnitenti & humili confessionem suam confessario suo, inclinans humiliter, & sic dicat:

Ego confiteor omnipotenti Deo & confessario meo, spirituali medico, omnia peccata mea, quibus per malignitatem spiritus unquam pollutus fui, sive in factis, sive in cogitationibus, sive

E cum masculis, sive cum fœminis, vel cum aliqua creatura, peccata naturalia sive præternaturalia.

VI. Confiteor gastrimargiam ciborum tam mane, quam vespere. Confiteor omnem avaritiam, & invidiam, & detractionem, & bilingue vitium, mendacium, & injustam gloriam, & vaniloquium, & injustam magnificentiam, & omnem superbiam, quæ ad corporis mei pravum consilium accidit. Confiteor quod nimis sæpe fuerim peccati auctor, & peccati fautor, & peccati conscius, & peccati doctor.

VII. Confiteor animi mei homicidium, & perjuria, & seditionem, & superbiam, neglectum

præceptum Dei. Confiteor omnia, quæ unquam oculis vidi ad avaritiam vel ad detractionem, vel auribus ad inutilia audivi, vel ore meo vana locutus sum.

VIII. Confiteor omnia corporis mei peccata, cutis, & carnis, & opis, & nervorum, & renum, & cartilaginum, & linguæ, & labiorum, & faucium, & dentium, & comæ & medullæ, & rei cujusque mollis vel duræ, humidæ, vel siccæ. Confiteor quod baptisma meum pejus servaverim, quam Domino meo sum pollicitus, & ordinem meum, quem in amorem Dei, & sanctorum ipsius debebam custodire, & in meam ipsius æternam salutem ego non custodivi debito modo. Confiteor quod horas meas canonicas sæpius neglexerim, & pejeraverim in dominorum meorum animam; & Domini mei nomen in vanum sumpserim.

IX. Omnium (peccatorum) rogo a Domino meo remissionem ut nunquam diabolus mihi insidietur, ut absque confessione, & emendatione peccatorum meorum (non moriar) sicut hodie confiteor omnes meos reatus coram Domino Salvatore Christo, qui gubernat cælum & terram, & coram hoc sancto altari, & his reliquiis, & coram confessario meo, & Domini presbytero, & sum in pura & in vera confessione, & in bona voluntate omnia mea peccata emendare, & deinde taliter abstinere, qualiter unquam possim.

X. Et tu Salvator Christe sis misericors animæ meæ, & remitte ac dele peccata mea, & reatus meos, quæ olim vel unquam antea commisi, & duc me ad sublime tuum regnum, & ibi habitem cum Sanctis tuis & electis absque fine in æternum. Jam te oro humiliter, Sacerdos Domini, ut sis testis meus in die judicii, ut diabolum nequeat in me potestatem habere, & ut tu apud Dominum sis advocatus meus, quod peccata mea & reatus meos emendem, & ab aliis hujusmodi abstineam: ad hoc adjuvet me Dominus, qui vivit, & regnat in æternum. Amen.

Modus imponendi pœnitentiam.

I. Senex & juvenis, dives, & pauper, sanus & infirmus, & cujuscumque ordinis, & si quis aliquid invitus peccaverit, non sit similis ei qui voluntarie, & sponte de industria peccavit; & si quis etiam necessitate coactus deliquerit, sit protectione, & correctione legis semper dignus, quia necessitate coactus erat ad id quod perpetravit.

II. Quodlibet factum distinguendum est caute coram Deo, & coram mundo.

Hi ritus observantur trans mare: hoc est,

III. Ut quilibet episcopus sit in sede sua episcopali die Mercurii, quem appellamus caput jejunii; tunc quilibet illorum, qui peccatis mortalibus pollutus est, in illa provincia ad eum veniat illo die, & peccata sua ei fateatur, & ille tunc doceat eum pœnitentiam, juxta quamlibet reatus rationem; qui si magnæ sit enormitatis, removeatur ab ecclesiastica communione, attamen ad propriam necessitatem excitetur, & admoneatur, & ipse sic cum venia ejus domum revertatur.

IV. Et inde die Jovis ante pascha omnes ad suum quilibet locum congregentur, & cantet super eum episcopus, & absolutionem det; & ille sic postea domum revertatur cum episcopi benedictione: hoc ita observandum est ab omni christianorum populo.

V. Attamen sacerdos diligenter considerare debet, quali cum contritione, & quali cum perfectione pœnitentiam, quæ ipsi imposita erat, compensaverit, & quomodo ipsi remissionem dare debeat.

VI. Si laicus alium occidat sine causa, jejunet VII. annos; III. pane & aqua, IV. sicuti confessarius eum docuerit; & post septem annos compenset, postea diligenter lugeat delictum suum, qua poterit industria, quoniam incognitum est quomodo accipiatur pœnitentia ejus apud Deum.

VII. Si quis alterum occidere velit, & nequeat voluntatem suam implere, jejunet tres annos, unum pane & aqua, & duos sicuti confessarius ipsius eum docuerit.

VIII. Si laicus invitus aliquem occidat, jejunet tres annos; unum pane & aqua, & duos sicut confessarius illius eum docuerit, & lugeat delictum suum semper.

IX. Si sit subdiaconus jejunet sex annos. Si sit diaconus, jejunet septem annos. Si sit sacerdos jejunet decem annos, & episcopus XII. & lugeat semper.

X. Si quis infantem suum occiderit invitus, jejunet quinque annos, tres pane & aqua, ut supra.

XI. Si episcopus vel sacerdos aliquem occiderit, perdat ordinem suum, & postea diligenter compenset.

XII. Si uxor infantem suum enecet intra se, vel postquam natus sit, potu vel aliis rebus, jejunet decem annos, tres pane & aqua, & septem prouti confessarius ejus ex misericordia ei sanciverit, & deinde illud lugeat.

XIII. Si quis mancipium suum occiderit, sine culpa in furore suo, jejunet tres annos.

XIV. Si mulier maritum suum verberet ex aliqua zelotypia, & ille inde moriatur, & ille sit innocens, jejunet septem annos, & si ille sit reus, jejunet tres annos, & lugeat delictum suum semper.

XV. Si quis seipsum sponte occidat armis, vel aliqua diaboli instigatione, non est permissum ut pro tali homine Missæ cantentur, neque cum aliquo psalmi cantu corpus terræ inferatur, neque in pura sepultura jaceat sepultus. Illud idem judicium faciendum est ei, qui pro reatu suo vitam suam tormentis finit, quales sunt fur, homicida, & Domini proditor.

XVI. Si quis se cum bestia polluit, vel masculus cum alio, si sit XX. annorum, jejunet quindecim annos; & si vir uxorem suam habeat, & ipse XL. annos natus sit, & tale quid committat, abstineat, & jejunet quamdiu in vivis est, & non præsumat Domini corpus percipere, antequam mors illum avocet. Juvenis & insipiens acriter verberetur, qui tale quid commiserit.

XVII. Si quis adulterium committit per septennium tribus diebus in hebdomada jejunet pane & aqua, sive sit uxor, sive maritus.

XVIII. Si quis conjugem suam deserit, & ducit aliam uxorem, adulterium committit, non concedatur ei aliquid eorum jurium, quæ ad christianos pertinent, nec mortuo, nec vivo, nec sepeliatur homo hic cum christianis. Et idem etiam uxori fiat. Et cognatorum, qui idem fecerint, perdat quilibet jus suum, nisi citius reverti & sedulo corrigere velint.

XIX. Si quis habeat uxorem & concubinam etiam, nullus sacerdos ei ullum aliquod officium præstet cum christianis, nisi ad emendationem revertatur, unam retineat sibi sive uxorem, sive concubinam.

XX. Si vir cum alterius legitima uxore coeat, vel uxor cum alterius uxoris legitimo conjuge, jejunet septem annos, tres pane & aqua, & qua-

& quatuor ſicut confeſſarius eum docuerit, & lugeat delictum ſuum ſemper.

XXI. Si quæ uxor duos fratres in conjugium ſumat, unum poſt alium, judicio obnoxii ſunt illi, & ſeduli in pœnitentia ſint quamdiu vivunt, prout confeſſarius eorum docuerit ipſos; & in eorum obitu ſacerdos faciat iis officium, ſicut chriſtianis fit, ſi promiſerint ſe melius emendare voluiſſe, ſi diutius vixiſſent.

XXII. Si quis in aliquo nefando peccati conſortio permanſerit, uſquedum vitam ſuam finiat abſque ulla reſipiſcentia; non novimus aliquod ei conſilium ſuppeditare, niſi quod hoc ad Dei judicium pertineat, neque poteſt abſolvi.

XXIII. Si uxor aliqua deſponſata ſit, non ſit permiſſum ut aliquis alius vir eam illi eripiat; ſi quis hoc fecerit, ſit excommunicatus.

XXIV. Si quis cum fraude ſua uxorem vel virginem invitam rapuerit ad illicitum concubitum, ſit ille excommunicatus.

XXV. Si quis illecebris ſuis alterius hominis pediſſequam ab eo ſeducat ſcortationis cauſa, & cum illa invita coeat; ſi ſit ſacris initiatus homo, perdat ordinem ſuum; ſi ſit laicus, ſit excommunicatus ab omnibus chriſtianis officiis.

XXVI. Si quæ virgo deſponſata eſt, & hoc temporis intervallo abducatur, vel ſub aliquo prætextu auferatur ab eo, cui deſponſata erat; & deinde accidat ut illa in conſpectum ejus veniat, cum venia illi poſſunt coire, quoniam contra voluntatem ſuam illa ab eo aberat.

XXVII. Si fœmina conſecrata ſit, & deinde ad mundanam vanitatem revertatur, & familiam alat, & cogitet ſe ex poſſeſſione ſua emendaturam eſſe quod a Deo declinaverit, hoc nihil eſt; ſed deſerat peccati conſortium, & revertatur ad Chriſtum, & vitam ſuam vivat, ſicut confeſſarius illius docuerit, & *diligentiſſime* deinde delictum corrigat.

XXVIII. Si presbyter vel monachus hominem occiderit, perdat ordinem ſuum, & jejunet decem annos; quinque pane & aqua, & quinque tribus diebus per hebdomadam; & reliquis fruatur cibo ſuo, & lugeat delictum ſuum ſemper.

Diaconus octo pane & aqua, & reliquis ut ſupra.

Clericus VI. annos; IV. pane & aqua.

Laicus V. annos; III. pane & aqua, ut ſupra.

XXIX. Si quis ſacris initiatum occiderit, vel proprium proximum cognatum, deſerat terram & poſſeſſionem ſuam, & faciat ſicuti papa inſtruxerit eum, & lugeat ſemper.

XXX. Si presbyter vel monachus concubitum laſcivum exerceat, vel conjugium violet, jejunet X. annos, & lugeat ſemper. Diaconus VII. Clericus VI. Laicus V. (annis) ut propter homicidium.

XXXI. Si presbyter vel monachus vel diaconus legitimam uxorem habet, antequam conſecratus ſit; eam deſerat & ordines recipiat, & poſtea propter concubitum illam ſæpe recipiat, jejunet quilibet eorum tanquam pro homicidio, & valde lugeant.

XXXII. Si ſacerdos, vel monachus vel diaconus vel laicus vel clericus cum monacha coeat, jejunet quilibet, prouti ordini ſuo convenit tanquam pro homicidio, & ſemper a carne abſtineat; & monialis decem annos, uti etiam ſacerdos, & lugeant ſemper.

XXXIII. Si quis cum moniali coire vellet, & ipſa nollet, jejunet unum annum pro injuſta illa voluntate pane & aqua. Si quis vellet coire cum alterius legitima uxore, & ipſa nollet, jejunet unum annum pro injuſta illa voluntate pane, & aqua.

XXXIV. Si quis coire vellet cum alterius legitima conjuge, & ipſa nollet, jejunet tres quadrageſimas pane & aqua, unam in æſtate, aliam in autumno, tertiam in hyeme.

XXXV. Si quis velit cum uxore injuſte coire jejunet XL. dies pane & aqua.

XXXVI. Si quis alium cum filia ſua deprehendat, compenſet apud (puellæ) amicos, & uterque jejunet unum annum diebus Mercurii & Veneris quamdiu vixerit, & lugeat ſemper delictum ſuum.

XXXVII. Si quis cum beſtia coeat, jejunet XV. annos; octo pane & aqua, & ſeptem alios quolibet anno tribus diebus quadrageſimis, & diebus Mercurii & Veneris, quamdiu vixerit, & lugeat ſemper delictum ſuum.

XXXVIII. Si quis ſeipſum propria de voluntate polluat, jejunet tribus annis; quolibet tribus quadrageſimis pane & aqua, & abſtineat a carne ſingulis diebus, excepto die ſolis.

XXXIX. Si quis alium veneficio occidat, jejunet ſeptem annos, tres pane & aqua, & quatuor alios annos tribus diebus per hebdomadam pane & aqua; & lugeat ſemper.

XL. Si quis homini paxillum infigat, jejunet tres annos; unum pane & aqua, & duos tribus diebus per hebdomadam pane & aqua; & ſi homo propter paxillum illum moriatur, tunc jejunet ſeptem annis; ſicuti hic adſcriptum eſt, & lugeat delictum ſuum ſemper.

XLI. Si quis veneficio utatur ad alterius amorem (ſibi conciliandum) & ei (illud) det in eſu vel in potu, vel in arte incantandi, ſi ſit laicus, jejunet dimidium anni diebus Mercurii & Veneris pane & aqua, & aliis diebus utatur cibo ſuo, excepta carne. Clericus unum annum, ut ſupra, tribus diebus per hebdomadam pane & aqua. Diaconus tres annos ut ſupra. Presbyter quinque annos; unum eorum pane & aqua, & quatuor quolibet die Veneris pane & aqua, & aliis diebus abſtineat a carne.

XLII. Si quis turpiter in præternaturalibus rebus contra Dei creaturam per aliquam rem ſe polluerit ipſum, lugeat ſemper quamdiu vixerit, juxta illud quod factum eſt.

XLIII. Si quis in ſomno infantem ſuum comprimat, ut moriatur, jejunet tres annos; unum pane & aqua, & biennium tribus diebus per hebdomadem; & ſi per ebrietatem factus ſit, compenſet gravius, ſicut confeſſarius ipſius docuerit, & lugeat illud ſemper.

XLIV. Si infirmus infans ethnicus (id eſt abſque baptiſmo) decedat, & hoc ex ſacerdotis procraſtinatione ſit, perdat ordinem ſuum, & ſedulo hoc corrigat; & ſi id per negligentiam amicorum fiat, jejunent tres annos, unum pane & aqua, & biennium tribus diebus per ſeptimanam, & lugeant hoc ſemper.

XLV. Si quis chriſtianum ad ethniciſmum vendat, non ſit dignus aliqua requie cum chriſtianis, niſi ipſum deinde domum redemerit, quem antea vendiderat foris; & ſi hoc facere nequit, dividatur pretium illud totum, Dei gratia, & alium redimat alio pretio, & eum tunc dimittat, & ad hæc augeat compenſationem tres annos integros, ſicuti confeſſarius illum docuerit. Et ſi pecuniam non habeat, qua hominem redimere poſſet, compenſet gravius, hoc eſt. ſeptem annos integros, & lugeat ſemper.

☞ XLVI. Si quis ſeipſum valde labefactet multi- A fariis peccatis, & ille deinde ab eis abſtinere & ſedulo corrigere velit, inclinet ad monaſterium, & ſerviat ibi ſemper Deo & hominibus, ſicuti docetur, vel a patria longe peregrinetur, & pœnitentiam agat ſemper, quamdiu vixerit, atque ſalutem quærat animæ ſuæ ſaltem in terra per graviſſimam compenſationem, quam unquam experiri poſſit; prouti docetur.

De pœnitentia.

I. In hac confeſſione valde conducit alicujus theologi neceſſarium auxilium, ſicuti omnino bonus medicus eſt ægroti hominis medela.

II. Per concupiſcentiam homo ſæpe peccat, & haud raro per diaboli inſtigationem; & hoc eſt terribile, quod ſacris initiati tam graviter apud B Deum peccent, ut ordinem amittant.

III. Et ad hoc corrigendum opus eſt rigida pœnitentia, ſemper tamen juxta ordinis & juxta peccati modum, ſecundum leges canonicas. Et etiam quærendum eſt de hominis viribus, & de (ſatisfactionis) ejus modo, & de ipſiuſmet animi compunctione. Aliqui pœnitentiam agant annum; aliqui plus anno; & deinde pro delicti modo, aliqui pœniteant menſem, aliqui plus menſe: aliqui ſeptimanam pœniteant, aliqui plus ſeptimana; aliqui diem pœniteant, & aliqui plus die, & aliqui omnes vitæ ſuæ dies.

IV. Si medicus gravia vulnera bene curare debet, adhibeat oportet bona medicamenta; nulla vulnera ſunt adeo mala, quam vulnera peccati, C quoniam iis homo meretur æternam mortem, niſi per confeſſionem, & per abſtinentiam, & per pœnitentiam ſanetur.

V. Tunc medicus debet eſſe ſapiens & prudens, qui vulnera curare debet. Per bonam doctrinam prius curetur, & hoc facto expurgetur venenum, quod in eo eſt, hoc eſt, ut ſeipſum prius purget per confeſſionem.

VI. Omnis homo evomere debet peccata per bonam doctrinam cum confeſſione, eodem modo, ac fit lethalis morbus per bonam potionem.

VII. Non poteſt aliquis medicus bene curare antequam venenum exceſſerit, neque homo aliquis etiam pœnitentiam bene docere poteſt eum, qui confiteri nolit, neque aliquis homo peccata D bus ſuis faciat ſedulo, quicquid poteſt, ſaltem abſque confeſſione corrigere poteſt; ſicut minus bene curari poteſt, qui lethale quid exhauſit, niſi venenum omnino evomat.

VIII. Poſt confeſſionem per pœnitentiam quis Dei miſericordiam poteſt cito mereri, ſi cum interiori corde plangat, & lugeat quod per diaboli inſtigationem antea ſeductus ſit ad injuſtitiam.

IX. Prudentem confeſſarium valde etiam decet prudens pœnitentia, ſicut omnino boni medici eſt ægrum hominem curare. De compenſatione neceſſarii uſus & de operibus hominis inquiri debet ſecundum leges canonicas, & ratio ſtatui etiam pro viribus, & pro modo, & pro eo, qui agnoſcit cordis ſui luctum, & ſolicitudinem propriam.

X. Gravis pœnitentia eſt, quod laicus arma ſua E deponat, & nudus pedibus longe peregrinetur, & non pernoctetur alicubi, & jejunet & valde vigilet, & oret diligenter die ac nocte, & volens ſe fatiget, & ita incultus ſit, ut ferro nec crines nec ungues tangat.

XI. Nec ut ingrediatur thermas, nec lectum mollem, nec guſtet carnem nec aliquid ejus, unde ebrius eſſe poſſit; non ingrediatur eccleſias, attamen locum ſanctum diligenter quærat, & reatum ſuum confiteatur, & interceſſionem roget, & neminem oſculetur, ſed ſemper peccata ſua valde lugeat.

XII. Crudeliter agit qui ſeipſum hoc modo damnat, attamen beatus eſt ille, ſi nulli alii rei invigilet, quam ut plene (peccata) corrigat; quoniam nullus homo in mundo adeo valde Deum peccatis offendit, quin apud Deum emendare queat, ſi hoc ſedulo aggrediatur.

XIII. Pœnitentiæ fiunt variis modis, & multi homines eleemoſynis (eam) redimere poſſunt.

XIV. Si quis ad hoc facultates habeat, erigat eccleſiam in laudem Dei, & ſi præterea valeat, adiiciat terram, & admittat decem juniores, qui ibi pro eo ſervire, & ibi quotidie Deo poſſint miniſtrare; & inſtauret etiam Dei eccleſiam ubique pro facultate ſua, & inſtauret vias publicas pontibus ſuper aquas profundans, & ſuper cœnoſas vias, & diſtribuat, Dei cauſa, diligenter id, quod habet juxta facultatum ſuarum rationem, & adjuvet diligenter pauperes viduas, & orphanos & peregrinos; manumittat ſervos ſuos proprios, & redimat ab aliis hominibus ſervorum ſuorum libertatem, ac ſaltem pauperes bello vaſtatos, & paſcatur egenos, & veſtiat hoſpitio, & foco, balneo, & lectis eos proſpiciat, & in ſui ipſius neceſſitatem ubique diligenter interceſſionem faciat in miſſarum & pſalmorum cantibus, & ſemetipſum ex devotione erga Dominum ſuum caſtiget quam acerrime per abſtinentiam a cibo & potu, & quacumque corporali concupiſcentia.

XV. Et ſi quis autem minus facultatum habeat, diligenter pro viribus ſuis faciat, quod poteſt; decimet in Dei timore omne, quod habet, & examinet ſeipſum, quotiens opportune poterit, & ſæpe viſitet cum eleemoſynis ſuis eccleſias, & ſanctificet locum cum ſalutatione candelari, & concedat hoſpitium, & cibum, & protectionem eis, quibus opus eſt, & ignem ac alimentum, & lectum ac balneum, & faciat veſtiri & adjuvari pauperes, quantum poteſt.

XVI. Viſitet ex amore Dei ægros animo, & ægrotos, ac mortuos ſepeliat ex devotione erga Deum, & ipſe in occultis locis in genua provolvatur ſæpe, & ſuper terram totam ſe proſternat ſæpe ac crebro, & jejunet ac vigilet, & diligenter oret die & nocte, ſæpe ac crebro. Et ſi quis minus adhuc minus facultatum habeat, pro viri- D bus ſuis faciat ſedulo, quicquid poteſt, ſaltem labore conterat corpus ſuum adverſus libidinem. Si prius per mollem libidinem diabolo placuerit, jejunet nunc, e contrario, quod id prius per injuſtam ingluviem perpetraverat; vigilet & laboret contrario, quod prius ſæpe ſomnolentus & piger fuerit, cum non deberet, vel inutiliter nimis vigilaverit; ſuſtineat frigus & balneum frigidum contra æſtum, quem per cupidinem ſuam ubique excitavit. Et ſi aliquem ubique injuſte ſponte exacerbaverit, compenſet diligenter; & ſi aliquis eum offendat, libenter remittat ex timore Dei, & ſemper, quantum poterit, cogitet diligentiſſime quicquid compenſationis loco facere poſſit contra ſingula peccata, quæ per diaboli ſemen E prius adoleverant; & ſi de via aliquem, ad lucrandum quicquam deduxerit, ducat eum diligenter poſtea in rectam viam. Hoc eſt quod ego volo: ſi aliquem ad peccatum incitaverit, faciat ei ſicut neceſſarium eſt, deducat eum inde, & ducat illum in rectam viam, & quemlibet diligenter dehortetur a peccatis; tunc ſtatim peccata ipſius erunt leviora.

XVII. Idem judicium poteſt quis cum confeſſarii conſilio ſibi ipſi judicare, qui conſtanter a peccatis ſuis abſtinere, & peccata ſua corrigere vult, diſtribuat ex devotione erga Deum omne quod habet, & deſerat cum iis totam terram &

pa-

patriam, & omnem mundi amorem, & ſerviat Domino ſuo die & nocte, & laboret quam maxime poteſt contra propriam cupidinem omnes vitæ ſuæ dies. Quid amplius facere poteſt, quam ut hortetur (proprii commodi cauſa) quemlibet hominem ad jus, quam poteſt diligentiſſime.

Hic indicitur, quomodo ægrotus jejunium ſuum redimere debet.

XVIII. Unius diei jejunium uno denario redimi poteſt: quilibet homo poteſt unius diei jejunium redimere ducentis & viginti pſalmis; quilibet homo XII. menſium jejunium redimere poteſt XXX. ſolidis, vel ſi aliquem (e carcere) liberet, qui tanti æſtimetur. Et pro unius diei jejunio, ut cantetur ſex vicibus " Beati immacul. " & ſex vicibus " Pater noſter " & pro unius diei jejunio, ut genua flectantur, & incurventur LX. vicibus ad terram cum " Pater noſter. Poteſt etiam aliquis unius diei jejunium redimere, ſi omnia membra extendat ad Deum in orationibus ſuis, & cum vera contritione, & cum fide recta, & XV. vicibus cantet " Miſerere mei Deus " & XV. vicibus " Pater noſter. " Et tunc ei conceſſa ſit totius diei allevatio peccatorum.

XIX. Septennale jejunium quis XII. menſibus compenſare poteſt, ſi quotidie cantando finiat pſalterii pſalmos, & itidem nocte, & I. veſpere. Redimi poteſt etiam per unam miſſam XII. dierum jejunium; & per decem miſſas allevari poteſt IV. menſium jejunium, & per XXX. miſſas allevari poteſt XII. menſium jejunium, ſi velit ex vero Dei amore pro ſeipſo intercedere, & peccata ſua confeſſario ſuo confiteri, & eadem corrigere, prout ille eum docuerit, & diligenter ſemper ab iis abſtinere.

De magnatibus.

I. Ita vir potens & amicorum dives pœnitentiam ſuam auxilio amicorum multum allevare poteſt. Primo in Dei nomine per confeſſarii ſui teſtimonium oſtendat veram fidem, & condonet omnibus illis, qui erga eum peccaverunt, & faciat confeſſionem ſuam intrepide, & polliceatur abſtinentiam, & ſuſcipiat pœnitentiam cum multo gemitu.

II. Deponat tunc arma ſua & inanem veſtium cultum, & ſumat ſcipionem in manus, & eat ſedulo nudus pedibus, & corpori induat lanea, vel cilicia, & non ingrediatur lectum, ſed jaceat in area, & faciat, ut VII. annorum numerus intra tres dies ita temperetur; primo accipiat in auxilium ſibi XII. homines, & jejunent tres dies pane & viridibus oleribus, & aqua, & conquirat ſibi ad conſummandum illud, quomodocumque poteſt, ſepties CXX. homines, qui jejunent ſinguli pro eo tribus diebus; tunc jejunantur tot jejunia quot ſunt dies in VII. annis.

III. Cum quis jejunat, diſtribuat fercula, quibus ipſe uti deberet, omnibus Dei pauperibus, & tribus diebus, quibus jejunat, negligat mundi negotia, & die ac nocte quam ſæpiſſime poteſt in eccleſiis habitet, & ibi cum eleemoſynario lumine vigilet diligenter, & ad Deum clamet, & remiſſionem petat animo gementi, & ſæpe genua flectat ſuper crucis ſignum; interdum erigat ſe, interdum ſe proſternat, & diligenter noſcat vir potens lacrymas fundere, & peccata deflere. Et paſcat tribus diebus pauperes quotquot maxime poteſt, & quarto die abluat omnes, & hoſpitio excipiat, & pecuniam donet, & ipſe pœnitentiam agens ſit circa lotionem pedum eorum (occupatus) & miſſæ dicantur eo die pro ipſo tot, quot unquam obtineri poſſunt, & illarum miſſarum tempore detur ei abſolutio, & tum ſanctam eucharistiam percipiat, niſi nimium gravis ſit peccator, ut adhuc (eam percipere) nequeat: & tunc polliceatur ſaltem, quod ſemper abhinc Dei voluntatem peragere velit, & ab omni injuſtitia per Dei auxilium impoſterum abſtinere, chriſtianiſmum quam ſtrenue unquam poteſt, juſte tenere, & omnem gentiliſmum omnino abiicere, animum & mores, verba & opera ſedulo corrigere, omnem juſtitiam colere, & injuſtitiam evitare per Dei auxilium, quam diligentiſſime unquam poſſit. Et maximo ſuo commodo faciet ille, qui hoc præſtiterit, quod Deo pollicitus erat.

IV. Hæc eſt potentis viri & amicorum divitis pœnitentiæ allevatio; aſt infirmus non poteſt ita procedere, ſed debet in ſeipſo illud exquirere diligentius. Et hoc eſt etiam æquiſſimum, ut quilibet propria ſua delicta diligenti correctione ulciſcatur in ſeipſo. Scriptum eſt enim " Quia unuſquiſque onus ſuum portabit. "

Leges eccleſiaſticas regis Edgari.

Ex mſ. Coll. Corp. Chr. Cantabr. §. XVIII. & K. II.

Eadgari leges.

HOC eſt inſtitutum, quod Eadgarus cum ſapientum ſuorum conſilio inſtituit in gloriam Dei, & ſibi ipſi in dignitatem regiam, & in utilitatem omni populo ſuo.

I. *De immunitate eccleſiæ, & debitis eidem reddendis.*

Hoc ſit igitur primum quod eccleſiæ Dei jure ſuo dignæ ſint, & dentur omnes decimæ primariæ eccleſiæ, ad quam parochia pertinet; & tunc præſtetur ſive de terra thani, ſive de terra villanorum, prouti aratrum circumducitur.

II. *De cenſu eccleſiaſtico.*

Si quis thanorum ſit, qui in feodo ſuo eccleſiam habet, in qua ſit cœmeterium, det tunc tertiam partem propriarum decimarum ſuarum eccleſiæ ſuæ. Si quis eccleſiam habet, in qua non ſit cœmeterium, tunc ex novem partibus presbytero ſuo det quicquid velit, & tranſeat quilibet eccleſiaſticus cenſus ad primariam eccleſiam de qualibet terra libera.

III. *De decimis.*

Et ſingulæ fœtuum decimæ præſtentur ad pentecoſten, & terræ frugum ad æquinoctium. Et quilibet cenſus eccleſiaſticus præſtetur ad feſtum Martini, per plenam mulctam, quamlibet judicialis adnotat. Et ſi quis decimam præſtare nolit, ſicuti diximus, proficiſcatur ad eum. Præfectus regis, & epiſcopi, & eccleſiæ presbyter, & ſumant, invito eo, decimam partem, quæ ad eccleſiam pertinet, & aſſignent ei nonam partem, & dividantur octo partes in duo, & capiat dominus dimidium, dimidium epiſcopus, ſive ſit regis ſive thani miniſter.

IV. *De nummo in ſingulas domos impoſito.*

Et quilibet nummus in domos ſingulas impoſitus, detur ad Petri feſtum diem, & qui ad illum terminum (eum) non ſolverit, portet eum Romam, & alios præterea XXX. denarios, & referat inde teſtimonium, quod ibi tot tradiderit. Et tunc domum reverſus, ſolvat regi CXX. ſolidos, & ſi eum iterum ſolvere nolit, portet illum deinde Romam, & ſimile quid compenſet, & tunc domum reverſus, ſolvat regi ducentos ſolidos. Si tertia vice reddere nolit, perdat omne quod habet.

V. *De*

V. *De festis diebus & jejuniis.*

Quodlibet diei solis festum celebretur ab hora pomeridiana diei saturni, usque ad diluculum diei lunæ, sub mulcta quam liber judicialis adnotat; & singuli alii festi dies (celebrentur) sicut justum est. Et institutum jejunium servetur cum omni devotione.

ANNO CHRISTI 967.

ORATIO EDGARI REGIS

ANNO CHRISTI 967.

AD DUNSTANUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIÆ,

OSVVALDUM VVIGORNIÆ, & ETHELVVALDUM VVENTANÆ, EPISCOPOS,

In qua clericorum conjugatorum enumerat vitia, ejiciendosque decernit, & introducendos monachos. Curam rei his demandat episcopis regia fultis auctoritate.

QUoniam magnificavit misericordiam suam Dominus facere nobiscum: dignum est, o patres reverendissimi, ut innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, & brachium nostrum non servavit nos, sed dextra ejus, & brachium sanctum ejus, quoniam complacuit illi in nobis. Justum proinde est, ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris, subjiciamus illi & nos & animas nostras: &, ut hi, quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum æquitatis jure tractare, inter virum & proximum suum justum judicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum ejus, egenum, & pauperem a diripientibus eum. Sed & meæ solicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum, & necessaria eorum procurare, ac saluti, & quieti, vel paci consulere. De quorum omnium moribus ad * nos spectat examen, si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos qui foris sunt; si divinis officiis soliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sint discreti. Pace vestra loquor, reverendi patres: si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de clericis pervenissent.

Officium regis in sæcularibus.

In ecclesiasticis.

* *f.* ad vos

Episcopos insimulat negligentiæ.

Taceo quod non est illis corona patens, nec tonsura conveniens: at in veste lascivia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis produnt insaniam. Præterea in divinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra missarum solemnia ad ludendum, subridendum, magis quam ad psallendum, congregari videantur. Dicam quod boni lugent, mali rident: dicam dolens (& si tamen dici potest) quomodo diffluant in comessationibus, in ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, ut jam domus clericorum putentur postribula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi usque ad medium noctis spatium, protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic patrimonia regum, eleemosynæ pauperum, immo, quod magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus regius, detractis reditibus multis, elargitus est? ad hoc ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosa convivia præparentur, canes, ac aves, & talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis. Ubi gladius Levi & zelus Simeonis, qui ut scorto abutentes filia Jacob, Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circumcisos succiderunt? Ubi spiritus Moysis, qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Ubi pugio Phinees sacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens, sancta hac æmulatione Deum placavit iratum? Ubi spiritus Petri, cujus virtute perimitur avaritia, hæresis simoniaca condemnatur?

Clericorum enum erat vitia.

Patrimonium ecclesiæ, pauperum est, non luxuriæ.

Iterum accusat episcopos negligentiæ.

Æmulamini, o sacerdotes, æmulamini vias Domini, & justitias Dei nostri. Tempus insurgendi contra eos qui dissiparunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri, gladium habetis in manibus. Jungamus dexteras: gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in templo filii Levi, qui dixit patri & matri, nescio vos, & fratribus suis, ignoro vos. Agite quæso solicite, ne pœniteat nos feciſſe quod fecimus, dedisse quod dedimus: si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi. Moveant vos sanctorum reliquiæ, in quibus insultant; veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moveat vos antecessorum nostrorum mira devotio, quorum eleemosynis vesania clericalis abutitur. Proavus meus Edvvardus, ut scitis, omnem terram suam ecclesiis & monasteriis decimavit. Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus, ut ecclesiam ditaret, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putavit. Avus meus senior Edvvardus quanta contulerit ecclesiis, paternitatem vestram non latet. Pater meus, & frater, quibus donariis Christi altaria cumulaverint, meminisse vos decet.

Hortatur ad vindicandum sceiera.

Antecessorum ejus munificentia.

O pater patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos ab illa lucida cæli plaga in te radiantes. Audi querulas ejus voces cum quadam pietate in tuis auribus resonantes: Tu mihi, pater Dunstane, tu mihi de construendis monasteriis, de ecclesiis ædificandis, consilium salubre dedisti: tu mihi adjutor in omnibus & cooperator extitisti: te quasi pastorem, patrem, & episcopum animæ meæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos unquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non sprevi? Si quid pauperibus erogandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum ecclesiis judicabas, non distuli. Si quid monachis clericisve deesse querebaris, supplevi. Æternam dicebas eleemosynam esse, nec aliam fructuosiorem, quam quod monasteriis ecclesiisve confertur, quo Dei servi sustententur, & quod supereſt, pauperibus erogetur. O pretiosam eleemosynam; & dignum animæ pretium! O peccatis nostris salubre remedium! quod a sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet, quod ejus auriculas

Donstanum singillatim provocat.

Eleemosyna laus.

culas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in byſſo ſtringit & purpura. Ecce, pater, eleemoſynarum fructus mearum, & tuæ permiſſionis effectus. ANNO CHRISTI 967.

Quid huic querimoniæ reſpondebis? Scio, ſcio: cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguiſti, obſecraſti, atque increpaſti. Contempta verba ſunt, veniendum eſt ad verbera, & non deerit tibi poteſtas regia. Habes hic tecum venerabilem patrem Ethelvvaldum VVintonienſem epiſcopum: habes reverendum præſulem VVigornienſem Oſvvaldum; vobis iſtud committo negotium, ut & epiſcopali cenſura, & regia auctoritate, turpiter viventes de eccleſiis ejiciantur, & ordinate viventes introducantur. ANNO CHRISTI 967.

☞ CONCILIUM ROMANUM

Pro variis eccleſiæ Dei rebus diſponendis a Joanne XIII. præſentibus Ottone Magno, & Ottone ejus filio imperatoribus.

Anno 967. exeunte & 968. ineunte celebratum.

Suppl. Manſi pag. 29.

CElebris hujus Synodi, cujus acta deperierunt, monumenta tria ſuperſunt, quorum alterum eſt bulla Joannis XIII. pro inſigni Parthenone Granderſehimenſi, quod ſub tuitione, & munimine S. R. E. excipit, quam bullam in eo concilio datam integram in ſuam bullam tranſtulit Innocentius III. & una cum illa legenda eſt apud Lunig. ſpicileg. eccleſ. in Granderſehimenſibus in ſupplem. pag. 37. ex quo hic damus. Aliud vero eſt bulla altera ejuſdem pontificis pro jure libertatis a ſubjectione Trevirenſis archiepiſcopi monachis S. Maximini Trevirenſibus decernendo, extatque pariter apud Lunigium in Spicileg. pag. 262. ex quo pariter hic editur. Tertium denique cæteris inſignius eſt bulla Joannis in hoc ipſo concilio data pro erectione epiſcopatus Miſnenſis, cui longo ordine ſubſcripti leguntur epiſcopi illi, qui concilio huic affuerunt. Quanquam vero ex illis plures ſubſcripti Ravennatenſi concilio iſto eodem anno coacto leguntur; ſunt tamen quidam ab illis plane diverſi, quorum nomina & epiſcopatus ſcire ad conciliarem & eccleſiaſticam hiſtoriam maxime conducit. Ita E. G. inter epiſcopos ſeſe offert Luzo epiſcopus Cremonenſis. Per hæc quidem tempora Cremonenſem cathedram tenebat Luitprandus, ſed cum a legatione Conſtantinopolitana nondum forte rediiſſet, ideo vacantem cathedram Luzo, vel Luizo adminiſtrabat. Rediit tamen quo tempore Synodus altera Ravennatenſis anno eodem 968. at Romana iſta ſerius convenit. Qua de cauſa ejus nomen inter epiſcopos, qui inſtitutioni archiepiſcopatus Magdeburgenſis aſſenſum præbuerunt, legitur. Ex quo diſcimus, ſubſcriptiones illas ad ſecundum Ravennatenſe concilium pertinere. (*a*)

JOANNIS XIII. PAPÆ BULLA

Ad Gerbergam abbatiſſam Grandersheimenſem.

JOhannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, meritis & ſanguinis claritate rutilanti, dilectiſſimæ nobis in Chriſto filiæ Gerbergæ, venerabili abbatiſſæ monaſterii ſanctorum confeſſorum Innocentii, & Anaſtaſii, quod Gandersheim nuncupatur, atque poſteris ſuis in perpetuam ſalutem benedictionemque apoſtolicam. Si piis votis ac petitioni aſſenſum præbemus, omnipotenti Deo nos placere credimus. Quapropter univerſis ſanctæ catholicæ eccleſiæ filiis præſentibus & futuris notum eſſe volumus, quod in Synodo, quæ apud corpus beatiſſimi Petri apoſtolorum principis acta eſt in menſe decembris, & indictione undecima, amabiles Deo ac ſpirituales filii noſtri, Otto major, & minor, ſereniſſimi imperatores auguſti apoſtolicam paternitatem noſtram humiliter obſecrare dignati ſunt, coram archiepiſcopis, & epiſcopis, videlicet Italicis, & ultra Montanis numero triginta & ſex, quatenus præfatum monaſterium Ganderſeim, quod conſtat eſſe ſub tuæ filiationis regimine ſitum in regno citerioris Saxoniæ ad honorem prædictorum confeſſorum Chriſti Innocentii, & Anaſtaſii, auctoritatis noſtræ præſidio muniremus, & ſub tuitione jureque ſanctæ ſedis apoſtolicæ perpetim ſuſciperemus. Quorum piis congaudentes petitionibus alacri mente id fieri decrevimus, præcipientes ex ea, qua vice clavigeri cæleſtis regni fulcimur, auctoritate, ut prænominatum venerabile cœnobium nemo unquam ſæcularium poſſideat, neque ex decimis & poſſeſſionibus ejuſdem quicquam ſibi aliquis uſurpet, non rex, non marchio, non comes, non epiſcopus, nec quilibet princeps quacumque poteſtate præditus, niſi forte tuendi ac defendendi cauſa, & hoc nonniſi tua & ejus, quæ pro tempore regularis fuerit, abbatiſſa, ſobria fiat permiſſione. Eſto igitur ad laudem omnipotentis regis abbatiſſa ejuſdem monaſterii, & ſubditas tibi ſorores ad cæleſtis patriæ gaudia expetenda inſtigare prudenti magiſterio non ceſſes. Sit ſemper eiſdem ſororibus facultas ſive licentia ex ipſa ſua congregatione poſt obitum abbatiſſæ aliam ſibi matrem, ſecundum regulam ſuam, ſubſtituere, & quam digniorem viderint pari animo & conſenſu habeant poteſtatem eligere. Confirmamus vero & corroboramus ipſi ſancto monaſterio omnes res & poſſeſſiones mobiles & immobiles, quas nunc habet, & in antea, Deo opitulante, habere debet quolibet jure acquiſitionis, ita ut amodo, & uſque in finem ſecula * licenter eas teneat & poſſideat, omnium hominum contradictione remota. Si quis autem contra hujus noſtri apoſtolici privilegii tutelam agere temptaverit, & ex his, quæ a nobis decreta ſunt, aliqua pervertere molitus fuerit, hunc cum auxilio ſanctæ, & individuæ Trinitatis, & interventu Beatæ Mariæ ſemper virginis, omniumque ſanctorum, ex auctoritate beatiſſimi Petri apoſtolorum principis cum aſſenſu comprovincialium pontificum, & omnium hujus noſtræ ſanctæ ſedis ſuffraganeorum epiſcoporum

* ſeculorum.

(a) Vide P. Franciſcum Antonium Zacheriam in Opere, *Epiſcoporum Cremonenſium ſeries &c.* ubi demonſtrat *Luizonem* alterum eſſe Luitprandi nomen pag. 84. ex quo fit ut ea omnia corruant quæ in hoc Concilii præmonitione intuli. *Manſi*.

porum excommunicamus, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ, omniumque christianorum societate separantes perpetualiter anathematizamus. Scriptum per manus Stephani Scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense & indictione supra dicta undecima. Benevalete. Dat. Kal. Januarii per manus VVidonis episcopi sanctæ sylvæ candidæ ecclesiæ & Bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno Deo propitio pontificatus Domini Johannis summi pontificis, & universalis tertii decimi papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli tertio, imperatoribus serenissimis dominis, Ottone majore, & minore. Anno imperii majoris sexto, minoris vero primo. In mense & indictione undecima.

ANNO CHRISTI 967.

ALTERA EJUSDEM JOANNIS BULLA

in eadem Synodo data

Ad Theotfridum abbatem S. Maximini Trevirensis.

JOannes episcopus, servus servorum Dei, venerabili abbati, amabili nobis in Christo filio Theitfrido apostolicam benedictionem, & salutem. Congruit apostolico moderamini, pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione impartire assensum, ex hoc enim lucri potissimum a Conditore omnium Deo proculdio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint statum reducta. Igitur quia religiositas tua petit, ut monasterio tuo, quod in suburbio Trevirensi in honorem beatissimi confessoris Christi Maximini constructum esse dignoscitur ob conservandam tibi, atque fratribus vel successoribus tuis monasticæ tranquillitatis normam sanctæ apostolicæ nostræ (cui auctore Deo præsidemus) ecclesiæ privilegium concedamus, tuæ petitioni benevola intentione assensum accommodare curavimus, decernentes apostolicæ auctoritatis præcepto, ut congregatio Deo, sanctoque Maximino religiose deserviens, sicuti a carissimo filio nostro Ottone, cæterisque regibus, vel imperatoribus Francorum concessum est, liberam deinceps habeant potestatem creandi inter se, quem secundum Deum sibi abbatem elegerint, nec aliqua cujuslibet dignitatis persona infra monasterium, nisi a te aliove abbate successore tuo vocatus, quicquid pro suo libitu ordinare vel temere exercere præsumat. Præterea apostolica nostra auctoritate omnimodis interdicimus, ne cui unquam ecclesiæ vel sedi concambio, vel alio aliquo negotio subdatur, sed tali libertate & immunitate, sicut Prumiense monasterium, cæteraque loca regalia, inoffense & perpetualiter semper fruatur. Ipse autem locus monasterii perenniter sub Mundiburdio regum vel imperatorum filiorum, scilicet sanctæ Romanæ ecclesiæ præcepto apostolico jubemus, ut permaneat nulli unquam personæ beneficiarius, aut invadendus pateat, sed ad usus & tranquillitatem monachorum ibi sub regula S. Benedicti Deo militantium absque ullius contradictione libenter permaneat. Ad cumulum quoque, vel augmentum monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne qua cujuslibet dignitatis persona quicquam vel minimum alienare, vel minuere de rebus ecclesiæ præsumat tam ex his, quæ modo monasterio tuo collata sunt, quam ex his, quæ cæteri fideles in dies collaturi sunt. Si quis autem (quod absit) nefario ausu præsumere hæc, quæ a nobis ad laudem Dei omnipotentis pro stabilitate jam dicti venerabilis cœnobii statuta sunt, infringere, aut in quocumque violare studuerit, ex auctoritate Dei omnipotentis per interventum B. Petri apostolorum principis (cujus vice fungimur) & nostræ humanitatis apostolicæ constitutionem, & assensum omnium comprovincialium, sive suffraganeorum episcoporum anathematis vinculo inextricabiliter innodamus. Scriptum per manus Stephani Scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, lectum in synodo Romæ habita, assidentibus divis imperatoribus Ottone magno, filioque ejus æquivoco, anno imperii majoris sexto, junioris primo. Datum IV. nonas Januarii.

ANNO CHRISTI 967.

TERTIA EJUSDEM BULLA

in ea Synodo data.

Johannes episcopus, servus servorum Dei.

SI semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt; quanto potissimum quæ divini cultus prærogativa noscuntur, non sunt omnino abroganda; quæ sunt a largitoribus non solum poscenda, sed vi caritatis proculdubio exigenda? Habita igitur Synodo & multorum venerabilium patrum, coepiscoporumque nostrorum conventu, Romæ in ecclesia B. Petri principis apostolorum, assidentibus augustissimis imper. Ottonibus utrisque; anno scilicet imperii, majoris sexto, minoris primo, iidem glorioissimi impp. postularunt a nobis, quatenus monasterium, quod pro remedio animarum suarum primitus construi, & in honore B. Johannis evangelistæ consecrari fecerunt, super ripam fluminis, cui nomen est Albia, in civitate Misina, sita videlicet in provincia, quæ dicitur Talemence, cui etiam monasterio virum venerabilem, nomine Burchardum, honorifice præfecerunt, privilegiis apostolicæ sedis decoraretur; ut sub jurisdictione sanctæ ecclesiæ nostræ, cui Deo auctore præsidemus, constitutum, nullius alterius ecclesiæ ditionibus summittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id, quod exposcitur, effectui mancipamus: interponentes tamen ea, quæ & ipsi principes nostri innumeris privilegiis cupiunt exponi, & cunctis in Christo fidelibus manifesta fieri. More antiquorum impp. hi duo imperatores, pater, & filius, nobis assidentes Misnensi episcopatui terminum imposuerunt, nominando fines & determinationes locorum, sicut infra tenetur. Ubi caput & fons est aquæ, quæ dicitur Odera; inde quasi recta via usque ad caput Albiæ; inde deorsum in occidentalem partem, ubi divisio duarum regionum est Behem & Nisinen. Ibidem ultra Albiam, & per silvam in occidentalem partem, usque ad caput Mildæ, & sic deorsum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque dum Milda intrat in Albiam; (nec non ob hoc diximus in occidentali plaga, quia multæ villæ pertinent ad orientales urbes infra eumdem terminum) & sic sursum & ultra provinciam Nizizi, ad ipsum terminum sine dubio: Nec non in altera parte Luzici, & Selpoli, & sic usque ad civitatem Sulpize, illam videlicet infra eumdem terminum, & inde in aquam quæ dicitur Odera, & sic Odera sursum, usque ad caput ejus. Omnes vero quemadmodum hi præsentes imperatores statuisse fatentur, qui infra istum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum in argento & vestimento, nec non, quod Teutonici di-

☞ dicunt, * Ubercota, & Telunga, familiarum in-
——— ſuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus
ANNO CHRISTI 967. mortales utuntur, in diverſis modis decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Miſinenſem eccleſiam, primo Deo, deinde S. Johanni evangeliſtæ, univerſa dubietate procul remota, perſolvant, referant, & reddant. (Teſtantur etiam iidem præſentes nobiliſſimi imperatores quaſdam res ſui juris, ac proprietatis eidem ſanctæ Miſinenſi eccleſiæ, cui venerabilis epiſcopus Burchardus præeſſe dinoſcitur, pro remedio animarum ſuarum in proprium dediſſe, hoc eſt tributorum ſuorum in quinque regionibus partes decimas, in Talemence, in Niſa, in Milezaſane, in Luzice, in Diedeſa: ut antea, quam Comes earumdem regionum partem ſibi ab ipſis conceſ-
Vidu Duang Gloſſ. Overcunga. B ſam auferat, atque diſtribuat, decimas per totum ac per integrum jam dictæ ſanctæ Dei eccleſiæ perſolvat, ideſt in melle, cruſina, * ſolu-
* Veſtis pellicæ genus. Duchang. V. Muſna. tione argenti, mancipiis, veſtimentis, porcis, frumento, & in omnibus rebus, quæ ad fiſcum prædictorum impp. pertinere videntur, ſanctæ Miſinenſi eccleſiæ, nec non S. Johanni evangeliſtæ ſui juris theloneum, a civitate, quæ dicitur Belegora, uſque ad ejuſdem Miſinenſis eccleſiæ portum, ſurſum, indeque denuo per ambas plagas præfati fluminis Albiæ deorſum, ſicque infra præfinitum terminum ubicumque manus negotiatorum ultra Albiam huc illucque ſeſe diverterit, ex integro, & abſque ulla contradictione eidem prænominatæ ſedi Miſinenſi, perſolvi & tradi peren-C niter conſtituiſſe.) Et ideo in Chriſto ſanximus firmiterque conceſſimus, ut nullus Metropolitanus, nullus epiſcopus, nulla etiam magna vel parva alterius ordinis, & gradus perſona præter ſedis apoſtolicæ antiſtitem, infra terminos Miſinenſis eccleſiæ, cui venerabilis epiſcopus Burchardus præeſſe dinoſcitur, quemquam ordinare, dijudicare, excommunicare, vel aliquid temere exercere, ullo modo præſumat. Statuentes etiam apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtatione, & validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus imperator poſt hac, aut rex nullus, ſive quiſpiam alius, cujuſcumque ſit dignitatis poteſtate præditus, ejuſdem eccleſiæ cauſis præſumat incumbere, vel minimum quid-D dam ex his, quæ ad illud monaſterium S. Johannis pertinere videntur, cui Burchardus epiſcopus præſidet, aut ſibi temere vindicare, aut alicui magnæ parvæque perſonæ pro beneficio dare, aut quoquolibet modo inde auferre vel alienare audeat. Promulgamus etiam, & hoc auctoritate B. Petri Apoſtolorum principis, coram Deo, & terribili ejus futuro examini per hujus noſtri privilegii, atque conſtituti vim interminamus, ne quis mortalium ſibi licere exiſtimet, aliquid ex poſſeſſionibus Miſinenſis eccleſiæ, tam ex his quæ antehac a glorioſiſſimis imperatoribus Ottone, & ejus æquivoco filio, vel a cæteris chriſtianis, eidem ſancto loco oblata, atque collata ſunt, quæque poſtmodum ſunt conferenda, ut profecto juxta id E quod ſubjectum eſt, idem venerabilis locus apoſtolico hoc privilegio inconcuſſe donatus permaneat. Si quis autem, quod minime optamus, nefaria auctoritate hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate ſæpedicti monaſterii ſtatuta ſunt, refragare præſumpſerit, noſtrique præcepti tranſgreſſor extiterit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo, atque Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti æterni incendii ſupplicio deputatum. At vero qui pio intuitu hujus apoſtolici conſtituti obſervator extiterit, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino Deo A multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Stephani Scriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Decembri, Indictione undecima. Signum Domini Ottonis minoris imp. Auguſti. Petrus Ravennenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſit. Rodaldus patriarcha Aquilejenſis ſubſcripſit. Sigolfus epiſcopus S. Placentinæ eccleſiæ conſenſi, & ſubſcripſi. Udalricus epiſcopus S. Pergamenſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi. Siggo Pledenſis * ec- * Blerenſis.
cleſiæ epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Benedictus epiſcopus S. Fulinenſis * eccleſiæ conſenſi & SS. * Fulginenſis.
Johannes epiſcopus S. Normienſis * eccleſiæ ſub- * Narnienſis, ſed inferius eſt Stephanus Narnienſis.
ſcripſit. Johannes epiſcopus S. Gallienſis * eccleſiæ ſubſcripſit. Johannes epiſcopus S. Arinenſis * * Callienſis. * Ariminenſis.
eccleſiæ interfuit & ſubſcripſit. Humbertus epiſcopus S. Lavienſis * eccleſiæ conſenſi, & ſubſcripſi. Gerhardus epiſcopus Faventinæ eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi. Aufredus epiſcopus Verdecenſis * eccleſiæ conſenſi, & ſubſcripſi. Zenobius epi- * Lunenſis.
ſcopus Feſolanæ eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi. Gaidolfus epiſcopus Firminæ * eccleſiæ conſenſi & * VVigfredus Virdunenſis.
ſubſcripſi. Ego Petrus epiſcopus Kamerinæ eccleſiæ ibi fui & ſubſcripſi. Eberhardus epiſcopus Aretinæ eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi. Stephanus epiſcopus Narninienſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi. Alberinus epiſcopus Auſculanus ſubſcripſi. Antonius Brixienſis * eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Dio- * Firmanæ.
tericus Metenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Lanvvardus Mindenſis epiſcopus ſubſcripſi. Huiber- * Ita legendum, cum apud Labbeum ſit Briſunenſis.
tus epiſcopus ſubſcripſi. Luzo epiſcopus Cremonenſis ſubſcripſi. Johannes epiſcopus Turdonenſis * Terdonenſis.
* ſubſcripſi. Adelbertus epiſcopus ſubſcripſi. Otger epiſcopus ſubſcripſi. Sichelinus Florentinus epiſcopus ſubſcripſi. Albericus epiſcopus ſubſcripſi. Artingo Auſinianæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Inſinno Laucanenſis * eccleſiæ epiſcopus ſub- * Lavicanenſis.
ſcripſi. Ertemarius Ancias epiſcopus ſubſcripſi. Julianus epiſcopus Nucerinus ſubſcripſi. Stephanus Cerviæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Atto Senegaliæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Lupus Spoltrinus epiſcopus ſubſcripſi. Lyndo Cluſianæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Data III. non. Januarii per manus VVidonis, epiſcopi S. Silvæ candidæ eccleſiæ, & bibliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ. An-
Dno Deo propitio, pontificatus Domini Johannis ſummi pontificis, & univerſalis tertii decimi papæ, in ſacratiſſima ſede B. Petri apoſtoli tertio, imperantibus Dominis piiſſimis Auguſtis Ottone, & ejus æquivoco filio, a Deo coronatis magnis imperatoribus, Anno majoris imperii ſexto, & minoris primo in menſe Januario, Indictione ſupra dicta undecima.

ANNO CHRISTI 967.

(Loc. Sign.)

☞ *Additio ex Brovvero in Ann. Trevir. ad an. 970.*

ANno ergo integro & dimidio jam evoluto, cum Hatto Archiepiſcopus Magoncienſis, cum Hildevvardo Halverſtadenſi, ſuo videlicet ſuffraganeo, in Italiam veniſſet, & Imperator illos in cauſa (condendæ Metropoli) blanda petitione conveniſſet; Hildevvardus Epiſcopus, tam ex Archiepiſcopi conſenſu, quam omnium qui aderant conſultu, prompta, & hilari mente, piæ ejus petitioni annuit; ac facto in præſentiarum pari æſtimatione concambio, *Synodali decreto* S. Mauritio Magdeburg, Sanctoque Laurentio Meſeburch, quæque petita tradidit, id eſt, omnem parochiam, ſitam inter fluvios *Albiam*, *Salam*, *Horam*, & *Bodam* uſque ad ea loca, ubi caſtra *Unesburg*, *VVantzleva*, Hortesleva

cum

cum omnibus pertinentiis, & villis, quæ Burchvvart appellantur, verſus occidentem longius protenſo fine terminantur, cum omni decimatione, banno, ſubjectione, obſedientiis, & omni Eccleſiaſtico ordine, prout Halverſtadenſis Eccleſia viſa eſt eatenus poſſediſſe. Recepit autem ad vicem ab Imperatore in partem, & utilitatem ſuæ Eccleſiæ, omnem decimationem in *Hoſgouve*, ut terminatur in fluviis *Sala VVillerbene*, & *VVippera*, cum omni poſſeſſione, quam de Abbatia in honore Beati VVicberti in territorio *Herolvesfeldt* conſtructa, idem Imperator æqua commutatione acquiſiverat; cujus & Abbatiæ ipſe fundator erat. Huic autem concambio confirmando, juſſione Domini *Joannis* ſummi, & univerſalis Pontificis, & Cæſaris Auguſti Ottonis, petitione quoque Hildvvardi Helverſtadenſis antiſtitis, Ambroſius Palatinus Cancellarius, & Petrus S. Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, alii quoque quamplurimi Epiſcoporum Italiæ, & Germaniæ ſubſcripſere, quorum etiam nomina in præſenti paginula ſtuduimus annotare.

Hatto Moguntinus Archiepiſcopus interfuit, & ſubſcripſit.

Hildevvardus Halverſtadenſis Epiſc. int. & ſubſcr.

Reginoldus Robilocenſis Epiſcopus int. & ſub.

Adelbertus Rugorum Epiſcopus int. & ſub.

Alberiſus Tarviſianenſis Epiſcopus int. & ſub.

Lancvvardus Mindenſis Epiſc. int. & ſub.

Everærus Leodicenſis Eccleſiæ Epiſc. int. & ſub.

Teupertus Feltrenſis Eccleſiæ Epiſc. int. & ſub.

Gauſelinus Patavianenſis Eccleſiæ Epiſc.

Sichelmus Florentini Epiſc. int. & ſub.

Adelbertus Bononienſis Eccleſiæ Epiſc. int. & ſubſcr.

Arnaldus Foropopuli Epiſc. int. & ſub.

Joannes Imolenſis Epiſc. int. & ſub.

Ingizo Caſtellanæ Eccl. Epiſc. int. & ſub.

Martinus Epiſcopus, & fratres Eccleſiæ int. & ſubſcr.

FINIS TOMI DECIMI OCTAVI.

BX
825
S3
1901
v.17:1
Councils.
Sacrorum concil-
iorum. (Mansi)

9449

f
BX
825
S3
1901
v.17:1

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU LIBRARY
3 2400 00639 8